BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLVI
G
8
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



JAC. AUGUSTI

THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

TOMUS TERTIUS.

LIB. XLIX. — LXXIII.
CIↃIↃLXX. — CIↃIↃLXXXI.
CAR. IX. — HEN. III.



LONDINI
Excudi curavit SAMUEL BUCKLEY
MDCCXXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google



B. Baron fecit.

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER QUADRAGESIMUS NONUS.

EPITOME.

SELIMUS *de Cypro ſubjuganda conſilium capit. Criſpi Naxo ſpoliati.* II. *Bellum Venetis indicitur; quorum ſub id armamentarium triſti augurio conflagravit.* III. *Apparatus contra vim Turcorum. Pontifex et Philippus auxilia large promittunt; Caeſar ob inducias negat.* IV. *Romae foedus ictum; et poſt aliquot altercationes ſacro Barnabae die M. Antonius Columna vexillum pontificium ſolemni ritu accepit.* V. *Claſſis Veneta Jaderae et Corcyrae peſte infeſtata Cretam contendit, fruſtra Margariti arce in itinere tentata. Soppotum in Epiro a Seb. Venerio in poteſtatem redactum. Claſſis pontificia Hiſpanam opperiens Hydrunte haeret.* VI. *Pialis Euboea ſolvens ſine certamine in Cyprum militem exponit. Inſulae deſcriptio, origines, quo jure ditionis Venetae facta. Cyprum tanquam juris Mamaluchorum, quibus Aegypto ſubjugata in imperio Othomani ſucceſſerunt, miſſo Nicoſiam nuncio dedi poſtulat Muſtaphas.* VII. *Nicoſia Matthaei Dandoli culpa poſt* XLVIII *dierum oppugnationem capta. Caput Dandoli inibi occiſi haſtae affixum a Piali Famaguſtanis oſtenſum. Claſſis Chriſtiana ſegniter ad auxilia ferenda ſe comparat, exortis inter duces jam tum diſſidiis et Auria cunctante, ac tandem diverſa hinc inde abiit.* VIII. *Cypro Byzantium ad ſupplementum profectus Pialis in Aegaeo cum Venetis triremibus confligit, quo in certamine Vincentius Marius Priulus cadit.* IX. *Famaguſta obſeſſa, et auxilia ad eam ab Hier. Quirino feliciter introducta.* X. *Foedus ſacrum*

anno ſuperiore inchoatum poſt multas altercationes et in Hiſpaniam miſſitationes Romae tandem tranſactum; cujus is exitus fuit, ut jam tum de pace cum Turco quavis ratione redimenda Veneti cogitarent. Caeſar fruſtra et Polonus ad belli ſocietatem invitati miſſo Jo. Franciſco Commendono cardinali. Cardinalis Alexandrinus pontificis nepos ad regem ea de re legatus, qui inde ad Sebaſtianum Luſitanum tranſivit. XI. *Famaguſtae ſitus et arctior obſidio, ac tandem poſt multas oppugnationes fortiter repulſas a M. Ant. Bragadino deditio.* XII. *Immanitas barbara Muſtaphae contra fidem datam in deditos ac Bragadinum praecipue ſaevientis.* XIII. *Hier. Magii indigna ſors ac tandem mors.* XIV. *Cypri variae clades.* XV. *Claſſis Turcicae inter haec aliis locis ſucceſſus. Epirotarum ſecretum pro libertate contra Turcos foedus.* XVI. *In Illyrico Scodra, Ulcinium, et Soppotum, quod a Sarra Martinengo tenebatur, a Turcis recepta.* XVII. *Antivarum per ignaviam ab Alexandro Donato deditum, et paulo poſt Cazolis et Caſtrumnovum tentata, ac virtute feminarum ſervata.* XVIII. *Terrae motus in Italia ac praecipue Ferrariae, et inundationes in Germania et Gallia ad Rhodanum prodigioſae.*

Ex auctoribus,

Petro Bizaro, Stephano Luſiniano, Uberto Folieta, Jo. Baptiſta Hadrianio, S. Schardio.

LIBER

LIBER QUADRAGESIMUS NONUS.

BELLUM nunc maxime memorabile, quod Turci per triennium cum Chriſtianis geſſerunt, victoria inde inſigni laetum, hinc Cyprii regni amiſſione triſte aggrediemur. Selimus, poſtquam parens ejus in [a] Zigethi obſidione ante quadriennium deceſſit, innata Oſmanidis ambitione homo alioqui temulentus et foedis voluptatibus addictus cum de propagando imperio, de xenodochio more gentis extruendo, eoque ex manubiis et Chriſtiani nominis ſpoliis dotando cogitaret, diu inter familiares ac purpuratos primarios, quo arma vertenda eſſent, ambiguum fuit. Ei, cum adhuc Ciliciam, quam nunc Caramaniam vocant, provinciam obtineret, jam tum impetus fuerat Cyprum Veneti juris inſulam, quae litori illi objacet, aut in poteſtatem redigere, aut ſi per Soſimanum parentem, qui foedus cum Venetis ictum religioſe ſervabat, voluntatem pro tempore renudare non liceret, cum primum in paternum imperium ſucceſſiſſet, eam expeditionem ſuſcipere: ad idque incendebatur partim ſponte et publicae ac privatae injuriae ſenſu, partim aſſiduis familiarium ſuorum hortatibus. Nam cum natura vini appetens ultra modum eſſet, quod generoſiſſimum fert illa inſula, tantae voluptatis, cujus ſuis uſus lege Mahumetica diſerte interdicitur, materiam non ab aliis precariam habere, ſed ſui juris eſſe volebat. Et cum a ſenatu Veneto praeſides in eam inſulam mitterentur, minus honorifice ac digne ſe ab iis, qui regnum illud Othomanici imperii beneficiarium poſſiderent, cultum ſaepius conqueſtus fuerat. Indignabatur et quod piratae Chriſtiani continuis excurſionibus Aſiae et Syriae litora infeſtantes et praedas navium et hominum Turcico imperio ſubjectorum ſub oculos agentes aut Cyprii eſſent, vel in vicinae inſulae portum reciperentur, quod ad ſummum gentis in ſummo rerum faſtigio poſitae dedecus pertinere exiſtimabat. His accedebat familiarium et Joannis [b] Michii inprimis adhortationes. Is genere [c] Luſitanus ex his Hebraeis oriundus, qui ne edicto regis ſolum vertere cogerentur, ejerata religione avita Chriſtianae nomen dederat; inde patria extorris et variis caſibus jactatus cum Venetias veniſſet, memor ſe injurioſe habitum, ob idque iis infeſtus tandem [d] Byzantium conceſſerat; ubi conjugio [e] Mendeſiae ex egenti repente ditiſſimus factus et in ſpem opimioris fortunae ſubito elatus ad Selimum in Ciliciam ſe contulit, brevique ſe homo adulandi mirus artifex ita in principis animum inſinuavit, ut illius ingenio delectatus Selimus, eum ad conviviorum ac jocorum hilaritates et ſecretiores voluptatum ſeceſſus admitteret. Michius vero inde occaſione captata, quo aeſtus cupiditatum Selimum rapiebat, eo orationem dirigens, ad Cypri expugnationem omni ratione impellebat, primo quidem ut ei gratificaretur, poſtremo etiam privata ambitione ac emolumento ſtimulatus. Nam cum quodam die paulo a compotatione hilarior in convivio eſſet Selimus, ſurgens Michium, qui in eodem triclinio haud longe diſcubuerat ad ſe accerſitum inclinato corpore et humerum altero brachio percutiens, Tu vero, inquit, Cypri rex, ſi numina votis annuerint. Qua voce ita extra ſe impotenti gaudio abreptus eſt homo ad vanitatem ambitioſus, ut eum certa ſpe regnum illud ſibi deſponderet, vexilla intra domeſticos parietes

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Sxigeth, ville & comté de la baſſe Hongrie.* [b] *Michez.* [c] *Portugais.* [d] *Conſtantinople.* [e] *Mendez.*

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX.

parietes ab eo tempore parata habuerit, in quibus ejus inſignia diademate ſuperpoſita depicta erant, cum inſcriptione, JOSEPHUS REX CYPRI. Is ſiquidem mutaverat religionem Hebraeus factus, ne a Mendeſia Judaea rejiceretur, ac ſimul cum religione, ut fit, nomen. Poſtea ſubeunte temerarii promiſſi poenitentia Selimus, cum ei ex Pannonia redeunti et imperatori acclamato gratulaturus Michius obviam proceſſiſſet; hominem his, quae dixi, vilibus obſequiis ſibi gratum [a] Naxo inſula donavit; vetere domino, qui ex Criſpa familia perilluſtri longa poſſeſſione eum principatum diu ſub imperatoribus Chriſtianis et poſtea ſub Othomanis tenuerat, ejecto; et attributa inſuper [b] Andro et Teno inſulis, quae a regulis Criſporum tributariis poſſidebantur. At miſerabilis ille princeps cum fruſtra fide Selimi implorata et multis aureorum millibus purpuratorum Portae prenſata gratia diu [c] Byzantii haeſiſſet, ad extremum omni re exutus Venetias venit, et inde Romam contendit, ubi ſtipe emendicata in ſumma egeſtate conſenuit. Id a Selimo factum auctore Mechemete primario purpurato, qui ipſi imperium prudentia ſua ſervarat, plerique credunt, ut nimii promiſſi aliqua re fidem lueret, invidiamque ac offenſionem procerum evitaret haud dubie ex eo conſecuturam, ſi homo degener, transfuga, ac nulla alia re quam turpibus ac ſcurtilibus miniſteriis commendatus, tot laborum, ſanguinis ac pecuniae in illa inſula capienda profundendae praemium auferret, iis, qui ipſum ejus regni compotem feciſſent, praeteritis. Senatus autem Venetus, qui alieno a ſe animo Selimum tanto imperio certa ſucceſſione deſtinatum ſciret, et quanta auctoritate Michius apud eum valeret, non ignoraret, cognito etiam aliquot loca in Ciliciae ora muniri, et undique tormenta et bellicum apparatum comportari, jam ante de Cypro munienda conſilium ceperat; eaque in re [d] Julius Savornianus non minus diligenter quam induſtrie verſatus, quamdiu ei magiſtratu fungi licuit. Nam omiſſo [e] Limiſi portu, quem Amathuntem fuiſſe credunt, ad Nicoſiam regni caput habita primorum deliberatione animum adjecit. Ea Trimethus olim fuiſſe creditur, (quanquam alii aliter ſentiant) quia Trimethuntis et [f] Trimethi appellatio et hodie manet; in meditullio inſulae ſita, loco fere plano, nullo colle aut edito tumulo alicunde incumbente; quam ille ampliato pomoerio XI propugnaculis prominentibus juſto intervallo ex bellica ratione diſtantibus cinxit. Feſtinatis operibus deproperatum opus terrenum, cui deinde tectorium caemento et calce duratum ſuperinduci coeptum eſt, tanta Savorniani diligentia, ut noctem diebus continuaret: ſed malo reipublicae fato, cum ei e provincia decedenti ſucceſſor datus eſſet Nicolaus [g] Dandolus homo piger et ignavus, quod illius ſtudio bene inchoatum erat, culpa alterius omnino periit. Selimus vero ſtatim primis imperii auſpiciis cum [h] xenodochium mole et operis magnificentia longe maximum [i] Hadrianopoli extruendum curaret, et in eam urbem operis inſpiciendi cauſa proficiſceretur, aſſumpto ſecum viae comite Mophti ſacrorum apud eos praeſide, ab eo inter eundum conſerto ſermone perpetui moris admonetur, ut ſcilicet de aliqua nova provincia imperio adjungenda cogitaret. Nam mos eſt Othomanis diverſoria advenis per regna ſua iter facientibus exaedificare, quos benigne et comiter exceptos ſimulque illorum jumenta gratis alunt, ac tridui quiete refectos dimittunt. Hoſpitio item ſacram aedem addunt, eique perampla aedificia continuant puerorum receptaculo, quos magno numero legis ſuae doctoribus in diſciplinam tradunt. Ceterum pecuniam ad tantos ſumptus tuendos neque ex veteribus neque ex jam conſtitutis imperii vectigalibus aut ex aerario erogari fas putant; ſed adventitios fructus provinciae alicujus armis quaeſitae illis aſſignant.

Hoc

INTERPR. [a] *Naxia.* [b] *Andro & Tina.* [c] *Conſtantinople.* [d] *Giulio Savergnano.* [e] *Limiſſo.* [f] *Trimitugia Caſale.* [g] *Dandolo.* [h] *Quiervanſara.* [i] *Andrinople.*

Hoc pietatis opus Deo immortali ſuper omnia acceptum exiſtimant, hacque numen liberalitate maxime propitium reddi, labeiſque ex noxis animo conceptas expiari credunt. Itaque mentione de ea re injecta Mophtis a Muſtapha [a] Damaſci praetore, quem Selimus nuper ex Syria evocatum ſummae rerum praefecerat, et Piali purpurato, qui maxime hoc bellum expeterent, ſubmiſſus, ut creditur, nullam ad eam rem Cypro inſula provinciam opportuniorem eſſe multis verbis demonſtrat: nam lumen ſibi divinitus praeferri, (hoc genus hominum numine afflati et ab eo reſponſa accipere vulgo inter ſuos creditur) non minus felicem quam piam et utilem fore; ex qua duo haec commoda conſecutura ſunt, hoſpitalitatis ex novis illius inſulae fructibus tuendae, et navigationis a piratis excurrentibus tutandae, ne deinceps Muſulmanis hominibus, qui religionis cauſa Mecham et Mahumetis ſepulchrum adeunt, periculoſa ſit peregrinatio. Id conſilii laete a Selimo acceptum, commota jam libidine, qui perjurii jam animo concepti auctorem et approbatorem Mophtim ſe habere gaudebat. Nam poſt Solimani parentis mortem vetus amicitiae foedus ad antiquam formulam, conſuetiſque inter ſenatum et Othomanicos conditionibus renovaverat, Mechemete primario purpurato conſultore uſus, qui et hoc ſibi, ut majorem rei auctoritatem aſtrueret, parentem in ultimis mandatis dediſſe affirmabat. Cum igitur is aegre videret Selimum fidei datae oblitum illuc tot inſtigatoribus et propria cupiditate rapi, ut animum ejus contrario aſtu ab eo conſilio averteret, eundem Mophtim ingentibus praemiis corruptum ad Sultanum allegat, qui quaſi dati conſilii poeniteret, ex occaſione legationis nuper ad Selimum miſſae a [b] Baeticis Mauris, qui ante biennium contra Philippum rebellaverant, opem Turcorum in extrema ſua neceſſitate implorantes, Selimo omiſſa Cypria expeditione in Hiſpaniam vireis vertere ſuaſit: nam ubi major ſit fructus, eo rectius operam et laborem impendi: id vero cum ipſi honorificum, tum Deo magnopere cordi futurum, ſi miſeros Granatenſeis in ipſius opem et veluti ſinum confugienteis non deſerat, neque quidquam tam pio et religioſo officio praevertendum exiſtimet. Verum adverſus animum jam contraria cupiditate inſeſſum parum efficax fuit hoc ſecundum monitum: et accidit forte, ut ſub idem tempus triremis Chriſtianorum a [c] Sirocho Alexandriae praefecto capta, et Conſtantinopolim cum captivis miſſa; ex iis aliquot tormentis ſubjecti ſe tutum ac certum receptum et aquationem in Cypro habere, in eaque ſe ac ceteros piratas reficere ſolere faſſi ſunt. Qua re magis confirmatus in praecepta opinione Selimus, titulum ſe ſatis idoneum habere exiſtimans, quandocumque bellum adverſus Venetos moveret, ſi ſenatum priorem violaſſe fidem poſſet obtendere; tamen antequam de eo decerneret, Mechemetis et Muſtaphae ſententias exquirere voluit. Et ille quidem, qui a bello contra Venetos abhorreret, apta tanti imperii magnitudini oratione principem ad auxilia Granatenſibus ferenda, hoc eſt, ad bellum intra infeſtiſſimi et Chriſtianis ipſis inviſi hoſtis viſcera in Hiſpania gerendum hortabatur; ad quod et gloria, decus, juſtitia, religio, miſericordia, exiſtimatio, majorum exempla ac praemiorum magnitudo; praeterea injuriae ſenſus, indignatio ac denique occaſio, quae neglecta recurrere non ſolet, nec ſine poenitentia omittitur, illum invitarent. Sed Muſtaphas diſſentiebat, cui [d] Pialis Selimi gener et claſſis ſummus dux deſtinatus adhaerebat, qui decus et laudem in expeditionibus utilitate et ſucceſſu metiebatur, temeritatem eorum arguendo, qui aliter ſuaderent: nam imperia, niſi efferentes ſe cupiditates conſiliorum moderatione ſalubriter cohibeantur, quanto altius aſcenderint, tanto foedius corruere: neque vero adeo facilem aditum per Granatenſium ſeditionem in Hiſpaniam patefieri, quem mare, coelum,

INTERPR. [a] *Sangiac de Damas.* [b] *Maures de Grenade.* [c] *Mehemet Sirocco Sangiac d'Alexandrie.* [d] *Piali Baſſa general de la mer.*

CIƆIƆLXX. CAROLUS IX.

coelum, ac natura ipſa viribus humanis inſuperabilis tanto locorum ſpatio interpoſito obſtruere quodammodo videatur: neque cum Philippo, qui potentiſſimus per ſe ſit, contra quam alii jactent, ſolo, ſed cum Germania ac Italia univerſa, denique cum Gallia modo foederata, ſi in Hiſpaniam bellum transferatur, rem proculdubio futuram: nam Gallos amicitiam quidem Turcorum expetere, ſed vicinitatem horrere; ſi propius Turcica arma admoveantur, eodem odio, quo Hiſpanos, et Turcorum potentiam proſecuturos eſſe: itaque potius eſſe, ut Granatenſes intempeſtivae defectionis ſuae et alieno maxime tempore praecipitatae temeritatis poenas luant, quam committere, ut dum miſericordiae et inani hominum opinioni plus juſto tribuit, tanti imperii opes, fortunas et exiſtimationem in extremi periculi aleam conjeciſſe videatur: itaque conſultius videri, ut omiſſa non tantum dubii ſed periculoſi ac pernicioſi eventus expeditione, Cyprus, quae quaſi [a] ante oculos poſita eſt, petatur; ex qua non minor ad Selimum, quam olim ex Rhodo expugnata ad Solimanum parentem gloria ſit reditura. In Muſtaphae ſententiam itum eſt; iſque dux belli creatus, addito Piali collega maritimae claſſis praefecto. Mechemetes autem de Venetorum ſalute non minus quam de re propria ſollicitus, cum pertinaciam ſuam, ſi ulterius contra pugnaret, ſibi capite luendam animadverteret, a contentione animum abſtinuit: neque imperatoris juſſu Veneto oratori, is erat [a] Antonius Barbarus, nunciata, hoc quoque ab eo impetraſſe dicitur, ut ex cubiculariis aliquem Venetias ablegaret, qui cum ſenatu ageret: interim monere ſe pro amicitia, qua res ipſorum huc uſque foverit, ut prudentiam ad tempus accommodent, et cum pares tantae potentiae non ſint, conditionibus potius cum imperatore tranſigant, quam, ſi recuſent, odio ejus in ſe accenſo ob rem levis momenti de tota republica periclitentur. Id ubi Venetiis cognitum, iram inde indignationi juſtae miſcuit, inde mali futuri praeſagis animis, multorum ſententia fuit, nihil per iram et impetum agendum, neque tanti momenti negotium atrocitate injuriae aut facti indignitate ac cauſae juſtitia, ſed ipſorum opibus aeſtimandum eſſe; ſatiuſque videri, ut Turci animum pecuniae vi, quam optimam belli contra eum gerendi rationem ſemper experti ſint, expugnare, et purpuratorum gratiam munerum magnitudine, quorum avara illa gens avidiſſima eſt, ſibi conciliare enitantur. Secundum haec claſſis inſtruitur: in Veneto ſinu, cujus Marcus [b] Quirinus praefectus erat, triremes armatae XXXI excubabant, quibus totidem patricii Veneti praeerant, et Jacobus [c] Celſus claſſis curator. Cumque Venetias allatum eſſet, imperatorem Turcicum binas Venetorum naveis [d] Bonaldam atque Balbanam circa Eid. Jan. detinuiſſe; ipſum vero in apparatibus bellicis adeo attentum eſſe, ut ipſemet [e] armamentarium, et Tapanam, quo loco machinae aſſervantur, inſpectaret, tum quidquid fieri oporteat praeſens praecipere non gravaretur; his nunciis ſenatus, quod erat, conjectans Marco Quirino mandata dat, ut in [f] Cretam quanta poſſet celeritate contenderet, curaretque, ut quamprimum illius inſulae claſſis inſtauraretur. Is cum XIV Kal. Mart. [g] Lieſena cum II biremibus ſolviſſet, [h] Cubatem cubicularium Selimi obvium ad Raguſiam habuit, qui cum Aloiſio Barbaro Antonii filio Angeli [i] Suriani nave vehebatur; de cujus adventu jam certiores claſſem denuo XLII triremium inſtruunt, eique Hieronymum [k] Zaneum praeficiunt. Eodem tempore Martio exeunte Amurates Raiſius cum XXV triremibus Rhodum verſus iter intendit, maria vicina inſeſſurus, et quo minus Veneti Cypriis ſuppetias ferre poſſent, prohibiturus.

Inde

VAR. LECT. [a] ſub manu et ante. *D. f.*

INTERPR. [a] *Marc-Antonio Barbaro Bailo in Conſtantinopoli.* [b] *Quirini.* [c] *Celſi proveditor dell'armata.* [d] *la Bonalda & la Balba.* [e] *l'Arſenal & Tappana.* [f] *Candie.* [g] *Leſina.* [h] *Cubath chaous.* [i] *Suriano.* [k] *Zanne.*

Inde ſenatus miſſis ad oratores ſuos literis apud Philippum et pontificem agunt, et eorum opem adverſus communem hoſtem implorant. CIↃIↃLXX. CAROLUS IX.

II. INTERIM [a] Cubates a Selimo miſſus Venetias venit, cui ſenatus datus eſt menſe Aprili: cumque multa de egregia Selimi erga rempublicam voluntate praefatus eſſet, quam et foedere multis iniquis aut de novo adjectis conditionibus renovato ſtatim teſtatus ſit, non eandem illam voluntatem expertum, aut par pari redditum queſtus eſt, receptis in Cypri portum piratis: ea re imperatorem ſummopere exacerbatum, ſalva exiſtimatione ac dignitate tantam injuriam diutius diſſimulare non poſſe; nec aliam videri concordiae viam, quam ſi inſula Mamaluchorum imperii, in quod Othomani ſucceſſerant, tributaria, quae diſſidiorum cauſa ſit, ei tradatur: ſenatum pro ſua ſapientia rem levis momenti contra tanti principis gratiam parvi facere debere: quod ſi pertinaciter recuſent, eum in animo habere ac decreviſſe non ſolum inſulam Venetis vi adimere, ſed acerrime illos tanquam belli violato foedere tam calamitoſi auctores terra marique perſequi. Ad ea Senatus praeparata oratione reſpondet, quod amicitiam Selimi ex foedere religioſe ac ſincera fide coluerint, Deum ſe ac conſcientiam ſuam teſteis habere; de cetero paratos extrema quaeque tentare et experiri, antequam ad tam iniquas et nomine ſereniſſimae reipublicae indignas conditiones minis, aut ulla alia ratione adigantur: Cyprum neque juris Muſulmanici eſſe, neque unquam imperio Mamalucho paruiſſe: tributum quod pepigerint, hactenus perſolutum: cetera quae obtendantur, maligne ab iis conficta, qui belli injuſti gerendi occaſionem quaerant: maleficia ne admittantur, in principum poteſtate non eſſe; ſed ad eorum officium pertinere, ne impunita maneant: itaque ut inficiari nolint, piratas quoſdam poſt excurſiones contra ſenatus mandata factas clam in inſula latuiſſe, ſic Turcos negare non poſſe, ſi qui latrones convicti in magiſtratus manus inciderint, quin ſtatim juſto ſupplicio affecti ſint: proinde juſtitia cauſae fretos, ſi Turci injuſta arma inferant, ſe ad defenſionem paratos; ac ſperare Deum tot calamitatum, quae ex eo bello ſecuturae ſunt, juſtiſſimum ac certiſſimum ultorem. Ita dimiſſus Cubates; qui et juſſus erat de incendio, quo paulo ante armamentarium conflagraverat, obiter cognoſcere; et an adeo annonae anguſtia, ac rumoribus ferebatur, laboraret reſpublica. Res autem ita habet. Superiore anno Eid. Sept. nocte intempeſta ac coelo ſereno tres turres, in quibus pulvis tormentarius acervabatur, (cujus facto aut quo caſu incertum, nam quantumvis diligenti inquiſitione habita nihil certi compertum eſt) igne concepto ter repetito impetu everſae ſunt tanto fragore, ut tota urbs tremeret, foribus ubique revulſis et feneſtris confractis; ad quem cuncti lectis repente expergefacti cum fulmina et ſagittas coelo micanti emiſſas primo crederent, initio ſe domi continuerunt: fama dein de armamentario incenſo evulgata proditionem veriti ad B. Marci in armis accurrerunt. Die illuceſcente tandem ruina apparuit. Praeter turreis novi muri disjecti et Coeleſtinorum coenobium ac loca propinqua omnino diruta ſunt. [b] Muranum oppidum, ob vaſorum vitreorum admirandum opificium nobile, ingenti damno affectum eſt, ſuppellectile omni per ſe fragili illa ſuccuſſatione confracta. Sed raro divinae providentiae beneficio accidit, ut tantum XXX cadi pulvere ſulfureo oppleti in tribus illis turribus eſſent, reliqua pulveris tormentarii vi in quinque turreis ex ſolido lapide plumbea lama contectas paulo ante ex S. C. conſtructas comportata: quo factum eſt, ut navale univerſum fere ab incendio illaeſum fuerit. Majus ab annonae caritate eo anno incommodum fuit, quod prudentia ac liberalitate ſenatus utcunque ſuppletum eſt.

III. JAM

INTERPR. [a] *Cubath.* [b] *Murano.*

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

III. JAM [a] Zancus [b] Jaderam appulerat ab Hectore [c] Trono Jaderae epiſcopo et comite, et Andrea Barbarigo arcis praefecto honorifice exceptus; quo tempore magnum dolorem ac vulnus reſpublica accepit ex Bernardi [d] Maripetri equitum per Dalmatiam curatoris morte, qui aliquot excurſionibus cum feliciter in Turcos pugnaſſet, tandem ſucceſſibus elatus cum inermis eandem aleam tentaſſet, plaga ex haſtae ictu in humero accepta magno ſui relicto deſiderio deceſſit, cum vix XXIX annum egreſſus eſſet: in cujus locum poſtridie Eid. Mart. ſuffectus eſt Fabius [e] Canalis; et univerſae Dalmatiae praefectus Franciſcus [f] Barbarus creatus, qui antequam magiſtratum capeſſeret, cum obiiſſet, ei ſubrogatus eſt a ſenatu Joannes [g] Legeus eques S. Marci procurator. Interea M. Quirinus in [h] Cretam Prid. Kal. Apr. appulit, ubi luſtrata claſſe cuncta ad bellum neceſſaria ſummo ſtudio adminiſtrabat. Tandem ſummiſſae Venetiis XVII triremes, quibus totidem [i] Patricii Veneti praeerant. Eodemque tempore Pialis ad XV Kal. Maias [k] Byzantio ſolvit, cum claſſe XXC triremium, XXX biremium, et in itinere [l] Tenum inſulam, ſed cum damno ſuo, vaſtavit. Nec multo poſt [m] Cubates legatus Turcicus Conſtantinopolim rediit pridie Eid. Maias. Secundum haec Muſtaphas cum toto exercitu claſſi impoſito in viam ſe dedit, XVI Kal. Jun. cum paulo ante mortuo Petro [n] Lauredano Venetiarum duce a ſenatu electus eſſet Aloiſius [o] Mocenicus V Eid. Maias, qui antea S. Marci procurator erat: quo in munere ei ſuffectus eſt Sebaſtianus [p] Venerius Corcyrae praefectus. Sollicitabantur interea apud foederatos principes auxilia: et Romae quidem Michael [q] Surianus cum ea de re apud Pium V ageret, ille ſe vicem ſenatus dolere teſtatus eſt, ceterum vehementer laetari, quod occaſio ſe offerret fœderis jamdudum deſiderati inter Chriſtianos principes contra communem hoſtem ſanciendi: et quanquam appareret, multis de cauſis pleroſque ex iis in foedus aegre aut lente conſenſuros, tamen et ſuam et Philippi operam ultro detulit; et cum inſuper Veneti decimas vectigalium ſacerdotiorum ditionis ſuae concedi in hoc bellum peterent, re ad conſiſtorium relata omnes uno ore aſſenſere, laudata tam propenſa pontificis erga ſenatum voluntate. Aderat Antonius Perrenotus cardinalis, qui contradicere non auſus, nullis impendiis parcendum, ſed ſumma facienda omnia cenſuit, ut Cyprus a Chriſtianis retineri poſſet, detrimenta ex illa amiſſa, opportunitates contra ex ſervata ſingillatim perſecutus: ceterum peracerba oratione Venetos inſectatus eſt, quos tantum alienarum cladium ac funerum ſpectatores omni miſericordia indignos dixit. Ad quae verba Jo. Franciſcus [r] Commendonus ſilentium non tenuit; et enumeratis tot ſenatus in ſedem Romanam beneficiis, ac praecipue Friderici Caeſaris ad obedientiam Venetorum ope coacti memoria, inſolentem [s] Granvellani vehementiam generoſe confutavit. Pontifex dein ad Philippum ablegat Ludovicum [t] Turrium ex ſeptemviris quaeſtorem hominem Hiſpanum et proinde illi acceptum, quem et poſtea rex [u] Montis-regalis archiepiſcopatu, opulentiſſimo in Sicilia ſacerdotio donavit. Is regem, cum [w] Hiſpalim proficiſceretur, [x] Cordubae nactus, cum eo agit, et poſtulata auxilia ab eo impetrat, de foedere ſpe facta, ſed negotio in commodius tempus rejecto, haud obſcura offenſi animi Philippi ſignificatione, qui per Didaeum [y] Spinoſam cardinalem, is ſummum auctoritatis locum in conſilio regio obtinebat, quamvis ad vota pontificis ~~animum inclinaret~~, et in bellum illud opes conſerret, opponebat, alienum pontificis huc uſque a rebus Hiſpanorum animum: nam nullam

INTERPR. [a] *Zanne.* [b] *Zara.* [c] *Trono.* [d] *Malipiero proveditor de' cavalli in Dalmatia.* [e] *Canale.* [f] *Barbaro proveditor generale in Dalmatia.* [g] *da Leze.* [h] *Candie.* [i] *Nobles.* [k] *Conſtantinople.* [l] *Tine.* [m] *Cubath.* [n] *Loredano.* [o] *Mocenigo.* [p] *Veniero proveditor generale di Corfu.* [q] *Suriano.* [r] *Commendone.* [s] *Cardinal de Granvelle.* [t] *de Torres chierico di Camera.* [u] *Montreale.* [w] *Seville.* [x] *Cordoue.* [y] *le Cardinal Eſpinoſa.*

nullam ejus gratjam, cum bello Granatenſi in viſceribus Hiſpaniae ureretur, Belgico non minus periculoſo premeretur, expertum; et manare quotidie multa a pontifice, quae non mediocriter jura ac juriſdictionem regiam in regno Neapolitano et Mediolanenſi principatu minuant ac labefactent. Tandem miſſa a Philippo ampliſſima mandata ac libera ad Franciſcum [a] Paceccum et Granvellanum cardinaleis, qui Romae erant, et Joannem [b] Zunicam ſuum apud pontificem oratorem, ut foedus quibus conditionibus viſum fuerit, cum pontifice ac Venetis jungant. Eodem tempore ſenatus Jacobum [c] Superantium ad Maximilianum Caeſarem miſerat; qui non modo ſe illi bello implicaturum, Turcamque formidoloſum hoſtem tam finitimum, cum quo ſit in induciis, temere provocaturum negavit; Germania praecipue averſa, quae a Turca laceſſendo maxime abhorreat, et arma tantum inferenti reſiſtere parata ſit; verum ne legatum quidem Venetum Viennam accedere paſſus eſt, ſed Ratiſponam remiſſum [α] ſine reſponſo poſtea dimiſit: quo factum eſt, ut Veneti Antonium [d] Teupolum ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniae Regem ob eandem rem miſſum ex itinere revocarent; quippe gnari illum minoribus odiis ac minus neceſſarii belli cauſis ſtimulantibus haud paulo alacriorem aut promptiorem ad arma capienda fore.

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

IV. ROMAE vero allatis Philippi mandatis, de foedere iciendo tractari coeptum: et cum Veneti iiſdem conditionibus foedus icere ſe paratos oſtenderent, quibus cum Carolo V et Paulo III anno hujus ſeculi XXXVII conveniſſent, formam tamen imperii memores incommodorum ex eo ſecutorum mutari voluerunt; nimirum, ut ſuprema omnium poteſtas non penes unum, ſed treis claſſium praefectos eſſet, ſententiaque duorum in conſiliis capiendis praevaleret, quam is, cui abſoluti ducis titulus delatus eſſet, exécutioni demandaret: is autem ſummus dux eſſet, quem pontifex diceret. Ea de re aliquandiu altercatum; cum Veneti ſe a perpetuo more ſuo receſſuros negarent, neque foedus ullum icturos, in quo non eſſent naves, vexilla ac praefectus pontificius. Tandem pontifex XII triremeis armaturum recepit, ſummumque claſſis ſuae praefectum M. Antonium [e] Columnam nominavit. Rurſus heic controverſia ſuborta, Venetis de numero triremium ut nimis exiguo querentibus et ſuſpectum ſibi Columnam ut Philippo multis de cauſis addictum affirmantibus: ſed tandem utrumque tenuit pontifex; ut et numero triremium promiſſo velut idoneo ad erigendum vexillum contenti eſſent Veneti, et de Columnae fide, quam ſe praeſtiturum pontifex aiebat, minime dubitarent, ut quem multis nominibus obſtrictum haberet ſenatus, antiquitus civitate donatum et in ordinem patriciorum allectum. Secundum haec in aede B. Petri III Eid. Jun. qui dies B. Barnabae Cypri inſulae tutelari feſtus eſt, more ſolemni vexillum a pontifice accepit Columna, et mox inde Anconam perrexit, ubi inſtructae XII triremes, in remigium certatim et aemulatione pecuniam pleriſque ex nobilitate conferentibus. Nec ceſſabant [β] Turci. Nam Pialis in [f] Euboea ſartis ac refectis triremibus Rhodum iter intendit, et cum in itinere ſe cum Muſtapha et Hali conjunxiſſet, omnes ſimul Kal. Jun. [g] [γ] Rhodum tenuerunt; dum interim [h] Uluzalis, qui unus ex primariis ducibus aberat, Siciliae et Italiae litora continuis excurſionibus infeſtaret. Is genere Calaber a Turcis olim captus ac remigio mancipatus, [δ] poſtea ejerata religione Chriſtiana magna audaciae ac fortis induſtriae documenta dederat, et in ea aula ad ſummum amplitudinis faſtigium pervenerat.

V. CLASSIS

VAR. LECT. [α] cum eo reſponſo. *D. f.* eo reſponſo. *D. o.* [β] Turcae. *D.* f. o. d. [γ] Inde Rhodum. *D. f.* [δ] Poſtea *deeſt*. *D. f.*

INTERPR. [a] *Pacheco.* [b] *de Zuniga.* [c] *Soranzo.* [d] *Tiepolo.* [e] *Colonna.* [f] *Negrepont.* [g] *Rhodes.* [h] *Uluciali* al. *Uluzzali.*

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

V. CLASSIS Veneta [a] Jaderae, ubi Hiſpanam opperiebatur, plus juſto commorata opportunam rei bene gerendae occaſionem praetermiſiſſe creditur. Turci contra ubi triduum Rhodi viribus reficiendis impenderunt, [b] Finicam, quae urbs eſt in ora Ciliciae ex adverſo Cypri, curſum tenuerunt, quo pedeſtres et equeſtres copiae in bellum Cyprium deſtinatae jam convenerant, reliquo belli apparatu antè eodem comportato. Interea dum Veneta claſſis in Jaderenſi portu fruſtra Hiſpanam opperiretur, contagioſa lue miſere afflicta eſt, tot cumulatis funeribus, ut nullo numero ſatis ſuppleri damnum quotidianum poſſet. Itaque cum et coeli mutatione et exercitatione ad peſtem vitandam opus videretur, tandem ſenatus juſſu [c] Corcyram progrediuntur; et inde rurſus cum vis morbi minime remitteret, [d] Cretam verſus iter faciunt: in itinere ex [e] Zacyntho, Cephalenia, et Cythera accepto in remigium ſupplemento, etiam [f] Margariti arx, ſed infelici ſucceſſu, a Sfortia Pallavicino tentata eſt. Felicior Sebaſtiani [g] Venerii Corcyrae praefecti expeditio fuit ad [h] Soppotum arcem in Epiri litore, quam Emanuelis [i] Mamurii civis [α] Epidaurii conſilio et induſtria uſus Turcis dejectis in poteſtatem redegit, eique cum praeſidio ipſum Mamurium impoſuit. Expugnata et [k] Taenaria urbs a Marco Quirino in itinere cum XXV triremibus in Cretam praemiſſo. Jamque Columna Piceno ſolvens VIII Eid. Sextil. [l] Hydruntem appulerat, quo Auriam et Hiſpanam claſſem opperiens ſe contulit.

VI. PIALIS vero [β] impoſitis in naveis militibus ac praetorianis cum claſſe CCXV triremium Finica ſolvit, et Kal. Sextil. Cyprum tenuit; tum ad [m] Salinas per otium nemine obſiſtente, cum magni certaminis rem putaret, militem in terram expoſuit V Non. Quintil. Cyprus inſula ex adverſo Ciliciae ab ea parte, quae ſeptentrionem reſpicit, [n] Illyricum ſinum et [o] Cilicium mare habet, ab occidente [p] Pamphylio mari, a meridie Aegyptiaco, ab oriente Syrio circumdata. Latitudo ejus medio Olympo monte a [q] Cromnio promontorio ad promontorium, quod olim Curias, nunc [r] Gattorum dicitur, hoc eſt, a ſeptentrione in meridiem per LXVICIƆ paſſuum porrigitur. Longitudo ab [ſ] Acamante promontorio ad Clidas, quod hodiè S. [t] Andreae promontorium appellatur, terra ſenſim in acumen deſinente per CC circiter paſſuum CIƆ extenditur; ambitu vero IƆCL paſſuum CIƆ complectitur: forma velleri a veteribus comparata: urbibus et oppidis populoſis frequens, et amoenitate inter omneis mediterranei maris inſulas ac divitiis ab antiquis commendata, ob idque Veneri ſacra, in quam ſe ex mari recipere, ſedem habere, coli praecipuo honore dicebatur. In ea ſiquidem [u] Amathus, [w] Paphos, [x] Cythera, et [y] Idalium nemus, nota poetarum carminibus. Poſtea a IX regibus ſimul habitata proditur, et Evagoras inprimis ab Athenienſibus ob virtutem dilectus et adjutus commemoratur. Deinde deſtructo Perſarum imperio ſub Ptolemaeis poſt Alexandri mortem fuit, uſque ad annum U. C. IƆCXCVII, quo M. Cato, cujus morte poſtea Utica in Africa nobilitata eſt, praetoria poteſtate in inſulam miſſus fuit. Ad cujus adventum Ptolemaeus Dionyſius ex deſperatione ſibi mortem veneno Rhodi conſciviſſe dicitur, haud obſcura S. P. Q. invidia, cujus paupertatem, ut Cyprum divitiis famoſam occuparet, ſollicitaſſe ſcripſere quidam, ita ut avarius jus in ea quam juſtius ſibi quaeſiverit. Mortui theſauros, qui XXX aureorum myriadas

excesſiſſe

VAR. LECT. [α] Epidauri. *D. f.* [β] Finica impoſitis. *D. f.*

INTERPR. [a] *Zara.* [b] *Finica.* [c] *Corfu.* [d] *Candie.* [e] *Zante, Cefalonia, & Cerigo.* [f] *Caſtello di Margariti.* [g] *Veniero.* [h] *Soppoto en Albanie.* [i] *Marmori, da Napoli di Romania.* [k] *la fortezza della Brazzo di Maino al porto delle quaglie nella Morea.* [l] *Otranto.* [m] *alle Saline.* [n] *Golfo d'Aiazzo ou Seno Iſſico.* [o] hodie *mer de la Caramanie.* [p] *mer de la Pamphylie.* [q] *capo de' Cormachiti.* [r] *capo delle Gatte.* [ſ] *capo di San Piffano.* [t] *capo di S. Andrea,* antiquis *Clides.* [u] *Limiſſo vecchia.* [w] *Baffa.* [x] *Cithira.* [y] *Caſale chiamato Dali.*

excesſiſſe perhibentur, mox collegit Cato, & in urbem perducendos ſumma fide CIƆIƆLXX.
curavit, amplioribus ſpoliis Romam relaris, quam Cn. Pompeius ex Aſia paene CAROLUS IX.
domita reportaſſet; cum ille modico comitatu in inſulam profectus nullis ſumptibus rem confeciſſet; hic exercitibus tanto tempore et tam longo terrarum ſpatio alendis totum paene aerarium exhauſiſſet. Ab eo tempore Romani juris Cyprus fuit, et poſtea ſub Conſtantinopolitanis imperatoribus; donec deficientibus inſulanis Iſaacus quidam ducis nomine homo crudelis et ad omnem libidinem efferatus ea potitus eſt. Is injurioſe habitis [1] Franciae et Angliae reginis, quae religionis cauſa Hieroſolima proficiſcebantur, cum odium ſummum principum Chriſtianorum in ſe accendiſſet, Ricardus Anglorum rex [2] diſſimulata in tranſitu injuria poſt expugnatam [a] Ptolemaida vireis eo vertit, captoque Iſaaco et occiſo inſulam in poteſtatem redegit; ac primo Templariis equitibus vendiram, dein [b] Guidoni Luſiniano ex [c] Brunorum perilluſtri apud nos familia Hieroſolimitano regi a Templariis redemptam eodem pretio vendidit, ea lege, ut regni Hieroſolimitani jura in Henrici Campaniae comitis gratiam cederet. Ille igitur anno ſalutis CIƆXCI inſulae poſſeſſionem adeptus eſt; eique ſine liberis poſt triennium mortuo Almericus frater ſucceſſit ab Henrico Caeſare regis titulo inſignitus. Almericum excepit Hugo filius, cui Henricus, et Henrico Hugo II, et Hugoni Hugo III ex eadem familia ſucceſſere: dein Hugonis III Joannes filius, et Henricus II, poſtea Joannis frater, et Henrico ſine liberis mortuo Hugo IV Guidonis Henrici fratris filius regnum tenuerunt. Hugoni filius Petrus fuit, cui [d] Petrinus ſucceſſit, et Petrino Jacobus ejus patruus, qui cum Petrus moreretur, a Genuenſibus arcta et indigna cuſtodia Genuae compedibus ferreis etiam injectis detinebatur; tandem liberatus, Famaguſta Genuenſibus cum territorio ſuo permiſſa, Nicoſiae rex Cypri coronatus eſt; mortuoque ſub id tempus inter Turcorum manus Leoneto Armeniae rege, etiam rex Armeniae et Hieroſolimorum declaratus eſt. Jacobum [e] Janus, et Janum Johannes ordine exceperunt, qui Carlotam ex Helena Palaeologa deſpotae Peloponneſi filia natam et Jacobum nothum ex concubina, quem poſtea Cypri archiepiſcopum dixit, ſuſcepit. Carlota primo Joanni Portugalliae principi nupſerat, et poſt mortem Helenae matris Aloiſio Sabaudo a patre elocata eſt: dein decedente Joanne, poſtquam XXVIII annos regnaſſet, Jacobus nothus Carlotae ſorori de regno controverſiam movit, et a Sultano Mamaluchorum imperatore adjutus, Aloiſio ejecto regnum tenuit, tributum pactus; et quo res ſuas magis in inſula firmaret, Catharinam [f] Corneliam a ſenatu Veneto adoptatam in uxorem duxit: poſtea cum anno ſalutis CIƆCCCCLXX moreretur uxore gravida relicta, omnis adminiſtratio tradente regina in ſenatus Veneti poteſtatem venit; qui et Catharinae per Marcum Cornelium patrem et Aloiſium [g] Bembum avunculum perſuaſit, ut Venetias ſe conferret; quo et ſecum adduxit Janum, Joannem et Carlotum ex nobilibus concubinis ſuſceptos a Jacobo filios, qui inibi perierunt: illa vero Jacobo poſthumo filio paulo ante mortuo regnum ſenatui donavit; ad cujus ſucceſſionem nothi illi, quos dixi, ordine a marito vocati fuerant, et poſt eos proximus ex Luſiniana familia. Atque hoc eſt jus, quod ſibi Veneti in eo regno vindicant, quodque XC circiter annos, haud juſtiore fortaſſe titulo quam Romani olim, tenuerunt. Hodie praecipuae in ea urbes, Famaguſta ſitu munitiſſima, quae olim Tamaſſus fuit, vel ut alii putant, Salamina, Syriam verſus oppoſita; et in inſulae

medio

INTERPR. [a] *Acre ou Acon.* [b] *Guy de Luſignan.* [c] *le Brun.* [d] *Pierino.* [e] *Giano.* [f] *Cornara.* [g] *Bembo.*

NOT. [1] Leg. *Angliae et Siciliae reginis*; quarum haec Joanna ſoror, illa Berengaria Ricardo ſponſa fuit. *C.*

[2] *Dele* diſſimulata injuria poſt expugnatam. *Lege* in tranſitu ad expugnandam. *C.*

CIↃIↃLXX.
CAROLUS IX.

ᵃ medio Nicoſia, quae Amathunte a Ricardo Angliae rege everſa quaſi ex illius ruinis inſtaurari coepit.

VII. IGITUR claſſis Turcica ᵃ Salinas appulit ſine certamine, quod minime rebatur, magno Nicolai ᵇ Dandoli inſulae praeſidis errore, nec minore Eugenii ᶜ Synelitici Rocaſiae comitis, qui magiſter equitum eo bello creatus fuit; quantumvis inſtante Aſtore ᵈ Balcono, ut militi a maris jactatione nauſeanti in exſcenſione occurreretur. Ibi v Non. Quintil. expoſito milite et apparatu bellico, Muſtaphas vallo ſe munivit ac continuit, donec reliquae copiae, ad quas ex Cilicia portandas Pialis et Halis profecti fuerant, adveniſſent, incurſionibus et praedis infeſta circum omnia facere contentus. Interim cum nulli ex inſulanis pavore ſubito conſternatis apparerent, Muſtaphas monachum quendam inter captivos repertum Nicoſiam cum literis mittit, quibus Cyprum tanquam juris Mamaluchorum, quibus in imperio Othomani ſucceſſerint, dedi poſtulabat, alioqui bellum infeſtiſſimum denuntiabat. Ad eam denuntiationem tanta trepidatione perculſi ſunt animi, ut deliberatum fuerit, utrum reſpondendum literis eſſet; vicit tamen ea ſententia Dandolo praeſide diu ambigente, quae ſuperbiſſimo et injuſtiſſimo hoſti minime reſpondendum, et tantam injuriam non verbis coarguendam, ſed factis propulſandam cenſebat. Primum incommodum ex Dandoli ſe Nicoſiae moenibus continentis tarditate acceptum a defectione ᵉ Leſcaris vicanorum, qui cum ſe omni auxilii ſpe deſtitutos viderent, peſſimo conſilio incolumitatem ſibi ac rebus ſuis pacti in Turcorum fidem conceſſere, exemploque ſuo vicanos montanos, ut eadem ratione ſibi conſulerent, perpulere. Quam perfidiam, ne contagione ſerperet, miſſo ᶠ Caeſare Tienio cum IↃC peditibus delectis Dandolus ultus eſt, deleto pago, ut ſeveritate ultionis ceteri deterrerentur. Pialis ex Cilicia reverſus ᵍ Ceruniam urbem ad litus, quod ſeptentrionem reſpicit, commeatibus ex continenti trajiciendis opportunam Veneto praeſidio dejecto occupat. Tum de ratione belli gerendi inter purpuratos et ceteros belli duces conſultatur; et Halis quidem ʰ Famaguſtam ante omnia petendam cenſebat, quod ea circumſeſſa et mox capta, quod intra xx ad ſummum dies urbe, ut aiebat, explorata fieri poſſe in ſe recipiebat, maritimum commercium omni ex parte adimeretur, et omni via ſubſidiis intercluſa brevi Nicoſia ex deſperatione in poteſtatem veniret: ſed repugnabat Muſtaphas, et a Nicoſia incipiendum aiebat; quae urbs debili praeſidio teneretur, et nondum perfectis munitionibus citius capi poſſet, quae, ſi ad Famaguſtae obſidionem diutius haererent, brevi in tantam altitudinem et firmitatem educi poſſent, ut nulla vi, nullo hominum numero expugnari urbs poſſet: quae ſententia tenuit. Tum partiuntur munera inter ſe purpurati. Pialis cum claſſe cxxx triremium bellatoribus plenarum remanere juſſus; quam ille, ſi caſus ferret, Chriſtianae claſſi auxilio venienti oppoſiturus eſſet. Muſtaphas rem terra gerendam ſuſcipit, et IX Kal. Sextil. iter Nicoſiam intendit. Quo cognito Dandolus ſtatim Famaguſtam mittit, et Aſtorem Balconum paulo ante, ut urbi cum ſummo belli imperio praeeſſet, ablegatum cum auxiliaribus accerſit. Verum Balcono, incertum adhuc eſſe, quo hoſtis tenderet, dictitante, et eum morem Turcorum eſſe, ut ad aliam urbem ſe acceſſuros ſermonibus diſſerant, alio caſtra promoveant, praeſidiarii ſe excuſarunt. Recenſitis autem copiis numerati ſunt Nicoſiae CIↃIↃ Itali merentes, quorum plerique morbis invalidi erant; ex inſulanis delectibus ↃIICIↃ, oppidanorum armatorum CIↃCIↃIↃC, inſulanorum partim publice, partim privatim

VAR. LECT. ᵃ meditullio Nicoſia olim Tremithus. *D. f.*

INTERPR. ᵃ *alis Saline.* ᵇ *Dandolo.* ᶜ *Singlitico conte di Rocas collaterale generale della militia di Terra firma.* ᵈ *Baglione.* ᵉ *Caſale di Leſcara.* ᶠ *il conte Ceſare da Tiene.* ᵍ *Cerines.* ʰ *Famagoſta.*

privatim conductorum (multi ſiquidem in id pecuniam conferebant) bis mille c, CIƆIƆLXX.
[a] Epirotae equites IƆ, ejuſdem nationis pedites CC, tormentarii inſulani CC, Itali CAROLUS IX.
LX, proceres ac nobilitate inſignes viri CIƆ numero fuerunt; ut bellatorum numerus, quorum plerique morbis detinebantur, ad XICIƆ accederet: quibus addi poſſunt VIIICIƆ agreſtium operi faciendo deſtinatorum: praeterea foeminae, pueri et imbellis plebs LVICIƆ hominum efficiebant. Ad urbem VII Kal. Sextil. admotis copiis, prima cura fuit numinis conciliandi precibus, ſupplicationibus, jejuniis, praeeunte Franc. Contareno [b] Paphi epiſcopo; qui obſeſſos humanis praeſidiis adverſus externum hoſtem parum tutos dicebat, niſi intus bona conſcientia et proprio numine munirentur: itaque noxiis expiati ad extrema quaeque ſubeunda ſe comparant. Primis eruptionibus Andreas [c] Corteſius Epirota ſtrenuus ordinum ductor deſideratus eſt. Nicoſia loco plano ſita in medio inſulae, forma rotunda, exiguo illam interfluente amne, qui proprio nomine carens Graece [d] Potamos vocatur, XI propugnaculis prominentibus, uti jam ſupra diximus, et foſſa muniri coepta erat, quibus nomina, [e] Podocatarum, quod meridiem ſpectat, cui in orientem tendens [f] Conſtantia proximum eſt; poſt illud Davila, et deinceps caetera hoc ordine, [g] Tripolis, Rocaſium, Mula, Quirinum, Barbarum, Lauredanum, Atrum, Carafa. Portis tribus intratur, quarum quae [h] Salinarum appellatur, Carafae et Podocataro interjecta eſt meridiem verſus; [i] Trojanam, quae occidentem ſpectat, Tripolis et Rocaſium cingunt; tertia, quae [k] arcis nomine indigetatur, inter Quirinum et Barbarum ſeptentrioni objicitur. Turci duabus partibus caſtrametati ſunt; ad Marinae fanum, et B. Georgii coenobium. Tum poſtquam urbem quadripartito invadere decreverunt, luſtrato exercitu, in quo peditum LCIƆ, equitum IICIƆIƆ; omni multitudine adjuncta, ad C millia capita numerabantur; ita munia partiti inter ſe ſunt, ut Podocatarum [l] Alexandrino purpurato, Davila [m] Muſafero, Tripolis [n] Derviſio quatienda propugnacula obvenirent. Conſtantiam Muſtaphas adjuncto ſibi Hali ſumpſit; negotio dato ceteris purpuratis, ut dum urbs quaritur, ſinguli de copiis ſibi attributis C equites, totidemque pedites circummittant, qui urbem obeuntes prohibeant, ne qua ſubſidia aut quid commeatus in illam importaretur. Obſeſſi, cum jam minime incertum eſſet, Famaguſtam an Nicoſiam hoſtis petiturus eſſet, Baleonum iterum et auxilia a Famaguſtanis poſcunt: ſed et ille, qua de cauſa incertum, pigrum ſe ad imperia praebuit; dum interim Turci continuatis operibus et aggeribus productis eouſque proceſſiſſent, ut a crepidine non procul abeſſent, tumulis etiam adverſus Podocatarum, Davilam, et Conſtantiam propugnacula excitatis, unde infeſta ſagittarum grandine in noſtros jaculabantur. Tum muro crepidinem ſuſtinente perforato foſſam ingreſſi propugnacula ſuffodere aggrediuntur, locis excavatis, in quibus ab ictibus tuti tegebantur; gradibus etiam in ſuffodiendo exſtructis, quibus facilem ſibi ad munitiones aſcenſum ſtraverant. Muſtaphas, quid virium, quid animi item obſeſſi haberent, periculum facturus, et cum eo Alexandriae purpuratus per ſimulationem urbis juſta oppugnatione aggrediendae impetum facere inſtituit ad Conſtantiae et Podocatari propugnacula; ſed diſpar fuit ſucceſſus: nam ii qui Podocatarum tentarunt a defenſoribus ſtatim repulſi ſunt: qui vero Conſtantiam tuebantur, non eadem aut vigilantia aut virtute hoſtem ſuſtinuere; ſed loco ad primam vim ſtatim deſerto perrumpentibus Turcis viam fecere, qui fortunae ſavorem urgentes in altum enixi

ſignum

INTERPR. [a] *Albanois.* [b] *Baſſo.* [c] *Corteſe Albanois.* [d] *Potamo.* [e] *Baluardi di Podocataro,* [f] *Coſtanza,* [g] *Tripoli, Rocas, Mula, Quirino, Barbaro, Loredano, Atro, Carafa.* [h] *porta delle Saline.* [i] *porta di Troja.* [k] *porta di Caſtello.* [l] *Baſcha d'Alexandrie.* [m] *Muſafer.* [n] *Dervis.*

CIↃIↃLXX. CAROLUS IX. ſignum in ſummo propugnaculo ſtatuunt, ſummiſſis a purpurato recentibus adjuti. Verum occurrentibus Hercule Podocataro et Andrea [a] Spelio paventium fuga primo ſiſtitur, dein et praelium reſtituitur; cujus is exitus fuit, ut Turci de muro deturbati tandem averterentur. Interim Turci, numero ſuperiores, et continua diſploſione aut ſagittarum grandine praeſidiarios operas infeſtanteis urgebant. Obſeſſi vero, contra tantum numerum ſatis habebant ſe defendere, in ſarciendis muris et munitionibus ad futuros impetus continuandis ſegniores; cum [b] Dandolus, cujus virtute ac conſilio res geri debuerat, majeſtatem ignavia corrupiſſet, et proinde minus apud militem licentioſum auctoritate aut imperio valeret: jamque rerum omnium in urbe et vini praecipue ad deſtinata operibus faciendis capita neceſſarii ſumma penuria erat, ut opera paſſim debilitatis corporibus intermitterentur. Itaque tertia ad Baleonum legatio decernitur, miſſo Joanne Baptiſta [c] Sancolumbano ſtrenuo militum ductore, quae fruſtra fuit, non Baleoni detrectatione, ſed praeſidum urbis pertinacia, qui ſummi ducis adventum nihil aut parum res Nicoſienſium ſublevaturum dicebant; contra res Famaguſtanorum everſurum; quippe quo diſcedente milites diſceſſuri eſſent, et oppidani ſalute deſperata rebus ſuis conſulturi: quod reſponſum plus ad obſeſſorum animos dejiciendos valuit, quam quod in literis praeſidum ſcriptum ad illos erigendos, IIICIↃ Turcorum, quae VICIↃ paſſuum a Famaguſta conſederant, a Baleono inſidiis circumventa et deleta eſſe, duobus millibus ex illis interfectis, in quibus fuerunt duo haud obſcuri nominis praetores, ſignaque quaedam capta. Majus ſolatium obſeſſis fuit, quod in literis, quae ſub id tempus a praeſidibus montanae regionis miſſae ſunt, perſcriptum erat, ad C mortalium CIↃ in eos montes Veneti nominis ſtudioſorum ſe ſubduxiſſe; qui excurrenteis Turcos et populationibus atque incendiis omnia vaſtanteis animoſe repellebant: ab ipſis vero ad IↃ amplius Joanne Synclitico duce trucidatos. Tum fremente milite, quod moenibus incluſi, hoſte nunquam non modo tentato, ſed ne quidem propius inſpecto paulatim conficerentur, nullo virtutis edito facinore, neque tanquam viri, ſed veluti pecora mactarentur; eorum querelis ſeu precibus victi praeſides, etſi ab eruptionum faciendarum conſilio ob copiarum paucitatem ſemper abhorruerant, tandem militum ardori indulgendum ſtatuunt; et cum Caeſar Tienius hoſtilia tormenta configenda ſuſcepiſſet, laudato ejus conſilio, IↃCIↃ peditum et CCCC equites Epirotas emitti placuit; eique adjuncti Gregorius [d] Panteus, qui [e] Conſtantia, et Hieronymus [f] Caleſius, qui Trojana porta impetum eodem tempore facerent. Cum iis erant Caeſar [g] Piovena Vicentinus [a] [h] Rocaſii legatus, Albertus Scotus comes, Nicolaus [i] Gradenicus, Zannetus, Dandolus, et Maggius eques machinarum et ſtruendarum munitionum peritus: ipſe Caeſar cum IV Italorum ſignis Salinarum porta egreſſus per foſſam ad Potamum acceſſurus erat; quod et impigre exſecutus eſt: ſed cum in tempore equitatus, qui ei praeſto eſſet, non advolaſſet, Dandolo negante ad peditum deſperatam ſalutem equitum cladem addere velle, Tienius nullo non virtutis et rarae audaciae facto periculo, poſt obſtinatum certamen prae laſſitudine victus tandem interficitur, et cum eo Joannes Baptiſta Bertocius, et Albertus Scotus comes ſtrenui ordinum ductores: longe major Turcorum clades edita; ex quibus ad CIↃ cecidiſſe eo die conſtat, cum ex noſtris tantum XXC ~~deſiderati ſint.~~ Id incidit in XVII Kal. Sept. Ab eo tempore ab eruptionibus abſtinuere obſeſſi, quantumvis Rocaſio comite Epirotarum duce vociferante, Deumque et homines obteſtante, ſuorum, quorum nullus intra moenia

VAR. LECT. [a] Radoſii. *D.* o. d. Ed. Gen. Racoſii. *D.* f.

INTERPR. [a] *da Spello.* [b] *Dandolo.* [c] *Sancolomban.* [d] *Panteo.* [e] *porta di Coſtanza.* [f] *Caleſe.* [g] *il capitano Piovena Vicentino.* [h] *Conte di Rocas.* [i] *Gradenigo, Zanneto, Dandolo, & Maggi ingenieur.*

moenia uſus ſit, ab equeſtri opera, qua una valeant, reipublicae navanda prohiberi. Interea Pialis, ut de Chriſtiana claſſe cognoſceret, Rhodum progreditur, et inde [a] Cretam miſſis v triremibus; captiſque aliquot inſulanis cognoſcit claſſem Venetam ſolam in Cretam appuliſſe, morbis et tempeſtate quaſſatam, ac valde debilitatam, neque prius ſoluturam, quam ſe Hiſpanienſis claſſis, de cujus adventu incerta fama erat, ei conjunxiſſet: quo nuncio accepto ſtatim in Cyprum revertitur. Diverſa parte Joannes Andreas [b] Auria triremeis regias ex omnibus Italiae portubus Meſſanam contraxerat; nec, ſive inſita cunctatione, ſive quod ita in mandatis a Philippo haberet, ullis rationibus adduci potuit, quamtumvis inſtante pontifice, ut ante accepta nova a Philippo mandata ſolveret. Qua in re tamdiu temporis inſumptum eſt, dum claſſis Veneta jamdudum morbis et aliis incommoditatibus afflictata omnino conficeretur, et inutilis ad rem gerendam redderetur, non ſine manifeſta Hiſpanorum moras in Venetorum, quorum rebus invidebant, perniciem affectantium invidia. Tandem XII Kal. Sextil. Auria ſolvit, et [c] Hydruntem, ubi Columna ipſum expectans ſubſtiterat, non prius quam undeviceſimo poſt die pervenit: unde conjunctis viribus ſolventes rurſus omiſſis inſulis, quo expeditius iter conficerent, ſecunda navigatione uſi in Cretae conſpectum venere III Kal. Sept.; et triduo poſt in [d] Amphimalli ſinu, qui nunc Sudae portus dicitur, obvium habuere M. Quirinum a [e] Zaneo cum VI triremibus miſſum. Tum inter treis ſummos duces conſultatur: et cum Veneti promiſſa repoſcerent, et educta claſſe, ut Turcos a Nicoſiae obſidione averterent, cum eo confligi debere contenderent, Auria rurſus cunctari et novas moras affectare, triremeis ſuas omni re neceſſaria inſtructas oſtentare, idem ſe in Veneta claſſe facere; verum eſſe caute ac graviter in tanta re, in qua decus, exiſtimatio, ac totius reipublicae Chriſtianae ſalus vertatur, agendum videri; ac prius de hoſte cognoſci debere, quam de univerſo certamine delibetetur. Affectata Auriae mora [f] Columnae et Venetis, quamvis ad certamen paratis, neceſſitas injecta eſt obſequendi ejus conſiliis; mittuntque duas triremeis, quae dum itu et reditu morantur, Auria ut omnem auxilii ſpem praecideret, crebro inter ſermocinandum auditus eſt, cum diceret, rationes regis ſui ita ferre, ut non plus toto Oct. vertente cum illis eſſe poſſit. Secundum haec cum lues, quae Venetorum claſſem huc uſque depaſta fuerat, ne quidem in Creta remiſiſſet, placuit claſſem ad pauciores triremeis contrahere, ita ut claſſis omnino eſſet CLXX triremium, XI [g] roſtratarum majoris formae, unius [h] Myoparonis, VII onerariarum ad bellum inſtructarum; miſſae et [i] Carpathum uſque triremes, quae de hoſtium rebus cognoſcerent: cumque ex incolis Chriſtianis conſtitiſſet, claſſem hoſtilem CL ad triremium numerum ob eandem cauſam contractam eſſe, rurſus variatum eſt in conſilio ſententiis, an jam inclinante aeſtate ulterius pergeretur; et Auria juſſus ſuam ſententiam ſcripto comprehendere, eos ab expeditione conatus eſt dehortari, his praecipue rationibus; quod claſſis Chriſtiana hoſtili impar eſſet, remigio et milite varia peſte abſumpto, et in ſingulas triremeis C bellatoribus opus eſſet praeter remigium ac navaleis ſocios, qui numerus prius farciri debeat, quam de totis viribus pugnando decernatur. Ita quaeſitus affectatae cunctationi color, quem M. Antonius Columna praeſentis virtutis plena oratione diſcuſſit, cum nec adeo infirmam Chriſtianorum claſſem diceret, vel cum iis ipſis debilitatis, quas pro tempore haberet, quaſque augeri nimis ſerum eſſet, copiis; et Turcos, quamvis numero ſuperiores, multis rebus inferiores eſſe contenderet, ut qui nec parem navium numerum haberent, nec armis aeque inſtructi aut pluteis tecti

CIϽIϽLXX.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Candie.* [b] *Doria.* [c] *Otranto.* [d] *Golfo di Suda.* [e] *Zante.* [f] *Colonna.* [g] *Galeaſſes.* [h] *Galion.* [i] *Scarpanto.*

CIƆIƆLXX. CAROLUS IX. tecti pugnaturi eſſent; et VII triremeis illas inſtar caſtellorum eminenteis tot machinarum capaces magnum ad victoriam momentum habere; et repoſcere fidem Venetos, qui Philippi et pontificis promiſſis confiſi totam aeſtatem heic conſumpſerint, et florentiſſimam claſſem, quam Turcis opponere potuiſſent, dum ſociorum cauſa tempus terunt, corruperint; magnumque ex diuturniore mora ad exiſtimationem detrimentum conſecuturum, ſi poſt tot clades a Turcis acceptas, heic ubi quicquid maritimarum opum Chriſtianus orbis habet convenit, inquiebat Columna, nobis defuerimus: nam ſuperiores clades paucorum ducum culpae aſſignari potuiſſe; heic quicquid peccabitur, in commune dedecus fiet, et non jam numero hominum ac navium, quo nos Turcos ſuperaſſe ſemper verum eſt, ſed virtute atque induſtria militari, qua eos vincere antea exiſtimabamur, hoſti turpiter concedetur: itaque ſibi ſtare ſententiam, illud conſilium ſequi, quod decus, fama, exiſtimatio, religio, officium, fides imponat; nec committere, ut dum ignavi ſpectatores ſedent, magno Chriſtianae rei damno et majore ducum infamia Cyprus Venetis adimatur. Pompeius Columna et Alvarus [a] Baſſanus, S. Crucis marchio Neapolitanae claſſis praefectus idem ſenſere. Tum Auria, qui ſuas artes amplius procedere non videret, et qui ſuae ſententiae aſtipulatorem tantum Joannem Cardonam claſſis Siculae praefectum habebat, ſe paratum oſtendens, etiam dextrum cornu ſibi depoſcit: tandemque profectio decernitur; ſed jam ſerius, quam ut in tempore obſeſſis praeſto eſſe poſſet: nam Muſtaphas cum huc uſque levibus procliis incluſos laceſſiviſſet, ut fatigatos ad deditionem compelleret, tum per ſagittas in urbem literas immittit, quibus ſignificabatur, Turcos a vi capienda urbe in hunc diem abſtinuiſſe, quod in ipſorum manu ſit, quo tot mortalium capitibus tantaeque urbis excidio parcerent; ſed jam militum ardorem amplius cohiberi non poſſe: itaque ſibi mature conſulerent, alioqui non fore tardiori poenitentiae locum. Mox et III Kal. Sept. quatuor propugnacula multos dies ante pulſata pannis pectus tegentibus decuſſis eodem tempore aggrediuntur, acerrimo per duas horas continuato proelio, quod ad extremum nox diremit, occiſis compluribus ex hoſtibus: ſed demum cognitum eſt, diminuto defenſorum numero et deſperatis a claſſe et Famaguſtanis auxiliis jam noſtros impares eſſe ad urbem tantam contra numeroſum adeo exercitum tuendam: itaque a praefectis montanae regionis per literas XCIƆ hominum ex omni numero delecta ſummitti petunt, rationemque ac tempus ad urbem tuto accedendi ac ſignum edendum illis demonſtrant: verum interceptas a Turcis literas notis conventis exaratas, cum eas interpretari non poſſent, cum aliis literis ſagittae annexis in urbem remittunt; quibus extrema quaeque minabantur, niſi deditionem ſe facturos extemplo ſpondeant. Iis acceptis praeſides cum et ſperatorum auxiliorum capta epiſtola ſpem amiſiſſent, et ultimum exitium ſibi impendere viderent, varie affecti ſunt: cum tamen reſponſum non daretur, Muſtaphas res ad ſummam expugnationem parat; et poſt curata corpora milites ſigno dato ad quatuor propugnacula compoſito ordine vim faciunt, tanto impetu, ut cum poſtremi primos urgerent, primo connixu in ſummam munitionem pectus tegentem evaſerint: ibi acriter utrinque pugnatum, purpuratis ipſis in media pugna verſantibus, et recentes ſemper feſſis aut ſauciatis ſummittentibus: ſed nocte iterum certamen diremptum fuit; majore numero ex hoſtibus deſiderato, ſed pejore noſtrorum conditione. Phoebus [b] Zappa in eo conflictu deſideratus: et [c] Tripolitanus comes ſpectatae inter ſuos virtutis dux primo conflictu graviter vulneratus eſt, ex eoque vulnere mox deceſſit. Muſtaphas vero, qui milite jam ſemel atque iterum repulſo imparem ſe ad expugnandam urbem cum

INTERPR. [a] *de Baçan marquis de Santa Cruz.* [b] *Zappe.* [c] *le comte de Tripoli.*

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

cum iis, quas habebat, viribus videret, ad Pialim claſſis praefectum mittit, et ſubſidio militem ſummitti petit, cujus ope unius diei ſpatio rem confici poſſe demonſtrat. Pialis etſi invitus faceret, ut incerto de Chriſtianae claſſis adventu, claſſem bellatoribus exinaniret, tamen Muſtaphae obteſtationibus victus morem geſſit, et detractos ex ſingulis triremibus C armatos, qui XXCIƆ conficiebant, duce Hali ad obſidionem mittit VI Eid. Sept.; quibus viribus confirmatus Muſtaphas, poſtridie cum primum diluceſcere coepiſſet, omneis caſtris vicinis relictis in armis eſſe jubet: quo viſo vulgus cum Turcos ad diſceſſionem ſe comparare ſibi perſuaderet, aliquandiu laetum, mox ut hoſtem muro ſuccedere animadvertit, brevi gaudium in triſtitiam ac deſperationem vertit. Nam vix ex omni numero armis ferendis idonei IVCIƆ in urbe reliqui erant; in iiſque vix IƆ Itali, qui vigiliis, laboribus ac moerore confecti jam ad munia obeunda invalidi et pigri erant. Itaque cum ſummo mane quatuor propugnacula eodem tempore invaderent, qui ad Podocatarum vim faciebant, defenſores ſomno ſepultos nacti nullo certamine locum capiunt, ſtatione fere obtruncata; qui ſtrepitu excitati ſe fuga exitio eripuere, et intra retractum introrſus murum, ſed nondum perfectum confugerunt; ibique accurrentibus ex urbe auxiliaribus aliquamdiu irruentium Turcorum impetus retardatus eſt: ſed Rocaſio, qui eo ex proximo domicilio advolaverat, inter pugnandum vulnere exanimato, reliqui ſe in fugam ſtatim conjiciunt. Ad ſtrepitum et Dandolus praeſes, qui ad Salinarum portam excubabat, et cum eo [a] Paphi epiſcopus equis conſcenſis advolant, ſtationes circumeuntes et omnes ad pugnam fortiter capeſſendam adhortantes; ſed mox epiſcopo et cum eo [b] Piſano, dum hoſti ingruenti fortiter reſiſtunt, Bernardo [c] Bolanio, Nicolao Hieronymo, Thoma [d] Vicecomite, [e] Syncliticis fratribus, et [f] Palatio ipſo caſtrorum magiſtro occiſis, major noſtrorum animos pavor inceſſit; ad cetera tamen propugnacula acriter pugnabatur: jamque ter Turci repulſi fuerant; ſed per Podocatarum ingruentibus hoſtibus et jam retracto intus muro potitis, oppidani primo charitatum memores in domos quiſque ſuas diffugere, ſi qua illos peſti eripere poſſent. Itali, quibus nullus liberorum aut conjugum reſpectus erat, acriter contra pugnare, et Turcis ubique occurrere; ſed cum numero vincerentur, praetorianis, quod eſt praecipuum Turcicae militiae robur, incumbentibus, huc illuc diſſipantur: et Dandolus quidem in extremis animoſiorem ſe gerens, quam initio ſe diligentem praebuerat, ad forum copias contraxit; quo adveniens Andreas Piſaurus patricius Venetus, parum abſuit, quin hominem ſtricto gladio confoderet, quod per ejus ignaviam factum diceret, ut urbs in hoſtium manus deveniſſet. Ibi certatum acriter; pugnamque Dandolus diutius ſuſtinuiſſet, niſi Alepi purpuratus ſtatim eo VI tormenta convehi curaſſet, quorum diſploſione infeſtati praeſidiarii ad praetorium confugerunt obſeratis foribus ſe ad defenſionem parantes: ſed miſſo a purpurato monacho, qui omneis, qui erant in aedibus, ſi pertinaciae finem facerent, ac ſe in ejus poteſtatem traderent, ſalvos fore ſponderet, dum redit cum homine a Dandolo miſſo, Turci refractis foribus praetorium ingrediuntur, et omneis virilis ſexus ipſumque praeſidem obtruncant. Elapſi in vicinos montes Alfonſus [g] Bragadinus, Joan. Philippus [h] Luſignanus, [i] Flatras Flatrius, Zanetus [k] Nores, et Hector Zaneti filius. Ita capta ac direpta urbe poſt XLVIII dierum oppugnationem, nulla annonae aut bellici apparatus copia deficiente; nullum crudelitatis, avaritiae ac nefandae libidinis in virorum, matronarum, virginum ac puerorum ingenuorum corpora praetermiſſum

INTERPR. [a] *Baſſo.* [b] *Piſani.* [c] *Bolani, & Nic. Girolami.* [d] *Viſconti.* [e] *Synglitico.* [f] *Palazzo da Fano.* [g] *Bragadino.* [h] *de Luſignan.* [i] *Flatro di Flatri.* [k] *de Nores.*

CIƆIƆLXX.
CAROLUS IX.

praetermiſſum eſt. Inde Muſtaphas ſtatim Nicoſia IICIƆ praeſidio firmata, urbique Muſaphero purpurato praepoſito, ac remiſſo in claſſem ad Pialem ſupplemento, Famaguſtam ducit: eoque quartis caſtris pervenit x Kal. Oct. convectis ſecum xxv machinis, quas et ſecum habebat, et Nicoſiae invenerat. Ibi ante omnia Dandoli caput a trunco revulſum, haſtae, ſic ut agnoſci poſſet, ad terrorem obſeſſis incutiendum proponit: ac Famaguſtani nuncio de clade Nicoſienſi accepto, ante omnia multitudine bello inutili urbem exonerant, VCIƆ mortalium, qui ex circumpoſitis pagis in eam confluxerant, emiſſis, qui a Turcis benigne ac comiter excepti in ſuas domos inviolati dimiſſi ſunt. Turci vero, qui de Chriſtianorum claſſe nihil explorati haberent, ea de re maxime ſolliciti [a] Caccialebinum notae diligentiae piratam cum VI triremibus minoribus ſpeculatum mittunt; qui [b] Cretam profectus, captoque Chriſtianorum lembo, cum de conſiliis noſtrorum et claſſe conjuncta ac mox Cyprum petitura cognoviſſet, ad ſuos revertitur. Re ad conſilium delata, Pialis pugnae univerſae aleam vitandam cenſebat, nec poenitere debere Turcos rerum eo anno geſtarum ac partae gloriae, quam temerarium ſit periculoſo certamine nec neceſſario in novam et incertam aleam dare. Contra Muſtaphas et Halis diſſerebant, et hoc conſilium ſpecie ſapiens inter minutulos regulos valere affirmabant, omnia utilitate metientcis: at magno ipſorum imperatori cuncta ad decus referenda; cujus ingens fieret jactura, ſi Chriſtianae claſſi ultro eos laceſſenti cedant; certamenque oblatum defugiant. Itaque claſſe impedimentis et cetera turba bello inutili exonerata, triremeis valido bellatorum numero firmat, onerariiſque ad Famaguſtam relictis Limiſſum uſque progreditur, ubi claſſem noſtram, quae xv Kal. Oct. Creta ſolverat, opperiri decreverat, cum ea haud dubie proelium commiſſurus. Sed in itinere rurſus exortis offenſionum inter Columnam ac Venetos et Auriam non citra affectationem cauſis, ſigno ab eo forte noctu ſublato, quamvis non contumacia, ſed neceſſitate ac ſubitarum procellarum metu factum excuſaret; et mox cum ad caſtellum [c] Rubeum, quo pontificia ac Veneta claſſis ſe ſubduxerant, imperio detrectato in altum claſſem evexit, majorem maritimae rei ſcientiam in viris alioqui ſtrenuis, [d] Columnam ac Venetos duces innuens, deſiderare ſe dictitans: quod non injuſſu Philippi facere Auriam cum Veneti merito ſuſpicarentur, ab eo tempore minus ſe promptos in foedere ſervando et exequendo praebuerunt. Cum in eo portu eſſent, Veneti obvium habuerunt Aloiſium Bembum, a quo de Nicoſia capta primum didicerunt. Tum conſultatum inter duces, quid facto opus eſſet: et Sebaſtianus [e] Venerius quaeſtor in Cyprum deſtinatus, Franciſcus [f] Duodus majorum triremium praefectus, et Marcus Quirinus [g] Hadriatici ſinus praefectus, qui jus ſententiae in concilio dicendae, non autem decernendi habebant, porro pergendum eſſe cenſebant, quod quando navali proelio cum Turcis ſemel decerni placuerat, idem exitus, qui ante, et poſt captam Nicoſiam ſperari poterat; qui ſi, quod ſperabatur, ſucceſſiſſet, eodem fortunae impetu Nicoſiam, quo capta fuerat, recipi poſſe, et Turcos tota inſula ac Famaguſtae obſidione cum inſigni victoria depelli: contra videbatur Hieronymo [h] Zanco claſſis praefecto, et Sfortiae Pallavicino ac legatis, fruſtra Cyprum peti; verum [i] Euboeam, aut alia loca opportuniora tentanda. Cum inter ſe diſſidereur, ad praetoriam pontificiam adeunt, et coram Columna cum Zaneus poſt Nicoſiam captam mutata fortuna conſilia quoque mutanda diceret, Auria, qui videret, jam aſtum ſponte procedere, neque opus eſſe, ut Venetorum conſilia interturbaret, novas difficultates diſſidentibus in medium proponere,

INTERPR. [a] *Caccialebin.* [b] *Candie.* [c] *Caſtel Roſſo.* [d] *Colonna.* [e] *Veniere.* [f] *Duodo.* [g] *Golfo di Vinetia.* [h] *Zanne.* [i] *Negrepont.*

propoṇere, ſumma vultus conſtantia, nihil videre ſe dixit, cur poſt captam CIↃIↃLXX.
Nicoſiam ſententiam priorem, in quam omnium conſenſu ſtum eſt, muret; ſed CAROLUS IX.
neque probare [a] Zanei et aliorum conſilium Euboeam rentari debere cenſentium; nam quod operae pretium civitatem in viſcera regni Turcici retractam aggredi, cujus expugnationem et multorum ſanguine et magnis ſumptibus conſtituram nec captam ſervari poſſe appareat? quod ſi omiſſa Cypro aliquid iſtuc temporis tentandum videatur, potius eſſe, ut aliqua ex Dalmatiae aut Illyrici urbibus petatur, quae capta ac proxima Philippicis ac Venetis provinciis ſubſidiis ex propinquo petendis retineri poſſit. Ita hinc tergiverſante [b] Auria, hinc variantibus Venetis, Columna neceſſitate potius quam conſilio eandem, quam venerant, viam repetendam cenſuit. Igitur XI Kal. Oct. [c] Carpatho inſulae, quae a [d] Creta LXXCIↃ paſſuum abeſt, ac poſtero die cum mare intumeſcere ac crebris procellis, quibus illud maxime omnium obnoxium eſt, jactari coepiſſet, vela demittere cuncti coacti ſunt, varie disjecta et lacerata claſſe, una etiam ex Venetis triremi vi ſaevientium fluctuum aperta et undis hauſta. Heic rurſus novae offenſionum cauſae inter Auriam ac ceteros ortae ſunt; cum ille nullum jam regiae claſſis uſum cauſatus, quod bene verteret, ſe diſceſſurum diceret; Veneti omni ope hominem retinerent: quid enim ſi diviſa claſſe Pialis ſupervenerit? conjunctos veniſſe, ut Cypriis laborantibus praeſto eſſent; an divulſis abire verum eſt, ut amiſſa Cypro nos quoque in manifeſtum exitium magno nominis dedecore ac detrimento demus? Perſeverante nihilominus Auria in ſententia, poſt longas altercationes Columnae et Auriae is exitus ſermonum fuit, ut animis jampridem inter ſe parum aequis nova hac inſuper contentione exacerbatis, cum nihil inter ipſos conveniret, utrinque diſceſſerint. Columna et Veneti Cretam tendunt; quo et eos aliquot poſt dies ſubſecutus eſt Auria, qui cum Octobris aliquot dies iniiſſent, commeatu ab utriſque petito in Siciliam perrexit. Subſidii Famaguſtam mittendi negotium datum M. Quirino et Ludovico Martinengo: quae res nondum vi morborum deſaeviente et diſſidentibus ducibus lente adminiſtrata eſt. Zaneus [e] Moreto Calabro Cretae praeſide cum IICIↃ armatorum relicto [f] Corcyram petit; unde Columna contagione morborum in ſuam claſſem tanta vi incumbente, ut XI triremeis ad V redigere coactus ſit, VI alveis a Veneto ſenatu commodatis ei redditis, poſt cumulate perſoluta muneris ſui officia diſceſſit: verum in itinere variis caſibus et incommodis jactatus eſt; nam [g] Acroceraunios montes naufragiis infameis cum praetervcheretur, juxta [h] Catharum praetoria, in qua ipſe erat, igne ex fulmine concepto conflagravit: rurſus alia ad Raguſiam vi ventorum impulſa carina ſabuloſo vado illiſit, et confracta eſt; quam mox omni re exoneratam, ne praedae Turcis cederet, incendit; vixque inde cum III triremibus, quae ſuperfuere, in Italiam trajecit, ac pedeſtri itinere Romam ſe contulit.

VIII. INTEREA hoſtes jam noſtrae claſſis metu liberi, cum illa nuſquam appareret, de diſceſſu cogitant; et Pialis relictis XII triremibus in inſulae praeſidium, quibus [i] Amates Raiſus praeerat, Cypro ſolvit, et cum noſtros adſequi non potuiſſet, ad ſupplendam claſſem recta [k] Byzantium profectus eſt. In itinere cum in triremeis duas Angeli [l] Suriani et Vincentii Marii Priuli incidiſſet pridie Non. Nov. ſupra [m] Paron [n] Aegaei maris inſulam acriter utrinque pugnatum eſt: tandem Priulus a V triremibus circumventus, cum ſtrenue ſe denfendiſſet, magnamque ſtragem hoſtium edidiſſet, caeſus eſt; Surianus vix elapſus quarto poſt die in Cretam

incolumis

INTERPR. [a] *Zanne.* [b] *Doria.* [c] *Scarpanto.* [d] *Candie.* [e] *Moretto Calabreſe.* [f] *Corfu.* [g] *Monti della Chimera.* [h] *Cattaro.* [i] *Amat Rais.* [k] *Conſtantinople.* [l] *Suriano, & Vincenzo Maria Priuli.* [m] *Paros.* [n] *l'Archipelago.*

CIↃIↃLXX. CAROLUS IX. incolumis pervenit. Muſtaphas quoque, qui ad Famaguſtae obſidionem remanſerat, cum rem ad ver proximum differendam cenſuiſſet, retractis ab urbe IIIↀ paſſuum caſtris, obſeſſi magna vi erumpunt, et extructa a Turcis caſtella demoliuntur: in eos incumbentibus Turcis, ſumma vi utrinque per V horarum ſpatium dimicatum eſt, magno hoſtium detrimento, ex quibus CCC eo die cecidere, plures vulnerati, multi capti; ex noſtris X tantum deſiderati: ſed majus damnum fuit myoparone incendio abſumpto, quod multa pretioſa veſte, ac multis primae nobilitatis captivis onuſtum Muſtaphas dono imperatori mittebat: incendium autem illud a nobili matrona face pulveri tormentario ſubjecta excitatum conſtans fama eſt, quae ſe a taedio ac ludibriis injurioſae ſervitutis vel horribili ſibi ac ſociis mortis genere redimere optavit. Proxima cura fuit obſeſſis Venetias mittere, qui auxilia in tempore maturarent. Cum magni diſcriminis iter eſſet, Turcis finein inſidentibus, [a] Ragazzonus tamen urbis epiſcopus caput ſuum communi rerum ſaluti devovere non dubitavit, ac triremi conſcenſa et ſilentio noctis uſus portu feliciter egreſſus Venetias incolumis pervenit. Et haec ſumma rerum a Chriſtianis contra Turcum hoc anno geſtarum fuit, eo magis praeter amiſſam fere Cyprum Venetis damnoſo, quod parum ſinceram, ut rebantur, Hiſpanorum fidem experti de ea in poſterum deſperantes cum magnos ſumptus facerent, in foedere ſanciendo ſegniores ſe ab eo tempore geſſerunt, et rem communem minus parato animo adminiſtraverunt.

CIↃIↃLXXI. IX. ANNI ſequentis initio, quibus ſubſidii Famaguſtam ſummittendi in [b] Creta negotium datum fuerat, IↃCCC ex omni flore deligunt, et cum magna omnis generis apparatuum vi tribus onerariis navibus imponunt, XVI triremibus in praeſidium datis frequenti remigio. Iis praefectus Hieronymus Quirinus, quod Sebaſtianus Venerius legatus in Cyprum deſtinatus ſontico morbo in Creta deſtineretur. Quirinus octo dierum ſecunda navigatione uſus in Cyprum venit, et ſubſidium feliciter introducit, Turcica claſſe, quae in [c] Conſtantiae ſinu in ancoris ſtabat, faceſſere coacta; quam tormentis noſtri ſtatim inceſſerunt, et III triremibus demerſis, reliquae IX, cum ſe tenebrae intendiſſent, fuga ſe eripuerunt; mox et duae onerariae commeatu onuſtae a Venetis captae et incenſae: caſtella item circum Turcorum deſtructa: quibus actis Quirinus in Cretam revertitur. Interea Veneti [d] Zaneum, quod itinere converſo a claſſe Turcica proelio petenda abſtinuiſſet, ſpreti imperii reum factum praefectura abdicant, eamque in Sebaſtianum Venerium transferunt: ille in cuſtodiam traditus cum in vinculis cauſam dicturus eſſet, opportuna morte judicio ſubſtractus eſt. Venerio praefervidi ingenii ac pugnaci viro additus eſt collega inuſitato exemplo Auguſtinus Barbarigus, qui ferociae illius moderator efferentem ſeſe virtutem maturitate ſua temperaret. Creati et claſſis curatores Hieronymus Quirinus auxilio nuper Famaguſtam introducto clarus, et Zacharias [e] Salomo. Eodem tempore duae naves onerariae omni rerum ad obſidionem ſuſtinendam neceſſariarum genere onuſtae Nicolao Donaro Famaguſtam ducendae committuntur; qui Venetiis ſolvens cum Cretam veniſſet, audito, Turcicam claſſem jam mare ingreſſam loca vicina inſidere, haud tutum iter in Cyprum ratus, praepoſtera cunctatione in Cretae portubus haeſit, et commeatus Famaguſtam introducendi, quo introducto urbem illam a Venetis retineri potuiſſe creditum eſt, occaſionem amiſit: quod illi poſtea crimini datum eſt; et capitis anquiſitus, cum ex vinculis cauſam dixiſſet, ſive gratia, ſive quod crimen purgavit, poenam evaſit. Venerius, ut primum de creatione ſua allatum eſt, continuo triremi conſcenſa Corcyram petit, ubi accepto ab Auguſtino Barbatigo exercitu, quem Zaneus illi ſuperiore anno tradiderat, quae ad bellum gerendum opportuna erant,

INTERPR. [a] *Ragazzon.* [b] *Candie.* [c] *Golfo di Coſtanza.* [d] *Zanne.* [e] *Salamone.*

erant, expedire inſtitit. Nec ceſſabat Selimus, qui quo pluribus locis Venetos vexaret, eorumque vireis divideret, [a] Achametem purpuratum cum LXX armatorum millibus ex finitimis regionibus brevi contractis in Epirum mittit, qui Epiro et Dalmatiae metu intentato [b] Ulcinium orae maritimae oppidum in Epiro circumſedit. Piali Conſtantinopoli morbove aut qua alia de cauſa incertum retento, Halis [c] Chium Aprili menſe cum XL triremium claſſe appulit, quo mox eum ſubſecutus eſt Mahametes [d] Euboeae praeſes cum reliqua claſſe, milite ex praeſidiis inſularum [e] Aegaei undique contracto et in naveis impoſito. His additus [f] Perthaus purpuratus, cui a Selimo imperatum, ut aliis negotiis omiſſis in quaerenda claſſe Chriſtiana omnem diligentiam adhiberet, adeptamque omni ope ad pugnam attrahere contenderet. Halis in Cyprum profectus, et expoſito milite ac commeatu, cum aliquandiu cum Muſtapha fuiſſet, inde Maio fere exacto ſolvens, XXIII triremibus inſulae praeſidio relictis ſub [g] Rapamathe, ad Perthaum revolat, dum Muſtaphas cum iis, quas penes ſe habebat, copiis a Selimo ſummiſſis, quaſque praedae ſpes ipſi conciliabat, obſidionem maturaret.

X. INTEREA ſoedus ſuperiore anno inchoatum novis ſubinde exorientibus difficultatibus protelatum vix tandem ad exitum perduci potuit, quantumvis pontifex miſſis ubique oratoribus rem urgêret, qui et ſe, ſi ita res poſcat, claſſem conſcendere, ſuoque corpore in media pugna ac diſcriminum mole verſari paratum aiebat; per delegatos cardinaleis ad ultimum res confecta, qui in conclave Michaelis [h] Bonelli cardinalis Alexandrini in Vaticano conveniebant: ii erant Joannes Moronus collegii princeps, Carolus [i] Craſſus, in cujus demortui locum ſuffectus eſt [k] Paulus ab Eccleſia, Joannes Aldobrandinus, ipſe Michael Bonellus. Primo omnium conſenſu placuit, ut ad exemplum illius, quod Paulo III pontifice initum fuit, ſoedus perpetuum ſanciretur, nec ullo tempore definiretur: nam et longam temporis definitionem mali ominis eſſe, et brevem hoſti animos facturam. Conventum item, ut CC triremibus, C onerariis, peditum LCIↃ, equitum IVCIↃ res ageretur: ſed de ſummo imperii loco res acerbis contentionibus tranſacta eſt. Et primo quidem Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux nominatus eſt: ſed cum is ditione ſua veteri nuper recepta, eaque ſectariis populis ac nationibus circumfuſa, non niſi periculoſe domo abeſſe poſſet, Philippus tenuit, ut in gratiam ſuam [l] Joanni Auſtrio fratri notho belli Granatenſis feliciter confecti gloria recenti claro ſumma rerum praefectura deferretur. Major contentio inter partes fuit, cui legati, qui per abſentiam Auſtrii claſſi univerſae praeeſſet, deligendi facultas eſſet: nam Philippi procuratores, id ad Auſtrium pro ſuo jure pertinere aſſerebant: at Veneti qui crederent, id agi per ambages, quod aperte non potuerant, ut Joan. Andreas [m] Auria, quem illi et ſuſpectum et ſumme inviſum habebant, claſſi praeficeretur; cum contra obnixe pugnarent, tamen, ne curſum conſiliorum retardare viderentur, rem totam pontificis arbitrio, quem ſui juris ad obſtinationem uſque retinentiſſimum ſcirent, ultro permiſere. Nec falſi opinione ſua ſunt: nam ille et ſe citius mortem oppetere paratum reſpondit, quam quidquam ſe pontifice de ſupremi ſolii dignitate imminueretur; et acreis ea de re ad Philippum literas dedit, qui vehementiae pii ſenis cedere ſic ſtatuit, ut jus quoque ſuum retineret. Itaque cum ille treis nominaſſet, Ludovicum Requeſenem, Jo. Andream Auriam, M. Ant. [n] Columnam, pontifex Columnam, qui Auſtrio ſufficeretur, in

INTERPR. [a] *Achmet Baſſa.* [b] *Dolcigno en Albanie.* [c] *Scio.* [d] *Negrepont.* [e] *l'Archipelago.* [f] *Pertau Baſſa.* [g] *Rapamath.* [h] *Bonelli cardinal Aleſſandrino.* [i] *Graſſi.* [k] *Paolo Chieſa.* [l] *Don Juan d'Auſtria.* [m] *Doria.* [n] *Colonna.*

CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX.

in navali et terreſtri imperio delegit. Qua difficultate tranſacta, rurſus aliae ab Hiſpanis motae: nam ſacrum foedus in genere contra Chriſtiani nominis hoſteis ſanciendum eſſe contendebant; qua re non occulte omiſſo oriente in [a] Africa bellum gerere in animo ſe habere ſignificabant: inde rurſus exortae novae controverſiae inter mutuo ſibi ſuſpecta ingenia. Siquidem Veneti ſocietatem ſibi non auxilio, ſed damno futuram dictitare, ſi arma ad ſua e Turcorum faucibus eripienda ac regnum Cypri retinendum deſtinata, ad aliena petenda avocentur; ac fore, ut nudatae defenſoribus provinciae Turcis ſine certamine ad praedam exponerentur. Contra Hiſpani bellum contra [b] Tripolim, Tunetem, et Juliam Caeſaream urbes Turcorum tributarias, quibus tanquam ulceribus intra viſcera haerentibus Hiſpaniae litora exedebantur, vertendum contendebant: neque enim aliter Hiſpanis ſatisfieri poſſe, quorum maxime opibus cum foedus nitatur, aequum eſſe, ut tanta pecuniae et hominum vis non in exterorum uſus, ſed in ipſorum commoda erogetur. Heic pontifex, qui vereretur, ne Veneti Hiſpanorum tergiverſatione ſeu cunctatione a foedere alienarentur, partes ſuas interpoſuit; et Pompeium Columnam in Hiſpaniam magnis itineribus legavit cum mandatis, ut cum rege ageret, ut amputatis, quae novae indies a procuratoribus movebantur, difficultatibus foedus incatur, et ſecundum illud, quamprimum fieri poſſit, Jo. Auſtrius mittatur, et Maximilianus Caeſar et Polonus ad foederi ſe jungendum ipſius regis hortatu invitentur. Ubi Pompeius in Hiſpaniam venit, expoſitis mandatis, a Philippo reſponſum eſt, ſummum ſuum erga religionem ſtudium ſatis declarare bellum Belgicum, quod ancipiti eventu cum diſſidentibus in cauſa religionis populis ſuis magnis et immanibus impendiis gerat; quibus parcere potuerit, ac provinciam pacatam habere, ſi paulum modo illis de diſciplina remittere, atque aliquid in doctrina indulgere voluiſſet; ejuſque belli praetextu excuſare ſe potuiſſe, quo minus novo foederi ſe alligaret: ſed religionis ſtudium omnibus reſpectibus apud ſe ſemper praeponderaſſe: itaque praeter triremium claſſem, quae jam inſtructa ſit, magnam onerariarum ac corbitarum vim undique corrogaſſe: praeterea XCIↃ Germanorum, VIII Hiſpanorum, ac totidem Italorum ſcripſiſſe; ac propediem Joannem fratrem in Italiam miſſurum: ſed vereri ne hi laudabiles conatus et apparatus fruſtra ſint; neque enim ſibi perſuaderi poſſe, Venetos ſincere ac bona fide agere, quorum ingenium et perpetuum inſtitutum ab armis tractandis abhorrens perſpectum habeat; tum quod ſibi compertum ſit, colloquia de pace cum Turco nunquam eos dimiſiſſe, eaque de cauſa internuncios inter ipſos continenter commeare: proinde credere hae illos foederis ſimulatione non uti, niſi ut Turcum metu hoc injecto ad aequiores pacis conditiones adducant. Quod ad Caeſarem attinet, de egregia ejus voluntate dubitari non poſſe: ſed exiguas eſſe illius opes, ut non temère denunciato bello tantum hoſtem irritare debeat: nec vero aut ſe conſulenti, aut ipſum pontificem tale conſilium daturum fuiſſe. Cum hoc reſponſo reverſo Columna, aliae difficultates, non ab Hiſpanis, ſed a pontifice, qui negotium tantopere urgebat, excitatae ſunt: nam cum in foedere cum Carolo V inito ita onera partita eſſent, ut dimidiam ſumptuum faceret ipſe Carolus, alterius dimidii duas tertias Veneti, reliquam tertiam pontificium aerarium ſuſciperet, negabat pontifex exhauſto aerario ſe plus quam ſextae unciae ſibi aſſignatae tertiam partem conferre poſſe: reliquum Philippus et Veneti pro rata portione ſupplerent. Heic Michael [c] Surianus, cui nuper Joannes [d] Superantius adjunctus comes fuerat, acriter reclamare, ac dicere, ſenatum non plus quam quartam conferre initio deſtinaſſe; ſed precibus victum ad tertiam fuiſſe perductum:

porro

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *Tripoli, Tunis & Alger.* [c] *Suriano.* [d] *Soranzo.*

porro ridiculum eſſe pontifici Romano deeſſe pecuniam, qui omnium facillimam illius expediendae viam habeat: nam in ore omnium eſſe, nullum opulentius vectigal toto terrarum orbe eſſe pontificis calamo, cujus ſimplex ductus quantumvis immenſam pecuniae vim momento pariat. Moronus contra aerarii pontificii levitatem cauſari, nuper a ſacro patrimonio ablatis Parma ac Placentia opulentiſſimis [a] Galliae Ciſpadanae urbibus: quin, ſi bene res putentur, non minus conferre ipſum pontificem, quam ceteros foederatos; quippe qui ſacrorum ac ſacerdotum decimas ac tributa, quae ipſe tanquam ſua poſſit percipere, quaeque non minus juris et arbitrii ſui ſint, quam profana principum bona, foederatis in ſumptum claſſium conceſſerit. Tandem Veneti poſt longas et acres diſputationes ceſſere, et duas quintas, Philippus treis ſupplementi in ſe receperunt. His tranſactis cum pontifex ac foederatorum legati Non. Mart. qui dies Thomae Aquinati ſacer eſt, in aedem [b] Minervae conveniſſent, ut peractis de more ſacris foedus ſanciretur, ac publice promulgaretur, [c] Granvellanus cardinalis Venetis ſupra quam dici poteſt infeſtus, ne nova remora negotio jam confecto non injiceretur, ſcriptum publicat, quo Philippi nomine denunciabat, eo anno non plus LXX triremeis paratas regem habiturum, intra Maium proximum. Qua re praeter omnium expectationem cum cuncti ſtupore defixi eſſent, Veneti legati imprimis, qui hoc agere viderent Hiſpanos, ut Cyprii regni ſervandi ac recuperandi ſpe praeciſa a foedere, quod ipſi honeſte recuſare non poterant, apertius diſcederetur, ſe ad ſenatum perſcripturos, ejuſque mandata exſpectaturos reſponderunt. Id Venetiis ubi reſcriptum eſt, tum qui foederi ardentiſſimis votis antea ſtuduerant, relangueſcere, qui vero a bello ſemper abhorruerant, in quibus erant Aloiſius ipſe Mocenicus Venetiarum princeps, ac plerique ex ſenatoribus occaſionem arripere coeperunt, quo labenteis animos quo vellent, impellerent, ludificationibus Hiſpanorum compoſita ex vero oratione multum exaggeratis. Ac peropportune accidit, ut eodem tempore Mechemetes purpuratorum princeps, qui Venetorum res ſemper praecipuo favore proſecutus fuerat, ſpem faceret, ut ſenatus cum Selimo aequis conditionibus convenire poſſet: quod pronis auribus a pleriſque acceptum eſt in urbe; placuitque, ut Jacobus Raggazonus vir rerum Turcicarum apprime peritus Conſtantinopolim mitteretur, qui ſpecie de rerum per belli tempus utrinque captarum permutatione agendi occultos de pace ſermones per occaſionem ſereret. Tunc vero mutata rerum facies: nam qui prius deſperata cum Selimo pace foedus, et per foedus promiſſa auxilia ad recuperanda ſua urgebant Veneti, ex eo negotium extrahere, moras nectere, ac varia cauſari. Itaque cum pontifex videret legatos tam retractantes ſua monita accipienteis, neceſſarium factu exiſtimavit, virum non ſolum bellicis artibus, ſed ſolertia ac rerum agendarum peritia et auctoritate praecipuum Venetias mittere; qui et quod exulceratum eſſet, ſanaret, reſque tot difficultatibus ac controverſiis implicitas ad exitum perduceret. Is fuit M. Antonius Columna; qui Venetias profectus, et in ſummum conſilium introductus, eos hortari inſtitit, ne ſoli bene procedentia conſilia et ipſorum cauſa ſuſcepta impedirent; tum publicatum a Granvellano ſcriptum excuſat, nec malum medicatu difficile fore oſtendit: nam non idcirco numerum navium minorem fore, quem ipſi de ſuis, quas paratas habent, ſupplere poſſint, Philippo impenſas ſe refuſurum profitente. In eam ſententiam cum multa graviter et accurate dixiſſet, jam refrigeſcente de foedere ardore, unus ex ſenatoribus libera admodum oratione contra multa dixit, cur in foedere nondum perfecto, quod jam cavillarentur Hiſpani, citra manifeſtam perniciem perſeverare non poſſent; et potius de pace cum Turco facienda, integris adhuc

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Lombardie.* [b] *la Minerve.* [c] *Cardinal de Granvelle.*

CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX.

adhuc necdum acciſis rebus, cogitare, ac temporis neceſſitatem in ſalubri conſilio amplectendo ſapientia repraeſentare deberent. Rurſus inſurrexit Columna, et ipſos cum Turco, cujus recentem perfidiam experti ſint, tuto pacificari non poſſe multis rationibus demonſtravit: ad haec eo res redactas eſſe, ut cum Turci longe ipſis navalibus copiis ac viribus ſuperiores ſint, ipſi ſua per ſe ac propriis opibus tueri non poſſint: proinde imbellibus conſiliis omiſſis ad ſplendidum ac generoſum certamen animos adjicerent, quo et clades acceptas ulciſci, et imminentem Chriſtianis cervicibus hoſtem atque in Europae viſceribus haerentem longe in Aſiam ſummovere poſſent: Caeſarem nunc foederatorum conſtantiae diffidentem, cujus ditio non minoribus damnis, quam Veneta a Turco continenter carpatur, tunc in partes proculdubio venturum; nec dubitare eos debere, quin Joanne Sigiſmundo Tranſilvano mortuo ambigua ejus ſucceſſio Caeſarem et Turcum brevi ſit commiſſura. Cum urgerent Veneti, ut numerus navium a Philippo promiſſus repraeſentaretur, Columna uſque ad XXC Hiſpanos pertracturum recepit: tantum ipſi, qui alveis abundent, quod numero deerat, ſupplerent: nam remigium ex Sicilia et Neapolitano regno, ut ſuppeditetur, Philippum juſſiſſe, idque ſcripto illo Granvellani, quo tantopere offendantur, diſerte expreſſum eſſe: de impenſa, fidei a *Philippo* interpoſitae ſtandum eſſe, cum Venetis minime decorum ſit, non videri tanto regi, niſi ſatis dato crediſſe. Petebant et Veneti, ut bello ſemel contra Turcum ſuſcepto, cum praeter intolerabileis in claſſem ſumptus longe plures arces, quam in pace, ſibi muniendae eſſent, ac juſtis praeſidiis firmandae, hoc onus foederati pro parte quiſque ſua ſublevarent: et aequa petitio videbatur: ſed pontifex in aliud tempus rejiciendam cenſuit, ne ex occaſione novae ac jam ſopitae controverſiae renovarentur; recepitque ſe aliquando ſecundum eos judicaturum. Poſt acres contentiones, re in [a] Rogatorum conſilio, quod vocant, coram [b] principe deliberata collegio placuit, ut de pace cum Turco, quae una ſit ſalutis via, pergatur: interea dum exitus exſpectatur, integra omnia reſerventur, et inſtituta de foedere colloquia non abrumpantur; ſed nunciis ac conditionibus ferendis ac referendis, eodemque aſtu, quo hactenus a Philippi procuratoribus ludificati ſunt, res extrahatur. Cum hanc ſententiam univerſi ſenatus ſuffragiis comprobari poſtularet, poteſtate dicendi facta, Paulus [c] Teupolus longa oratione foedus ſuaſit; et fruſtra Hiſpani nominis odio, aſtu, poteſtate ſuſpecta, ad haec parum ſincera fide ab eo deterreri debere demonſtravit: inſuper ad exiſtimationem ſereniſſimae reipublicae pertinere, ne cum navalia et armamentaria omnium, quae ſub coelo ſunt, ampliſſima habeat, non vireis ad iis utendum, ſed animos deeſſe videatur: ſed maxime ad ſecuritatem contra potentem et alieni cupidum hoſtem facere, qui ſi Venetos ne foederi quidem tantorum principum ex imbecillitatis propriae conſcientia confidere ſenſerit, ita porta ſemel ad illius inexplebileis cupiditates patefacta, ad alia ex aliis iniquiora indies poſtulanda incitabitur: tum quam turpe ſit inhoneſtam pacem pretio redimere, et leges a ſuperbiſſimo domino accipere oſtendit, quas ſociorum principum ac propriis viribus ſubnixi dare et imponere poſſint. Eo perorante cum ſenatum valde commotum magiſtratus, qui a belli conſiliis alieni erant, animadverterent, Nicolaus [d] Pontanus ex eorum numero quo nutanteis retineret contra diſſeruit; *vir* cui aetas, res geſtae, ac prudentiae fama cum rara doctrina ac eloquentia conjuncta magnam auctoritatem conciliabat. Is acri oratione, eos qui foedus ſuadebant, duabus peſtibus, quae pleraſque reſpublicas everterunt, laborare dixit; ſui et ejus, cum quo ſibi res ſit, ignoratione: nam et virium ſuarum imbecillitate prudentiſſimos conſilia ac res metiri

INTERPR. [a] *Pregadi.* [b] *le Doge.* [c] *Tiepolo.* [d] *da Ponte.*

metiri verum eſſe: mirari vero non perſpectas eſſe Hiſpanorum artes, quorum vanitatem et impudentiam nulla probabili ſpecie velatam, nihil ex promiſſis in priore foedere praeſtando experti ſint; quoſque nuper de conditionibus agendo tot fucati animi ac fallacis artificii ſigna dediſſe cognoverint; qui id unum agant, ut icto foedere, et Venetis ſemel ad bellum contra Turcum obligatis, armorum vim ab oriente ad Tripolim, Tunetem, Algeriam, quae urbes ipſis ſub oculos ſint, magno Chriſtiani orbis detrimento avertant. Poſtremo commercium ac mercatorium quaeſtum urget, quo per bella concidente innumerorum opes, qui laetis rebus ornamento reipublicae, duris et aſperis levamento eſſe conſueverunt, corruant neceſſe eſt: quibus rationibus in ſententiam magiſtratuum eundum cenſebat Pontanus: ſed vicit contraria, quae foedus ſuadebat, omni ſpe pacis cum Turco faciendae praeciſa. Itaque tandem foedus ictum eſt VIII Kal. Jun. quo perpetua ſocietas ſancita eſt inter Pium V pontificem, Philippum Hiſpaniarum regem, et Aloiſium Mocenicum Venetiarum principem adverſus Turcum non modo defendendi et arcendi, ſed inferendi belli, neque id regnis tantum a Turco poſſeſſis, ſed Tripoli, Algeriae et Tuneti in [a] Africa beneficiariis Turci urbibus, inita eſt. Conventum item, ut ſi Philippus aliquo anno, quo nulla communis foederatorum expeditio ſuſciperetur, in Africam duceret, eum Veneti L triremibus egregie inſtructis juvare tenerentur: viciſſim Philippus, quoties Venetorum reſpublica aliquam expeditionem intra [b] ſinum Hadriaticum ab [c] Apollonia Venetias uſque ſuſciperet, parem triremium numerum auxilio Venetis ſummitteret. Numerus navium et bellatorum, qualem diximus, definitus eſt, quae omnes copiae quotannis ante exitum Martii aut ineunte Aprili in orientis mari paratae ſint. Eo amplius cautum, ut Romae quotannis ſocii autumno conſtituant, quae inſequenti anno expeditio, ac quibus viribus ſuſcipienda ſit; et pontifex omnium controverſiarum inter ſocios ſuborientium communis diſceptator ac judex ſit, ejuſque judicio ſtetur. Locus honorificus item Caeſari, Galliae ac Portugalliae regibus reſervatus, quandocunque foederi ſubſcribere parati ſint. Cautum item, ut Raguſia [α] cum univerſo illius reipublicae territorio nullo damno nullave moleſtia a foederatorum [β] copiis eorumque ſucceſſoribus violetur; niſi aliter ob juſtam cauſam ſubortam pontifici viſum fuerit. Poſtremo additum, ut nemo foederatorum ſeparata conſilia ab aliorum conſcientia et voluntate pacis aut induciarum cum Turco habeat. Sancito foedere aliud privata ſyngrapha firmatum vulgatur III Eid. Jun. quo Philippus toto Maio vertente XXC triremeis ſe in [d] Hydruntino portu paratas habiturum profitebatur; tum pro qua parte quiſque in ſumptus conferret, definiebatur. Secundum haec Venetiis conſultatur de mandatis, quae ducibus ſuis danda eſſent: ſiquidem in illa republica ſic uſus eſt, ut ducibus, quos ad bellum mittunt, non libera omnino conſilia permittant, ſed arbitrium de ſumma re certis finibus circumſcribant, quos, niſi graviſſima defuncturis poena, tranſcendere uliis non licet: quae res ut ſalutaris in illo optimatum temperato ſtatu, ita egregias bene gerendae rei occaſiones plerumque corrumpit. Magno conſenſu in ea deliberatione decretum eſt, rem proelii aleae committendam, cujus exitus et certam victoriam ſponderet, et eos, qui diuturnitatem belli illius ab Hiſpanis affectatam et ſibi damnoſam reformidarent, longa delectuum, praeſidiorum novorum, ac praeterea

CIƆIƆLXXI.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] quam Epidaurum fuiſſe credunt, cum *D.* f. o. [β] copiis tam maritimis quam terreſtribus copiis afficiatur, niſi ex juſta cauſa ſecus pontifici ejuſque ſucceſſoribus videatur. Poſtremo additum *D.* f.

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *Golfo di Vinetia.* [c] *la Valona.* [d] *Otranto.*

CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX.

praeterea claſſis numeroſae impenſa ſemel liberaret: impetu igitur, quem felicem ſperarent, non perſeverantia, quae ipſorum res ad extremum everſura eſſet, bellum gerendum, neque ſegniter et retractanter agendum; feſtinationemque, quae improvida et praeceps aliis ſaepe noceat, in hoc bello unam et praecipuam ſalutis viam atque arcem eſſe. Igitur S. C. in hanc ſententiam facto, imperatum Sebaſtiano Venerio, ut nullam pugnandi occaſionem praetermitteret: et ſi quidem, antequam ſe cum ſociis conjungeret, eam naneiſci poſſet, dum ne eo numero eſſet hoſtilis claſſis, ut omnino iniquum certamen videretur. Eadem a pontifice Columnae data mandata. Eodemque tempore miſſus ad Caeſarem Jo. Franciſcus Commendonus cardinalis vir ſummis negotiis tractandis idoneus, tum rerum Germanicarum inprimis uſu praeſtans; qui et inde ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniae regem, cujus itidem perſpectos intimos ſenſus habebat, tranſire juſſus eſt; ut eos ad belli tam ſalutaris et neceſſarii ſocietatem inviraret. Miſſus et Paulus [a] Odeſcalcus epiſcopus Pennenſis ad Italiae principes, pontificis nomine; qui vix ab illis vɪɔ peditum ſtipendia expreſſit. Longe honorificentior legatio fuit, quae Michaeli Bonello cardinali Alexandrino pontificis ſororis filio ad Philippum, in qua una plus momenti quam in univerſis aliis ponebat, mandara eſt; qui et ad [b] Luſitaniae regem accedere, et inde in Galliam ad regem venire pariter juſſus eſt.

XI. Dum haec agerentur, Muſtaphas belli Cyprii ſummus dux accerſitis Nicoſia xv tormentis, caſtris ex loco, in quo hibernaverat, promotis ad Famaguſtae obſidionem redit, et ad eam partem, quae orientem reſpicit, [c] Percipolam vulgo dictam, conſedit. Luſtrato exercitu xvii Kal. Maias, et caſtris ɪvcɪɔ paſſuum ſpatio porrectis tempus operibus faciendis inſumptum, deſtinatis ad id xʟcɪɔ foſſoribus, qui dies noctibus continuantes aggeres a noſtris deſtructos inſtaurant, et foſſam novam ducunt. Famaguſta olim Salamina dicta, ſive ut alii credunt Tamaſſus, aut denique Arſinoe, maximum Cypri emporium in extrema inſula, ab ea parte ſita eſt, quae Syriam ſpectat, [d] portum ſpatioſum habens aquilonem verſus, quem facit ſyrtis terrae a meridie conjuncta, quae recta in mare per cɪɔ paſſus excurrens uſque ad dimidiam partem undis extat; reliqua pars, quae undis tegitur, paulatim terram verſus inflexa ultra urbis longitudinem extenditur: hanc rurſus mediam dividit altera brevior ſyrtis ipſa quoque latens, quae recta ad [e] arcem tendit ſitam ad mare, ita arcem in media urbis longitudine ſubiens, ut anguſtum oſtium portus relinquat; cujus alterum cornu haec ipſa ſyrtis eſt, caſtello munita; alterum cornu propugnaculum facit, quod arci conjunctum in mare aliquanto ſpatio incurrit: quo fit, ut portus ad omneis ventorum flatus tutiſſimus ſit, fluctibus partim a ſyrti extante omnino repulſis, partim duarum latentium ſyrtium objectu illiſis ac contuſis, ut navigia, quae portum ſubiere, neque laedi neque jactari queant. Urbs vero ɪɪcɪɔ circiter paſſuum in circuitu patet forma quadrata, moenibuſque et foſſa praealta cingitur, ac xiii turribus unoque propugnaculo per totum ambitum munita eſt; quarum quae murum et meridionale latus tegunt, [f] Armamentarii et Limiſi nomine vulgo appellantur; et altera ad maritimum, altera ad terreſtrem angulum eſt. Rurſus iis per totam muri longitudinem interpoſitae ſunt turres [g] Campi Sancti, Andruſii, S. Nappae. Latus occiduum turres [h] Diocaris, Moracti, Pulocazaris, S. Lucae, ac propugnaculum, quod eſt ad alterum angulum [i] Martinengi vulgo dictum, firmant. Tertii lateris ſeptentrioni objecti angulus maritimus turrim habet [k] Adamantis dictam; inter quam et propugnaculi angulum

INTERPR. [a] *Odeſcalco eveque de Penna.* [b] *Portugal.* [c] *Precipola.* [d] *porto poſto tra levante & tramontana fatto da alcune ſecche e ſcogli.* [e] *la Fortezza.* [f] *Torrione del Arſenale & Limiſſo.* [g] *Torrione di Campo Santo, del Andrucci, Santa Nappo.* [h] *Diocar, Moracti, Pulocazar & S. Luca.* [i] *Balvarde di Martinengo.* [k] *Torrione detto il Diamantino.*

angulum [a] Mozzi turris interjecta eſt. Quartum latus maritimum, quod aquilonem et ortum ſpectat, perpetuo einctum muro, arce, quae in media urbis longitudine eſt, et duabus turribus, quarum alteri [b] Dominae, alteri [c] Portae maris nomen eſt, firmatur. Septem praeterea munimenta intra urbem paulum a moenibus retracta conſurgunt, ea ſtructura, quam hodiernus bellandi uſus invenit: quorum duo duos maritimos urbis angulos tuentur; vocaturque alterum [d] Armamentarii, quod in meridiem, alterum [e] Adamantis, quod in ſeptentrionem vergit: duo reliqua terreſtreis angulos [f] S. Nappae nimirum et propugnaculi, quod initio diximus: quintum [g] Moracti duobus angulis interpoſitum: ſextum Mozzi, quod eſt inter angulum terreſtrem propugnaculi et maritimum boreae obverſum: ſeptimum [h] Campi Sancti maritimo angulo, qui auſtro obvertitur, et terreſtri e regione illi reſpondenti interjicitur. Haec urbis facies et ſitus, ad quam Turci continuatis operibus in dies propius vallum promovebant, excitatis undique caſtellis ac munitionibus, per quarum foramina machinas immittebant, adjunctis ſcloppetariis, qui tecti infeſta diſploſione defenſores lneeſſebant. In urbe erant, recenſitis omnibus copiis, IVCIↃ peditum, IↃCCC equites, IIICIↃ ex oppidanis ac ruſticis, CC [i] Epirotae, qui egregiam admodum operam in obſidione ea navarunt; iiſque cum ſummo imperio praeerat M. Antonius Bragadinus, et poſt eum Aſtor Baleonus; tum Laurentius [k] Teupolus Paphi praefectus, et Andreas Bragadinus arcis Famaguſtanae dux, et Neſtor Martinengus, cui rei tormentariae et artificialium ignium cura commiſſa erat. Initio eruptionibus ab obſeſſis certatum ad interturbanda opera; a quibus tandem abſtinuerunt, poſtquam poſtrema eruptione XXX delectos ex ſuis amiſerunt, et LX inſuper graviter vulnerati ſunt. Turci mox caſtellis decem extructis, in iiſque collocatis machinis LXXIV, in quibus erant IV immanis magnitudinis, quos illi Baſiliſcos vocant, XIV Kal. Jun. murum in meridiem verſum porrecta verberatione ab angulo Armamentarii ad [l] Limiſi portum ex quinque partibus pulſant: cui muneri ipſemet Muſtaphas praeerat. Nec minore cum impetu, certe majore cum ſucceſſu obſeſſi contraria verberatione Turcos infeſtabant; relatumque ad eos fuit a captivo quodam ad IIICIↃ hoſtium deſiderata fuiſſe. Quatriduo continuata utrinque pulſatione, cum propius Turci ſemper accederent, in urbe regiones inter duces diſtributae ſunt, quam quiſque tueretur; et M. Antonius Bragadinus quidem [m] Andruſii turrem, Baleonus S. Nappae, Teupolus S. Campi turrem ſibi ſumpſit. Quae eadem ratio ſi Nicoſiae ſervata fuiſſet, proculdubio aut diutius extrahi obſidio, aut omnino urbs periculo eripi potuiſſet. Ita duobus diebus elapſis, quibus ex noſtris Franciſcus [n] Troneavilla ductor ſtrenuus tormenti ictu enectus eſt, Turci praetorianum in urbem mittunt cum literis, qui a Baleono non admiſſus et protinus cum reſponſo audaciae pleno remiſſus eſt. Poſtridie poſt vehementem verberationem literae illae in foſſa repertae ſunt, quibus Famaguſtani jubebantur deditionem facere, fide data, ut vita, bona, ac libertas ipſis, mulieribus, ac liberis ſalva eſſent. Tum ad ſingulas turres additi, qui rei tormentariae praeeſſent: Franciſcus [o] Bugona ad Armamentarii propugnaculum deſtinatus; [p] Petrus Contius, Neſtor Martinengus, Hercules Martinengus comes, Horatius [q] Velitrenſis, Robertus [r] Malvetius cetera ordine tuenda ſuſceperunt. Ea cura et diligentia effectum, ut longe maxima detrimenta Turci acciperent, ex quibus XXXCIↃ cecidiſſe creduntur, corruptis XI machinis. Verum obſeſſi metu, ne aſſiduis diſploſionibus pulvis deficeret, modum faciendum cenſuerunt, et ad

treis

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *di Mozzi.* [b] *della Donna.* [c] *porta del mare.* [d] *Torrione del Arſenale.* [e] *Torrione detto il Diamantino.* [f] *Santa Nappa.* [g] *Moracti.* [h] *Campo Santo.* [i] *Albanois.* [k] *Tiepolo gouverneur de Baffo.* [l] *Limiſſo.* [m] *del Andrucci.* [n] *Troncavilla.* [o] *Bugon.* [p] *Pietro Conti.* [q] *da Veletri.* [r] *Malvezzi.*

CIↃIↃLXXI. treis emiſſiones in die ſingulae machinae rediguntur; facta et ſpes ſuppetiarum CAROLUS IX. celocis e [a] Creta adventu, credulos ad ultima perferenda animavit. Nec ceſſabatur utrinque. Tandem poſt magnam caedem Turci ad foſſae crepidinem perveniunt, faſtigiatoque muro moenibus adverſo potiti foſſam replere aggrediuntur terra ingeſta ac ruinis in foſſam procidentibus, quas obſeſſi ſedulo nocturna opera ac diuturna egerebant: ſed ad extremum perforato pluribus locis crepidinis muro, cum denſa ſcloppetorum grandine infeſtarentur, inceptum omittere ſunt coacti. Joannes [b] Mormorius vir ſingulari induſtria tabulas quaſdam arte conjunctas excogitaverat, quae ab operariis ferebantur, et praeſidiarios ab hoſtium ictibus defendebant: verum is inter pugnandum magno ſuorum dolore interfectus eſt. Itaque Turci foſſa potiuntur; eamque aperto muro ingreſſi terra ingeſta ad ſummum implent, binis munitionibus excitatis, et ad quinque loca tormentis quaſſata productis, quae latera ſubeuntium utrinque defenderent; eaſque e veſtigio magno ſaccorum lana reſertorum ac ſarmentorum et faſcium vi firmant, tanta craſſitudine ut ab ullis ictibus penetrari non poſſent. Ita tecti ab ictibus Turci, quinque partibus muro ſuccedentes illum ſubruere, et cuniculos ad urbem agere inſtituunt: quos obſeſſi nihil animo infracti artificioſis ignibus in munitiones aſſidue conjectis diu diſtinuerunt, dum in reficiendis illis neceſſario ac continuo labore defunguntur; tum contrariis actis cuniculis hoſtium conatus plerumque irritos reddiderunt, diligentia praecipue ac induſtria Baleoni, cujus corpus nullo labore fatigari poterat, aut animus taedio vinci, quo minus omnibus locis diſcurrens et operum praeſens ſpectator ſuos adhortaretur et confirmaret, operariorum operam modo acuens, modo langueſcentem excitans, ac pro re ac tempore nunc militem laudans, nunc increpans, poſtremo omnia maxima et minima ipſe obiens, quaeque militaris ac imperatorii muneris erant, pariter faciens. Demum ad XI Kal. Quintil. Turci cuniculo ſub turrim [c] Armamentarii acto ignem immittunt; cujus vi cum horribili fragore craſſiſſimi muri tanta parte dejecta, ut defenſores toto corpore extarent, protinus Turci nihil cunctandum rati vim faciunt, quinquieſque connixi toties a noſtris ſumma virtute repulſi ſunt, Baleono ſaepius in media pugnae mole verſante; cui a Bragadino et Quirino recentes in feſſorum locum, et integri qui ſauciatis ſuccederent, continuo ſubmittebantur. In eo conflictu ex obſeſſis c, et in iis praecipui nominis [d] Joan. Franciſcus Gorus comes, Bernardinus Eugubinus periere miſerabili caſu ab artificioſis ignibus a ſe compoſitis et imprudenter adminiſtratis hauſti; graviter et ex noſtris vulnerati Hercules Malateſta, et [e] Petrus Contius: plures ex hoſtibus ab arcis praeſidiariis interfecti. Sed magis a continuo labore ac vigiliis, quam a vulneribus et pugnis obſeſſi infeſtabantur, dum ad ſonitus ſuffodientium et cuniculos agentium munitiones interiores ducunt, et cuppis ac ſacculis madida humo reſertis ruinas ſarciunt, oppidanis ſtragula, lintea, tapetes, aulaea, focalia, omnemque ſupellectilem pretioſam ſine ulla retractatione in tali periculo ſubminiſtrantibus; quae cum continua tormentorum diſploſione ſaepe everterentur, et ſaepe reficienda erant, et quae die aperiebantur ac proſternebantur, ea nocturnis operibus obſtruenda atque erigenda: cui malo et accedebat, quod Turci ad arma ſaepe clamantes praeſidiarios in armis perpetuo habebant, ut nulla a laboribus ac vigiliis nocturna aut diurna daretur quies. Octavo poſt die cuniculum ad propugnaculum in ſaxo excavatum incendunt, qui tanto impetu ignem concepit, ut ſaxo aperto murum ſuper aedificatum et munitionem pectus tegentem ingenti ruina everterit. Ad eam mox accurrentes Turci et ad navalia eodem tempore

INTERPR. [a] *Candie.* [b] *Mormori.* [c] *del Arſenale.* [d] *il conte Giovan Franceſco Goro, & Bernardino da Agubio.* [e] *Pietro Conti.*

Google

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

tempore impetum faciunt, quem obſeſſi ſumma alacritate ac conſtantia per ſex horarum ſpatium ſuſtinuerunt, a mulieribus, quae majore expugnarionis metu naturalem ſexus timiditatem ſuperante fortiter et ipſae in partem laboris veniebant, ſerventem aquam in ſubeunteis effundendo, adjuti, et epiſcopo [a] Limiſi ad pugnam fortiter capeſſendam milites praelato auguſtiſſimo crucis ſignô adhortante. Periere in ea pugna ex noſtris [b] Meanius primarius centurio, [c] Caelius Focarius, Eraſmus [d] Firmanus; graviter vulnerati [e] Soldatellus, Antonius [f] Aſculanus, Joan. [g] Utinenſis: ad armamentarium, ubi majore damno repulſi hoſtes, deſideratus Jacobus [h] Fabrianus cum IV tantum militibus. Obſeſſorum virtute ſtupefacti Turci ab ea die vim aliquanto tempore abſtinuerunt, collectis interim viribus et machinis propius admotis aut loco commodiore tranſlatis, decuſſis ubique pectus defenſorum tegentibus munitionibus; quibus reficiendis cum jam obſeſſi pares non eſſent, quod unum tamen poterant, pluteis ſe tegere et tabulatis ad id comparatis, et contrarios cuniculos ducere, et ad locum uſque, in quo Turci ſtabant, promovere ſatagebant. Tertia oppugnatio VII Eid. Sextil. facta quatuor locis; ad munimentum ante Limiſi portam, ad [i] S. Nappae turrim, [k] Andruſii turrim, et turrim ac continentem navalium murum. Ibi acrius quam ante et atrocius pugnatum: tandemque Turci, ſed magno accepto detrimento, munimento potiri ſunt; nam ſtatim cuniculo incenſo victores ad IICIↃ horribili ſpectaculo emicantis ignis vi conſumpti ſunt, cum iiſque C ex obſeſſis, qui victoribus immiſti ſe capto propugnaculo ad ſuos recipere non potuerunt. Ex noſtris periere Robertus Malvetius, David [l] Nocetus caſtrorum praefectus; [m] Marchetius Firmanus graviter vulneratus. Propugnaculo ita dejecto, ut refici non poſſet, cum ſiniſtrum latus ſolum ex omnibus urbis partibus fere collapſis integrum ſupereſſet, ipſum quoque ſuffodi ab hoſte coeptum eſt. Et huc uſque quidem Limiſi porta patefacta remanſerat, per quam obſeſſi ad egerendas ruinas et eruptiones faciendas exibant; quae tunc demum quaſi obſtructa eſt, et pridie Eid. ejuſdem menſis quarta oppugnatio ad eam facta, cum ad cetera loca Turci ad arma conclamaſſent, quo defenſores pluribus locis occupatos ab ope laborantibus ferenda revocarent: at Balconus cum delecta manu facto impetu erumpens magnam caedem obviorum edidit, ceteros in fugam vertit, ſigno etiam, quod ipſe vi ex ſigniferi manibus eripuerat, in urbem allato et aliis XIII ſignis, cuniculoque lateris incenſo CCCC ſuperſtantes Turci concremati ſunt. Hoſtes nihilominus de continuo labore nihil remittentes humo egeſta in crepidine foſſae tentoria collocant, ſic ut ab ictibus obſeſſorum tuti eſſent: tum VII machinas in ea ſtatuunt, quae ex propinquo in urbem ejaculabantur. Nec ceſſabant oppidani, qui pellibus bubulis madida humo et lana refertis ac funibus artificioſe conſtructis ruinas obſtruebant: in eoque opere foeminarum praecipua diligentia et virtus fuit, quae in cohortes partitae indefeſſo labore commiſſa muneta impigre obibant, humum, ſaxa, aquam ad incendia reſtinguenda, alioſque neceſſarios apparatus ad loca in quibus laborabatur, comportantes. Cum capiendae portae irritus hoſtium conatus fuiſſet, aliam oppugnationis viam ineunt, injecta magna taedae vi in foſſam, quae ſubito igne concepto cum magnum incendium excitavit, ſparſo etiam tetro odore, ita ut et aeſtu nimio et graveolentia defenſores victi loco excedere cogerentur: quo factum, ut hoſtes in foſſam tuto deſcendere et munimentum cuniculis dirutum momento reficere potuerint, in ejuſque

INTERPR. [a] *Limiſſo.* [b] *Meani.* [c] *Celio de' Fuochi.* [d] *da Fermo.* [e] *Soldatello.* [f] *da Aſcoli.* [g] *d'Iſtria.* [h] *da Fabriano.* [i] *Santa Nappa.* [k] *Andrucci.* [l] *Noce maeſtro di campo.* [m] *Marchetto da Fermo.*

CIↃIↃLXXI. CAROLUS IX.

ejuſque area collocata machina portam verberare coeperint: quam tamen obſeſſi ingenti ſaxorum ac terrae vi mox obruerunt. Jamque ad extrema ventum erat, deficiente commeatu ac victu, ita ut cum antea aceto aqua miſto loco vini uſi, jam ipſo deficiente, caſeo praeterea et carnibus ſalitis, omniſque generis frugibus, ac poſtremo equis, aſinis, ac felibus diu vita tolerata, ad ſummam inopiam redacti eſſent: quae tamen omnia ducum virtute ac providentia, militum item ardore ſuperabantur, quibus ſubſidii ex [a] Creta proximi ſpes adhuc animos faciebat. Nam de cetero IV illa Italorum CIↃ ad IↃCCC redacta erant, cum ceteri varia peſte periiſſent. Graeci etiam et alii numero valde imminuti erant: ſuperſtiteſque continuis laboribus ac vigiliis fere inutiles militaribus muniis vix in veſtigio ſtare, aut arma ſuſtinere poterant. Quibus malis victi urbis primores ſupplicem libellum Bragadino porrigunt, et de ſua fide et egregie ad perniciem uſque navata opera praefati petunt, ut ſe in manifeſto et inevitabili periculo reſpiciat, neve ſe ipſos, praeſidium, miſeros civeis cum uxoribus ac liberis immaniſſimorum hoſtium caedibus, injuriis ac contumeliis objiciat, ſed deditionis via, quam honeſtis conditionibus adhuc impetrare ſperent, univerſis conſulat. Eos benigna ac ſapiente oratione ſolatus Bragadinus, cum de auxiliis brevi ſummittendis bene ſperare juſſiſſet, celocemque ob id Cretam miſiſſet, ſi ea ſpe fruſtrarentur, non eum ſe eſſe oſtendens, qui pertinacia ſua illos, ſe ipſum, praeſidium, totque praeclaros duces hoſti jugulandos tradere in animo habeat; ſed pro neceſſitate ex ipſorum ſententia conſilium ſe capturum recipit: quibus verbis illi rurſus animis reſumptis ad extrema ſubeunda ſe comparant. Turci vero operibus jam ad exitum perductis III Kal. Sextil. igne in cuniculos injecto partem caſtelli portae imminentis, ac quicquid turris navalium adhuc ſtabat, evertunt, multis obſeſſorum, atque unius ſigni cohorte cum ruina obrutis; confeſtimque moenia invadunt, ſexque horarum ſpatio acriter pugnatum fuit, ac multi ex Turcis deſiderati. Sequenti die redintegratum ſub meridiem certamen, ſed minore vi, ac minore utriuſque partis damno. Tandem cum oppidani omnia ſumma feciſſent, annona ac pulvere ipſo deficiente, nec ſpes promiſſorum auxiliorum uſquam repraeſentaretur; quippe [b] Barzottus Barbarus cum auxiliaribus Creta veniens adverſa tempeſtate jactatus naufragium paſſus fuerat; pactis induciis, ut de conditionibus ageretur, utrinque obſides dati; ex noſtris Hercules Martinengus, et Matthaeus [c] Colſius Famaguſtanus; ex Turcis Muſtaphae et [d] praefecti praetorianorum legati; qui in has leges convenere, ut milites ac duces incolumes cum impedimentis, armis, V machinis, ac III inſignibus equis, tuto in Cretam itinere dato diſcedant; ad quam inſulam Turcorum triremibus deducantur. Oppidanorum nemini vis fiat, nec ipſi ſolum vertere cogantur, ſuaque illis omnia ſalva ſint, ac Chriſtianorum inſtituto libere vivere liceat.

XII. QUIBUS conditionibus ad Muſtapham miſſis et ipſius manu ſubſcriptis, mox noſtri milites navibus a Turco commodatis impoſiti ſunt, ac poſtridie Bragadinus, relicto in urbe, qui eam Turcis conſignaret, Laurentio [e] Teupolo, ad purpuratum ſalutandum ſub veſperam exivit, comitantibus cum Aſtore Baleono, Aloiſio Martinengo, Joanne Antonio Quirino, Andrea Bragadino, Carolo [f] Ragonaſco, Franciſco [g] Straco, Hectore [h] Brixiano, [i] Hieronymo Sacileo ductoribus, atque aliis ex praecipua nobilitate, qui initio perhumaniter a purpurato admiſſi, juſſo etiam juxta ſe in tentorio ſedere Bragadino; mox mentione injecta de captivis, quos Muſtaphas per induciarum tempus a Bragadino necatos calumnioſe comminiſcebatur, re a Bragadino pernegata, ille furens conſurgit, et inermem, ac fidem conventam

INTERPR. [a] *Candie.* [b] *Barzotto Barbaro.* [c] *Colti cittadino Famagoſtano.* [d] *l'Aga des Janiſſaires.* [e] *Tiepolo.* [f] *Ragonaſco.* [g] *Stracco.* [h] *da Breſcia.* [i] *Girolamo da Sacile.*

Google

convcntam nequicquam obteſtantem vinciri jubet; productique ſtatim in area ante ipſius tentorium ad unum omnes, excepto Bragadino, trucidantur. Hunc ad omnia injuriae et ſaevitiae exquiſita exempla reſervatum cum cervicem quaſi ſecuri jam diſtrictae ſubjiciendam ter porrigere coegiſſet, naribus et auriculis mutilare pro tempore ſatis habuit; humique diſtento ſuperbis et contumelioſis verbis illuſit, ſubinde quaeritans, ubinam ſuus ille Chriſtus eſſet, quem coleret, et cur non eum e manibus ipſius potentia immenſa ſua eriperet. Eodem tempore, qui in naveis impoſiti fuerant, ſpoliantur, et remo mancipantur. Haec eo die acta. Poſtridie Muſtaphas Non. Sextil. urbem ingreſſus eſt, et adductum Teupolum ante omnia ſuſpendio necari juſſit. Aliquanto interpoſito ſpatio XVI Kal. Sept. Bragadinus nondum curatis vulneribus inſpectante barbaro ad omnia moenium loca, quae quaſſata corruerant, traducitur, ſportas binas terra onuſtas collo geſtans, quotieſque Muſtapham praetervehebatur, terram oſculari juſſus, deinde in ſella poſitus ac vinctus ſublimis ad ſummam antennam ſublatus eſt, ut militi nuper nexo triſte ſpectaculum praeberet. Poſtremo in forum deducitur ad tympanorum tubarumque ſonitum, ubi vivo immani carnificina pellis detracta eſt. Quos cruciatus ille admiranda conſtantia pertulit, immanitatem ac perfidiam hoſti exprobrans; cumque ad umbilicum ventum eſſet, tandem profuſiore ſanguine manante animam optime de nomine Chriſtiano meritam Deo, cujus gratiam fuſis indeſinenter ad eum precibus implorabat, reddidit. Pellis palea referta, atque antenna ſuſpenſa in Syriam vicinam miſſa eſt, et per totam eam oram ad immane ſpectaculum circumlata, inde cum Ludovici Martinengi, Andreae Bragadini, et Quirini capitibus Conſtantinopolim ad extremum perlata. Hercules Martinengus obſes datus, una cum Julio Caeſare [a] Guelfio Brixiano commilitone ſuo eunuchi cujuſdam beneficio occultatus Muſtaphae furorem magna ſua infelicitate evaſit; felix utique futurus, ſi cum ſociis mortuus fuiſſet, neque vitae commoditatibus Chriſtianam pietatem, quam deteſtanda perfidia ejeravit, poſthabuiſſet. Neſtor Martinengus comes gentilis ejus cum per aliquot dies in urbe latuiſſet, poſtremo [b] Biro cuidam praetori ſe captivum dedit, qui cum in caſtris aliquandiu manſit, ac poſtremo ꝛↄ zechinis numeratis vitam ac libertatem redemit.

XIII. Hic ſe offert de Hier. [α] [c] Magio dicendi locus, cujus emortualem diem cum fruſtra diu quaeſiviſſem, tandem libertatis ejus ultimum reperi, qui merito vitae poſtremus cenſeri debet. Nam tam diu vivimus, quamdiu liberi vivimus. Is [d] Anglara in Inſubribus ditionis Mediolanenſis oppido, quod et nobis Angelum Caninium olim dedit, natus, cum [e] Bononiae naviter melioribus literis, dein etiam philoſophiae nec non mathematicarum artium ſtudiis operam dediſſet, ejuſque rei experimentum editis aliquot multijugae neque tritae eruditionis libris feciſſet, poſtea juris civilis ſcientiae ſe totum mancipavit, ejuſque, ut fructuoſioris, occaſione homo tenui in re in Cyprum navigavit, ubi juridici caſtrenſis munere Famaguſtae ſub M. Ant. Bragadino aliquandiu defunctus, miſſa ſub jugum inſula, eadem qua ceteri Chriſtiani calamitate involutus eſt, amiſſa omni libraria ſupellectile et lucubrationibus pleriſque partim inchoatis, partim magna ex parte affectis. Inde in Aſiam proximam abductus miſerabilem ſub barbaris dominis ſervitutem ſervivit, in qua vilibus muniis obeundis talium rerum inſolens dum exercetur, ſe interim Aeſopi Phrygis, Monimi, Menippi, [β] Epicteti, et ejuſmodi ſapientia praeſtantium virorum revocatis in memoriam exemplis ſolabatur, quaedam etiam

in

VAR. LECT. [α] *Hoc Magii elogium uſque ad* Magno Turcis *deeſt.* *D.* f. o. [β] Epicteti *deeſt.* *D.* d.

INTERPR. [a] *Guelfo da Breſcia.* [b] *Sangiaco del Bir.* [c] *Maggi.* [d] *Angbiari au Milanois.* [e] *Bologna.*

CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX. in illa literarum ſolitudine ac ſterilitate memoriae beneficio inter vincula commentatus. Tandem cum diu, ubi eſſet, ignoratus, et poſtquam reſcitum eſt, aut neglectus, aut non ea ſedulitate, qua debuit, requiſitus, quaſi bos vetulus ab ingrato aratro faſtiditus, ab immani hero ſumptibus parcente ſtrangulatus eſt.

XIV. MAGNO Turcis ea obſidio, quae Cypri totius poſſeſſionem illis dedit, conſtitit; in qua XXC mille capita omnis generis diverſa peſte periiſſe perhibentur; et in iis ex primoribus exercitus [a] Aſiae minoris purpuratus, Muſtaphas [b] voluntariam militiam profeſſorum dux, [c] Tripolitanus praetor, Friguthes Malathiae et Framburarus Antippi reguli, [d] unus ex Arabiae praetoribus, [e] Muſapher novus Nicoſiae praefectus, alii. Tum per LXV dies, quibus urbs pulſata fuit, CLCIƆ ictus diſploſi fuiſſe dicuntur: cujus rei fidem pilarum in urbe poſtea repertarum numerus fecit. Capta Famaguſta, cui Framburarus Rhodi antea praefectus cum praeſidio impoſitus eſt, Turci tota inſula potiti ſunt, amoeniſſima et ditiſſima toto illo mari inſula, ab externo dominatu saepius oppreſſa ac deſtructa; et ſub Amaſi quidem Aegypti rege primum; dein a Romanis, cum M. Porcius Cato in eam miſſus: cum vero Judaei, qui plerique in Cypro erant, ſub Trajano imperatore rebellaſſent, eorum culpam univerſa inſula luit, magnis damnis a milite immiſſo affecta, occiſis amplius CCXLCIƆ hominum, ſicuti Nicephorus Calliſti in hiſtoria eccleſiaſtica ſcribit. Poſtea anno ſalutis CIƆCLIV, cum Balduinus III Hieroſolyma teneret, Reginaldus Antiochiae princeps, ut injurias a Byzantinis Caeſaribus acceptas ulciſceretur, Cyprum cum infeſta claſſe ingreſſus et regione vaſtata immenſas opes inde avexit. Quartam cladem a Ricardo Anglorum rege Cyprus paſſa; cujus mentionem ſupra fecimus. Deinde ſub Petrino Luſiniano rege a Genuenſibus multum damni accepit, intercepta ac direpta nec-opinato Nicoſia, et omni praeda Famaguſtam comportata; quam et muniverunt, et tam diu poſtea cum praeſidio tenuerunt, donec Jano rege, Melechella Mamaluchorum princeps magnum ac praepotentem exercitum in inſulam miſit, qui, incenſa [a] Limiſi urbe, ac direpta Nicoſia, regem ipſum cum primaria nobilitate in Aegyptum abduxit. Janus vero ſe C aureorum CIƆ redemit, et tributum annuum pactus cum nobilitate, quae et ſe magno pretio perſoluto in libertatem vindicavit, ad ſuos remiſſus eſt. Sed nuſquam majore calamitate, excepta ea, quam ſub jugum a Turcis miſſa nunc patitur, conflictata eſt, quam cum ſciſſo factionibus regno bellum civile exarſit inter Carlotam, quae Ludovico Sabaudo nupſerat, legitimam ultimi regis filiam, et Jacobum nothum; ſub quibus ad exitium ſpoliata, ac, proſcripta nobilitate, commercio interdicto, ne ruſticis quidem in opere ſuo tutis, longo tempore vexata eſt: Veneti poſtremo Jacobi heredes inſulam tenuerunt; quibus illam Turci anni fere currentis ſpatio ea, qua dixi, ratione illis eripuerunt.

XV. DUM haec in Cypro gererentur, ne Chriſtianorum res aliis in locis melius haberent, Perthaus et purpuratus [f] Euboeae praeſes cum claſſe e [g] Caſtro-Roſſo inſulae illius portu ſolventes poſtridie Eid. Jun. ad [h] Melon inſulam venerunt, et inde ad [i] Meleccam [k] Cretae portum velis humilioribus ſub veſperam deſcenderunt: eademque nocte Perthaus [l] Amphimallum ingreſſus, circumpoſitos vicos igne et rapinis vaſtat, multis captivis abductis; ex quibus intellecto XXX Venetorum triremeis Candiae, totidem in [m] Caniae portu paratas eſſe, tertio poſt die cum XL triremibus ad inſulam vaſtandam cum egredi in animo haberet, adverſa tempeſtate prohibitus

VAR. LECT. [a] Limiſſi. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Baſſa de Natolie.* [b] *chef des volontaires.* [c] *le ſangiac de Tripoli, Fergat* al. *Frigut bei de Malatiah, & Framburaro ſangiac d'Antippo.* [d] *l'un des deux ſangiacs d'Arabie.* [e] *Muſafer nouveau baſſa de Nicoſie.* [f] *Negrepont.* [g] *Caſtel Roſſo.* [h] *Milo.* [i] *Meleca.* [k] *Candie.* [l] *Golfo della Suda.* [m] *la Canée.*

CIƆIƆLXXI.
CAROLUS IX.

prohibitus fuit. Dum in ancoris Turci ad [a] Amphimallum ſtarent, IV onerariae naves militem et commeatum in [b] Cretam portantes, non ſine divina ope, tribus nec amplius paſſuum millibus ab hoſtili claſſe navigantes in inſulam incolumes pervenerunt: quas mox alia navis oneraria ad [c] Caniae praeſidium miſſa pari fortuna ſubſecuta eſt. Inde miſſus ab Hali Uluzalis cum XL triremibus [d] Rithymnum verſus, qui expoſito in terram milite urbem longe omnium pulcherrimam ac nobiliſſimam defenſoribus vacuam ſubito adortus capit et incendit, multa praeda abacta, magnaque aeris vi inibi reperta, ad vaſorum fabricationem, quibus generoſiſſima vina excoquuntur, a negotiatoribus deſtinata. [e] Turturum inſula inſuper ab iis incendio ac rapinis populata. Amphimallo dein ſolventes longe diverſo ſucceſſu Caniam praetervecti ſunt: nam accidit, ut quo die Turci exſcenſionem fecere, eodem Franciſcus Juſtinianus dux bello impiger cum delecta Corſorum manu, quos ipſemet conſcripſerat, ad eam urbem appelleret; qui aliis praeſidiis inſulae, et quae Venetiis nuper ſummiſſa fuerant, ad IIICIƆ ſibi adjunctis, palanteis adortus magna clade affecit, [f] Caragealio inſigni pirata graviter vulnerato. Tum ſuborta tempeſtate cum XII triremes ad litus alliſiſſent, et ex iis tres naufragium paſſae eſſent, putato per fabas more ſuo bellatorum numero IIICIƆIƆCC aut abeſſe aut morbis et vulneribus in inſula periiſſe Turci compererunt. Igitur Creta relicta, [g] Cytheram inſulam Cretae et [h] Peloponneſo interjectam verſus iter intenderunt, et ad [i] Nicolai fanum appulerunt; ubi expoſito in terram milite cum eadem immanitate graſſati eſſent, [k] Navarrinum poſtremo haud inde procul ſe receperunt. Interea [l] Venerius claſſis Venetae praefectus, qui Corcyrae erat, ut de hoſtium conſilio cognoſceret, Kal. Quintil. Joannem [m] Lauredanum cum [n] Collane Draſio Cherſenſi [o] Zacynthum mittit; qui quinto poſt die Cephaleniam appulſi, cum Turcos e Navarrino Zacynthum delatos intellexiſſent, id Venerio quamprimum ſignificarunt. Rurſus miſſi Draſius Cherſenſis et Franciſcus Tronus, qui propius de hoſtium rebus cognoſcerent: ſed cum in triremeis e Cephalenia, quam in itinere vaſtaverant, redeunteis incidiſſent, Tronus altum mare ingreſſus ab iis captus eſt: Cherſenſis cautiore navigatione uſus [p] Corcyram tenuit. Ex Trono Turci cum reſciviſſent, claſſem noſtram Corcyrae eſſe, eo protinus tendere decreverunt: Venerius vero nimiam ejus propinquitatem cavens Meſſanam quamprimum, ut ſe cum foederatorum claſſe conjungeret, tranſire ſtatuit; miſſo prius Joan. Baptiſta [q] Benedicto Cyprio, qui Quirinum et Canalem moneret, ut quanto poſſent triremium numero inſtructo ſubſequerentur. Nec multo poſt Turci vaſtata Zacyntho et Cephalenia, plus VICIƆ capitum, uti creditur, in miſerabilem captivitatem abductis, [r] Buthrotum ex adverſo Corcyrae venerunt, ubi ſe claſſem noſtram adhuc reperturos ſperaverant: inde in [s] Epirum claſſis trajecit, quo jam ante Achomates cum [t] Graeciae praetore et terreſtribus copiis deſcenderat. Cauſa expeditionis fuit, quod Turcis ſuboluiſſet, de tacito foedere a CCC [u] Epirotis gente pugnaci cum [w] Ulcinii et Antivari, quae oppida a Venetis tenebantur in ora maritima, praeſidibus, ad provinciam in libertatem aſſerendam, et Graeciam exemplo hoc inſigni ad defectionem ſolicitandam, contracto. Leges dictae in foedere erant; ut a Venetis VICIƆ auxiliariorum mitterentur, et CC obſides ab iis darentur. Et obſides quidem dati; ſed illi fere omnes erant illorum aut liberi aut fratres aut aliquo proximae

INTERPR. [a] *Golfo della Suda.* [b] *Candie.* [c] *la Canée.* [d] *Rettimo.* [e] *Turluru*, Ind. Th. mais c'eſt *Turtura, iſle près de Candie.* [f] *Garagiali.* [g] *Cerigo.* [h] *la Morea.* [i] *S. Nicolo.* [k] *Navarrin.* [l] *Veniero.* [m] *Loredano.* [n] *Collane Draſio da Cherſo.* [o] *Zante.* [p] *Corfu.* [q] *Benedetto Cyprioto.* [r] *Butintro.* [s] *Albanie.* [t] *beglerbei de la Grece.* [u] *Stradioti.* [w] *Dolcigno & Antivari.*

CIƆIƆLXXI. proximae cognationis vinculo conjuncti: quod ad auxilia, initio miſſus ex oppido
CAROLUS IX. [a] Aſcrivenſi centurio cum C peditum Italorum cohorte, ac nulli praeterea; et ita cum Epirotae deſectionis vexillum ea ſpe ſuſtuliſſent, ſe manifeſto periculo objecerunt: quod Venetorum fidem ac potentiam hactenus inter eos magnam creditam non mediocriter elevavit ac labeſactavit.

XVI. HUJUS deſectionis metu Achomates [b] Scodram cum pedeſtribus copiis venerat, urbem in ora [c] Illyrica praecipuo ſitu, quippe in monte acceſſu difficili poſitam et arte munitiſſimam. Huic ad occaſum lacus adjacet XXC mille paſſus patens, ex quo amnis profluit, quem [d] Bolionam vulgo appellant. Urbs ab oriente olim [e] Drino fluvio alluebatur; ſed nunc is mutato alveo X ab oſtio Bolionae paſſuum millibus [f] Liſſum oppidum praeterfluit, relictis antiqui alvei juxta Scodram veſtigiis. Subjecti ſoli tanta ubertas perhibetur, ut ſementis caſu projecta et indiligenti cultura miros fructus producat; et pecudes a paſcuis vicinis arceantur, ne ex nimia obeſitate ſuffocentur. Ad [g] Ulcinium dein copiae admotae oppidum maritimum; ubi cum parum proficeret Achomates pedeſtribus copiis, ad claſſis praefectos mittit, qui eorum adventum accelerarent. Nuncio accepto, [h] Petthaus ſtatim in oram Illyricam XL triremeis mittit ad portandum in claſſem militem in ſupplementum eorum, quos in [i] Creta aut amiſerat aut reliquerat. Dum eo tendunt, duas noſtrorum triremeis, ducibus Michaele Barbarico et Petro [k] Bertolazio Jaderenſi, obvias habuerunt; quae dum periculum evitare conarentur, converſo in [l] Corcyram curſu, in Uluzalim, qui jam a Turcica claſſe praemiſſus [m] Caſſiopen inſulae portum tenebat, quemque illi partem ſuae claſſis eſſe rebantur, inopinato praecipitarunt; et cum effugii locus non eſſet, undique circundatae ſe hoſti dediderunt, moxque [n] Buthrotum ad Halim deductae ſunt. Idem Uluzalis XI Kal. Sextil. duas onerarias, quae VIII Eid. ejuſdem menſis Venetiis ſolverant, et ſe ab VIII hoſtium triremibus cum magna eorum caede defenderant, ope aliarum quae [o] Soppoti erant accurrentium, in poteſtatem redegit. Inde cum XVIII triremibus ad Dalmatiam vaſtandam profectus eſt; ubi Halis expoſitis in terram militibus Soppotum ſuperiore anno captum ſumma vi aggreditur, directiſque machinis cum praeſidiarios, quo minus ruinam tueri poſſent, prohiberet, illi incenſis munitionibus vallum hoſtium perrumpunt et, interfectis IƆ Turcis, a majore numero victi tandem omnes fere trucidantur. [p] Manolius Murmurius arcis praefectus, qui egregiam adeo operam in loco capiendo nuper navaverat, in hoſtium manus cum aliquot aliis devenit. Halis [q] Dyrrhachium conceſſit; quo ad eum venit Uluzalis, et de [r] Racuſinis magnopere conqueſtus eſt, quod Venetis fugientibus receptum dediſſent, juſſique eos dedere recuſaſſent. Tandem in ſinum [s] Hadriaticum ingreſſus ad Ulcinium claſſem appulit, quo et reliqua claſſis, omiſſo de [t] Meſſana petenda ad noſtrorum paratus diſturbandos conſilio, convenit, Achomate literis ac nunciis crebris ſolicitante eorum adventum, quod rei gerendae in Dalmatia aliter occaſionem praetermitti aiebat, niſi in provincia, cujus ora mari quam terra accedentibus opportunior eſſet, navalibus copiis bellum adminiſtraretur. Ulcinium tenebat Sarra Martinengus, qui regi noſtro ſemper et ultimis civilibus bellis militaverat: ſed pace facta vir otii impatiens ultro ſuam operam Venetis addixerat. Is jam XXX totos dies obſidionem ſumma virtute ſuſtinuerat, diligentia et prompta Hermolai [u] Teupoli triremium praefecti audacia adjutus, qui bis non contemnenda hominum et apparatuum bellicorum et aquae inprimis, cujus inopia

in

INTERPR. [a] *Cattaro.* [b] *Scutari.* [c] *Albanie.* [d] *Baiana r.* [e] *Drino r.* [f] *Aleſſio.* [g] *Dolcigno.* [h] *Portau baſſa.* [i] *Candie.* [k] *Bertolazzi Zaratino.* [l] *Corfu.* [m] *Santa Maria de Cajopo.* [n] *Butintro.* [o] *Soppoto.* [p] *Emanuel Mormori.* [q] *Durazzo.* [r] *ceux de Raguſe.* [s] *Golfo di Vinetia.* [t] *Meſſina.* [u] *Tiepolo.*

in oppido laborabatur, ſubſidia introduxerat. Tandem cum omnia, quae militaris virtutis ac prudentiae eſſent, cumulate impleviſſet, citra manifeſtam perniciem jam ſuſtinendo hoſti impar, purpuratis locum dedit, his legibus, ut vita et bona militi ac oppidanis ſalva eſſent: ſed fides, quo minus ſervaretur, non tam Turcorum perfidia, quam contentio inter duces exorta in cauſa fuit: ſiquidem Achomates indignatus, quod captae urbis decus claſſis accerſitae adventu ad alios transferretur, locum ingreſſus illum militi diripiendum tradidit: quod claſſiarii conſpicati, ne non et ipſi praedae ſub oculos poſitae participarent, illico in oppidum accurrunt; ita ut nemo fere ex oppidanis manus ſaevientium omnia et rapientium evaſerit; vixque Sarra et loci praefectus, is erat Hieronymus [a] Venerius, a purpuratis ſervati ſunt. Sunt qui Martinengum culpa non liberent, quod juſto citius in deditionem conſenſiſſet; cum tamen conſtet Martinengum tunc ex vulnere decubuiſſe, et cum ſententiam rogaretur, praefecto reſpondiſſe, ab homine pugnae inutili fruſtra de ea re conſilium exquiri.

CIƆIƆLXXI.
CAROLUS IX.

XVII. NON eadem, quae Martinengi, et Alexandri Donati, virtus fuit in defendendo [b] Antivaro valido ac munito oppido; quod ille ubi de [c] Ulcinio dedito cognovit, non expectato exercitus aut claſſis adventu, ultro obviam purpuratis procedens, pacta praeſidio et oppidanis incolumitate, tradidit. Et conſtitit quidem Turcorum fides erga oppidanos, quorum magna pars a ſacris Chriſtianis deſciv ere: at praeſidiarii omnes, quaſi gratia ob ignaviam indigni, in ſervitutem abducti ſunt. Donatus, cum ejus inſigne flagitium ad perfidiae interpretationem ſenatus Venetus revocaſſet, jure civitatis ipſe atque ejus poſteritas privata eſt, omnique Veneta ditione maritima ac terreſtri exterminatur. Antivari exemplum ſecuta eſt [d] Budua in Rizonico ſinu, quae et non viſo hoſte deditionem fecit, ſine ulla tamen Auguſtini [e] Paſqualici praefecti nota, quem loci infirmitas facile excuſavit: eam ſiquidem mox Zacharias Salomon Cathari praefectus maritimis ac terreſtribus copiis admotis recepit. Inde inter Turcos agitatum, Catharumne ducendum eſſet, an propter inclinatam anni tempeſtatem, exeunte jam Sextili, a longiore obſidione ſuperſedendum, et quidvis aliud tentandum. Tandem placuit Conſtantinopolim mitti ad exquirendum imperatoris imperium; quod dum adveniret, ne interim tempus inutile elaberetur, ad interiora ſinus cum claſſe penetrare placuit. Igitur miſſi Craidia, quem alii [f] Coracozanum vocant, piratarum praefectus, et Uluzalis regni [g] Cirthae vicarius, cum LX triremibus VI Eid. Sextil. qui [h] Caſtrum-novum, et inde [i] Curzolim, quae Corcyra nigra fuiſſe multis creditur, peterent; cui minus damni ex eo illatum, quod Antonius [k] Balbus inſulae praefectus ſtatim eam pari cum Donato ignavia deſeruit, ob id perpetuo exilio a ſenatu mulctatus: quod illius et virorum, qui cum eo erant, flagitium magis inſigne reddidit mulierum virtus, quae, auctore ac duce Antonio [l] Roſſeleo Dalmata loci antiſtite, galeis, loricis, ac telis, quae fugientes reliquerant, armatae, muro conſcenſo cum frequenti corona ſpeciem armatorum egregie ad defenſionem paratorum praeferrent, capiendi oppidi ſpem hoſtibus praeciderunt; qui illo non tentato ad [m] Leſinam deflectunt: oppidum nec ſitu nec arte munitum mox praefectus deſerit, et ſe in arcem recipit: Turci vero de arcis expugnatione deſperantes oppidum ſubjectum incendunt, et per averſam inſulae partem diſcurrentes, cum inſulanos obvios habuiſſent, ab iis in fugam vertuntur. [n] Bacia item et [o] Liſſa Dalmatiae inſulae praedis et incendiis populatae, et CIƆIƆ amplius capita in illa ora in ſervitutem a Coracozano abducta.

Inde

INTERPR. [a] *Veniero.* *Antivari.* [c] *Dolcigno.* [d] *Budoa nel golfo di Cattaro.* [e] *Paſqualigo.* [f] *Coracoſa.* [g] *Baſcha d'Alger.* [h] *Caſtel nuovo.* [i] *Curzola.* [k] *Balbi.* [l] *Roſſeleo di Dalmatia.* [m] *Lieſina.* [n] *Iſola del Faro.* [o] *Liſſa.*

CIↃIↃLXXI. Carolus IX. Inde Turci claſſe conſcenſa [a] Cathari ſinum, in quo claſſis ſtabat, nullo alio operae pretio facto, ſe conferunt.

XVIII. Eam cladem Chriſtianae reipublicae hoc anno et ſequenti importatam multa adverſa ſigna portenderunt; et inprimis terrae motus, qui Venetiis incepit, et inde Florentiae in [a] Etruria, [b] Finalio in Liguribus, [c] Mutinae, Regii Lepidi, et Corregii in Gallia togata graſſatus eſt; ſed inprimis Ferrariae, quae olim aedificiis tota Italia ſpectabilis, ruinis ab eo tempore foeda, nunc tantum priſtinae urbis cadaver eſt, collapſis pleriſque privatorum aedibus, aut ribicinibus ad horrorem ſuffultis: ipſe princeps tunc arce quaſſata cum comitatu ſuo aliique nobiles in hortos ſecedere ac ſub tentoriis degere toto Novembri coacti fuere; vixque gravi poena plebs retenta, quo minus urbe relicta alio migraret. Terrae motum inſolitae aquarum inundationes aeque prodigioſae ſecutae ſunt. [d] Spirae in Nemetibus, cum adhuc comitia in civitate haberentur, Rhenus VIII Eid. Dec. adeo intumuit, ut in parte urbis templo primario contigua, ubi per muri clathros piſcatoriae naves ex [e] Leporino lacu in Rhenum exire ſolent, aqua exundans lineam quadrato lapidi anno ſalutis CIↃCCCCCXXC, quo maxime exorbitavit Rhenus, inſcriptam attigerit: quod et [f] Argentinae ac vicinis locis contigit, magno oppidanorum, et majore agrorum damno. Apud nos [g] Rhodanus in tantum excrevit, ut [h] Guilloteriam Lugduni ſuburbium cum pontis impoſiti parte paene ſubruerit: nec longe a Geneva, ubi Rhodanus Lemanum lacum praeterlabitur, ad anguſtias quas [i] Cluſuras vocant, aquarum vi ex vicino monte revulſa in fluvium ſubjectum mole ita obſtructus eſt alveus, ut accedente [k] Arvae perenni fluxu regurgitans aqua retro ferretur, et ſtupentibus cunctis molatrinarum rotae piſtrinarios lapides adverſo flumine torquerent.

VAR. LECT. [a] Catari. *D. f. o. d. ubique*

INTERPR. [a] *la Toſcane.* [b] *Finale nella riviera di Genoua,* [c] *Modena, Reggio, & Corregg'o en Lombardie.* [d] *Spire.* [e] *l'eſtang des lievres,* Germ. *Haſen-zee.* [f] *Strasbourg.* [g] *le Rhône,* [h] *Fauxbourg de la Guillotiere à Lyon.* [i] *pas de la Cluſe.* [k] *l'Arve r.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS.

EPITOME.

FINALIUM in Liguribus ab Hiſpanis interceptum. Mirandulae ex inteſtinis odiis res turbant. II. *Joannes Auſtrius in Italiam venit, et inde ad claſſem Chriſtianam Meſſanae haerentem contendit. Conſultantes duces rurſus diſſident.* III. *Turcica claſſis in Ambracium ſinum, Cephalenia vaſtata, ſe recipit: Chriſtiana vix poſt multas tergiverſationes in viam ſe dat.* IV. *Echinadum inſularum et Corinthiaci ſinus deſcriptio. Ad Leucadem commiſſum memorabile proelium. Halis occumbit, Perthaus fugit, Uluzalis capeſſit pugnam et apertis noſtris in altum evehitur; victoria penes Chriſtianos ac praecipue Venetos, quibus Seb. Venerius praeerat, remanente: eam tamen funeſtam fecit Auguſtini Barbarici mors. Praeda ingens inter belli duces diviſa.* V. *Pontificis ad Philippum de foedere legatio; in qua et de juriſdictione regia in Sicilia et origine illius acriter jam tum diſceptatum fuit. Inde ad Luſitanum tranſitus, et de matrimonio Margaritae regis ſororis, quae Navarro deſponſata erat, cum Sebaſtiano actum.* VI. *Arabas et Perſas contra Turcum pontifex ſollicitat, et ad Mennam Aethiopum regem ſcribit: Uluzalis et clam ſollicitatus.* VII. *Columna ovans urbem ingreditur, et a M. Ant. Mureto publice laudatur. Halis in pugna occiſi filii a Philippo pontifici donati.* VIII. *Humiliatorum Ordinis in Inſubria origo: ejus ob opes nimias diſciplinam collapſam dum reſtituere conatur Carolus cardinalis Borromaeus, ſcloppeti ictu inſidioſe petitus, evertendi et prorſus abolendi cauſam praebuit, contra obnitente Philippico oratore Jo. Zuñica.* IX. *Apud nos initio anni cum Rupellanis regii delegati agunt, et Proteſtantium querelas audiunt.* X. *Tumultus ſub id Rotomagi ſecutus, ad quem compeſcendum Fr. Momorantius equitum tribunus cum delegatis e ſenatu Pariſienſi miſſus. Arauſione item tumultuatum. Rupellae ſynodus habetur, ubi et de collatione pecuniae ad Germanorum ſtipendia a Navarra, cum filio, Condaeo, et Colinio agitur.* XI. *Rex ſolemni pompa Lutetiam ingreditur, et mox regina uxor; in ſenatum ſexto poſt die venit: oratio ejus, et judiciarii ordinis ſordibus corrupti ſugillatio; ad quam moderate Thuanus primarius praeſes reſpondet. Martio exeunte Elizabetha regina more ſolemni ad Dionyſii fanum corona inſignitur.* XII. *Edictum de non geſtandis armis; quod mox ſecutus ex alia cauſa tumultus Pariſienſis, quem praeſenti virtute Franc. Momorantius urbis praefectus diſcuſſit.* XIII. *Sabaudus Jacobae Intramontanae cum Colinio matrimonium interturbare conatur. Cardinalis Caſtellionaei in Anglia obitus; qui dum viveret, de Andini cum Eliſabetha Angla matrimonio ſermonem injecerat.* XIV. *Rex Bloeſas concedit ad Navarram, filium, Condaeum et Colinium excipiendos. Cum Burgolii in Turonibus eſſet, caedes Lignerolii patratur, variaeque ejus cauſae referuntur. Colinii ad aulam adventus et gratulationes.* XV. *Joachimi Brandeburgici ſeptemviri*

ex veneno obitus: Jo. Brandeburgici item. Pleſſia familia in Saxonia extincta. Mors Jo. Sigiſmundi Tranſilvani: item Georgii Thuvrii. XVI. *Virorum literis clarorum obitus; Cl. Eſpencaei, Henrici Scrimgeri, Lud. Caſtelvetri, Georgii Fabritii, Joachimi Merlini.* XVII. *Anabaptiſtis inſtitutum a Friderico Palatino Frankentalae interpoſita fide publica colloquium.* XVIII. *Prodigia et ſpectrum Pragenſe.* XIX. *Res in Livonia inter Moſcos turbant, Torpato, paulum abeſt, intercepto. Moſca a Tataris occupata et incendio praeter arcem omnis vaſtata.* XX. *Propter decimae exactionem ab Albano imperatam in Belgio motus excitatus. Louvenſtenium Arauſionenſis inſtigatu ab Hermano Ruitero interceptum, et mox receptum. Joannes Cerda Medinae dux ſucceſſer Albano datus. Commotis paſſim animis ob Albani duritiem, Gulielmus Marcianus Lumaeus e Britannia in Batavos deſcendit, et Brielam capit ac munit.* XXI. *In Britannia legati a novo prorege Londinum veniunt, qui novis probationibus allatis Mariam parricidii convictam oſtendere nitebantur, et ipſam dedi ac legibus contra eam agi debere contendebant.* XXII. *Britannoduni arcis ſitus: ea intercepta conatu audaci, et archiepiſcopus ſani Andreae in ea captus, ac praecipitato judicio, quod deceſſoris ſui caedi participaſſe diceretur, proregis mandatu laqueo ſuſpenſus. Inde ſciſſum factionibus regnum. Prorex cum regiis Sterlini, Hamiltonii Edimburgi comitia celebrant.* XXIII. *Sterlinum aſtu interceptum, et in eo prorex oppreſſus et occiſus. Areskinus ei ſuffectus poſt annum morte repentina ereptus. Interea per Rob. Ridolſum et Roſſenſem epiſcopum cum Norfolcio de nuptiis Mariae actum; dum diverſa parte de ipſius Eliſabethae cum Andino nuptiis per legatos a regina matre miſſos ageretur.*

Ex auctoribus,

Petro Bizaro, Uberto Folieta, Steph. Luſiniano, P. Contareno, Hier. Catena, S. Schardio, D. Chytraeo, Imm. Meterano, B. Mendoza, H. Fr. Conneſtagio, Jo. Parvo, Georg. Buchanano, Guil. Camdeni annalibus Elizabethae.

LIBER QUINQUAGESIMUS.

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

COPIAE interea a Gabriele [a] Cueva Albuquercii duce, qui [b] Mediolano cum ſummo imperio praeerat, per [c] Galliam Togatam Philippi nomine paſſim in belli contra Turcos ſuſcepti uſum conſcribebantur; quae mox ſuſpicione Hiſpanis injecta aut potius ab ipſis affectata, ne Alfonſus [d] Carrectus Finalii marchio, qui jam diu in aula Caeſarea inutiliter tempus terebat, de ditionis ſuae populis a Genuenſium republica ad defectionem ſollicitatis ac rebellantibus ſatisfieri ſibi petens, ex deſperatione rerum ſuarum ad Gallorum vicinorum patrocinium confugeret, [e] Liguriam verſus promoventur; ſpecie initio, ut inde in naveis imponerentur, quamprimum [f] Auſtrius ex Hiſpania, qui in dies exſpectabatur, Genuam appuliſſet: ſed mox omnis impetus nec inopinato in Finalium converſus, duce Beltramo Cueva Albuquercii fratris filio, cui propter ſplendorem generis alioqui omnium rerum maxime inexperto id munus datum eſt. Is igitur cum vera

Italorum,

INTERPR. [a] *de la Cueva duc d'Albuquerque.* [b] *Milan.* [c] *Lombardie.* [d] *del Carretto marcheſe de Finale.* [e] *le Genoveſat.* [f] *Don Juan d'Auſtria.*

Italorum, quos Sigiſmundus Gonzaga ducebat, et CIƆ Hiſpanis peditibus et Mediolanenſis principatus equitatu, juſſis praeſidium accipere oppidanis, ſtatim admiſſus eſt: verum Joannes Albericus Carrectus marchionis gentilis cum arcem tradere recuſaret, locus corona cingitur: qua de re mox certior factus Caeſar, expoſtulante de injuria apud eum marchione, quae et imperio, ad quod Finalium pertinet, et ſibi graviſſima ab Hiſpanis fieret, miſſi a Caeſare delegati, qui intercederent, et Hiſpanos ab obſidione revocarent: quod veriti illi, quanta poſſunt celeritate obſidionem urgent, ut capta interea arce antequam illi advenirent, honeſtius ſe excuſare poſſent, quod Caeſaris dictis minus audientes fuiſſent. Itaque ducta, quantum loci anguſti et acceſſu difficilis incommoditas patiebatur, propius foſſa, et admotis VIII tormentis, cum initio praeſidiarii C circiter numero gnaviter ſe defendiſſent, graviter vulnerato [a] Delfino primario inter eos ordinum ductore, tandem cum nulla ſubſidii ſpes eſſet, poſt ingentem muri ſtragem editam, his conditionibus deditionem fecere; ut vita ac rebus ſalvis ſibi exire liceret; jura ſua, ac fructuum et vectigalium perceptio marchioni ſalva eſſet. Captae arci a Beltramo impoſitum CCC Hiſpanorum praeſidium; et legatis Caeſareis, qui interea advenerant, ab [b] Albuquercio reſponſum, ſerius eos veniſſe, quam ut ipſorum deſiderio ſatisfieri poſſit; nam res integras amplius non eſſe: ſed ſcire ſe optime Philippo cum Caeſare convenire, nec dubitare, quin facti rationes, quas habeat Philippus, Maximiliano et ceteris imperii principibus et ordinibus probaturus ſit. Ita Hiſpani belli ſacri praetextu et Gallorum obtento metu, qui nihil tamen toto eo tempore in Italia movebant, Finalium juris ſui fecere. Quo facto non mediocriter commoti ceteri Italiae principes, et Coſmus imprimis; qui cum intelligeret, quam malo erga ſe animo Hiſpani eſſent, et [c] Orbitelli, Plombini, et ad Portum Herculis cuſtodias duplicatas videret, ſibi cautius agendum exiſtimavit, [d] Solani in Umbriae finibus, ad [e] fanum Martini, Mugelli et Piſtorii munitionibus perficiendis et novis praeſidiis imponendis intentus, ne exemplum a Finalio coeptum in [f] Senenſem provinciam, cui inhiare Hiſpanos ſciebat, forte deſineret. Eodem tempore etiam Mirandulae res turbavere. Nam Fulvia Corregia Galeoti comitis vidua, cum in ſuſpicionem veniſſet, Ludovicum viri defuncti fratrem ac liberorum tutorem, qui olim [g] Lemovicum in Gallia epiſcopus, poſtea vitam ſacerdotalem ejeraverat, occulta conſilia cum [h] Ferrarienſi jamdudum [i] Mirandulanae ditioni inhiante agitare; eum cum Oliva ſorore, quae ſpecie amicitiae ad viſendos fratris filios venerat, intempeſta nocte oppido expellit: moxque ad regem, in cujus patrocinio Mirandula eſt, dat literas, quibus factum neceſſitate excuſabat. Arnoldus [k] Ferrerius regius apud ſenatum Venetum orator, cui id negotii datum fuerat, cum de re per indicia ac probationes diligenter cognoviſſet, ad regem retulit; qui non ſolum id diſſimulavit, ſed tutelam Galeoti liberorum Corregiae matri attribuit, et CC militum praeſidio duce [l] Artuſerio locum firmavit.

CIƆIƆLXXI.
CAROLUS IX.

II. JAMQUE M. Antonius [m] Columna cum XII triremibus, et cum eo Alfonſus [n] Apianus Coſmi triremium praefectus, [o] Meſſanam venerat; ubi cognito claſſem Venetam [p] Corcyrae adhuc, nec ſine periculo, vicina adeo Turcica claſſe, haerere, per literas et internuncios [q] Venerium ſollicitat, ut inde ſe in Siciliam quamprimum conferat; quod et ille haud ſegniter fecit, prius monitis [r] Quirino et Canalio, qui in [ſ] Cretae portubus haerebant, ut ipſi quoque navibus undique contractis e veſtigio eodem proficiſcerentur. Interea [t] Joannes Auſtrius bello Granatenſi confecto cum

in

INTERPR. [a] *il capitano Delfino da Chiaſleggio.* [b] *duc d'Albuquerque.* [c] *Orbitello, Piombino, & Porto Hercole.* [d] *citta del Sole nella Romagna.* [e] *San Martino, Mugello, & Piſtoia.* [f] *le Siennois.* [g] *Limoges.* [h] *duc de Ferrare.* [i] *comté de Mirandolo.* [k] *du Ferrier.* [l] *l'Artuſie.* [m] *Colonna.* [n] *d'Appiano.* [o] *Meſſine.* [p] *Corfu.* [q] *Veniero.* [r] *Quirino, & Canale.* [ſ] *Candie.* [t] *Don Juan d'Auſtria.*

CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX.

in aulam veniſſet, accepto commeatu [a] Barcinonem venit, et duabus Hiſpanorum legionibus, quarum alteri Michael Moncada, alteri Lupus Figueroa praefectus eſt, in naveis impoſitis ſolvit, adducto ſecum Rodolfo et Erneſto Auſtriis Caeſaris filiis, et relictis in aula Philippi Alberto et Wenceſlao alteris ejuſdem filiis; octoque dierum navigatione uſus VII Kal. Sextil. [b] Genuam appulit. Jam ante ejus ex Hiſpania diſceſſum Ludovicus Requeſenes, ei legatus a Philippo datus, ad ea quae erant ad profectionem neceſſaria expedienda praemiſſus fuerat. Ipſe Genua, ut amiſſi temporis jacturam diligentia ſarciret, Alvarum [c] Baſſanum marchionem S. Crucis triremium Neapolitanarum praefectum [d] Neapolim in eandem rem proficiſci jubet cum legione Hiſpanica, quae ibi aliquot dierum quiete ſe a laboribus bello Granatenſi exhauſtis reficeret. Inde Kal. Sextilibus ſolvit, Jo. Andrea [e] Auria Genuae cum triremibus ſuis et nonnullis onerariis, et Joanne Cardona Siculae claſſis praefecto cum XXVIII triremibus in [f] Lunae portu relictis, qui legiones Germanicas, quibus Albericus Lodronius et Vinciguerra [g] Arcuenſis comes praeerant, et Italas copias, quas Sigiſmundus Gonzaga ducebat, ſecum portarent. Ad VI Eid. Sextil. ubi Neapolim venit, accepto ibi per Antonii [h] Perrenoti cardinalis nuper regno praepoſiti manus ſummi imperii inſigni, id erat ſceptrum a pontifice miſſum, e veſtigio inde Cardonam [i] Panhormum praemittit. Ipſe cum cohorte Italorum, cui Paulus Sfortia praeerat, Meſſanam iter intendit, relicto Neapoli Baſſano cum XXX triremibus et aliquot onerariis, qui ſe cum copiis, quas [k] Sarnius comes ducebat, ſubſequeretur. Igitur cum nulla tempeſtate retardatus Meſſanam veniſſet, a Columna et Venerio laetitia ingenti exceptus, poſtridie, quam in terram exſcenderat, concilium in praetoria coegit; cui praeterea interfuere Ludovicus Requeſenes, Pompeius Columna, et Auguſtinus [l] Barbaricus. Heic Joannes pro ſe pauca admodum modeſte locutus, excuſata praeteriti temporis mora, ad id, quod inſtabat, cunctos hortatur; et quas vireis ſecum vehat, oſtendit, nimirum XXCI triremeis, XXII onerarias, peditum XXIICIƆ, quorum VIIICIƆIƆCCC Hiſpani ſint, XICIƆ Itali, reliqui ad IIICIƆ Germani, cum magna tormentorum ac reliqui apparatus copia, inſigni praeterea procerum ac primariae nobilitatis flore, quos generoſus animi impetus et divinitus menti praelatum lumen ad vitam religioni et gloriae devovendam impulit. Tum deplorata Veneti ſtatus calamitate, eamque Philippo non minus quam ipſi reipublicae dolere teſtatus, de malevolorum ſparſis rumoribus oblique conqueritur, quos non verbis ſed factis refutaturus veniat, reque ipſa comprobaturus, non fugiendi proelii moras hactenus, ut illi jactitent, quaeſitas, ſed neceſſitate retardatis auxiliis damnum acceptum, quod nunc induſtria, diligentia et paratis ad omnia diſcrimina animis reſarcire cupiat. Huic a Columna gratiis actis, et rebus omnibus ad profectionem comparatis, cum nihil aliud expectaretur, quam reliquae claſſis Venetae a [m] Creta adventus; Venerius inſtare, ut ſolvere et hoſtilem claſſem petere non cunctaretur. Contra [n] Auſtrius eaſdem, quas ſuperiore anno Auria, moras quaſi ex compacto affectare, et negare, quamvis maxime Venetorum damnis moveretur, quorum portus, ditiones, inſulae miſere ac lugubri bello a Turcis diripiantur et incendantur, ſe prius [o] Meſſana diſceſſurum, quam univerſa claſſis convenerit; nam et numero et omni re claſſem hoſtilem ſuperiorem; neque ſe commiſſurum, ut claſſem Chriſtianam, in qua ſalus publica periclitetur, in manifeſtam perniciem praecipitet: hujuſque ſententiae Aſcanius [p] Corneus auctor exſtitit, quam ſcripto complexus eſt. Itaque miſſus Aegidius

INTERPR. [a] *Barcelona.* [b] *Genoua.* [c] *de Baçan marquis de Santa Cruz.* [d] *Naples.* [e] *Doria.* [f] *le golfe de la Specia.* [g] *d'Arco.* [h] *Perrenot cardinal de Granvelle.* [i] *Palermo.* [k] *di Sarno.* [l] *Barbarigo.* [m] *Candie.* [n] *Don Juan d'Auſtria.* [o] *Meſſina.* [p] *della Cornia.*

Andrada Hiſpanus homo impiger et rei navalis peritus cum duabus expeditis triremibus, qui de hoſtium conſiliis cognoſceret.

III. TURCI vero, ubi reſcivere noſtros Meſſanae conveniſſe, protinus [a] Cataro ſolvunt et [b] Corcyram petunt; ubi in ancoris XV dies morati ſunt, inſulae ſuburbiis, cum in homines ſaevire non poſſent, miſerabili incendio ubique deformatis; decernere certi, ſi ſe occaſio obtuliſſet. Tandem dimidio Septembri exacto cum tempus claſſis dimittendae inſtaret, Corcyra relicta iter [c] Byzantium verſus intendunt, in itinere rurſus caedibus, rapinis et incendiis Cephalenia vaſtata ac direpta; et exeunte Septembri in ſinum [d] Corinthiacum ſe receperunt. Inde miſſi Byzantium, qui ſtatum claſſis exponerent, et quid imperator juberet, intelligerent: miſſus et [e] Caragealis a [f] Perthao purpurato famoſus toto illo mari pirata, ad exploranda noſtrorum conſilia. Sed cum jam multum anni proceſſiſſet, neque quidquam amplius eo anno geſtum iri appareret, dimiſſi, qui ſponte militiae nomen dederant, homines piraticae aſſueti, qui praedae ſpe cum LX navigiis egregie armatis ſe claſſi Turcicae conjunxerant, quod nullus jam ipſorum uſus fore putaretur, et Turci rebus feliciter ubique ea aeſtate geſtis quieturi crederentur. Perthaus igitur refecto [g] Naupacti milite, ac relicto Hali cum CL triremibus in ſinu Ambracio, qui otam tueretur, Byzantium proficiſcitur. Interea claſſis, ea erat LX triremium, quae in [h] Creta apparabatur, ad ſubſidia Famaguſtam ſubeunda, cognito urbis caſu, et accepto Venerii imperio, Meſſanam verſus iter intendit, quo tandem pervenit; fueruntque omnino Venetae triremes CIX, ac majores VI, reliquae ex omni numero: nam VI vina ex Calabria portantes, cum adhuc Meſſanae claſſis eſſet, naufragio perierunt; III a Turcis captae, II ad Corcyram, I ad Cephaleniam; XI in ſinu, et III majores, remanſerunt, quae variis caſibus jactatae cum reliqua claſſe ſe conjungere nequiverunt. Ubi Andrada rediit, commodum claſſis Veneta e Creta veniens appulit. Tum de ratione belli inter duces agi coeptum. Cumque Venerius apud Auſtrium inſtaret, ut omni mora omiſſa ſe in viam daret, et hoſtem nactus cum eo confligeret; ſi autem pugnam detrectaret, ad eam neceſſitatem quavis ratione adigeret; heic rurſus haeſitare Auſtrius, et quamvis palam non obniteretur, re tamen in privatis conſiliis ſaepius inter ſuos agitata multum temporis bello gerendo exemptum eſt: nam affectata non mora, ut antea, ſed diſſenſione alter non ſolum ab altero, ſed ſecum ipſi proceres diſcrepare, nihil cuiquam in tam dubia re certi ſtabiliſve conſtare, ſed fluctuantibus huc illuc animis modo in hanc modo in illam ſententiam inclinare; quinetiam nonnulli perplexantes animi ſenſum non ſatis nudare: nam alii periculi magnitudine propoſita et in majus exaggerata a proelio abſtinendum cenſere; contra qui pugnam ſuadebant, dedecus et ſempiternae ignaviae notam ea re nomini Chriſtiano inuri dicere: nam quo tantorum conſiliorum apparatum ſpectaſſe? aut quo tot commeatus pertinuiſſe? quorſum tot copias, tot duces ex tam diverſis orbis partibus conveniſſe? an ut cladium Venetorum, qui antea ſemper ab omni diſcrimine abhorrentes, nunc mutatis cum fortuna conſiliis proelium urgent, ſpectatores eſſent, et clariſſimae toto orbe civitatis periculum Philippo ipſique Auſtrio cum magna omnium bonorum offenſione ludibrio fuiſſe videatur? ſuadere igitur, ut proelio cum hoſte decernatur; et quoniam noſtri milites tecti pluteis atque armis in Turcos omni integumento et armis nudatos ictibuſque obnoxios ſint ſcloppetos diſploſuri, quibus tandem hoſtes, ſi diu hoc fiat, abſumantur, ea ratio inter proeliandum ſervetur,

ut

INTERPR. [a] *Cattaro* [b] *Corfu.* [c] *Conſtantinople.* [d] *Golfo di Lepanto.* [e] *Caragiali.* [f] *Pertau baſſa.* [g] *Lepanto.* [h] *Candie.*

CIↃIↃLXXI. ut gravi edicto milites ab inſiliendo in hoſtilem claſſem pugnaque comminus
CAROLUS IX. gladiis committenda prohibeantur; qui Turcis ſcloppetorum ictibus partim occiſis, partim vulneribus ad pugnam et ad arma ſuſtinenda inhabilibus, tunc demum non ad dubium proelii eventum, ſed veluti ad victos vinciendos et capiendos inſiliant. Additi ad ea ſtimuli ex comparatione Henrici [a] Andium ducis, qui regis frater non otio marceſcens, neque ad exercitum ſpectabundus ſegne tempus tereret, ſed arma tractando ac diſcriminibus ſe offerendo in ipſius adoleſcentiae initiis nomen ſuum toto orbe celeberrimum feciſſet. Haec coram Auſtrio inter Requeſenem, [b] Baſſanum, Jo. Andream [c] Auriam, Cardonam, Jo. Franciſcum [d] Landrianum Siciliae proregem, [e] Sfortiam Sanflorianum Italicarum copiarum ducem, Aſcanium [f] Corneum caſtrorum praefectum, Gabrielem [g] Serbellonum, qui rei tormentariae praeerat, Plegi comitem, et Franciſcum Ibarram ſummum quaeſtorem acta, repetitis ſaepius conſiliis; quibus et aliquando interfuere Alexander Farneſius Parmenſium ducis filius, Franciſcus Maria [h] Roboreus [i] Urbinatium ducis filius, Paulus Jordanes Urſinus, et ob pontificis reverentiam Michael [k] Bonellus Alexandrini cardinalis frater, juvenis ex ſartoria ad imperatoriam paene dignitatem inſolenti fortunae jocantis beneficio evectus. Aderat et Paulus [l] Odeſcalcus epiſcopus Pennenſis, qui pontificis nomine [m] Auſtrium ac ceteros duces ad proelium hortabatur certa ſpe victoriae facta; ſic enim ſpondere Chriſti vicarium, cujus caſtae menti aſſiduis precibus Dei benignitatem ac miſericordiam imploranti ea fiducia divinitus inſpiretur. Tandem pudore magis quam ratione ulla, quam ipſe ac ceteri, qui circa eum erant, Hiſpani probarent, victus Auſtrius coram univerſo procerum ac ducum coetu, ut omnes ſe ad proelium pararent, edixit: cujus ſententiam ſummus omnium plauſus conſecutus eſt, etiam eorum, qui minus volebant; qui et hoc ſibi perſuaſerant, hoſteis Cypri regno ac Dalmatiae tot oppidis Othomanico imperio adjectis, rebuſque mari ac terra feliciter geſtis, jam inclinante tempeſtate et dimiſſa claſſe, proelii copiam minime facturos. Auſtrius ergo, qui non minus ſociorum quam regiam claſſem curae ſuae commiſſam videret, omneis claſſeis luſtrat, et Venetam ceteris rebus affatim inſtructam, ſed fere bellatoribus nudam cum comperiſſet, IV CIↃ peditum ſupplevit; quorum CIↃCIↃ Hiſpani, reliqui Itali fuerunt: ſuppletae item Genuenſes ac Sabaudianae: nec onerarias ſibi negligendas duxit; in quas Germanos impoſuit, iiſque Joannem Davilam praefecit. Sic autem etiam in itinere aciem inſtruxit, quaſi in horas pugnaturus eſſet, quadripartito ordine, ita ut tres acies aequa fronte diverſi coloris vexillis diſtinctae antecederent, tanto vacui loci ſpatio inter ſingulas relicto, quantum quatuor triremium alvei occuparent; quarum dextram, in qua L triremes erant, in altum verſam Auria ducebat; ſiniſtra, quae in itinere faciendo litus legeret, Auguſtino Barbarico attributa eſt cum pari triremium numero; mediam LX triremium Auſtrius ſibi ſumpſit: Alvarus Baſſanus ultimum agmen cum XXX triremibus claudebat, ad omneis caſus et omnibus locis, in quibus laboraretur, praeſto futurus: VI triremes majores Venetae vento deficiente remulco trahebantur, binae ante ſingulas acies ſtatutae, quae primos hoſtium impetus exciperent, ac veluti arces imminentes diſploſis magna vi machinis tanquam crebra grandine ordines hoſtileis perrumperent, atque aciem eorum disjicerent; quo in conſilio non parum momenti fuit: praeterea X triremes extra ordinem ſervatae ſunt ad ſubitos proelii caſus; negotio dato Joanni Cardonae, ut cum VIII delectis, iis praeerant Marius Contarenus

INTERPR. [a] *Anjou.* [b] *de Baçan, marquis de Santa Cruz.* [c] *Doria.* [d] *Landriano.* [e] *Sforza conte di Santafiore.* [f] *della Cornia.* [g] *Serbellone, conte di Pliego.* [h] *della Rouere.* [i] *d'Urbino.* [k] *Bonelli.* [l] *Odeſcalco, evêque de Penne.* [m] *don Juan d'Auſtria.*

[a] Contarenus, [b] Vincentius Quirinus, [c] M. Ciconia, Petrus Franciſcus [d] Malipetrus, CIↃIↃLXXI.
David [e] Imperialis, ſpeculabundus praecederet. His ita inſtructis XVII Kal. Oct. CAROLUS IX.
ſolvit, pridie onerariis praemiſſis. Trium dierum navigatione curſus ad Lacinium promontorium fuit, quod hodie caput [f] Columnarum vocatur, ubi totidem dies ſubſiſtere coactus eſt, reſtante Aquilone: et cum Venerius ſuaderet ut Cephaleniam tenderent, quo hoſti e [g] Corcyra, ubi eum adhuc haerere poſtremis nunciis allatum erat, ſe ad ſua recipienti in itinere intercepto neceſſiras pugnandi imponeretur; Auſtrius adverſo vento nequaquam eo tendendum, ſed Corcyram petendam cum univerſa claſſe cenſuit; et ea ſententia tenuit. Secundum haec miſſi ab Auſtrio [h] Baſſanius [i] Tarentum, et [k] Canalius a [l] Venerio [m] Callipolim, ut militem inde acciperent; et eo accepto, Corcyram ſine mora utrique ſe conferrent: Andrada et praemiſſus cum VIII triremibus, qui de hoſtibus cognoſceret. Ipſe Auſtrius Lacinio ſolvens quarto poſt die Corcyram appulit, hoc eſt VI Kal. Oct. eodemque die in continentem trajecit, et [n] Gomenitiarum portum, quem Pelodem quidam veteribus fuiſſe credunt, cuilibet quantumvis magnae claſſi capiendae amplum ſubit. Ibi ad eum Andrada venit, et cum [o] Zacynthum uſque proceſſiſſet, cognoviſſe renunciat, hoſteis in ſinum [p] Corinthiacum receſſiſſe, et LX naveis omnis generis inde a reliqua claſſe receſſiſſe, incertum, utrum Conſtantinopolim petenteis, an ad annonam ac cetera neceſſaria e [q] Peloponneſi urbibus in Africae oram portanda tranſmiſſas. Eodem et tempore [r] Caragealis vetus pirata audax et ſupra opinionem temerarium aggreſſus facinus noctu claſſem noſtram ingreſſus eſt, numerumque navium coram iniit: tum exſcenſione per otium in terram facta, quatuor milites ſeorſim ab exercitu per litus vaganteis capit, captoſque ad Perthanm ſecum abduxit; et inter eos ſeorſim interrogatos cum ſermo conſtaret, ſcilicet claſſem CCVI triremium eſſe praeter VI longas majoris formae, eoque conſilio venire ut proelio decernerent, in concilio hoſtium certatum ſententiis inter ancipitia committendae vel declinandae pugnae conſilia. Nam Halis ingenio ferox et fervore juventae impotens, qui cuperet aliquo operae pretio famam vel cum diſcrimine quaerere, ultro venientibus obviam eundum cenſuit; eique plures aſſentiebantur. Perthaus vero vir gravis et aetate provecta a periculoſo conſilio abhorrebat; ſed paucos adſtipulatores habebat. Uluzalis autem inter eos medius, homo ingenio vafro, neque tam animi dubius, quam orationis homini cauto et alterutrius purpurati offenſionem metuenti aptae, perplexis reſponſis eorum contentionem alebat: nam interdum conſilium pugnandi tanquam tanti imperatoris magnitudini conveniens probabat; interdum vereri ſe dicebat, ne ad tantum certamen parum inſtructi eſſent; ejus vero rei non ſuum, ſed ſummorum ducum judicium eſſe: ſuas quidem privatas triremeis omni re ad pugnandum egregie firmatas, ac praecipue militum numero, quos in ſe recipiat virorum fortium opera edituros, nec ſuam operam defuturam; cujus ſi res a ſe ad hunc diem geſtae non ſatis fidem fecerint, proelium hoc ineundum mox declaraturum. Tandem ab altercationibus res in concilium deducitur; et rogatus inter proceres ſententiam Aſanes Hariadeni [ſ] Ahenobarbi illius Caeſarienſis Proſultani filius, et quod raro inter Turcos accidit, fortunae paternae heres, cum multa magnifice ac vehementer de Othomanici imperii amplitudine, potentia, fortuna, de Turcicae militiae diſciplina, de ducum praeſtantia dixiſſet, elevata interim noſtrorum luxu et licentia corruptorum virtute, ac variis principatibus debilitata potentia, quae in Turcico imperio

INTERPR. [a] *Contarini.* [b] *Vincenzio Quirini.* [c] *Marco Cicogna.* [d] *Malipiero.* [e] *Imperiale.* [f] *capo delle Colonne.* [g] *Corfu.* [h] *de Baçan, marquis de Santa Cruz.* [i] *Tarento.* [k] *Canale.* [l] *Veniero.* [m] *Gallipoli.* [n] *delle Gomenizze.* [o] *Zante.* [p] *golfo di Lepanto.* [q] *la Morea.* [r] *Caragiali.* [ſ] *Barbaroſſa, dey d'Alger.*

imperio unita ac major ſit, ſocios ad pugnam fortiter capeſſendam ſpe certa victoriae hortatus eſt: ſic enim velle, ſic jubere imperatorem; cui non parere in tali occaſione non ſolum ignavum, ſed perinde, ac ſi divinae voluntati obluctentur, impium ſit: idem ſentiebat [a] Caiaſbegus Smyrnae praefectus. Contrariam Aſani ſententiam dixit [b] Mahametes Euboeae praetor [c] Salac Raiſi purpurati filius, homo rei nauticae longo uſu peritus et ab omni vanitate alienus; qui contra virtutis noſtrae exemplis recentibus [d] Melitae, Zigethi, et hoc ipſo anno Famaguſtae editis, ubi non tam Turcicis viribus, quam omni rerum inopia, poſtquam omnia ſumma et fecerunt et perpeſſi ſunt, poſtremo expugnati fuerunt; repetita etiam Rhodienſis obſidionis memoria, neque Chriſtianos contemnendos, neque in claſſe tantum fiduciae ponendum, demonſtravit, ut ſolo nomine Chriſtianam claſſem victum iri ſperandum ſit: neque vero ſic interpretandum imperium Perthao datum, ut dimicaret, ut alieno tempore cum claſſe multis partibus imminuta, quippe cum de pugna amplius non cogitaretur, quicquid virium et maritimi roboris ſupereſt, ſine certamine capiendum prodat, et inani ac temerario conſilio fructum tot victoriarum imprudenter corrumpat: itaque cum exiſtimaret ſummae ſtultitiae eſſe majus decus hoc anno partum, quod nihil movendo certum habeant, pro minore et incerto decore in diſcrimen dare, a pugna, ut abſtineret, ſuaſit. Sed paucos praeter [e] Sirochum Alexandriae praeſidem, et Carabacem Ciliciae maritimae praefectum, ambos veteranos duces, qui tutiora quam ſpecioſa conſilia ſectabantur, ſibi aſſentienteis habuit. [f] Perthauſque memor, [g] Pialim quamvis Selimi generum leviore errore, quod claſſem Chriſtianorum cedentem priore anno perſecutus non eſſet, a dignitate ſummotum eſſe; ad extremum moerens gemenſque, ut qui certam peſtem ante oculos poſitam videret, ad pernicioſum conſilium veluti rapidiſſimo alienae temeritatis aeſtu in contrarium abreptus inclinavit, cum diceret, malle ſe rem proelii quamvis iniqui aleae committere, quam domeſticae invidiae et malevolorum obtrectationibus caput objicere; ſatiuſque ducere hoſtili telo cadere, quam aulici livoris incendio conflagrare: eoque magis ad id impulſus eſt, quod mandatum Selimi, quo pugnam imperabat, dum altercatur, palam ab Uluzali in concilio lectum eſſet. Miſſus interim Mahametes, pugnae dehortator, qui in interiorem ſinus [h] Corinthiaci oram circumvectus copias quantas poſſet, ut in ſubito caſu, contraheret; qui ex arcibus ſinus quinto poſt die cum III CIↃ armatorum venit, fere equitum; quod eſt ad navalis pugnae uſum minime idoneum hominum genus. Mahumetus item Peloponneſi [i] praetor CIↃIↃ equites ex arcibus et praeſidiis circumpoſitis detractos ſecum ad claſſem adduxit. Miſſus et [k] Coracoſa pirata impiger, qui de rebus noſtris propius ſpeculando exploraret. Sed accidit tum caſus, qui ex levi cauſa magnae inter duces offenſionis occaſionem praebuit, ac paene foedus ipſum diſſolvit. Ordinum quidam ductor ex eorum numero, qui ab [l] Auſtrio ad claſſem Venetam ſupplendam commodati fuerant, multa quotidie licentioſe ac contumelioſe cum faceret, monitus, cum non ſolum arroganter reſponderet, etiam ob id comprehendi a Venerio juſſus, quod illi in commodatas copias licebat, miſſum lictorem interfecit. Tam atroci facto irritatus Venerius non jam hominem vinciri, ſed eum et cum ipſo reſiſtenteis captos ſtatim ſuſpendi imperat, Auſtrii injuſſu illoque minime conſulto. Nec aequiore id animo tulit ille, tum ſua ſponte, tum ab Hiſpanis faces animo incenſo admoventibus inſtigatus, qui occaſionem conſilii de pugna abrumpendi ſecundam reperiſſe rati, auctores Auſtrio

fuerunt,

INTERPR. [a] *Cayabeg, ſangiac de Smyrne.* [b] *Mehemet, bei ſangiac de Negrepont.* [c] *Sali Rais baſſa.* [d] *Malte.* [e] *Mehemet Sirocco, ſangiac d'Alexandrie.* [f] *Pertau baſcha.* [g] *Piali baſcha.* [h] *golfo di Lepanto.* [i] *ſangiacco della Morea.* [k] *Coracoſſa.* [l] *don Juan d'Auſtria.*

fuerunt, ut eaſdem poenas pro temeritate ſua a praefecto ipſo exigeret: ſed M. CIƆIƆLXXI.
Antonii Columnae et Auguſtini Barbarici prudentia effectum eſt, ut quod ira CAROLUS IX.
praecipiti Venerius peccaverat, moderatione ac lenitate ipſius ſarciretur; et exulcerati inde utrinque animi, obverſante ante oculos concordiae neceſſitate, pro tempore ſancirentur. Itaque urgente apud Auſtrium Columna, ut omiſſis prave conſulentibus ſeipſum vinceret, et potius de hoſte quam de privata injuria cogitaret, tandem irae moderari ſtatuit imperator; re ita compoſita, ut dum de cauſa cognoſceretur, Venerius in ipſius conſpectum non veniret, ſed in locum illius Barbaricus deliberationibus intereſſet. Tum rurſus reſumpta de pugna conſilia; in quorum explicatione denuo variatum eſt, cum Hiſpani, qui nunquam rem eo deventuram ſperantes tandem in pugnam pudore conſenſerant, quo ejus occaſionem praeter opinionem oblatam eluderent, retro in ſinum [a] Hadriaticum flectendum iter ſuaſerunt, et aliquam e Dalmatiae urbibus nuper a Turco captis corona cingendam; quo facto proculdubio venturam ſubſidio Turcorum claſſem, cum qua aequo marte decernerent, et quam alioqui intra [b] Corinthiacum ſinum, quo ſe receperat, aggredi citra periculum non poſſent. Quae ſententia fugientis potius quam quaerentis certamen, cum plena ludificationum merito Venetis videretur, illi contra fauces Corinthiaci ſinus inſidendas cenſebant: rati haud dubie ſuperbi animi Turcum peti ſe ac laceſſi impatienter ferentem ultro proditurum; aut ſi ad pugnam non exeat, turpiſſimam timoris confeſſionem ab ipſo extortum iri. Tertia ſententia fuit, ut omiſſa puerilis ac ridiculae jactantiae aura, mediam viam inſiſterent, neque retro curſum flectendo, neque in manifeſtum periculum, hoſte intra munitiones ſuas, ex quibus vero ſimile non fiebat ipſum certamini imparem exiturum, laceſſendo; ſed porro ire pergerent, ac [c] Navarrinum et Methonem vel aliam opportunam Peloponneſi urbem tentarent, utilitatem ac ſolidam gloriam inde reportaturi: neque enim paſſuros Turcos urbes ſuas ante ipſorum oculos expugnari; quibus ſi auxilio veniant, copiam ſui ex aequo facturos; quod ſi periculum ſuorum negligant, captis aliquot urbibus Graeciam gravi jugo oppreſſam in ſpem libertatis erectum iri. Secundum haec decretum eſt, ut porro ire pergerent, et conſilia ad occaſiones accommodarent, omnemque pugnae facultatem, quam primum caſus dederit, arriperent. Igitur omnibus proviſis, relicto [d] Epiri litore v Non. Oct. iter in Cephaleniam intendunt, eodem ordine quem ſupra diximus; ſed explicatioribus copiis, ne improviſo deprehenſi, dum ſpatium ſibi quiſque ſumunt, ordines turbarentur, aut per trepidationem ac tumultum quidquam ageretur. Primo die ad [e] Ericuſam inſulam proceſſum, poſtero Cephaleniam appellunt, [f] Euripumque ipſi Cephaleniae et [g] Ithacae interjectum ingreſſi, in portu vulgo Alexandriae dicto ancoras jaciunt: ubi diſputatio de ratione hoſtis aggrediendi toties agitata Hiſpanorum aſtu magnis contentionibus denuo repetita eſt; quae quanquam exitum non haberet, tamen dum fortunae arbitrio aliquid certius ſtatueretur, decretum fuit, portum Petaliae petendum, qui a ſinus Corinthiaci oſtio minus XLCIƆ paſſuum intervallo abeſt. Nemo erat, ex iis qui proelii aleam detrectabant, qui hoſtem pugnandi copiam facturum crederet; eoque fiebat, ut plerique diſcriminis, quod nullum imminere putabant, magnam cupiditatem vultu et voce prae ſe ferrent, ex tuto feroces. Igitur ex Alexandrino portu ter aut quater vento reflante prohibiti, tandem pridie Non. Oct. cum luna pernox eſſet, egrediuntur: quo eodem die Halis, qui contra Perthai ſententiam tenuerat, ut

cuncta

INTERPR. [a] *golfo di Vinetia.* [b] *golfo di Lepanto.* [c] *Navarrin & Modon.* [d] *Albanie.* [e] *iſola ou ſcoglio del Paxu.* [f] *canal Viſcardo.* [g] *Thiachi, o iſola de' Compare.*

CIↃIↃLXXI. cuncta ad certamen pararentur, ne pugnandi occaſio elaberetur, purpurato auctor
Carolus IX. fuit, [a] Leucadem uſque progredi, quo copiis illius inſulae claſſem firmarent. Perthaus, etſi aſtum praeſentiret, cum tamen praecipitia conſilia magis non probare, quam aperte praetexto Selimi imperio reluctari poſſet, illis ut facerent, quod ex fide ſua et voluntate imperatoris eſſe ducerent, permiſit: itaque Halis [b] Patris, quae urbs eſt in ora [c] Peloponneſi haud procul [d] Rhio et Antirrhio, quae ſunt fauces Corinthiaci ſinus, ſolvit, oſtiumque praetervectus nocte appetente ad [e] Galangas, locum ita dictum in litore [f] Epiri, ſubſtitit. Ut tempore, ſic animorum motu utrinque exercitus congruebant, inſita utrinque opinione, alterutrum rem certaminis periculo non commiſſurum; atque ita utrinque non tam victi quam fugati hoſtis decus perſequebantur. Igitur noſtri ad [g] Echinadas inſulas obſcuri ad hunc diem nominis, ſed ob victoriam a Chriſtianis partam poſtea nobilitatas, dubia adhuc luce cum perveniſſent, exiguo a portu, in quo hoſtes ſtabant, intervallo curſum inhibuerunt, eventum expectantes.

IV. Totus ille tractus proeliis maximis famoſus, operae pretium eſt ut oculis ſubjiciatur. Ab [h] Actio promontorio Octavii victoria contra M. Antonium et Cleopatram Aegypti reginam parta famoſo, quod [i] Ambracium ſinum claudit, et non plus quam L CIↃ paſſuum ab Echinadibus diſtat, Leucas ſubeſt, inſula ſaltu ob amorem furentibus ſaltari ſolito, atque adeo Sapphus morte inſignis. Inde Auſtrum verſus deſcendentibus occurrunt [k] Ithaca et Cephalenia; quam mox ulterius progrediendo excipit [l] Zacynthus, quae [m] Chelonatam Peloponneſi ſinum in [n] Elide ſpectat, freto tantum XXV CIↃ paſſuum disjuncta. Dein per Peloponneſi oram Septentrionem verſus reflexo itinere ad Rhium uſque, et inde per Antirrhium ac continentem objectam aſcendentibus interjectum ſpatium ſpeciem lacus praebet; in quo ſunt Echinades ex arena et limo [1] Acheloi amnis taurina fronte per Acarnaniam fluentis in eum locum aggeſtis enatae, ut veteres ſcripſere, et ab echino, cujus ſpeciem aſperitate et ſterilitate referunt, dictae. Inter has anguſtias, ubi et olim Hariadenus [o] Ahenobarbus et Andreas [p] Auria infeſtis ſignis diu quaſi pugnaturi conſtiterunt, commiſſae utrinque acies. Cum Turcica Leucadem peteret, noſtra, quae Echinadas ſuperare incipiebat, Non. Oct. qui dies in Dominicam incidebat, vix orto ſole occurrit; conſpectoque hoſte, qui haud amplius XII CIↃ paſſuum abhinc incedebat, explicatis et ordinatis ſine tumultu in tempore copiis, Auſtrius ab Auria monitus Alvaro [q] Baſſano ſubſidiariorum praefecto enixe imperat, ne ſe prius loco moveat, pugnaeve immiſceat, quam certum et exploratum habeat, nulla navigia a tergo hoſtium relicta: nam exiguum quantumvis numerum recentem et intactum, feſſis incumbentem, poſſe victoriam inclinare; et conſultius eſſe, ut aliqua pars ad caſus inopinatos integra ſervetur: tum Auria cornu ſuum in altum extendit. [r] Barbaricus, qui ſiniſtrum ducebat, cum tantum cum praetoria ſua terrae propinquaſſet, quantum maris altitudo alveo triremium ferendo ſatis eſſet, ceteri trierarchi ſuperiorum dierum crebro uſu edocti in locum ſuum ſine tumultu ſuccedunt, aequata fere fronte, in qua CLX triremes erant, VI illis, quas diximus, majoris formae roſtratis ante alias ſtatutis, quibus Franciſcus [s] Duodus praeerat, Cardona praemiſſo, ante Auriae cornu qui excurreret. Auſtrius medio loco ſtabat cum regia navi, cujus latus dextrum pontificia, laevum Veneta [t] praetoria cingebant, quibus utrinque applicatae erant Sabaudiana et Genuenſis; atque haec quidem Alexandrum

INTERPR. [a] *Santa Maura.* [b] *Patras.* [c] *la Morée.* [d] *les Dardanelles, deſtroit du golfe de Lepante.* [e] *ſpiaggi di Galanga.* [f] *Albanie.* [g] *ſcogli de' Curzolari.* [h] *la Preveſa.* [i] *golfe dell' Arta.* [k] *Thiachi.* [l] *Zante.* [m] *golfo di Caſtel Torneſe.* [n] *Elide, province de la Morée.* [o] *Barbaroſſa.* [p] *Doria.* [q] *de Baçan, marquis de Santa Cruz.* [r] *Barbarigo.* [s] *Duodo.* [t] *la capitane.*

NOT. [1] Sophian, met Aſpropotamo; Paruta, Acheloo. *Put.*

Alexandrum Farneſium, illa Franciſcum Mariam [a] Roboreum vehebat. Regiae rurſus duae ad ſubitos caſus additae ſunt: eandem mediam aciem ultimi claudebant, ſiniſtra Paulus Jordanus Urſinus, dextra [b] Meſſanae prior Hieroſolymitanarum triremium praeſectus. Amandatae ſunt celoces omnes ac navigia, ut ſpes effugii omnibus praecideretur. At Turci propinquante noſtra claſſe ſtatim vela dejiciunt, antenniſque ſublatis armamenta expediunt, ac momento ex veteri diſciplina et incredibili obedientia ordines inſtruunt: medius ſtabat Perthaus ſummi imperii dux, cxxx triremibus ab utroque latere diſpoſitis: ab eo circiter lx interjectis navibus dextra parte in terram verſa Halis locum capit cum xxc navibus, et dextrum cornu Mehemetus ac [c] Sirochus Alexandriae praeſes, ſiniſtrum Uluzalis [d] Algeriae praetor regebat, non lunata, ut inter Turcos uſus eſt, ſed aequata fere fronte. Heic Auſtrius ſublato ſigno, in quo foederatorum principum inſignia expreſſa erant, et quod bene verteret Deum comprecatus, in celocem deſcendit, idemque ut facerent Requeſeni et Columnae praecipit, qui ordines quiſque circumvecti eos ad fortiter pugnam capeſſendam Chriſto auſpice hortantur. Ipſe in media acie militarem orationem ad ſuos habuit, quam militum cum ardore pugnam depoſcentium clamor laetus ſubſecutus eſt. Inde Auſtrius in regiam redit, cum eodem tempore Columna et Requeſenes ipſi quoque in ſuas reverſi eſſent. Diſploſo utrinque tormenti ictu utraeque acies propinquare coepere; et cum cornu, quod [e] Auriae oppoſitum erat, quodque objectu terrae initio cerni non poterat, ultra noſtram aciem incedendo extenderetur, non recta Auria, uti ceteri facere juſſi erant, in hoſtem ducit, ſed veritus ne hoſtis ex caſu occaſionem capiens ſe circumveniret, eumque aſtu eodem quo petebatur eludendum ratus, prora in eam triremem verſa, quae cornu regebat, ad ejus motus et conatus ipſe quoque conſilia et curſum dirigendum exiſtimavit. Ita factum excuſat [f] Folieta, et errorem ad rei navalis peritiam refert; qui tamen exitio paene univerſae rei conſtitit, dum longius ab acie recedens Auria laxatis ordinibus acerrimam impreſſionem faciendi Turcis commoditatem praeberet. Ac tum quidem manifeſto Dei juſtae cauſae aſpirantis beneficio ventus, qui huc uſque adverſus et incommodus noſtris fuerat, momento poſuit, tantaque praeter expectationem ſerenitas ſecuta eſt, ut non in mari ſed in continenti aequore conſiſtere ſibi quiſque perſuaderet. Interea inter medias acies pugnatum eſt; et cum Turcica propius majoris formae triremibus propinquaſſet, vi tormentorum inceſſi coepta eſt; ac Venerius quidem Joannis [g] Lauredani et Catharini Maripetri triremeis ad ſuſtinendum primum hoſtium impetum ante praetoriam ſuam ſtatuit: idem et Columna fecit. At Turci ordinibus ſolutis majorum triremium fulminationem confuſe praetervecti in ſiniſtrum noſtrum cornu catervatim incubuerunt, et ab ingenti ſagittarum veluti denſiſſimo imbre emiſſo, proelium, ſublato more gentis barbaro clamore, orſi ſunt circa decimam ſeptimam horam; quo in impetu cum globus triremium hoſtilium Barbaricum circumſtetiſſet, litus legendo etiam eum a tergo adorti ſunt. Barbaricus vero dum impigre imperatoria munera omnia exſequitur, cum jam victoriam in manibus haberet, in mediaque belli mole verſaretur, ictu ſagittae in oculo accepto, ex quo ſequenti die deceſſit, pugna excedere coactus eſt: cujus in locum Marinus Contarenus ſuccedens avunculi partes ſumma virtute ſupplevit; qui et in eo conflictu periit: perierunt et cum eo in ſiniſtro cornu Vincentius Quirinus et Andreas Barbaricus. Turci jam ab illa parte impares cum amicum litus prope eſſet, in illud trepidi ſe ejiciunt, naveis ſaxis illiſas et deſenſoribus vacuas relinquentes.

Ar

CIƆIƆLXXI.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *della Rouere.* [b] *prieur de Meſſine.* [c] *Sirocco ſangiacco d'Alexandria.* [d] *ſangiac d'Alger.* [e] *Doria.* [f] *Foglieta.* [g] *Loredano & Catherino Malipiero.*

CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX.

At non eadem fortuna in media acie fuit, in qua nulla Turcica navis, quoniam eadem effugii commoditas non erat, quamvis ſummis iniquitatibus premerentur, ſe certamini ſubſtraxit. Dum inter Halim et Auſtrium pugnatur, capta Turcica triremis, quae filios duos ſummi ducis vehebat, ab illis duabus, quas regiae applicatas diximus; ac demum proelium magis inſtauratur, ac praecipue a Venerio ac Columna, cum quo pugnabant Pompeius [a] Gentilis, Antonius [b] Carafa Montis-Arragonii dux, Pyrrhus [c] Malvetius, et [d] Mathurinus Scutus Romegaſſius eques Hieroſolymitanus Gallus, qui tantum nominis ſui terrorem toto Oriente ſparſit ut matres parvulis infantibus etiam hodie pro terriculamento ejus nomen inclament. Auſtrius vero, qui cccc delectos ex [e] Sardoa legione ſecum habebat duce Lupo Figueroa et non exiguum delectae nobilitatis florem, in Halim ccc praetorianis egregiis bellatoribus et c ſagittariis ſubnixum vim facit; et cum diu certaſſet, tandem Hali ipſo interfecto praetoriam cepit. Lauredanus ex noſtris ac Maripetrus, qui ante [f] Venerium pugnabant, in medios ardentius invecti ictibus tormentorum perierunt: nec proinde cecidere ſuis animi, qui eo infeſtiores impetum ingeminant, ira et ultione pariter incitati, et binas hoſtium triremeis in poteſtatem redigunt: totidem captae a Venerio eodem tempore et a Columna; ſed inibi e Veneta nobilitate deſiderati praeter Lauredanum et Maripetrum Hieronymus Venerius, Franciſcus [g] Bonus, Joannes Baptiſta [h] Benedictus Cyprius, et Jacobus [i] Treſinus Vicentinus; graviter vulnerati Joannes [k] Bembus, Theodorus [l] Balbinus, alii. Cum vero Honoratus [m] Cajetanus triremis pontificiae, cui Gryphi nomen, dux, in Coracoſam famoſum piratam incidiſſet, poſt aliquantum certamen eo occiſo hoſtili trireme potitus eſt. Jamque mare cruore rubens paſſim cadaveribus et capitibus cervice reſectis, brachiis, cruribus ſtare; aer fumo ſqualere et ſemivivorum et inter aquam et ignem contrarias maxime res diris cruciatibus pereuntium ululatu ac lamentabili voce ubique perſonare, et pugnantium adhuc infeſtis clamoribus, ſed magis tormentorum ac ſcloppetorum fragore omnia circumſtrepere, cum roſtris infeſtis etiam triremes concurrerent, aliae puppibus inter ſe obverſis pugnarent, nonnullae propius puppeis aliarum invaderent, quaedam lateribus inter ſe applicatis committerentur, omniaque ſors et caſus potius quam conſilium regerent. Heic Florentina triremis, cui praeerat Thomas Medices, quaſſata et duce graviter ſauciato omnino fracta. Cum vero Aſcanius [n] Corneus a v Turcicis circumventus in ſummas anguſtias redactus eſſet, ſuperveniente Alfonſo Apiano, qui in poſtremo agmine cum Baſſano remanſerat, periculo exemptus eſt. Tum foeda ac miſerabilis erat intuentibus rei ubique facies, cum nonnullorum ad Chriſtianas triremeis adnatantium, et remos ac gubernacula apprehendentium ac miſericordiam noſtrorum implorantium manus a milite efferato, et ardore certaminis omnem pietatis ſenſum adimente, praeciderentur; et nonnulli tamen eſſent, qui humanitate molliti, aut ſpe lucri ex mancipiis faciendi reſtibus demiſſis illos in naveis attraherent et ſervarent. Perthaus, cum quatuor noſtrarum navium ſpatio duarum horarum impetum ſumma vi ſuſtinuiſſet, tandem omni milite amiſſo, et nave fracto gubernaculo fluitante, ita ut regi non poſſet, in perditam ſpem labores impendi cernens, Halis caput et idem ſentientium multum exſecratus, qui ſe retractantem in apertam perniciem temeritate ſua dediſſent, conſcenſa celoce, quam ad ſubitos caſus paratam habebat, pugna excedit, copias regias et quicquid navalis roboris ac floris Othomanicum imperium habebat, in medio incendio relinquens. Inter

INTERPR. [a] *Gentile.* [b] *Carafa, duc de Mondragon.* [c] *Malvezzi.* [d] *Mathurin de l'Eſcut, ſieur de Romegas.* [e] *le regiment de Sardaigne.* [f] *Veniero.* [g] *Buono.* [h] *Benedette Cypriotte.* [i] *Treſſino da Vicenza.* [k] *Bembo.* [l] *Balbi.* [m] *Gaetano.* [n] *della Cornia.*

Inter haec Uluzalis omiſſo [a] Auria in mediam aciem perrumpens cum ita omnia adminiſtraret, ut nullo ſe proelio impilcaret, ex quo, cum libuiſſet, non ſe explicare poſſet, quodque elabendi facultatem ſibi eriperet; poſtquam diſcuſſo fumo regium ſignum dejectum, remque ad iniqua inclinatam vidit, cautius ſibi agendum putavit. Cumque noſtri Hali occiſo victoriam ubique inclamarent, neque tamen plena victoria ſe potitos Uluzali hinc illuc diſcurſante exiſtimarent, in eum impetum omnem vertunt, rati Auriam, qui longius in altum ſe extenderat, mox curſum reflexurum, et ita hoſtem a tergo et a fronte circumſeſſum facile proculdubio oppreſſum iri. Verum illi falſi ſua opinione funt: nam Auria longiore ambitu impetum ceperat, quam ut in tempore ſociis laborantibus praeſto eſſe potuerit; qui error ad priorem additus non parum detrimenti rebus noſtris attulit. Interim veterator pirata in Chriſtianas triremeis defenſoribus paene poſt longum certamen vacuas incumbens eas vehementer afflixit, et quaſdam ex iis obtruncatis militibus, praeter Meſſanae priorem, qui caſu peſtem vitavit, in poteſtatem redegit. Captae Petri [b] Buae Corcyrenſis prioris illius, quem dixi, et Ludovici [c] Cipici Travenſis triremes: ſed duae poſteriores, dum Uluzalis ex ſtrage quaſi victor ſe ſubducit, mox a noſtris receptae ſunt, et Cipicus multis vulneribus acceptis ex hoſtium manibus ereptus. In eo conflictu periit Benedictus [d] Sorantius, qui cum diu navem ſuam ſumma virtute defendiſſet, pariter cum vita eam amiſit: nec mors ejus inulta fuit: nam hoſte in ejus triremem tumultuario inſiliente, cum pulvis tormentarius ignem concepiſſet, cuncti in aerem disjecti ac diſcerpti ſunt. Praeter eum et deſiderati Hieronymus Contarenus, M. Ant. [e] Landus, Jacobus [f] Miedus, M. Ant. [g] Paſqualicus, Georgius [h] Cornelius, et is, quem dixi, Petrus Bua. Auria tandem ſuperveniens Uluzalim ſe ex pugna recipientem ſerius inſecutus, denſiſſimis ſe intendentibus tenebris, et adverſa tempeſtate incumbenſe ac majores fluctus volvente, adſequi non potuit. Captae tamen ad XXX triremes Turcicae, ex iis quae reſtiterant, ad terram illiſae: tandemque cum Turci a pomeridiana hora quamvis in mala ſpe certamen ſumma pertinacia ad ſolem labentem extraxiſſent, a noſtris omnino debellatum fuit. Hic victoriae ad [i] Echinadas exitus fuit, qua nulla major de Turcis retro ſaeculis parta, nulla minus fructuoſa fuit, ob ducum contentiones, et partium non ad Dei gloriam et publicam reipublicae Chriſtianae utilitatem conſilia ſua referentium, ſed privatum ubique commodum captantium diſſidentia ſtudia. Eam victoriam multa adjuverunt. Nam quamvis Turcica claſſis noſtram numero ſuperaret, quippe quae CCLX navibus conſtabat, cum in noſtra tantum CCV ac VI majoris formae eſſent, major erat pugnantium in noſtra claſſe numerus, cum ſingulae Chriſtianae triremes CC, minimum CL bellatores haberent, et praeter conductas copias ad XXV CIↃ non modo ordinarii navales ſocii, ſed pars remigum nexa ſoluti in ſpem libertatis promiſſae haud ſegniter certarent; in Turcica, (praeter triremeis procerum inſigne nocturni luminis praeferenteis, quae XL numero erant, et C bellatores habebant,) non plus XXX, ad ſummum XL milites eſſent, iique viribus parum validi, quippe exactis hoc anno laboribus fracti, ad haec nudi et vulneribus expoſiti, cum noſtri recentes eſſent galeis et loricis plerumque tecti. Tum diſpar armorum uſus: nam Turci raro ſcloppetis fere ſagittis noſtros inceſſebant, quarum ictus et ſcloppetis imbecilliores ſunt, et contra armatos invalidi: tum vero quater aut quinquies emiſſi, nervis arcuum ipſo calore languidis, ita leves accidunt, ut vix ſummam cutem hominum

CIↃIↃLXXI. CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Doria.* [b] *Bua de Corfu.* [c] *Cipico da Trau.* [d] *Soranzo.* [e] *Lando.* [f] *di Mezzo.* [g] *Paſqualigo.* [h] *Carnero.* [i] *Scogli de' Curzolari.*

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

hominum perſtringant, et contra loricas retuſae raro in corpora penetrent. Accedebat pluteorum et munimentorum haud leve tutamentum, quo Turci omnino carent, tanquam liberum arcuum connixum impediente: quod contra noſtris duplicem commóditatem afferebat; alteram hanc ipſam tegendi adverſus hoſtium ictus corpora, alteram adminiculi, quo ſcloppeti ſuffulti certiore et minus vacillante ictu locum deſtinatum peterent. Diſpar et in machinarum diſploſione vis: nam cum Turcicarum triremium prorae nullo munimento tegerentur, fiebat, ut tormentarii ad ictus ſcloppetariorum toto corpore patentes exanimarentur, neque conſiſtere in prora, et quae ſui muneris erant, adminiſtrare poſſent, ſtatimque poſt primum ictum e longinquo diſploſum relinquere locum cogebantur; cum contra noſtrae quater et quinquies aut eo amplius et in ipſo pugnae ardore etiam cohaerentibus inter ſe triremibus, ut ictus non fallerent, diſploſae ſint. Qua in re et ars adhibita eſt: nam praeciſo roſtro, quod reſupinato mucrone ſupinos quoque ictus antea emolliebat, machinae jam recta regione diſploſae ac ſummum maris aequor radentes raro fruſtrabantur, fere ſemper cum magna hoſtium ſtrage directis ictibus; cum contra Turcicarum ejaculationes ſublime petentes noſtras ſupervolarent, ac vanae evaderent. In poteſtatem noſtrorum venerunt cxxx triremes, quarum xiv tantum minoris formae erant; reliquae partim litoribus illiſae, partim flammis abſumptae aut undis hauſtae ſunt; neque plus quam L peſtem vitaviſſe conſtans fama eſt. Uluzalis cum circiter xxx e ſtrage reliquis Conſtantinopolim poſtea pervenit, ubi a Selimo, qui accepto [a] Hadrianopoli cladis núncio, ne res per ſuam abſentiam in urbe turbarent, citatis itineribus illuc venerat, non ſolum benigne exceptus, ſed etiam ampliſſimo honore auctus fuit, ſumma maritimi imperii ad illum delata; praeter morem Othomanicae aulae, in qua etiam calamitátes nulla hominum culpa manifeſta coelo immiſſas, et fortunae peccata, tanquam propria crimina duces fere capire luunt. Sed in eas anguſtias hoc caſu res illius redactae erant, ut ſolae illae triremes, quas Uluzalis tanquam ex incendio ſervatas adduxerat, ex omni armamentario reliquae eſſent; et amiſſis tot ducibus, Uluzali potiorem, quem Chriſtianis ſucceſſum urgentibus opponeret, non haberet. Perierunt ex Turcis xxv cIↄ; et in iis complures praetores, quos vulgo Sangiacos vocant: capti III cIↄ Iↄ. Ex noſtris xv triremes deletae ſunt; quarum x Venetae fuerunt, in quas Uluzalis primum impetum fecit. De Chriſtiánis ad x cIↄ ceciderunt; minima pars in pugna, ſed poſt pugnam plerique omnes ex levibus ſagittarum ictibus male curatis; in quibus peracerba mors Auguſtini Barbarici, minus ut ſincerum victoriae gaudium Chriſtianis conſtaret, effecit, cunctis prudentiam in conſiliis expediendis, ſolertiam, moderationem, fortitudinem, ac ceteras virtutes imperatore dignas, quae toto eo bello maximo uſui fuiſſent et futurae eſſent, veris lachrimis deplorantibus. Nonnulli praeterea ſummae nobilitatis viri fortiter pugnantes occubuere; in quibus fuere Bernardinus [b] Cardines et Horatius Urſinus: quod damnum multis Chriſtianorum vinculis ſolutorum millibus compenſatum eſt. Ut in proelio, ſic etiam eo patrato magnum praeſentis Numinis favorem experti ſunt noſtri, cum nocte inſequenti ſubito foeda tempeſtate ſuborta portum tantae claſſis capacem ſub manum habuerunt; magna hoſtium imprudentia, qui cum in altum nulla re impediente claſſem propellere poſſent, non animadverterunt, quanto cum periculo ſecus amicum litus pugnam committerent; quo factum eſt, ut primo impetu, quo maxime valent Turci, ſtatim repulſi ac diſturbati capta fuga in illud ſe ejecerint, quod alii a litore remotiores non fecere, ſubducta in eum portum claſſe. Interventu procerum [c] Auſtrius [d] Venerio ante omnia

INTERPR. [a] *Andrinople.* [b] *de Cardenas & Hor. Orſino.* [c] *don Juan d'Auſtria.* [d] *Veniero.*

omnia reconciliatus eſt, ſenſu privatae injuriae publico ſucceſſui condonato. Cumque tempeſtas deſaeviſſet, in locum pugnae venere, et jucundum ſimul ac miſerabile ſpectaculum oculis hauſere. Poſtea re ad conſilium relata placuit, ut ob caeſorum ac ſauciorum numerum, annonae defectum, et anni tempus, quod jam multum proceſſiſſet, claſſem in hiberna mature reducerent; unde reparata ac ſuppleta claſſe militumque animis ac corporibus a laboribus exhauſtis per hiemis quietem refectis, vere ineunte recentes ad perſequendas tantae victoriae reliquias redirent. Conſilium hoc multis improbatum, trepida omnia Conſtantinopoli et circumjacentibus inſulis, ſi Chriſtiani victoriae inſtitiſſent, oppreſſum iri dictitantibus: quod [a] Venerius, cujus magis intererat, cum non omni ratione ac contentione impediret, a quibuſdam reprehenſus fuit, qui vulneri in crure accepto curando intentus, ac proeliorum, ut Hiſpani maligne jactabant, ac telorum mentionem exhorreſcens, [b] Auſtrio diſceſſum ſuadenti tam facile acquieverit. Sed Venerium excuſat perſpecta Hiſpanorum mens ac conſiliorum ratio, qui Venetae reipublicae inſeſti jam ab initio eos ſemper ludificati, et in tempore auxilio negato fruſtrati fuerant, nec niſi pudore victi et ſpe certa, ut Turci ad manus non venirent, in pugnam conſenſerant. Itaque cum intelligeret, Auſtrium regis imperium cunctationi praetexere longius a ditionibus ſuis claſſem hibernare prohibentis, et cum Peloponneſus ex foedere Venetis ceſſura eſſet, Hiſpanos in ea expeditione non multum laboraturos provideret, recenti adhuc mutuae injuriae ſenſu minime ſibi committendum putavit, ne animis inutili contentione exacerbatis ejus memoriam renovaret. Major Venerii error fuit, quod cum Philippus Bragadinus [c] Hadriatici ſinus praefectus ſub id tempus nondum pugnae nuncio accepto ad claſſem cum XIII majoris formae triremibus veniſſet, ſubſidio a ſenatu miſſus, et gemens ac moerens tam pulchram occaſionem ſibi ereptam, omni ratione a praefecto contenderet, ut ſaltem L attributis navibus cum iis fugienteis inſequi ſibi liceret, provinciaſque hoſtileis caſu attonitas adire, et ex ſucceſſu rei gerendae conſilium capere; nihil tamen ab eo impetrare potuerit, cum negaret ſe alteri, quae ſui muneris eſſent, delegaturum. Nuncius tantae victoriae per Onufrium Juſtinianum ad ſenatum miſſus ſumma laetitia acceptus eſt. Auſtrius de diſceſſu certus cum a Venetis exoratus [d] Leucadem tentaturum ſe pollicitus eſſet, praemiſſis Aſcanio [e] Corneo et Gabriele [f] Serbellono, qui loci naturam et arcis ſitum, an exiguo tempore expugnari poſſet, exſcenſione ſacta contemplarentur, cum illi intra XV aut ad ſummum XX dierum ſpatium rem ſe confecturos recepiſſent, conſilium omiſit, cum diceret, exiguam inſulam, cujus acceſſio parum Chriſtianis opes aut opportunitates eſſet auctura, ſatis dignum morae pretium minime ſibi videri. Quare iter perſequentes ac ſecunda navigatione uſi [g] Corcyram perveniunt, ubi et praedam inter ſe partiuntur. Philippo ceſſere LVIII triremes cum dimidia [h] communes, VI cum dimidia [i] parvae, tormenta militaria LVIII cum dimidio, magna VIII cum ſemi [k] petratia, CXX minora, captivi CIϽ IϽCCXIII: Venetis XXXIX cum dimidia communes, IV cum dimidia parvae, XXXIX cum ſemiſſe magnae machinae, V cum ſemiſſe petrariae, XXCVI minores, captivi CIϽ CLXII: [a] pontifici XIX triremes communes, II parvae, tormenta XIX magna, III petraria, XLII minora, captivi IϽ CCCXXCI. Inde Auſtrius et Columna cum ſua quiſque claſſe [l] Meſſanam petunt, portumque ovantes ſubeunt. Veneti poſt diſceſſum foederatae claſſis [m] Margaritinum in [n] Chimaeriotarum regione haud procul a Corcyra ſitum deditione ceperunt

INTERPR. [a] *Veniero.* [b] *don Juan d'Auſtria.* [c] *golfo di Vinetia.* [d] *Santa Maura.* [e] *della Cornia.* [f] *Serbellone.* [g] *Corfu.* [h] *galeres.* [i] *galiotes.* [k] *pierriers.* [l] *Meſſina.* [m] *Margariti.* [n] *ceux de la Chimera.*

CIↃIↃLXXI. ceperunt prid. Eid. Nov. vitam facultateſque ſalvas paciſcentibus barbaris, et
CAROLUS IX. ipſam arcem mox igne concrematam diruerunt. [a] Soppotum quoque a Turcis deſertum Albani occuparunt, et Venetis reſtituerunt; a quibus poſtea Selimo redditum fuit.

V. DUM haec agerentur, jam ante pontifex Alexandrinum cardinalem ſororis filium in Hiſpaniam legaverat, qui complures illius provinciae proceres ad extremos uſque regni limites a Philippo honoris cauſa miſſos cum literis peramanter ſcriptis obvios habuit, et poſtremo Didacum Spinoſam epiſcopum [b] Seguntinum cardinalem, penes quem ſumma rerum regiarum procuratio tunc erat: bidui itinere [c] Mantua Carpetanorum progreſſum; et inde in aula humaniter, ſupra quam dici poteſt, a rege exceptus eſt. Summa mandatorum ejus erat, primum ut Philippum, cujus opibus res Chriſtianorum inniti affirmabat, ad bellum ex foedere ſuſceptum impigre gerendum hortaretur, et hoc anno ac deinceps promiſſa auxilia haud cunctanter ſubminiſtraret: id valiturum non modo ad opem ab ipſo latam fructuoſiorem faciendam, ſed ad exemplum quoque et ad ſtudia ceterorum principum ſtimulanda, qui prout alacriter aut lente ipſum viderint in cauſa communi verſari, ita acriter aut remiſſe ad ſocietatem ſint acceſſuri: alterum caput erat, ut Galliae ac Luſitaniae reges, ad quos ipſe quoque ab avunculo legatus miſſus eſſet, inprimis vero Maximilianum Caeſarem ſororium ad ſanctiſſimam belli participationem invitet. Philippus gratias pontifici agere, qui de ſe tam honorifice ſentiat; ceterum debere pro ſua prudentia cogitare, quantis ipſe curis ac moleſtiis diſtineatur, quantam quamque multiplicem rerum molem ſuſtineat, quantam virium partem trahat ſecum bellum Belgicum religionis et ipſum cauſa ſuſceptum; a cujus peſte viſceribus haerente eo majus periculum, quo propius et interius, quam a Turco Chriſtianis immineat: ceterum imperia mutaturum, et cum fratri ſcripſerit, ut triremibus Italicarum provinciarum cuſtodibus in Italia relictis ipſe in Hiſpaniam cum reliqua claſſe tranſmittat, nunc quando ita pontifici placeat, imperaturum, ut in Italia hibernet. Quod ad reges attinet, ſperare ſe illos in officio futuros, et quoniam pontifex ſuam ea in re operam exigat, ad eos diligenter ſcripturum: verum ſe exiſtimare, Gallorum deliberationem a Maximiliani conſiliis ſuſpenſam fore, nec prius, quam cognoverint illum conſilia cum foederatis ſociaſſe, animum nudaturos: nam claſſe et maritima via nunquam copias ac duces ſuos ſummiſſuros, ne ſibi neceſſitatem imponant Auſtrio parendi; terreſtre autem iter eſſe omnino illis clauſum, Maximiliano foedere et induciis Turco alligato. Actum poſtea de titulo magni Etruriae ducis Coſmo attributo, quem citra gravem ſuam et ſedis ſanctae, cujus dignitas et auctoritas in ea cauſa verſetur, injuriam in dubium revocari non poſſe contendebat. Actum et inter eos de Siciliae eccleſiaſtica jurisdictione, in qua magnum auctoritati pontificiae praejudicium a regiis miniſtris fieri conquerebatur: nam diploma Urbani II, quod obtendebatur, praeterquam quod ad Rogerium Siciliae et Calabriae comitem, et Simonem ejus filium aut alterum Rogerii heredem tantum extendatur, merito ſuſpectum eſſe, vel ex loco et die in eo appoſitis: nam [d] Salerni id factum eſſe anno Chriſti CIↃXCV, quo tempore Urbanus [e] Claromontano concilio in Francia celebrato interfuit, rebus ad bellum ſacrum neceſſariis toto illo anno intentus; et ejus mentionem ab homine novo nullius auctoritatis ac nominis primum factam Thoma Fazello, qui id ab alio ſcriptore haud majoris fidei Jo. Luca Barberio Siculo hauſerit: a Petro Luna ſchiſmatico id quidem juris tributum Ferdinando Arragonio, et Martino item Arragoniae

INTERPR. [a] *Soppoto.* [b] *evêque de Siguença.* [c] *Madrid.* [d] *Salerne.* [e] *de Clermont en Auvergne.*

by Google

Arragoniae regi, qui Mariam Siciliae reginam in uxorem duxit, ne epiſcopi in regios adminiſtros cenſuris ſacris uti poſſent; verum privilegium illud mox ad trium ordinum regni poſtulata ſublatum fuiſſe: itaque petere, ut illud indueatur, et in Sicilia ac regno Neapolitano conſimiliter omnia ad praeſcriptum concilii Tridentini peragantur, et eccleſiaſticae juriſdictioni ſua auctoritas reſtituatur. Idem et pro Mediolanenſi juriſdictione poſtulatum. Ad quae Philippus, jura majorum ſuorum, quae in illis regnis ac ditionibus fuerunt, uti ea acceperit, ita per ſuos magiſtratus hactenus ſervaſſe: ceterum ad eos ſcripturum, et ſi quae ſint, quae juxta pontificis deſiderium corrigi poſſint ac debeant, pro ea, qua ipſum et ſedem ſanctam colat, obſervantia, id vero ſe ſedulo facturum. Cum hoc ambiguo reſponſo dimiſſus legatus, qui inde in Luſitaniam perrexit, ubi pari, atque a Philippo, ſplendore ac propenſae voluntatis ſignificatione acceptus eſt: verum actio de foedere inanis evaſit. Cum tamen Luſitanus militiae ſtatim nomen dediſſet, ſed dubiae deliberationis eſſe diceret, qua parte ipſe bellum gereret; nam ſe commodiſſimum ac fructuoſiſſimum exſtimare, ut a mari [a] Erythraeo Turcos aggrediatur; ſic enim fore, ut ſi hoſtes reſiſtere velint, vireis ſuas diſtrahere cogantur, quae res illum imbecilliorem foederatis opprimendum praebitura ſit; aut ſi eam plagam nudam et apertam Luſitanorum armis relinquat, magnos in iis regionibus progreſſus ac ſummae reipublicae Chriſtianae utileis faciant. Tum a legato de matrimonio Margaritae regis Galliae ſororis mentio injecta, nullam rem illum pontifici gratiorem hoc tempore facere poſſe dictitante, nec Chriſtiano orbi aut regno ac populis ſuis, qui ipſum diutius coelibem ferre non poſſent, utiliorem: eoque id enixius cupere pontificem, ut Margarita ab Henrico Navarrae principe Sectariorum in Gallia fautore, cui eam deſtinatam ſciat, ex ea occaſione abſtrahatur: egiſſe jam de ea re per Antonium Mariam [b] Salviatum oratorem ſuum apud regem, nec proceſſiſſe hactenus conſilia; ſed ſperare, ut ſi ipſe animum adderet, res optatum utrique exitum haberet. Gratiis actis Luſitanus ſubjecit, ſi de matrimonio conveniret, nullam ſe aliam a rege dotem poſtulare, quam ut ab amicitia Turcorum diſcedat, et arma contra communem hoſtem conjungat.

VI. Sub id tempus [c] Alexandrinus laetum victoriae ad [d] Echinadas partae nuncium accepit, ac ſimul literas ad barbaros reges a pontifice ſcriptas, quas [e] Luſitano ad eos perferendas daret. Literis illis ad [f] Schaeum Tecmaſſem Perſarum regem, et ad [g] Seriphum Mutahar Arabiae felicis principem XVI et XV Kal. Dec. ſcriptis, pontifex illos clariſſimae victoriae certiores faciebat, addito depreſſarum navium, caeſorum, captivorum numero; hortabaturque, ne tantae occaſioni divinitus oblatae, et qua nulla major unquam dari poſſet, indormirent, ſed armis ac conſiliis cum Chriſtianis principibus conjunctis ad communem orbis terrarum peſtem extinguendam conſurgerent: nec quod Chriſtiani a lege ſua alieni eſſent, ideo a foedere cum ipſis ineundo abhorrerent; neque enim debere illos, homines ullos aut animis aut terrarum ſpatio disjunctos putare, quos eadem cauſa eademque neceſſitas conjungat. In eandem ſententiam ad Mennam Aethiopiae regem ſacris Chriſtianis addictum, ſed diverſam ritibus et doctrina aliquantum religionem profitentem ſcripſit, in crudelitatem immanis hoſtis multis verbis invectus, qui ad vaſtam cupiditatem etiam perfidiam adderet, Venetiſque pacis ac foederis, quo devinctus erat, fide abrupta juriſque jurandi ſpreta religione, quam Veneti nulla in re violaſſent, injuſta et impia arma intulerit, ac Cypri poſſeſſione nefario ſcelere ſpoliaverit.

INTERPR. [a] *Mer rouge.* [b] *Salviati.* [c] *le cardinal Alexandrin.* [d] *ſcogli de' Curzolari.* [e] *roy de Portugal.* [f] *Schach Tecmaſes.* [g] *Xerif Mutahar, prince d'Hyemen.*

CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX. ſpoliaverit. Inde Alexandrinus, ſicuti juſſus erat, ad Philippum revolat de victoria tanta gratulaturus, et cum eo agit de re, quam pontifex poſt partam victoriam ſibi veniſſe in mentem dicebat; nulla in re nunc quidem utilius laborari poſſe, quam ut Turci hominibus rerum navalium peritis careant, quorum penuria cum ſemper apud illos ſumma fuerit, tum vero inpraeſentiarum, cum omneis, quorum in re maritima nomen paulo clarius erat, hoc ultimo proelio amiſerint: verum ſupereſſe Uluzalim, quem a Turcis abſtrahere Philippus ingentium praemiorum homini ambitione ardenti ſpe facta, atque opima aliqua in Hiſpania aut Italia provinciis ditione ad illum delata poſſit. Conſilium autem eſſe effectu quidem dubium, at fructu in omneis exitus certo: ſive enim perficiatur, magnum inde operae pretium ſequi; ſive irritum cadat, et ſecretum emanet, haud leve lucrum illud eſſe, hominem, cujus unius fortitudini ac ſolertiae res Turcica hodie innitatur, ſuſpectum Selimo reddidiſſe; qui vel exauctoratum a ſe abigat, operaque ſe neceſſarii adeo miniſtri ipſum ſpoliet, vel ſupplicium de eo tanquam proditore ſumat: qua in re nullo ſe piaculo pios principes obligare, quum aſtu factum ſit, ut perfidus Chriſtianae religionis deſertor quavis ratione tollatur. Laudata pontificis ſolerti prudentia Philippus per ſe minime ſtaturum reſpondit, quin ſancto ipſius deſiderio ſatisfiat. Et ita rurſus honorifice dimiſſus Alexandrinus in Galliam exeunte anno ª venit. Dum Alexandrinus in Hiſpania eſſet, Jo. Franciſcus Commendonus cardinalis in Germaniam a pontifice miſſus jam ante pugnam menſe Octobri in Caeſaris regiam pervenerat, et qua erat dicendi facultate praeditus, gravi oratione ad vireis cum foederatis principibus ſociandas hortatus fuerat; veniſſe tempus dictitans, quo teterrimus tyrannus omniſque divini et humani juris praefractor injuſta arma Venetis inferendo omnium Chriſtianorum principum et aliorum inſuper, quorum regnis inhiet, vireis et odium in ſe conciraverit: hunc ex Venetorum caſibus, quanquam peracerbis ac rei Chriſtianae luctuoſis fructum ab omnibus ſperari, ut ipſos hactenus cum Turco colligatos atrociſſima haec ademptae Cypri toto Mediterraneo mari opulentiſſimae injuria ab illo juxta pudendo ac damnoſo foedere avulſos cum communi Chriſtianorum cauſa conjungat: nec minus acri tot damnorum et graviſſimae injuriae ſenſu vaſtatis et amiſſis Pannoniis tangi debere: ſicque apud ſe reputare, Turcorum vireis bello maritimo quidem affici, ſed non plane confici poſſe: nam quamvis navalibus opibus vincantur, robuſtum ſemper et ferociorem reſurrecturum, ignominia et ira animos exacerbante, donec terreſtribus viribus proſtratus jaceat: hunc honorem a divina benignitate genti Auſtriae reſervatum, cujus fatali virtute ſpes ſit, ut Turci ab aliis ſuperati omnino jugulentur. In eam rem cum multa ac ſumma dixiſſet Commendonus monita pontificis ingerens et Philippi fratris exemplum ſubinde repetens, adverſus ea haud ſane laeta fuit Caeſaris oratio; qui contra praefatus aerumnas ſuas et aſſiduas clades ac ſolitudines, tum autem imminentia pericula neceſſitatemque illis ſe aliquando eripiendi, nullius ſe ad id monitis egere reſpondit; nec facile commiſſurum, ut temere ſe tam pernicioſo bello implicaret: durare adhuc biennium inducias, quibus violandis quam tandem juſtam cauſam praetexi poſſe? neque vero Philippi fratris ſe ardori ac pietati cedere, ſed diverſam eſſe periculorum utriuſque rationem: cui enim non apparere ab adverſo eventu nullum aut perexiguum damnum Philippo longe poſito fore? at ſe omnibus ſuis exuendum ac regno ipſo et imperio evertendum. Animos igitur ceterorum principum prius tentandos; ac Poloni inprimis, ad quem ipſe quoque legatum miſſurus ſit, voluntatem

VAR. LECT. ª venit, ubi quid egerit et quos ſermones cum rege habuerit, in ſequentibus dicemus. Dum Alexandrinus *D. ſ. o.*

voluntatem exquirendam; qua cognita ſe certius et exploratius conſilium rebus ſuis capturum. Tum Commendonus, utrumque non ſolum a ſenſu communi abhorrere, ſed et alterum ſuperſtitioſum, alterum praepoſterum dicere: nam omnem jurisjurandi ac fidei mentionem ineptam et anilem omnino eſſe adverſus hominem, cui nihil religioſum et ſanctum ſit; qui a foederibus violandis nullo divini Numinis teſtis metu, nullave hominum verecundia cohibeatur; qui vel has ipſas inducias, quae Caeſari religionem injiciant, incurſionibus, praedis hominum et aliarum rerum agendis, arcibus contra pacta excitandis quotidie frangat. Tandem eo adactus Caeſar, ut ſe in cauſam deſcenſurum promitteret, modo viribus ad tantum bellum idoneis juvaretur, quas tandem ille [α] codicillo edit; quem ad pontificem illico miſſum foederati haud retractanter accipiunt, legatoque id pontifex per literas actutum ſignificat, ſimulque imperat, ut quoniam cum Caeſare tranſactum ſit, e veſtigio ſe in [a] Sarmatiam conferat. Id vero ille aegre admodum fecit, ut antequam foedus cum Caeſare perſcriptum ac ſancitum eſſet, ad Polonum accederet; quippe quem non prius animum nudaturum provideret, quam de voluntate ac conatibus Caeſaris plenius cognoviſſet: nec falſus opinione ſua omnino fuit Commendonus. Nam praeterquam quod Sigiſmundus ex Caeſaris conſiliis conſilium ſe capturum diceret, conditiones duriſſimas proponebat; ut Caeſar juri, quod in [b] Boruſſia, quae juris Polonici ſit, ſibi tribuat, imperii nomine renunciet, idque comitiorum decreto ſanciatur; res Daniae regis cum imperio controverſae auctoritate Caeſarea firmentur, et navigatio per mare Balticum in Moſcorum terras prohibeatur; primus belli impetus in [c] Tataros, qui Tauricam Cherſoneſum inſident, vertatur; ad id pecunia, qua Polonia ceteris rebus abundans indigeat, foederatis principibus ſumminiſtretur; [d] Roſſanum et Barium in Apulia, quae dotis maternae ſunt, ſibi reſtituantur, et vectigal [e] Folianum in hujus belli uſus ſibi oppignerare et diſtrahere liceat. Haec variis altercationibus ſaepius agitata effecere, ut irrita fuerit cum Polono actio; qui cum haud multo poſt fatis conceſſiſſet, legato imperatum eſt, ne ante novum regem creatum e Sarmatia diſcederet. Facta tamen ſpes ab Alberto [f] Laſco Palatino homine vaſti ingenii, de XXX CIↃ equitum ac totidem a Nicolao [g] Turlo conducendis, cum quibus Hadrianopolim uſque excurrerent: quo facto Bulgaros ad defectionem jam ſpectanteis ad ſuas partes pertraherent; nec Walachos ac Circaſſos etiam ad extremum Ponti Euxini litus poſitos defuturos ſpondebat Laſcus: qua de re inter ipſos ac ſenatum Venetum miſſis ultro citroque nunciis interventu pontificiorum miniſtrorum actum eſt. Deſtinatus fuerat et [h] Porticus pontificis orator ad Ruſſorum ſeu Moſcorum imperatorem, qui maxime equitatu pollet, et ſeptentrionalem plagam Turcico imperio in extrema Europa et Aſia circumpoſitam late tenet, cum mandatis, ut eum ad bellum cum Turco communi hoſte gerendum incitaret, et quo tempore a ceteris principibus terra marique peteretur, eodem ipſe per Europam in [i] Moeſiam ac Thraciam, et per Aſiam in Pontum ac Cappadociam partito equitatu vim faceret. Sed cum ad animum revocaret pontifex, quam alienus a Romana eccleſia Moſcus eſſet, et quoties etiam miſſis legatis imminente a Polonis periculo cum ludificatus promiſſam fidem fregiſſet, Porticum revocavit.

VII. INTEREA M. Antonius Columna, relicto [k] Meſſanae [l] Auſtrio, qui mox [m] Neapolim venit, cum prope eſſet, ut Romam ingrederetur, deliberatum fuit, an ei triumphi honos deferretur; et placuit cum honorem Auſtrio, ut ſummo foederis

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] codicillo *deeſt* D. f. o.

INTERPR. [a] *Pologne.* [b] *la Pruſſe.* [c] *les petits Tartares.* [d] *Roſſano & Bari.* [e] *Foiano.* [f] *Laski.* [g] *Tarlee*, al. *Turlow.* [h] *Portico.* [i] *Moldavie & Romanie.* [k] *Meſſine.* [l] *don Juan d'Auſtria.* [m] *Naples.*

foederis duci reſervari; ſed populo Romano a pontifice permiſſum, ut in gratiam nobiliſſimi civis et optime de republica Chriſtiana ac ſe meriti ad portam [a] Capenam, qua urbem ingreſſurus eſſet, arcus duo erigerentur, cum honorifico ipſius elogio. Inde per viam Appiam magna pompa Septizonium Severi praetervehitur, praecedente captivorum agmine cum pontificiis inſignibus, et ad Conſtantini et Titi Veſpaſiani ac denique Septimii Severi arcus obvios inſcriptionibus ad rem accommodatis ornatos, [b] Capitolium, atque inde S. Petri baſilicam ad gratias Deo agendas venit; et poſtea ad pontificem admiſſus et prolixa benevolentiae ſignificatione ab ipſo, et mox ab univerſo cardinalium collegio, proceribus, praeſulibus ac nobilitate reliqua in amplexus certatim ruente exceptus. Poſtridie ad [c] aram coeli, quod erat Jovis Feretrii olim templum in Capitolio, ubi opima tantae victoriae ſpolia et inſignia pontifex appendi voluit, ſacrum exquiſitis ceremoniis peractum eſt: et poſt rem ſacram M. Ant. Muretus noſtras vir eloquentiſſimus orationem habuit, qua Columnam meritis laudibus proſecutus eſt. Inter captivos fuit Caragealis famoſiſſimus pirata, Mahametus [d] Euboeae ſangiacus, quem proelium tam validis rationibus diſſuaſiſſe diximus, in arctam initio dein liberiorem cuſtodiam conjectus; quemque biennio poſt Romae vidimus, cum homo ſuae religioni, quae maxime a pompis et cultu externo tanquam impio abhorret, ſummopere addictus, e feneſtra aedium, quibus aſſervabatur, pontificem ſolemni ſupplicationum publicarum die triplici corona inſignem et ſublimem ſuccollantibus miniſtris per vicos incedentem cum inſolito oculis ſuis cardinalium ac ſacerdotum comitatu non ſine occulta offenſione, quam et affectato ad ludibrium riſu teſtabatur, indignabundus ſpectaret. Pontifici et a Philippo donati fuerant Halis filii; quorum minor natu vix pubes Neapoli ad eum miſſus eſt, et in [e] Mauſoleo Hadriani diu aſſervatus, de cetero perhumane habitus; alter qui jam XVII annos attigerat, taedio ac metu carceris in moerorem incidens, antequam adduceretur, obiit.

VIII. PRIUSQUAM Roma egrediamur, pretium duxi rem inter tot magna negotia eo anno in urbe, multum obnitente initio Jo. Zunica Philippi oratore, in conſiſtorio ſumma contentione agitatam minime indictam praetermittere, de [f] Humiliatorum fratrum ordine abolendo. Eorum origo ab anno CIↃCXXC repetitur, cum [g] Mediolano a Friderico [h] Ahenobarbo vaſtato plerique cives, atque adeo [i] Inſubres in miſeram captivitatem in Germaniam abducti ſunt, tam viri quam foeminae, vixque aliquot annis poſt crebras et humileis deprecationes liberati ſunt, facultate in patriam redeundi impetrata: in cujus rei memoriam Humiliatorum ordo inſtitutus, et a Lucio III pontifice maximo adprobatus ſub B. Benedicti regula, cui albus veſtitus quaſi ſupplicibus conveniens attributus eſt. Is ordo cum divitiis admodum creviſſet, paulatim, infracta diſciplina, et mores corrumpi coepere, dum bonis in commune abſumendis ad privatos uſus abutuntur, in ampliſſimis aedibus ſumptuoſe extruendis, in conviviis, copioſo famulitio et aliis hujuſmodi libidinum irritamentis, unde offenſionis occaſio pleriſque praebebatur, et iis maxime in Italia, qui jam voluntate a Romanae ſedis obſequio deſciverant. Ea de cauſa ante quadriennium Kal. Maii Pius ipſe diplomate facto in eorum mores et collapſam diſciplinam multa invectus Carolo Borromaeo cardinali Mediolanenſi archiepiſcopo et ejuſdem ordinis defenſori mandaverat, ut juxta formulam in eo praeſcriptam laſcivientium fratrum collegia emendaret. Sed altiores radices inter eos licentia egerat, quam ut verbis ac monitis flecti et a prava conſuetudine ad

meliorem

INTERPR. [a] *San Sebaſtiano.* [b] *le campi doglio.* [c] *Ara-Celi.* [d] *Negrepont.* [e] *Caſtel S. Angelo.* [f] *gli Humiliati.* [g] *Milan.* [h] *Barbaroſſa.* [i] *Lombardie.*

meliorem frugem illi reduci poſſent; qui jugum a [a] Borromaco antiquae diſciplinae viro impoſitum pertaeſi non ſolum excuſſerunt, ſed in eum tanquam infeſtiſſimum ipſorum ordini hoſtem conjurarunt, certi potius facinus quantumvis deteſtandum patrare, quam turpem et flagitioſam, cui inſueverant, vivendi libertatem deſerere. Ducem ſe facto praebuit Hieronymus [b] Lignana S. Chriſtophori Vercellenſis praepoſitus, qui corrupto pecunia [c] Donato Farina ejuſdem collegii ſodali, cum fruſtra de Fabio Simoneta ordinis depoſitario, apud quem nummos reperturum ſe credebat, laqueo praefocando conſilium iniiſſet, ad ipſum Borromaeum de medio tollendum animum ſcelerata audacia adjecit. Igitur Farina captata loci et temporis opportunitate in cardinalem ſub veſperam de more in ſacello preces cum familia facientem ſcloppetum pilis oneratum diſplodit: ſed glandibus partim ad veſteis orantis relangueſcentibus, partim divina ope diſcuſſis et alio diſſilientibus ſalvum et incolumem innocentia ſua virum protexit; qui quanta praeſentia animi et conſtantia caſum in praeſeos tulit, nam orationi intentus vix caput convertere aut omnino moveri viſus eſt, tam magna ſeveritate in facti auctores et percuſſorem poſtea animadvertit. Nam inquiſitione habita cum ſuſpicio eſſet, ab illius ordinis ſodalibus conjurationem factam, et Lignana ac Farina in arcem ſe recepiſſent, juſſi dedere illos praeſidiarii, cum ſe initio excuſaſſent, moxque pro ſupplicibus interveniſſent, nihil mitigatus Hiſpanorum deprecatione Borromaeus, ut criminis poſtulatos dederent, gravem poenam interminatus imperavit, ac poſtremo cunctanteis diris devovit. Quo facto commoti adeo ſunt omnium in urbe animi, ut res paulum a ſeditione abeſſet. Interea Farina habitu diſſimulato [d] Clavaſium Philiberti Sabaudi oppidum amandatus eſt, ubi inter praeſidiarios merebat. Quo cognito, cum in eo eſſet Borromaeus, ut contra Sabaudum ipſum pari ſeveritate uteretur, tandem dediti illi, ſed auctoritate regia merito ſupplicio affecti ſunt. Nec multo poſt, ut deteſtandi facti infamiam deleret pontifex, uno et altero diplomate VII et VI Eid. Feb. hoc anno facto ſodalitium ipſum omnino extinxit et abolevit, et fratres profeſſos in locis eis aſſignandis regularem vitam ducere, aut ad paria vel ſtrictioris ordinis ſodalitia tranſire praecepit; idque alio diplomate XVI Kal. Quintil. confirmavit, porrecta Bonifacii VIII conſtitutione etiam ad eos, qui de inſidiis contra cardinaleis initis aliquid cognoviſſent, neque eas quovis reſpectu aut metu retardati revelaſſent.

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

IX. APUD nos ſtatim ineunte Januario Arturus [e] Coſſaeus, equitum tribunus et Philippus [f] Gurraeus Proterius libellorum ſupplicum magiſter [g] [α] Rupellam venere, ut Proteſtantium querelas, de quibus ad regem perlatum erat, audirent, et de obſcuris aut ambiguis edicti pacificatorii capitibus in commune conſulerent, et ad regem referrent. Ibi obiter in occulto actum de matrimonio inter Margaritam regis ſororem et Henricum Navarrae principem contrahendo: et quo magis ſalivam Colinio, qui colloquio interfuerat, moverent, quem a bello civili abhorrere et Hiſpanum appetere ſciebant, de Arauſionenſis rebus in Belgio adjuvandis injecta mentio. Poſt excuſſa demum variis diſputationibus controverſa edicti capita, cum de iis [β] Coſſaeus ſe relaturum dixiſſet, Proteſtantes de obedientia ſua in regem multa praefati et perſpecta ipſius egregia erga ſe voluntate, non poſſe ſe non iniquo animo ferre dicunt, ut qui tumultibus cauſam praebuerint, et hactenus regem puerum in poteſtate habentes falſis praejudiciis praeoccupato ejus animo ipſum ad arma

VAR. LECT. [α] juſſu regis Rupellam. *D. ſ. o. d.* [β] Coſſaeus ad regem ſe relaturum. *D. ſ. o. d.*
INTERPR. [a] *Borromeo.* [b] *Lignana.* [c] *Donato detto Farina.* [d] *Chivas.* [e] *le mareſchal de Coſſé.* [f] *Gourreau de la Proutiere.* [g] *la Rochelle.*

CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX.

arma contra ſuos ſumenda impulerint, ac verius coegerint, nunc in aula rerum potiantur; qui cum, compoſitis per pacem bellis, quod armis et aperta vi amplius non poſſint, Proteſtanteis calumniis inceſſere non deſinant, et irritato ſemper [α] principis animo ac concitata his artibus plebe rurſus novam ſopitis tumultibus materiam quaerant, itaque quanquam invitos, tamen coactos facere, quo ſe neceſſitate extrema impulſos ultimis bellis arma cepiſſe et regi et omnibus aequis rerum aeſtimatoribus probent, ut praeteritorum memoriam, quam ſempiterna alioqui oblivione ſepultam cupiant, ad juſtam cauſae ſuae defenſionem renovent. Igitur oratum regem velle, ut apud ſe perpendat, quid [a] Baionenſi colloquio cum Ferdinando Alvaro [b] Toletano Albae duce et pontificis oratoribus actum ſit: id autem actum eſſe, ut eodem tempore Philippus miſſis ex Hiſpania copiis in [c] Belgio, et conjurati quietis publicae hoſtes in Gallia Proteſtanteis nihil tale cogitanteis opprimerent: ea de cauſa VI CIƆ Helvetiorum conſcripta eſſe, in ſpeciem tunc, ut limiti, dum Albanus, qui cum exercitu in Belgium deſcendebat, pertranſiiſſet, firmando ac tuendo inſervirent; re vera ut Albani, qui ipſe conſcribendorum auctor fuerat, conſilia adjuvarent; quod ex eventu conſtiterit: nam ſi quidem in Albani adventum conſcripti erant, eo jam in Belgium cum toto exercitu profecto, quid auxiliaribus copiis, aiebant, regi tam grandi aere obligato opus erat? aut ſi eas retineri ſecuritatis regni intererat, cur non potius per limitem diſtribuebantur, et non [d] Caſtrum Theodorici uſque progredi juſſae, hoc eſt, intra regni viſcera acceptae ſunt? inde enim neceſſitatem Proteſtantibus impoſitam ad armorum ſubſidium confugiendi, [β] et ortum bellum; quod cum ſtatim cruento admodum proelio quaſi diremptum eſſet, cur rurſus pax ad [e] Longemellum facta eodem anno deteſtanda conjuratorum factione violata eſt? cur ſtructis a cardinali Lotaringo inſidiis Condaeus ipſe et Colinius ad [f] Nucetum, quo quieturi conceſſerant, paene oppreſſi ſunt? cur fido ab epiſtolis ad regem cum literis miſſo, quibus de injuria ſibi ac ſuis ab inimicis facta conquerebatur, manus injectae ſunt? cur cum Condaeus Nucetum profugiens [g] Conadam ad Ligerim cum Colinio veniſſet, non ſolum infeſta omnia reperit, ſed literas paſſim regis nomine ad provinciarum praefectos miſſas cognovit, quibus mandabatur, ut in Condaeum atque ejus ſequaces tanquam in perduelleis ubique vim facerent? id vero jam antea meditatos regni et ipſorum hoſteis, patere ex diplomate pontificio, quo ante ſumpta arma menſe Quintili conceſſo, ad L CIƆ aureorum annui reditus ex rebus ſoli eccleſiaſtici regi in belli uſum alienare permittitur. Cum vero illi ipſi regi auctores fuerint, ut edicto deinceps menſe Septembri promulgato omnem conveniendi ac religionis et conſcientiae libertatem Proteſtantibus adimeret, non manifeſtum omnibus fieri, velle res eo adducere, ut adempta omni conciliationis ſpe ex deſperatione bellum ſempiternum, nec niſi alterius peſte extinguendum in Gallia foveatur? enimvero ſuſpiciones inde ortas cum animo repetunt Proteſtantes, haud mirum ſi de futuro male ominantur; praeſertim cum videant, eadem fere, quae tunc temporis, etiam nunc contra illos agitari. Nec enim ferendum, ut ipſi exiſtimant, quod Navarra libero [h] Lactorati primariae [i] Armeniaci principatus, qui ad ipſam pertinet, urbis ingreſſu et poſſeſſione prohibeatur; quod [k] Orillacum Proteſtantibus ad preces et conventus publice faciendos aſſignatum, ipſis Sextili menſe proximo ademptum eſt; quod edicto ad [l] Villeriam in Retia ſilva nuper facto, multa in edicto ſuperiore mutata, interpolata aut iniqua interpretatione ſublata ſunt: nec parvam ſuſpicionem ipſis

VAR. LECT. [α] regis. *D.* f. o. d. [β] et inde ortum. *D.* f.

INTERPR. [a] *l'entreveuë de Bayonne.* [b] *de Tolede, duc d'Albe.* [c] *Païs bas.* [d] *Chateau-Thierry.* [e] *Lonjumeau.* [f] *Noyers.* [g] *Coſne ſur Loire.* [h] *Leytoure.* [i] *comte d'Armagnac.* [k] *Aurillac.* [l] *Villiers côte de Retz.*

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

ipſis injeciſſe, quod Honoratus [a] Sabaudus Villarii comes ipſis infeſtiſſimus, Navarro in [b] Aquitaniae praefectura legatus a rege attributus, cum copiis novis in provinciam venire dicitur; quod Condaeus [c] Valeria arce excludatur, [d] Achoniis, qui illam tenent, paſſim impudenter jactantibus, prius ſe vitam, quam ejus poſſeſſionem amiſſuros; quod Lanſaci nothus filius in [e] Convenarum epiſcopatu Carolo Henrici Navarrae principis naturali fratri praefertur; quod pacta ſecreta quae vocant, quaeque edicti partem faciunt, Joannes [f] Morvillerius procancellarius, ea in ſenatu minime promulgata cauſatus, ſigillo appoſito firmare detrectat; quod [g] Michael Hoſpitalius vir omni laude major, odio religionis, cui in occulto eum favere inimici dictitant, aula et munere ſuo ſummotus eſt; quod conſilia paſſim per provincias in Navarrae, ipſius filii et omnium Proteſtantium perniciem agitantur, miſſis clam in Hiſpaniam ac [h] Luſitaniam emiſſariis, qui pecunias et homines in eum uſum undique corradunt: id agere in Aquitania propalam Bl. Monlucium nuper accepto in [i] Rabaſtenii obſidione vulnere efferatum, cujus rabiem tot innocentium hominum laniena tunc juſſu ejus edita explere non potuit; et ejus emiſſarium Jo. [k] Nogaretium Valetam. His de cauſis merito vereri ipſos, ne eorundem, quorum impulſu ſeu vi coactus rex arma inauſpicata contra ſuos ſumpſerit, nunc etiam occultis machinationibus et auctoritate, qua nimia in aula et paſſim in Gallia valent, regni tranquillitas contra ipſius regis voluntatem conturbetur. Ad haec [l] Coſſaeus: quae ab ipſis nunc afferantur, partim jam praeterita et abolita omnino eſſe, eorumque oblivionem edicto ipſo ſancitam; partim ejuſmodi eſſe, ut veteres ſuſpicionum cauſas, quae ex animis hominum delendae ſunt, non tollere, ſed, ſi refricetur eorum memoria, exacerbatis contentione animis potius nova odiorum ſemina in mentibus gignere videantur: itaque qui paci ſtudent, ea miſſa facere debere, neque aut meticuloſorum hominum aut ſeditioſorum anſam novis motibus quaerentium rumoribus incertis aureis praebendas; ſed ſibi quemque perſuadere debere, regem pacem ſemper optaſſe, ac proinde factam ſervare velle, ut qui ſuo et univerſi regni damno expertus ſit, nullam imperiorum capitaliorem peſtem bello inteſtino eſſe. Sed quando ipſi ſuarum ſuſpicionum cauſas in medium propoſuerint, nolle ipſos celare, regem poſt edictum factum, longe juſtiore de cauſa, de illorum erga ipſum ſincera fide ac voluntate in ſuſpicionem veniſſe. Nam quo pertinere Navarrae, ipſius liberorum, Condaei, tot procerum ac delectae nobilitatis procul a domo et familiis ſuis in urbe [m] Rupella terra et mari ad res novas opportuna jam quadrimeſtrem moram? cur enim non quiſque ad ſua jam conceſſerunt? aut quae, malum, iſta dementia eſt, quod ſaeviente bello tam ardentibus votis omnes expetebant, ut domum, uxores, liberos viſere liceret, nunc, cum per pacem licet, id non amplius velle, et in alieno veluti ſolo magnis ſumptibus et incommoditatibus ſponte conflictari? enimvero id mirari regem, nec poſſe ei perſuaderi, quin haec affectata ac longior mora aliquid turbarum ſecum trahat. Augeri ex eo ſuſpicionem, quod reſciverit praecipuos eorum duces magnis ſtipendiis homines conducere; quod innumerae naves circa [n] Broagium, [o] Retenſem inſulam et vicina litora in Hiſpanos et Luſitanos quotidie hoſtiliter excurrant, quaſi accenſo inter duos reges bello; unde crebrae ad regem querelae afferantur. Id male habere regem et eos, qui circa ipſum ſunt; ſe vero ſummopere cupere, ut offenſionum cauſae utrinque praecidantur. His a Proteſtantibus Coſſaeo reſponſum: ſtatim pace facta externum militem urbe miſſum; et ſi qui circa vicina

loca

INTERPR. [a] *de Savoie, comte de Villars.* [b] *Guienne.* [c] *Valery.* [d] *d'Achon.* [e] *Comminges.* [f] *de Morvilliers, garde des ſceaux.* [g] *le chancelier de l'Hoſpital.* [h] *Portugal.* [i] *Rabaſteins.* [k] *Nogaret de la Valette.* [l] *le mareſchal de Coſſé.* [m] *la Rochelle.* [n] *Brouâge.* [o] *iſle de Ré.*

CIƆIƆLXXI
CAROLUS IX.

loca adhuc ſunt milites, id ob adventum Villarii iis de cauſis, quas dixerunt, ſuſpectum accidiſſe, et quòd videant in propinquo regis juſſu praeſidia duplicari. Quod vero diutius ſpe et voto ſuo [a] Rupellae commorati ſunt, id eo factum, quod non omnes ſtatim qui vocati erant convenerint ad ineundam rationem, qua commodiſſime fieri poterit, ut grandis pecuniae Germanis debitae collatio aeque in omnes diſtribuatur. His ultro citroque inter eos actis, Coſſaeus cum [b] Proterio in aulam redit; ubi [c] Telinius, Bricomotius, et Arnoldus Cavagnius ſenator Toloſanus a foederatis delegati eodem tempore edicti executionem urgebant. Sic extracta hiems, quae eo anno ſaeviſſima fuit, ita ut [d] Sequana, Liger et ipſe Rhodanus glacie concreverint, et jumenta paſſim ac carri onuſti per ea tranſmitterent; et in [e] Provincia ac Septimania provinciis Galliae maxime auſtralibus frugiferae fere arbores omnes gelu uſtulatae ſint.

X. INEUNTE vere IV Non. Mart. [f] Rotomagi, recentibus adhuc partium odiis, tumultuatum eſt: et cum Proteſtantes ad preces per portam [g] Caletenſem mane exirent, qui in poſtremo agmine erant, a portae cuſtodibus, nam pleriſque locis oppidorum portae quamvis facta pace adhuc manu militari cuſtodiebantur, primo dicteriis, mox apertis conviciis petiti, et ad extremum injurioſe pulſati ſunt. Hoc initio audaciores redditi cuſtodes, cum ſub veſperam Proteſtantes domum redirent, in incautos majore impetu invecti ex iis ad quinque interficiunt, reliquos aut graviter vulneratos aut contumelioſe habitos huc illuc diſturbant. Idem Dieppae a ſeditioſis exemplo Rotomagenſium tentatum: ſed eorum conatus a praefecto repreſſus eſt. Qua re intellecta, rex ultra modum commotus eſt; ſive facto, quod ad contumeliam ſuam pertinebat, irritatus, ſive quod conſiliis ſuis remoram allaturum arbitraretur. Itaque ſtatim miſſus eo Franc. [h] Momorantius equitum tribunus Rotomagi praefectus cum manu armata, et ei attributi ex curia Pariſienſi delecti ſenatores viri integritate conſpicui et ab omni factione alieni; quibus praeeſſet Bernardus [i] Prevotius Morſanus, qui ante in Provinciam miſſus ex juſtitia integre adminiſtrata ſummam aequitatis laudem meruerat. Ii cognitione habita paucos eoſque obſcuri nominis comprehenſos ſupplicio afficiunt, quoſdam exilio et grandi pecunia mulctant; in abſenteis ad CCC tanquam contumaces mortis pronunciata ſententia, tabulis paſſim damnatorum propoſitis. Id utcunque Proteſtanteis natura ſua querulos placavit. Eadem inſolentia plebs [k] Arauſione in Provincia, quod oppidum ad [l] Naſſovios pertinet, et in cujus arce rex praeſidium tenebat, in Proteſtanteis paulo ante menſe Februario ſaevierat, ducibus ſeditionis [m] Mignonio juniore et Michaele [n] Balma, a Venaſcinenſis ditionis proximae, quae pontifici paret, populis concitata, pluresque, et in iis aliquot foeminae interfectae et graviter vulneratae per totum triduum fuerunt; et ulterius plebis ſemel fundendo ſanguini aſſuetae ardor proceſſiſſet, niſi [o] Mommeianus, qui arci a [p] Damvilla impoſitus praeerat, ſupplices ad ſe confugienteis accepiſſet, et ipſe cum praeſidiariis exiens furenteis coercuiſſet. Ea de re [q] Ludovicus Naſſovius, qui Rupellae erat, cum apud regem [r] Arauſionenſis fratris nomine per literas queſtus eſſet, petiiſſetque ut juxta edictum liceret fratri, quem vellet oppido et arci praeficere, qui oppidanos in officio contineret, libenter annuit rex; et intra oppidum acceptus eſt [ſ] Berchonius, qui arce praeſidio firmata; ſeditioſos, qui urbe ſecuritatis ſuae cauſa primum exceſſerant, rebus ſumma moderatione initio compoſitis, ut domum redirent, invitavit;

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *Gourreau de la Proutiere.* [c] *de Teligny, de Briquemaut, & de Cavagnes.* [d] *la Seine, la Loire, & le Rhine.* [e] *Provence, & Languedoc.* [f] *Rouen.* [g] *porte Cauchoiſe.* [h] *le mareſchal de Montmorency, bailly de Rouen.* [i] *Prevoſt, ſieur de Morſan.* [k] *Orange.* [l] *les comtes de Naſſau.* [m] *Mignoni.* [n] *la Baume, du comté Venaiſſin.* [o] *de Montmejan.* [p] *le mareſchal de Damville.* [q] *comte Ludovic de Naſſau.* [r] *prince d'Orange.* [ſ] *Berchon.*

invitavit; et poſt aliquot menſeis inquiſitione clam facta conſcios comprehendi juſſit, et auctoritate regia evocatis ex [a] Delfinatu proximo et Septimania judicibus in rei convictos animadvertit, quibuſdam ſupplicio affectis, aliis alio poenae genere mulctatis, et abſentibus proſcriptis. Interea Navarra cum Principibus, Colinio ac proceribus adhuc Rupellae erat; ubi perplexa illa de collatione pecuniae Germanis debitae ratio diu agitata fuit, etiam querelis de rege et ejus conſiſtorio admiſtis, cum durum eſſe dicerent, ut homines, qui alioqui fere vectigal annuum regi penderent, per bella ſuperiora omnibus facultatibus ſpoliati ac bonis exhauſti novo onere premerentur: id onus univerſi regni ab univerſis ferri oportere; quod publicae tranquillitatis conſtituendae cauſa impenſum eſſet, de publico lui debere. Contra, qui aequiores erant, id a rege minime expectandum dicere, qui de ſuo, cum Germani dimitterentur, ne longiorem ac damnoſiorem moram in regno facerent, aliquot menſium ſtipendium, quamvis minime ad id obligatus, numerari juſſiſſet. Ita tandem poſt crebras et inutileis querelas decretum eſt, ut pecunia Germanis promiſſa aequiſſima, quam fieri poſſet, ratione inter ipſos divideretur, et conferretur. Eodem tempore celebrata eſt Rupellae ſynodus regis auctoritate et impetrato ab eo diplomate cum hac clauſula, ut qui a rege juberetur, ei regis nomine intereſſet. Antonius [b] Chandeus et Nicolaus Gallaſius cum aliis paſtoribus petierant, ut Theodorus Beza ſynodi praeſes futurus arceſſeretur; in eamque rem Navarra ad Genevenſem ſenatum literas dederat: qui tamen adeſſe non potuit: in ea actum eſt de diſciplina ex ſuperiorum bellorum occaſione pleriſque locis collapſa inſtauranda; nova a Joanne [c] Morellio propoſita amplius diſcuſſa et impugnata: de doctrinae etiam aliquot capitibus diſceptatum; de ceremoniis in Dominicae coenae adminiſtratione obſervandis: de quibus omnibus quaedam decreta, quaedam in proximam ſynodum rejecta ſunt.

CIƆIƆLXXI.
Carolus IX.

XI. Rex inter haec veluti curis omnibus ſolutus, poſt nuptialia feſta jam celebrata, jucundum ſuum in urbem ingreſſum parari voluerat, uxori nuper ductae ſubinde nova oblectamenta quaerens. Itaque rebus ad tantam rem magnifice praeparatis ad [d] Sandionyſianam portam prid. Non. Mart. acceſſit, ubi in pegmate auditis omnium urbis ordinum, judicum tam inferiorum quam vectigalium, rationalium, et ſupremi ſenatus orationibus, coram Henrico [e] Andium duce et Franciſco Alençonio fratribus, Carolo Lotaringiae duce, Franciſco [f] Borbonio Delfino, aliis principibus ac proceribus, qui magno ac ſolemni paratu aderant, poſtremo praemiſſis qui venerant, ipſe armatus magna pompa Lutetiam ingreſſus, et per arcus antiquario opere magnifice exſtructos et inſcriptionibus Graecis, Latinis ac Gallicis a Jo. [g] Aurato et Petro [h] Ronſardo raris hujus ſaeculi luminibus ornatos deductus ad majus urbis templum venit, actiſque Deo gratiis et a ſymphoniacis recitato beatorum [i] Ambroſii et Auguſtini cantico, in [k] Luparam perrexit. Inde ſexto poſt die, ne quid laudabilis et a majoribus uſurpatae conſuetudinis praetermitteret, in ſenatum venit magno comitatu; et in lectiſternio ſuo ſedens hanc meditatam orationem habuit. Quo magis apud me reputo, quot variis fortunae procellis, ex quo regni gubernaculis admotus ſum, quotque calamitatibus jactatus fuerim, eo majores me Deo gratias agere debere ſentio, qui meam infantiam ſingulari patrocinio protexit; et ſecundum Deum reginae parenti chariſſimae, cujus eximia in me et Franciam pietate, cura, ſtudio et prudentia effectum eſt, ut regnum

INTERPR. [a] *Dauphiné & Languedoc.* [b] *Chandieu & N. des Gallas.* [c] *Morelli.* [d] *porte S. Denis.* [e] *ducs d'Anjou & d'Alençon.* [f] *de Bourbon, Dauphin d'Auvergne.* [g] *Derat.* [h] *Ronſard.* [i] *le Te Deum.* [k] *le Louvre.*

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

regnum hoc, cui regendo per aetatem impar eram, interea optime adminiſtratum, et per civilium armorum tempeſtates integrum ſervatum ſit: quae cum per pacem compoſita nunc Dei benignitate videam, proximum eſt, ut optimis a matre ad bene recteque regnandum monitis inſtructus, pacem ejuſdem beneficio partam, omni ope et ſtudio retineam; et in id totis animi viribus incumbam, ut vulnera domeſticis bellis accepta deinceps ſanentur. Quod Deo juvante me ejuſdem dilectiſſimae parentis ope ac conſiliis, et illuſtriſſimi Andium ducis fratris, cui ſummam negotiorum [a] commiſi, et Franciſci Alençonii minoris natu fratris, quem fratri ea in re mutuas operas praebiturum pro ſincero et concordi, qui inter nos eſt, amore ſpero, ad exitum optatum perducturum plane confido. Ut id ſciretis, et per vos omnes intelligerent, in hunc locum veni; et ut vobiſcum ſtatum praeſentem rerum deplorarem, in quo corruptis moribus ac diſciplina omnium ordinum ſenſim collapſa, vitia paſſim graſſantia ad ſummum nihil ſibi reliqui fecere; et cum ad omneis ordines malum penetraſſe magno cum animi morſu animadverto, tum maxime inter judices illud ſerpere doleo, tam inferiores, quam eos, qui in ſupremis regni curiis juri dicundo praeſunt: quod de bonis et integritate praeſtantibus viris minime dictum intelligo. Cum vero ſciam ab aequabili jure praecipue pendere tranquillitatem publicam, in id quoque praecipue mihi elaborandum video, ut quae pravo uſu invaluerunt, ea ſedulo corrigantur; in quo, ut vos auctoritate omnibus magis polletis, ita ut veſtro quoque exemplo ceteris praeluceatis, et volo et jubeo; vos qui vicem meam in hoc principe regni ſenatu fungimini, et quibuſcum primas regiae dignitatis partes pro muneris neceſſitate communicavi, quibus vitam et fortunas populorum fidei meae a Deo creditorum commiſi: a vobis ipſis principium emendationis facere verum eſt, quo meam fidem ac conſcientiam erga Deum exonerare, et jure aequo inter omneis citra ſordeis et gratiam conſtituto publicam quietem firmare valeatis. Itaque vos etiam atque etiam videre aequum eſt, ut a ſordibus repurgati omnem a vobis avaritiae notam eliminetis; et ſi quis inter vos vitiis, quae in judice minime ferenda ſunt, inquinatus reperiatur, cum ab ordine veſtro removeatis, ne populi offenſio inde contracta ad omneis redundet; factiones, partes, prenſationes et omnem ambitum, res maxime a juſtitiae puritate alienas, procul facite. Id quam aegre pronuncio, tam vos diligenter eniti par eſt, ut conceptam de ea re omnium opinionem factis refutetis. De cetero vobis edico, ut edicta ac conſtitutiones religioſe ſervetis; et vos ad id ordinatos ſciatis, ut legibus pareatis, non imperetis et eas contemnatis. Si in mandatis, quae ad vos mittuntur, aliquid ſit, cujus cauſa ſupplicare apud nos debeatis, id ſine mora facite; nam preces veſtrae benigne admittentur: ſed ubi vobis de voluntate mea conſtabit, tum vero vos parere jubeo, neque ulterius diſputando cum rege et domino veſtro altercari, cui rerum ſuarum melius, quam ulli alii ratio conſtat, et qui earum judicium ſibi ſoli ſervat. Quapropter vos intra modeſtiae cancellos continete, quippe ad hoc a me inſtituti, ut jus aequabile inter partes dicatis, crimina caſtigetis, edicta mea ac conſtitutiones ſervetis, pretium obſequii, gratiam et honores a me certa ſpe conſecuturi; ſi contra feceritis, indignationis meae poenam incurſuri. Igitur edico vobis, praeſides, ut cum quatuor ex ſenatoribus a curia delegatis extra ordinem diebus ac horis, quae magis opportunae videbuntur, conveniatis ſive in palatio, ſive in privatis aedibus veſtris; et quod expedire ad juſtitiam et morum correctionem conferre judicabitis, de iis ſententiam veſtram ſcripto comprehendatis, et ad me quamprimum tranſmittatis. Ad haec a Chriſtophoro [a] Thuano primario praeſide graviter et modeſte

nomine

VAR. LECT. [a] commiſſam *D. f.*
INTERPR. [a] *de Thou.*

nomine ſenatus reſponſum: et laudata regis in ſuae ditioni ſubditos populos et in ampliſſimum ordinem egregia adeo voluntate, et juris aequabiliter inter ſuos tribuendi ſtudio, pauca pro ſenatus dignitate ſubjecit ad elevandam ſiniſtram de eo conceptam opinionem; et ſic in munere ſuo univerſos ac ſingulos verſatos, ac porro ſe geſturos dixit, ut omnes intelligant, nihil illis antiquius eſſe, quam ut optimis ac ſanctiſſimis regis deſideriis ea in re reſpondeant, atque etiam praecurrant, ejuſque fidem ac conſcientiam adminiſtrata ſincere juſtitia apud Deum exonerent. Inde VIII Kal. Apr. Eliſabetha uxor in [a] Dionyſii ſano more majoribus uſurpato coronam regalem accepit; et quatriduo poſt urbem item ingreſſa eſt, eo majore magnificentia, quod pompis muliebribus quam virilibus majora ornamenta adhiberi ſoleant.

XII. SECUNDUM haec dum rex nova novae nuptae oblectamenta quaerit, eamque per voluptuarias huc illuc aedeis deducit, cum [b] Alneti eſſet, quae eſt [c] Valentinae toties commemoratae inſtructiſſima omnibus ornamentis arx, emiſſo diplomate IV Eid. Maii, quo majorem ſecuritatis publicae fidem faceret, omnem omnis generis ſcloppetorum et baliſtarum uſum et geſtationem interdicit, poena capitis et proſcriptionis bonorum addita. Haud multo poſt, cum rex ab urbe ſeceſſiſſet, Lutetiae tumultuatum eſt ex hac occaſione. Ante triennium Philippus [d] Gaſtineus locuples mercator Pariſienſis, de cetero vir probus, poſtulatus fuerat, quod conventus nocturnos in aedibus ſuis contra regia edicta habuiſſet, coena more inter Proteſtanteis recepto celebrata. Ob id ille accenſis ardente bello odiis ad mortem damnatus eſt cum Ricardo fratre. Nicolaus [e] Croquetus locuples item mercator ipſius ſororius, quod conventui interfuiſſet, eadem poena affectus eſt prid. Kal. Quintil. bonis omnibus fiſco addictis. Cum vero Gaſtineus veneranda canitie ſenex, et ſi religionis odium demas, vicinis ſuis atque adeo univerſae urbi, de qua optime meritus erat, chariſſimus ad ſupplicium traheretur, multos ad miſericordiam [α] commovit; magnamque factioſi in urbe invidiam eo nomine apud bonos ſuſtinuerunt, quod judicibus partim prenſatis, partim ſubornata plebe, quae judices ſenatu exeunteis cum minis domum proſequebatur, terrore pleriſque injecto, [β] effeciſſent, ut crimen, quod primum pecunia aut exilio expiabatur, Gaſtineo viro alioqui innocentiſſimo capitale eſſet. Additum ad judicii ſeveritatem, ut damnati domus in vico [f] Sandionyſiano, in qua conventus habitus fuiſſet, ſolo aequaretur, et area publico cederet; in qua ad perpetuam rei memoriam ex publicatis Gaſtinei bonis monumentum erigeretur, quo ſententia in ipſum lata aere inciſa tranſeuntibus legenda proponeretur. Cum autem edicto nuper facto cautum eſſet, ut ſententiae, decreta, judicia belli tempore in Proteſtanteis religionis odio facta reſcinderentur; et damnati bonis, famae et honoribus reſtituerentur; et quaecunque monumenta earum rerum ſupereſſent, ad praeteritorum oblivionem ſanciendam abolerentur; delegati petierunt, ut judicium contra Gaſtineum et Croquetum irritum declararetur, ac pyramis in domus illius area erecta, quae crux [g] Gaſtinea vulgo appellabatur, ad abolendam facti memoriam dirueretur: et aequum quidem petere viſi ſunt regi delegati; ſed qui ſeditioſorum factionem fovebant, metuendum dicebant, ne ſi res ſacra ac religioſa in gratiam Proteſtantium tolleretur, inconſiderata plebs Catholicae religioni injuriam ac praejudicium

fieri

VAR. LECT. [α] commovit; et Petrus Hennequinus, curiae praeſes, homo factioſus, qui judicio praefuerat, largitionibus et cardinalis Lotharingi commendatione ad eam dignitatem, quae antea meritis debebatur, promotus, eo nomine magnam invidiam apud bonos ſuſtinuit, quod judicibus partim prenſatis *MS. Samm. Put.* et *Rig.*
[β] effeciſſet, ut *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *St Denis.* [b] *Anet.* [c] *ducheſſe de Valentinois.* [d] *Gaſtines.* [e] *Croquet.* [f] *rue S. Denis.* [g] *croix de Gaſtines.*

CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX. fieri interpretaretur: itaque media ſententia tenuit, ut pyramis illa noctu ad vitandum tumultum in proximum S. Innocentii coemeterium transferretur, inducta aenea tabula, in qua ſententia contra damnatos lata proſtabat, et ejus loco altera in crucis honorem inſcriptione appoſita; nam ſic utriſque et Proteſtantibus et plebi Pariſienſi ſatisfactum iri. Rei exequendae negotium datum Claudio [a] Marcello, qui tunc mercatorum praefectum agebat. Verum res tanto ſilentio peragi non potuit, quin coitione a ſeditioſis facta ad arma conclamatum ſit, et ſummo mane diſcurrentibus per urbem armatis in aliquot ob religionem ſuſpectorum aedeis vicinas direptionibus ſaevitum. Verum mox accurrente Franciſco Momorantio [α] ſummo urbis praefecto antiquae probitatis ac diſciplinae viro, et ex obviis aliquot caeſis, atque uno viliſſimae conditionis, qui punica mala vendebat, comprehenſo, et ad ceterorum terrorem ad proximam aedium feneſtram gula fracta ſuſpenſo, diſturbati huc illuc factioſi in domos quiſque ſuas diverſi abierunt. Quod ut magnam prudentis juxta ac praeſentis animi opinionem Momorantio conciliavit, qui ſeditioni peſſimi exempli, et quae diſſimulata regiam auctoritatem in urbe regni primaria, ut alias accidit, evertere potuerat, in tempore occurrerit; ita implacabile plebis jam [β] aemulorum factione praeoccupatae odium adverſus ipſum [γ] concitavit. Interea [b] Telinius, Bricomotius et Cavagnius delegati a rege miſſi [c] Rupellam venerant, ut Navarrum et Colinium de egregia ipſius voluntate ac pacis deſiderio certiores redderent; tum regem de bello in Belgium transferendo cogitare; et quo pax firmior eſſet, ad eam etiam proximae adfinitatis vinculum addere decreviſſe affirmarent. Quos ſtatim ſubſequutus eſt Armannus [d] Guntaldus Bironus, qui regis nomine de matrimonio Margaritae ſororis cum Henrico Navarrae filio ageret, et ea ſpe eos, ad aulam ut venirent, hortaretur. In eam rem cum multa Bironus dixiſſet, tum de ſuo addebat, pulcherrimam a Deo occaſionem offerri res in poſterum ad quietem firmandi; quam ſi praetermitterent, fore ut, rege quaſi ex repulſa indignationem juſtam concipiente, Guiſiani, quos illi metuerent, et a comitatu principis recedere paratos ipſi ſcirent, rurſus in aula rerum potirentur: jam regem de impedimento propter cognationem proximiorem et religionis diſſenſionem removendo cum [e] Salviato pontificio oratore egiſſe; et quanquam pontifex gratiam facere hactenus recuſaverit, non deſperare tamen, ſi de rebus ceteris convenerit, quod non niſi per mutua colloquia fieri poteſt, quin pontifex, quo rex voluerit, poſtea animum inclinaturus ſit: venirent tantum, nec mora ſua diffidentiam in animo regis diutius alerent. Ad haec Navarra poſt actas oratione compoſita gratias, rem hujuſmodi eſſe reſpondit, de qua ſibi ſpatium ſumere ipſa ad deliberandum velit; et quanquam agnoſcat ac libenter profiteatur, eam ſibi magno ornamento et commodo adfinitatem fore, tamen adhuc animi pendere, an propter illa ipſa impedimenta cognationis et in religione diſſidii ſalva conſcientia eam expetere debeat: quod ſi conſultis theologorum ſuorum ſententiis licere ſibi compererit, ſe, quod ad Dei gloriam vertat, et e regni commodo ſit, libentiſſime facturam; neque ullas conditiones recuſaturam, quibus regis ac reginae voluntati, quibus omne obſequium et obſervantiam debeat, ſatisfacere, et regni tranquillitati, pro qua vitam profundere parata ſit, prodeſſe poſſit.

VAR. LECT. [α] ſummo deeſt D. f. o. [β] Guiſianorum *MS. Samm.* et *Put. L.* [γ] concitavit. Eodem tempore Renatus Benedictus S. Euſtochii curio, alioqui ceteris theologis ſuſpectus ob biblia et preces horarias in linguam vernaculam verſas, et a Sorbonici collegii conſortio ſummotus, libellum edidit; quo tranſlatione monumenti illius ſignum Chriſtianorum everti, notas verae pietatis cancellari, ducem ſuum religioni impie eripi, multis verbis ſed intempeſtive conquerebatur: ad quem poſtea contrario ſcripto reſponſum eſt. Interea Telinius *MS. Samm. Put. L.* et *Rig.*

INTERPR. [a] *Marcel.* [b] *de Teligny, de Briquemaut, & de Cavagnes.* [c] *la Rochelle.* [d] *Gontaut de Biron.* [e] *Salviati.*

poſſit. Henricus tunc aberat cum Condaeo fratre patruele [a] Benearnum magno nobilium comitatu profectus, unde paulo poſt luſtratis ditionibus ad matrem rediit. Quo eodem tempore Henricus Borbonius [b] Gondaeus cum Maria [c] Clivia Inſulae marchioniſſa et [d] Nivernii ac Guiſii uxorum tertia ſorore, quae diu ante in Navarrae cognatione proxima ipſi conjunctae gynaeceo fuerat, et Proteſtantium doctrinam in ea ſchola imbuerat, de matrimonio convenit, quod poſtea celebratum eſt. CIƆIƆLXXI. CAROLUS IX.

XIII. CUM vero Colinius ante quadriennium Carlotam [e] Lavallam uxorem [f] Aureliani amiſiſſet, de ſecundis nuptiis cogitanti, de [g] Jacoba Intramontana [α] Claudii [h] Batarnaci Antonnii reguli pugna Sandionyſiana occiſi vidua, nobiliſſimae et juxta opulentae in Sabaudia familiae herede, quae Proteſtantium doctrinae in occulto favebat, mentio injecta eſt. Id cum reſciviſſet Philibertus Emmanuel Sabaudiae dux, publicationis bonorum addita poena prohibuerat, ne quis ex ſua ditione injuſſu ſuo cum quoquam alterius ditionis matrimonium aut adfinitatem contraheret: cumque rex poſtea in rei commendationem ad Sabaudum ſaepius ſcripſiſſet, ut edicti prohibitorii gratiam Intramontanae faceret, nihil impetrari potuerat. Verum Intramontana, quae Colinii amori ex illius virtutum praedicatione concepto periculum omne poſthaberet, injuſſu Sabaudi et ſpreto proſcriptionis metu Rupellam ſub id tempus venit, et Colinium in maritum accepit: quo eodem die Colinius Aloiſiam filiam [i] Telinio praeter natalium claritatem et animi fortitudinem raris ingenii dotibus praedito juveni elocavit, ſola virtutum ipſius commendatione ad id invitatus; cum Ludovicus pater ejus, qui adhuc in vivis erat, antiquum patrimonium omne, quod ampliſſimum erat, profuſis ſumptibus exhauſiſſet. Verum ut ſunt res humanae, Deus cito nuptiali laetitiae triſtitiam miſcuit, nuncio ſub id tempus allato de morte Odeti [k] Colinii cardinalis Caſtellionaci. Is cum ſuperiori bello in aula Eliſabethae Anglorum reginae Proteſtantium cauſae procurationem ſuſcepiſſet, et in magna auctoritate apud eam eſſet ob familiae amplitudinem et virtutis ac integritatis opinionem, rebus in Gallia compoſitis, a Gaſpare fratre revocatus petito a regina commeatu [l] Hamptonam venerat, ubi ſubito morbo correptus, jam tum non ſine ſuſpicione veneni magno ſui relicto deſiderio deceſſit XVI Kal. Mart. haud major quinquagenario, et [m] Cantuariae ſepultus eſt; vir magnitudine animi, candore, aequitate et rara hoc aevo fide, ad haec acri in rebus aeſtimandis judicio cum paucis comparandus. Venenum illi a cubiculario in pomo propinatum poſtea conſtitit, cum captus ille quaſi explorator Rupellam miſſus, ibique tormentis ſubjectus rem confeſſus eſt. Caſtellionaeus cum in Anglia eſſet, de matrimonio Eliſabethae cum Henrico [n] Andium duce regis ac reginae parentis mandatu egerat; ſed nullo exitu, cum illa nec omnino palam recuſaret, et tamen natura ſua a nuptiis abhorreret. Nec deerant ex noſtris, qui non magis ſerio id a rege agi interpretabantur; eo ſcilicet conſilio, ut mentio illius matrimonii injecta ſincerae ac certae ſuae erga Proteſtanteis voluntatis pignus eſſet, et occultum de ejuſdem nuptiis cum principe Navarrae, quem ſorori ſuae maritum petebat, tractatum interrumperet. Quapropter cum de foedere inter nos et Anglos ageretur, et de ea adfinitate, quam rex enixe expetere videri volebat, * per legatos actum fuerat.

XIV. INTEREA rex jam inclinata aeſtate [o] Bloeſas conceſſerat, ut ibi Navarram, principem filium, Condaeum ac Colinium, quos ut in aulam venirent, aſſiduis nunciis

VAR. LECT. [α] Claudii Batarnaei Antonnii reguli pugna Sandionyſiana occiſi vidua *deſunt* D. f. o.

INTERPR. [a] *Bearn.* [b] *prince de Condé.* [c] *de Cleves, marquiſe d'Iſle.* [d] *ducs de Nevers & de Guiſe.* [e] *de Laval.* [f] *Orleans.* [g] *Jacqueline d'Entremont.* [h] *de Batarnay, ſieur d'Anton.* [i] *de Teligny.* [k] *de Coligny, cardinal de Chaſtillon.* [l] *Southampton.* [m] *Canterbery.* [n] *Anjou.* [o] *Blois.*

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

nunciis ac literis ſolicitabat, exciperet; et inde [a] Burgolium uſque excurrerat, quod eſt coenobium in [b] Turonibus, hortis, ſilva, arenariis ac reliquo loci ſitu amoeniſſimum, et quod regina propterea deliciariis aedibus, qualeis ubique per Galliam inſanis ſumptibus ſtruebat, aedificandis tunc animo deſtinabat. Ibi dum aula eſſet, Georgius [c] Villoclarus Guerchiae vicecomes [d] Lignerolium aemulum, quicum illi a multo tempore occultae ſimultates intercedebant, [e] Henrico Engoliſmenſi notho regis fratre, [f] Carolo Mansfeldio, [g] Sanjoannio Mongomerii fratre, et aliis comitatus ad municipii ſcalas ſub meridiem aggreditur, et circumventum multis ictibus ſternit atque interficit. Id aliter atque aliter multi interpretati ſunt. Nam hominem Henrico Andium duci, in cujus familia principem locum antea tenebat, percharum, et heri ſui arcanorum fere participem ob idque ampliſſimis honoribus ornatum, in media luce a primariis aulae viris non niſi juſſu regis et ex Henrici ipſius conſenſu interfici potuiſſe veriſimile fiebat; ſed cauſa in occulto erat. Alii ob ſecretos cum principali foemina amores a rege percuſſores in eum ſubornatos dicebant. Alii rem ita narrant: cùm Andinus per imprudentiam eum ſecreti regii participem feciſſet, et ille majore imprudentia, ut ſe in regis familiaritatem per vanitatem inſinuaret, id regi pateſeciſſet, rex qui ſecretum evulgatum nollet, Villoclarum ſevocat, et tempus veniſſe dicit, quo de inimico, qui ſuam quoque majeſtatem ob cauſam, quam ſuppreſſam malit, graviter laeſerit, ultionem ſumat; non defuturos comites manu promptos, quos illi attributurus ſit; tantum ne animo linqueretur: his et alia addita, quo hominem reſtitantem impelleret, exprobrata in os ignavia, niſi auderet. Arcanum autem illud, conjurationem jam tum contra Colinium ac ceteros proceres initam fuiſſe memorant, qui res anni ſequentis ſcripſere; cujus exequendae modum et ordinem Andinus Lignerolio, cujus judicium plurimi faciebat, contra quam ipſi a rege fratre praeceptum fuerat, imprudenter communicaverat. Multis tamen etiam ex Proteſtantibus, qui tum in aula erant, ut ex ipſorum ſermonibus poſtea didici, perſuaſum fuit, eo tempore regem de caede et [* laniena,] quae anno proximo patrata eſt, nondum cogitaſſe. Jam ſaepius belli in Belgium transferendi utrinque mentio injecta fuerat: idque [h] Ludovicus Naſſovius Arauſionenſis fratris crebris nunciis ac literis ſolicitatus urgebat; quod cum non niſi coram et per privata colloquia explicari poſſet, Naſſovius quaſi in Belgium per mare profecturus, comparatis ad id rebus neceſſariis, diſſimulato habitu in aulam cum Franciſco [i] Lanovio, Carolo Telinio, Jo. Hangeſto Argenlio venit; et de utilitate, neceſſitate ac ratione belli in Belgio gerendi cum rege, qui tunc [k] Luminii in Bria venationibus autumnalibus intentus erat, ſex dierum ſpatio multis in occulto egit; quod cum rex ſibi ſummopere placere demonſtraſſet, difficultates tamen quaedam ſubeſſent, quibus non niſi exquiſita Colinii ſententia, quem ſummum huic bello ducem deſtinabat, ſe expedire poſſet, Naſſovio, ut Colinio quamprimum in aulam veniendi auctor eſſet, perſuaſit. Et ita eodem, quo venerat, habitu Naſſovius [l] Rupellam reverſus eſt; ubi minime ceſſabat Colinius, qui inſtructis aliquot navigiis [m] α Minqueterium rei maritimae peritum et alioqui hominem ſtrenuum cum expedita manu mittit, qui Indiae occidentalis portus ac litora propius contemplaretur; ut eodem tempore, quo bellum in Belgio moveretur, infeſtatis Indiarum litoribus vires

Hiſpanorum

𝔇. f. o. [* *immani laniena,*]

VAR. LECT. α Minqueterium. *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Bourgueil.* [b] *Touraine.* [c] *de Villequier, vicomte de la Guerche.* [d] *de Lignerolles.* [e] *Henri d'Engoulesme.* [f] *le comte Charles de Mansfeld.* [g] *sieur de Jean, frere du comte de Mongomery.* [h] *le comte Ludovic de Naſſau.* [i] *de la Nouë, de Teligny, & d'Hangeſt ſieur d'Argenlieu.* [k] *Lumigny en Brie.* [l] *la Rochelle.* [m] *Minquetiere.*

Hiſpanorum pluribus locis diſtraherentur. Verum infelix navigationis illius exitus fuit, hominibus, qui exploratum miſſi erant, innato avaritiae vitio mox ad rapinas verſis; quarum dulcedine ineſcati cum periculo ſe ſaepius objicerent, in ipſo perierunt, juxta Hiſpaniolam capti et ad unum omnes trucidati. Interea Colinius a delegatis et ab ipſo Naſſovio perſuaſus ſe ad iter in aulam comparat, ab Arturo [a] Coſſaco, quicum illi antiqua amicitia intercedebat, poſtremo ad eum miſſo inductus, qui et ad eum a rege diploma attulit, quo licebat ipſi L nobileis armatos ad corporis tutelam etiam in aula circumducere. Additae ad haec et Franciſci Momorantii literae non ſolum proxima cognatione, ſed arctiſſima amicitiae neceſſitudine cum Colinio conjuncti; quibus eum de conſtanti regis erga ipſum voluntate certiorem faciebat, et ut in aulam quamprimum veniret, enixe obſecrabat. Igitur ille in aulam venit, perhonorifice atque inſolita laetitia exceptus. Cum vero ante regis pedes in genua venerabundus procideret, eum rex ſtatim ſublevavit, parentem identidem appellans, et palam dictitans, nuſquam optatiorem ſibi diem illuxiſſe, quam quo per ejus praeſentiam bello finem impoſitum, et tranquillitatem toto regno firmam conſtitutam videret. Tum haec verba renidenti vultu ſubjecit, Nunc te tenemus et nobiſcum habemus, neque poſtea cum voles a latere noſtro diſcedere licebit. Eadem vultus ſerenitate et pari verborum familiaritate a regina matre et [b] Andino praeter ſpem exceptus eſt; ſed praecipue ab [c] Alençonio, qui ob id jam tum orta inter fratres aemulatione ſuſpectus eſſe coepit. Tam honorifica et benevolentiae plena verba rex factis cumulavit, C librarum CIↃ ex aerario ad farcienda damna privata proximis bellis accepta numerari juſſis, et unius anni ſacerdotiorum Caſtellionaei cardinalis fratris, quae ille ampliſſima poſſidebat, reditum ei attribuit cum parte illorum ſacerdotiorum, data facultate, quam et diplomate manu propria ſubſignato firmavit, ſupellectilem inſtructiſſimam Caſtellionaei cardinalis direptam ac divenditam, ubicumque eam nanciſci poſſet, vindicandi. Tum priſtinus ei in regis conſiſtorio locus reſtitutus, ita ut inter equitum tribunos medius ſententiam diceret. Telinius quoque ipſius gener magnis honoribus affectus eſt; et Arnoldus [d] Cavagnius ſenator Toloſanus magiſtri ſupplicum in regia libellorum dignitate donatus, aliique ex nobilitate variis beneficiis et honoribus ejus commendatione a rege aucti. Additum ad humanitatis ac munificentiae cumulum a rege, quo majorem ſinceritatis et conſtantis de pace conſtituenda deſiderii fidem faceret, ut quamprimum rationes belli in Belgio contra Hiſpanos gerendi inirentur, foedus cum ſereniſſima Anglorum regina renovaretur, novum cum principibus Auguſtanae confeſſionis ſociis in Germania percuteretur. Inde petita a rege licentia Colinius [e] Caſtellionem ad Lupani propriam arcem ad res domeſticas ordinandas conceſſit: unde aliquanto poſt a rege in aulam revocatus eſt, ut de belli Belgici rationibus, uti novae difficultates occurrebant, cum eo capita conferret; ac rurſus domum repetivit. Ita toto Septembre exacto, delegati Proteſtantium, cum ſaepius cum rege egiſſent, ut ad capita edicti, quae aut ambigua aut controverſa eſſent, benigna interpretatione reſpondere dignaretur, tandem eorum petitiones ab Henrico [f] Memmio coram rege lectae ſunt, et ad ea gratioſe reſponſum prid. Eid. Octobris; ſtatimque novi delegati per provincias miſſi, qui ſecundum ea, quae noviſſime decreta eſſent, edictum executioni demandarent.

XV. Hic annus apud Germanos tantum mortibus aut principum aut aliorum virorum memorabilis fuit: nam ſtatim initio ejus IV Non. Jan. Joachimus II Brandeburgicus

INTERPR. [a] *le mareſchal de Coſſé, ſieur de Gonnour.* [b] *duc d'Anjou.* [c] *duc d'Alençon.* [d] *de Cavagnes.* [e] *Chaſtillon ſur Loing.* [f] *de Meſmes.*

CIϽIϽLXXI. CAROLUS IX.

Brandeburgicus ſeptemvir in arce [a] Copenica ad [b] Suevum, fluvium duobus ſupra Berlinum milliaribus cum hilariter coenaſſet, ſubito extinctus eſt, cum annum aetatis LXVI ageret, XXXVI principatum rexiſſet, vi veneni, quod in poculo cubitum ituro Judaeus quidam miſcuerat: quod quinquennio poſt indicio vocis a Judaei uxore cum marito rixante impotenter emiſſae patuit. Magno is fuit et liberali ingenio, ſed placido et in religionis negotio ſumme moderato; de cujus controverſiis componendis unice ſolicitus rem non vi, ſed amice per colloquia tranſigendam cum cenſeret, ab armis civilibus ſemper abhorruit, et amicis ac foederatis principibus, ut ab iis in religionis cauſa abſtinerent, auctor fuit. Bello Hungarico olim praefectus, cum neque pecunia ab imperii ordinibus promiſſa in ſtipendium conferretur, et commeatus atque auxilia non ſumminiſtrarentur, inutiliter fere tempus in illa expeditione contrivit, eo nomine a Paulo Jovio indigne laceratus, quaſi ad Peſtum ſegnitie ipſius re male geſta, cum aliena potius quam ipſius culpa id acciderit. Eum Joannes frater decimo poſt die ſecutus eſt, [c] Cuſtrini ad [d] Wardae et Viadri confluentem placide mortuus, princeps prudentia et ad ſeveritatem antiquam compoſitis moribus commendabilis, et ipſe ab armis alienus; cujus filiam Catharinam, matri Henrici Brunſvici filiae cognominem, anno ſuperiore Joachimus Fridericus adminiſtrator Magdeburgenſis Joachimi II ſeptemviri, de quo modo diximus, nepos uxorem duxit; ex eoque matrimonio familia illuſtriſſima ad paucos redacta multis ſuſceptis liberis aucta ac propagata eſt. Joannis morte Brandeburgicam ditionem, qua nullius in Saxonia unius principis amplior aut populoſior eſt, regendam accepit Joannes Georgius Joachimi II filius. In Saxonia quoque nobilis ac perantiqua familia [e] Pleſſia Theodori morte extincta eſt, et ejus ampliſſimum patrimonium ac caſtella Heſſiae princeps, cujus beneficiaria erat, poſſeſſum ivit. Hoc et eodem anno Wolfangi [f] Baioari Bipontini ante biennium in [g] Lemovicibus apud nos mortui cadaver [h] Engoliſmae ab eo tempore aſſervatum, et inde, ne qua pace facta ob religionis diſſidia contumelia afficeretur, [i] Rupellam tranſlatum, Joannis [k] Wolfii, quo conſiliario is in ea expeditione uſus fuerat, cura olcadi Lubecenſi imponitur, et per mare diverſa fortuna jactatum tandem III Eid. Quintil. [l] Tramium Lubecenſium portum appulit; unde rebus neceſſariis ad honorificam ſubvectionem comparatis per [m] Luneburgum, Brunſvicam, Wolfebutelum, Mindam, Caſſellas facto itinere, ubique funebribus orationibus decorato funere, principibus, civitatibus ac ordinibus obviam, qua incedebat, honorifice ac magno comitatu procedentibus, poſtremo in propriam ditionem deducitur, et [n] Meiſenhemii in monumentum majorum magnis ſumptibus in vecturam ac pompam factis infertur. Nec multo ante ex epilepticis doloribus prid. Eid. Mart. fatis conceſſit Joannes Stephanus, etiam Sigiſmundus ab aliis dictus, [o] Daciae princeps, Joannis [p] Scepuſii et Iſabellae Sigiſmundi Auguſti regis Poloniae ſororis filius, qui patri, Turcis potentiſſimum [q] Pannoniae ac florentiſſimum tota Europa regnum invadendi occaſionem praebenti, iiſdem animis et pari infelicitate ſucceſſit. Indicta inde [r] Tordam, quae eſt provinciae urbs, comitia principi creando ad VIII Kal. Quintil. in quibus commendatione Selimi, cujus literae publice lectae ſunt, Stephanus [s] Batorius Somlienſis Andreae filius concordibus omnium ordinum votis Tranſilvaniae Vaivoda electus eſt, cum Gaſpar [t] Bekſolius provinciae regulus eundem honorem fruſtra prenſatis nobilitatis ſuffragiis ambiviſſet. Stephanus ſtatim atque princeps

* INTERPR. [a] *Copenigh.* [b] *le Sprew, qui tombe dans le Havel.* [c] *Cuſtrin.* [d] *Warte & Oder r.* [e] *Pleſſe.* [f] *de Baviere, duc de Deux Ponts.* [g] *le Limouſin.* [h] *Angoulesme.* [i] *la Rochelle.* [k] *Wolf.* [l] *Tramunde.* [m] *Lunenburg, Brunſwick, Wolfenbutel, Minden, & Caſſel.* [n] *Meiſenheim.* [o] *Tranſilvanie.* [p] *de Scepuſe.* [q] *Hongrie.* [r] *Torda.* [s] *Bathory de Somly.* [t] *Bekſol.*

princeps appellatus eſt, jurejurando de more praeſtito de privilegiis ſervandis ac jure aequabili dicendo ab ordinibus viciſſim accepto, ad Selimum oratores mittit, qui ſuo nomine gratias agerent, ac tributo L talerorum CIƆ depenſo, operam atque obſequium ſuum in poſterum deferrent. Miſit viciſſim ad eum Selimus ſceptrum ac vexillum inſignia imperii demandati, hac lege, ne cum exteris principibus amicitiam exerceret, aut foedus ullum ſe inconſulto iceret. Dum haec agerentur, Georgius [a] Thuvrius bello clarus dux et, [b] Palota ante quinquennium ſumma virtute [α] defenſa, bene de nomine Chriſtiano meritus, qui [c] Caniſam in Pannonia arcem Caeſaris nomine praeſidio tenebat, dum excurrit, a Turcis illectus in inſidias praecipitavit, unaque cum XXC bellatoribus fortiter pugnando equo delapſus tandem caeditur. Caput ejus a trunco reciſum a Mauro milite Conſtantinopolim perlatum eſt, corpuſque quatriduo poſt Zigetho Caniſam transfertur, ibique pompa militari, cum XVI [β] ſignis, terrae mandatur. CIƆIƆLXXI. Carolus IX.

XVI. Et ut viros doctrina praeſtanteis commemorem, Claudius [d] Eſpencaeus jam multoties a nobis perhonorifice appellatus, paterno genere ex clariſſima Eſpencaeorum in [e] Campania, materno illuſtri [f] Urſinorum in Latio et regno Neapolitano familia ortus, ſed pietate, candore et omnium diſciplinarum abſoluta cognitione illuſtrior, III Non. Octobris animam de republica Chriſtiana optime meritam Deo reddidit, Lutetiae ad S. Coſmae ſepultus; qui per XL annos in Pariſienſi academia humanioribus, philoſophicis ac theologicis ſtudiis cum incredibili omnium admiratione operam navaſſet, a Franciſco I [g] Melodunum, ab Henrico II [h] Bononiam, a Franciſco II [i] Aurelianum, a Carolo IX [k] Piſſiacum inter primarios religionis hoc in regno antiſtites nunc legatus nunc diſceptator ſanctiſſime ac doctiſſime de controverſis rei Chriſtianae capitibus cum delectis adverſae partis theologis ſumma aequitate ac moderatione egit, et voce ac eruditiſſimis in complures ſcripturae locos editis commentariis religionis negotium promovit, ſacri etiam olim galeri decus potius meritus quam adeptus, tandem ex graviſſimis calculi doloribus, quod fere praemium pro vigiliis a natura ſtudioſis rependitur, extinctus eſt anno aetatis LX, magno ſui relicto deſiderio; cum unus e paucorum numero eſſet, qui de idoneis pacis in eccleſia conſtituendae rationibus ſerio ſemper cogitaverit, atque adeo de tollenda e domo Dei ſciſſura, quam multi hodie, dum praepoſtero pietatis ardore ſtrenui in ea cauſa videri volunt, firmant magis quam oppugnant, alienatis et obduratis adverſariorum animis, quos potius emendationis facta ſpe et ſublatis offendiculis conciliari et ſenſim ad unionem abduci oportuit. [γ] Eodem menſe Henricus [l] Scrimgerus [m] Dondia oppido Scotiae maritimo ſamilia nobili, cujus princeps vexilli ferendi jus in regno habet, natus, [n] Aureliae Allobrogum extremum diem clauſit annum LXV ſupergreſſus. Is patria relicta Lutetiam Pariſiorum literarum cauſa ſolemni Scotis more primum venit: dein [o] Avaricum Biturigum juris diſcendi cauſa profectus [p] Eguinarium Baronem et Franciſcum Duarenum celeberrimos in ea academia profeſſores audivit; et Jacobi Amioti, qui poſtea ad majores honores evectus eſt, tunc literas Graecas in ea urbe profitentis commendatione erudiendae [q] Bocatellorum pueritiae admotus eſt; ac Bernardum poſtea [r] Redonum antiſtitem et magnis legationibus honorifice defunctum in Italiam ſecutus, ſub id

tempus

VAR. LECT. [α] defenſa, ut ſuo loco diximus, bene *D.* f. o. d.
[β] ſignis, ingenti ſui deſiderio relicto, terrae *D.* f.
[γ] *Hoc Scrimgeri elogium uſque ad* In Rhoetia hoc *deeſt* *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Thuvry.* [b] *Palota.* [c] *Caniſe.* [d] *d'Eſpenſe.* [e] *Champagne.* [f] *Orſini nella Campagna di Roma.* [g] *Melun.* [h] *Boulogne.* [i] *Orleans.* [k] *Poiſſy.* [l] *Scrimger.* [m] *Dundee.* [n] *Geneve.* [o] *Bourges.* [p] *Eginar Baron, & F. Duarein.* [q] *les fils de Guillaume Bochetel, ſecretaire d'etat.* [r] *Rennes.*

CIϽIϽLXXI. CAROLUS IX.

tempus [a] Patavium acceſſit, quo Fr. Spiera in ea civitate vitam abrupit, ejuſque hiſtoriam, quae Henrici Scoti titulo vulgata eſt, ſcripſit. Nec ingratus diſcipulus erga praeceptorem fuit, quem cum non exiguum damnum Genevae aedibus incendio fortuito paene abſumptis accepiſſe intellexiſſet, non modica pecunia ad illud farciendum protinus miſſa muneravit. Inde in Germaniam profectus Scrimgerus Huldrico [b] Fuggero inſigni literarum et literatorum patrono operam addixit, ejuſque ſumptibus bibliothecam magna librorum rariorum tam Graecorum quam Latinorum manuſcriptorum copia inſtruxit; ad quos edendos Genevam reverſus Henr. Stephani, qui et Fuggeri ſtipendiarius erat, induſtria uſus eſt; et Novellas Juſtinianeas, quas Jacobus Cujacius tantopere poſt Gregorii Haloandri editionem laudavit, ex illius officina publico dedit. Ipſe anno CIϽIϽLXIII in ſchola Genevenſi philoſophiam publice docuit, et biennio poſt primus in ea civitate jus civile profiteri coepit: quo in munere defecit, et moriens peculiarem bibliothecam optimis libris refertam P. [c] Jungo ſororis filio, qui nunc epiſcopali dignitate in Anglia ornatus eſt, teſtamento legavit; quam Alexander Petri frater Geneva in Britanniam transferendam curavit. In [d] Rhoetia hoc eodem anno Ludovicus [e] Caſtelvetrus [f] Mutina natus obiit; qui variis cum Hannibale [g] Caro de re ludicra altercationibus vexatus ad extremum patriam reliquit, et literarum ſtudia apud [h] Helvetios hoſpes antiqua perſecutus, praeter alia, inſignem in Ariſtotelis poeticam commentarium lingua vernacula ſcripſit, et [i] Baſileae elegantiſſima forma edendum curavit. Poſt Caſtelvetrum commemorandus venit Georgius [k] Fabritius Chemnicenſis, qui rem litterariam non mediocriter et ſcriptis et viva voce juvit et illuſtravit, din illuſtri ludo [l] Miſenae Hermundurorum poſt Joannis [m] Rivii obitum praepoſitus, et poetica facultate; quam rebus ſacris fere impendit, magnam laudem inter ſuos adeptus Eid. Quintil. deceſſit, anno aetatis LVI. Quem paucis menſibus anteceſſit Joachimus Morlinus Lutheri ſectator, et [n] Sambienſis eccleſiae a Sigiſmundo Auguſto Poloniae rege, cum res [o] Boruſſiae ante aliquot annos ordinaret, epiſcopus creatus.

XVII. Et ne omnino a controverſiis religionis quieſceret Germania, Fridericus Palatinus ſeptemvir, cognito, Anabaptiſtarum ſectam in vicinis atque etiam in ſuae ditionis urbibus late graſſari, colloquium in valle [p] Francolina inter [q] Spiram Nemetum et Wormatiam Vangionum IV Eid. Apr. Sectariis publica fide interpoſita condicit. Ibi capita contra eorum doctrinam ad diſputandum propoſita a Petro Datheno et Wenceſlao Zulegero theologis; quibus adjuncti ſunt Gulielmus Xylander, et [a] Martinus Neander viri eruditione praeſtantes, qui notariorum munere in ea actione defungerentur. Fanaticorum hujuſmodi plures ſectae ſunt: nam alii nullam ſcripturae interpretationem admittunt, ſolis ſcripturae verbis inſiſtentes, et veterum patrum, puta S. Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, Bernardi teſtimonia rejicientes: alii gloriantur de tertio Davide et novis Hieroſolymis, habentque multa cum Mahumetanis Iſmaeliticis communia; pluribuſque uxoribus utuntur: horum anteſignanus fuit Melchior Hofmanus, cujus doctrina quid erga homines potuerit, inſigni et vix poſteris credibili Joannis [r] Lugdunenſis Batavi ante XXXVII annos exemplo patuit, qui [ſ] Monaſterii in Weſtphalia, ejecto magiſtratu ac faſcinatis civium animis, deteſtandam doctrinam ſuam invexit, et ſe regem proſtituto mulierum pudore conſtituit. Sunt et inter eos, qui omnibus mandatis fidem abrogant; in omnium rerum nec ſolum uxorum ſed et bonorum communione vivunt; juramenta

VAR. LECT. [a] Michael Neander D. f. o.

INTERPR. [a] *Padoue.* [b] *Fuggher.* [c] *Young.* [d] *païs des Griſons.* [e] *Caſtelvetro.* [f] *Modene.* [g] *Caro.* [h] *les Suiſſes.* [i] *Baſle.* [k] *Fabrice de Chemnitz.* [l] *Meiſſen.* [m] *Rivius, recteur du college.* [n] *de Szamland.* [o] *la Pruſſe.* [p] *Franckendal.* [q] *Spire, & Wormes.* [r] *de Leyde.* [ſ] *Munſter.*

CIↃIↃLXXI.
CAROLUS IX.

juramenta prohibent, nec ad ea vel a magiſtratu cogi volunt. Alii rurſus Munceriani a Thoma [a] Muncero auctore ſuo dicti Chriſtianae religionis ſacroſancta myſteria, quae ſacramenta dicimus, omnino aſpernantur, peccatorum ſe expertes ac juſtos profitentur, ac proinde magiſtratum neſciunt, auctores ruſtici belli, quod anno hujus ſaeculi XXV excitatum eſt: horum reliquiae poſt diſſipatos illos motus ſe ad [b] Galli-fanum et Abbatis-cellam in Helvetiis contraxerunt. Alii denique ſunt, iique ſuae doctrinae principes citant Michaelem [c] Satlerum, Georgium [d] Vagnerum et [e] Leonardum Caeſarem, qui magiſtratui parendum negant, ſe ſolos juſtos, ceteros impios jactitant, libertatem ſolutam profitentes, nullis ſe legibus obligari dicunt; et alia monſtra opinionum commenti, quibus omnia verae religionis ac civilis adminiſtrationis fundamenta ſubvertuntur. Cum iis hominibus inſtitura diſputatione a V Kal. Jun. ad XIII Kal. Quintil. cum nullis ſcripturae teſtimoniis, nullis rationibus inſana capita a pertinacia inſanabili dimoveri poſſent, et in erroribus ſemel animo conceptis perſeverarent, ſolvitur colloquium; et Fridericus jure magiſtratus in eos uſus, graviſſima poena indicta, ne in ditione ſua doceant, et ſubjectos ſeptemviratui populos ſeducant, interdicit. Cum vero ineunte anno Witembergenſes theologi catechiſmum juxta doctrinam in Saxonicis et Miſnicis eccleſiis receptam edidiſſent, camque contrariis ſcriptis initio vellicatam poſtremo damnaſſent Jenenſes, Brunſvici, Luneburgenſes, Halenſes et Mansfeldici theologi quaſi cum ſacramentariis, quos vocant, congruentem, unanimi [f] Lipſienſis ac Witembergenſis academiarum et trium conſiſtoriorum conſenſu ac decreto apologiam publicant; in qua ſuam de perſona et incarnatione Chriſti, deque ejus majeſtate, aſcenſione, ſeſſione ad dextram Dei, de coena Dominica ſententiam clare ac perſpicue explicant, palam conteſtati, nolle ſe confeſſionem iſtam aliter accipi, quam hactenus in Saxonicis eccleſiis per annos abhinc XL unanimi omnium conſenſu ſervata ſit: quod etſi ad ſiſtendam contentionum licentiam ſatis eſſe apud aequos rerum aeſtimatores exiſtimarent, longe ſecus evenit, cum ex eo magis ac magis animi exacerbati ſint.

XVIII. MAGNA prodigia hoc anno in Germania memorantur. Nam cum anguſtia annonae fere ubique ſumma, tum praecipue in [g] Suevia ac Norico laboraretur, raro praeter naturam beneficio piſa, rapula, frumentum ac triticum compluribus locis [h] Gotlebergi, Lembergi ac Laubii in Quadis XVII Kal. Quintil. pluit; ex quo collecto trituratoque homines undique accurrentes triduo poſt panem eſu optimum confecere: cui ſimile prodigium jam ſupra ad annum XLVIII commemoravimus. Nec multo poſt eodem menſe in Saxonia [i] Leoburgi ad Albim, quae Saxoniae inferioris principum ſedes eſt, a Lunebergo II, ab Hamburgo VI milliaribus diſſita, duo ſordidi et inhumaniter avari inſtitores, aliquot millibus frumenti modiis coemptis, dum illud Hamburgum deferri, quo carius divenderent, curant, horrei foribus reſeratis frumentum iis in oculos ſponte obviam fertur, atque per feneſtras evolat, ut ne granum quidem in tabulato reliquum fuerit, magna popularium admiratione: quo caſu unus ex [k] dardanariis attonitus concidit, ac mox exſpiravit; alter ex horreo deſiliens cum ad Albim ſe ſuffocaturus tenderet, a bajulis aegre retractus ac vinctus eſt. [l] Princeps vero, qui [m] Ratſeburgi erat, re ad eum perſcripta, Leoburgum venit, ut coram de re omni certius cognoſceret; cumque miſer ex deſperatione rejecto omni ſalutari conſilio tandem animam a malo ſpiritu diu vexatam efflaſſet, princeps cadaver ejus publice cremari juſſit;

poena

INTERPR. [a] *Muntzer.* [b] *S. Gall, & Appenzell.* [c] *Satler.* [d] *Wagner.* [e] *Leonard Empereur.* [f] *de Leipſick & Wittemberg.* [g] *la Souabe & la Baviere.* [h] *Gotzberg, Lemberg, & Lauben en Sileſie.* [i] *Lawenburg ſur l'Elbe.* [k] *daciers ou uſuriers, qui amaſſent les bleds pour les revendre.* [l] *duc de Saxe-Lawenburg.* [m] *Ratzeburg.*

poena capitis et bonorum omnium in eos ſancita, quicunque ex ſuis ſubditis ad annonam flagellandam et gravandos pauperes frumentum praeemeret aut interverteret. Spectrum et horrendum [a] Pragae XIII Kal. Sextil. pleriſque noctu viſum narratur, equitatus juxta Emmauntis coenobium magno cum fragore diſcurrentis et currum trahentis, quem octo ocreati homines ſine capitibus ſequebantur: quae omnia lucido igne exorto ſubita ingentis turbinis vi difflata evanuerunt: cujus rei penes ſcriptores fides eſto: nec multo poſt III Kal. Oct. ſolis aſpectus per omnem illum tractum triſtis, rubicundus ac ſanguinolentus fuit. Proditum eſt et a quibuſdam, in ditione [b] Emdenſi apud Friſios orientaleis exeunte anno ſanguinem pluiſſe.

XIX. Eo tempore Moſci, poſt ſolutam [c] Revaliae obſidionem, Finlandiam Joannis Sueci regis provinciam ingreſſi inaudita immanitate populati ſunt, incenſis direptiſque vicis, et aliquot millibus omnis ſexus hominum in miſerabilem ſervitutem abductis: qua re non mediocriter commoti exteri, qui Moſco militabant, et in iis Reinoldus [d] Roſa equitum praefectus crudelitatem et imperium ejus peroſus, re cum Joanne Dubio et Elardo Cruſio communicata, de defectione ſimul conjurant; et ne ſine aliquo inſigni facinore id exequerentur, de [e] Torpato quoque in poteſtatem redigendo, et civitate a Moſci jugo liberanda conſilium incunt. Sed cum Reinoldus in eo negotio praecipitantior quam cautior in urbem cum equitibus ſuis veniſſet, nec ab oppidanis Germanis, quippe rei ignaris, adjuvaretur, vim fruſtra fecit et, a Ruſſorum praeſidio repulſus ac caeſus, exitium urbi, cui libertatem parabat, imprudentia ſua maturavit, pleriſque civibus a Ruſſis crudeliter trucidatis ac bonis ex ea occaſione a gente barbara direptis. Cum ſucceſſus voto non reſpondiſſet, Dubius et Cruſius Livoni ad ſummos honores a Moſco evecti, ut ceteris Livonis ad defectionem ab Imperio et Polono exemplo eſſent, ſibi male conſcii ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniae regem transfugerunt. Eam ſaevitiam et in innocenteis ſeveritatem uſurpatam Deus caſu mox alio inſigni ultus eſt. Nam eodem fere tempore, quo haec Torpati agebantur, [f] Tatari, gens vaga et inopinato irruens, [g] Krempſechio duce, qui LXX CIↃ equitum ſecum trahebat, Moſcoviam Ruſſici imperii metropolim vaſtiſſimam urbem, ſed ligneis fere aedificiis conſtantem, ſubita irruptione oppreſſere IX Kal. Jun. et igne inter praedandum injecto totam fere incendio delevere, excepta arce principis, quae lapide ſtructa, et ampli oppidi inſtar muris cingebatur: cum vero Moſci abeunteis cum praeda Tataros ardentius inſequerentur, a Tataris fugere creditis circumventi ad unum omnes interfecti ſunt.

XX. In Belgio [h] Albanus, rebus jam ut ſibi videbatur pacatis, decimam, viceſimam et centeſimam per Carolum [i] Barlaimontium, et [k] Nocrcarmium urgebat; de quibus varias a variis provinciis difficultates ac controverſias exortas, quibus poterat rationibus, ſumma adhibita ſed ſevera prudentia componebat. Nam iis tributis provinciales commercium non mediocriter labeſactari dicebant, immo omnino intermitti, libertatem negotiantium impediri, et mercium caritate inde exorta fore, ut opificia ceſſent, et artifices atque negotiatores alio emigrent; quod ſi accidat, Belgii florentiſſimas toto orbe ac frequentiſſimas et opulentiſſimas provincias ad ſummam ſolitudinem et inopiam brevi redactum iri. Albanus contra ante omnia et religionis et provinciarum ſecuritati conſulendum contendebat, quam niſi arcibus paſſim conſtructis ac munitionibus et praeſenti in ſtipendium militis pecunia minime conſtare aiebat; et decimae quidem ac viceſimae, quam

Alcaulam

INTERPR. [a] *Prague.* [b] *comté d'Embden.* [c] *Revel.* [d] *Roſe.* [e] *Derpt.* [f] *les Tatars ou Tartares.* [g] *Krempski.* [h] *duc d'Albe.* [i] *le comte de Berlaimont.* [k] *Philippe de Sainte Aldegonde, ſieur de Norcarmes.*

[a] Alcaulam vocant, non ita difficilem exactionem eſſe, id evincere, quod in Hiſpania citra negotium et cum minimo agricolarum incommodo ubique dependitur. Provincialium cauſam in ſpeciem tuebatur Ulricus [b] Viglius Zuichemus praeſes, profunda vir prudentia, ita ut contra obnixe niti non videretur. Exemplis, promiſſis et aliis artibus pugnabat [c] Albanus: nam fore, ſi in decimam conſentirent, ut longe gravioribus tributis exonerarentur. Sed cum id ab Ordinibus Bruxellas ob id convocatis impetrare non poſſet, additae ad artes minae, cum diceret, plurimum auctoritati regiae detrahi, ſi tributorum imponendorum neceſſitate urgente permiſſio a populo ſit impetranda. Demum prenſari, promiſſis ineſcati aut territi Ordinum delegati in exactionem, ſed certis conditionibus, conſenſere; et ante alios [d] Hannonii quidem, Atrebates et Namurcenſes ingentibus in occulto ac privatim ab Albano promiſſis onerati, ut ceteris exemplo ſuo praeirent: ſed [e] Ultrajectini recuſabant; quibus alii Ordines, et inprimis Brabantini querelas ſuas ſociaverunt. Interim dum decimae exigendae rationes ineuntur, centeſimam executioni mandari curat Albanus. Tandem cum decimae et viceſimae exactionem, ut ab Ordinibus decretam, promulgari prid. Kal. Sextil. juſſiſſet, rurſus intercedere Ordines, et Viglio, [f α] Schetſio atque aliis pro libertate provinciarum affirmantibus, Ordines non abſolute in decimam conſenſiſſe, immo hinc periculum imminere, ne centeſimus ſecundae exactionis nummus recuſetur, Albanus excandeſcens aperte declaravit, ſe non expectato Ordinum conſenſu exactiones imperatas executurum; ſuggillara interim conſiliariorum regiorum fide, qui tanquam perduelles ipſi populareis aut contra-animarent, aut diſſentienteis defenderent. Cum inter eos non conveniret, et Ordines nullum apud Albanum gratiae locum reperirent, honorificam legationem ad Philippum in Hiſpaniam decernunt. Legati profecti, et quamvis ab Albano revocati nihilominus ire perrexerunt, irrito eventu: nam mox exorti novi tumultus pacem in Belgio miſcuerunt. Hoc anno ineunte Hermanus [g] Ruiterus Silvaducenſis olim boarius inſtitor, vir promptae audaciae, ope trium ſociorum III Eid. Jan. Arauſionenſis inſtigatu, cui ille operam in occulto navabat, [h] Lovenſtenium caſtrum, quod ad [i] Cliviae ducem pertinet, in angulo [k] Bommelerverdae inſulae, quam [l] Moſa et Wahalis circa [m] Gorchemium efficiunt, ſub veſperam Franciſcanorum ſpecie ingreſſus capit; captumque obtruncato arcis praefecto ac praeſidio pro tempore firmarum aliquandiu tenuit, ſpe auxiliorum, quae illi a [n] Bergenſi comite ſummitti ex compacto debebant, donec a Roderico [o] Toletano, qui ad Silvam-ducis erat, miſſus eſt Laurentius Perea cum CC ſcloppetariis et X fariſſophoris, ut locum propius inſpiceret, et ſi occaſio ſe in manus daret, eam minime praetermitteret. Is ſub veſperam caſtro appropinquans, cum nullas ſtationes pro muris cerneret, ſtatim loco vicino ſcalas comportari curat, et canalibus duobus, qui interjacent, ſummo ſilentio ſuperatis ſcalas muro admovet, antequam a praeſidiariis conſpici poſſet, eoſque intra arcem compellit. Mox [p] Bommelia advecta colubrina turrem aperit, unde infeſta minorum tormentorum diſploſione defenſores jaculabantur, ad eamque impetu facto diu cominus inter eos pugnatum eſt, dum interim per ſcalas alia parte admotas Hiſpani in arcem evaſere, et obvios praeſidiarios ad unum omneis interfecere. Ruiterus, qui nullam in deditione ſpem haberet, ſtatim in conclave pulvere tormentario

ſtratum

VAR. LECT. [α] Schetſio D. f. o. d. Ed. Gen.

INTERPR. [a] *Alcavala, impoſition qui ſe leve en Eſpagne.* [b] *Viglius, ſieur de Swichem.* [c] *duc d'Albe.* [d] *ceux d'Hainault, Artois, & Namur.* [e] *ceux d'Utrecht.* [f] *Scheetz.* [g] *Ruiter de Boiſleduc.* [h] *Lowenſtein.* [i] *Cleves.* [k] *Bommelwert.* [l] *la Meuſe & le Wahal.* [m] *Gorkum.* [n] *le comte Van den Berghe.* [o] *de Toledo.* [p] *Bommel.*

CIƆIƆLXXI CAROLUS IX. ſtratum ingreditur, romphaeamque ambabus manibus tenens, qua ſe non ſine hoſtium damno diu ſtrenue defenderat, multis acceptis vulneribus, ad extremum igne in pulverem per funiculum, quem et manu tenebat, ad id paratum injecto, ipſe violentia ignis enectus eſt, Hiſpanis, qui propiores erant, majorem partem ambuſtis. Occiſi caput Silvam-ducis allatum et palo in foro ſuffixum eſt. Qui capti cum eo fuere, [a] Antuerpiam deducti; et pars ſuſpendio, pars in partes quatuor ſecti vitam finivere. Albano dein urgente apud Philippum, ut ſibi ſucceſſor daretur, ſive id ſimulate ageret, quod ita in Hiſpania decretum ſciret, ſive id perciperet, Joannes [b] Cerda Medinae-coeli dux, infelicis ante decennium ad [c] Lotophagitidem expeditionis auctor, tunc vero Belgii gubernator a Philippo pronunciatur prid. Kal. Oct. Is cum [d] Laredo ſolviſſet, adverſa diu tempeſtate jactatus, tandem in Hiſpaniam cum claſſe rejectus eſt, ubi per proximum ad profectionem expectare coactus fuit. Hujus de profectione ubi in Belgio cognitum eſt a foederatis, et iis, qui in occulto illorum rebus favebant, cum Albanum ſtatim e provincia diſceſſurum providerent, ad res turbandas commodum tempus nacti animum adjiciunt, et nova conſilia inter ſe conferunt. Gulielmus [e] Lumaeus Marciae comes militaribus undiquaque et ex [f] Britannia praecipue Eliſabethae beneficio coactis copiis in Batavos exſcenſionem improviſo facit, et inſulas aliquot litori praetentas occupat, ac [g] Briclam munitiſſimum in Batavis oppidum Kal. Apr. capit: ad cujus rei famam et pleraeque aliae inſulares urbes violentas Albani exactiones pertaeſae, et promiſſae libertatis dulcedine inescatae ad foederatos defecere. Verum haec ad inſequentem annum pertinent [a].

XXI. Interea in Scotia novus prorex ad VIII Kal. Feb. conventus indixerat, quos poſtea in Maium ſequentem diſtulit, induciis ſemper a [h] Suſſexio prorogatis; qui ſive [i] Norfolcii cauſa nondum omnino deplorata, ſive Scotae captivae, de cujus reditu non deſperabat, pollicitationibus inductus, in illius factionis partes pronior credebatur: cum vero ſub id tempus Hamiltonii in caedem [k] Levinii percuſſoribus multis fruſtra ſubornatis [l] Paſleti turrim cuſtodibus ejectis occupaſſent, et id impune fore in tanta licentia ſibi perſuaſiſſent, prorex confeſtim eo ducit, amandato Non. Feb. in Angliam [m] Mortonio, [n] Pitcarnio et Jacobo [o] Macgillio, qui cum legatis externorum principum de Scotae cauſa diſceptarent. Ii cum ad X Kal. Mart. Londinum veniſſent, in concilio delectorum ab Eliſabetha auditi ſunt. Poſt variam diſputationem duo capita ab Anglis propoſita ſunt, ut rerum a Scotis contra reginam ſuam geſtarum cauſae, antea a [p] Moravio allatae, tam evidentibus argumentis confirmarentur, ut eas fuiſſe veras ac juſtas ipſa Eliſabetha perſuaſum habeat, et aliis rationem repoſcentibus honeſte reſpondere poſſet; quod ſi minus poſſent, rationes inirentur, quibus haec diſcordia honeſtis conditionibus componeretur. Ad haec legati commentarium ſcriptum exhibent, quo in praeſens omiſſis argumentis et probationibus antea a Moravio allatis, quibus de rei veritate plenam fidem factam aiebant, jure ſe feciſſe oſtendebant, ut in reginam paricidii convictam et regia poteſtate ad omne ſcelus abutentem tanta lenitate animadverterint: nam et olim reges in Scotia morte, vinculis, exilio punitos ex annalium monumentis conſtare; ut nec vetus majorum conſuetudo, quod de regina objicitur, novum videri ſinat, nec moderatio poenae invidioſum: Scotos liberam ab initio gentem reges eo jure ſibi creaviſſe, ut imperium populi ſuffragiis eis mandatum, ſi res poſceret,

VAR. LECT. [a] *Hic inſeritur Norfolciae libri ſequentis ponitur in Ed. Gen. et hac noſtra. – ducis condemnatio in D. f. o. d. quae ſub initium*

INTERPR. [a] *Anvers.* [b] *de la Cerda.* [c] *la Gerbe.* [d] *Loredo.* [e] *comte de la Marck, ſieur de Lumay.* [f] *Angleterre.* [g] *Briel*, ou *la Brille.* [h] *comte de Suſſex.* [i] *duc de Norfolk.* [k] *comte de Lenox.* [l] *Paſley.* [m] *comte de Morton.* [n] *Pitcairn.* [o] *Mac-Gill,* [p] *comte de Murray.*

Digitized by Google

poſceret, eiſdem ſuffragiis adimi poſſet: ejus rei veſtigia et in regum inaugu- CIƆIƆLXXI.
randorum ceremoniis, et in phylarchorum creatione adhuc manere: idque externis CAROLUS IX.
exemplis Graecorum et Romanorum confirmari poſſe, adducto recenti Chriſtierni Dani regno exacti exemplo, et Joannae Arragoniae Caroli v parentis, quae propter affectatas ſecundas nuptias, quod et divinis et humanis legibus poterat, amentiae praetextu vitam in perpetua cuſtodia exegit. Proinde ſic colligebant, licere ac licuiſſe ſemper tyrannorum licentiam ſupra fas et omne legum imperium ſe efferentium coercere; nec eos audiendos eſſe, qui tyrannorum caſtigatione bonorum regum auctoritatem imminui, et majeſtatem vileſcere juxta imprudenter et adulatorie blaterant. Lecto ſcripto Eliſabetha, cum ejus libertate, ut par erat, non mediocriter commoveretur, et exemplum rebus in Anglia nondum bene pacatis vereretur, inſtantibus legatis tandem reſpondit, ſuo nondum animo ſatisfactum argumentis et exemplis ab eis prolatis; neque vero ſe rationum ac diſputationum hujuſmodi plane rudem eſſe, ut quae ſuperioris temporis partem ſtudio legum impenderit: reliquum eſſe, ut ad alterum ipſis propoſitum caput deveniretur, et rationes ſopiendae diſcordiae inirentur. Injecta fuerat mentio de rege Scoto pro matre petendo obſide; ſed id a Scotis impetrari poſſe ſpes non erat. Etſi autem ea expedita erat ratio Scotae ex Eliſabethae manibus eximendae, tamen Galli, qui Scotam libertati reſtitui cupiebant, regem Anglis dedi nolebant. Inter has altercationes aliquot dies inutiliter extracti, cum nullas ſe conditiones accipere legati poſſe oſtenderent, quibus regis poteſtas in arctum cogeretur, et regina captiva ſuam cauſam inter ſubjectos ita tractari graviſſime ferre per literas ſignificaret; tandem re infecta legati dimiſſi ſunt [a]. Eliſabetha, quae animi anxia conſilium rebus ſuis ex eventu capere cuperet, quo tempus duceret, ex uſu ſibi videri dicebat, et ita delegatis perſuaſit, ut ab utraque factione homines deligerentur, qui rei componendae operam darent: quod ſecus interpretatus Roſſenſis dicere ſolebat, nonnullos Angliae conſiliarios Eliſabethae prudentia abuti; principes autem externos Mariae patientiam ludificare, et Scotos ſpe damnoſa lactare. Itaque Scota tantarum ludificationum impatiens, cum videret interea principes factionis ſuae gravibus damnis in limite afflictos, pleroſque indigna morte adfectos, arces ubique interceptas, non ulterius expectandum rata [a] Gallovidienſem Epiſcopum et [b] Leviſtonium revocat, [c] Roſſenſi Londini manere juſſo; atque ad ſuos, ut nulla induciarum habita ratione arma caperent, et injurias contra jus illatas vi aperta repellerent, repetitis nunciis perſcribit: ipſa ad extrema conſilia deſcendit; et per R. [d] Ridolfum, qui ſub id ex Italia Londinum redierat, Roſſenſis et [e] Barkeri ab epiſtolis interventu cum [f] Norfolcio agit, et viro generoſo, ſed ſimplici et ab omni fuco et nequitia alieno, de futuris inter ipſos nuptiis fidem obligat, ſcriptis amatoriis literis, et miſſo commentario occultis characteribus exarato, quo rei peragendae et Eliſabethae, quod praecipuum erat, intercipiendae rationes explicabantur. Cum Norfolcius primo haereret, Ridolfus, quo nutantem impelleret, ſibi per xv annorum ſpatium, quos in Anglia contriverat, perſpecta Anglorum ingenia dicit: nam alios, qui Maria regina auctoritate et gratia pollebant, nunc quia nullo ſunt numero, rebus novis ſtudere; alios majorum religioni addictos, ejuſque liberam profeſſionem ademptam moerenteis; alios denique rebus acciſis ex bello civili ſubſidium quaerentes motuum materiam undique circumſpicere, et

his

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Mariae et Andini cum Eliſabetha nuptiis, uſque ad* Dum *delegatorum revocatione, de Norfolcii conjuratione,* haec agerentur Palletana *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *de Galloway.* [b] *le Lord Levingſton.* [c] *Jean Leſly, évêque de Roſs.* [d] *Ridolfi.* [e] *Barker.* [f] *duc de Norfolk.*

CIↃIↃLXXI. CAROLUS IX. his non animum ad audendum, ſed ducem e nobilitate, pecuniam et externum auxilium deeſſe: ducem ipſe ſe praebeat; cetera nequaquam ab Hiſpanis, Gallis et ipſo pontifice defutura: jam c aureorum CIↃ, cum proſcriptio ſuperiore anno publicaretur, in manus ſuas conſignata; quorum partem inter Anglos propter religionem exulanteis diſtribuerit: ad [a] Harwicum Eſſexiae portum, in quo dux magnas opes et clientelas habet, proxima aeſtate cum dux Medinae-coeli in Belgium deſcendet, citra ſuſpicionem equitum IV CIↃ, pedirum VI CIↃ exponi poſſe. Et quia mite et aequitatis plenum Norfolcii ingenium noverat, a vi et omni contra reginam ſuam injuria maximopere abhorrere, hoc temperamento negotium expediri poſſe dicebat, ut Eliſabetha ad recipiendam majorum religionem aut tolerandam, ſalva de cetero majeſtate regia, adigeretur, et nuptiis Mariae cum Norfolcio, qui fidei datae veluti obſides eſſent, aſſenſum praeberet. Cum ne hoc quidem placeret, et liberandae Mariae conatus periculoſus videretur, amplius deliberandum cenſuit Norfolcius, poenitentia jam ſubeunte; et literis fiduciariis ad Mariam, a Thuſco veteratore oblatis, quo magis eum ad facti conſcientiam obligaret, ſubſcribere recuſavit: interea commentarium ab eo allatum [b] Higfordio amanuenſi comburendum tradidit, ab illo nihilominus jam tum de indicii praemio cogitante perfidioſe ſub ſtorea occultatum; qui poſtea deprehenſus dubiae adhuc conjurationi plenam fidem fecit, et ipſi Norfolcio perniciem poſtremo attulit. Inter has conflictanti moleſtias fortuna ſeriis ludicra admiſcens Eliſabethae illuſit, mentione de Henrici [c] Andium ducis conjugio injecta. Regina parens apud nos votorum nimia foemina, ſive regna filiis quaereret, ſive ut Anglam a cogitatione nuptiarum cum Navarrae principe, de quibus rumor erat, revocaret, eademque opera Proteſtantibus ſpem auxiliorum ex Anglia praecideret, per [d] Mauveſerium oratorem ſuum et Paulum [e] Foxium, B. [f] Salignacum Motafenelonium et Nicol. [g] Grimovillam Larcantium extra ordinem miſſos conditiones proponendas curaverat. Cum de ceteris conveniret, in capite de religione utrinque altercatum fuit; et quanquam in occulto inſuſurratum fuerat, Andium a Proteſtantium religione non ita abhorrere, quippe a Fr. [h] Carnavaleto educatum, qui ab ea non alienus putabatur, tamen cum minus de re controverteretur, de verbis, quibus id perſcriberetur, inter partes convenire non potuit, ut appareret in ſpeciem utrinque ad negotii diſceptationem ventum eſſe, ceterum neutrum rem confectam voluiſſe. Sic enim jactabatur; noſtris ſatis eſſe, ſi adfinitate illa contracta vel oſtentata occultae cum Navarro ac Proteſtantibus coitiones impedirentur: Anglis vero id ex ea commodi venire, ut Proteſtantes, a quibus quotidie importunis efflagitationibus ſolicitabantur, regem ejuſque matrem et fratres aequiores haberent, Scotae ſpes iniquae infringerentur, et Hibernorum conjurationes Hiſpanorum et pontificis opibus ſubnixae evaneſcerent: de cetero in Eliſabetha nubendi deſiderium valde remiſſum eſſe; quippe quae ita in animum induxerit, publicae rei magis expedire, ut nubat, quam quod velit ultro nubere: et ita [i] Leiceſtrius, qui arcanos ejus ſenſus noverat, ad [k] Walſinghamum tunc apud nos legatum ſcripſit. Dum haec agerentur, [l] Paſletana turris ab Hamiltoniis occupata ad primum proregis adventum aqua averſa deditionem fecit: et Gilbertus [m] Kennedus, qui reginae parteis huc uſque ſecutus fuerat, dato obſide unico fratre [n] Sterlinum ſe venturum pollicitus eſt; cujus exemplum ſecuti Hugo [o] Mongomerius Eglintonii comes et Robertus [p] Bodius ad proregem venerunt.

XXII. SECUNDUM

INTERPR. [a] *Harwich en Eſſex.* [b] *Higford.* [c] *Anjou.* [d] *la Mauviſſiere.* [e] *de Foix.* [f] *de Salignac, ſieur de la Mothe-Fenelon.* [g] *de Grimoville, ſieur de Larchant.* [h] *de Carnavalet.* [i] *comte de Leiceſter.* [k] *Walſingham.* [l] *Paſley.* [m] *Kennedy.* [n] *Sterling.* [o] *Mongomery, comte d'Eglinton.* [p] *le Lord Boyd.*

XXII. Secundum haec protex ex equi lapſu graviter afflictus cum [a] Glaſcuam rediſſet, ſpes ei a gregario milite, uxoris injuria a [b] Flaminio loci praefecto virgis caeſae accenſo, reciperandi [c] Britannoduni facta eſt: de cujus arcis ſitu et natura ante omnia dicendum eſt. A confluente [d] Glottae et Levini fluminum planities CIↃ paſſuum ſpatio ad vicinorum montium radices porrigitur; in ipſo autem angulo, ubi amnes confluunt, rupes biceps conſurgit, quae tres perennis aquae fontes habet: alterum ejus cornu, quod altius attollitur, occidentem ſpectat, in ſummoque vertice ſpeculam habet longiſſimo in omnes partes proſpectu; paulo humilius ad ortum vergit: inter quae duo cornua, quod in ſeptentrionem et agros verſum eſt latus, gradibus per obliquam rupem hominum induſtria ac ſummo labore in ſaxo praeduro, et quod vi confractum ſulfureum odorem expirat, exciſis aditur, anguſta admodum ſemita, ut vix ſinguli per eam eniti poſſint. In ſuperiore arcis parte ſaxum ingens ita ceterae rupi coagmentatum, ut commiſſura non appareat. Meridionale latus, quod Glotta alluit, in ſummo praeceps, paulatim miti jugo deſcendit, et extenſis utrinque brachiis aliquid ſoli amplectitur, quod et aedificiis frequentibus tranſverſo ordine locum praebet, et ſtationem navium tutam praeſidiariis reddit, ac minoribus lembis aditum ad ipſam arcis portam facit, mediaque rupe, qua aſcenditur, aedificiis occupata, velut alteram arcem a ſuperiore ſeparatam efficit. Levinus et Glotta ab ortu et meridie arci foſſarum vicem ſupplent: latus orientale aeſtuante mari alluitur; quo recedente planities non arenoſa ſed coenoſa ſolo pingui in lutum ſoluto diffunditur, eaque torrentibus e monte vicino praecipitantibus interſcinditur. Arx olim Alclatha dicta, poſtea a Scotis, qui prius a Britonibus Levino amne dividebantur, quod in finibus Britonum munimentum poſitum eſſet, Britannodunum appellata fuit. Eam tenebat reginae nomine Joannes Flaminius; et per Guiſianos regi perſuaſerat, ſe Scotiae velut compedes tenere; et quanquam clandeſtinis foederibus Scoti in Anglorum partes, ut ipſe aiebat, abiiſſent, magnificis verbis aſſeverabat, quandocunque Gallis ab aliis bellis otium ſuppeteret, modicis auxiliis acceptis totum regnum facile ſe in eorum poteſtatem redacturum. Ad eum paulo ante legatus a Guiſianis fuerat Veracus, cum modica pecunia, qua praeſidiarios utcunque alebat: tunc vero per inducias, accedente proregis adverſa valetudine et recenti arcis Edimburgenſis defectione, omnia ſecure in ea agebantur. Praemiſſus Joannes [e] Cunigamius cum equitatu, quem mox Thomas [f] Craſordius cum peditatu ſubſecutus eſt. Cum ad [g] Dumbarum conveniſſent, ſcalas, ceterumque apparatum expediunt; et cum dux ille itineris, de quo dixi, ſe primum aſcenſurum polliceretur, pedites paulo ante lucem ad arcem accedunt, equitatu in omnem fortunae eventum eo, quo conſtiterat, loco reſtitante. Accedentibus duo impedimenta objecta ſunt; pons torrentis, qui campum interſecat, abruptus, et ignis in proximo apparens, quod ad detectae expeditionis interpretationem initio revocarunt: ſed ponte ſumma celeritate refecto, ut pediti pervius eſſet; et igne illo non a praeſidio, ut putabatur, ad indicandum ipſorum adventum accenſo, ſed ex eorum numero, qui fatui vulgo vocantur, ac ſubito evaneſcente; alius timor injectus, ne luce propinqua et coelo ſereno ſtellarum lumine fulgente a vigilibus deprehenderentur; quem et caligo ſuborta diſcuſſit, quae ſuperiorem arcis partem denſa nube ita involvit, ut proſpectus eorum, quae infra gererentur, praeſidiariis adimeret. Igitur ſcalis allatis et, quod primo a properantibus in ſaxo lubrico collocatae corruiſſent, mox circumſpectius admotis,

CIↃIↃLXXI.
Carolus IX.

INTERPR. [a] *Glaſgow.* [b] *Fleming.* [c] *Dunbritton.* [d] *Clyd & Levin r.* [e] *Cuningham.* [f] *Crawford.* [g] *Dunbar.*

CIↃIↃLXXI. admotis, eo, quo juſſi erant, ordine enituntur; et cum inopioato accidiſſet, ut
CAROLUS IX. ex militibus unus ictu ſanguinis ſubito correptus quaſi ſtupore defixus in medio niſu ſcalis adhaeſiſſet, ita ut ſubſequentibus aditum praecluderet, ne quidem id mali ominis loco acceperunt; ſed eo ad ſcalas alligato, ita ut remittente morbo non caderet, et ſcalis ſummo ſilentio inverſis, reliqui facile aſcenderunt. Cum ad ſummum venere, murus tertiis ſcalis ſuperandus erat: quo ſuperato Alexander [a] Ramiſaeus cum duobus manipularibus primus ingreſſus eſt, aliiſque incumbeotibus murus vetuſtate corruptus et propter loci aliunde firmitatem neglectus ſub pondere collapſus eſt: quod opportune Ramiſaeo laboranti evenit, jam a cuſtodibus circumſuſo; qui tamen repentino caſu perculſi, mox Dei, regis ac proregis nomine paſſim inclamato territi ac pugnae obliti huc illuc dilabuntur. [b] Flaminius arcis praefectus per averſam rupem deſcendit, et portula emiſſus flumine ob maris aeſtum ad muros uſque effuſo naviculam nactus in [c] Argatheliam profugit: infimae arcis praeſidiarii ad ſtrepitum pariter fugerunt. Capti Jo. Hamiltonius fani [d] Andreae archiepiſcopus, Joannes [e] Flaminius Bogallius, Alexander [f] Leviſtonius, et ipſe [g] Veracus. Cum poſtridie prorex eo veniſſet, uxori Flaminii mundi muliebris gratiam fecit, eamque perhumaniter habitam dimiſit. Dimiſſus et Veracus, quem legati nomen tuebatur. Archiepiſcopus, quod proximi proregis caedi interfuiſſe crederetur, in arctam cuſtodiam datus; et prorex ad ſecuritatem ſuam pertinere ratus, ne [h] Moravii, qui ipſum in ſupremo magiſtratu praeceſſerat, mors ioulta eſſet, judicium praecipitavit: cum ille, ut more partio res perageretur, poſtularet, et familiae dignitati id deberi videretur, oovo et inaudito exemplo ad mortem ignominioſam damnatus eſt, et [i] Sterlini laqueo ſuſpenſus. Aſtructum illi, quod et caedis regis conſcius fuiſſet; idque ex ſacerdote, cui Joannes Hamiltonius archiepiſcopi gcotilis, cum facti oefarii conſcientia animo diſcruciaretur, io fideli colloquio privatim confeſſus erat, cognitum fuiſſe jactabatur. [α] Captus et Joannes [k] Hallus, qui ex Derbienſi conſpiratione evaſerat, et ad inſulam [l] Manniam receptum habuerat, iode [m] Roſſenſis commendatione a Jo. Flaminio intra arcem admiſſus: is poſtea Londinum ductus perduellium ſupplicio affectus fuit. Sub id tempus [n] Mortonius ex Anglia rediit, et Sterlini coram procerum concilio legationis ſummam expoſuit. Inde cum prudentiores ſic exiſtimarent, Anglam nulla ratione Scotam velle dimittere, ne turbarum in Anglia ipſa excitandarum cauſam praeberet; ſed ita animum, vultum ac verba componere, ut communem tegum cauſam negligere non videretur, toti in comitia ad Kal. Maias [o] Edimburgum indicta inteoti erant, quorum liberam celebrationem remorabatur recens arcis defectio. Prorex tamen, qui nihil haberet ad oppidum oppugnandum parati, nec adverſariorum metu comitia alio transferri vellet, poſt aliquot velitationes, quibus oppidani ac praeſidiarii a Mortonio intra moenia compulſi fuerant, ad portam urbis comitia habere ſtatuit. In iis cum denuo caedis regis ac proregis conſcii tanquam perduelles damnati eſſent, qui in arce erant crimini affines, quo auctoritatem cauſae ſuae cooiliarent, ex ea hominum copia, quae ſuppetebat, et ipſi comitia cogunt, corrogatis etiam eorum proſcriptorum ſuffragiis, qui comitiis intereſſe aut non potuerant aut noluerant. Interea ab arce in procerum conventum, qui extra urbem habebatur, aſſiduae tormentorum ejaculationes fiebant, pilis ferreis plerumque inter mediam turbam cadentibus, ita tamen, ut nemo occiſus vel vulneratus

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Hallo capto et ſupplicio affecto* deſunt *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Ramſay.* [b] *Fleming.* [c] *Argyle.* [d] *St. Andrews*, ou *St. André.* [e] *Fleming de Boghall.* [f] *Levingſton.* [g] *de Verac.* [h] *comte de Murray.* [i] *Sterling.* [k] *Hall.* [l] *Iſle de Man.* [m] *l'evêque de Roſs.* [n] *comte de Morton.* [o] *Edimbourg.*

vulneratus ſit. Tandem ſoluto conventu, cum utrique comitia, alteri Edimburgum, alteri Sterlinum indixiſſent, quaſi in inducias conſenſum eſſet, utrinque diſceſſum eſt. Sub id cum Edimburgenſes in armis exiiſſent, ut Mortonium [a] Dalkethi opprimerent, cum Mortonianis, quos in itinere nacti ſunt, conflixere aequo utrinque damno. Mox ad [b] Letham, cum acies in armis ſtarent, et Gul. [c] Drurius Anglus medius inter eas curſitaret, utroſque invicem rogans, ut domum redirent, neu ſpem rerum componendarum nimis calidis conſiliis infringerent, tandem conventum eſt, et hoc tantum controverſum, utri prius aciem converterent; cum et de ea re aequas conditiones proponeret Drurius, et Edimburgenſes contra minarentur, niſi adverſarii ſponte diſcederent, ſe eos cum ignominia pulſuros, tum vero Mortonius victa patientia furens repente ſigna inferri jubet; quibus illatis illi adeo magnifice de ſe ſentientes ſtatim in fugam vertuntur, et in anguſtias pulſi partim caeſi, partim proculcati et capti ſunt: qui evaſerunt in oppidum accepti tanta trepidatione in arcem contenderunt, ut Mortoniani, niſi eos praeda retardaſſet, oppidum neglectum capere potuerint. Occiſi in fuga circiter L, et in iis [d] Galvinus Hamiltonius: capti CL, et in iis Alexander [e] Humius, et Jacobus [f] Culenus fluxa fide et latrociniis infamis, qui tantum odium popularium in ſe concitaverat, ut niſi eo ad ſupplicium perducto placari non potuerint. Ita bello accenſo levibus proeliis certatum, dum alii ſe Edimburgi, prorex ſuos Lethae contineret: inde regios Eliſabetha, inde regina Hamiltonios promiſſis potius quam milite ſuſtentantibus, neque tam ſtudentibus, ut ſui vincerent, quam ne vincerentur. Secundum haec comitia ab utraque parte habita: qui Edimburgi erant, licet exiguo numero, CC ex regiis proſcripſere: prorex Sterlinum profectus magno procerum concurſu comitia celebravit; in quibus XXX tantum ex iis, qui reginae partes ſequebantur, damnati ſunt. Et inter haec ab utraque parte pugnatum. Nam Patricius [g] Lindeſius, qui Lethae praeerat, homo manu et conſilio promptus cum in hoſtem duxiſſet, eum cum damno in oppidum compulit; dum redit, Jacobus [h] Haliburtonus, qui peditatui praeerat, longiuſcule a ſuis incedens ab incumbente equitum turma, cum dubia luce cujus partis eſſet dignoſci non poſſet, captus et in urbem ductus eſt. Mox et Alexander Humius ſuorum interventu libertati reſtitutus eſt.

XXIII. INDE ad audacius conſilium animum adjecere Hamiltonii, ſpe certa, ſi eventus reſponderet, univerſi belli ſemel patrandi, ad id a Georgio [i] Bello cohortis peditum ſignifero ac Sterlini nato perſuaſi, qui proceres Sterlini coactos ac ſolute agenteis opprimi nullo negotio poſſe affirmabat; et cum omneis aditus et opportuna oppidi loca noſſet, ac procerum hoſpitia haberet deſcripta, certam ſpem faciebat, ſi ſequerentur, omnia eorum in poteſtate futura. Duces expeditionis fuere Georgius Gordonius, Claudius Hamiltonius et Walterus Scotus: nec conſilio ſucceſſus defuit. Igitur cum diluculo ad oppidum acceſſiſſent, omnia adeo neglecta reperiunt, ut nemine obvio in forum penetraverint, et obſeſſis aditibus procerum hoſpitia aggreſſi ſine certamine univerſos paene oppreſſerint. Solum Jacobi Duglaſſii Mortonii diverſorium, in quo diutius famuli reſtitere, motam praebuit; ſed flamma in aedeis injecta cum jam in eo eſſet, ut fumo ſtrangularentur, ipſe Waltero Scoto affini ſuo ſe dedit. Captus et eodem momento prorex, et mox Alexander [k] Glencarniae et Hugo [l] Eglintoniae comites, qui omnes ad exitium ſervabantur. Ita quippe Claudius Hamiltonius ſuis mandaſſe ferebatur, ſimulac urbis portas forent egreſſi, ut omneis ad unum conficerent. Superabat Joannes

INTERPR. [a] *Dalkeith.* [b] *Leith.* [c] *Drury.* [d] *Gawin Hamilton.* [e] *le Lord Hume.* [f] *Cullen.* [g] *Lindſay.* [h] *Haliburton.* [i] *Bell.* [k] *Glencairn.* [l] *Eglinton.*

CIƆIƆLXXI.
CAROLUS IX

Joannes Areſkinus arcis praefectus, qui cum aliquoties fruſtra viis obſeſſis in forum penetrare tentaſſet, ad extremum aedeis ſuas in foro inchoatas et propterea ab adverſariis neglectas cum delecta manu occupat; et inde infeſta ejaculatione cum in palanteis impetum feciſſet, caſu inopinato perculſi Hamiltonii ſine mora ſe in fugam conjiciunt, et captivorum omiſſa cura oppidum deſerunt, partaeque victoriae fructum ſubita trepidatione corruperunt. In hoc tumultu occiſus ex regiis Robertus [a] Ruvenus, Alexander item [b] Stuartus Garlianus. Qui [c] Mortonium et Alexandrum [d] Cunigamium ceperant, cum periculum aliter evadere non poſſent, ſe ſuis captivis dediderunt. At David [e] Spenſius Wormeſtonius equitum praefectus, qui proregem ducebat, cum captivum, quem ab inimicis peti ſciebat, omni ratione tuendum ſuſcepiſſet, a percuſſoribus illius petitus ipſe eodem die deceſſit, aequali utriuſque partis damno ac deſiderio hominem pariter corporis et animi dotibus inſignem moerentis. Prorex ipſe ex vulneribus eodem quoque die obiit, [α] cum XIV plus minus menſeis magiſtratum ſupremum tenuiſſet. Duo ex ejus percuſſoribus, quod in deditum ſaeviiſſent, itidem ſupplicio affecti; ceteri trepida fuga dilapſi ſunt. Exequiis proregi, ut in tempore turbulento, tumultuarie factis, proxima fuit cura de ſucceſſore illi creando, ne ſummi magiſtratus ſede vacua novis tumultibus occaſio praeberetur. Igitur in concilio procerum ſelecti tres e ſuo numero, qui jurejurando prius adacti, ſe nobilitatis ſuffragiis parituros, velut candidati comitiorum decreto permitterentur. Hi erant Gilepſicus [f] Cambellus Argatheliae, Jacobus [g] Duglaſſius Mortonii, Jo. [h] Areſkinus Marriae comites, in quem poſtremum omnium ſuffragia inclinarunt; iſque cum de Edimburgo obſidendo ante omnia ad concilium retuliſſet, res in Eid. Octobris, quibus exercitus conveniret, rejecta: quod rebus gerendis magnum impedimentum attulit; et hyems praematura, ac noctes longiores, et coeli, ut in locis frigidis, intemperantia, difficilior item commeatus aſportatio, et apparatus bellici inopia effecerunt, ut re infecta diſcederetur. Nec felicior Areſkini, quam deceſſorum magiſtratus fuit; illo anno ſequenti morte repentina ſublato: ut ab adverſae partis ſociis vulgo jactaretur, jam nemini dubium relinqui, quin iniqua et illegitima eorum dominatio eſſet, in quibus tam manifeſta divinae ultionis exempla quotidie cernerentur.

VAR. LECT. [α] cum XIV plus minus menſeis magiſtratum ſupremum tenuiſſet *deſunt D. ſ. o. d.*

INTERPR. [a] *Ruthven.* [b] *Stuart de Garlies.* [c] *comte de Morton.* [d] *Cuningham.* [e] *Spenſe de Wermeſton.* [f] *Campbel, comte d'Argyle.* [g] *Douglaſs comte de Morton.* [h] *Erskine, comte de Marr.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

Q*UAEDAM ſingularia ad res Britannicas pertinentia. Leges majeſtatis renovatae. Joan. Storius ſupplicio afficitur. Motus in Hibernia compreſſi. Joannis Juelli mors.* II. *Norfolcius iterum ex ſuſpicione Turri incluſus, et cum eo Jo. Leſlius epiſcopus Roſſenſis, reperto inter ejus chartas commentario, quo conjurationis et matrimonii clam cum Norfolcio contracti, de religione Catholica reſtituenda, et filio, quamprimum eum in poteſtate habere poſſet, in Hiſpaniam mittendo, fides fiebat. Multi ob eandem cauſam proceres in carcerem truſi.* III. *Roſſenſis magnis utrinque rationibus cauſa agitata, an vere legatus eſſet, et an ei legatorum religio in cauſa perduellionis patrocinari deberet; tandem interrogatus cum ſolerter reſpondiſſet, ex ejus reſponſionibus probationes adverſus alios conjectura erutae et praeſertim Norfolcium: nihil praeterea inclementius contra ipſum decretum.* IV. *Ingens et prodigioſus in agro Herefordienſi ad Kinnaſtonum viculum terrae motus; cui geminus memoratur accidiſſe poſtea ad pagum Hibornae in Bernenſi ditione, ſicuti ſuo loco demonſtrabitur.* V. *Norfolcius ſolemni Parium judicio tanquam perduellis ad mortem damnatur, et mitigata poena capite plectitur. Paucis poſt diebus Barneius et Matherus capite luerunt, de conſiliariis aliquot interficiendis et Norfolcio liberando conſilium iniiſſe indicio Herli complicis convicti.* VI. *Edicta admodum ſevera contra perduelleis pro tempore publicata, addita clauſula, ut locum haberent quandiu Elizabetha viveret.* VII. *Miſſi dein ab Elizabetha ad Mariam legati, qui multa querelarum capita contra eam proponerent; quorum partem pernegavit Maria, partem mollivit, et interpretatione diluit.* VIII. *Hanſeatica ſocietas renovata: ejus origo, civitatum numerus, leges.* IX. *Carlota Ludovici Borbonii Monpenſerii filia, ejerata monaſticae vitae profeſſione, e Gallia profugit ad Palatinum ſeptemvirum; apud quem renitente patre perhonorifice eo uſque manſit, donec Arauſionenſi principi nupſit.* X. *Alexandrinus cardinalis ad regem venit, et quid cum eo egerit.* XI. *Pii* V *mors. Ei ſuffectus Gregorius* XIII. *Cardinalis Lotaringus Romam cum cardinali Pellevaeo proficiſcitur.* XII. *Sponſalia Navarri cum Margarita regis ſorore.* XIII. *Foedus cum Eliſabetha confirmatum; et eodem tempore miſſus in Germaniam G. Schombergius, qui iiſdem legibus cum Imperii principibus foedus iceret. Nemauſi Proteſtantium ſynodus celebrata, cui Theod. Beza interfuit.* XIV. *Navarra ad urbem venit cum filio, Condaeo, Colinio ac Proteſtantium aliis proceribus; paulo poſt, ſicuti jactabatur, veneno extincta.* XV. *De bello in Belgium transferendo actum; de quo Colinius ſententiam ſuam ſcripto comprehenſam regi offert.* XVI. *Huic contrario ſcripto Morvillerius reſpondet. Joannis Hangeſti Jenliſii copiae in Belgium praemiſſae indicio noſtro ab Albano delentur.*

EX AUCTORIBUS,

Gul. Camdeni annalibus Elizabethae, Actis probatoriis cauſae Norfolcii, Georg. Buchanano, [a] *Ladiſ-Vicino P. P. Jo. Serrano, Scriptis pro tempore publicatis, Hieronymo Catena, Orationibus ipſis Colinii et Morvillerii heic exſcriptis.*

LIBER QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

CIƆIƆLXXI.
CAROLUS IX.

QUAEDAM [a] hic ſingularia, antequam ad Norfolcii cum Maria nuptias ſive conjurationem veniamus, ſubjungi pretium viſum eſt. Initio 'anni Elizabetha, ut pacis ſtudium oſtentaret, [b] periſtylium ampliſſimum a Thoma [c] Greſhamo cive Londinenſi in uſum mercatorum inſtitutum ſolenni ceremonia clangentibus tubis conſecravit: et poſt aliquot dies Gulielmum [d] Cecilium virum fidei ac prudentiae ſibi perſpectae baronis [e] Burghleii dignitate ornavit, cum totis duodecim annis eundem honorem in tres tantum bene de ſe ac republica meritos contuliſſet; parca in diſpenſandis praemiis, et moroſa in penſitandis cujuſque meritis foemina, ne videlicet honos raritate carus, promiſcua largitate viteſceret. In conventibus dein [f] Weſtmonaſterii celebratis ad regni tranquillitatem et reginae incolumitatem leges majeſtatis renovatae; ſancitumque, ſi quis reginam dicto factove laeſerit, bellum moverit, aut alios ad bellum movendum concitaverit; ſi quis dixerit, illam regnum non jure legitimae ſucceſſionis tenere, juſtiuſque alteri deberi, aut haereticam eſſe ſive ſchiſmaticam et infidelem; ſi quis item jus regni ac titulos regina ſuperſtite uſurpet, aut alii cuiquam jus ad coronam ineſſe, aut leges et ſtatuta id definire non poſſe aſſerat, is majeſtatis lege teneatur. Adjectum ut, ſi quis ſuperſtite regina quempiam eſſe aut eſſe debere regni heredem aut ſucceſſorem, praeter naturalem ex ejus corpore procreatam ſobolem, pronunciet, gravi carceris et amiſſionis bonorum poenae ſubjiciatur. In comitiis et propoſitum fuerar, ut, ſi Maria denuo contra leges Angliae aliquid moliretur, in eam aeque lege ageretur, ac ſi paris regni Angliae uxor eſſet: verum Eliſabetha auctoritate ſua interceſſit, quo minus ſanciretur. Tunc et cauſa de Joanne [g] Storio ante biennium capto retractata, qui ſe fori praeſcriptione tuebatur; quippe qui licet in Anglia natus in Belgio domicilium haberet, et Philippi ſubditum ſe profiteretur, proindeque Angliae legibus ſolutus coram judicibus reſpondere recuſaret. Cum eo tanquam cum muto actum; et cum conſilia de Anglia invadenda cum Hiſpanis agitaſſe argueretur, reus per ſilentium peractus capite luit. Exortis et tum inter Luſitanos et Anglos, qui in occidentali Africae ora negotiantur, controverſiis, tandem conventum, ut Elizabetha in Sebaſtiani regis gratiam omni ad terras, quas Luſitani extra Hiſpaniam armis quaeſierant, commercio ſuis interdiceret; ſi qui Anglorum contrafacerent, Luſitanis eos tanquam foedifragos impune ad perniciem perſequi liceret. Ab hac ſanctione Portugallia, [h] Algarbia, [i] Caſſiterides inſulae, quas Aſoras

VAR. LECT. [a] *Quae hic inſeritur de rebus Anglicis et Hibernicis narratio, uſque ad* Norfolcius interea, *deeſt.* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Lancelot du Voiſin, ſieur de la Popeliniere.* [b] *la bourſe de Londres faite en façon de cloiſtre.* [c] *Greſham.* [d] *Cecil.* [e] *le baron de Burghley.* [f] *Weſtminſter.* [g] *Story.* [h] *les Algarbes.* [i] *les Açores.*

CIƆIƆLXXI.
CAROLUS IX.

Aſoras vocant, [a] Fortunatae item, et litus Barbariae occiduum, in quo Guinea et Nigritae, ad quos Anglis ab anno CIƆIƆLII libera fuit navigatio, exceptum intelligatur. In Hibernia haud magna mole tumultuatum Jacobo [b] Moriſii-filio, qui [c] Kilmalocum diripuerat, in praedas effuſo; quem Joannes [d] Perottus Momoniae praeſes ſubito collectis copiis repreſſit, et in luſtra ac ſaltuum vicinorum juxta [e] Ardagaham latebras compulit. Henricus [f] Sidneius prorex in Angliam rediit, et exercitum Gulielmo [g] Fitzwilliamo ſororio ſuo tradidit. Turbavit et paulum reginam Joannis [h] Juelli Devonienſis, quippe vix quinquagenarii, obitus; qui Maria regina ob religionem exul, ab Eliſabetha in patriam revocatus, et [i] Sariſburienſi epiſcopatu donatus confeſſionem fidei ſub Edvardo VI receptam contra Thomam [k] Hardingum, qui eam aliquando probaverat, et poſtea recantaverat, libris editis, qui magno in pretio inter eos habentur, tutatus eſt.

II. [l] NORFOLCIUS interea, qui agitatis cum regina Scotorum, ignara Eliſabetha, nuptiis, ob rerum novarum ſuſpicionem in carcerem conjectus, et inde reginae beneficio emiſſus fuerat, ſub id ex nova ſuſpicione rurſus comprehenditur IV Eid. Octobris, capto mendicabulo, in cujus baculo excavato, quem pro ſcipione geſtabat, forte dum violentius abigitur confracto, repertae ſunt literae notis et ſententiis occultis ſcriptae, quibus de conjuratione ſuſpiciones auctae ſunt; ab eoque tempore diligentius in illum ac conſcios inquiri coeptum. Eodem tempore cum Joannes Leſlius [m] Roſſenſis epiſcopus in carcerem ob eandem cauſam conjectus eſſet, inter ejus chartas repertus eſt commentarius literis ignotis exaratus ad eum a regina captiva miſſus, quo certior conſiliorum occultorum fides fiebat. Scripti haec ſumma erat: decreviſſe reginam, quando in Gallis bello civili implicatis parum praeſidii ſit, Hiſpanorum, a quibus ſolicitabatur, fidem ſequi et, ſi e manibus Anglorum elabi poſſet, in Hiſpaniam navigare, ut coram cum Philippo, cujus pietati et humanitati plurimum fidat, rationes conſiliorum et auxiliorum explicaret, quod per oratores lentius nec ita commode fieri poſſit: ſibi compertum eſſe Gallorum regem in occulto favere matrimonio inter ſe ac Norfolcium clam convento, metu, ut vero ſimile ſit, alterius, cujus mentio ab Hiſpanis injecta eſt, cum Joanne Auſtrio contrahendi; cui ſi aſſenſum praeberet, proculdubio fore, ut Galli ex aemulatione ſeditioſorum, qui contra ſe in regno Scotiae rebellaverint, partes foveant: itaque ſibi enitendum omni opera, ut cum bona Philippi gratia ab Auſtrii matrimonio ſe excuſare poſſit; facta interim ſpe et fide data, ut per Norfolcium religio Catholica in Scotia reſtituatur, quod unice Philippus exoptet, et quo dato abunde ſibi cautum exiſtimabit; quippe qui non aliam rerum in [n] Belgio conſtituendarum rationem repetiat, ſic enim ab Albano moneri, quam ſi Sectario veneno exſtirpato antiquus cultus in [o] Britannia inſtauretur: id hactenus ſuſpenſos Hiſpanorum animos tenuiſſe, quod de Norfolcii hactenus in cauſa religionis fluctuantis, et ob id aeque Catholicis ac Proteſtantibus ſuſpecti fide dubitent; quae de eo concepta opinio ſi ex Philippi animo evellatur, cum de matrimonio Auſtrii fratris non magnopere laboraturum; quin ut ipſa in regnum reducatur, totis viribus enixurum; quod ut confieri poſſit, e re videri, ut Roberti [p] Rodolfi Florentini, qui negotiorum ſpecie nunc in Anglia ſit, opera utatur, qui et Norfolcio notus ſit, et de Norfolcii fide pontificem certiorem facere poſſit, ut ipſe ea de re cum Philippo per oratores ſuos agat, et de Norfolcio in religionis cauſa confidere jubeat. Poſtremo additum erat, ſententiam reginae eſſe, ſi quidem ita

Norfolcio

INTERPR. [a] *les Iſles Canaries.* [b] *Fitzmorris.* [c] *Kilmaloch.* [d] *Perrot, preſident de Munſter.* [e] *Ardagh.* [f] *Sidney.* [g] *Fitzwilliams.* [h] *Juel, natif de Devonſhire.* [i] *evêché de Saliſbury.* [k] *Harding.* [l] *duc de Norfolk.* [m] *Leſly, evêque de Roſs.* [n] *Païs bas.* [o] *la Grande Bretagne.* [p] *Ridolſi.*

CIↃIↃLXXI. Norfolcio videretur, ut filius, quamprimum cum in poteſtate habere poſſet, in
CAROLUS IX. Hiſpaniam mittatur, ut ibi educetur: ſic enim fore, ut ſimul et majorum religione imbuatur, et eo amoto ſeditioſis ac perduellibus, qui ſe ejus nomine in Scotia tueantur, rebellandi praetextus adimatur. Secundum haec Rodolfus Romam profectus fuerat, et cum pontifice egerat, a quo in Angliam rediens literas ad Norfolcium clam attulerat, quibus pontifex et conſilium ſibi probari aiebat, eaque de re cum Philippo per oratores ſedulo ſe acturum fidem faciebat: quarum literarum exemplum cum ſcripto illo repertum eſt. Haec cum maxime onerarent Norfolcium ejuſque complices, Eliſabethae juſſu in turrim ductus fuerat, et cum eo [a] Arundeliae comes, [b] Lumleius Arundelii gener, [c] Southamptoniae comes, [d] Robertus et Thomas Cobhami fratres, Thomas et Edvardus [e] Stanleii equites, Thomas [f] Gerardus, Henricus [g] Percius [h] Northumbriae comitis frater, et alii praeterea ex nobilitate. Tum Radulpho [i] Sadlero et Thomae [k] Smitho privati conſilii ſenatoribus negotium datum, ut Norfolcium interrogarent: quo facto Thomas Smithus in Galliam ad regem mittitur, qui tunc [l] Amboſiae erat, cum eoque Kal. Januarii anni ſequentis de conjuratione contra ſereniſſimam Anglorum reginam inita agit, et quae conſilia cum Hiſpanis agitentur, aperit.

III. [α] MAGNA, de [m] Roſſenſi epiſcopo quid ageretur, fuit contentio, qui totius conjurationis ab initio dux et auctot fuerat; cum [n] Southamptonienſi comite primum nocturnis conventiculis habitis, dein cum profugis Anglis in Belgio, ac denique cum pontifice et [o] Albano de Anglia invadenda egerat. Is ſacroſancta et inviolabili ſe legatorum, quibus res ſuorum principum quovis modo procurare jus eſt, religione tutum exiſtimabat. Conſulti hac de re juris Caeſarei periti: qui contra reſpondebant, legatum, qui contra principem, ad quem miſſus eſt, rebellionem concitaverit, legati privilegiis et immunitatibus ipſo facto excidere, et poenae ſubjici: et cum quaereretur, an procurator principis, qui publica auctoritate abdicatus eſt, legati privilegiis gaudeat, reſpondebant, ſi legitime abdicatus eſſet princeps, ejus procuratorem legati privilegia non poſſe vindicare, quandoquidem ad ſolos principes abſolutos et majeſtatis jura habentes pertineat legatos conſtituere; conſulti item, an princeps, qui in alienum regnum venerit et in cuſtodia eſt, ſi procuratorem habeat, an is pro legato habeatur; item an ſi princeps procuratori et principi, qui in cuſtodia eſt, denunciet, ſe non amplius procuratorem ejus pro legato habere, an procurator ille legati privilegia de jure retineat: ad quae reſponſum, quantum ad prius caput ſpectat, ex delegationis auctoritate pendere, an procurator ille legatus reputari debeat: ad alterum, principem in ſuo prohibere poſſe, ne legatus regnum intret, et jubere, ſi intraverit, ut regno exeat, ſi quidem officium legati migraverit, interim legati privilegio frui debere. Secundum haec ex [p] Elienſi inſula revocatus Roſſenſis, et graviter in procerum conſeſſu increpitus, quod non ex fide legati in ſuo munere verſatus eſſet; proinde ſciret, ſe non amplius pro legato reputari, et benigne ſecum actum putaret, quod non graviore poena mulctaretur. Contra tendenti et ſe reginae liberae et injuſte abdicatae legatum pro ratione muneris bona fide et utriuſque regni bono officio defunctum eſſe inclamanti, prolatis in id ampliſſimis quas a Maria habebat mandatis, a [q] Cecilio Burghleio ſtomachoſe reſponſum, jura legationum et publicae fidei, quae obtendebantur,

VAR. LECT. [α] *Quae ſequitur de Roſſenſi narratio, uſque ad* Interea dantur a regina, *deeſt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Arundel.* [b] *le Lord Lumley.* [c] *Southampton.* [d] *Robert Lord Cobham, & Thomas Broke ſon frere.* [e] *Stanley.* [f] *Gerard.* [g] *Percy.* [h] *Northumberland.* [i] *Sadler.* [k] *Smith.* [l] *Amboiſe.* [m] *l'evêque de Roſs.* [n] *de Southampton.* [o] *duc d'Albe.* [p] *Iſle d'Ely dans la province de Cambridge.* [q] *Cecil, baron de Burghley.*

obtendebantur, non poſſe patrocinari perfidioſis, qui in publicam peccant majeſtatem, ſed eos poenalibus actionibus teneri; alioquin licere ſceleratis hominibus ſpecioſo ſe legati nomine venditantibus impune in principum vitam graſſari: cum ille obſtinate pertenderet, legatorum jura nunquam via juris ſed via facti violari, ſubmonueratque ne ſecum aſperius ageretur, quam vel cum N. [a] Throcmortono nuper in Gallia, et [b] Randolpho et Tamwortho Anglicis in Scotia legatis, qui turbis illius regni ſe miſcuerant, actum fuerat; ſiquidem iis nihil gravius imperatum, quam ut intra ſtatos dies diſcederent. Cum teſtimoniis Anglorum urgeretur, ne pergeretur blande rogavit; obſtare quippe receptiſſimam, quae legis vim obtineat, conſuetudinem, qua ſcitum eſt, Angli in Scotum, neque Scoti in Anglum teſtimonium valere. Tandem poſt acres de jure gentium ac legatorum, quod utraque pars in hac cauſa verti dicebat, altercationes, Roſſenſis tanquam privatus in arcem [c] Londinenſem ducitur, arctiore quam ante cuſtodia; ubi ad ſingula interrogata ita reſpondit, ut reginam excuſaret, quae aditu et colloquio ab Eliſabetha ſemper excluſa nullas non honeſtas ſalutis expediendae rationes eſſe duxerit: ad [d] Norfolcium quod attinet, nihil ipſum de nuptiis cum regina Maria egiſſe, niſi ex complurium regni procerum conſenſu; nec ei fuiſſe integrum, quamvis chirographo Eliſabethae contra recepiſſet, a fide data diſcedere, quippe cum mutua futurarum nuptiarum repromiſſio coram Deo et angelis facta interceſſiſſet: ſe vero, cum legati munere fungeretur, non potuiſſe ſine piaculo officio deeſſe, et principis ſuae adflictiſſimae cauſam tam calamitoſo tempore deſerere: conſilium autem intercipiendae Eliſabethae non alia mente propoſuiſſe, quam ut Norfolcii, an ad extrema paratus eſſet, animus periclitaretur. Conſciorum de cetero, qui nominati erant, crimina ſolerter extenuavit: nec ulla ratione adduci potuit, ut nobilium, qui de Eliſabetha intercipienda fidem obſtrinxerant, nomina ederet.

IV. TOT varios tota Britannia motus, quod minime praeteriri debuit, portendiſſe viſus eſt prodigioſus terrae tremor, in Herefordienſi agro ad [e] Kinnaſtonum viculum XII Kal. Martii hora ſexta veſpertina exortus, cujus vi mons proximus cum ſubjecta caute magno cum fragore diſſiliit, et in ſuperiorem locum relicto cubili ſuo ſe extulit, ſecum una trahens arbores infixas, caulas et concluſos ovium greges; arborum aliae terra dehiſcente hauſtae, aliae monti ipſi accedenti ita coaluerunt, ac ſi eo loco primum radices egiſſent: quo loco diſſiliit, foſſam quadraginta pedes latam, longam octoginta ulnas reliquit. Ager circum XX jugerum ſpatio quaſſatus, luci ſummoti, ſacellum obvium everſum, taxus in coemeterio ſita ab occidente in ortum tranſlata. Eadem vis publicas vias cum ſepibus et arboribus infixis loco movit; terram ex culta paſcuam, ex paſcua cultam effecit; tumulos oppoſitos impetu majore impulſos provolvens tamquam aggere facto in editiorem colliculum coegit. Biduum violentia a Saturni die, quo coepit, ad diem lunae, cum totum illum tractum perambulaſſet, quaſi ex itinere feſſa, et mole ſua laborans ſub meridiem deſiit. Huic ſimilem (nam Ferrarienſis et vicinorum locorum in Italia hoc anno et praecedenti alia ratio fuit) terrae motum ad pagum [f] Hibornae in ditione Bernenſium poſtea accidiſſe ſcribunt, qui in triſti admiratione deſolatum locum illum viderunt.

V. INTEREA

INTERPR. [a] *Throckmorton.* [b] *Randolph & Tamworth.* [c] *Tour de Londres.* [d] *duc de Norfolk.* [e] *Kinnaſton au païs de Hereford.* [f] *Yverne dans le Canton de Berne.*

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

V. INTEREA dantur a regina judices XVII Kal. Februarii, quos pares vocant, qui de [a] Norfolcii cauſa cognoſcant, Georgius [b] Talbotus,[α] Salopiae comes, qui eo die tanquam [β] magnus Palatii magiſter, vulgo Angliae Seneſchallum vocant, judicio praeeſſet, [c] [γ] Cantii, Worceſtriae, Suſſexiae, [δ] Huntingdoniae, Warwici, Bedſordiae, Penbrochiae, Leiceſtriae, Hertfordiae comites, Herefordiae vicecomes, [d] maris praefectus, [e] magnus camerarius, alii e nobilitate [f] reguli numero [1] XIV; coram quibus ordine ſedentibus recitatur reginae diploma, mox et libellus proponitur, quo nomina citatorum continebantur, poena eremodicii in non comparenteis conſtituta. Dein Norfolcius e carcere producitur, et eo praeſente capita accuſationis in eum inſtitutae palam leguntur: haec autem erant; quod ignara regina de nuptiis cum Maria Scotorum regina contrahendis egiſſet, partim ut eam ad regnum Angliae praecipitato ordine eveheret, partim ut ſceleri in [g] Darlaei mariti morte patrato colorem quaereret; poenaſque ob id ab Henrico VI anno ſalutis CIↃ CCCCXXVII ſancitas incurriſſet: quod poteſtate ſibi a regina mandata in expeditione [h] Eboracenſi abuſus mala fide in ea verſatus eſſet: quod ſeditioni in ſeptentrionalibus regni partibus ante triennium contra reginam excitatae participaſſet: quod, cum primum in carcerem conjectus fuit, per literas et nuncios admiſſae culpae veniam a regina ſuppliciter petita, poenitentia facti ex animo duci ſe teſtatus, poſthac ſe de nuptiis Scotae non cogitaturum recepiſſet, et tamen clam idem negotium per emiſſarios ſemper retractaſſet, et in eadem voluntate ac propoſito contra datam fidem perſeveraſſet: quod cum [i] Rodolfo et Roſſenſi epiſcopo de auxiliis a pontifice et Albano accipiendis ad turbandam Angliae pacem conſilia communicaſſet: quod pecuniam perduellibus Scotis adverſas Anglorum reginae partes tuentibus, et exulibus Anglis in Scotia et Belgio menſe Sextili proxime elapſo numerari imperaſſet: quod ipſe cum conſciis deſtinaſſet eodem tempore, quo Anglia invaderetur, [k] Hiberniam nulla injecta mora aggredi, ut diſtractis regni viribus inſulam expugnatu faciliorem hoſtibus redderet: quod de Scota regina vi aut aſtu mutata veſte ex arce, in qua attinebatur, educenda cum ſuis conſilium iniiſſet; eamque libertati reſtitutam ſeditione in regno excitata Anglorum et Scotorum reginam declarandam, filiumque ejus in Hiſpaniam ad utriuſque regni hoſteis amandandum ſuſcepiſſet. De quibus omnibus per literas, et ſcriptas confeſſiones, ac teſtimonia epiſcopi Roſſenſis, [l] Barkeri Norfolcio ab epiſtolis, [m] [ε] Candiſhi, [n] Baniſteri, et aliorum dilucide probatas plene judicibus conſtabat. Tum interrogatur a [ζ] Salopienſi Norfolcius, ecquid crimina in eum prolata agnoſceret. Cum ille diffiteretur, rurſus quaeſitum ab eo, per quos judices de iis cognoſci vellet: et cum reſpondiſſet, per Deum et pares ſuos, mox quaſi collecto ſpiritu oratione ad adulationem compoſita, quo judicum gratiam aucuparetur, agere ſe Deo gratias et ſereniſſimae reginae dixit, quod coram tam illuſtri prudentiſſimorum juxta et aequiſſimorum procerum coetu cauſam dicere et innocentiam ſuam approbare juberetur; cujus vel id maximam fidem faciat, quod cum fuga et amicorum ope ſe periculo ſubducere facile potuerit, tamen conſcientia fretus ſtatim

VAR. LECT. [α] Sariſberienſis *D.* f. o. [β] magnus palatii magiſter, qui judicio praeeſſet *D.* f. o. [γ] Bentii, Vorceſtriae *D.* f. o. [δ] Huntingtoniae, Warwici, Bedfordiae, Penbrucii, Hartfordiae, Leceſtriae *D.* f. o. [ε] Caudiſſei, Bonneſteri *D.* f. o. [ζ] Sariſberienſi *D.* f. o.

INTERPR. [a] *duc de Norfolk.* [b] *Talbot, comte de Shrewsbury.* [c] *les comtes de Kent, Worceſter, Suſſex, Huntingdon, Warwick, Bedford, Pembroke, Leiceſter, Hertford, & le vicomte d'Hereford.* [d] *le Lord Clinton, amiral.* [e] *Howard, baron d'Effingham, grand chambellan.* [f] *pairs du rang de barons ou lords.* [g] *Lord Darnley.* [h] *de York.* [i] *Ridolfi & l'evêque de Roſs.* [k] *Irlande.* [l] *Barker, ſecretaire du duc de Norfolk.* [m] *Candiſh.* [n] *Baniſter.*

NOT. [1] ces XIV etoient les barons Grey de Wilton, Sandes, Burgh, St. John, Rich, North, Buckhurſt, la War, Burghley, Montjoy, Wentworth, Mordant, Chandos, & St. John de Bletſo. *C.*

ſtatim in jus vocatus ſe judicio ſtiterit: nihilominus hanc gratiam a regia majeſtate et ab ipſis petere, ne ſibi praeteritorum delictorum, et quorum ſe ex animo poenitere jam ante profeſſus ſit, ratione periculum creetur; tantum ab aliis criminibus objectis purgandi ſe facultas tribuatur. Et cum ab apparitore regio increparetur, quaſi innocentiam de criminibus objectis idonee convictus ſuperbe et praefracta fronte allegaret, pudore ſeu conſcientia ea confeſſus ingenue coram judicibus memoriam ſuam labilem agnovit, et ſe de reliquo juris ac judiciarii ordinis ignorantem profeſſus eſt; proinde orare proceres, qui judices in ſua cauſa ſederent, ut benignitate ſua ipſi ſubvenirent, et quod rei ingenio deerat, aequitate ſupplerent. Inde reo dimiſſo, Salopienſis pares ſeorſim in conclave ſecedere jubet, habitoque conſilio ex animi ſententia pronunciare, an Norfolcius perduellionis crimine teneatur. Mos eſt apud Anglos, cum de capite civis deliberatur, ut [1] judices in ſecretum locum ſecedant, ubi ſine cibo, potu, igne, candela maneant, interdicto etiam omni colloquii, niſi cum teſtibus contra reum productis, uſu, donec de ſententia contra reum pronuncianda inter eos convenerit, quam poſtea ad praeſidem referunt. Illi igitur habita deliberatione cum ad Salopienſem rediiſſent, et Norfolcium perduellionis teneri retuliſſent, rurſus ſiſtitur Norfolcius; et intellecta parium ſententia a Salopienſi interpellatur, ecquid habeat, quo ſententiam impugnare et crimina objecta diluere poſſit. Cum obmuteſceret, poſtulante apparitore, ſeneſchallus in haec verba locutus eſt, Quando tu Thoma Norfolciae dux perduellionis accuſatus ac parium tuorum judicio peractus es reus, ſententia mea edico, ut e veſtigio in turrim reducaris, et inde tanquam patriae proditor crati impoſitus ad [α] ſupplicii locum juxta Londinum traharis, atque ibi laqueo ſuſpenſo neque dum ſtrangulato funis ſuccidatur, et ſemianimi viſcera aperto ventre evellantur, atque in ignem conjiciantur; tum caput a trunco ſeparetur, reliquo corpore in quatuor partes ſecto, quae, quo reginae placuerit, publice erigantur. Deus tui miſereri dignetur. Qua pronunciata ſententia Norfolcius, Quando me quaſi perduellionis convictum damnaſtis, inquit, et a corpore veſtro reſecuiſtis, ad mortem patienter et aequo animo ferendam me comparabo, nec aliis precibus ſereniſſimam principem, quanquam eam ſemper clementiſſimam et humaniſſimam expertus ſim, fatigabo, quam ut, quod ſummae gratiae loco peto, liberos meos ac familiam commendatam habere velit, et aes alienum meum diſſolvi imperet. Quibus verbis vix inter ſingultus ac ſuſpiria prolatis, pectus identidem percutiens, ac extremo vale proceribus dicto, in turrim deductus eſt, et ex judicum ipſorum conſilio diutius aſſervatus, ad alios eorundem criminum poſtulatos et nondum peractos reos, qui in turri cuſtodiebantur, convincendos. [β] Paucis poſt diebus

VAR. LECT. [α] Tiburnas furcas juxta *D.* f. o.

[β] *Quae ſequuntur de Barneii et Matheri crimine et ſupplicio* deſunt *D.* f. o. d.

NOT. [1] Turbatus hic locus, neque morem apud Anglos receptum in reis peragendis agnoſcit; diſcrimine inter judices et juratores, inter plebeios et proceres, cum pro tribunali ſiſtuntur, non ſervato. Plebeius criminis poſtulatus ſuos habet juratores vel inquiſitores, Anglice *the Jury*, quorum eſt de *facto*, cujus poſtulatur reus, inquirere et pronunciare; judicum vero de *jure*, ſiqua ſubeſt in actione quaeſtio, decernere, et de reo peracto ſententiam dicere. Angli certe pro privilegio inſigni ducunt, quod, ſiquis plebeius in jus vocatur, cujuſvis facti ſine unanimi inquiſitionis duodenariae ſuffragio reus peragi nequeat, nec niſi peractus a judice damnari poſſit. Hi quidem inquiſitores in ſecretum locum ſecedentes ſine cibo, potu, igne, candela manent, donec de ſententia convenit: interdicto omni etiam cum teſtibus colloquio; ſi enim ex illis quicquid plenius exquirere velint, in curiam redeunt, et rem, de qua ambigitur, palam judici proponunt; qui teſtes revocat, iterumque ſuper ea interrogat. Inquiſitores ſemper ejuſdem cum reo ſive ordinis ſive conditionis eſſe debent; et ſi de plebeio agitur, non plures quam duodecim plebeii: cum vero de procerum capite deliberatur, actio inſtituitur coram paribus ſuis, ſcil. aliis proceribus, qui neque cuſtodiae, neque unanimitatis, in ſuffragiis ferendis, vinculo tenentur: major item illorum numerus, nec quidem (Elizabethae tempore) definitus. Regni pares, qui huic Norfolcii judicio interfuerunt, ad XXVI recenſentur, quorum erat tam de *facto* quam de *jure* inquirere et pronunciare; ſeneſchallo ſeu praeſide, judicis partibus fungente, et ex ſuffragiorum calculo ſententiam in reum dicente. *C.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

diebus [a] Barneius et Matherus capire luerunt, de conſiliariis aliquot interficiendis et Norfolcio liberando conſilium iniiſſe convicti, indicio [b] Herli conſcii, qui impunitatis ſpe conjuratos antevertit. Tandem cum regina VIII Eid. Maias [c] Weſtmonaſterii haud longe a Londino conventus baberet, Norfolcii cauſa agitata eſt, regni Ordinibus (non ignara, ſicuti creditur, regina) inſtantibus, ut ſententia contra eum lata executioni demandaretur; alioqui ipſius ſalutem, ex qua regni ſalus et publica ſecuritas pendeat, in diſcrimine verſari; non obſcuras eſſe illius et conſciorum coitiones ac machinationes, quae licet eorum captivitate quodammodo ſopitae videantur, non mediocre tamen periculum ſubeſſe, ne ignis ſub cineribus latens, ſi negligatur, iu ſubitum juxta ac perinicioſum incendium evadat: nam et rerum novarum ſpem conjuratis extra regnum hoſtibus nunquam defuturam, quamdiu ille in vita ſuperabit: et vi aut aſtu [α] carcere ipſum educi, ac ducem ſeditioni proponi poſſe: itaque ſacram majeſtatem orare, ut et ſe reſpiceret, et ſaluti propriae conſulendo regni incolumitati quoque conſuleret, quae non aliter conſtare poſſit, quam ſi in perduellionis peractos reos legibus animadvertatur. Secundum haec cum aſſentiretur regina, ut ſententia executioni demandaretur, IV Non. ſequentis menſis Norfolcius ad ſupplicium hora ſeptima matutina productus eſt, et in [β] collem juxta turrim deductus. Cum in pegma ad id deſtinatum conſcendiſſet, longa oratione populum allocutus eſt, aliquoties a [d] Londinenſi vicecomite interpellatus, quaſi ſe purgaret, et pares ſuos accuſaret. Tum excuſatione praemiſſa, cum juſtos pares ſuos pronunciaſſet, orationem proſecutus eſt; et culpam quidem de [γ] conventis inſcia regina nuptiis, et acceptis a pontifice binis literis, conſiliiſque et arcta familiaritate cum pleriſque pontificis partibus addictis inita palam agnovit; cetera crimina, quod regnum ſereniſſimae reginae eripere, eique periculum creare, Londini ſtatum turbate conatus ſit, eaque de re cum Rodolſo egerit, inficiatus eſt. Tum aliud crimen, quo onerabatur, diluir, quaſi pontificiam religionem in occulto amplecteretur; id vero aſſeveranter pernegavit, et nunquam Pontificium fuiſſe ſe, aut eſſe, aut futurum, ſi vivere liceret, affirmavit. Tum ſereniſſimae reginae multis verbis clementiam ac benignitatem laudavit, quae et poenam mitigaſſet, tempuſque vitae ad agnoſcenda ac deflenda delicta ſua ſonti dilato ſupplicio prorogaſſet, et ſe orphanis liberis ac familiae adflictae tutricem fore ultro pollicita eſſet; factioneſque deteſtatus aſtantem populum admonuit, ne ſe illis implicet, atque optare ſe dixit, ut morte ſua finis illis et periculis, quae regnum circumſtant, imponi poſſet. Tum omneis ad vitae emendationem hortatus eſt, ne, quod Hugo Latimerus olim pro concione Edvardi VI temporibus dixerat, fore, ut populi peccatis et iniquitatibus irritatus Deus bonum illum regem eriperet, idem rurſus Anglicano regno contingat, et ſereniſſimae reginae dies ob eandem cauſam contrahat: orarent igitur pro longa ipſius vita indeſinenter apud Deum, ut diu regno praeſit, ad ipſius eccleſiae pacem et Angliae ſecuritatem: ſe quidem illi, ſi fieri poſſet, vitam ad mundi finem optaturum, qui non longe ſuo judicio abſit, et quem multos ex iis, qui adſunt, viſuros credat. Poſtremo, aſtanteis, ut pro ſe ardentiſſimas ad Deum preces funderent, obſecravit, quo ſibi jamjam morituro in pura veritatis cognitione, fide, ac miſericordiae divinae ſpe placide ac conſtanter ad Deum migrare divina benignitate concederetur. Tum recitavit aliquot pſalmos, et cum inimicorum mentio occurriſſet, eis ſe ignoſcere dixit, et offenſiones deprecatus veniam a circumſtantibus petiit. Cumque iſt aurem

Henrico

VAR. LECT. [α] carcere educi ac duces ſeditioni proponi poterunt: itaque orare. *D. f. o.* [β] ad furcas Tiburnas deductus *D. f. o.* [γ] tractatis *D. f.*

INTERPR. [a] *Barney & Mather.* [b] *Herle.* [c] *Weſtminſter.* [d] *le ſheriff de Londres.*

Henrico [a] Leio equeſtris ordinis viro quaedam dixiſſet, poſtea Alexandrum [b] Nowellum S. Pauli decanum, qui ei fidam operam ad extremam vitae horam navavit, paucis adlocutus, exuta toga in genua procubuit. Interim Nowellus pro eo publice preces concepit; cumque populus alta voce acclamaſſet, ut Deus ejus miſereretur, decanus, dum reus preces privatas funderet, linguis favere juſſit. Tandem, a carnifice petita primum venia et a reo conceſſa, Norfolcius cervicem ſecuri percutiendam praebuit: nam gratia ei poenae a regina mutato ſupplicii genere facta fuerat. . Abſciſſo capite et populo oſtentato, cum horam ad publicum ſpectaculum proſtitiſſet, feretro cum reliquo corpore impoſitum et in vicinum templum a domeſticis tranſlatum, curante funus Nowello, more patrio ſepultum eſt. Norfolcii morte varie populares affecti ſunt, cum inde primaria dignitate viri eximiis fortunae ac naturae dotibus ornati memoria in animos incurrens eos ad miſericordiam commoveret, inde ante oculos obverſaretur periculi magnitudo, in quod praecipitatura erat Anglia, niſi tam potentis conjurationis ac prope, ſicuti a conſciis putabatur, inevitabilis vis mature ipſius ducis periculo ſufflaminata eſſet. Extra Angliam vero, ceterum in inſula, eorum qui reginae Scotorum cauſae favebant, partes non mediocriter ex eo labefactatae ſunt; et apud nos de nuptils ſereniſſimae Anglorum reginae cum Henrico [c] Andium duce regis fratre contrahendis mentio ante injecta paulatim evanuit; adfinitatis noſtrae deſiderio in animo generoſae foeminae, ſimulac periculo ſibi defuncta viſa eſt, facile extincto.

CIƆIƆLXXII.

CAROLUS IX.

VI. Post ſumptum de Norfolcio ſupplicium, in iiſdem conventibus, ut molitionibus clandeſtinis ac conjurationibus, quae in regno paſſim agitabantur, via praecluderetur, ſancitum fuit, ut quicunque ex Norfolcianae ſactionis reliquiis arces, oppida, munitiones, machinas et apparatum bellicum occuparent, aut naveis interciperent, crimine perduellionis tenerentur, poena mortis et bonorum amiſſionis in eos conſtituta, et adempto item clericaturae et ſanctuarii, quod vocant, beneficio. Novo item et adhuc apud Anglos non promulgato placito decretum fuit, ut nemo de liberatione ejus, qui ob perduellionis ſuſpicionem vinctus eſſet, agere poſſet; qui vero eum, qui, ſive externus ſive indigena, crimine laeſae majeſtatis teneretur, libertati reſtituere conatus eſſet, is tanquam perduellis poena capitis et amiſſionis bonorum mulctaretur: ſi denique poſt ſententiam in perduellem latam de eo liberando quis egiſſet, eadem poena, qua majeſtatis rei puniuntur, coerceretur. Haec ſeveritas tempori accommodata ac neceſſaria viſa eſt, ac proinde additum, ut haec duo edicta tantum valerent, quamdiu regina viveret.

VII. [α] Post ſumptum de Norfolcio ſupplicium ad Mariam miſſi Gul. [d] Lawarus, Radulfus [e] Sadlerus, Thomas [f] Wilſonus juriſconſultus et Thomas [g] Bromleius fiſci procurator, qui Eliſabethae nomine expoſtularent, quod ipſa titulum et inſignia regni Angliae uſurpaſſet, nec iis, ſicuti Edimburgenſi foedere cautum erat, renunciaſſet, in exteris regnis ſe a ſuis reginam Angliae nominari publice paſſa eſſet: eo conſilio regina inconſulta cum Norfolcio Anglici nominis hoſtium interventu agitatas nuptias, in ſeptentrionali provincia ſolicitatos populos et ſeditionem excitatam, ad Norfolcium e carcere liberandum, nihil non tentatum. Objectum et quod rebelleis Anglos in Scotia et Belgio ſublevaſſet, ad invadendam Angliam auxilia

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de expoſtulatione cum Maria, deque diſſidiis inter Scotos, uſque ad* Hoc anno renovata, *deſunt D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Leigh.* [b] *Nowel.* [c] *Anjou.* [d] *baron de la War.* [e] *Sadler.* [g] *Wilſon.* [h] *Bromley, ſollicitour general.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

auxilia a pontifice et Philippo et aliis per Robertum Rodolſum imploraſſet, bullam fulminatricem a pontifice contra ſe emendicaſſet, literas ab eodem accepiſſet, quibus ille, tanquam gallina pullos, ita ſe ipſam in poſterum ſovere, et qui pro ea ſtabant, pro veris eccleſiae filiis habere decreviſſe oſtendebat. Ad has criminationes primum lachrimae cum ſuſpiriis non tam ſupplicis quam amentis malis profuſae: dein ubi ad ſe rediit, titulos et inſignia regni Angliae uſurpaſſe pernegavit; ea ſibi rerum ignarae a ſocero et marito impoſita poſt Franciſci mortem ſtatim omiſſa; neque vero Eliſabetha ſuperſtite aut liberis ex ea procreatis quidquam in regno juris ſibi arrogare: de nuptiis cum Norſolcio in reginae detrimentum nunquam cogitaſſe; ſibi quippe contra perſuaſum, eas publicae rei bono futuras; proinde iis, quia fidem conjugalem obſtrinxerat, non renunciaſſe: bullam neque procuraſſe; tantum enim exemplar impreſſum vidiſſe, quod lectum ſtatim igni tradiderit: Rodolfi opera, quem gratia apud pontificem valere noverat, in re pecuniaria uſam eſſe; literas a pontifice pietatis ac conſolationis plenas ſe accepiſſe non inficiata eſt: quod de auxiliis ab ipſo et Philippo ad invadendam Angliam petitis, ſeditione in regno excitata, adjectum erat, prorſus denegavit. Et quia literae ignotis literis ad [a] Rolſtonum et Hallum ambiguo ſermone ſcriptae producebantur, de iis ſe purgare paratam in publicis regni comitiis, oſtendit. Diſſidiis inter haec miſerandum in modum Scotia divexabatur, noſtris omni ope apud regni Ordines ſatagentibus, ut Maria in regnum reſtitueretur; in eo quippe Gallici nominis decus laedi, ſi periculum reginae tam propinquae, et cujus injuſta abdicatio ad omnes principes exemplo pertineat, neglexiſſe videatur: rei conficiendae non aliam ſe videre rationem, quam ſi, ut diſſidia componantur, viri boni ab utraque parte ſeligentur, qui publicam rem nec pueri regis nec reginae nomine adminiſtrent: nam quantum ad ſe attinet, ſe eum pro rege agnoſcere non poſſe, quandoquidem nullum in regno jus niſi per matrem habeat, quae non niſi violato jure omni divino et humano a ſubditis abdicari potuerit: interea vetuſtum inter Gallos et Scotos foedus ſervandum. Alii contra tendebant; Scotos regio imperio aſſuetos in adminiſtrationem illam confuſam minime unquam conſenſuros, ſolvi quippe potentiam in plureis diditam, quae ab uno melius regitur; reginam juſte abdicatam, et regem rite inauguratum: quantum ad foedus illud antiquum, id non inter perſonas, ſed inter regna Galliae et Scotiae contractum fuiſſe. Dum noſtri inſtanter adeo rebus Scotiae ſtudent, Hiſpani eodem officio palam fungebantur, in occulto autem adverſam factionem inſidioſe alebant, [b] Setono inſtigante, qui ſub id obſoleto nautae habitu [c] Harwicum appulſus, et clam ſubminiſtrata pecunia, animos audentibus faciebat: et Scota, quae accenſo in Gallia bello parum praeſidii in nobis videret, ad Hiſpanorum partes inclinare coepit. Quo cognito noſtri, veriti ne, ſi res ex voto ſuccederent, Hiſpani tot regnorum ſimul in Maria conjunctorum acceſſione per illam foederationem firmati ſpes novas contra nos reſumerent, priſtinum erga Scotam affectum paulum remiſſe, et in eo negotio, in quo antea fervebant, ſe tepidiores poſtea praebuerunt.

VIII. Hoc anno renovata eſt [d] Teutonicae ſocietatis multis privilegiis ac immunitatibus ſubnixae inter maritimas civitates et iis ex antiquo foedere conjunctas cum regibus vicinis contentio, ex ea occaſione. Cum ſuperiore anno Stetini poſt octennale bellum Lubecenſibus cum Joanne [e] Suecorum novo rege conveniſſet, et inter pacta hoc etiam additum fuiſſet, ut libera deinceps civitati [f] Narvica navigatio

INTERPR. [a] *Rolſton & Hall.* [b] *le Lord Seaton.* [c] *Harwich.* [d] *Hanſe Teutonique.* [e] *roy de Suede.* [f] *de Nerva.*

navigatio maneret, Joannes jam rerum potens belli Moſcici praetextu denuo eos ab importatione mercium in Narvenſem Ruſſiae portum abſtinere juſſit. Itaque civitates ad incuntem Junium menſem conventus indicunt; in quibus de inſtauranda Teutonica ſocietate ac renovando civitatum foedere de commercio cum Ruſſis in emporio certo deinceps continuando, de recenti Narvicae navigationis per Succiam interdicto uſu, de collatione ad communem orientalium domum Antuerpiae grandi aere liberandam, de legatione in Galliam et Belgium decernenda, et aliis capitibus ad ſocietatem pertinentibus actum eſt. [1] Origo autem ſocietatis ab anno ſalutis CIↃ CC repetitur, paulo ante tempora Friderici II, quo civitatum in litore Baltico et ceteris Saxoniae inferioris regionibus delegati inito foedere ad commercii libertatem tuendam coierunt, et privilegiis ac immunitatibus a principibus vicinis impetratis in quatuor exterarum gentium emporiis ſedem ac domicilium ſocietatis conſtituerunt. Quae ſocietas paulatim foederatorum multitudine, potentia et opibus in tantum amplificata C annorum ſpatio crevit, ut ex eo florentiſſima, deinceps regibus ipſis, quorum beneficio aucta fuerat, invidioſa

CIↃIↃLXXII.

CAROLUS IX.

NOT. [1] Qui urbes Anſaticas hactenus dictas ab *An See* putavere, quod oceano eſſent appoſitae, redarguuntur ex ipſarum Hanſaticarum urbium ſitu, quarum perpaucae mari ſunt adſitae: nec patitur etiam ejuſmodi inflexionem vocabuli indoles. *Hanſen* enim *Derhanſen* et *hanſeſtadt* addita perpetuo aſpirata ſolent pronunciare Germani: Graeci vero Latinique emollientes vocis ſonum omittunt aſpirationis literam *h*, utpote quam nec in literis Graeci agnoſcunt. Ab *Anſuariis* adjecta aſpirata, quaſi *Hanſuariis*, Hanſam Teutonicam urbeſque Hanſaticas, quaſi foedere ac ſacramento Hanſuanorum nexas ſociataſque, quis appellatas dubitet? Teuthones enim et Gothi idiomate ſuo *Hanſos* vocabant, qui ceteros mortales fortuna atque opibus antecellerent; utpote heroes ac ſemideos, humanaeque ſortis terminos egreſſi. Tales erant in gente Gothica nobilitatis ac dignitatis primariae homines, quos occaſione certa hoc nomen ſortitos ex conflictu, quo Romanos ſuperarant, ait Jornandes, lib. 17. de rebus Geticis: jam proceres ſuos, quaſi qui fortunam vincebant, non puros homines ſed ſemideos, *Hanſes* vocavere. Nec hodie in lingua Germana id totum vocabuli abolitum; *Anſos* enim ſive *Hanſos* intelligunt proceres communi ſorte majores: et nomina appellativa *Anſhelmus*, *Ansbrechtus*, *Anſfridus*, *Anſwaldus*, aliaque ſimilia hanc accepiſſe originem credibile eſt. Patet ex probae fidei autoribus Tacito, Ammiano, Sulpitio Alex. &c. *Anſuarios* cum origine inter ſuos, tum militiae gloria viros primarios, ſed varie ac ſparſim in unam ſocietatem coalitos, ſedis ac laris incerti; ut minime hodieque temerarium ſit, urbes omnes Hanſaticas longe lateque inter ſe diſſitas jacere: cum enim ſeptuaginta duae recenſeantur, quatuor ſunt tantum metropoliticae; Lubeca nimirum, Dantiſcum, Brunſvicum et Colonia Agrippina: quarum Lubeca praeſidet hodie Vandalicis, Dantiſcum Boruſſicis, Brunſvicum Saxonicis, civitatibus denique Weſtphalicis Colonia, quae et Iſalae ac Salae-landiis adſitas haud inter poſtremas eiſdem adnumerat, ut ſunt Daventria, Campi, Suolla; quibus et Neomagum, Arenacum, Hardervicum aliaſque proxime confines Geldriae claras urbes accenſeri, ac Hanſae communitate ac jure jam olim uſas, et nunc dum haec ſcribimus, poſt quadrageſimale adverſus Hiſpanos bellum, quo durante diſcidium aliquod ac diſtractio fuit, in eandem communionem felicibus auſpiciis ac omnium votis receptas comperio. Huc pertinet quod ait Meyerus, An. 1164 Philippus Elſatius Flandriae comes XIX Zandorienſes, hoc eſt Neoportenſes, ab omni Telonio ac Hanſa quam vocant fecit liberos. Eſt et inſcriptio apud Gruterum, in qua *Anſariorum* vocabulum, non vero *Anſuariorum* aut *Anſivariorum*: primo enim Antonini aevo, cum jam inter Germaniae gentes non ita diu innotuiſſent Anſibarii, ea inſcriptio publicata eſt Romae. Deinde non *Anſibarii*, ut edit Tacitus; aut ut Amm. et Sulpitius Alexander, *Anſuarii* ſeu *Amſivarii*, vel ut Aethicus *Ampſivarii*: ſed *Anſarii* habent inſcriptionis apographa, ut opificum potius aut propolarum certum aliquod collegium aut ſimilem ſocietatem vel ſocietatis ejuſmodi atque inſtitutorum vectigal innui mihi perſuadeam. Inſcriptionem nihilominus ipſam, ut et alii eam examinent atque arbitrentur, adjiciendam hic cenſui.

Romae in Viridario Caeſiorum, in Carinis, e via
Salaria adducta tabula marmorea.

IMP CAESAR M AURELIUS ANTONINUS AUG
GERMANICUS SARMAT ET
IMP CAESAR L AURELIUS COMMODUS AUG
GERMANICUS SARMATIC
HOS LIMI*DES CONSTITUI JUSSERUNT
PROPTER CONTROVERSIAS QUAE
INTER MERCATORES ET †MANCIPES
ORTAE ERANT UTI FINEM
DEMONSTRARENT VECTIGALI
‖FORICULIARI ET ANSARII
PROMERCALIUM SECUNDUM
VETEREM LEGEM SEMEL DUM
TAXAT ‡EXIGUNT.... *Put. L.*

* D pro T.

† Municipes.

‖ Fovencularii.

‡ Exigundum.

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX. invidioſa uſque ad hanc aetatem permanſerit. Civitates autem plures XXC initio fuerunt, diſtributae primum in treis, dein, Boruſſis accedentibus, in quatuor claſſeis ſeu metropoles, [a] Lubecam, Coloniam, Brunſvicam, et Gedanum: ex qno numero cùm, anno hujus ſaeculi XVIII, ejectae fuiſſent XIV civitates, adhuc hodie in ſocietate remanſerunt LXVI; [1] Vandalicae VI, Pomeranicae VIII, Boruſſae VI, Livonicae III, Saxonicae XIII, Weſtphalicae X, Clivicae ſeu Marcicae VII, Tranſiſelanae III, Gelricae VII, Friſicae III: extra quas, nulli ex excluſis illis XIV, multo minus Angli, Scoti, Baravi, Flandri, Alemani, Dani, Sueci, Poloni privilegiis ſocietatis in emporiis illis frui poſſint. Nati vero in oppidis ac pagis civitatum ſocietatis ad privilegiorum participationem non admittuntur, priuſquam jus civitatis in aliqua civitatum ſocietate comprehenſarum adepti fuerint. Quatuor autem illa emporia ſunt, Londinum, quod ſocietari ab Henrico III Anglorum rege, anno Chriſti CIƆ CCL attributum eſt; cujus ſummam fidem ac firma auxilia experti poſteri reges; et Edvardus III inprimis, bello adverſus nos feliciter geſto, negotiatores [b] Teutonſci collegii nullis novis vectigalibus, tributis, exactionibus, ſubſidiis aliiſve praeſtationibus deinceps onerandos ſanxit, peculiari diplomate; quod Ricardus II, Henriti IV, V, VI religioſe ſervarunt, donec ardente inter Anglos et Danos bello, cum in [c] Helleſponto Danico Anglorum naves interceptae fuiſſent, ab Anglis pariter naves LX Teutonicae ſocietatis captae ac ſpoliatae ſunt: quod initium bello triennali Anglis cum civitatibus cauſam praebuit, tandem Caroll Burgundi, qui Edvardi ſororem uxorem duxerat, interventu [d] Trajecti ad Moſam compoſito, anno CIƆ CCCCLXXIV. Ab eo tempore per annos circiter XXC ſub Ricardo III, Henricis VII, VIII, et Edvardo VI, Germani immunitates in Anglia ſuas retinuerunt, licet eas Gedanenſes aliquantum turbaverint. Alterum emporium [e] Brugis habuerunt, urbe Flandriae ampliſſima, et elegantiſſimis aedificiis ornata; quae a ſociis frequentari coepit circa annum CIƆ CCLXII: demum anno CCXXVI poſt, multum de priſtina opulentia amiſit, poſtquam Maximilianum Romanorum regem, praecipuis miniſtris in conſpectu illius occiſis, captum ignominioſo carcere incluſerunt. Nam Fridericus Caeſar parens ejus mox toto imperio ad arma concitato in [f] Belgium deſcendit et, portu Brugenſium obſtructo, in cauſa fuit, ut commercium omne [g] Antuerpiam in [α] Atuaticis transferretur, et ſocietatis civitates in ea latem deinceps collocarent. Cum enim Lubecenſium rogatu ad privilegia ſocietati a Joanne II Brabantiae duce anno CIƆ CCCXV conceſſa, et per Antonium Brabantiae item ducem CIƆ CCCCIX confirmata, Philippi ab Antuerpienſibus exorati auctoritas anno hujus ſaeculi LXII acceſſiſſet, in comitiis ſocietatis decretum eſt, ut collegium Antuerpiae conſtitueretur, domo publica in urbe exſtructa, in qua propriam juriſdictionem ſenatus mercatorum haberet; eaque de re cum ſenatu Antuerpienſi tranſactum eſt, depenſis a ſocietare LX CIƆ Caroleorum.

Novogardiae

VAR. LECT. [α] Brabantia *D. ſ.*

INTERPR. [a] *Lubeck, Cologne, Brunſwick, & Dantzick.* [b] *Hanſe Teutonique.* [c] *la mer de Dannemarck.* [d] *Maeſtricht.* [e] *Bruges.* [f] *Païs bas.* [g] *Anvers en Brabant.*

NOT. [1] De Urbibus Anſaticis ſive Hanſaticis.

VI Vandalicae ſunt; Lubek, Hambourg, Roſtok, Sund, (i. e. Stralſund) Wiſmar, Lunebourg.

VIII Pomeranicae; Stetin, Anclam, Golnon, Gripſwald, Colberg, Stargard, Stolp, Rugenwald.

VI Pruſſicae; Culm, Thorn, Elbing, Dantzik, Koniſberg, Braunſberg.

III Livonicae; Riga, Derpt, Revel.

XIII Saxonicae; Magdebourg, Brunſwig, Goſlar, Eimbeck, Gottingen, Hildeſheim, Hannover, Ulſen, Boxtehud, Staden, Bremen, Hameln, Minden.

X Weſtphalicae; Munſter, Oſnabrug, Tremon, Suſat, Herword, Paderborn, Lemga, Bileſeld, Lippa, Coſfeld.

VII Clivicae ſeu Marcicae; Ham, Cologne, Weſel, Duiſbourg, Emmerik, Warbourg, Unna.

III Tranſiſelanae; Campen, Swoll, Deventer.

VII Gelricae; Nimeguen, Zutphen, Ruremond, Arenac, Venlo, Elburg, Harderwick.

III Friſicae; Groeninguen, Staveren, Bolſwerden. *Put. L.*

[a] Novogardiae in Ruſſorum imperatoris ditiooe ampliſſima civitate tertium emporium ſocietati ante CCC annos aſſignatum eſt, XL CIↃ paſſuum a [b] Narva Livonica, XXXVI a [c] Pleſcovia, CXX a Moſca Ruſſorum metropoli. Sed commercium ob ſaevitiam ac perfidiam Joannis Moſci [d] Revaliam inde tranſlatum, poſtremo a Ruſſis ipſis Revalienſium injuriam cauſantibus, poſtquam Narvam Livonicam occuparunt, merces, quae Revaliam ante devehebantur, eo deferendas curaverunt, et ſedem emporii Ruſſici, quae Revaliae antea erat, Narvae collocarunt anno hujus ſaeculi LVIII; quo mox Angli, Belgae, Galli magno coocurſu undique confluxerunt, multum fremente Livonici Ordinis magiſtro et archiepiſcopo [e] Rigenſi, et de injuria imperio facta apud Ferdinandum Caeſarem communicato ſimul conſilio expoſtulantibus. Continuatum nihilominus commercium ac navigatio, donec Ericus Suecorum rex, cui oullam noo vicinis incommodandi occaſionem arripere ludus erat, Lubecenſium naveis Narva redeunteis hoſtiliter captas Revaliam et [f] Stocholmiam duci, ac merceis omneis in fiſcum redigi juſſit; quod octennali, de quo diximus, bello cauſam praebuit, Stetioenſi pace ſopito: ſed cum Joannes pactis non ſtaret, eam ob cauſam praecipue civitatum conventus hoc anno inſtitutus eſt. Quartum ſocietatis emporium [g] Bergae in Norvegia fuit; ubi et magis expreſſa antiqui foederis veſtigia quam alibi remanſerunt, ſed tractu temporis Danica oobilitate quaeſtu allecta et ſub [1] Friderico II rege inſtitoriam faciente, ſocietati multum in ea provincia deceſſit. Cumque ea de re apud Fridericum II per legatos civitates expoſtulaſſent, ille ante XX annos etſi ſalva jura, privilegia, immunitates eis ſe regia fide ſervaturum reſpondiſſet, tamen oeque oobilitati Danicae navigationes inhibuit, et opificum collegia, quae ſocii [a] Belgae ſuis domiciliis adjuncta communi ſecum libertate frui patiebantur, omnino abolevit. His et aliis de cauſis celeberrimus conventus hoc anno Lubecae habitus eſt, in quo antiqua jura reoovata, et pleraque decreta facta; quorum alia ad diſciplinam inter ſocios ſervandam pertinentia tenuerunt, alia, quae externos principes ſpectant, per legatos explicata majorem partem irrita fuerunt.

IX. SUPERIORE anno rex poſt jucundum Lutetiae celebratum ingreſſum [h] Bloeſas cum regina parente, Andino, ac Alençonio fratribus venerat, ut pace nuper parta res adhuc incertas firmaret, et Navarram, principes, Colinium, ac ceteros Proteſtantium proceres ad veniendum in aulam e propinquo invitaret, iterum miſſo, ſicuti antea demonſtravimus, [i] Coſſaeo, qui et Rupellanum cooventum multas ob cauſas regi ſuſpectum ſolveret, et Colinii adventum maturaret; his maxime rationibus, quod cum de bello in Belgium transferendo rex nuper cum Naſſovio ageret, multae difficultates occurriſſent, in adventum ejus ſuſpenſae, quae niſi coram ex illius ſententia ſatis commode explicari poſſe videbantur. Interea in aula coſultatum aiunt, de inſidiarum Colinio ac ceteris Proteſtantium proceribus ſtructarum ratione, coram regina matre, Henrico [k] Andium duce, Carolo cardinali Lotaringo, Claudio [l] Aumalio fratre, Henrico [m] Guiſio, Ren. [n] Birago [α] procancellatio, aliis; remque agitatam in eo ipſo conclavi, in quo XVI annis poſt juſſu

VAR. LECT. [a] procancellario, Alberto Gondio Radeſiarum comite, Petro Gondio Pariſienſi epiſcopo; quibus et Ludovicum Gonzagam Nivernii ducem addunt; remque agitatam *MS. Samm. Put.* et *Rig.*

INTERPR. [a] *Novogrod.* [b] *Nerva.* [c] *Pleſkow.* [d] *Revel.* [e] *archevêque de Riga.* [f] *Stockholm.* [g] *Bergen en Norwege.* [h] *Blois.* [i] *le mareſchal de Coſſé, ſieur de Gonnor.* [k] *Anjou.* [l] *duc d'Aumale.* [m] *duc de Guiſe.* [n] *de Birague, garde des ſceaux.*

NOT. [1] Hagemanus de foedere civitatum Hanſeaticarum, Francof. 1662, 4[to], cap. 5, ait, hoc non ſub Frederico II, ſed ſub Chriſtiano III accidiſſe.

[a] *Belgae:* ſic omnes editiones: corrigendum tamen *Bergae*, ut ſexta linea ſuperiore.

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

juſſu Henrici III Guiſius interfectus eſt; et poſtea, ut a curioſis obſervatum eſt, cum novae difficultates ſubortae eſſent, poſt reditum ad urbem, ad [a] Clodoaldi pontem in Hieronymi [b] Gondii aedibus voluptariis, in quibus proximo poſt Guiſii mortem anno rex ipſe a monacho deteſtanda audacia cultro occiſus fuit. Placuerat initio, inter alia ſpectacula quae in nuptialibus ludis apparari ſolent, ut in inſula [c] Luparae arci oppoſita arx lignea extrueretur; quam inde [d] Andinus cum delecta manu tueretur, inde Navarrus militari ſpecie cum Colinio ac ceteris Proteſtantium proceribus oppugnaret, tormentis, ſed ſine pilis et ſcloppetis utrinque diſploſis: conveneratque, ut in eo conflictu accenſis animis, ad ſignum datum pilis in ſcloppetos immiſſis res ageretur, et ita quaſi rixa inter ludum exorta caedis conſilium tegeretur. Et quidem arx in inſula extructa fuit: ſed cum ea res cautioribus ſuſpicionem injeciſſet, nec facile proceres, ut recentibus adhuc odiis ad hoc periculoſum certamen deſcenderent, induci poſſe appareret, arx illa noctu, antequam ſuſpicio jam nata in animis altiores radices ageret, regis juſſu materia inde comportata omnino ſublata eſt. Id etiam [e] Lignerolii caedi, de qua ſupra diximus, cauſam dediſſe quidam ſcripſere, qui de eo conſilio ab Andino ſibi communicato aliquid reſciverat. Nam quodam die in conclave regis admiſſus, cum ipſum ſolito ſtomachoſiorem reperiſſet, ob iniquas Proteſtantium et cum minis conjunctas expoſtulationes, ille ſive per vanitatem ſive imprudentiam regi in aurem inſuſurraſſe dicitur, duraret, neque vinci patientiam ſuam pateretur; nam brevi fore, ut ipſi per turrem illam de importunis et iniquis hominibus ſatisfieret. Quo dicto rex perculſus vocem compreſſit, iracundo in ſpeciem vultu, quaſi rei ignarus, et mox Lignerolium ſubornatis iis, quos memoravi, interfici juſſit; ne ſecretum, quod paucis communicatum volebat, fratris garrulitate detectum in plures, atque adeo ad illos, qui petebantur, emanaret. [a] Aliam tamen alii caedis ejus cauſam referunt, quod nimirum ille cum principali foemina familiariter conſueſceret; quod impatienter ferens rex, ut erat vehementi et ad omnem injuriam inſolenti animo, ipſum de medio ſtatim tollendum curaverit. Qui Lignerolii caedem ad aliam cauſam referunt, hoc etiam addunt, regem id conſilii, quod poſtea matre et Andino fratre ſuadentibus ſecutus eſt, ex neceſſitate potius, quam habita diu ante deliberatione cepiſſe; quippe rei tunc ignarum, quam ſoli illi cum iis, quos dixi, initio agitaverint. Sub id tempus Carlota Borbonia Ludovici Borbonii [f] Monpenſerii filia in Germaniam profugit, et ad Fridericum Palatinum ſeptemvirum ſe contulit. Ea a matre Jacoba [g] Lonviana haud dubie Proteſtantibus favente in eorum doctrina, ſed in arcano, viri metu, inſtituta, poſtea ad ſublevandam familiam, quae, quamvis illuſtriſſima, in ſumma tunc anguſtia [β] verſabatur, in [h] Jouarienſe monaſterium conjecta, eique poſtea praefecta fuerat; et in eo receſſu quam ſemel conceperat de religione opinionem retinuerat, ſuaſu Joannae [i] Chabotiae Paracleti monaſterii antiſtitae proxima illi cognatione conjunctae, quae licet eandem aperte doctrinam profiteretur, tamen neque monaſterium, niſi bello adverſus Proteſtanteis faciente expulſa, reliquit, neque amictum religioſum toto vitae tempore poſuit. Inde non mediocriter aula conturbata fuit; et regis juſſu Jouariam miſſus Chriſtoph. [k] Thuanus ſenatus Pariſienſis princeps, qui de re cognoſceret, et certiora

ad

VAR. LECT. [a] *Quatuor circiter lineae, uſque ad*, Qui Lignerolii *deſunt D.* ſ. o. d. [β] verſabatur, in Jouarienſe *Sic omnes editiones Pariſienſes* ſc. *D.* ſ. o. d. *tamen editiones Genevenſes habent* verſabatur, vix annicula, in Jouarienſe

INTERP. [a] *S. Cloud.* [b] *de Gondy.* [c] *le Louvre.* [d] *duc d'Anjou.* [e] *de Lignerolles.* [f] *duc de Montpenſier.* [g] *de Longvy, ou Longwic.* [h] *Jouarre.* [i] *de Chabot, abbeſſe du Paraclit.* [k] *de Thou, premier preſident du parlement de Paris.*

ad eum referret. Tunc Monpenſerius [a] Aquis-Sparſis in Arvernis erat, ad quem Palatinus mox Heidelberga literas dedit Eid. Mart. quibus eum, excuſato filiae e Gallia diſceſſu, quae vim conſcientiae ſuae fieri amplius pati non poſſet, placatiorem erga ipſam reddere conabatur. Ad quas parens religionis majorum acerrimus vindex, et ob id maxime omnium Proteſtantibus infeſtus, reſcripſit v Kal. Aprilis; quibus, quantum ex filiae fuga dolorem ſentiret, exponebat, et ejus excuſationes ullas in bonam partem accipere ſe non poſſe ſignificabat; et acerbe perſtricta filiae effraeni libertate, quae fidem ſponte Deo ſe et matre abſentibus datam ac ſpem ſuorum ſefelliſſet, paternamque reverentiam licentioſa temeritate violaſſet, nulla ſe ratione placabilem poſtremo oſtendit, niſi ipſius Palatini monitu in Galliam quamprimum revertatur, et ſe regi ac patris juſſis audientem praeſtet. Proinde hortatur Palatinum, ut partes ſuas ea in re interponat, faciatque, quod in tali occaſione ab amicis et cognatis principibus in ſuam gratiam fieri cuperet: rem enim illuſtriſſima familia ſua dignam facturum, ſi domum ſuam transfugis a patre filiis patere non ſinat; ſed iis erroris clementer admonitis, ut ad officium redeant, auctor ſit. Palatinus antiquae gravitatis ac probitatis princeps, qui non ignoraret, quid paternae reverentiae deberetur, ſe paratum Carlotam in Galliam remittere aiebat, modo a rege ei caveretur, neque vis ipſius conſcientiae afferretur: in eamque rem ad regem literas dederat. Sed Monpenſerius, quamvis omni ratione filiam in poteſtate habere peroptaret, nulla ratione adduci potuit, ut his conditionibus aſſentiretur: cumque rex in eo eſſet, ut Joannem [b] Aumontium primariae nobilitatis virum, ac tunc Monpenſerii ipſius legatum ad Palatinum mitteret, qui Carlotam reduceret, interceſſit Monpenſerius, et ſi quidem filia in damnata Proteſtantium religione perſeverare vellet, malle ſe oſtendit, ut in Germania potius maneret, quam in Galliam rediret, omnibus offenſionem, ſenectuti ſuae moleſtiam praebitura. Itaque nihil actum: et Carlota in Palatini familia praecipuo in honore manſit, donec Gulielmo [c] Naſſovio Arauſionenſi principi elocata eſt. Tunc digreſſi ex aula Guiſiani non ſine occulta indignationis ſpecie, quod rex immemor tot exantlatorum ab illuſtriſſima familia laborum, et indignae Guiſii necis nulla ratione habita, inimicos ſibi homines tam obvia benevolentiae ſignificatione invitaret et complecteretur. Regina certe parens et Andinus haud ſatis aequo id animo ferre videbantur, a regiſque ſententia et voluntate ea in re diſſidere omnibus videri volebant; quod ſive verum erat, ſive diſſimulatione fieret, certe Colinium et ſequaces ejus pleroſque in pernicioſum errorem induxit, ratos regem contra matris ac fratris ſententiam ſerio et ex animo pacis, ut ſibi utilis ac regno neceſſariae, conſilia ſectari; ob idque ſororis nuptias cum Navarrae principe expetere, et bellum in Belgium contra Hiſpanos transferre decreviſſe. Verum Itali ſcriptores turſus negotium faceſſunt, qui quod poſtea ſecutum eſt, tanquam bonum factum, dum miris laudibus efferunt, et aſtum eum ſolerti magnanimi principis ingenio digniſſimum depraedicant, jam ante regem de illo cogitaſſe volunt, quod ex ſequentibus apparebit.

X. CUM in itinere Navarra eſſet, ut in aulam veniret, cardinalis Alexandrinus ſuperiore anno ad [d] Philippum et Luſitanum miſſus ad regem in Galliam ineunte hoc anno venire quoque juſſus eſt. Is per diſpoſitos equos properans cum in Navarram incidiſſet, eam inſalutatam praeteriit, ruſticitate an ſuperbia incertum, et in aulam recta [e] Bloeſas contendit. Ibi in privatum colloquium admiſſus a rege pontificis nomine petiit, ut Turcorum amicitiae tanquam Chriſtianiſſimo principi pudendae

INTERPR. [a] *Aigue-perſe en Auvergne.* [b] *d'Aumont.* [c] *de Naſſau prince d'Orange.* [d] *rois d'Eſpagne & de Portugal.* [e] *Blois.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

pudendae, et orbi univerſo pernicioſae renunciaret, ſacro foederi nomen daret, ſororem, quam Navarrae principi deſtinabat, melius conſultus Luſitaniae regi nuptum daret, et a colloquiis ac familiaritate Sectariorum, quantum poſſet, ut ſibi ac regno damnoſis abſtineret. Itali ſcriptores memorant, quod ad foedus attinet, nihil impetratum fuiſſe; haud ſane mirante ipſo Alexandrino, cum reſponſum datum eſſet, non eo ſtatu res Gallorum eſſe, ut qui rerum ſuarum vix potentes ſunt, ſe alienis negotiis immiſceant: neque vero rem Chriſtianam pecunia juvare, exhauſto bellis civilibus aerario, longe minus copias extra regnum emittere poſſe: nam neque Proteſtanteis ituros, metu, ne reditu in patriam excludantur; bonis vero ac piis emiſſis, regem praeſidio ſuorum nudatum Sectariorum conatibus exponi: actionem vero de Margaritae ſororis nuptiis cum Luſitano vehementiorem fuiſſe, quae tamen exitum non habuerit, cum rex diceret, ex matrimonio cum Navarro quietem publicam pendere; cujus ſtabilem ſententiam Alexandrinus multis in contrariam partem diſputatis mutare non potuerit: regem tamen, cum urgeretur, tandem reſpondiſſe, Utinam omnia tibi enunciare poſſem, Alexandrine; profecto tu et pontifex intelligeretis, nihil ad religionis res in regno conſtituendas, et juratos Dei ac Galliae hoſteis perdendos his nuptiis aptius eſſe: ceterum brevi fore ſpero, ut pontifex conſilium et pietatem meam, incenſumque religionis ardorem ex eventu lauder. Addit is, qui Pii V vitam ſcripſit, Hieronymus Catena, regem manu Alexandrini arctius compreſſa ſibi annulum magni pretii de digito detractum ei obtuliſſe, hiſque verbis eſſe affatum, Habe hunc tibi arrhabonem et pignus fidei datae, et nunquam a ſacra ſede defecturi obſequii, conſiliique contra Sectarios impios, ut recepi, propediem exequendi: Alexandrinum vero excuſaſſe ſe ab annulo accipiendo et, pontifici ac ſibi ſufficere fidem a rege Chriſtianiſſimo datam, reſpondiſſe; qua majus aut certius pignus petere aut ſecum ad pontificem perferre non poſſit. Cum hoc reſponſo, ſive ita diſerte, ſive obſcurioribus verbis, ut veriſimile ſit, involuto, multis aliunde promiſſis a regina et Andino oneratus legatus, poſtquam perhonorifice habitus fuit, eadem celeritate, qua venerat, Romam contendit, quippe cum de invaletudine pontificis avunculi in dies ingraveſcente ab amicis monitus eſſet.

XI. Is cum jam ab initio anni febre lenta tentatus eſſet, tamen morbum contempſit, et nihil de ſolita victus ratione mutavit, orationibus et negotiis attentus. Dein menſe Martio cum renum dolores magis intenderent, et putridam urinam egereret, ad familiare ſibi remedium confugit, lacte aſinino per aliquot dies ſumpto, cujus copioſiore uſu cum ventriculus admodum debilitatus eſſet, in acutam febrem incidit, et pro mortuo aliquandiu habitus eſt: dein reſumptis viribus, ipſo Dominicae reſurrectionis die, more ſolito ex ambone populum ſignavit, et allocutus eſt; et paulo ante VII baſilicas, quaſi illis vale dicturus, fere majorem partem pedes religioſe luſtravit. Dein abjecta negotiorum cura ſe ad mortem compoſuit, ac tandem ſacroſancto viatico de cardinalis Alexandrini nuper e Gallia reverſi manu ſumpto Kal. Maii duabus ante noctem horis ultimum vitae diem clauſit anno aetatis LXVIII, ſacri magiſtratus VII: haud obſcura populi laetitia, qui licentiae aſſuetus auſteros moroſi ſenis mores in occulto oderat, et intolerandam liberis hominibus in inquiſitionis munere exercendo ſeveritatem deteſtabatur. Is vitae ſanctimonia clarus, cum ab avaritia, ſordibus, et omni ditandorum ſuorum cogitatione maxime abhorreret, negligentia tamen ſua et difficili ad querelas acceſſu effecit, ut dum reipublicae parum gnarus minime ad eam attendit, ſuorum, quos more aulae illi inſito rerum gubernaculis admoverat, rapacitati porta aperta ſit, qui avare et inſolenter ſub eo impune graſſati ſunt diu: et ejus

rei

rei invidia Hieronymus [a] Ruſticutius in collegium cardinalium ab ipſo praeter meritum ex humili ac ſordido loco allectus inprimis laboravit, ob id a Gregorio XIII ſucceſſore Roma abſtinere, et [b] Fanum, cujus epiſcopus erat, quaeſito relegationi honeſtiore titulo, concedere juſſus. Biennio ante pontifex Nicolaum [c] Pellevacum Senonenſem archiepiſcopum in collegium cardinalium cooptaverat, Lotaringi cardinalis commendatione; qui accepto de pontificis morte nuncio, ſtatim, rebus ante ad profectionem comparatis, in viam ſe cum Pellevaco dedit, ut novi pontificis creationi intereſſet. Sed altero die poſtquam collegae conclave poſt novendialeis preces ingreſſi ſunt, ſummo omnium conſenſu pontifex renunciatur Hugo [d] Boncompagnus Bononienſis, juris utriuſque doctrina clarus, a Pio IV, cum in collegium legeretur, jam tum ſummo magiſtratui deſtinatus; et Gregorius XIII appellari voluit. Praeter morem comitiorum, quae lenta ac turbulenta eſſe, magniſque animorum ac partium certaminibus peragi ſolent, feſtinata fuit creatio, ne diuturnum interregnum bello Turcico interveniens procedentia ex voto communia conſilia retardaret. Id quanquam in itinere reſciviſſet cardinalis Lotaringus, tamen ire perrexit, abſentiae ab aula ſuae honeſtum colorem quaerens, et cum novo pontifice de arcanis conſiliis cum regina matre initis acturus.

XII. INTEREA ſtatim poſt Alexandrini diſceſſum Navarra cum Ludovico Naſſovio in aulam venerat magno comitatu: moxque agi coepit de nuptiis Margaritae ſororis cum Henrico Navarrae principe, qui ſub id tempus cum Condaeo patruele, Franciſco [e] Rupifulcaudio comite et aliis proceribus ac numeroſâ nobilitate in aulam venit: ac tandem de matrimonii conditionibus inter partes tranſactum eſt III Eid. Apt. CCC aureorum CIↃ Margaritae in dotem a fratre attributis, qui ſinguli aurei LIV ſolidis aeſtimati ſunt.

XIII. HAUD multo poſt, XIII Kal. Maias foedus cum Anglorum regina percutitur [f] Bloeſis a Franciſco [g] Momorantio, Renato [h] Birago procancellario, Sebaſtiano [i] Albaſpineo Lemovicum epiſcopo, Paulo [k] Foxio, regis nomine; cui pro regina Thomas [l] Smithus et Franciſcus [m] Walſinghamus intervenerunt. Ejus leges erant, [1] ut alter ad alterius defenſionem obligetur, ſine exceptione aut ulla perſonarum ratione habita; in eamque rem alter alteri VIII navigia omni re inſtructa, cum CIↃCC hominibus et commeatu in bimeſtre idoneo commodare teneatur: item VI CIↃ peditum, quorum loco regina a Gallis, ſi velit, III CIↃ equitum ſumere poterit. Liberum erit inter Gallos et Anglos commercium: eadem privilegia et immunitates, quae [n] Brugis in Pleumoſiis, [o] Antuerpiae in Atuaticis, [p] Bergae in Norvegia Angli retinent, et in Gallia habebunt. Nulli Anglorum propter religionem in Gallia periculum creabitur. Ambo in Scotiae pacificationem conjunctis ſtudiis incumbent. Et quae ab Anglis capta ſunt, inter XL dies reſtituentur. Haec pacta rex poſtea coram Edvardo [q] Clintono maris praefecto ad id a regina miſſo ſacramento confirmavit et rata habuit, ſicuti et regina, cum [r] Weſtmonaſterii eſſet, XVII Kal. [2] Quintil. coram Franciſco Momorantio, Paulo Foxio, et Bertrando [ſ] Salignaco Motafenelonio regis apud ipſam oratore fide jurejurando obligata pariter confirmavit. [α] Poſtridie Momorantium, quo Annae patris equitum magiſtri benevolentiam

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Momorantio periſcelidis ordini aſſociato, deque motuum in Scotia componenderum ratione, uſque ad* ceterum negotio de matrimonio, *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Ruſticucci.* [b] *Fane.* [c] *de Pellevé, archevêque de Sens.* [d] *Buoncompagno de Bologna.* [e] *de la Rochefoucauld.* [f] *Blois.* [g] *le mareſchal de Montmorency.* [h] *de Birague, garde des Sceaux.* [i] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.* [k] *de Foix.* [l] *Smith.* [m] *Walſingham.* [n] *Bruges en Flandre.* [o] *Anvers en Brabant.* [p] *Berghen en Norwegue.* [q] *le lord Clinton, comte de Lincoln.* [r] *Weſtminſter.* [ſ] *de Salignac, ſieur de la Mothe-Fenelon.*

NOT. [1] Junii *Camd.*

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

benevolentiam inſigni grati animi teſtimonio remuneraret, in Georgianorum equitum collegium cooptavit, quo eodem honore Henricus VIII olim Annam dignatus fuerat. Tum de Maria, ut cum ea mitius ageretur, paucis actum, propoſitumque, ut dum ordinum auctoritate motuum in Scotia componendorum ratio iniretur, utrinque ab armis ceſſatio eſſet; ſi in Scotia conventus haberi commode non poſſet, delegati Londini convenirent, una cum regis Galliae et reginae delegatis. Ad ea reſponſum, in Galliae regis gratiam benignius cum Maria quam promeruiſſet jam actum et porro actum iri, licet Ordines reginae regnique ſecuritati aliter idonee conſuli non poſſe cenſeant, ni cum Maria ſeverius agatur: de concordia et armorum in Scotia ceſſatione ſedulo actum eſſe, eamque ob rem Gul. [a] Drurium cum [b] Croco Galliae legato miſſum, ſed nullis rationibus Gulielmum [c] Kirkadium Grangianum, qui Edimburgenſem arcem praeſidio tenet, ſpe ſubſidii ſcilicet ſive e Gallia ſive Belgio lactatum ad pacis conſilia flecti potuiſſe; quamvis [d] Huntilaeus comes, et Hamiltonius Arbrothius pro patre, ſe ad pacem cum Eliſabetha colendam ſyngraphis obſtrinxiſſent, ceterique e nobilitate, qui Mariae partes ſequuntur, fidem dediſſent. Ita diſceſſum magna utrinque benevolentiae ſignificatione, ceterum negotio de matrimonio inter ipſam et [e] Andium ducem, de quo juſſus erat agere Momorantius, ob ſubortas novas difficultates, et quod Andinus publicum majorum religionis uſum in Anglia ante omnia concedi poſceret, fere deſperato: [a] ſed alterum per Motafenelonium mox repoſitum cum Franciſco [f] Alençonio, juniore regis fratre; regina parente, futuri anxia foemina, hoc ſatagente, ut quo triſte de fratrum in regni Galliae ſucceſſione augurium eluderet, per adfinitates ſingula regna ſingulis filiis pararet. Quod ſecus poſtea acceptum eſt, quaſi Katharina jam tum de tumultu mox Lutetiae ſecuto cogitans, hoc amoris pleniſſimo officio ſe apud Eliſabetham conſecuturam ſperaret, ut illa in ſubſidiis ferendis minus ſe facilem deinceps erga Proteſtanteis noſtrates praeberet. Eliſabetha, cum [g] Kenelworthi ea de re actum eſt, biduo ante tumultum Pariſienſem modeſte ſe excuſaverat, religionis diverſitatem, ut prius, et amplius aetatis imparitatem cauſata: Alençonius ſiquidem vix XVII annum attigerat, cum illa jam XXXVIII exceſſiſſet: de re tamen amplius ſe deliberaturam recepit. Sed ſive ſerio id agebatur, ſive ſimulate, ab eo certe tempore non deſtitit Alençonius per ſuos Eliſabetham ſolicitare; contractaque inde reginae benevolentia, magnum illi ad res poſtea in Belgium geſtas momentum attulit. Menſe Junio ſuperiore Thomas [h] Percius Northumbrius, quem ad [i] lacum Levinum ſub cuſtodiam miſſum ante biennium diximus, a [k] Mortonio, de quo ille, dum in Anglia exularet, optime meritus erat, pacta pecunia ſicuti jactabatur, [l] Hunſdono Berwici praefecto traditus fuit, ac paulo poſt [m] Eboraci ſecuri percuſſus. Ut eodem anno Norfolcium et Northumbrium primarios Angliae proceres ſecuris, ita par nobile aliud placida mors abſtulit, Gulielmum [n] Powlettum Wintoniae marchionem, magnum Angliae quaeſtorem, maximis honoribus, longa vita, quam ad XCVII annum produxit, inoffenſa laudis fama perfunctus. Longaevae is adeo vitae hunc etiam fructum tulit, ut CIII liberos ex ſe ſuiſve procreatos ante mortem numeraverit. In munere ei ſuffectus Gul. [o] Cecilius Burghleius, qui non ſolum primariam hanc in regno dignitatem diu tenuit, ſed eam raro integritatis ac felicitatis exemplo

Roberto

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Alençonii matrimonio, Northumbrii ſupplicio, Wintonii, Derbienſis & Petrei mortibus, rebuſque Hibernicis, uſque ad* miſſus ſub id in Germaniam, *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *Drury.* [b] *du Croc.* [c] *Kirkaldie, ſieur de Grange.* [d] *le comte d'Huntley, & Hamilton ſieur d'Arbroth.* [e] *Anjou.* [f] *le duc d'Alençon.* [g] *Kenilworth.* [h] *Percy, comte de Northumberland.* [i] *Lough-leviu.* [k] *comte de Morton.* [l] *Cary, baron de Hunſdon, gouverneur de Berwick.* [m] *York.* [n] *Pawlet, marquis de Wincheſter.* [o] *Cecil, baron de Burghley.*

[1] Roberto filio tranſcripſit. Powlettum ſecutus eſt Edvardus [a] Stanleius Derbiae comes, qui comitate ac liberalitate familiari jucundam ſui memoriam reliquit. Nec ſileri debet Gul. [b] Petreius [c] Exoniae natus ex equeſtri ordine, vir prudentia et doctrina praeſtans, ſub Henrico VIII, Edvardo VI, Maria, Eliſabetha maximis legationibus defunctus: qui, ad minuendam magnarum opum longa ac laborioſa vita collectarum invidiam, Exonienſem ſcholam [d] Oxoniae largis proventibus annuis locupletavit. His addenda ſingularia quaedam, ac fere domeſtica. Regina cum fere proſpera valetudine hactenus uſa eſſet, ſebriculis ad [e] Hamptonam tentata eſt; ex quibus ubi convaluit, [f] Porteſmutham portum tota Anglia celeberrimum novis munitionibus firmare inſtituit, claſſem navibus bellicis auxit, delectus per comitatus, in quos regnum divisum eſt, haberi mandavit, et juventutem ad armorum uſum exerceri, altiſſima in pace de bello cogitans. Pecuniam inſuper, quam mutuo a ſuis acceperat, bona fide reſtituit; eamque gratiam novo beneficio cumulavit, promulgato edicto, quo ex legibus antiquis in nobileis agi juſſit, qui plures quam debent in clientelam admittebant, quo fiebat, ut ſe illi reipublicae muniis eximerent, factiones in regno foverent, et potentia nobilium, quibus ſe in clientelam dabant, freti, in leges multifarjam peccarent. Tam ſalutari edicto alterum adjunctum, non minus populo gratioſum, quo rapaciſſimum hominum genus, auctoritate eorum in arctum coacta, repreſſum eſt, qui ſpecie jurium regiorum indagandorum, multa avare praecipue in eccleſiaſticos admittebant. In [g] Hibernia leves turbae exortae, Richardi [h] a Burgo comitis compluribus filiis, quos ex variis uxoribus ſuſceperat, durum Edvardi [i] Fittoni Connachtiae praefecti imperium non ferentibus. Ii [k] Senum fluvium tranſgreſſi per [l] Midiam occidentalem ſe effundentes praedis immaniter abactis ſubjectum agrum vaſtarunt. Parens vir canitie venetanda, cum fruſtra ſuos, ut ab inſolentia deſiſterent, monuiſſet, contumaciam eorum pertaeſus proregem adiit, et viciſſim de Fittoni acerbitate conqueſtus fecit, ut Fittonus e provincia revocaretur, inſulae quaeſtor ab Eliſabetha conſtiturus: nec multo poſt Richardi filii, ſicuti parens receperat, ſe ſupplices proregi ſtiterunt. Eodem tempore [m] O-Mori turbis ciendis natum genus cum tumultuarentur, ſuadente [n] Kildariae comite perduelles declarati ad obſequium redierunt. Tum crebris quotidie in inſula exorientibus turbis cum remedium quaereretur, Thomas [o] Smithus, vir doctrina et uſu rerum praeſtans, reginae auctor fuit, ut in [p] cherſoneſum Hiberniae in [q] Ultoniae ora orientali mitigandis humanitatis cultu animis colonia deduceretur, Thoma filio naturali duce, nam legitimam prolem non habebat, homine ſtrenuo, quae peninſulae iſthmum praeſidio teneret, et incurſiones ab illa parte frequentes arceret. Verum exitu res caruit, Thoma perfidia [r] Neali Briani intercepto et occiſo. In continentem et ad noſtra redeo. Miſſus ſub id in Germaniam Gaſpar [f] Schombergius, qui iiſdem fere legibus foedus cum Imperii principibus, quos dixi, iceret, ad vim inferendam et propulſandam, quique ducem copiis Germanicis deſignari peteret Jo. Caſimirum Friderici Palatini ſeptemviri filium; cujus et alteri filio Chriſtophoro rex eodem tempore penſionem principe ea dignitate et familia dignam aſſignavit. Miſſus et Jo. Galeaſius [t] Fulgoſius Florentiam, qui a Coſmo ab Hiſpanis Senenſi ditioni inhiantibus ſibi metuente mutuam pecuniam ad bellum contra ipſos gerendum ſumeret. His et aliis egregiae regis voluntatis

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Stanley, comte de Derby.* [b] *le chevalier Guillaume Petre.* [c] *Exeter.* [d] *Oxford.* [e] *Southampton.* [f] *Portſmouth.* [g] *Irlande.* [h] *Burgh.* [i] *Fitton, gouverneur de Connaught.* [k] *le Shannon r.* [l] *Weſtmeath.* [m] *les O-Mores.* [n] *Kildare.* [o] *Smith.* [p] *peninſule d'Irlande appellée Ardes.* [q] *Ulſter.* [r] *Neal Brian Artho.* [f] *de Schomberg.* [t] *Fregoſe.*

NOT. [1] Burghleio mortuo, Baro Buckhurſtus in munus magni Angliae theſaurarii ab Elizabetha ſufficitur: tandem anno 1608 regnante Jacobo Robertus Burghleii filius natu minimus eidem Buckhurſto, fatis cedenti, ſucceſſor datus eſt.

CIↃIↃLXXII. voluntatis indiciis ac teſtimoniis confirmatior Colinius ſuos per ſe ſuſpicaces,
CAROLUS IX. ſimulatione multa agi veritos, monitis ſuis erigebat, et bene in poſterum ſperare jubebat. Cumque Philippus Strozzius cum [a] Polinio Garda et C. [b] Roaldo Landerco in [c] Santones miſſus eſſet, qui claſſem ad exſcenſionem inde in Belgium, inde ad Indicas excurſiones paratam haberet, [d] Rupellani, id quod erat ſuſpicati, crebris nunciis Colinium monebant, ut ſibi ac ſuis conſuleret, neque ſe vanis aulae pollicitationibus ac fumis perniciose decipi pateretur: ille contra ſuſpiciones amoliri, omnia in meliorem partem interpretari, et eo loco res eſſe dicere, ut plus a regis gratia ſperare, quam ab ejus offenſione metuere ſibi debeat: eas eſſe publicae tranquillitatis hoſtium artes, qui rumoribus ſparſis Proteſtanteis in ſuſpicionem adducere conentur, ut diffidentia ſua in regis indignationem incurrant, ejuſque ſe gratia indignos reddant: proinde ipſos ad haec ſiniſtra murmura aureis occludere, et ſe ac ſua Dei providentiae et optimi principis bonitati committere debere. Et ut dicta factis approbaret, auctor fuit, ut urbes ſecuritatis cauſa a rege edicto poſtremo conceſſae etiam ante tempus reſtituerentur, quod et executioni ſedulo demandatum eſt. Rexque hinc ſumpta occaſione diplomata ad ſingulas regni curias miſit, quibus laudata principum ac procerum fide, edictum in Proteſtantium gratiam factum ut religioſe obſervaretur, enixe mandabat. Dum haec agerentur, ſynodus ſuperiore anno indicta [e] Nemauſi in Septimania Maio ineunte celebratur magno paſtorum concurſu, cui et Theodotus Beza facto per [f] Valentiam Segalaunorum itinere interſuit, ac praeſuit. In ea multa ad diſciplinae ſuperiorum bellorum licentia collapſae inſtaurationem, et presbyterii conſtitutionem pro tempore decreta ſunt, et quae ultima ſynodo indeciſa remanſerant, tunc ex communi paſtorum ſententia determinata.

[a] XIV. EODEM tempore Navarra rege inſtante [g] Bloeſis Lutetiam Pariſiorum Eid. Maii profecta eſt, ut neceſſaria nuptiarum celebrationi pararet, hoſpitio ſibi ſumpto in aedibus Caroli [h] Gillarii Carnutum epiſcopi, qui jam Proteſtantium doctrinam propalam amplectebatur, et ob ejus rei ſuſpicionem antea Romae cum aliis aliquot epiſcopis proſcriptus fuerat. [a] Navarra cum aliquot dies in urbe negotiis ſuis intenta haeſiſſet, febre continua pridie Non. Jun. corripitur, ex qua quinto poſt die deceſſit, cum aetatis annum ageret quartum ſupra quadrageſimum; princeps magni animi et ingenii, et doctrinae, quam profitebatur, tenaciſſima, ad quam propagandam nullis laboribus aut ſumptibus tota vita pepercit, periculorum omnium ſupra ſexum contemptrix, dum cauſae, quam tuebatur, ſerviret. Itaque praeter ingentia bella, quae, quantum in ſe fuit, ſummis impendiis geſſit, in [i] Cantabria juris Navarrici provincia ut eam doctrinam promulgaret, paſtores linguam patriam, quae a nemine fere vicinorum capitur, neque vero ſcribi poſſe antea credebatur, edoctos miſit, et novum Chriſti foedus, catechiſmum et preces in Genevenſi eccleſia uſurpari ſolitas, in linguam Vaſconicam ſeu Cantabricam transferri et elegantiſſimis typis Rupellae excudi curavit. Antequam moreretur teſtamentum condidit, quo poſt animam ſumma conſtantia ac fiducia Deo commendatam, eodem, quo rex Henricus ejus parens, loco ſine ulla funeris pompa ſepeliri mandat: tum principi filio enixe imperat, ut ante omnia pietatem colat, ſecundum eam, in qua educatus fuit, fidei confeſſionem, neque ſe mundi fumis, voluptatibus, deliciis et aliis vitiorum irritamentis ab ea divelli patiatur, et conſtitutiones ea de re a ſe in [k] Benearni principatu et inferiore Navarra promulgatas ſervari curet, familiam diligenter perpurget, et ab ea pravos conſiliarios male de Numine

VAR. LECT. [a] ſicuti ſuo loco diximus. Navarra *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *le baron de la Garde dit le capitaine Polin.* [b] *de Rouhaut, ſieur du Landereau.* [c] *Saintonge.* [d] *ceux de la Rochelle.* [e] *Niſmes en Languedoc.* [f] *Valence en Dauphiné.* [g] *Blois.* [h] *Guillart, evêque de Chartres.* [i] *Biſcaye.* [k] *Bearn.*

Numine ſentienteis, palpatores libertate praepoſtera abutenteis, ac vitioſos omneis faceſſere jubeat; bonos, pios, vitae inculpatae, in iiſque [a] Bellovarium, [b] Francurium et [c] Betulum penes ſe retineat; Catharinae ſororis praecipuam curam habeat, placide, amanter, ſine ulla acerbitate tractet, eamque in eadem pietatis ſchola in [d] Benearni pago educari curet, ut, cum adoleverit, principi pari dignitate eandem religionem profeſſo elocetur: Henricum [e] Borbonium Condaeum patruelem tanquam fratrem amice diligat, et Franciſcum [f] Contii marchionem ejus fratrem; curetque, ut ſumma inter eos cum Colinio concordia ad Dei gloriam propagandam alatur. Poſtremo filium heredem inſtituit; et regem, reginam parentem, Andinum et Alençonium regis fratres rogat, ut principis filii ac Catharinae ejus ſororis patrocinium ſuſcipiant, eiſque liberam doctrinae ſuae profeſſionem permittant. Carolum cardinalem Borbonium liberorum ſuorum patruum, et Colinium, teſtamenti executores nominat. Ea mors tam inopinata variis ſermonibus cauſam praebuit; cum alii eam ſiniſtri augurii loco acciperent, et infauſtas nuptias praeſagirent, quibus funereae faces praelatae eſſent; alii veneno mortem acceſitam murmurabant, icto cerebro chirothecarum peſtifero odore, quas illi unguentarius quidam Mediolanenſis [g] Renatus nomine homo ſceleratus et ad id ſubornatus vendidiſſet. Corpore tamen diſſecto, non etiam cerebro aperto, quod rex, ut fieret, enixe mandaverat, abſceſſus in latere ſiniſtro repertus ex nimia contentione et fatigatione contractus, quo eam periiſſe retulerunt medici, ſcripto de ea re publicato. Ex ejus morte rex magnum dolorem prae ſe tulit, et funebrem veſtem ſumpſit: tota aula ejus exemplo in luctu fuit ad publicum dolorem teſtandum, ne eo caſu procedentia conſilia retardarentur.

XV. INTEREA calente belli Belgici negotio, cum allatum eſſet, [h] Montes in Hannonia a [i] Naſſovio interceptos, qua de re poſtea plenius dicemus, idque videretur fauſtum et opportunum ad res gerendas initium, [k] Colinius eo magis urgere regem coepit, ut tam pulchram occaſionem minime praetermitteret, ſed quamprimum Hiſpanis bellum aperte indiceret; quod quamdiu in occulto et ſimulate tantum gereretur, nulla denunciatione prius facta, et ſegniter geſtum iri providebat, et pleroſque ex nobilitate, qui alioqui ultro huic militiae nomen dediſſent, eam detrectaturos, veritos, ſi in manus Hiſpanorum incidiſſent, ne in ipſos non jure belli, ſed tanquam in latrones et transfugas a ſaeva et barbara gente, ut aiebat, animadverteretur. His rationibus victus rex, qui et rei ſpem ab initio fecerat, et eam ad conſilia occulta tegenda neceſſariam arbitrabatur, cum nec recuſare omnino vellet, ne alieni animi ſuſpicionem Colinio moveret, nec denunciationem facere in animo haberet, quantum in ſe erat tempus extrahebat et, quamvis bellum illud ſibi magnopere probari oſtenderet, tamen, ut a concilio ſuo probaretur, ad vitandam invidiam expetere ſe dicebat. Itaque Colinium rogat, ut ſententiam ſuam ſcripto complectatur, ut ea in conſiſtorio lecta et expenſa mature omnia et conſiderate in tanto negotio peragerentur. Ille igitur in [1] haec verba ad regem reſcripſit. Qui de futuris regnorum ac rerum publicarum converſionibus, Chriſtianiſſime rex, ex ſignis externis, prava adminiſtratione, et periculis ob civium diſcordiam impendentibus judicium ferunt, cum nuper Franciam odiis domeſticis agitatam, bello civili accenſo ubique ardentem, ſpreta magiſtratus ſupremi

INTERPR. [a] *de Beauvoir.* [b] *de Francour.* [c] *de Bethut.* [d] *Bearn.* [e] *de Bourbon, prince de Condé.* [f] *Conti.* [g] *René, parfumeur Milanois.* [h] *Mons en Hainaut.* [i] *le comte Ludovic de Naſſau.* [k] *l'Amiral de Coligny.*

NOT. [1] Ce diſcours eſt imprimé dans le premier volume des Memoires de M. du Pleſſis Mornay. *Put.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. ſupremi ac legum majeſtate ad omnem licentiam prolapſam viderent, ſic exiſtimabant, regnum hoc quondam potentiſſimum, niſi pax inſperato Dei beneficio ci quamprimum affulgeret, brevi funditus everſum, aut, qui melius ſperantium ſenſus erat, in partes procul dubio laceratum iri. Nunc cum rara Dei benignitate tranquillitas conceſſa, et quiete conceſſa ſpes ſit, ut ex lethali morbo Gallia recreata priſtinas vireis et dignitatem reciperet, omni cura et ſtudio videndum eſt, ne recidivo malo rurſus oppreſſa corruat. Nihil autem ad domeſticum bellum evitandum magis conducit, quam ſi foris bellum geratur: et prudentiſſimi rerum ſemper cenſuere, populis bellicoſis hoſtem extra habendum, ne arma in ſeipſos vertant. Et Gallis hoc inſitum eſt, ut ſemel ſumpta arma aegre deponant et, cum hoſtem extra fineis non habeant, in commilitones ac conciveis ſuos ſaeviant. Cumque Itali, Germani, Helvetii pace facta domum quiſque repetant, Galli domum otium et omneis alias artes peroſi, aut in longinquo bellum ſectantur, aut plerumque, ne armorum tractandorum deſit occaſio, ſcelerata mente viatores hoſtiliter aggrediuntur. Cui malo ut idoneo remedio in tempore praevertatur, externo bello opus eſt, quod juſtum, quod facile, quod utile ſit, in quo et utilitas cum honeſtate conjungatur, et decus inde partum ad utilitatem redundet. Id autem hujuſmodi eſt, quod contra Philippum Hiſpaniarum regem proponitur. Nam ſi ad injurias tibi, aut in aetate pupillari conſtituto, qua rebus tuis ſupereſſe non poteras, aut bellis exortis civilibus occupato illatas reſpicias, quidni juſtum illud cenſebis? Non ſatis fuit homini vaſta alieni invadendi cupiditate ardenti, pleriſque te avitis provinciis, quae circa Galliam ſunt, ſpoliaſſe, niſi et ad Indias uſque Gallos infeſtis animis perſequeretur, iiſque immani crudelitate in Florida trucidatis ad immanitatem etiam ultionis neceſſitatem impoſuiſſet, ſuperbo, et quod ad nominis Francici ignominiam redundat, quaſi trophaeo erecto. A vita deinde et tuorum fortunis ducto initio, etiam Gallici nominis ac regiae majeſtatis dignitati et titulis vim afferre voluit, et prenſationibus apud Maximilianum imperatorem gentilem ſuum effecit, ut principis loci praerogativa in aula Caeſarea tuis legatis denegaretur. Eadem de re tibi et Romae apud pontificem, cujus majores adeo deceſſoribus tuis debent, captato tempore controverſiam excitavit; et nuper ſparſa maligna fama, quaſi Alfonſus [a] Carrectus Finalii in Liguria marchio fruſtrationum pertaeſus, quas jam diu Hiſpanorum artibus apud Caeſarem experitur, in patrocinium tuum confugere ſtatuiſſet, copias belli Turcici et Venetis ſcilicet ferendi auxilii praetextu conſcriptas pacata Italia contra Italiam vertit, et Finalium nulla juſta de cauſa in poteſtatem redegit. Quibus rebus cum inimici et infeſti erga regiam tuam majeſtatem animi ſatis ampla documenta dederit, quid ſupereſt, niſi ut Philippum Hiſpaniarum regem non bello inferendo inimicum efficias, ſed tot injuriis provocatus juſtam armis ultionem perſequaris? At frater eſt, duplicique cognationis vinculo tibi conjunctus. Enimvero eo major et atrocior injuria eſt, quo ab eo, quem amicum eſſe exiſtimabas, tot neceſſitudinum vinculis tecum conjunctum, tam alieno tempore profecta eſt. Nec magis audiendi, qui ſummiſſa tibi primo bello civili auxilia ab eo blaterant, quem perinde feciſſe exiſtimare debes, atque eum, qui furenti et in ſe ſaevire geſtienti pugionem porrexerit. Quis enim veteratorias Hiſpanorum artes ignorat, ut in ſuo pacem habeant, in aliena atque adeo inter vicinos bellum alere ſatagentium; eoque tendere illorum conſilia, ut ſpectatores ſedeant, dum alterutra pars victa ipſorum opem imploret, aut ambae mutuis vulneribus confectae cadant, et inſidioſe imminentem Hiſpanum quaſi victorem admittere cogantur? Bellum ergo juſtum eſt. Quo magis tibi videndum eſt, ne, ſi tam pulchram occaſionem praetermittas, actio tua

INTERPR. [a] *del Caretto, marcheſe de Finale nella Riviera di Genoa.*

tua praeſcribatur, jus tuum tibi pereat, et cum juſtam cauſam nunc foveas, ſi diutius ejus perſecutionem extrahas, injuriam malevolentiae tuae olim praetexere videaris. Sed multis iniqua ea videbitur, quod adverſus bello Turcico implicatum eam perſequaris. Quaſi vero legibus ullis prohibitum ſit, dum adverſa pars cum altero litigat, cum ea jure experiri. Et ſi tantus belli Turcici favor eſt, ut, quia pro fide Chriſtiana ſuſceptum eſt, in pace colenda ac ſervanda religioſiores eſſe debeamus, cur Hiſpanus, qui eam a vicinis hoc tempore exigit, non ipſe olim ſervavit, et nunc cum ad exonerandam conſcientiam, et placandum Numen maxime opus eſt, illam nobis minime ſervat? cur ditiones majoribus tuis ereptas retinet? cur regnum Navarrae foederatis tibi regibus ablatum violenta poſſeſſione occupat? An prodeſſe debet illi Turcici nominis odium, cum ipſe Turcis eo inter Chriſtianos deteſtabilior ſit cenſendus, quo canis canem devorans lupo ipſo odioſior habetur? Age ergo, et non, an bellum Philippo jure denunciari poſſit, ſed qua ratione geri debeat, videamus. Et vero jam illud denunciatum putare debes; ſic enim Philippus exiſtimat, et tam te inimicum reputat, quam ſi ipſe eum exercitu explicatis ſignis adverſus ipſum jam profectus eſſes: ſic Naſſovium et alios proceres, quos ille pro perduellibus habet, a te honorifice exceptos interpretatur: nec ignorabat [a] Jenliſium poſt Montes captos tecum egiſſe, et nunc in limite, ſi injuſſu tuo, ſaltem te non inſcio militem, ut obſeſſis opem ferat, conſcribere; neque clam credit facere, quod palam non audeas: nam perinde eſt Hiſpano gladium oſtendiſſe, ac gladio ipſum percuſſiſſe. Jacta eſt igitur alea, neque deliberationi de bello inferendo amplius locus ſupereſt, et ad belli tam juſti cauſam etiam ejus, nunc omni mora ac diſſimulatione poſthabita, aperte gerendi neceſſitas acceſſit. Verum haec magna Deo gratia, quod, ut neceſſarium, ſic perfacile tibi bellum propoſitum eſt, conjunctis tuis per pacem viribus, et hoſtis potentia per eandem infracta ac diſſipata: ſic enim exiſtimare debes, bellum ferro non auro, milite non pecunia geri; militis autem robur in eo praecipue conſiſtere, quod domi et apud te eſt; ac deinde in foederatorum amicitia: et in utroque longe Hiſpanos ſuperas. Nam in Gallia hodie omnes armis inſueverunt, et qui antea ad tympanorum ſtrepitum cohorreſcebant, nunc laetitia exultant, et ultro paſſim militiae dant nomen; multique, qui bellis ſuperioribus gregariorum militum loco parebant, nunc ut duces eſſent, virtute ſua meruerunt. In pagis, in urbibus armorum tractandorum uſus familiaris eſt. Nec verendum, ne propter factiones ex religionis diſſidio nondum bene compoſito ſubortas miles minus ducum imperiis audiens ſit. Nam factionum ſemina inter primarios viros fortaſſe adhuc vigent, quae inter milites gregarios prorſus cum pace evanuerunt: idque inſigni exemplo jam ante conſtitit, cum pace ante novennium facta cuncti ſociatis animis ad [b] Franciſcopolim recipiendam incubuerunt: nam nuſquam major in exercitu concordia; ut procul dubio ſit, ubi regii imperii auctoritas accedet, quin et conſtans ibi omnium obſequium reperiatur, et cum obſequio ad rem bene gerendam alacritas, et ubi alter veſtigium impreſſerit, ibi alter eodem in veſtigio pedem ſtatim infigat. Tunc et conſtabit experientia, quàm tutius et firmius ſit a ſuo quam externo milite praeſidium: nam ſuus, tanquam filius patri, ſic principi paret; alienus ut ſervus et mercenarius ſolum militat: ille pro patria, pro decore et, tanquam principem meritorum ac virtutis ſuae inſpectorem habeat, ſpe gloriae ac remunerationis aut caſtigationis metu pugnat: ille praedae et ſtipendiorum ſpe conductoris caſtra ſequitur, quae ſi deficiunt, aut ad ſeditiones vertitur, aut pugnam detrectat; denique auro ut ducitur, ſic ferro et periculoſum horrore repellitur:

adde

INTERPR. [a] *Jean d'Hangeſt, ſieur de Genlis.* [b] *Havre de Grace.*

adde quod ab externo milite majora maleficia in agros perpetrantur; ut ſunt incendia, praedae, rapinae, vaſtationes? quae omnia vel ſenſu aurium ſaeva quo minus tui faciant, charitate patriae prohibentur. Heic vero ut ſubſiſtas parumper et in mentem revoces ea tempora majeſtatem tuam obteſtor, quibus Gallia intus pacata et a civilibus diſſenſionibus vacua bellum in limite gerebatur. Tunc majoribus tuis cum Italis, Germanis, Hiſpanis, Anglis ſaepius, et cum pleriſque ex iis ſimul res fuit; tunc populus in regni meditullio et per urbes paſſim proeliorum et armorum inſolens, ad ſolitam eorum famam tremebat: et tamen ſola nobilitate ſubnixi illi, et exiguo illo legionum numero, quae in praeſidiis etiam pacis tempore ad limitis cuſtodiam aluntur, tot hoſtium impetum non ſolum ſuſtinuerunt, ſed iis cum damno extra fineis repulſis, oppidis etiam captis opima de hoſte ſpolia ſaepius reportarunt. Nunc cum calamitate publica effectum ſit, ut omnes obſidionibus, certaminibus, procliis ubique inſueverint, quos hoſteis Gallis debellandis pares exiſtimas? an Hiſpanos? homines, haud inficias eo, ſtrenuos, ſed raros et in provinciis minime populoſis natos, ut nunquam Carolus V, cum plurimos habuit, plures VII CIↃ peditum, IↃ CCC equitibus in caſtris habuiſſe dicatur. Et nobilitas in Hiſpania, cum non niſi ex conventione privilegiis ſuis firmata pro provinciarum ſuarum defenſione regibus militet, raro Pyrenaeum tranſcendit. Quod ſi quando major numerus in Hiſpania conſcribatur, ex ruſticis et tironibus fere conſtat, et hujuſmodi hominibus, qualeis nuper Medinae-coeli dux ſecum in Belgio advexit, qui armorum rudes ad primum certamen fere univerſi deleti ſunt. Cum vero ſolemne ſit Hiſpanis, ditiones regi ſuo ſubjectas in provinciae formam redigere, crebras arces ubique aedificare, eaſque validis praeſidiis firmare, coguntur vireis ſuas pluribus locis diſtractas habere; in Sicilia, Africa, Neapolitano regno, Inſubribus, et in Belgio, ubi in ſolo limite Galliam ſpectante XXVII praeſidia magnis ſumptibus alere neceſſe habent. Nunc apud te reputa, quot illi bellum Turcicum Hiſpanos occupat; quot in dies navalibus proeliis, morbis et aliis caſibus abſumit. Sed noviſſimae pugnae ſucceſſu plerique terrentur, et potentiam Hiſpanienſem eo magnopere amplificatam, uti rentur, reformidant. Verum nae illi parum periti rerum aeſtimatores ſunt, qui tantum hoſtem tot annorum victoriis potentem unico proelio debellatum credunt; cum potius, ne vi majore impreſſionem faciat, cunctis merito verendum ſit. Nam hoc fere in magnis imperiis uſu venire cernimus, ut poſt ingenteis clades, ad tuendam exiſtimationem et ulciſcendam injuriam, majore belli mole ſtatim inſurgant. Et ſi verum amamus, quid illum amiſiſſe dicere poſſumus, qui Cyprum ſui juris fecit, ſpe omni Venetis inſulae reciperandae adempta? Et ſi, ut vero ſimile fit, claſſem rurſus hoc anno inſtruat, quanti conſtituram Hiſpanis eam victoriam putas, quibus, ut eam tueantur, totas Hiſpanias per ſe infrequenteis hominibus exhaurire, totas Indias inſanis ſumptibus abſorbere neceſſe erit? Jam ad Belgium reſpice, cujus provinciae delectus cum III CIↃ equitum olim facerent, nunc bellis civilibus alienata aut abſumpta nobilitate vix ad CIↃ redacti ſunt: in iis vero provinciis, quae ſemel defecere, quo majores progreſſus facit Albanus, eo magis contrahitur ejus exercitus; quippe cum ſingulis locis ſingula praeſidia ex fidis ſibi hominibus imponi oporteat; et ita per urbium, oppidorum et arcium expugnationes decreſcit bellatorum numerus, qui vincendo creſcere debuit. Quod ſi Philippum maritimis praevalere contra nos opibus quis dicat, huic reſponſum eſto; nos non in Italia bellum gerere, in qua potentiſſimum illum claſſe nemo inficiatur; ſed in oceano, in quo non triremibus, ſed navigiis rotundis certatur; et in quo proinde non eaedem opes, non vires, non rerum earum navalium peritia in Hiſpanis conſpicitur et laudatur:

laudatur: nam Anglos, Scotos atque adeo Belgas et Batavos, quibuſcum illis CIƆIƆLXXII.
res eſt, Hiſpanis praeſtare in eo mari nemo eſt qui dubitet. Quod ſi in [a] Provinciam CAROLUS IX.
Narbonenſem viteis bello Turcico jam occupatas vertat, quis illi feliciores, quam olim Carolo Caeſari parenti, ſucceſſus ſpondere auſit? Et hoc quidem ſuum robur, hae opes ac vires Philippo domeſticae ſunt. Nunc operae pretium eſt conſiderare, quid illi extra ditiones ſuas in foederatis et amicis praeſidii ſit. Ex quo Hiſpanorum nomen antea obſcurum, cum in plura regna diviſi eſſent, iis unitis ſub Ferdinando et Iſabella crevit, et maxime ſub Auſtriis, Germania, Belgio, Italia cum Hiſpania veluti conjunctis, quicquid periclitati, quicquid victi ſumus, quicquid amiſimus, id tot nationum ita conjunctarum viribus, non Hiſpano robori aut ſolertiae imputari debet. Nam ſi diligenter calculus ineatur, ubicunque infeliciter pugnavimus, vix Hiſpani quartam exercitus hoſtilis partem efficiebant; praecipuumque ſemper ab Anglis ſubſidium fuit, qui inveteratis odiis infeſti, et ob Belgii antiquum et cum domo Burgundica toties renovatum contra Gallos foedus, omni tempore et loco nobis imminebant. Nunc mutata eſt rerum facies, alienatis Belgarum ab Hiſpanis animis. Angli, qui Zelandiae et Bataviae vicinis et opportunis adeo provinciis tam vicini ſunt, qui eorum defectioni in occulto favent, ab Hiſpanorum amicitia ſenſim deſciverе, et nondum aperte indicto bello jam hoſtes eſſe incipiunt; ut nihil ab illis tibi metuere debeas. Proximi Scoti perpetuo et conſtanti tibi foedere et recenti neceſſitudine conjuncti, cum Anglia, cum Belgio et Hiſpania contra te conjuratis, in extremo diſcrimine ſemper tibi praeſto fuerunt; nunc ſeparatis eorum viribus ac ſtudiis, cum minus periculum ſubſit, quin eundem ſemper erga te animum ſervent, minime dubium relinquitur. Et ut metu aut ſeditionibus nuper in regno exortis mutaverint, quid ab his periculi rebus tuis impendere poteſt, qui Hamiltoniorum ſucceſſioni inhiantium factionibus diviſi ac lacerati potius malum accipere, quam inferre poſſunt? In Germania vero ſciſſi ob religionem veluti Imperio proniores animi ſunt in Gallorum favorem; quippe recenti memoria et odio Hiſpanorum, quorum ambitione factum credunt, ut Carolus V de Imperio in provinciam redigendo conſilium ceperit: et vero ſimile ſit, Maximilianum Caeſarem pari affectu in generos ambos neutris partibus ſe addicturum: quod ſi fortaſſe ob familiae communis decus et multiplici vinculo geminatam neceſſitudinem in Philippum magis procumbat, quid bello Pannonico diſtrictus patrueli ac ſororio auxilii, rebus tuis incommodi, importare queat? A principibus eccleſiaſticis non multum opis ſperare poſſunt Hiſpani; quippe qui ſaepius mutant, nec valde opulenti ſunt, et ob charitatem patriae et turbarum metum plerumque religionis cauſa, quam Philippus cupiditatibus ſuis praetexit, non multum moventur. Helvetiorum [b] VII pagi tibi ex foedere conjuncti ſunt; [c] Rhaetorum item III pagi: alii ab Hiſpanis ob religionem omnino alieni. In Italia quidem pontifex totus in Hiſpanorum partes inclinat: ſed bello Turcico implicatus omneis in orientem opes vertere cogitur, ut ab eo in occidente interea nobis ſecuris eſſe liceat: et illud eſt ingenium aulae Romanae, quod omnes rerum periti norunt, ut potius arbitrium inter principes bellum gerenteis ſibi ſumat, et ex utriuſque damno privatum compendium captet, quam ulli parti addicta in periculorum aleam aut partem veniat. Quid ſenatus Venetus hoc ultimo bello etiam poſt victoriam ultimam tantopere decantatam victo quam victori, vel ipſo fatente, magis ſimilis? cui ſcis quotidie cum Hiſpanis de belli gerendi ratione certamen eſſe, et quem a foedere prima data occaſione diſceſſurum conſtat,

INTERP. [a] *du coſté de Languedoc.* [b] *les ſept Cantons Catholiques,* [c] *les Griſons, diviſez en trois Ligues.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX. conſtat, non ut ſe novo bello, quod adeo olim damnoſum nobiſcum expertus eſt, implicet, ſed ut quietem cum vicinis colat, et commercium per orientem, quo unico Venetae opes ſuſtentantur, inſtauret, ruinaſque Cypro amiſſa acceptas pace reſarciat. Jamque eum palam ſit [a] Joannem Auſtrium arma in orientem ſumpta in [b] Africam, ut Hiſpanorum rebus magis opportunam, avertere decreviſſe, haud diu Venetos foederi ſtaturos apparet. Quod ſi ad alios Italiae principes reſpicias, parum aut nihil omnino opis inde ad Philippum redire poſſe perſpicies: quibus ſi quid ex demenſo ſupereſt, in bellum Turcicum aegre ac parce, aut etiam foedere ceſſante orae maritimae impenditur. Et ut ſingulos enumerem; Sabaudiae dux ex foedere neutri parti accedere debet, et proxima tecum contracta affinitate, nec occulta [c] Mediolanenſis principatus ſpe retinebitur, quo minus ab ea parte quidquam contra te moveat. Ferrarienſis vero ab Hiſpanis ſemper olim alienus, nunc Gallicis partibus proximitatis neceſſitate addictus eſt. Coſmus autem [d] Etruriae dux civiliter potius quam ex animo Philippi amicitiam colit; quippe qui ſciat, quam aegre Hiſpani ferant [e] Senenſium imperii poſſeſſionem in ſe translatam, quique [f] Plombino, Herculis portu, Telamone, Orbitello externis praeſidiis occupato compedes Etruriae et ſibi ab Hiſpanis injectas in occulto dolet. Gulielmus Mantuae dux, etſi Philippo multis nominibus obſtrictus, infirmitate ſua ſe facile a bello hoc excuſabit: et eum Ludovicum Gonzagam [g] Nivernii ducem ipſius fratrem penes te habeas, ejus interventu ſeu reſpectu, ut ab omni ope ferenda abſtineat, fieri poſſe extra dubium eſt. [h] Urbini ducem nulla in parte pono, familia militaribus viris clara, haud inficior, prognatum, ſed exiguis opibus, ut, ſi ipſum eximas, qui tamen bello per aetatem vix intereſſe poterit, parum in ejus opibus momenti ſit. Ita ex tot gentibus in nomen Gallicum olim conjuratis, Germanis, Anglis, Italis et Hiſpanis, duo primi mutata temporum conditione jam a tuis partibus ſtant: Itali neutri manent, aut ſi qui eorum in hoſtium partes tranſeant, parum incommodare poſſunt: Hiſpania per ſe infrequens, tot praeſidiis non ſolum domi, ſed in Sicilia, regno Neapolitano, [i] Inſubribus et Belgio ipſo occupata, tot coloniis in Indias miſſis exhauſta, ad bellum, de quo deliberatur, ſuſtinendum plane infirma erit. Et hae quidem Philippi domi et foris militares vires. A re pecuniaria utri, tibine an ipſi majores opes ſuppetant, nunc diſpiciendum. Bellis ſuperioribus ſub Carolo parente geſtis Philippus, patrimonio omni, portoriis, vectigalibus divenditis et oppigneratis, cum Italis, quibus ingens aes alienum debebat, vicis et pagis, quos creditores ſui in Sicilia et Neapolitano regno poſſidebant, comitatuum, principatuum et hujuſmodi titulis ornatis, nullo praeterea dato, tranſegit. Germanos vero importunius debita ſua in Hiſpania repoſcenteis Inquiſitionis metu aut diſtricto in pertinacius tam juſtac petitioni inſiſtenteis formidandi fulminis telo eos a perſecutione deterruit, et fide publica paſſim per Italiam et Germaniam elevata creditoribus ſuis decoxit. Quid Hiſpani? ii niſi ad tuendos fineis ne obolum quidem contulerint. Indiae jam fodinae avara perveſtigatione vacuatae aut ſupernatante aqua obrutae paene defecerunt: ſupereſt, ut aerarium immodicis ſumptibus in alieno invadendo factis exhauſtum, aut proſcriptionibus, quae ardente bello civili periculoſae ſunt, aut aliunde ſuppleatur. An a donativo Belgico? Atqui provinciae illae bello gerendo in ſtipendia militum vix ſufficiunt. An ab Antuerpienſium mercatorum collegio? Id illi olim licuit, pacatis in Belgio rebus et commercio libero, quod nunc, poſtquam [k] Mattiacae inſulae in [l] Arauſionenſis verba juraverunt,

INTERPR. [a] *Don Juan d'Auſtria.* [b] *Barbarie.* [c] *duché de Milan.* [d] *la Toſcane.* [e] *Siene.* [f] *Piombino, Porto Ercole, Telamone, & Orbitello.* [g] *Nevers.* [h] *Urbino.* [i] *Lombardie & Païs bas.* [k] *iſles de Zelande.* [l] *prince d'Orange.*

juraverunt, omniſno interruptum relanguit, ita ut plerique, qui aliis credebant, CIƆIƆLXXII. nunc cum ad exſolvenda debita certo die appellantur, temporis gratiam a judice CAROLUS IX. implorare cogantur. Sed Genuenſeis in Italia praeterieram, qui quodammodo in Philippi aere ſunt. Nam cum ſaepe de imponenda Genuae arce antea conſultatum eſſet, et Andreas Auria, qua erat in patriam charitate, quavis conditione repudiata ſemper contradiceret, non aliam rationem comminiſci potuit Carolus v prudentiſſimus princeps, qua Genuenſeis in officio contineret, quam ſi omnem eorum pecuniam, qua ſola fere illorum opes conſtant, Liguria omnium rerum a natura ſterilitate et inopia damnata, corraderet. Sic enim fore judicabat, ut avara gens metu ſui amittendi in fide perſeveraret. Illi igitur ab eo tempore fecere, quod aleae luſoribus familiare eſt, qui, ne perdant, quotidie perdere non ceſſant, et novis ac repetitis ſubinde contractibus ac verſura ſaepius a debitore facta ipſi debitori fidem, quam revocare non poterant, obligarunt. Nunc vero cum nec pecunia illa repraeſentetur, nec uſurae dependantur, malunt otioſum nummum in arca deſidere, quam foenori adeo periculoſo collocare. His adde Finalium nuper cum gravi Genuenſium reipublicae detrimento et injuria ab Hiſpanis occupatum. Igitur quod Hiſpano ob eas, quas dixi, cauſas difficile ac paene impoſſibile eſſe oſtendimus, tibi contra perfacile erit, cui in nobilitatem atque adeo equitatum, qui fere ſuis ſumptibus militat, exiguo ſumptu opus ſit; et tantum ad alendum peditem pecunia, ſed ea tenuis, modo certa, ſit neceſſaria. His adde, quod in hoſtico bellum gerentibus bellum bello ipſo alitur: nec praeter regni vectigalia, quae copioſa nunc in pace ſuppetunt, Ordo ſacer, qui in regno tuo majorum tuorum ac procerum beneficio ampliſſimum patrimonium poſſidet, in tam juſta ac neceſſaria cauſa tibi, puto, aut ſibi deerit. Ergo cum Philippus nec manu militari, nec pecunia, qui praecipuus belli nervus eſt, plus quam tua majeſtas valeat, quid in mora eſt, quo minus bellum tam juſtum ac neceſſarium, tam confectu facile, cum manifeſta utilitate primo quoque tempore ſuſcipiatur? Verum ubi incipiendum illud, et qua ratione gerendum ſit, quaeritur. Ab Hiſpania Pyrenaeo excludimur, et montana fere regio ac ſterilis inſidiis ac vulpino aſtu graſſantibus opportuna ſubeſt; nec commode cum Hiſpanis in Hiſpania bellum geritur, ubi nobilitas ſuis ſumptibus pugnare pro finibus tenetur, raro et aegre limitem egreditur. Italiam toties infeliciter tentatam ne nunc petamus multa prohibent; verſi ad quietem animi, recens intuti apud nos patrocinii memoria (nam ſic occulta Numinis voluntas fuit) et ingentes belli Turcici apparatus, quae omnia in nos convertemus, eoſque ipſos, qui minus volunt, ſi in Italiam ſigna inferamus, ex occaſione nobis hoſteis efficiemus. Belgium ſupereſt ſub oculos, immo ſub manum poſitum, procul ab Hiſpania et Italia, quod proximitate invitat, ubi plebs obviis ulnis Gallos expectat, ubi diſſidia tibi portas urbium reſerant, et muros ad invadendas eas provincias ſternunt; nec jus tibi in iis deeſt, quod vi et calamitate publica majoribus tuis ablatum nunc occaſione oblata jure repetere potes. Quod ut commodius perficias, tibi foedus cum Arauſionenſi ineundum, cujus magna auctoritas, multa gratia apud eas gentes, quem Belgae tanquam libertatis patriae propugnatorem colunt. Is urbes, oppida, arces, quae ſe in ejus clientelam dederunt, tuo patrocinio, quo ille eget, committet, [1] ejuſque auſpiciis bellum geret. Inde initium faciendum. Nam expugnatis animis facile cetera in tuam poteſtatem concedent, et conciliatis indigenis Hiſpanos ubique hoſteis facile Belgio pelles. Inprimis tibi validus exercitus conſcribendus ex milite, qui diſciplinam ſervet, qui parere didicerit, qui praeda et rapinis abſtineat, nec amicis gravis ac moleſtus ſit, qui hoſti terribilis, de cetero ducum verbis audiens

NOT. [1] *rectius* tuiſque.

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

audiens ab amicis libenter accipiatur. Id autem aliter conſequi non potes, quam repraeſentato in tempore ſtipendio; quo perſoluto, nihil eſt quod ab eo exigere non poſſis. Sic denique bellum gerere debes, ut commercium, quo fere illae provinciae conſtant, plerisque locis ac maritimis praecipue minime intermittat. Non autem limitem et arces in eo poſitas aggredi primum debes, quod pacata provincia et nullis internis diſſenſionibus agitata fortaſſe faciendum eſſet. Hac exoleta gladiatoria omiſſa, quae tantum brachia et crura attingit, tibi cor, tibi vitalia petenda ſunt, hoc eſt, metropoles in meditullio ſitae, puta Brugae, quas fere debileis, aut ſi ab oppidanis tantum defendantur, facile capies, aut ſi hoſtis auxilio veniat, cum eo proelio decernes. Plures autem earum Hiſpanorum odio et libertatis tuendae deſiderio ultro deditionem facient; quibus in fidem acceptis priſtinam libertatem reſtituere, privilegia antiqua et immunitates confirmare, novas addere, tributa aſſueta minuere debes. Quod ſi quae ſunt, quae a tanta humanitate invitatae reſiſtere tamen auſae fuerint, iis vi expugnatis ſeveritate opus erit, non quidem punita plebe; ſed inſigni edito in eos, qui ſe plebi ad pertinaciam duces praebebunt, exemplo. Ea ratione citra magnum periculum cito ac feliciter magna cum exiſtimationis fama, qua fere bella conſtant, rem conficies, omiſſis arcibus et exiguis munitionibus, in quibus capiendis plus periculi, captis parum decoris et profectus ad victorem redundat. Re autem confecta non opus erit multis et gravibus provinciae praeſidiis ad eam tuendam, pulſo procul Hiſpano et mari aeque ac terra intercluſo: ſed ipſorum Belgarum ope, quibus libertatem donaveris, Belgium in officio continebis; et importunum tibi et Belgis aeque hoſtem, ne ex propinquo in tuum limitem deſpiciat, longe trans Alpeis et Pyrenaeum ablegabis, promoto ad [a] Moſam uſque limite, unde non ſolum potentiſſimarum ac opulentiſſimarum urbium acceſſione regnum locupletabis, ſed Belgis libertatis auctor, Germanis vicinis amicus, Franciae ſecuritatem, tibi immortalem apud omneis liberalitatis, clementiae ac benignitatis, Belgis a tyrannica ſeveritate aſſertis, laudem comparabis. Quod ut mature facias denunciato aperte bello, non ſolum juſta ultionis ratione poſt tot acceptas injurias, ſed neceſſitate ipſa impelleris. Te ſane Deus oblata tam praeclara occaſione, ne fructum ejus pernicioſa mora corrumpas, admonet, neve committas, ut, cum Hiſpanus ſe moleſtia et incommoditatibus, quae illi ab Arauſionenſi faceſſuntur, expedierit, injuriam diſſimulanter a te acceptam captato tempore citra diſſimulationem ulciſcatur. Huic ſcripto aliam rationem addiderat Colinius eo minime comprehenſam, quam regi in aurem ſaepius inculcaverat, qua neceſſitatem belli hujus ei impoſitam oſtendebat; ne ſcilicet, Belgarum patrocinium recuſante ipſo, Eliſabetha Anglorum regina, cujus opem ſpe Gallici auxilii praeciſa proculdubio implorare Belgae cogerentur, illud ſuſciperet, et Belgii potens intermortua bellorum infeſtis adeo animis inter potentiſſimas gentes geſtorum ſemina renovaret, accedentibus Belgarum et Burgundicae domus ad antiquas Anglorum contra nos ſimultates odiis: parumque ſuperioribus bellis actum aiebat, [b] Calero vix poſt CC annos recepto et ſummotis a continenti noſtro Anglis, ſi diſſimulatione aut ſocordia noſtra eos in Belgio pedem figere et potentiam firmare patiamur.

XVI. Rex ſcriptum acceptum conſilio jam antea probato laudavit; et cum tempus citra ſuſpicionem extrahere cuperet, Joanni [c] Morvillerio, qui primarium in auguſtiore ſenatu et aetatis et exiſtimationis locum tenebat, porrectum, cum ille ab hac ſententia diſſideret, ut ei contrario ſcripto reſponderet, imperavit. Quod menſe Junio fecit, cum rex ad caſtrum [d] Bononienſe tertio ab urbe lapide veniſſet.

INTERPR. [a] *la Meuſe.* [b] *Calais.* [c] *de Morvilliers.* [d] *Château de Madrid au bois de Boulogne.*

veniſſet. Ingenium quale Morvillerii, tale ſcriptum ejus fuit; hominis probi nec mediocri rerum uſu inſtructi, et quamvis in cardinalis Lotaringi familia educatus eſſet, non ita ejus ambitioni ſervientis, de cetero [a] cautioris, et qui praeſentis periculi vel leviſſimi metu haud facile generoſi cujuſquam conſilii ad diſcutiendum majus ac certum in poſterum periculum auctor fuiſſet. In haec autem verba regem alloquebatur. Nemini mirum videri debet, Chriſtianiſſime rex, ſi, qui de maximi momenti rebus, qui de incerti ac periculoſi exitus negotiis, quale illud eſt, quod nunc in conſultationem deducitur, ſententiam rogati dicunt, animi anguntur. Nam ut res humanae, ac praecipue eae, quae ad rem militarem ſpectant, ſere a fortuna pendent, ſic ſaepe evenit, ut quae mature deliberata ſunt haud feliciter cadant; contra ut temeraria conſilia proſperos ſucceſſus nanciſcantur. Quo fit, ut vulgus, qui res ſucceſſu potius quam ratione metitur, ex ſiniſtro eventu prudentiſſimum conſilium damnet, idem temere ſuſceptum propter felicem exitum laudet. Id multos in conſultationibus a libere dicenda ſententia deterret, veritos, ne minus ex voto ſuccedentium eventuum culpa eis imputetur. Verum ex ea anxietate plerumque idem incommodi, quod ex temerariis conſiliis, conſequitur; ut et princeps interea ad bellum neceſſaria nequaquam in tempore paret, et nihilominus ſuſpicionum cauſas vicinis praebeat, quibus aeque illorum animi irritantur, atque ſi aperto bello peterentur. Dicam igitur ſententiam libere: quam ut boni conſulat majeſtas tua, quam demiſſe poſſum oro et obteſtor. Bellum hoc juſtum neceſſariumve ſit necne, diſputando non multum immorabor; quod ridiculum pleriſque videarur, principes et alios, qui rempublicam tractant, quique ejus utilitate et occaſione metiri ſolent, ad has ſcrupuloſas quaeſtiones haeſitare. Sic tamen cenſeo in bello ſuſcipiendo, quod et incommodi plurimum ſemper nec minus periculi admiſtum habet, principem ante omnia proſpicere debere, ut jus penes ſe habeat: neque enim exiguum eſt in utraque fortuna ſolatium, teſtem conſcientiam habere, et Deum cauſae piae judicem non reformidare; unde fiducia in conatibus, et major in periculis animi praeſentia ſequitur; et, qui juſtam cauſam tuentur, milites fortius pugnant, et populi libentius opes in eam conferunt. Itaque quanquam non diffitear, juſtam cauſam plerumque diſpares ſucceſſus ſequi, quod et innumeris exemplis probari poteſt, et nimis noſtro magno cum malo ſuperioribus temporibus experti ſumus; nunquam principi auctor ero belli ſuſcipiendi, quod non neceſſitate aut decoris ac dignitatis, quae in imperiis conſervandis plurimi momenti ſemper fuit, ratione aut ſaltem ſpecie tueri poſſit. Verum his omiſſis nunc videamus confectune facile an contra bellum hoc ſit, quid utilitatis ex eo, aut contra incommodi ac periculi redundare, quibus denique opibus geri et ad exitum perduci poſſit. Aiunt, qui hoc bellum ſuadent, intolerabili [a] Albani jugo oppreſſas in Belgio civitates ex deſperatione ad defectionem univerſas ſpectare, mortemque prae ſervitute illa optare; ob id regis opem implorare, et in verba ejus jurare paratas, dum ipſe de auxiliis fidem interponat; atque, quamprimum vireis Galliae in Belgio comparebunt, civeis ſtatim animi ſui motum declaraturos et portarum claveis ad ipſum allaturos; tam pulchrae occaſioni nihil praeter voluntatem deeſſe: regem proinde eam minime praetermittere debere; nam ita momento citra periculum nec magnis cum ſumptibus Belgium ſui juris facere poſſe, cujus provinciae pleraeque veluti membra a Gallico corpore injuria avulſae ſunt, et tanquam injuſta vi amiſſae juſtis armis repeti poſſunt. Addunt

VAR. LECT. [a] cauti ac meticuloſi, verius quam prudentis, et qui praeſentis *D. E.*

INTERPR. [a] *duc d'Albe.*

CIϽIϽLXXII. CAROLUS IX.

Addunt, Anglorum reginam regis exemplum ſecuturam, Germanos huic bello favorabileis fore et, quominus Albanus auxiliareis copias apud ſe conſcribat, impedituros: jam [a] Arauſionenſem cum potenti exercitu adventare, qui numero quotidie creſcat, et Albani vireis aequare valeat: Ludovicum Naſſovium ejus fratrem [b] Montes tenere, munitiſſimum et valde opportunum ad rem gerendam oppidum: ita Francorum ingenium eſſe, ut, niſi foris hoſtem habeant, domi quaerant, et nobilitate ac hominibus bellicoſis foetam Galliam haud diu pacem colituram; atque ut in ſucculento corpore ſanguinis abundantiam detractione, ne corpus ſuffocatione corrumpat, corrigendam: eo denique res deveniſſe, ut Philippus diſſimulatione noſtra aeque atque denunciato aperte bello exacerbatus, niſi eum antevertamus, rebus Belgii compoſitis periculoſo marte nos imparatos adoriatur; et praeſtare ignem in domum vicini inſerre, quam domi ſedendo ignavia ſua miſerabiliter conflagrare. Quae omnia ſi, quemadmodum dicuntur, ita vera eſſent, principem diuturni ocii taedio nauſeantem, et alioqui opibus longo tempore congeſtis abundantem, fortaſſe ad bellum excitare poſſent. Nec certe abnuerim, Belgas duram Albani dominationem pertaeſos odium capitale contra Hiſpanos concepiſſe, omnique ratione enixuros, ut dirae ſervitutis jugum liberis cervicibus excutiant et, ſi poſſint, regem cum Hiſpanis committant, ut, per bellum illud retuſa conſiliorum exoticorum violentia, aequis tandem conditionibus cum Philippo tranſigant. Sed in regis verba paratos jurare quo minus credam, multa me movent; ingenium hominum a nomine Gallico ſemper alienum, levitas ex annalium fide perſpecta, conditio denique ipſa rerum: nam fere uſu venire cernimus, ut qui ex deſperatione ad defectiones rapiuntur, ſpe libertatis affulgente ſtatim mutent. Itaque ſapientiſſimi rerum aeſtimatores nunquam in populi ad omnem auram mobilis ingenio pondus fecere. Et vero ubi viſi adhuc ulli, qui cum fide dignis mandatis nomine civitatum ad regem venerint, ut ſe ejus patrocinio et dominationi ſubjicerent? nam ſi qui fuerunt, ii aut privata auctoritate, aut neceſſitate, aut deſperatione adacti ad nos confugerunt, ſine ullis mandatis; de cetero cum plena eorum, quae in ipſorum poteſtate non ſunt, fiducia. [c] Atrebates et Pleumoſios juris Francici fuiſſe nemo dubitat: ſed ii ipſi, ſi ad annaleis reſpicias, aegre et interrupta ſemper per rebelliones praeſcriptione reges noſtros coluerunt: nec vero ſimile eſt, eos nunc licet ſub gravi Hiſpanicae ſervitutis pondere gementeis mutaſſe; quod vel ex recenti [d] Valencianarum et Montium exemplo patet, quae civitates non ſponte in noſtrorum manus conceſſere, ſed aſtu militari interceptae ſunt: itaque et illae, quae vi retineri non potuerunt, jam ad Hiſpanos defecerunt; hae vero aegre per praeſidium a [e] Naſſovio occupantur. Et ut demus, quaſdam ſe regis fidei ſponte commiſſuras; an non neceſſe erit eas praeſidiis tenere; quibus alendis tributa imponenda erunt, et fortaſſe graviora iis, quae nunc ſub Hiſpanis dependunt? nam ſperare, ut urbes ita deditae ſine praeſidiis in fide permaneant, eorum eſt, qui vulgi ingenium non norunt, cum fortuna pariter mutantis: eaque ſpe arma ulterius ſemper proferre, nullo ſecuro receptu a tergo relicto, ſummae ſtultitiae, immo temeritatis eſſet. Ita, quod fortaſſe facile paratu erit, conſervari non niſi ſumma cum difficultate poterit, et magna eorum ipſorum incommoditate, quorum commodo bellum ſuſcipitur; eoque fiet, ut mox propenſae adeo erga nos voluntatis illos poeniteat. Sic autem ſtatuendum eſt, occupatis Philippi provinciis, bellum immortale cum ipſo fore, et quod componi nunquam ſpes ſit, niſi reſtitutis quae capta erunt. Nec de principe

INTERPR. [a] *Prince d'Orange.* [b] *Mons.* [c] *Artois, & Flandre.* [d] *Valenciennes.* [e] *Comte Ludovic de Naſſau.*

principe opulento, potenti, rerum ſuarum ſolicito, quas ſumma prudentia ac CIↃIↃLXXII.
ſtudio adminiſtrat, aliter exiſtimandum eſt, quam eum, niſi honorificis conditio- CAROLUS IX.
nibus, et quibus plene exiſtimationi ſuae ſatisfiat, ab armis ſemel ſumptis diſceſſurum: cujus rei recentia bellorum cum Carolo v ejus parente et ipſo Franciſco et Henrico regibus geſtorum exempla ſatis certam fidem faciunt. Atqui nec opes aut vires nobis ab eo tempore creverunt, aut Philippo decreverunt. Quod vero, de Arauſionenſi, ejus clientelis, viribus et exercitu adventante additur, parvi apud me momenti eſt. Sic enim de eo ejuſque fratribus judico, homines perilluſtri loco natos et magni animi impatientiſſime ferre Albani injurias, quippe ignominioſe ab ipſo proſcriptos ac bonis ſpoliatos; cumque pejore loco res eorum eſſe non poſſint, nihil non tentaturos, ut meliorem conditionem adipiſcantur. Periculoſum autem quam ſit deſperatorum extrema conſilia ſequi, quibus ira et ultionis ardor animos occaecant, qui nullis ſe pollicitationibus obligare verentur, dum animi aeſtuantis libidini indulgeant, a ſapientibus minime dubitatur. Itaque tibi etiam atque etiam videndum, ne hujuſmodi hominum improbis deſideriis potius quam rationi et ſanorum conſilio morem geſſiſſe videaris. Quo vero in ſtatu Naſſoviorum res ſint, ab iis ipſis diſce, qui vires eorum ſupra modum extollunt. Nam Arauſionenſem jam deficere pecuniam belli nervum fatentur, dum c florenorum CIↃ a te mutua poſcunt; quae niſi quamprimum repraeſententur, florentiſſimum ejus exercitum brevi diſſipatum iri clamitant. Atqui in procinctu et belli limine atque adeo Belgii limite adhuc haerent copiae militares. Quod ſi Albanus nunc copias ſuas educat et, commeatu in oppida comportari juſſo ac praeſidiis ubique diſpoſitis, ultro obviam prodeat, quid ſperare, immo quid ominari de auxiliari illo exercitu poſſumus? Et fortaſſe non abs te quaeri poſſet, an honeſtum aut in poſterum utile ſit rebellantibus contra principem ſuum populis opem ferre, quantumvis juſtas cauſas obtendentibus; quippe pernicioſi res exempli eſt: et ſic ſapientiſſimi quique ſtatuere debent, cuivis poſſe accidere quod cuiquam poteſt, et quae hodie Hiſpanorum ſors eſt, cras fortaſſe Gallorum erit. Sed haec miſſa faciamus, et ad Anglorum reginam deveniat oratio: a cujus amicitia hoc tantum expectare debemus, niſi nobis ipſi imponere volumus, quod prudentiſſimi principes, a ſe quiſque, ſperare poſſunt, inter quos ſolo utilitatis reſpectu amicitia contrahitur et durat. Cum igitur illa inde reginae Scotorum inſidiis, hinc occultis Albani conſiliis ſe peti cerneret, amicitiam tuam ſibi utilem exiſtimavit, foeduſque nuper tecum percuſſit, non ad amplificationem nominis Gallici, ſed ad ſecuritatem privatam; quod et ſatis manifeſtum fecit, cum pactis, quibus ad Belgii defenſionem obligatur, foedere illo renunciare noluit. Itaque et ſalvo foedere tecum icto, Philippo ad eas provincias tutandas auxilia ſummittere poteſt; et proculdubio ſummittet, quamprimum excitato inter te et Philippum bello, ipſi metu, qui eam circumſtat, ſolutae ab Hiſpanis ſatisfiet et honeſtis conditionibus cavebitur. Nam magna eſt Belgarum cum Anglis et ſtudiorum et morum conjunctio, et neceſſitate commercii invicem obnoxii ſunt. Ipſa vero et ob ſexum animi fluctuantis et natura per ſe timida, ac praecipue ob ſucceſſus incertum, cum ipſi multi inhient, a multis ſibi quoque metuat neceſſe eſt; itaque pacem tutam, quandocunque ſe in manus dabit, obviis ulnis complectetur: belleque nobiſcum tunc agetur, ſi illa tantum ſpectatrix ſedeat, nec bello difficili implicatis captato tempore litem de antiquis controverſiis moveat. Quod autem ad Germaniae principes attinet, eos et Hiſpanis infeſtos ſcimus, neque tam vicinos eos velle: ſed propterea quidquam agitaturos, aut pecuniam in hoc bellum collaturos, veroſimile non ſit. Nihil enim illi temere ſuſcipiunt, et aegre ex aerario,

quod

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

quod admodum parce diſpenſant, cuiquam quaecunque de cauſa commodant. Tibi quidem eos in occulto favere, et, cum delectus utriuſque nomine in Germania habebuntur, tibi potius quam illi militaturos inficias non ierim. Sed quid iſte occultus favor contra tot difficultates? quid ad diſcutienda tot pericula ex hoc bello naſcentia? Nec magis eos religionis cauſa, quod potentiſſimum relum eſt, ad hoc bellum incendi poſſe credendum eſt: nam hic metus a morte Caroli V ceſſat. Nec, ſi qui ſunt, qui quidquam tua gratia in Imperio audeant, quieturum Maximilianum Caeſarem putare debes, Philippi agnatum proximum, atque adeo fratrem patruelem ac ſororium; ad quem Belgii et bona et mala pertinent; qui nondum ſibi de portione hereditaria plene ſatisfactum conqueritur, et qui cum Belgium invadi et Hiſpanis ademptum in partes lacerari videbit, aeque atque ſi ſibi eripiatur, dolebit. Cum vero tam florentem familiam domi habeat, tot liberis ſubnixam, qui jam armis tractandis habiles ſunt, quid ei ad opem Philippo ferendam deeſſe putas? illi enim et decoris cauſa et exiſtimationis tuendae neceſſitate, praeter eas, quas dixi, cauſas, gentili ſuo, quem tanquam potentiſſimae familiae columen, ſicuti debent, obſervant, et cujus periculum citra proprium periculum negligere non poſſunt, ſemper praeſto erunt. Horum igitur ſeu viribus, ſeu patris prudentiſſimi interventu, quin et Imperii principes placari ac domi retineri poſſint, et res in Belgio ex ipſorum Belgarum deſiderio componi, extra controverſiam eſt. Nam faceſſat Albanus, diſcedant Hiſpani, Inquiſitionis metus removeatur, exactiones novae ceſſent, et aliquis ex familia praeſes provinciis illis praeficiatur, aut etiam Auguſta ipſa Caeſaris uxor et Philippi ſoror, nam foeminarum imperia hactenus felicia Belgae experti ſunt, et harum rerum Caeſar ipſe ſponſor ſit, quis dubitat, quin omnes ſtatim belli commercium abrumpentis taedio, et ſpe libertatis certa ad officium redeant, et te bello damnoſo ac periculoſo implicatum ſtatim deſerant? Quid vero tunc facturum Philippum putas? Bellicos apparatus, quos in Italia nunc habet maximos, contra te vertet; et aut [a] Saluciarum principatum, qui ſolus ex tot proeliis ac ſumptibus ab avo ac parente tuo in Italia factis reſiduus eſt, levi negotio occupabit; aut vi in [b] Provinciam haud ſatis, ut ſcis, munitam facta, te tota mediterranei maris poſſeſſione dejiciet. Et haec eſt illa praeſens atque eximia adeo utilitas, quae rebus tuis ex eo bello redundabit. Ea quippe alioqui omnium bellorum natura eſt, ut per ea principes mutuis damnis ſe quidem conficere poſſint, raro quidquam ex iis lucrentur. Quae vero utilitas ea eſt, quod tuum eſt amittere, ut alienum invadas? Haec quidem de viribus, quae manu valent, dicta ſint. Nunc ad aerarium reſpiciamus. Raro quiſquam tam bene rationum ſuarum calculum init in bello gerendo, quin ſumptus omnem prudentiam ac ſpem ſuperent. Bellum quippe inexhauſtus pecuniae gurges eſt, cui explendo non aurei Perſarum montes, non Indiae utraeque ſufficiant. Quam ab hujus nervi penuria res tuae laborent, non ignoras. Conſumpto patrimonio regio, oppigneratis vectigalibus, agris paſſim per bella vaſtatis, urbibus et oppidis direptis aut obſidionibus deſtructis, cum aerarium deficeret, nihil ſibi ad nova onera imponenda reliquum fecit exactorum avaritia aut redemptorum audacia; quod hominum externum fere genus Galliae tuae fatale eſt. Plebs in agro a milite tranſeunte quotidie infeſtatur: ad haec tributis immodicis oppreſſa languet, ut vix reſpirare ei liceat. A nobilitate, quae vitam et cum vita opes pro Gallici nominis decore ac regni ſalute auſpiciis tuis profundit, quid expectare debeas, ſatis noſti. Supereſt Ordo ſacer, qui variis ac multiplicibus angariis gravatus, ut nihil aliud dicam, et tamen cum venia tua dicam, ſe ſub

tributo

INTERPR. [a] *Marquiſat de Saluces.* [b] *Provence.*

tributo eſſe conquеritur. Nec me latet, quid redemptores illi, quos dixi, nuper CIƆIƆLXXII.
commenti ſunt, qui accepta aliqua bonorum eccleſiaſticorum per octennium et CAROLUS IX.
anni quadrantem portione, pro qua penſionem fundi dominis eandem, quam ex ipſa re percipiunt, quotannis depenſuri ſunt, magnum inde emolumentum ac prope incredibile lucrum tibi pollicentur. Nam hujuſmodi conventiones in ſpeciem ut gratiam merentur, ita longius proſpicientibus ut detrimentoſae ac noxiae rejiciendae ſunt. Quod ſi vis in exactionibus adhibeatur, quod plerique ſuadent, verendum eſt, ne eadem ſit hujus belli neceſſitate Gallorum, quae Belgarum, conditio. Quid enim aliud in Belgio Albanus facit? quod tamen ſibi minime ferendum Belgae exiſtimant. Quid debeant tibi tui, debent ſcire omnes: quid viciſſim illis debeas, tuae eſt prudentiae ac benignitatis conſiderare. Poſt pacem nuper factam omnium animos in eam ſpem erexiſti, ut illis quiete per te frui, ejuſque beneficio damna bello accepta ſarcire, domos deſtructas inſtaurare, incultos agros colere liceret. Si ea ſpe novo ſuſcepto bello excidant, quid miſeros homines animo agitaturos putas? Hoc etiam tibi perpendendum eſt, quam gravi aere urgearis. Multum Germanis equitibus, qui tibi bellis ultimis militarunt, multum Joanni Caſimiro debes. Ducenties centena millia librarum Helvetii a te repoſcunt. Quingenties centena CIƆ Proteſtantes Germanis ſuis debent, pro quibus ſponſor interveniſti. Quae ſi omnes ſummae colligantur, ad quadringenties centena millia aureorum excurrunt. Adde onera regni, quibus ſuſtinendis vix ordinaria vectigalia ſufficiunt. Sed Gallia tua nobilitate et bellicoſis hominibus foeta tanquam ſuperfluo ſanguine abundat, qui niſi tempeſtiva ſectione mittatur, metus eſt, ne totius corporis valetudo periclitetur, hoc eſt, a bellis civilibus rurſus regnum infeſtetur. Atqui de tanto regni, cui te Deus praefecit, robore gratiam Deo agere debes, illudque ſic diſpenſare, ut non ſibi ipſi noxium ſit, tuaeque curae ducere, ut contumaces animi et licentiae aſſueti miti legum jugo quaſi fraeno ad obſequium ac diſciplinam flectantur, ut, cum opus erit, eos ad imperata facienda paratos habeas: alioqui melius in bello, quam in pace, ſuos regere, non ſolum abſurdum, ſed etiam principi probroſum eſſet. Ultimum eſt et potentiſſimum adverſae ſententiae argumentum, quod a neceſſitate petitur. Niſi in tempore bello illato Philippi conſiliis praevertas, cum ille res ſuas in Belgio conſtituerit, inextricabilis belli [a] tunc inferendi periculo conflictari cogeris. Ejus rei quoniam in futurum confertur eventus, nihil certi pronunciare poſſum. Hoc poſſum dicere, ſapientis non eſſe, futuri mali metu in praeſentem ac manifeſtam perniciem ſe dare. Et ut ea ſit Philippi mens ac voluntas, Gallos Proteſtanteis tacite, ſed non injuſſu tuo, rebellantibus Belgis ſummiſſos exiſtimantis, quis ſpondere auſit, illum tam brevi [3] debellaturum eſſe, ut mox te bello petere queat? Tantaene molis negotium tam exiguo ſpatio confici poteſt? an vero tantum ab re ſua Hiſpano otii eſt, ut non alio potius quam in te, rebus in Belgio ordinatis, arma convertere ſibi utile exiſtimet? an tunc cum [a] Mauris in Africa, cum Turcis in oriente omnino debellatum erit? Amove a te iſtos vanos et affectatos terrores; et potius provide, ne juſtam ſuſpicionis cauſam, quod pernicioſum bellum olim ſecum trahat, amico et nunc foederato principi potentiſſimo praebeas: ſicque res tuas per otium interim adminiſtra, ut in pace ad bellum, quae neceſſaria ſunt, comparatis, ſi qui temere in fineis tuos invadant, minime te imparatum, ſed juſtitia cauſae ſubnixum et conſcientia teſte, et rebus omnibus non ſolum ad ſuſtinendam vim,

VAR. LECT. [a] tibi tunc *D. f. o. d.*
INTERPR. [a] *les Maures de Barbarie.*
NOT. [3] *forſan deeſt* Belgas.

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

vim, ſed etiam ad propulſandam inſtructum, offendant. Itaque ſic cenſeo, Chriſtianiſſime rex: cum hoc bellum nihil ad exiſtimationem tuam conferat, innumeris difficultatibus ſit implicatum, et periculoſiorem exitum qnam utiliorem habeat, et ad rem gerendam exhauſto aerario omnia neceſſaria deſint, ut ad famam tuendam, regni tranquillitatem conſervandam, tuos in officio et charitate erga majeſtatem tuam continendos, ab armis abſtineas, neque offenſionis cauſam ullam Hiſpano praebeas. Interim cum aemulum numeroſo in Belgio et Italia exercitu ac tanta claſſe ſubnixum videas, tuae prudentiae eſt, regni rebus invigilare, limitem munire, valida praeſidia ac neceſſarium commeatum locis idoneis imponere; et ſuper omnia diſciplinam inter milites inſtaurare, ita ut per agrum iter facientes obviis ad victum neceſſariis uti contenti ſint, de cetero neminem concutiant, nec in opere ruſtico occupatis moleſtiam faceſſant. Hoc et unice curare debes, ut pacem domi habeas, ſopitis veterum odiorum fomitibus, ut citra gratiam ac ſordeis jus a magiſtratibus tuis aequabile reddatur, vitia ac mala, quae bellorum licentia per omneis regni ordines irrepſerunt, corrigantur. Quae ſi facias, et, ut facias, precibus ab omni gratiarum datore Deo aſſiduis contendimus, tuis charus, amicis utilis, hoſti terribilis exiſtes, et immortalem nominis tui famam apud exteras gentes excitabis; ac poſtremo venerandam virtutis tuae ac regiae prudentiae, quam mirentur, ſequantur, colant, memoriam apud poſteros relinques. His diſceptationibus dum rex tempus extrahit, et miſſis ultro citroque internunciis crebroque commeantibus Carolo [a] Telinio, Franciſco [b] Bricomotio et Arnoldo [c] Cavagnio ad [d] Colinium, qui [e] Caſtellione ad [a] Lupam erat, nuncius affertur, de auxiliaribus [f] Jenliſii copiis ab Albano deletis, ex quo rex magnum ſe dolorem ſentire egregie ſimulavit; continuoque ad Cl. [g] Mondolcetum, qui res ſuas apud Albanum procurabat, ſcribit, omni ope eniteretur, ut capti ex nobilitate Gallica dimitterentur. Colinio autem, qui medio tempore fiducia plenus, quamvis diſſuadentibus amicis, Lutetiam venerat, poteſtatem fecit, ut, quantas expedire duceret, in limite copias conſcriberet.

VAR. LECT. [a] Loniam *D. f. o.*
INTERPR. [a] *de Teligny.* [b] *de Briquemaut.* [c] *de Cavagnes.* [d] *l'amiral de Coligny.* [e] *Chaſtillon ſur Loing.* [f] *Jean d'Hangeſt, ſieur de Genlis.* [g] *Mondoucet.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

COLINIUS fruſtra ab amicis monitus Caſtellione ad Lupam, quo excurrerat, invitatus in aulam venit, appetente nuptiarum die. De pace publica edictum. II. *Nuptiae celebratae, pompae, haſtiludia.* III. *Legio praetorianorum ex Colinii conſenſu in urbem a rege introducta.* IV. *De caede Colinii deliberatio:* V. *A Maurevellio ſcloppeti ictu e Lupara exiens petitur. Delegati a ſenatu, qui de facto inquirerent.* VI. *Inde de caede univerſorum Proteſtantium conſultatum, quae et tandem decreta eſt.* VII. *Colinii, Rupifulcaudii, Telinii, Renelii marchionis, Guerchii, Baudinei, Pluvialii, Pontii Armoricae reguli, Lavardini, Forcei, Loverii, Montamarii, Montalberti, Cugnerii, Francurii, Grolotii, Pardallanii, Jo. Placii, Villamorii, Sammartini, Bellovarii, P. Salſedae, aliorum caedes.* VIII. *Item P. Ramus immaniter interfectus; et Dionyſii Lambini ex eo pavore ſecuta mors. Politicorum nominis origo.* IX. *Variae per literas regias facti excuſationes.* X. *Oxyacantha Lutetiae refloreſcit; et inde furenti plebi laetum ex caedibus augurium.* XI. *Rex tandem conſultatione habita in ſenatum venit, et facti invidiam in ſe recipit.* XII. *Meldis idem factitatum, Aureliani, Andegavi, Auguſtobonae Tricaſſium, Avarici Biturigum, Lugduni, aliquanto poſt Toloſae et Rotomagi.* XIII. *Colinii ſcrinia excuſſa; et in iis repertus commentarius, qui reginae pudorem pulſavit.*

Ex auctoribus,

Lad. Vicino P. P. Joanne Serrano, archivis curiae Pariſienſis, Chriſtophori Thuani adverſariis.

LIBER QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

APPETENTE nuptiarum die, qui ad xv Kal. Septembreis dictus erat, rex[a] Colinium, ut Lutetiam veniret, per literas ſolicitat; dato prius negotio Claudio[b] Marcello mercatorum praefecto, videret, ne quid turbarum in Colinii adventu Lutetiae ſuboriretur; promulgato item diplomate III Non. Quintil. cum ad caſtrum[c] Boniae eſſet altero ab urbe lapide, quo prohibebatur, ne qui, cujuſcunque conditionis eſſent, praeteritorum memoriam renovare, novis rixis cauſam praebere, ſcloppetos geſtare, cum quoquam in certamen venire, ac ne gladios ſtringere, praecipue

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *l'amiral de Coligny.* [b] *Marcel, prevoſt des marchands.* [c] *château de Madrid au bois de Boulogne.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

praecipue in [a] regio comitatu Lutetiae, et in ejus ſuburbiis auderent; addita etiam capitis poena: quod ſi quae rixa de decore et exiſtimatione inter nobileis ſuboriretur, ii teneantur ad Andinum regis per univerſum regnum legatum querimoniam ſuam deferre, et petere, ut eis jus adminiſtretur; ſi plebeiae conditionis ſint, ad magnum hoſpitii regii magiſtrum ſe conferant; ſi inter eos, qui non in aula, ſed Lutetiae erunt, interveniat, magiſtratum ordinarium conveniant. Cautum eodem diplomate, ut, qui in aula nullius principum, procerum aut aliorum in comitatu, aut non neceſſarii negotii cauſa ſint, aut vagi et incerti laris Lutetiae ſuburbiiſve commorentur, intra XXIV horas a publicatione edicti aula et urbe faceſſant; eadem capitis poena addita. Id triduo buccinae ſono in aula et per urbem publicatum et, ut ſingulis hebdomadis ſabbati die publicatio repeteretur, decretum fuit. Adjuncta et ad corporis regii ſtipatores ad majorem ſecuritatem CCCC delectorum cuſtodia. Quae omnia ſic Colinius fiduciae et bonae ſpei plenus interpretabatur, quaſi rex publicae tranquillitatis ſtudioſus adverſus ſeditioſos et turbas molienteis contrarium robur pararet. Itaque in urbem venit, quamvis pleriſque frementibus: quibus importune eum et viva voce et literis ab eo conſilio dehortantibus, poſt actas gratias, uno verbo reſpondit, ſibi certum eſſe, facta ſemel pace, et inducta praeteritorum memoria, [β] regiam fidem ſequi; et malle unco per Lutetiae vicos trahi, quam iterum ad arma civilia decurrere. Inter alias literas allatae ſunt ad eum, cum jam Lutetiam veniſſet, in haec verba acerbitatis plena ſcriptae: Memineris illud eſſe pontificiorum decretum religionis nomine ſancitum, et conciliorum auctoritate firmatum, fidem Sectariis non eſſe ſervandam; quorum in numero Proteſtantes cenſentur. Memineris item Proteſtanteis ob ſuperiorum bellorum invidiam ſempiterno odio flagrare, ut dubium non ſit, quin hoc ſit fixum reginae conſilium, ut quavis ratione Proteſtantes deleantur: ad haec mulierem peregrinam et Italam, pontificum, quos illi oppugnant, progenie ortam, et Etruſco ac vaferrimo ingenio praeditam, non poſſe non extrema omnia adverſus hoſteis ſuos meditari. Jam vide qua in ſchola rex fuerit educatus, in qua, ſub optimis ſcilicet pueritiae moderatoribus, cum lacte hanc diſciplinam hauſerit, ut dejerare, pejerare, contumelioſe nomen Dei ciere, ſcortationibus et adulteriis ſe polluere, fidem, religionem, conſilia diſſimulare, vultum componere, ludum ducat; et quo fundendo ſuorum ſanguini inſueſceret, lanienas beſtiarum, ac mactationes a teneris ſtudioſe ſpectare didicerit: id illi perſuaſum eſſe, ne aliam religionem, quam eam, cui ipſius ſtatus innititur, juxta Machiavelli doctoris ſui ſententiam, in regno locum habere patiatur; alioquì nunquam pacatum fore, quandiu in eo duae religiones vigebunt: inſtillatum item in ejus aureis eſſe, decreviſſe Proteſtanteis ipſum vita et imperio ſpoliare; nec proinde paſſurum eum unquam, [γ] ut qui ſemel adverſus ipſum, ſeu juſta, ſeu injuſta de cauſa arma ſumpſerint, edicti beneficio fruantur; ſed armis ulturum, quod contra ſe armis geſtum ſit; nec exiſtimaturum ad pacta ſervanda teneri, quae ille cum ſubditis armatis inierit: has eſſe principum artes, haec civilis ſcientiae elementa, haec imperii arcana: ſic Commodum olim Julianum, quem ut patrem colebat et amplectebatur; ſic Antoninum Caracallam primariam urbis juventutem, per ſpeciem habendi delectus, interfici juſſiſſe: ſic Lyſandrum IↃ CCC Mileſiorum amicitiae et ſocietatis obtentu vocatos jugulaſſe: ſic Sergium Galbam in VI CIↃ Iberorum ſaeviiſſe; et nuper Antonii Spinulae juſſu primarios inſulae Corſicae viros ad convivium vocatos ac trucidatos eſſe: eadem arte noſtra memoria uſum Chriſtiernum

VAR. LECT. [a] regis D. f. o. d. [β] regis *D.* f. o. d. [γ] ut Proteſtantes qui *D.* f. o.
INTERPR. [a] *duc d'Anjou.*

Chriſtiernum fetino ingenio regem in Stocolmienſi laniena patranda: ſic olim Carolum VII, quamvis Burgundo reconciliatum, ab eo tamen vel ſupplice manus non abſtinuiſſe: nec occulta eſſe regis cum matre nuper [a] Bloeſis habita colloquia. Nam cum jocabundus contumelioſe, ut ſolet, citato Dei nomine eam rogaret, an belle in Navarri adventu perſonam ſuam ſuſtinuiſſet, et reſpondente regina, bene quidem coepiſſe, ſed parum profutura haec primordia, niſi pergeret; At ego, inquit, dejeratione ſaepius repetita, omneis tibi illos in caſſeis induam. Ex his verbis, de quorum veritate tibi conſtare debet, conſilium capere oportet, et, ſi ſapis, ex urbe atque adeo ex aula, quaſi ex impuriſſima ſentina, quamprimum te expedire. Perlecto libello, quamvis eo non mediocriter offenderetur Colinius, ne tamen amicorum monita et preces omnino negligere videretur, reſpondit, his ſuſpicionibus nullum amplius locum relictum; nunquam ſibi perſuaderi poſſe, tantam perfidiam in regem optimum, et quo meliorem a multis ſaeculis Gallia non habuerit, cadere poſſe: Andinum quidem a Proteſtantium partibus alieniorem eſſe; ſed deſiturum tandem illud odium, vel ſola adfinitatis cum Navarro contractae reverentia: de cetero, foedus cum Anglis initum, et quod cum Proteſtantibus Imperii principibus rex moliatur, oſtendere ſatis, quo erga Proteſtanteis animo ſit affectus; cum unum ex Palatini ſeptemviri filiis in comitatu ſuo habere velit, et ex Anglicis proceribus aliquem, puta [b] Leiceſtrium, aut [c] Burghleium, qui religionis ſit ſtudioſior: inſuper [d] Arauſionenſi et Naſſovio fratri de auxiliis adverſus Hiſpanos datam fidem; et in eorum locum, qui nuper [e] Jenliſio duce deleti ſunt, magnum ſupplementum parari: Joannem Galeacium [f] Fulgoſium, qui nuper Florentia rediit, fidem facere, Coſmum in id bellum CC aureorum CIƆ regi mutuo daturum: legatum regium ſoleiter Albani conſilia perrimari, et regem quotidie de illis facere certiorem; id ſe ex rege in diem diſcere: claſſem, cui Philippus Strozzius et [g] Polinius Garda [h] Broagii et in Pictonico litore praeſunt, non in alium uſum quam ad claſſem Hiſpanienſem diſturbandam inſtrui; quo facto, [i] Vliſſingham ad Arauſionenſem juvandum continuo ſit profectura: ad ſe et privatam ſuam ſalutem quod attineat, omneis ſecuros eſſe debere: nam ſe, rege auctore, cum Guiſianis reconciliatum eſſe, fide utrinque regi data, alterum ab altero poſthac nihil repoſciturum; ac putare, ipſos ſincere ſecum agere: denique omnia ſumma regem facere, ut pacem domi, bellum foris habeat, atque adeo in Belgium et contra Hiſpanos transferat: quare ſe orare libelli auctorem, et alios, qui idem cum illo ſentiant, ne his ſuſpicionibus animo ſuo gravioribus negotiis ac melioribus curis occupato moleſtiam amplius faceſſant; quin potius Deum conjunctis ſecum votis precentur, bene inchoata porro proſperet, et eccleſiae ac regni bono ad felicem tandem exitum perducat. Eadem a [k] Rupellanis ad Colinium ſcribebantur: quae ille, quam poterat amice, moderatione ſimul ac conſtantia diluebat. Cum igitur illi ab ea mente eum deducere non poſſent, Navarrum aggrediuntur, datis VI Eid. Quintil. literis, quibus, ut ſibi caveret, nec Lutetiam proficiſceretur, iiſdem fere rationibus eum hortabantur. Is tunc Henrici Condaei patruelis et Mariae [l] Cliviae proxima ſibi cognatione conjunctae nuptiis intererat, quae in [m] Blandiana arce [n] Jacobae Roanae Rotelini marchioniſſae (ea Franciſcae [o] Aurelianae ultimae Ludovici Condaei uxoris parens erat) in [p] Melodunenſi praefectura celebratae ſunt. Confectis ergo Condaei nuptiis, cum ipſo et magno Proteſtantium

INTERPR. [a] *Blois.* [b] *le comte de Leiceſter.* [c] *Cecil, baron de Burghley.* [d] *le prince d'Orange, & le comte Ludovic de Naſſau.* [e] *le ſieur de Genlis.* [f] *Fregoſe.* [g] *le baron de la Garde, dit capitaine Polin.* [h] *Brouage.* [i] *Fleſſingues.* [k] *ceux de la Rochelle.* [l] *de Cleves.* [m] *Blandy.* [n] *Jacqueline de Rohan, marquiſe de Rothelin.* [o] *d'Orleans.* [p] *de Melun.*

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

Proteſtantium comitatu, ſpretis amicorum monitis, Lutetiam venit, ineunte Sextili; ubi rurſus novae morae a regina ſcilicet affectatae nectuntur. Nam cum initio ſpes facta eſſet gratiae, ad proximitatis et diſſidentiae religionis obſtaculum tollendum per cardinalem Lotaringum, qui tunc Romae erat, a pontifice impetrandae, breviculum ad Carolum cardinalem Borbonium allatum eſt, rei peragendae deſtinatum: quo tamen ille ſibi minime ſatisfactum aiebat; itaque [α] alterum Roma mitti petebat, quo ſibi amplius caveretur. Ob id rex morae culpam in Borbonium rejiciebat, quem per contemptum ſuperſtitione et neſcio quibus conſcientiae ſcrupulis teneri dicebat; eaque re magnam [a] Margaridi ſuae injuriam fieri, ſic ſororem vocabat, quae tam diu ſperatae laetitiae fructum differri impatienter ferebat. Cum interim urgeret Colinius, ne belli Belgici toties deliberati et approbati ac, velit nolit, jam inchoati publicam denunciationem amplius differret; ille rurſus moras nectere ac tergiverſari, ac inſtanti ſaepius replicare, non habere ſe ex conſiliariis aut belli ducibus, cujus fidei aut induſtriae ac diligentiae tantam rem credere poſſet; nam alios Guiſianorum partibus omnino addictos, alios proprio vitio laborare; [β] avaritiam Arturi [b] Coſſaei, Gaſparis [c] Saulii Tavanii ambitionem ſibi ſuſpectam eſſe; [d] Franciſci Momorantii totum animum venationibus et aucupio occupari; Franciſcum [e] Deſpeum equitum tribunum in conviviorum lautitiis conſeneſcere; ex quatuorviris vero ab epiſtolis Bernardum [f] [γ] Fizam ſolum habere, quem hujus ſecreti participem facere velit. Tandem conventum, ut res Momorantio et Fizae committeretur. Quibus familiaritatis non fucatae, ut rebatur, et libertatis ingenuae indiciis Colinius deceptus, nihil alienum a vere regia virtute, aut inclementius de optimo principe ſibi perſuadere poterat.

II. INTER has protelationes, rebus, ut vero ſimile fit, omnino conſtitutis, de quibus antea inter conjuratos ſententiis variatum fuerat, venere ex compacto regii apud pontificem oratoris literae, quibus rex de diſpenſatione, qua plene Borbonii ſcrupuloſae conſcientiae cavebatur, jam conceſſa, et brevi Roma per expeditum tabellarium mittenda certior fiebat. Itaque cum XVI Kal. Sept. ſponſalia in arce [g] Lupara a cardinali Borbonio celebrata eſſent, poſtridie apparantur nuptiae. Pegma ſublime pro valvis majoris templi erectum erat, ex quo per gradus in humilius pegma deſcendebatur, quod undique ſeptum ad evitandam turbam per mediam templi navem ad interius conclave, quod chorum vulgo vocant, tendebat: inde ex choro per ſiniſtram portam aliud pegma ligneis muris circumvallatum exeunteis excipiebat, quod ad aedeis epiſcopaleis uſque pertinebat. Venere eo ex Lupara regali pompa ac magnificentiſſimo apparatu rex, regina parens, cum Andium duce et Alençonio fratribus, Guiſianis, equitum tribunis, ac primariis regni proceribus, novam nuptam, quae in epiſcopalibus aedibus pernoctaverat, deducentes: et diverſa parte Navarrus cum [h] Condaeo et Contio patruelibus, [i] Colinio maris praefecto, Franciſco [k] Rupifulcaudio comite, et magna procerum Proteſtantium corona, qui ex omnibus regni provinciis convenerant. Ubi in pegma ſublime rex aſcendit, peractis a cardinali Borbonio ritu convento ceremoniis, per inferius pegma in chorum pervenerunt rex et Navarrus cum ſuis, [δ] et, ſtatuta ante majus altare conjuge ad ſacrum audiendum, ipſe, cum Colinio et Rupifulcaudio ac reliquis ſui comitatus proceribus, per averſam [ε] portam in aedeis epiſcopaleis

VAR. LECT. [α] alterum plenius Roma *D. f. o.*
[β] *hic deſunt tres lineae, uſque ad* ex quatuorviris *D. f. o. d.*
[γ] Fizeum *D. f.*
[δ] ubi *D. f. o.*
[ε] quam dixi portam *D. f. o.*

INTERP. [a] *ſa Margot, ſa groſſe Margot.* [b] *le mareſchal de Coſſé.* [c] *de Saulx, ſieur de Tavannes.* [d] *le mareſchal de Montmorency.* [e] *de Scepeaux, mareſchal de Vielleville.* [f] *de Fizes, un des quatre ſecretaires d'eſtat.* [g] *le Louvre.* [h] *le prince de Condé, & le marquis de Conti.* [i] *l'amiral de Coligny.* [k] *de la Rochefoucaud.*

epiſcopaleis conceſſit: ex quibus poſt ſacrum peractum a [a] Damvilla revocatus CIƆIƆLXXII.
rurſus in chorum venit, [α] oſculo novae nuptae coram rege, regina parente ac CAROLUS IX.
fratribus libato: cum ibi aliquanto tempore ſermones inviceem conſeruiſſent, rurſus in epiſcopaleis aedeis, ubi prandium paratum erat, redierunt. Ac memini ſane, cum tunc, poſt ſacrum peractum, per ſeptum intra chorum admiſſus eſſem, et prope Colinium ſtans ipſum defixis ac curioſis oculis enixe contemplarer, audiviſſe ex eo, dum verba cum Damvilla commutaret, et circum affixa paſſim ſigna, triſte ſibi [b] Baſſacenſis et Moncunturianae pugnae monumentum, deſpiceret, dixiſſe, brevi fore, ut, iis revulſis, alia laetiora eorum loco reponerentur. Quae verba cum ille de Belgica expeditione jam, ut rebatur, decreta intelligeret, nonnulli longe aliter interpretati ſunt, quaſi de novo civili bello, a quo tantopere abhorrebat, cogitaret. Poſt prandium in palatium itum eſt; ubi regalis coena parata erat, omneſque urbis ordines, et ſenatus cum rationalium, vectigalium ac monetarum curiis, more ſolito lautiſſime excepti ſunt. Brevi tempore choreis a coena eſt indultum; pompis mox ſupervenientibus. Eae erant rupes fictitiae, tanquam ſcopuli deargentati, III, quibus rex et [c] Andinus et Alençonius fratres inſidebant, et aliae VII ſuperimpoſitis diis ac monſtris marinis, quae ſubſequebantur, curribus tractae, et per ingentem et fornice medio diſtinctam [d] palatii aulam traductae: cumque conſiſterent, coram aſtantibus ſymphoniaci delecti verſus a praeſtantiſſimis poetis vernacula lingua factos recitabant. Ita in profundam noctem extractis ſpectaculis, reliquum quieti conceditur. Poſtridie cum vix atque aegre, alto jam ſole, ſe lectis molirentur, tertia a meridie hora ad Andini palatium parato prandio comeſſatum itur; unde choreis agitatis ſub veſperam [e] Luparam conceditur. Poſtridie, qui in Mercurii diem incidebat, haſtiludia et jamdiu paratae pompae in Borboniis aedibus juxta Luparam exhibitae ſunt. Ibi beatorum ſedes artificioſe ad dextram repraeſentabantur, et paulo infra campi Elyſii, qui a XII nymphis occupabantur: ex adverſo ad laevam [f] Tartarus larvis et ad horrorem compoſitis mormoluceis ſulphure et igne plenis crebro micans ſuberat. Paradiſum, quem vocabant, tuebantur rex, Andinus et Alençonius fratres; quem perrumpere conati complures bellatores errantes, quorum dux erat Navarrus, cum ad unum omnes repulſi eſſent, poſtremo in Tartarum praecipitati ſunt. Tum Mercurius gallo gallinaceo invectus, et cum eo Cupido lapſi ad defenſores accedunt, habitaque ad eos numeroſa oratione in coelum remeant. Inde defenſores tres ad nymphas per amoenum viridarium oberranteis adeunt, eaſque in mediam aulam deducunt: ubi choreae in varios gyros novo artificio reflexae, magna ſpectantium voluptate, per horam integram circa fontem agitantur: tum ab illis defenſores exorati, bellatores tartaro incluſos liberant, qui ſtatim confuſo certamine fariſſas confringunt. Ad extremum ſubdito igne pulveri ſulfureo circa fontem per tubulos diſpoſito, cum magno fragore incendium erupit, quod poſtquam ſcenicum omnem apparatum conſumpſit, undiquaque diſceſſum eſt. Spectaculum illud multi aliter atque aliter interpretati ſunt: quod oppugnatores, qui fere Proteſtantes erant, beatorum ſedes fruſtra ingredi conati, inde in profundum Tartarum relegati eſſent; nam ita contumelioſe Proteſtantibus illuſum eſſe: idque ſiniſtri aliquid etiam alii portendere ominabantur. Certe inter haec ſpectacula Franciſcus Momorantius equitum tribunus, quanquam Colinio conjunctiſſimus, ſive mali praeſagus, ſive ab Anglicana legatione recens, et adhuc a maris jactatione nauſeabundus, perita a rege venia, [g] Cantiliam ad curandam valetudinem, ut aiebat, conceſſit, relictis in

VAR. LECT. [α] et oſculo *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *le mareſchal de Damville.* [b] *de Baſſac, & de Moncontour.* [c] *les ducs d'Anjou & d'Alençon.* [d] *grande ſalle du palais.* [e] *le Louvre.* [f] *l'enfer.* [g] *Chantilly.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. in aula Henrico [a] Damvilla, Carolo Meruvio, ac Gulielmo Thoraco fratribus: idque magno illuſtriſſimae familiae bono accidit. Nam conſtans opinio fuit, caedis mox ſecutae ſuaſores, niſi Momorantium, qui aberat, ultorem metuiſſent, univerſos conjuratione amplexuros fuiſſe. Die Jovis ſequente, in Luparae arca haſtiludium inſtitutum eſt; in quo inde rex ac fratres cum [b] Guiſio et Aumalio Amazonum habitu, inde Navarrus cum ſuis Turcico more indutus contrariis haſtis conflixerunt; utrinque pegmate erecto, ex quo regina parens, regis uxor, Lotaringa et omne gynaeceum ludos ſpectabant.

III. BIDUO ante, conſilio nondum de caede capto, rex ſumma benevolentiae ſignificatione Colinium adortus, Scis, mi pater, ſic eum ob aetatis praerogativam et dignitatem vocabat, quid mihi receperis, nemini te Guiſianorum injurium fore, quamdiu in aula eris: illi viciſſim fidem dederunt, erga te, ut debent, ac tuos ſe honorifice ac moderate geſturos. Summam in tuis verbis fiduciam pono: non eadem mihi in illorum promiſſis fides. Nam, praeterquam quod ſcio Guiſianos in id intendere, ut ultionis occaſionem quaerant; novi illorum ingenium audax et elatum, et quanto favore plebs Pariſienſis eos proſequatur. Perquam moleſte mihi accideret, ſi quid illi, qui ad nuptiarum ſolemnia veniendi ſpecie magnum bellicoſorum hominum armis egregie inſtructorum agmen ſecum adduxerunt, in tuam perniciem molirentur: nam id ad meam injuriam pertineret. Itaque, ſi tibi ita expedire videatur, e re puto, ut legio praetorianorum in urbem introducatur, his ductoribus, (et illos nominabat, qui minime ſuſpecti eſſent) qui et ſecuritati publicae conſulere et, ſi quid turbulenti homines conentur, ad ſubita praeſto eſſe poſſint. Tam amicae orationi Colinius, et pacis domeſticae deſiderio et alioqui aulicis ineſcamentis victus, facile aſſenſum praebuit. Itaque legio citra Proteſtantium ſuſpicionem intra moenia accipitur.

IV. QUO facto concilium repetitur, et poſt aliquantam diſceptationem res adhuc in incerto relicta, ſententiis pro locorum et eorum, qui conſiliis intererant, ratione variantibus. Nam coram rege, cui concilio aderat regina parens, Andinus frater, alii intimi, ſic diſſerebatur; in regno duas factiones eſſe; alteram Momorantianorum, quibus Colinii olim per adfinitatem acceſſerunt, nunc vero ob religionis vinculum, quò multos obſtrictos tenent, novam ipſi conſtituunt; alteram Guiſianorum: nec quieturam Galliam, aut majeſtatem regibus per bella civilia inde exorta ereptam unquam reſtitutum iri, quo uſque ſumma illa capita, quae florentiſſimum imperium et publicam tranquillitatem turbant, decuſſa fuerint: eos per regni turbas in tantam potentiam creviſſe, ut eodem tempore ſimul tolli non poſſint: ſingulos carpendos eſſe, et inter ſe committendos, quo ſibi mutua pernicie exitium afferant: a Colinio ducendum initium, qui ſolus ex familia ſuperſit; quo ſublato non parum Momorantianorum, quorum tantum ob Colinii conjunctionem odium eſt, potentiae ſit deceſſurum. Id vero indignum nec tibi ferendum (oratione ad regem converſa) aiebant, hominem, quem ſola nobilitas commendat, beneficiis regum ad honores evectum, jam nobilitati gravem, principibus dignatione parem, tibi ipſi moleſtum, eo audaciae atque adeo amentiae veniſſe, ut regiae majeſtati quotidie illudere, bella ad libidinem in regno excitare, ludos putet. Enimvero ejus veſania ante omnia tibi, ſi rex es, coercenda eſt, ut omnes ejus exemplo diſcant reverenter fortunam ferre, eaque moderate uti. Nec ſolum infringetur ejus morte Momorantianorum factio, ſed Proteſtantium potentia ſubvertetur; cujus ille cum veluti cor et anima ſit, in eo ſolo reſpirare Proteſtantes,

INTERPR. [a] *le mareſchal de Damville, le ſieur de Meru, & le ſieur de Thoré.* [b] *les ducs de Guiſe & d'Aumale.*

Proteſtantes, et eo extincto pariter viribus caſuri videntur. Id ad regni tranquillitatem conſtituendam non ſolum utile, ſed neceſſarium eſt; cum experientia nos ſatis docuerit, quemadmodum nec unam domum duos canes alere, aut unicam arborem duos pſittacos ferre, ſic nec unum idemque regnum duas religiones pati poſſe. Id autem citra periculum et invidiam fieri poterit, ſi ſicarius aliquis, ut plurimi erunt, qui praemio praeſente aut alia ſpe incitati id audebunt, in Colinii caput ſubornetur, qui re confecta pernicis equi ad id parati ope aufugiat. Nam tunc proculdubio Proteſtantes, qui magno numero in urbe ſunt, id per Guiſianos factum rati, protinus, qua animi veſania eos eſſe ſcis, arma capient, et in Guiſianos impetum facturi, a potiore eorum numero, quippe qui Pariſienſem plebem partibus ſuis addictam habeant, ſine negotio caedentur; eodemque tumultu fortaſſe et ipſi Momorantii adeo Pariſienſibus inviſi involventur: quod ſi couſque res non procedat, ſaltem invidia facti, ex quo multiplicem utilitatem capies, a te tranſlata in Guiſianos caedis paternae memores derivabitur; quos ſublatis aemulis et ipſos poſtea in ordinem coges. De principibus Proteſtantium ducibus, quos in tua poteſtate habes, re confecta, protinus decernes: quos ad majorum ſacra et obſequium tibi debitum redituros, amotis pravis conſiliariis, nemo dubitat. Cum vero eadem de re in reginae conſilio inter fidos agebatur, ulterius progrediebatur ſermo, ut non ſolum Momorantii cum Colinio de medio tollerentur, ſed Guiſiani ipſi, quibus regina, tanquam graviter et multiplici a ſe olim offenſione laeſis, nequaquam fidere aut parcere deberet, occaſione capta trucidarentur. Nam ita conſiliarii rem componebant; ſi Proteſtantes Colinii mortem ultum irent, ipſos una et Momorantios, tanquam in eo conflictu viribus inferiores, a plebe oppreſſum iri; non tamen citra adverſariorum grave detrimentum, quos rex interea contracto ad Luparam milite numeroſo, quem penes ſe habeat, ſpectator ſedens, demum caedendo fractos ac debilitatos, poſt rem confectam, invaderet, et quaſi injuſſu ſuo et per ſeditionem arma cepiſſent, occaſione ſumpta, ad unum omneis, unaque proceres, tanquam his aut aliis addictos, interfici juberet: nam iis ſalvis, nunquam defutura murmura ac querelas adverſus reginam, quam ut peregrinam a regni adminiſtratione removendam ſeditioſi [a] clamitabant. Haec erant diverſa pro diverſitate perſonarum conſilia: de cetero in rei exequendae ordine conſentiebant. Adhibito demum in facti conſcientiam Guiſio, ceteroqui aliorum conſiliorum ignaro, percuſſor quaeſitus; iſque ſubito comparuit [a] Morevellius, ad id, ut apparuit, quaſi ſepoſitus; qui olim, cum idem facinus patrandum ſuſcepiſſet, in Proteſtantium caſtra transfugerat, ſed periculo territus, ne nihil egiſſe videretur, Arturum [b] Valdraeum Moium perfidioſe interfecerat; et ab eo tempore per Guiſianorum domos, in quorum familia a puero educatus fuerat, mutatis ſaepius hoſpitiis latuerat. Delecta et domus in S. [c] Germani Antiſſiodorenſis clauſtro, quod vocant, Petri [d] Pilae Villemurii, Guiſii ipſius quondam praeceptoris; praeter quam Colinius [e] Lupara domum rediens tranſire neceſſe habebat.

V. COLINIUS igitur Veneris die poſt varia in regio conſiſtorio, ubi aderat Andinus, agitata negotia, et compoſitam inter Ant. [f] Maraſinum Guerchium et Leonardum

VAR. LECT. [a] clamitabant. Idque Radeſianus ſaepius Catharinae ſuſpicaci juxta et ambitioſae foeminae inculcabat; ſibi ipſi metuens, videlicet homo novus, et quem a rege nullis meritis ad tantam gratiam evectum omnes merito indignabantur. Itaque et is ſedulo agebat, ut alienum metum reginae ſuum faceret et, tanquam proprio periculo admonita, omnes animi nervos intenderet, ut amotis proceribus potentiam ſuam et Biragi ac Radeſiani una firmaret. Haec erant diverſa *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Maurevel.* [b] *de Vaudray, ſieur de Mouy.* [c] *cloiſtre de S. Germain de l'Auxerrois.* [d] *de Pille de Villemur.* [e] *le Louvre.* [f] *Maraſin, ſieur de Guerchy.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. Leonardum [a] Damaſum Tiangium, ex primaria in [b] Aeduis nobilitate viros manu promptos rixam, inde regem ad ſphaeriſterium proximum comitatur: unde poſt ſponſionem a rege, Guiſio, Telinioque factam, cum ſe domum reciperet, atque ante Villemurianas aedeis pedes iter faciens, libello forte porrecto legendo intentus lentius incederet, ex feneſtra linteo velata, ſcloppeto a Morevellio diſploſo, duabus glandibus ictus [a] eſt; quarum una dextrae indicem incidit, altera in brachium ſiniſtrum violentiore vulnere incubuit. Larus ejus dextrum Guerchius, [c] Rochus Sorbeus Prunaeus laevum tegebant; qui facto admodum, ut et aſtantes omnes, perculſi ſunt. Ille vero nihil vultu turbatus, tantum aedeis, unde globuli evolaſſent, indicat; atque e veſtigio Armano [d] Claromontio Pilio et Franciſco [e] Moninio mandat, ut regem adeant et, quid actum ſit, ſuo illi nomine ſignificent. Tum alligato brachio domeſticis innixus ad hoſpitium ſuum, quod non ita longe aberat, pedes pervenit. Cumque moneretur a quibuſdam e ſuo comitatu, videret, ne globuli illi, a quibus vulneratus erat, venenati eſſent, reſpondit, nihil eventurum, niſi quod Deus decreviſſet. Confeſtim ad aedeis, unde ictus emanaverat, fit impetus; et refractis foribus in conclavi inferiori ſcloppetum reperiunt. Ancilla ac puer curſor ibi capti vinciuntur. Nam Morevellius jam per poſticum equo conſcenſo ad [f] Antonianam portam pervolaverat; ubi mutato equo, et alio ad id deſtinato rurſus conſcenſo aufugerat. Rex accepto nuncio, quaſi caſu inopinato conſternatus, Nunquamne, ait, quieſcam? et ſemper novae in dies turbae? Tum illiſo in terram reticulo in interiorem arcem concedit. Guiſius diverſa parte ſphaeriſterio relicto abit. Heic mirari aeque omnes; plerique turbari et, quorſum haec evaderent, animi angi; factum multi deteſtari, etiam qui minus bene Colinio vellent. Navarrus vero et Condaeus confeſtim eum adeunt, et coram ipſis Colinius, cum a chirurgis curaretur, haec pro omni doloris ſenſu dixiſſe auditus eſt, Haeccine eſt bella reconciliatio, cujus rex ſponſor extitit? Tum ad [g] Maurum reginae Navarrae defunctae concionatorem converſus, haec verba pronunciavit: Hem, mi frater, nunc ſentio me a Deo diligi, quando propter ſanctiſſimum ipſius nomen has plagas acceperim: faxit Deus ipſe, ne uſitatae ſuae erga me clementiae unquam obliviſcar. Cum vero Ambroſius [h] Paraeus regius chirurgus illi digitum amputandum jam gangraena ſerpente diceret, idque forcipibus non ſatis acutis tentaſſet, nullum quamvis acerrimi doloris ſenſum edidit, quamvis ter forcipes aperire, ter premere coactus fuiſſet. Ubi ad brachium laevum eſt ventum, intervenit [i] Merlinus Condaei concionator, qui ubi e ſacris literis conſolari cum coepiſſet, ille in has voces ſaepius erupit, Mi Deus, ne me in tantis malis deſere, nec uſitatam erga me clementiam intermittito. Tum in aurem uni ex iis, qui brachium ſuſtinebat, inſuſurravit, ut c aurei in pauperes eccleſiae Pariſienſis erogandi Merlino adnumerarentur. Haec iiſdem paene verbis Paraeum memorantem ſaepius audivi. Inde Navarrus et Condaeus ad regem contendunt, de facti indignitate conquerentes; petuntque, ut, quando ſibi ac ſuis Lutetiae ſecuris manere non liceat, cum bona ipſius gratia liceat diſcedere. Ad haec rex re in majus exaggerata, adhibitis vehementioribus, quam antea, diris fidem obſtringit, [a] de percuſſore, auctoribus, fautoribus ac conſciis eas poenas ſumpturum, quae et Colinio et amicis ſatisfaciant, et ceteris in poſterum exemplo ſint futurae: quod factum ſit, tam ſibi dolere, quam cui maxime; ſed quando id infectum fieri non poſſit, de remedio ſe accurate cogitaturum, ſacturumque, ut omnes intelligant, vulnus

VAR. LECT. [a] ſe de. *D. ſ. o.*

INTERPR. [a] *de Damas, ſieur de Tianges.* [b] *Bourgogne.* [c] *Roch de Sorbieres, ſieur des Pruneaux.* [d] *de Clermont, ſieur de Piles.* [e] *le capitaine Monins.* [f] *porte S. Antoine.* [g] *le More miniſtre.* [h] *Paré.* [i] *Merlin.*

vulnus Colinio quidem inflictum, ceterum ejus ſenſum ad ſe pertinere: ejus rei ut teſtes ſint, neve Lutetia excedant, rogat. Dicentem excipit Catharina, quae aderat, et regi, non Colinio factam injuriam dicit, eoque tandem evaſuram licentiam, ut regem ipſum aliquando domi aggredi audeant, ſi hoc impunitum facinus relinquatur: itaque omneis capeſſendas rationes tanti ſceleris acerrime vindicandi. His verbis indignabunde prolatis placati utcunque Navarrus et Condaeus, nihil ſimulate agi [a] credentes, ita ut de diſceſſu ex urbe nullum amplius verbum factum ſit. Miſſi continuo, qui ſugientem percuſſorem, quamvis adhuc ignorabatur, perſequerentur. Portae urbis clauſae, dum ubique conquiritur; exceptis duabus, per quas commeatus importabatur, appoſito a rege cuſtode ſervatis. Interim a Chriſtophoro [a] Thuano, Bernardo [b] Prevotio Morſano curiae praeſidibus, et Jacobo [c] Viola ſenatore, ancilla et puer in [d] Villemurii abſentis aedibus capti diverſi interrogantur: et ancilla quidem fatetur, ante paucos dies [e] Villerium Challium Guiſianorum clientem ad aedeis illas militem quendam adduxiſſe, eumque ſibi aeque atque aedium herum commendaſſe, quippe illius amicum ac perfamiliarem: itaque eodem quo Villemurius cubiculo, quamdiu inibi fuit, et lecto uſum: ſed nomen ejus ſedulo celatum eſſe. Puer vero ille, qui a paucis diebus percuſſori ſerviebat, ab hero nomen verum mentito, ſeque nunc [f] Bollandum, nunc [g] Bondotum regium hippotoxotam vocante, mane ad Challium ſe miſſum dixit, ut eum ſuo nomine rogaret, equos, quos pollicitus erat, paratos haberet. Ex quibus indiciis adhuc tamen incertus erat percuſſor. Cum vero de Challio convenirent, Gaſpari [h] Caſtraeo Nancaeo cuſtodiae regiae praefecto mandatur, ipſum comprehendat, captumque ſiſtat. Tum ſcriptae ad praefectos provinciarum a rege literae; quibus factum deteſtabatur, mandabatque, darent operam, ut omnes intelligerent, id ſibi ſummopere dolere, ac brevi ſore, ut tanti criminis exſtet apud omnes ſeveriſſimum exemplum. Interea [i] Damvilla, Coſſaeus, et [k] Villarius equitum tribuni ſub meridiem Colinium viſentes, cum amantiſſimis verbis eum ſalutaſſent, negaſſentque ſe illo veniſſe, ut illum ad patientiam et animi fortitudinem hortarentur; propterea quod, inquiebant, tibi domi iſta naſcuntur; tu alios monere conſuevisti, tibi ergo ne ipſi deſis. Ille hilari vultu, Vere et ex animo vobis, inquit, affirmo, nihil me mors terret; ſpiritum, quem a Deo fruendum accepi, cum ipſe repoſcet, libentiſſime illi reddere paratus ſum: ſed magnopere exoptarem, ut, antequam e vita demigrem, mihi alloquendi regis facultas daretur: nam habeo quaedam ad ipſum, ac regni ſalutem et dignitatem pertinentia, quae, certo ſcio, nemo veſtrum auderet ad illum deferre. Tum Damvilla, Libenter vero id regi renunciabo. Quo dicto, cum Villario et [l] Telinio diſceſſit, relicto Coſſaeo; cui Colinius, Meminiſti quid paucis ante horis tibi dixerim, Sapies et tibi cavebis? quid per haec verba intelligeret, ab omnibus haudquaquam intellectum fuit. Cum vero de ejus deſiderio per Damvillam et Telinium reſciviſſet rex, non gravate in ſpeciem fecit, ut ad eum veniret altera pomeridiana hora. Venit et regina parens cum Andino et Alençonio fratribus, cardinali Borbonio, [m] Monpenſerio, Nivernio, Coſſaeo, et [n] Tavanio equitum tribuno, Villario, [o] Meruvio et Thoreo Momorantiis fratribus, Nancaeo et [p] Radeſiano. His intromiſſis, ceteri juſſu regis excluſi, praeter Telinium, et nobilem

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [a] Navarri et Condaei nihil ſimulate agi credentium animi *D. f. o.*

INTERPR. [a] *de Thou.* [b] *Prevoſt, ſieur de Morſan.* [c] *Viole.* [d] *de Villemur.* [e] *Villiers, ſieur de Chailly.* [f] *Bolland.* [g] *Bondot, archer de la garde à cheval du roy.* [h] *de la Chaſtre, ſieur de Nançay, capitaine des gardes.* [i] *les mareſchaux de Damville, & de Coſſé.* [k] *Honorat de Savoye, marquis de Villars, mareſchal de France.* [l] *de Teligny.* [m] *les ducs de Montpenſier & de Nevers.* [n] *le mareſchal de Tavannes.* [o] *les ſieurs de Meru & de Thoré, fils du conneſtable de Montmorency.* [p] *comte de Retz.*

CIƆIƆLXXII. nobilem domeſticum, qui ad fores conclavis aſtabat. . Heic regi in arcano quaedam
CAROLUS IX. a Colinio inſinuata, ſcriptis divulgatum eſt: alii tamen negant; et ſecretum hoc de induſtria a regina impedirum, ne rex, cujus ingenio jam illa diffidebat, Colinii verbis placatus aut perſuaſus ſententiam mutaret. Quae palam audita ſunt, haec fuere: Cum Colinius gratias regi egiſſet, Rex ſubtriſti et anxio vultu de valetudine ſua eum diligenter interrogat, illudque ſummo cum dolore ſuo contigiſſe conteſtatus, Tibi vulnus, inquit, inflictum fuit, mihi dolor: verum ego, diris ſuo more adhibitis, juro, me hanc injuriam tam ſevere vindicaturum, ut ejus rei memoria nunquam ex animis hominum deleatur. Ad haec Colinius, Teſtis eſt mihi Deus, ad cujus tribunal jam ſiſti videor, me quamdiu vixi fideliſſimum ſemper erga majeſtatem tuam et addictiſſimum fuiſſe, perpetuoque et ex animo optaſſe, ut quam florentiſſimum ac quietiſſimum regnum diuriſſime obtineres: et tamen non ignoro non defuiſſe, qui me proditorem ac perduellem et regni tui perturbatorem appellarent; ſed confido, Deum aliquando inter me et illos diſceptatorem futurum, apud quem paratiſſimus ſum, ſi ejus voluntas ferat, ut e vita demigrem, illius meae erga te fidei et obſervantiae rationem reddere. Porro cum a rege Henrico parente tuo multis ac permagnis honoribus cumulatus ſim, quos majeſtas tua mihi confirmare dignata eſt, non poſſum pro fide ac ſtudio, quo res tuas proſequor, non ſuppliciter a te petere, ne tam praeclaram rei bene gerendae occaſionem praetermittas; praeſertim cum jam res non ſit integra, ac multa tui in Belgicum negotium animi documenta et quaſi pignora extent, ut, ſi res inchoata relinquatur, maximum regno tuo periculum impendeat. An non indigniſſimum eſt, ovum in tuo ſanctiore conſilio moveri non poſſe, quin continuo, ante ſere quam converſum ſit, nuncius ad Albanum excurrat? an non indigniſſimum eſt, amplius CCC vel nobileis vel egregios milites proelio [a] Jenliſiano captos vel ſtrangulatos, vel alio ſupplicii genere crudeliter Albani juſſu affectos? quod tamen video heic in aula pro ludibrio et jocandi ac ridendi matetla haberi. Tertium, de quo cum tua majeſtate agere cupiebam, eſt pacificatorii edicti contemptus, ab iis qui juriſdictioni praeſunt, profectus, qui fidem abs te datam graviſſime quotidie violant: cujus fidei ac jurisjurandi etiam exteri principes teſtes ſunt. Atqui, ut ſaepe majeſtatem tuam et reginam parentem monui, non aliam certiorem pacis, otii ac tranquillitatis publicae tuendae rationem exiſtimo, quam ſi edicta religioſe ac ſevere ſerventur. Sed illa uſque adeo contemnuntur, ut nuper [b] Auguſtobonae Tricaſſium in uxoris Condaei principis clientes impetus ſit factus: cumque illa ex edicti tui formula villam nomine [c] Inſulam delegiſſet, in qua religio noſtra coleretur, nuper tamen vir quidam et nutrix et inſans ad ſacrum lavacrum deductus in itinere interfecti ſunt, cum ex concione illo in loco habita domum reverterentur: atque id quidem paulo ante IV Eid. Sextil. acciderat. Ad haec rex; Habeo te, mi pater, quemadmodum ſaepe jam ſum teſtatus, pro viro forti ac fideli, et meae dignitatis ſtudioſiſſimo; denique unum te ex ſummis ac fortiſſimis mei regni imperatoribus judico: nec ſi aliam de te opinionem concepiſſem, ea, quae jam tua gratia feci, facere voluiſſem. Quantum ad edictum a me nuper factum ſpectat, optavi ſemper, optoque etiam, ut illud diligentiſſime ſervetur: ob idque delectos per provincias, qui in rem eam incumbant, mittendos curavi, qui ſi tibi ſuſpecti erunt, (ille interfando ſuſpectos eos ſibi dixerat, qui ſe capitis et ſuſpendii damnaverant, et pretium capiti ſuo L aureorum millia impoſuerant) alii in eorum locum mittentur. Tum, ut ſermonem abrumperet, ſubjecit, Video te, mi pater, contentius loqui: ea contentio tibi et vulneribus officere poſſit: res

INTERPR. [a] *deſſaite de Genlis.* [b] *Troyes.* [c] *Iſle.*

res haec mihi curae erit; rurſuſque, nomen Dei dejerans, tibi confirmo, me injuriam hanc, ut mihi illatam, in facti auctores ſeveriſſime ulturum. Tum ille, Non magnopere requirendus eſt facinoris auctor, nec dubia valde ſunt indicia. Sed ſatis eſt; eoque nomine, quam demiſſiſſimis verbis poſſum, majeſtati tuae gratias ago, quod ſe mihi jus redditurum tam benigne pollicita eſt. Tum ſeducto eo, ex nobilibus domeſticis, qui foribus aſtabat, rex glandem, qua Colinius percuſſus fuerat, quaeque ex vulnere educta fuerat, ſibi repraeſentari, eamque inſpicere voluit: ea erat aerea: tum ex illo quaeſivit, primum, multusne ſanguis ex vulnere fluxiſſet, deinde an Colinius graveis dolores, quos ſenſiſſet, clamoſis querelis teſtatus eſſet; laudataque hominis conſtantia et magnitudine animi, nobili illi, ne ab eo diſcederet, imperavit. Haec unius horae circiter ſpatio in cubiculo Colinii acta, rege ſermonibus vagis tempus extrahente, et ut belli Belgici, ad cujus mentionem nihil reſpondiſſe eum animadverſum eſt, negotium eluderet. Inter hos ſermones [a] Radeſianus Colinii familiari cuidam, de transferendo in [b] Luparam arcem Colinio, ſermonem injecerat, ad majorem ſecuritatem, ſi plebs commoveretur; idque rex ipſe aliquoties repetierat, quod et regis de Colinii ſalute ſoliciti argumentum fere omnes interpretabantur. Sed cum periculum ſubeſſe renunciarent medici, ac Franciſcus [c] Mazilius inprimis regis archiater, ſi, recentibus vulneribus, portatione corpus aegrum ſuccuteretur, loco moveri eum minime placuit. Poſt regis diſceſſum Proteſtantium procerum habito conſilio in commune deliberatur: et Joannes [d] Ferrerius Carnutum vicedominus coram Navarro et Condaeo id, quod erat, conjectans, a vulnere Colinii initium tragoediae factum dixit; mox ſecuturam univerſorum ſanguinariam clauſulam: itaque e re ſibi videri, ut nulla mora interjecta urbe excederetur. Prolata in eam rem teſtimonia et indicia ex diſſeminatis rumoribus. Nam a pleriſque auditum, eum pontificii nuptiarum die per jocum coram Proteſtantibus templo, ne ſacro intereſſent, diſcedentibus dicerent fore, ut intra paucos dies miſſam audirent: palam item inter primarios urbis civeis in colloquio jactatum, in illis nuptiis plus ſanguinis quam vini effuſum iri: monitum quendam e proceribus Proteſtantium a ſenatus praeſide, ut ſe cum familia ſua ad aliquot dies rus conferret: ad haec in memoriam revocatum Joannis [e] Monlucii Valentini epiſcopi, cum in Poloniam legatus proficiſceretur, [f] Rupifulcaudio datum conſilium, ne fumis aulae et inſolito favore, qui merito ſapientibus ac cautis ſuſpectus eſſe debet, ebrium ſe tranſverſumque agi ſineret, neu juſto ſecurior ſe periculis objiceret, matureque ex aula cum aliis proceribus ſe ſubduceret: ſed [g] Telinio reclamante, et ſibi abunde de ſincera regis voluntate et conſilio conſtare dictitante, Ferrerius et ceteri idem ſentientes minime auditi ſunt. Poſtridie habita quaeſtio de puero curſore, novis teſtibus productis, cui interfuit Arnoldus [h] Cavagnius, ſic enim petierat Colinius, et omnia ad diligentem rei perveſtigationem in ſpeciem facta. Poſtero die, cum Colinius et ejus juſſu [i] Cornatouus ſociorum nomine, quos aiebat pro comperto habere, Pariſienſeis, hoc eſt, LX CIↃ infeſtiſſimorum Colinii hoſtium, tumultuari et arma capere, petiiſſet a rege et Andino fratre, praeſidium aliquot armatorum, tuendis Colinii aedibus circumponerent, ut, ſi quid plebs turbaret, regii praeſidii reverentia coerceri poſſent, uterque prolixe liberaliterque reſpondit; negotiumque [k] Coſſenio praetorianae legionis praefecto datur, ut cum delectis aliquot manipularibus pro foribus Colinii

INTERPR. [a] *le comte de Retz.* [b] *le Louvre.* [c] *de Mazilles.* [d] *de Ferrieres, vidame de Chartres.* [e] *de Monluc, evêque de Valence.* [f] *le comte de la Rochefoucaud.* [g] *de Teligny.* [h] *de Cavagnes.* [i] *de Cornaton.* [k] *de Coſſeins.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. Colinii in ſtatione excubaret. His additi ad vitandam ſuſpicionem, ſed exiguo numero, aliquot ex Helvetiis Navarri ſtipatoribus. Inſuper ad majorem ſecuritatem a rege procuratum, ut nobiles Proteſtantes, qui in urbe eſſent, in vicinis Colinio aedibus diverſarentur. Metatoribus et imperatum, ut confeſtim hoſpitia deſignarent, altaque voce, ut ab omnibus exaudiretur, uni ex tribunis a rege edicitur, ne quem Catholicum eo accedere pateretur, nec cujuſquam aliter agentis capiti parceret. Ex ea occaſione decuriones per diverſa itare, et Proteſtantium nomen deſcribere, ſingulos hortari ut ad Colinii viciniam migrent, ita regi placere. Haec et alia indicia, ac paſſim ſparſi ſuſurri, niſi laeva mens fuiſſet, etſi ad admonendos Proteſtanteis ſatis eſſent, tamẽ conſtanti regis diſſimulatione effectum eſt, ut Colinius ac Telinius nihil inclementius aut tale quidquam de ejus animo ſibi perſuadere poſſent. Itaque cum rurſus in Cornatoni conclavi in Colinii aedibus conſilium inter proceres ea de re haberetur, et [a] Carnutum vicedominus in ſententia perſeveraret, nt urbe quamprimum excederetur, et imminenti periculo vel cum Colinii valetudinis melius eo die habentis incommodo praeverteretur, Telinius tenuit, Navarro et Condaeo aſſentientibus, ut in urbe manerent; alioqui maximam regi erga ipſos adeo bene affecto injuriam fieri. Suſpicio fuit, id ab uno ex aſtantibus, is erat [b] Buchavanius Bajancurius reginae perſamiliaris, qui inde mox ad [c] Lateranas aedeis, ubi tunc conſilium deambulandi ſpecie a conſciis habebatur, tranſvolavit, regi renunciatum fuiſſe.

VI. Ibi tunc ultimo conſultatur de rei exeqnendae ratione. Aderant praeter regem, reginam et [d] Andinum, Nivernius, [e] Engoliſmenſis nothus, [f] Biragus, [g] Tavanius, et Radeſianus: et quando unius hominis morte, quem ex vulnere convaliturum jam medici affirmabant, regni malum, quod ab illo alatur, et in multos diffundatur, extingui non potuit, placuit, ut univerſorum exitio opprimeretur, et ira, quam Colinii ſolius ſanguine expleri noluit Deus, in Sectarios omneis effunderetur: id voluntatis initio fuiſſe, nunc ex eventu neceſſitatem ac vim denique conſilio impoſitam, ut niſi Colinii et Proteſtantium cunctorum peſte periculum regi univerſoque regno impendens diſcuti non poſſit: quid enim non facturum eum integra perduellium factione poſt tantam injuriam, qui nulla re laceſſitus regi injurioſus regnoque detrimentoſus tamdiu exſtiterit? qnem Lutetia egredientem tanquam leonem e cavea in omneis nullo reſpectu cum ſuis saeviturum, jam omnes animo provideant et expaveſcant: itaque laxandas concitatae per ſe ſatis plebi habenas; nec Dei voluntati, qui moderata conſilia exitum habere noluit, amplius reluctandum: poſt rem confectam non defuturas rationes, quibus factum excuſetur, culpa in Guiſianos, quam illi invidiam libenter ſuſtinebunt, rejecta. Itaque de Proteſtantibus ad internecionem plane delendis aſſenſere omnes: quam in ſententiam alioqui regina ſuo ingenio et proprio inſtituto ferebatur. De Navarro et Condaeo aliquandiu deliberatum eſt, an numero ceterorum eximerentur: et de Navarro conſentientia fuere omnium ſuffragia, propter regiam dignitatem, et affinitatem nuper contractam: nam factum, quod invidia apud multos cariturum non eſſet, multo majore flagraturum, ſi princeps maximus, ſanguine regi proximus, et recenti adfinitate conjunctus, in regia arce, inter regis atque adeo ſororii ſui veluti brachia et uxoris amplexus interficeretur: nam excuſationem nullam ſatis futuram; nec valitura, quae in Guiſianorum invidiam ſpargi poſſent, ad regem excuſandum argumenta. De Condaeo major contentio fuit, onerante eum

INTERPR. [a] *Chartres.* [b] *de Bajancour, ſieur de Bouchavanes.* [c] *les Tuilleries.* [d] *les ducs d'Anjou & de Nevers.* [e] *Henry d'Angouleſme, baſtard du roy Henry ſecond.* [f] *de Birague, garde des ſceaux.* [g] *le mareſchal de Tavannes, & le comte de Retz.*

Digitized by Google

eum paterna invidia: tamen et viri dignitas, et Ludovici Gonzagae [a] Nivernii auctoritas, cum in regis fide et obſequio fore adfirmantis, et ſe ſponſorem ob arctam ac multiplicem inter eos adfinitatem, nam nuper Condaeus Mariam [b] Cliviam Henricae Nivernii conjugis ſororem duxerat, ultro offerentis, tenuit ut ei parceretur, atque, ſicuti Navarrus, numero eorum, qui ad caedem deſignati erant, eximeretur. Inde digreſſi Andinus, Engoliſmenſis nothus, dum curru per urbem vehuntur, rumorem ſpargi curant, quaſi rex [c] Momorantium evocaſſet, et cum delecto equitatu in urbem introducturus eſſet. Captus et eadem hora quidam ex caede ſuſpectus, qui ſe e Guiſii domeſticis eſſe fatebatur. Qua re intellecta ad ſuſpicionem amovendam [d] Guiſius, Aumalius et alii e familia ad regem adeunt, et ſe inimicorum gratia opprimi queruntur; calumniis de ſe ſparſis patere judicum aureis, ſeque quamvis inſonteis manifeſto peti: jampridem animadvertiſſe ſe in dies minus, qua de cauſa neſciant, regi gratos; id tamen diſſimulaſſe, ac ſperaſſe, ut tempus optimus veri magiſter eum tandem certius de re omni edoceret: ſed cum nullum ſuae innocentiae locum relictum videant, aegre et coactos petere, ut ſibi cum bona ejus gratia domum abire liceat. Id palam actum, et notatum, regem ad ea ſubfrigide reſpondiſſe, quo magis Proteſtantes ſibi perſuaderent, ipſum alieno a Guiſianis animo eſſe. Secundum haec rex Navarrum monet, ne Guiſianorum audaciae ac violentiae maleficii occaſiones praebeantur, rebus adeo inflammatis et plebe in Guiſianorum partes propendente; ut, quos e domeſticis fidiſſimos noſſet, [e] Luparam venire jubeat, ad ſubita praeſto futuros: quod et in bonam partem interpretatus Navarrus fecit, accerſitis manu promptis, qui ſecum in Luparae arce pernoctarent. A prudentibus etiam cum obſervatum eſſet, homines armatos paſſim per urbem ac circum arcem Luparam volitare, plebem fremere, minas ubique exaudiri, ex eoque futurum motum praeſagirent, re Colinio renunciata, ille, qui de regis voluntate minime dubitaret, ſed eas Guiſianorum ad populum inflammandum artes eſſe putaret, mittit, qui regi ſuo nomine id ſignificaret. Cui rex reſpondit, nihil eſſe cur Colinius metueret: haec enim ſuo juſſu fieri ad componendos plebis a Guiſianis incitatae motus: proinde ſecuro animo eſſe debere. Nunciatum et eadem hora Telinio, bajulos viſos armis onuſtos, qui Luparam introducerentur: qui et nuncium contempſit, et non neceſſarias quaeri ſuſpiciones alieno et luctuoſo tempore reſpondit; vetuitque, ne id Colinio ſignificaretur, ex rumorum atque adeo periculorum contemptu intempeſtivam prudentiae ac moderationis laudem affectans, excuſanſque, quaſi ea arma ludicri cujuſdam caſtelli in Lupara extructi et oppugnandi cauſa importarentur. Mox Guiſius, cui rei exequendae ſummum imperium commiſſum erat, vocatis profunda jam nocte Helvetiorum quinque-pagicorum aliquot ductoribus, et Gallicarum cohortium tribunis, quid regis voluntatis ſit, aperit: veniſſe horam, qua regis mandata de inviſo Deo et hominibus capite atque adeo tota perduellium factione poenae ſumerentur; teneri feram caſſibus irretitam; operam dandam eſſe, ne elabatur: ne igitur occaſioni tam opportunae glorioſiſſimi de regni hoſtibus triumphi reportandi deeſſent, quantum non ſuperioribus bellis omnibus fuſo tot regiorum ſanguine reportaſſent: victoriam in facili eſſe, et opima ſpolia proponi, quae, citra ſanguinem, rei bene geſtae praemia conſequi poſſent. Secundum haec Helvetii circa Luparam collocantur; quibus adjunguntur quaedam Gallorum cohortes, addito mandato, darent operam, ne quis ex Navarri et Condaei familia Lupara egrederetur. [f] Coſſenio commiſſa aedium Colinii cuſtodia, ſcloppetariorum manu

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *de Cleves.* [c] *le mareſchal de Montmorency.* [d] *les ducs de Guiſe et d'Aumale.* [e] *le Louvre.* [f] *de Coſſeins.*

CIƆIƆLXXII. manu in vicinis aedibus excubantium ei attributa, ne quis inde [a] profugeret.
CAROLUS IX. Rebus ita cum milite externo compoſitis, Guiſius Joannem [a] Charonium vectigalium curiae praeſidem, qui nuper poſt diutiſſime prenſatum illum magiſtratum ejus repulſam ſaepius paſſus, tandem in locum [b] Marcelli praefectus mercatorum fuerat creatus, ad ſe vocat, mandatque, decurionibus ſignificet, uti ſuos in armis eſſe jubeant: ipſi vero ad [c] aedeis urbanas media nocte adſint, ut, quid opus facto ſit, intelligant. Marcello idem mandatum; qui quanquam magiſtratu functus, ob occulta officia reginae gratus etiam auctoritatem poſt ejeratam dignitatem retinuerat. Is Luparam ſaepius itando in opinionem gratiae apud regem et reginam contractae venerat; ob idque plebi acceptus erat: ex ejuſque ore plebs per ſe concitata certior fit, regis voluntatem eſſe, ut cunctis ad Colinium et alios perduelleis exſcindendos armorum poteſtas fiat; igitur ſedulo videant, ut nemini parcatur, nec ullibi impii homines celentur: ſic velle, ſic jubere regem, qui et proviſurus ſit, ut ceterae regni urbes Pariſienſium exemplum ſtatim ſequantur. Impetus faciendi ſignum horologii Palatini tintinnabulum ſaepius pulſatum; inſignia vero, quo ab aliis internoſci poſſint, linteolum album in ſiniſtro brachio alligatum, et crucem albam pileis praefixam fore: armis igitur animiſque frequentes adſint, curentque, ut crebrae faces per domuum feneſtras accendantur, ne qua perturbatio oriatur, aut tumultus ante datum ſignum fiat. Pronis auribus accepta Marcelli imperia et monita a [d] decurionibus, [e] regionum praefectis, centurionibus ac decanis urbanis; et ſummo, quantum rerum ſubitarum ſtatus patiebatur, ſilentio ſe expediunt, diſpoſitis per plateas et compita, ſed intra domos initio, ſtationibus. Diverſa parte Guiſius et Engoliſmenſis ſumma omnia faciebant, ut res ex compoſito conficerentur. Regina media jam nocte, verita, ne rex, quem ad facinoris atrocitatem adhuc fluctuantem ac nutantem ſibi animadvertere videbatur, mutaret, in ejus cubiculum deſcendit; quo et continuo [f] Andinus, Nivernius, Biragus, Tavanius, Radeſianus ex compacto, et poſt eos Guiſius venerunt. Ibi haeſitantem regem, poſt longum ultro citroque habitum colloquium, a matre increpitum memorant, qui tam pulchram a Deo oblatam debellandorum plane hoſtium occaſionem cunctatione elabi ſibi ſineret. Quo ſermone, quaſi ignaviae inſimulatum ſe ſentiret, feroci animo princeps et fundendo ſanguini aſſuetus inflammatur, et rem exequendam imperat. Igitur regina ejus impetum, ne mora relangueſceret, arripiens, ſignum, quod hora antelucana dandum erat, maturari jubet, et ex propinquiori [g] Sangermani Antiſſiodorenſis templo tintinnabulum pulſari.

VII. JAMDUDUM milites per vias diſpoſiti quaſi in acie ſtabant, ſignum arrectis auribus et animis in armis expectantes; quorum fragore et inſolito tam alieno tempore ſtrepitu experrecti Proteſtantes, qui per hoſpitia vicina juſſu regis diverſabantur, pedem domo efferunt, et [h] Luparam, quo concurſus fiebat, tendunt; et ab obviis percunctati, quorſum tot armatorum concurſus et faces ubique accenſae pertinerent, illi ita inſtructi reſpondent, parari ludicrum certamen, et multos ad ſpectaculum undique accurrere. Cum nihilominus ultra pergerent, a ſtationariis qui propius arcem erant injurioſe repelluntur, dein etiam convitiis laceſſiti, poſtremo pulſantur, a Vaſcone quodam facto initio, ictuque uni ex iis inflicto ceteri in turbatos irruunt. Quo intellecto regina omnis morae impatiens inde

capta

VAR. LECT. [a] elaberetur *D. f.*

INTERPR. [a] *Charon, preſident de la cour des aides.* [b] *Marcel, prevoſt des marchands.* [c] *hôtel de ville.* [d] *eſchevins.* [e] *capitaines des quartiers, centeniers, dizeniers & commiſſaires.* [f] *les ducs d'Anjou & de Nevers, de Birague, le mareſchal de Tavannes, & le comte de Retz.* [g] *S. Germain de l'Auxerrois.* [h] *le Louvre.*

capta occaſione regem moriet, contineri militem jam non poſſe; mature ſignum dari in arce imperet: nam verendum eſſe, ſi mora longior interponatur, ne omnia confuſe ac praeter ejus voluntatem accidant. Iraque ejus juſſu pulſatur [a] Sangermani templi tintinnabulum, ante diluculum IX Kal. Sept. qui dies B. Bartholomaeo dictus eſt, et in Dominicam incidebat: et ſtatim Guiſius cum [b] Engoliſmenſi et Aumalio ad Colinii aedeis tendunt, ubi [c] Coſſenius excubabat. Inret haec excitatus Colinius, cum ex ſtrepitu ſeditionem obortam intelligeret, tamen de egregia regis voluntate ſecurus ac plane certus, ſive a credulitate propria, ſive a Telinio genero ita perſuaſus, ſic exiſtimabat, plebem a Guiſianis commotam eſſe, quae tamen, ubi praetorianos in ſui ac ſuorum defenſionem duce Coſſenio diſpoſitos, ut rebatur, conſpexiſſet, protinus dilapſura eſſet. Crebreſcente tamen tumultu, cum jam in area aedium ſcloppeti diſploſi ictum ſenſiſſet, tandem id quod erat, ſed ſerius, conjectans lecto ſurgit, et veſte nocturna ſumpta in pedes ad preces faciendas erigitur, parieti innixus. [d] Labonus claveis aedium aſſervabat, qui, a Coſſenio juſſus nomine regis januam aperire, nihil ſuſpicatus confeſtim aperuit. Mox Coſſenio ingreſſo Labonus obvius pugionum ictibus confectus. Quo viſo Helvetii, qui in area erant, in aedeis confugiunt, et proximam aedium januam poſt ſe adductam arcis et menſis ligneis ac alia ſuppellectile congeſta firmant, ex Helvetiis uno tantum in illo primo conflictu ſcloppeti a Coſſenianis diſploſi ictu occiſo. Tandem refringitur janua, et in ſcalas conjurati enituntur. Ii erant Coſſenius, [e] Atinius, [f] Corboranus Cardillacus Sarlaboſſius primarii legionum praefecti, Achilles [g] Petruccius Senenſis, loricati omnes, et [h] Bemius Germanus in Guiſii familia a puero educatus. Nam Guiſius cum ceteris proceribus et aliis in area remanſerat. In eo ſtrepitu Colinius, poſt preces praeeunte [i] Merlino paſtore factas, ad aſtanteis, qui fere chirurgi erant, et pauci ex ſuo comitatu, converſus nihil conſternato vultu, Video, inquit, quid agatur; ad mortem, quam nunquam expavi, et quam jampridem animo praecepi, patienter ſubeundam paratus ſum. Felicem me, qui me mori ſentiam, et in Deo, cujus gratia in ſpem vitae aeternae erigor, moriturus ſum! Jam humanis praeſidiis amplius nihil egeo. Vos amici quam citiſſime hinc faceſſite, ne mea calamitate involvamini, veſtraeque olim uxores mihi mortuo male comprecentur, quaſi exitii veſtri cauſa extiterim. Dei praeſentia, cujus bonitati animam hanc mox e corpore evolaturam commendo, mihi abunde eſt. Quibus dictis illi in ſuperius conclave, et inde per tegulas huc illuc diverſi abeunt. Conjurati inter haec refractis conclavis foribus irrumpunt: et cum Bemius ſtricto gladio a Colinio pone fores ſtante, Tune Colinius es, quaereret; ille imperterrito vultu, Ego vero ſum, reſpondit; tu vero juvenis canos meos reverere; quicquid feceris, vitam meam nihilo breviorem efficies. Dicenti Bemius gladium in pectus intorquet, et retractum ictu tranſverſo in os adigit, quo illum plane deformavit: tum repetitis ictibus ille exanimis cadit. Alii ſcribunt, Colinio etiam in morte indignabundo haec verba excidiſſe, Saltem ſi viri, nec lixae manu moreret! Atinius certe unus ex percuſſoribus, ita, ut ſcripſi, memorabat, qui et hoc addebat, nunquam vidiſſe ſe hominem tam praeſenti periculo tanta conſtantia mortem pertuliſſe. Tum Guiſio ex area Bemium interrogante, an confecta res eſſet, cum ille confectam affirmaret, Engoliſmenſi id perſuaderi non poſſe, niſi ipſe videat, Guiſio replicante, et corpus dejici poſtulante, per

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *S. Germain de l'Auxerrois.* [b] *Henry d'Angouleſme & le duc d'Aumale.* [c] *de Coſſeins.* [d] *Labonne.* [e] *Attin.* [f] *Corboran de Cardillac, ſieur de Sarlabouz.* [g] *Petrucci Sienois.* [h] *Beſme.* [i] *Merlin.*

CIↃIↃLXXII. per feneſtras illud ut erat ſanguine deturpatum in aream praecipitatur. Ubi En-
Carolus IX. goliſmenſis vix oculis ſuis credens linteo cruorem per os diffuſum deterſit, agnitoque tandem eo et cadavere, ut quidam addunt, calcibus contumelioſe impetito, extra aedeis in viam cum ſequacibus ſuis progreſſus, Eia, inquit, commilitones, feliciter incboata perſequamur; ita rex jubet. Quibus verbis ſaepius repetitis, cum ſtatim inſonuiſſet horologii palatini tympanum, ad arma conclamatum eſt ubique, et plebs ſtatim ad Colinii aedeis accurrit. Tum cadaver miris modis injurioſe foedatum in ſtabulum proximum abjicitur, et poſtremo capite amputato, quod Romam uſque perlatum eſt, pudendis item et manibus ac pedibus truncatis, per vicos ad [a] Sequanae ripam tractum; quod olim ominoſa voce, quamvis nihil tale cogitans, praeſagierat. Cum in eo eſſet, ut in profluentem a pueris mergeretur, inde retractum ad furcas [b] Monfalconias cruribus in altum ſublatis et propendente corpore ferreis catenis ſuſpenditur, igne ſubjecto, quo tantum uſtulatum non etiam conſumptum eſt, ut per omnia clementa veluti torqueretur. Nam in terra occiſus, aquis merſus, igni ſubjectus, poſtremo in aere pependit. Ibi cum ad aliquot dies ſpectantium libidini, multorum etiam juſtae indignationi, qui rabiem illam popularem regi et Galliae in poſterum magno conſtituram augurabantur, proſtitiſſet, Franciſcus [c] Momorantius proxima cognatione et majore neceſſitudine mortuo conjunctus, qui ſe mature periculo eripuerat, per homines fidos nocte illud e patibulo tranſferri, et [d] Cantiliae in ſacello terrae mandari curavit. In aedibus Colinii, occiſi in tumultu, qui obvii aut latitantes reperti ſunt: protinus milites ad rapinas vertuntur, et arcis refractis pecuniam et alia pretioſa depraedantur, literis tantum et chartis conſervatis; ſic enim mandaverat regina. Inde [e] Nivernius, Tavanius, et iis Proteſtantium odio immiſſus [f] Monpenſerius per urbem armati volitant, et currenti plebi ſtimulos addunt, conjurationem a Colinio et ſociis contra regem, reginam, regis fratres, ac Navarrum ipſum initam, et raro Dei beneficio detectam dictitantes; cui rex tantum tempore praeverterit: proinde ne impiorum hominum et regis ac patriae capitalium hoſtium ſanguini parcerent, et in illorum bona ut legitime partam praedam involarent; eam eſſe regis voluntatem, ut peſtiferum ſerpentium ſemen extirpetur, et, Sectario veneno extincto, unius majorum religionis mentio in poſterum fiat. Tum odiis libertate data, quiſque inimicum et aemulum infeſtis animis perſequi, plurimi praedae deſiderio in domos irrumpere, ad caedeis promiſcuas cuncti ferri. Eodem tempore Franciſcus [g] Rupiſulcaudius comes, regi ob facetias et urbani leporis venuſtatem alioqui gratioſus, cum heſterna die ad intempeſtam uſque noctem, ſed intempeſtive cum rege jocatus fuiſſet, et ſe domum inde recepiſſet, eandem cum Colinio ſortem expertus eſt. Nam [h] Bargius Arvernus Rupiſulcaudii aedeis pulſat, et habere ſe dicens a rege, quae illi nunciet, reſeratis foribus ipſo Rupiſulcaudio jubente admittitur; qui ubi perſonatos homines vidit, regem ipſum adeſſe ratus, qui flagris eum caedendi cauſa per jocum veniſſent, melius ſecum agerent rogat: at miſer non ludo ſed ſerio rem agi mox ſenſit, cum depraedata ante oculos domo ipſe ab uno ex aſtantibus ſeminudus crudeliter interfectus eſt. [i] Telinius quoque Colinii gener, cum per tegulas domum diſcurſans jam multorum manus evaſiſſet, poſtremo a ſtipatoribus Andioi conſpectus et ipſe occiſus eſt. Antonius [k] Claromontius Renellii marchio Porciani principis frater uterinus, cui de Renellio marchionatu lis cum Ludovico [l] Claromontio Buſſio Amboſiano gentili

INTERPR. [a] *la Seine.* [b] *gibet de Monſaulcon.* [c] *le mareſchal de Montmorency.* [d] *Chantilly.* [e] *le duc de Nevers & le mareſchal de Tavannes.* [f] *le duc de Montpenſier.* [g] *de la Rochefoucaud.* [h] *le capitaine la Barge Auvergnat.* [i] *de Teligny de Monſtreuil en Poictou.* [k] *de Clermont, marquis de Renel.* [l] *de Clermont de Buſſy d'Amboiſe.*

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

gentili ſuo erat, in Navarri comitatu Lutetiam venerat, quaſi finem liti moleſtae tandem impoſiturus: verum alio longe ac putaverat exitu res peracta eſt: nam in eo tumultu cum per aedeis ſuis proximas fugeret, tandem in ſobrini illum veſtigantis manus incidit, qui eum nulla re magis quam ob litem inimicum crudeliter obtruncavit: nec multo poſt re in judicium deducta ſecundum Buſſium pronunciatum eſt, haud feliciore tamen exitu; quippe et edicti poſtea in gratiam Proteſtantium facti beneficio decretum inductum eſt, et Ludovicus ipſe ob diſparem longe cauſam eadem immanitate obtruncatus. Antonius [a] Maraſinus Guerchius homo ſtrenuus, qui pridie Colinium rogaverat, ut ſibi in ejus domo pernoctare liceret, cum oppreſſus tegendi ſe ſpatium non haberet, pallio in brachium ſumpto et ſtricto gladio ſe contra percuſſores diu defendit; nemine tamen ex iis interfecto, quippe loricati omnes erant; tandemque multitudine circumfuſa obrutus eſt. Eadem calamitas [b] Baudineum Acierii fratrem, [c] Pluvialium et Bernium involvit, crudeliter a militibus regiis occiſos; nec non Carolum [d] Quelleneccum Pontium Armoricae regulum, qui Catharinam Parthenaeam [e] Joannis Subiſii filiam et heredem in uxorem duxerat, ſed a Parthenaeae matre frigiditatem generi cauſata de diſſolvendo matrimonio lite aliquanto ante tempore intentata, neque dum finita. Itaque cum corpora eorum, ſicuti a percuſſoribus ſinguli occidebantur, ante arcem regiſque, reginae ac totius aulici comitatus conſpectum objicerentur, frequentes e gynaeceo foeminae, nequaquam crudeli ſpectaculo eas abſterrente, curioſis oculis nudorum corpora inverecunde intuebantur; et in Pontio praecipue aciem defigebant, ſi qua ratione frigiditatis illius cauſam aut notas perrimari poſſent. Carolus [f] Bellomanerius Lavardinus Pontii cognatus et pueritiae Navarri aliquandiu moderator in manus Petri [g] Lupi Curiae cognitoris hominis minime mali inciderat; qui cum eum ſervare vellet, ab aulae emiſſariis juſſus captivum interficere, qua erat ingenii parata et arguta feſtivitate, ſpatium petiit, dum ira ſua nondum excitata efferveſceret. Quo dicto feritatem illorum ad tempus cluſit: ſed mox ſuperveniente ab arce nuncio quaſi a rege miſſo, hominem in manus ſtipatorum, qui eum coram rege ſiſterent, tradere coactus eſt. Ii vero Lavardinum in itinere prius pugionum ictibus confoſſum e molatrinarum ponte in fluvium praecipitavere [α]. [h] Briolius vir nobilis marchionis Contii pueritiae admotus canitie veneranda ſenex inter amplexus alumni ſui brachia protendentis et ſe ad ictus opponentis pariter interfectus eſt. Utique miſerabile fuit ſpectaculum Franciſci [i] Nomparis Caumontii, qui in vicinia illa diverſabatur; ſed quod fortuna more ſuo ludens inſperatae laetitiae eventu miſcuit. Is cum duobus filiis, quos paterno amore diligebat, in eodem lecto deprehenſus a percuſſoribus, qui eum, non tam odio religionis, quam ſpe lucri, cum omni prole ad exitium petebant, cum uno ex filiis interfectus eſt: alter exundante ſanguine cruentatus, cum ſe, quantum per illam aetatulam licebat, vix enim duodecimum annum attigerat, objectu mortuorum contra ictus defendiſſet, mortuum ſe ſimulans, ab illis poſtremo pro mortuo relictus eſt. Mox agminatim complures ad aedeis et praedam eodem accurrerunt; quorum alii factum ut egregium laudabant, nam non feras tantum, ſed cum feris catulos omnino perdendos; alii humaniore ſenſu in patrem ut fontem id licuiſſe, ſed innocenti proli, et quae eadem conſilia minime fortaſſe aliquando

ſecutura

VAR. LECT. [α] *Hic ſequitur in D. ſ. a. pagina in edit. Genev. et hac noſtra legitur. de Gaudimelo narratio, quae undecima circiter abhinc*

INTERPR. [a] *de Maraſin, ſieur de Guerchy.* [b] *Galiot de Cruſſol, ſieur de Beaudiſner, frere du duc d'Uzez & du ſieur d'Acier.* [c] *de Puviat Claveau, & de Berny.* [d] *de Quellenec, baron du Pont en Bretagne.* [e] *Jean de Parthenay, ſieur de Soubize.* [f] *de Beaumanoir, ſieur de Lavardin.* [g] *Loup, procureur au parlement.* [h] *du Briou, gouverneur du marquis de Conty.* [i] *Nompar de Caumont, ſieur de la Force.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

ſecutura eſſet, parcendum fuiſſe aiebant. Inter eos ſub veſperam illius diei cum quidam factum ſummopere deteſtaretur, et Deum ultorem tantae impietatis futurum diceret, puer membra lecto moliens, et caput ſenſim attollens, vivere ſe teſtatus eſt; quaerentique quis eſſet, ille non imprudenter, ſe filium et fratrem occiſorum eſſe, dixit, nomine non edito; de quo cum rurſus interrogaretur, reſpondit, editurum nomen, cum eo, quo cuperet, deductus eſſet; rogavitque hominem, ut ſe ad armamentarium regium ducendum curaret, nam ſe adfinitate [a] Bironum ſummum rei tormentariae praefectum contingere; nec defore tanti beneficii praemium: quod et ille ſedulo fecit. Ipſe Jacobus Nompar, id ei nomen eſt, hominem ſibi a Deo oblatum ſumma gratitudine remuneravit, et Bironi ipſius filiam poſtea uxorem duxit; hodieque clariſſimae in [b] Aquitania familiae princeps, Godofrido Caumontio patruo unica filia relicta defuncto, maximis, quibus ſe dignum praebuit, honoribus a rege cumulatus, ſtipatorum regii corporis tribunus, et [c] Benearni praefectus, raro Dei beneficio ex tanto periculo ſervatus videtur, ut familiam ad paucos redactam, numeroſa, quam ex uxore ſuſcepit, ſobole propagaret, et virtute ſua majorum titulis ſummum ornamentum adderet. Eodem die magni inter Proteſtanteis nominis occiſi, [d] Loverius ex feneſtra in viam publicam praecipitatus, [e] Montamarius, [f] Montalbertus, [g] Roboreus, Joach. [h] Vaſſorius Cugnerius, [i] Rupius, [k] Columbarius, [l] Velavaurius, Gervaſius [m] Barberius Francurius Navarri cancellarius, Hieronymus [n] Grolotius Aureliani praefectus, et [α] Germanus [o] Garrautius Calliſtus, qui ambo per vicos diu et immaniter tracti ſunt, et in profluentem tandem abjecti, inſtigantibus qui [1] illius ſeu praefecturae ſeu bonis inhiabant. Stephanus [p] Cevalerius Prunacus regiae gazae in Pictonibus praefectus, vir probitate ſumma et de republica ſolicitus, qui extruendi lapidei pontis [q] Vigennae ad [r] Eraldi caſtrum impoſiti auctor extitit, immiſſis a Stephano [ſ] Fergone Pataudierio, qui ejus quaeſturae imminebat, ſicariis, poſt grandem exſolutam pecuniam crudeliter interfectus eſt, et poſtea in flumen praecipitatus. Pataudierius vero Monpenſerii, cujus res procurabat, commendatione ei in munere illo ſuffectus eſt. Dionyſius item [t] Perrotus Aemilii ſenatoris Pariſienſis non minus integritate quam juris ſcientia clari filius, tanto patre digniſſimus, eandem fortunam ſubiit. Nec parcitum iis, quos Navarrus a rege monitus in arce retinuerat. Nam [β] regio mandatu ex heroum conclavibus in aream deſcendere juſſi, et ex arce enſibus ademptis educti in veſtibulo multi ex iis ſtatim necati, alii extra arcem ad caedem rapti: in iis [u] Pardallanius, [w] Sammartinus Burſius, et Armannus [x] Claromontius Pilius, fano [y] Joannis ſumma virtute nuper defenſo clarus. Is cum ex arce ad lanienam educeretur, et ante acervos occiſorum jam moriturus ſtaret, inclamaſſe dicitur: Haeccine eſt regis fides? haec promiſſa? haec pax? At tu, Deus optime maxime, oppreſſorum cauſam tuere, tantamque perfidiam olim et immanitatem juſtus judex vindica: exutoque magni pretii pallio, quod reſtabat, et nobili cuidam ſibi noto, qui circum aſtabat, tradito, Hoc habe a me tam indignae mortis monumentum; quod ille munus averſatus eſt, conditione recuſata: dicentique haec Pilio haſta latus transfixum eſt, quo ex vulnere ille concidit.

Leiranus

VAR. LECT. [α] et Calliſtus frater nothus, qui *D.* f. o. [β] regis *D.* f. o.

INTERPR. [a] *de Biron.* [b] *Guienne.* [c] *Bearn.* [d] *de Laviers.* [e] *Bernard d'Aſtarac, baron de Montamart.* [f] *Montaubert.* [g] *Rouvray.* [h] *le Vaſſeur, ſieur de Cognée.* [i] *la Roche.* [k] *de Colombieres.* [l] *de Volavoyre.* [m] *de Barbier, ſieur de Francour, chancelier du roy de Navarre.* [n] *Grolot, bailli d'Orleans.* [o] *Garrault Calliſte.* [p] *Chevalier, ſieur des Prunes, treſorier de France en Poitou.* [q] *la Vienne.* [r] *Chatelleraut.* [ſ] *Fergon, ſieur de la Pataudiere.* [t] *Perrot.* [u] *le baron de Pardaillan.* [w] *de S. Martin Burjes.* [x] *de Clermont, ſieur de Piles.* [y] *S. Jean d'Angely.*

NOT. [1] *ſcilicet* Grolotii.

[a] Leiranus jam graviter vulneratus ex percuſſorum manibus forte elapſus et in cubiculum Navarri uxoris perrumpens ac ſub lecto ejus latitans ſervatus eſt, a medicis regiis diligenter Margaritae commendatione curatus. [b] Bellovarius Navarri olim pueritiae moderator, cum jam ab longo tempore ex arthritide decumberet, in lecto oppreſſus eſt. [α] [c] Antonio Grammontano in Vaſconibus regulo, Joanni [d] Durifortio Duracio, [e] [1] Joach. Roaldo Gamacio, et [f] Buchavanio a rege gratia facta; qui in ejus fide ſe fore promiſerunt, nec ſpem ſefellerunt. Inde rex Navarrum et Condaeum compellat; et ab ineunte aetate per tot annos toties repetitis bellis magno rerum ſuarum detrimento quietem publicam turbatam dicit: nunc tandem Dei beneficio initam a ſe rationem ad omneis bellorum cauſas extirpandas; occiſum ſuo juſſu Colinium harum turbarum auctorem, idemque ſupplicium nunc paſſim in urbe ſumi de ſceleratis hominibus et impiae ſuperſtitionis lue infectis: ſe quidem memorem, quanta ab ipſis Navarro et Condaeo incommoda acceperit, qui ſe profligatis hominibus duces obtulerint, et bella contra ſe ſeditioſe geſſerint: non deeſſe ſibi juſtas injuriae vindicandae cauſas; ultro etiam nunc occaſionem dari: tamen praeterita et conſanguinitati et recenti adfinitati et aetati denique ipſorum condonare; et facta haec ab illis ducere, non ipſorum, ſed Colinii et ſequacium ejus, qui meritas jam dent aut mox daturi ſunt ſceleris poenas, conſilio et culpa; quae et ipſe oblivione libenter ſepulta velit, dummodo in poſterum ſuperiorum temporum offenſiones fide ſincera et debito obſequio ſarciant, et ejerata profanae ſuperſtitionis doctrina ad majorum ſacra atque adeo Catholicam Romanam religionem revertantur; nam unam velle ſe, quam a majoribus acceperit, in ſuo regno coli: viderent igitur, num ea in re ſibi morem gerere velint; alioqui norint, eaſdem, quas ſocios pati ſciant, poenas capitibus ſuis impendere. Ad haec Navarrus primum, demiſſo admodum animo, vim a corporibus et conſcientia deprecari; de cetero ſe in ejus fide futuros dicere, ac paratos ei omnibus in rebus ſatisfacere: Condaeus vero addere, ſibi perſuaderi non poſſe, regem, qui fidem ſuam tam ſolemni jurejurando univerſis regni ſui Proteſtantibus obligaverit, ulla ratione ab ea diſceſſurum, aut adverſariis ac inimicis ſuis ea in re auſcultaturum: quantum ad religionem attinet, eam imperari non poſſe; de capite ſuo ac fortunis in regis poteſtate eſſe, ut arbitrio ſuo ſtatuat; religionis, cujus notitiam a Deo acceperit, Deo uni rationem ſibi reddendam ſcire: itaque ratum apud ſe fixumque eſſe, nunquam ab ea religione, quam veram eſſe certo norit, ne praeſenti quidem vitae diſcrimine, recedere. Quo reſponſo rex ultra modum exacerbatus, contumacem, ſeditioſum, perduellem, ac perduellis filium Condaeum appellitans, ei denunciat, niſi intra treis dies reſipiſcat, futurum, ut pervicaciae ſuae poenas capite luat. In [g] Sangermani ſuburbio plures e proceribus Proteſtantium ſibi hoſpitia ſumpſerant, nec adduci potuerant, ut in urbe pernoctarent. Ii erant Joannes [h] Roanus Frontenaeus, [i] Godofridus Caumontius, [k] Carnutum vicedominus, Gabriel [l] Mongomerius, Jo. [m] Laſinius [β] Bellovaſius, [n] Segurius Pardallanius, alii; quorum opprimendorum negotium Laurentio [o] Maugirono datum fuerat, et inſuper [p] Marcello mandatum, ut ex urbanis delectibus CIↃ armatos illuc ad Maugironum mittendos curaret, qui ſegniter rem adminiſtravit. Inter haec nuncius de armorum crebreſcente

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] Antonio *deeſt* *D.* f. o. [β] Bellovarius *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Gaſton de Levis, ſieur de Leran au dioceſe de Mirepoix.* [b] *de Beauvoir.* [c] *Antoine d'Aure* dit *de Gramont, vicomte d'Aſter.* [d] *de Durfort, vicomte de Duras.* [e] *Nicolas Rouhault, ſieur de Gamaches.* [f] *de Bouchavanes.* [g] *Fauxbourg S. Germain.* [h] *de Rohan, ſieur de Frontenay.* [i] *Geoffroy de Caumont.* [k] *Jean de Ferrieres, vidame de Chartres.* [l] *le comte de Montgomery.* [m] *Jean de la Fin, ſieur de Beauvoir la Nocle.* [n] *de Segur de Pardaillan le jeune.* [o] *de Maugiron.* [p] *Marcel.*

NOT. [1] Leg. *Nicolas.* V. Hiſt. Geneal. de la Maiſon de France, par le P. Anſelme. Vol. 1. p. 598.

crebreſcente per urbem rumore ad Mongomerium affertur, qui rem Carnutenſi ſignificat: continuoque univerſi conveniunt, quid agerent incerti, quod plerique regis fidei confiſi, id injuſſu ipſius a Guiſianis plebis ſeditioſae audacia fretis fieri ſibi adhuc perſuaderent: itaque ad regem eundum eſſe cenſebant, et ei in vi propulſanda ſuccurrendum. In ea animorum caecitate, etſi prudentiores haec ex compacto regis mandatu fieri minime dubitarent, aliquot horae conſumptae, ut facile opprimi potuerint, niſi aliud impedimentum conjuratis injectum fuiſſet. Nam dum fruſtra Maugironus Pariſienſeis a Guiſio ſummittendos expectat, qui fere ad praedam dilapſi erant, Guiſius, qui moras eas impatienter ferret, evocatis e [a] Lupara praetorianis, dum ipſi naviculis fluvium tranſmittebant, eo ipſe ire ſtatuit. Cumque ad portas ventum eſſet, alias pro aliis claveis allatas ſero apparuit. Itaque dum aliae conquiruntur, jam clara luce Helvetii et alii praetoriani [b] Sequanam tranſmittentes ex altera ripa conſpiciuntur, tormentique ictu ex oppoſita ripa juſſu regis, ut creditur, diſploſo, ſocii fugae capeſſendae conſilium capiunt, et, antequam illi adventarent, jam multum viae emenſi ſunt. Guiſius Mongomerium alioſque [c] Monfortium uſque Almerici inſecutus fruſtra fuit. Ibi [d] Sanleodegarium nactus ei negotium dat, ut recentibus equis veſtigiis fugientium inſiſteret. [e] Udencum item et Drocum miſſi, qui, ſi illac iter haberent fugienteis, interciperent. Sed et omnes illi fruſtra fuere. Franciſcus [f] Bricomotius, qui in tumultu opprimi non potuit, ad [g] legati Angli aedeis confugit in [h] Bernardinorum caio, ubi ad aliquot dies latuit. Arnoldus [i] Cavagnius item haud hinc longe apud amicum latebat; qui periculum veritus, eum, ut ſibi conſuleret, monuit: ſed uterque comprehenſus et in palatinum carcerem conjectus eſt, eo, quem mox dicemus, exitu. Guiſius interea in urbem redit cum [k] Aumalio et Engoliſmenſi, ubi a regiis ſatellitibus in nobilium Proteſtantium et familiarium ac ſibi notorum capita et fortunas ſaeviebatur, peculiari hoc veluti penſo illis attributo, dum plebs a decurionibus et centurionibus huc illuc circumvolitantibus incitata in conciveis effuſa ad omnem intemperiem licentia baccharetur, triſti et horrenda ubique rerum facie. Siquidem ſtrepitu concurſantium ad caedeis et praedam plateae et viae perſonare, morientium aut proximorum periculo queruli ululatus exaudiri, caeſorum cadavera per feneſtras deturbari, aedium areae ac conclavia ipſa caeſis oppleri, cadavera per compita et lutum provoluta raptari, cruore per alveos vicorum tanta copia exundante, ut ſanguinei huc illuc torrentes in ſubjectum flumen dimanarent: innumera multitudo caeſa virorum, mulierum etiam praegnantium et puerorum. Annas [l] Terrerius Chapius jam octogenarius magni nominis in ſenatu patronus occiſus. Jo. item [m] Lomenius regi ab epiſtolis, cum incolumitatem pactus in carcerem a [n] Joanne Pariſienſi latrunculatore truſus, adverſario [o] Verſalium fundum, de quo cum eo lis illi erat, vili pretio vendidiſſet, munere etiam publico in alterius gratiam ejerato, poſtea juſſu eorumdem, cum quibus tranſegerat, interfectus eſt. Magdalena [p] Briſſoneta [q] Theobaldi Longojolii Ivernii libellorum ſupplicum magiſtri vidua, Gulielmi Briſſoneti cardinalis neptis, de cetero foemina lectiſſima, neque mediocribus literis erudita, cum obſoleto habitu filiam Franciſcam ſecum trahens, comite Joanne [r] Spina notiſſimo concionatore, qui veluti illi domeſticus erat, urbe aufugeret, agnita a ſicariis, et ad ejerationes [α] fruſtra adacta, contis confoſſa, et cum ſemianimis in fluvium e caio deturbata ſupernataret, concurſu

VAR. LECT. [α] quas illa conſtanter facere recuſavit, fruſtra *D. ſ.*

INTERPR. [a] *le Louvre.* [b] *la Seine.* [c] *Monfort l'Amaury.* [d] *de S. Leger.* [e] *Houdan & Dreux.* [f] *de Briquemont.* [g] *le chevalier François Walſingham, ambaſſadeur d'Angleterre.* [h] *quai des Bernardins.* [i] *de Cavagnes.* [k] *le duc d'Aumale, & le chevalier d'Angoulesme.* [l] *Terrieres, ſieur de Chapes.* [m] *de Lomenie, ſecretaire des Finances.* [n] *Tanchou, prevoſt de Mareſchaux.* [o] *Verſailles.* [p] *de Briçonnet.* [q] *Thibaut de Longuejoue, ſieur d'Iverny, maitre des requêtes.* [r] *d'Eſpina.*

concurſu naviculariorum quaſi ad canem rabidam ſuffocandam facto, variis ac- CIƆIƆLXXII.
lentis ictibus tandem ſumma immanitate obruta eſt: [α] Spina inter turbam non CAROLUS IX.
agnitus evaſit: filiae ob aetatem parcitum, ſuperveniente Cl. Marcello.

VIII. PETRUS [a] Ramus in [b] Veromanduis natus, cum diu bonas literas, philoſophiam, et poſtremo mathematicas ſcientias in [c] Prelaea ſchola, cui praeerat, et poſtea in regio auditorio docuiſſet, poſtremo erroneam in philoſophicis doctrinam invexit; Ariſtotelem voce et ſcriptis importune oppugnans: qua de re cum Jacobo [d] Carpentario Claromontano magnae controverſiae ei fuere, et antea majores cum Antonio [e] Goveano, et Joachimo [f] Perionio: tamen ex eo commendatione dignus fuit, quod ingenio, diligentia, aſſiduitate et opibus etiam ſuis, quantum in ipſo fuit, rem literariam juvit ac promovit, inſtituta mathematices profeſſione, cui annuum vectigal ꝛↄ librarum e facultatibus ſuis attribuit. Is, a Carpentario aemulo et ſeditionem adjuvante immiſſis ſicariis, e cella, in qua latebat, extractus, et poſt depenſam pecuniam inflictis aliquot vulneribus per feneſtras in aream praecipitatus eſt, effuſis viſceribus, quae pueri furentes magiſtellorum pari rabie incitatorum impulſu per vias ſparſerunt, et cadaver ipſum ſcuticis in profeſſionis opprobrium diverberantes contumelioſe et crudeliter raptaverunt. Quod ubi ad Dionyſii [g] Lambini Monſtrolienſis humaniorum literarum et utriuſque linguae regii profeſſoris, multiſque editis libris de re literaria bene meriti aureis pervenit, ille, qui ſibi cum eodem Carpentario occultas ſimultates, quamvis ob rem literariam, interceſſiſſe ſciret, de cetero a Proteſtantium doctrina alienus, tamen exemplum Rami veritus, adeo conſternatus eſt, ut ab eo erigi non potuerit, perculſaque mente in morbum graviſſimum inciderit, ex quo poſt menſem deceſſit. Ex eorum contentionibus Politici nomen originem habuit, quod poſtea factionis fuit, et a ſeditioſis regiarum partium et pacis ſtudioſis attributum. Is furor et alios nuſquam Proteſtantium doctrinam profeſſos amplexus eſt. Nam Gulielmus [β] [h] Bertrandius Villemorius libellorum ſupplicum magiſter, Jo. Bertrandii [i] procancellarii et poſtea cardinalis filius, homo bonus ac liberalis, nullique injurius, immiſſis a [k] Fergone ilio ſicariis pecunia ſpoliatus et interfectus eſt. Jacobus item [l] Roliardus ſenator Pariſienſis et ſacri collegii ſodalis, de cetero homo inquietus et rixoſus et Pariſienſibus [m] centurionibus infeſtus, cum aliquot dies in amici ſacerdotis domo latuiſſet, garrulae ancillae proditione agnitus, tandem in ſicariorum manus traditus eſt, et a [n] Cruciario quodam Aurifice, hoc illi nomen, poſtquam aliquanto tempore vincto inter ſpem ac metum illuſum eſt, capite truncatus. Eum hominem vere cruce dignum ſaepius cum horrore vidi et audivi immani veſania jactantem, cum nudum brachium exereret, hoc ſe cccc amplius homines in illa laniena mactaſſe. Poſtea ſeu poenitentia ductus, ſive conſcientia terrente cilicium ſumpſit, et, ut conſpectum hominum tot homicidiis infamis fugeret, anachoretae vitam profeſſus in ſolitudinem conceſſit; ubi tamen ferinam naturam dediſcere non potuit, his poſtremis bellis accuſatus, ac paene convictus, inſtitorem Belgam, qui neceſſitate compulſus ad ejus cellam diverterat, ope ſimilium ſui hominum jugulaſſe. Denique Petrus [o] Salſeda Hiſpanus et [p] Vici in Mediomatricibus praefectus, qui bellum cardinalitium, de quo ſupra diximus, excitaverat, quamvis nequaquam Proteſtantium doctrinae addictus, [* a praeteritae] injuriae

D. f. [* *a Guiſianis praeteritae*]

VAR. LECT. [α] Spina tanquam ignotus inter turbam evaſit *D. f.* [β] Bertrandus *D. f. o.*

INTERPR. [a] *de la Ramée.* [b] *Vermandois.* [c] *college de Preſle.* [d] *Charpentier, de Clermont en Beauvoiſis.* [e] *de Gouea.* [f] *Perion.* [g] *Lambin, de Monſtreuil.* [h] *Bertrand, ſieur de Villemor.* [i] *garde des Sceaux.* [k] *Fergon.* [l] *Rouillard.* [m] *commiſſaires.* [n] *Crucé Orfevre.* [o] *le capitaine Salſede.* [p] *Vic en l'eveſché de Mets.*

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

injuriae ultionem quaerentibus eodem die occiſus eſt. Plerique etiam ex proceribus paulum a periculo abſuere; ac [a] Thoreus inprimis, qui Colinium monuerat, cum [b] Coſſenius ad ejus cuſtodiam deſtinaretur, non capitaliorem ei hoſtem attribui potuiſſe, vereque lupo ovem commiſſam: ſed abſentia [c] Momorantii fratris factum creditur, ut ei, [d] Damvillae ac Meruvio fratribus parcitum ſit. [e] Coſſaei quoque vita in diſcrimine fuit, quod is Momorantiis conjunctus et Guiſianis partibus minime addictus eſſet. Bironus in armamentario, cum ſibi ob eandem cauſam timeret, directis duabus colubrinis contra urbem ſe muniverat, dum plebis et regiorum ſatellitum furor deſaeviret. Ex Proteſtantibus alicujus nominis raro fortunae beneficio evaſere [α] Joannes [f] Sancaumontius Sanromanius, [g] Cugius, [h] Bricomotius junior, et pauci alii. Jacobus [i] Cruſſolius Acierius Antonii fratris [k] Uticenſium ducis commendatione et reginae juſſu a Guiſianis cum aliquot aliis e nobilitate ſervati ſunt, ea mente, ſicuti jactabatur, ut lanienae illius invidiam in regem ac plebis furorem derivarent; quaſi ſibi tantum id conſilii fuiſſet, privatas inimicitias in Colinii caput ulciſci; tum etiam ut illos, quos ſervaſſent, tanto beneficio obſtrictos tenerent: qua in re minime ſpe ſua falſi ſunt. Gulielmus [l] Altamerus Fervacius, eandem gratiam Franciſco [m] Moninio impetrare a rege conatus, fruſtra fuit: ſed cum ejus indicio detectus eſſet, mox [n] Marcello negotium datum eſt, ut eum per ſicarios tollendum curaret. [β] Inter tot immanitatis urbanae exempla, res incidit memoratu digna, quae eorum atrocitatem nonnihil fortaſſe mitigabit. Erant [o] Vezinio Honorati [p] Sabaudi Villarii marchionis in [q] Cadurcis legato, homini ex provinciali nobilitate forti, ſed quem ferina natura pleriſque inviſum reddiderat, cum [r] Renerio ex eadem nobilitate adoleſcente pariter ſtrenuo, ſed cultiore ingenio, inimicitiae capitales, quae nunquam amicorum et vicinorum interventu componi hactenus potuerant. Cum Renerius igitur in illo tumultu, obverſante ubique ante oculos morte, ad extrema ſe componeret, effractis ſubito foribus, Vezinius, cui in Cadurcos proficiſcendi ſub id a rege negotium datum fuerat, ſtricto gladio cum duobus armatis ſupervenit: cumque eo magis ille jam mori certus proſtrato humi corpore divinam miſericordiam imploraret, Vezinius horrida voce ſupplicem ſurgere, et aſturconem ad id in via paratum inſcendere jubet. Ita Renerium quo duceretur initio incertum urbe poſtremo educit, ac fide accepta ſequi imperat: amboque nunquam intermiſſo itinere in [ſ] Aquitaniam tendunt. Et cum toto illo tempore Vezinius Renerium alloquio minime dignatus eſſet, tantumque ut illi in diverſoriis ad victum neceſſaria parata eſſent per ſuos curaſſet, tandem in Cadurcos atque adeo in Renerii arcem una pervenerunt. Ibi Vezinius ad Renerium converſus, Avidum jampridem ultionis animum, inquit, ſcis quam mihi facile fuerit explere, ſi occaſione uti voluiſſem: ſed nec pudor meus id ſivit, et virtus tua ſemper digna mihi viſa eſt, cum qua aequato periculo experirer. Habe igitur vitam meo beneficio ſervatam, tibique ſic perſuade, tam me ad contentiones noſtras more inter nobiles recepto dirimendas paratum deinceps fore, quam me nunc ad inevitabilem tibi perniciem avertendam non ſegnem expertus es. Ad quae verba Renerius retulit: Nec animus nec vires aut voluntas adverſus te, Vezini, amplius conſtant: omnia haec, quae contra te parata habebam, recenti beneficio tuo mihi eripuiſti. Ipſas inimicitias tam generoſo facto

VAR. LECT. [α] Joannes Sancaumontius *deſunt D. f.* [β] *Tota haec de Vezinio narratio deeſt D. f. o.*

INTERPR. [a] *de Montmorency, ſieur de Thoré.* [b] *de Coſſeins.* [c] *le mareſchal de Montmorency.* [d] *le mareſchal de Damville, & le ſieur de Meru.* [e] *le mareſchal de Coſſé.* [f] *de S. Chaumont, ſieur de S. Romain.* [g] *Cugy.* [h] *de Briquemaut le jeune.* [i] *de Cruſſol, ſieur d'Acier.* [k] *Uſez.* [l] *de Hautemer, ſieur de Fervaques.* [m] *de Moneins.* [n] *Marcel.* [o] *de Vezins.* [p] *de Savoye, mareſchal de Villars.* [q] *Quercy.* [r] *Renier.* [ſ] *Guienne.*

facto extinxiſti; cujus exemplum nulla delebit aetas, et ipſe memoriam aeternam ſervabo. Imperioſe me ſequi juſſum huc incolumem duxiſti: nunc quocunque voles ſponte ſecuturum ducito: tibique perſuaſiſſimum habeto, me vitam, quam tibi debeo, et virtutem, quam in me laudas, ſi qua eſt, arbitrio tuo expendere ſemper paratiſſimum fore. Calamitatis publicae, quae tam multos involvit, hic fructus apud me erit, ut, quem irreconciliabili ante odio proſecutus fueram, tam illuſtri gratia obſtrictus omni deinceps veneratione et officio mihi colendum exiſtimem. Quibus dictis, Renerius cum in amplexus rueret, Vezinius priſtinam in vultu torvitatem ſervans, Amico inimicoque, ait, me ut libet utere; nam utriuſque tibi optio meo beneficio data eſt: ſtatimque non expectato reſponſo calcaria addit, relicto aſturcone, quo Renerius vectus venerat; quem a Renerio officioſe remiſſum nunquam recipere voluit. Hic Vezinius aliquanto tempore poſt egregiam in [a] Divonae Cadurcorum defenſione adverſus Navarrum operam navavit, ubi et obſtinate in veſtigio pugnans interfectus eſt: vulgoque non ſolum militi, ſed ipſis etiam expeditionis ducibus perſuaſum fuit, niſi Vezinio prius occiſo urbem capi non potuiſſe. Renerii longe felicior fuit in ſuſtinenda [b] Villemurii ad Tarnim obſidione conatus; cui et ſuperfuit, et inſignis reportandae victoriae occaſionem praebuiſſe creditur. CIↃIↃLXXII. Carolus IX.

IX. In urbem redeo; in qua [α] duo millia circiter eo die occiſa. Sub veſperam regio praeconio ad tubarum clangorem edicitur, ut unuſquiſque domum ſe recipiat, nec cuiquam inde pedem efferre fas ſit; tantum regiae cuſtodiae et decurionibus cum ſuis equitum turmis per urbem incedere liceat; addita capitis poena contra eos, qui non obtemperarent: ita cum finis caedibus et rapinis impoſitus crederetur, nocte inſequenti et diebus ſequentibus eadem laniena ac praedandi licentia continuavit. Rex eodem die, ſive atrocitate facti territus, ſive invidiam metuens, literis ad provinciarum praefectos datis ejus invidiam in Guiſianos rejicit, inſcio ſe ac nolente ſeditionem exortam dictitans; ipſos nimirum, cum deprehendiſſent, amicos ac conſanguineos Colinii, quem [β] cognatum ſuum adhuc vocabat, vulnus ei inflictum ulciſci ſtatuiſſe, ut illos anteverterent, tantam nobilium et Pariſienſium manum concitaſſe, eorumque ope praeſidiarios milites, quos ipſe Colinio attribuerat, oppreſſiſſe, et Colinium ac quotquot ex ejus neceſſariis obvios habuerunt trucidaſſe, tantoque furore ac vi per reliquas urbis parteis exemplum graſſatum eſſe, ut remedium, quale optabatur, in tempore adhiberi non potuerit; nunc tandem ſeditionem ſedatam propter [γ] veteres inter duas familias ſimultates concitatam, quod cum praeter voluntatem ſuam acciderit, velle ut omnes intelligant, non propterea edictum nuper factum ulla ex parte violatum eſſe; quinimo mandare, ut ubique religioſe obſervetur; diligenterque caveant praefecti, ne in aliis urbibus mutuae caedes ex ea occaſione perpetrentur, neque alii in alios arma capiant, ſed quiſque domi in agro et urbibus quieſcat, a vi abſtineat, poena capitis in eos, qui non paruerint, ſancita. Extremis literis addita erant haec verba: Heic vero ſum cum fratre meo Navarro et Condaeo conſobrino, paratus cum ipſis ejuſdem fortunae diſcrimen ſubire. Ejuſdem argumenti literae a regina eodem die ſcriptae, non ſolum per regnum, ſed ad Helvetiorum comitia miſſitatae, et regio mandatu per Angliam ac diverſis locis in Germania ſparſae. Poſtridie continuatae caedes ac rapinae. Petrus [c] Placius curiae vectigalium primarius

VAR. LECT. [α] eo die ad duo millia hominum occiſa *D. f. o.* [β] conſobrinum *D. f.* [γ] ſimultates veteres inter duas familias jampridem natas concitatam *D. f.*

INTERPR. [a] *Cahors.* [b] *Villemur ſur le Tarn.* [c] *de la Place, premier préſident de la cour des aides.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. primarius praeſes, vir gravitate, doctrina et integritate clarus, a quo jam magnam auri ſummam Michael quidam nomine ordinum ductor pridie emunxerat, ope [a] baliſtariorum ei a Nic. [b] Bellofremontio Seneſcaeo et [c] [α] Charonio mercatorum praefecto attributorum, ſe a plebis furore defenderat. Seneſcaeus is nuper a rege ſuffectus erat in locum Innocentii [d] Triperii [β] Monterudii magni hoſpitii praepoſiti, ſub quo praefectura illa, cujus juriſdictio antea tantum ad vileis, [γ] et humileis perſonas in comitatu regio pertinebat, deinceps etiam ad nobileis et ea omnia, quae ad [e] magiſtrum et tribunos equitum ſpectant, porrigi coepit. Is primus [f] magni praepoſiti nomen meruit, multum frementibus illis, qui quantum ei per illos titulos accederet, tantum juriſdictioni ſuae decreſcere conquerebantur. Juriſdictio illa adeo ampla poſt Monterudii deceſſum aliquanto tempore ceſſaverat; quam demum rex in Seneſcaeum, ob familiae nobilitatem et raram apud nos in homine militari doctrinam, contulit. Igitur Seneſcaeus cum ad Placium a rege hac die veniſſet, diceretque, regem, quantumvis decreviſſet omneis ad unum Proteſtanteis ad internecionem delere, ut non ſupereſſet, qui mingeret ad parietem, tamen ei multis de cauſis vitam condonare voluiſſe, ac ſe miſiſſe, ut ipſum ad Luparam deduceret: nam cupere ex eo multa diſcere de Proteſtantium rebus, quae ſua intereſſet ſcire. Tum Placius ſe excuſare, et paucorum dierum, dum plebis furor deferveret, ſpatium ſibi petere; interim cuſtodia, qua rex vellet, teneretur. Contra Seneſcaeus, qui tale mandatum a regina haberet, inſtare, ut ſine mora imperio pareat; eique [g] Pezovius, unus ex praecipuis ſeditionis ducibus, ſecuritatis, ut aiebat, majoris cauſa, attributus; a quo ille per inſidias in eorum manus traditus, muloque, quo vehebatur, deturbatus pugionum ictibus confoditur. Corpus tractum et in ſtabulum aedium publicarum abjectum. Domus mox ejus uxore profuga et liberis huc illuc palantibus ad direptionem per triduum patuit. Interfecti munus, quod belli tempore per abſentiam illius exercuerat Stephanus [h] Nuellius homo factioſus et ſanguinarius, quique percuſſores in Placii caput ſubornaſſe credebatur, a rege impetravit.

X. EADEM ſaevitia ubique graſſante, cum praeter ſolitum magna coeli ſerenitas eſſet, caſus incidit, quo mirum in modum plebis efferatae animi inflammati ſunt; oxyacantha, quod rubi genus vulgo albam ſpinam vocant, in Sanctorum Innocentium coemeterio, ſive ſponte, quod aliquando contingit, cum natura deficiente in eo planta eſt ut penitus exareſcat, ſive aqua tepida ab impoſtoribus infuſa, alieno tempore florem mittente. Quae omnia factioſi ſuo furori blandientes ad Deum his indiciis quae patrarentur ſibi grata eſſe ſignificantem referebant: itaque et coelum exultabundum Proteſtantium lanienam aſpicere aiebant; et Jacobus [i] Carpentarius illam lucem, ad menſem alludens, Auguſtam ſcripto edito depraedicavit. Igitur ſeditioſi ad effloreſcentis rubi famam concurſu facto laetitia ingenti vitulabundi exiliebant, quam et inſolito tympanorum per urbem pulſu imperato (nam hoc illis tum licebat) etiam teſtati ſunt; ſicque id interpretabantur, quaſi, deletis Proteſtantibus, Catholica religio et Galliae regnum priſtinum ſplendorem ac florem recuperaturum eſſet. Contra Proteſtantes diſſerebant, et, ſi quidem id miraculo deputandum eſſet, hoc ſigno portendi dicebant, quamvis eo vulnere plane extincta eccleſia videretur, futurum tamen, ut admirabili et incomprehenſa hominibus ratione rurſus rediviva efflereſcat. Quod etiam exemplo commonſtrati Moſi in rubo miraculi confirmabant, qui, licet inflammatus, minime conſumebatur.

Addebant

VAR. LECT. [α] Carronio *D.* f. o. [β] Monſtrolii *D.* f. o. d. [γ] et humileis *deſunt* *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *archers.* [b] *de Beaufremont, baron de Seneſçay.* [c] *Charon, prevoſt des marchands.* [d] *Tripier, ſieur de Monterud, grand prevoſt de l'hôtel.* [e] *le conneſtable, & les mareſchaux.* [f] *grand prevoſt.* [g] *Pezow.* [h] *de Nully.* [i] *Charpentier.*

Addebant et dici poſſe, ad innocentiae commendationem, potius quam ad lanienae CIƆIƆLXXII.
approbationem id pertinuiſſe; quippe cum ſpina in loco ab Innocentibus deno- CAROLUS IX.
minato effloruiſſet. Eodem die ex regii corporis cuſtodia delecti a Gaſpare [a] Caſtreo Nancaeo regis mandatu [b] Caſtellionem ad Lupam mittuntur, qui Colinii uxorem, liberos, Andeloti item filios comprehendant: verum Franciſcus major natu Colinii filius, et Vidus [c] Lavallus Andeloti item major natu filius fuga jam ſibi conſuluerant: reliqui capti, et cum omni pretioſa ſupellectile Lutetiam perducti ſunt.

XI. CONSILIUM regis erat, ſimulac Colinii ac ſequacium caedes patrata eſſet, ut Guiſiani confeſtim urbe excederent, et in ſuas quiſque domos concederent; quo magis inde, quidquid Lutetiae actum eſſet, id ab ipſorum factione profectum fuiſſe omnibus innoteſceret. Verum regina et [d] Andinus praecipue, qui impotenti favore in Guiſii partes propendebant, interceſſere; qui regem contra Colinium ſolum [1] initio animatum, nondum ſcilicet fugae [e] Meldenſis oblitum, cum initio nutantem tandem etiam ad omnium Proteſtantium, qui in urbe erant, caedem impuliſſent, quaſi per gradus, ignarum quo pedem figeret, eo deduxerunt, quo Guiſianos ſuſtinendae tantae invidiae impares ſublevarent, et eam in ſe derivaret: eoque conſilio Andinus literas ex compacto protulit, inter ſcrinia Telinii, ut aiebat, repertas [f] Momorantii manu ſcriptas; quibus ille, poſt vulnus Colinio inflictum, ſe injuriam hanc in auctores, qui minime ignorarentur, ac ſi ſibi ipſi illata eſſet, iiſdem animis ulturum confirmabat. Inde occaſione ſumpta regina et Andinus regi demonſtrant, eo loci res eſſe, ut, ſi in priore diſſimulatione perſeveret, regni ſecuritatem, ſortunas, opes et exiſtimationem in manifeſtum diſcrimen ſit vocaturus: nam Guiſianos, qui de animo Momorantii ex iis literis et aliunde cognoverint, homines per ſe turbarum avidos, et earum cauſas ex quacunque occaſione aucupantes, arma, quae regis juſſu ad inferendam injuriam ſumpſerint, nunquam poſituros; eaque privatae ſalutis tutandae, quam ab inimicis peti dicunt, obtentu ſemper retenturos; et ita quod belli funeſtiſſimi finis putabatur, longe periculoſioris initium fore: nam Proteſtantium, quorum res acciſas exiſtiment, reliquias ad Momorantianos per ſe validos proculdubio ſe aggregaturas, et inde vireis ac novum robur reſumpturas; quod ſi contingat, quam regni faciem fore, ubi ſpreto ac calcato regiae majeſtatis nomine, jus ſibi quiſque dicet, et privatis odiis atque affectibus ad libidinem indulgebit? Denique quid principes externos de rege exiſtimaturos, qui ſe a ſuis cogi patiatur, qui ſuos in officio continere non poſſit, qui denique legitimae potentiae fraenum moderari neſciat? igitur tanti mali praevertendi non aliam eſſe rationem, quam ſi rex, quae facta ſint, tanquam ſuo juſſu facta, publica declaratione comprobet: ſic enim rerum arbitrium ſibi ſumpturum, et inde Guiſianos exarmaturum, inde Momorantianos, quo minus arma ſumant, remoraturum, et poſtremo effecturum, ut Proteſtantium res jam afflictae a cauſa Momorantianorum ſeparentur: rei vero invidiam extimeſcere regem non debere; nam in atrocitate facti, cujus odium excuſatione aliqua leniri poſſit, tantum periculi non ſubeſſe, quantum in infirmitatis et impotentiae confeſſione, quae contemptum principibus fere exitioſum neceſſario ſecum trahat. His rationibus principi imperioſo, qui minus odium, quam contemptum reformidaret, facile perſuadent, quo Guiſianos ad obſequium revocaret et Momorantianos in fide retineret, ut publico teſtimonio, quicquid actum eſſet, id voluntate ſua ac mandatu actum confirmaret. Itaque mane, hoc eſt, Martis die, cum fratribus, Navarro rege, et magno procerum comitatu, poſt auditum inſigni pompa ſolemne ſacrum, in

INTERPR. [a] *de la Chaſtre, ſieur de Nançay.* [b] *Chaſtillon ſur Loing.* [c] *Guy de Laval.* [d] *le duc d'Anjou.* [e] *de Meaux.* [f] *le mareſchal de Montmorency.*

NOT. [1] Hac in linea vox *initio* perperam repeti videtur.

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. in ſenatum venit, et in juſtitiae lectiſternio ſedens, omnibus curiae claſſibus vocatis, de injuriis graviſſimis, quas à Gaſpare Colinio et ſceleratis hominibus religionis nomen falſo praetexentibus a puero accepiſſet, conqueſtus, ſe tamen eas publicae tranquillitati conditis pacis edictis condonaſſe aiebat: Colinium vero, ne quid ad ſuum ſcelus reliqui faceret, etiam conjurationem de ſe, matre, fratribus, et Navarro ipſo, quamvis eandem religionem profeſſo, delendis iniiſſe, ut Condaeum adoleſcentem regem crearet, quem et ipſum poſtea interficere decreviſſet, quo ſe ipſum regia familia extincta uſurpato regno regem conſtitueret: eam peſtem, licet invitum, tamen cum aliter non poſſet, contraria peſte extinxiſſe; et ut in extremis periculis extrema remedia adhibuiſſe, ut impuram illam contagionem ex regni viſceribus extirparet: omnes igitur intelligerent, quicquid illa die ſupplicio de ſimilibus ſumpto actum eſſet, ſuo id imperio et mandatu actum eſſe. Quibus dictis Chriſtophorus Thuanus primarius praeſes tempori accommodata oratione regis prudentiam laudavit, qui diſſimulatis tot injuriis conjurationi nefariae, et periculo ab ea impendenti mature praevertiſſet, et ea oppreſſa nuper pacem in regno conſtituiſſet, Ludovici XI repoſito dicterio, Qui neſcit diſſimulare neſcit regnare. Tum curiae mandatum, ut de illa Colinii conſciorumque conjuratione quaeſtionem inceſſanter haberet, et juxta juris ac legum formulam pro rei gravitate decerneret. Poſtremo Vidus [a] Faber Pibracius fiſci patronus ſurgens a rege petit, velitne ac jubeat, hanc declarationem in publica curiae acta ad conſervandam rei memoriam referri, factum Ordinem et judiciarium, de cujus depravatione nuper conqueſtus ſit, emendari, ac poſtremo edici, ut caedibus et rapinis finis ſuo mandatu imponatur. Ad haec rex, primum ſe caput jubere, reſpondet; de altero ſe curaturum; ad tertium, publico praeconio per omnia urbis compita edici mandat, ut a caedibus ac rapinis in poſterum abſtineatur. Ea regis declaratio multos attonitos habuit, ipſumque Thuanum inprimis virum miti ingenio et a ſanguine omnino alienum, exemplum ſcilicet et periculum ex ea impendens veritum, qui et qua erat animi libertate in arcano regem increpuit, quod, ſi quidem vera eſſet conjuratio a Colinio et ſuis inita, non jure potius cum iis uti maluiſſet. Certe ipſe tota vita Sanbartholomaeam diem deteſtatus eſt, illos Statii Papinii verſus in diſpari re ad eam accommodans,

> [1] *Excidat illa dies aevo, ne poſtera credant*
> *Saecula: nos certe taceamus, et obruta multa*
> *Nocte tegi propriae patiamur crimina gentis:*

ut potius aptato ad tempus et locum reſponſo, quam ex animo [α] factum laudaſſe videatur. Quaeſtionis de conjuratis habendae conſilium regi dediſſe putatur Joannes [b] Morvillerius olim epiſcopus Aurelianenſis, et qui epiſcopatum ejeraverat, ut ſe totum aulae manciparet, homo cauto, ſed moderato et aequitatis pleno ingenio, et qui nunquam conſilii ſanguinarii auctor extitiſſet: ſed cum factum infectum reddere non poſſet, et intereſſe exiſtimationis [β] regiae ac publicae tranquillitatis arbitraretur, ut ejus invidia, ſi non omnino aboleri poſſet, ſaltem aliqua ratione mitigaretur, regi ac reginae perſuaſit, ut rebus jam conſummatis, quamvis praepoſtero ordine auctoritatem juris adhiberet, et de conjuratione probationibus confectis judicium contra conſcios ritu a legibus praeſcripto inſtitueretur. Quod et Thuano ipſi ea de re a Morvillerio regis juſſu conſulto placuerat. Biduo poſt Jubilaeum indicitur, et ſupplicationes frequentiſſimo populo a rege et numeroſa aula habentur, ad gratias Deo agendas pro tam feliciter et ex voto re adminiſtrata: eodemque

VAR. LECT. [α] regis factum *D.* f. o. [β] regis *D.* f. o. d.
INTERPR. [a] *du Faur, ſieur de Pibrac, avocat du roy.* [b] *de Morvilliers, evêque d'Orleans.*
NOT. [1] Sylv. v. 88.

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

eodemque die edictum promulgatur, quo rex teſtabatur, quidquid hac in re acci-diſſet, ſuo diſerto mandatu geſtum eſſe, non religionis odio, aut ut ſuis de pacificatione edictis derogetur, quae ille etiamnum rata eſſe et ſancte obſervari velit; ſed ut nefariae Colinii et ſociorum conjurationi obviam iret: itaque velle ac jubere, ut omnes Proteſtantes domi pacate ac ſecure ſub ipſius tutela ac patrocinio degant; ac mandare, ut praefecti diligenter caveant, ne qua illis in vita, bonis ac fortunis vis aut injuria fiat; addita ſanctione, ut qui ſecus ſecerit, capitis poenam ſibi dictam intelligat. His clauſula poſtremo ſubjecta eſt, quam Proteſtantes ſuperioribus ex adverſo pugnare interpretati ſunt, ut, quoniam propter illorum conciones et publicos conventus magni motus ac graves offenſiones excitentur, a coetibus ſive publicis ſive privatis, cujuſcunque cauſae ſpecie aut praetextu habeantur, in poſterum abſtineant, donec aliter a rege decretum fuerit, adjecta in non parenteis capitis et fortunarum amiſſione.

XII. EDICTA et mandata diverſa pro praefectorum ingenio ac diverſis regni factionibus aliter atque aliter per provincias accepta ſunt. Nam Momorantianorum partibus addicti fere iis moderate uſi ſunt; aliorum, ad quos ſecreta mandata, non ſcripto, ſed per emiſſarios data ſunt, ſumma intemperies fuit, Pariſienſem lanienam in exemplum trahentium. Principium in [a] Meldis ut proximioribus factum, ubi eodem die, quo Lutetiae res geſta eſt, CC amplius in carceres conjecti fuere a [b] Coſſeto fiſci procuratore, homine profligati pudoris, cui praecipue operam navaverunt Dionyſius [c] Rollandus apparitor et Columbus navicularius. Inde poſtridie ad forum, quod extra urbem eſt, fit impetus, et dilapſis viris in foeminas ſaevitur, quarum ad XXV occiſae; quaedam etiam a violentis ſicariis violatae. Poſtridie poſt aedeis ſuſpectorum paſſim direptas ad vinctos devenitur, qui a Coſſeto ipſo ſingillatim citati tanquam boves in macello a laniis mactabantur, et in arcis foſſam praecipitabantur: pars tamen major feſſis jam ſicariis in [d] Matronam ſubjectum flumen merſi ſunt. Inde vicinos monet Coſſetus, ut recte incepta peragant. Quo minus tamen [e] Silvanecti quicquam a ſeditioſis moveretur, praeſentia Fr. Momorantii [f] Inſulae Franciae praeſidis, qui [g] Cantiliae haud hinc longe erat, prohibitum eſt. Summa dein [h] Aureliani intemperies fuit, quod ſemel atque iterum a Proteſtantibus occupatum foedis everſorum templorum ruinis in oculos incurrentibus animos plebis ad ultionem recentibus adhuc odiis incendebat. Itaque principium poſtridie a [i] Campello Bouillo conſiliario regio fit, quem [k] Curtius Textor ſeditioſorum dux cum aliquot e ſuis, ignarum rerum quae Lutetiae acciderant, cum ſub veſperam inviſiſſet, ille ad coenam amicos veniſſe ratus convivium parat: quo ſicarii ſumpto rem Lutetiae geſtam renunciant, ſimulque bulgam poſcunt; qua tradita, velut inter ſacra menſae hoſpitem obtruncant. Inde quaſi ſigno dato ad caedeis et rapinas toto triduo concurſatum eſt. CIƆ amplius viri, foeminae, pueri, ut putatur, occiſi; pars in [l] Ligerim abjecti: qui per pomoeria urbis occiſi ſunt in foſſam praecipitati. Magna praeda toto illo tempore abacta; et locuples inprimis illa Petri [m] Montaurei viri doctiſſimi ante [α] biennium [n] Sancerrae ex animi moerore extincti bibliotheca omnium librorum copia inſtructa, praecipue mathematicis Graecis majorem partem manuſcriptis, et ipſius Montaurei ſtudio emendatis et illuſtratis, inſtrumentis item ad eas ſcientias raro artificio elaboratis, barbara immanitate direpta eſt. [o] Gergolii et quidam occiſi, exemplo

VAR. LECT. [α] quadriennium *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Meaux.* [b] *Coſſet, procureur du roy.* [c] *Rolland ſergent, &* *Pigeon batelier.* [d] *la Marne.* [e] *Senlis.* [f] *gouverneur de l'Iſle de France.* [g] *Chantilly.* [h] *Orleans.* [i] *de Champeaux, ſieur de Bouilly.* [k] *Teſſier, ſurnommé la Court.* [l] *la Loire.* [m] *de Mondoré.* [n] *Sancerre.* [o] *Gergeau.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

exemplo Aurelianenſium per urbes vicinas, oppida ac pagos graſſante. [a] Andegavi idem factitatum, initio a Jo. [b] Maſſonio Riverio paſtore facto, qui, percuſſore ab uxore ipſius nil tale ſuſpicante admiſſo, cum in horto deambularet, crudeliter enectus eſt; alii praeterea. [c] Barbeus Condaei turmae equitum ſignifer periculum fuga evaſit; nec non Renatus [d] Roboreus Breſſaldus, ſacerdotibus infeſtus, quorum multos indigne mutilaverat; poſtea capitali ſupplicio affectus. [e] Auguſtobonae Tricaſſium oppidani, de quibus Colinius paulo ante apud regem queſtus erat, ubi de tumultu Pariſienſi acceperunt, cuſtodes portis urbis apponunt, ne quis elaberetur; et cum III Kal. Sept. ſuſpectos omneis in carcerem conjeciſſent, quinto poſt die Annae [f] Valdraei Simphalii Tricaſſium praefecti juſſu ad unum omnes, Petro Bellino inſtigante, qui cum occultis mandatis, ut credebatur, Lutetia nuper venerat, ſinguli producti et à ſicariis mactati ſunt, atque in foſſam in carcere ipſo excavatam reconditi: moxque diploma regium, quo, ut a caedibus ac rapinis abſtineretur, mandabatur, a Simphalio, qui illud ante caedem patratam accepiſſe dicebatur, publice promulgatum eſt. [g] Avarici Biturigum, cum ad rei adhuc incertae famam portae urbis clauſae fuiſſent, diverſitate literarum, quae regis nomine miſſae ſunt, aliquanto tempore oppidani vim abſtinuere, ſuſpectos in carcerem conjicere contenti, donec exemplo Aurelianenſium incitati in vinctos eodem furore bacchati ſunt. Franciſcus [h] Hotomanus et Hugo [i] Donellus, qui jus civile in illa civitate profitebantur, diſcipulorum ſuorum ac praecipue Germanorum ope praeſenti periculo erepti ſunt. [k] Charitaeum ad Ligerim oppidum infra [l] Nivernium biduo poſt motum Pariſienſem turma equitum Ludovici Gonzagae, praetextu in armis ſe oſtendendi et ſtipendii accipiendi, occupaverat, et literis Lutetia acceptis plebe concitata ad XVIII in oppido occiderat, Petro [m] Meletino et Joanne [n] Lerio Americana navigatione noto praeter ſpem e ſicariorum manibus elapſis, quibus Sancerrae perfugium fuerunt. Maxima longe omnium [o] Lugduni laniena edita eſt. Nam in ea urbe, ut populoſiſſima, confeſtim portis clauſis, complures capti et in vincula conjecti juſſu Franciſci [p] Mandeloti praefecti, ſpecie, ſicuti aiebat, ut cuſtodia regia eos a populi rabie tueretur: multi tamen, dum a ſeditioſis quaſi in carcerem ducuntur, in vicorum obſcurorum compitis interfecti, et ſtatim in [q] Ararim et Rhodanum praecipitati, [r] Boidono quodam omni ſcelerum genere cooperto praecipuo duce et incentore, qui poſtea dignum vitae exitum ſortitus eſt, [s] Claromontii in Arvernis capitali judicio affectus. Triduum in diripiendis aedibus aut veſtigandis ſuſpectis inſumptum eſt; quo exacto, Veneris die IV Kal. Sept. [t] Duperacus Lugdunenſis civis, ſed nuper conchyliatorum equitum torque donatus, jam a multis annis, poſtquam indignis communicari coepit, vileſcente hujus Ordinis decore, a regina venit, cum mandatis fiduciariis, adjunctis etiam Claudii [u] Rubii et aliorum urbis [w] aedilium, qui Lutetiae et in aula res Lugdunenſium procurabant, hominum ejuſdem farinae literis; quibus quid Lutetiae actum eſſet, nunciabatur, addito, velle ac jubere regem, ut Lugdunenſes Pariſienſium exemplum ſequerentur. Mandelotus homo prudens, quamvis Guiſianae factioni addictus crederetur, tamen ad rei atrocitatem cohorruit, et ab inſtanti ſeditioſorum multitudine aliquot dierum induciis impetratis, dum deliberaret, et literae a rege, quas ſe in horas exſpectare aiebat, afferrentur, interim publico praeconio edicit, ut Proteſtantes omnes ad praetoris aedeis ſe ſiſtant, ab illo de regis voluntate cognituri. Miſeri e latebris continuo egreſſi, quaſi in

tutela

INTERPR. [a] *Angers.* [b] *Maſſon la Riviere.* [c] *la Barbée guidon.* [d] *du Rouvray Breſſaud.* [e] *Troyes.* [f] *de Vaudray, ſieur de S. Phal, bailly de Troyes.* [g] *Bourges.* [h] *Hotman.* [i] *Doneau.* [k] *la Charité ſur Loire.* [l] *Nevers.* [m] *Meletin,* (al. *Minote Italien dans les Memoires de Charles* IX.) [n] *Lery.* [o] *Lyon.* [p] *de Mandelot.* [q] *la Saone, & le Rhône.* [r] *Boydon.* [s] *Clermont en Auvergne.* [t] *Dupeyrat.* [u] *du Rubis.* [w] *Eſchevins.*

tutela regis futuri, ad eum adeunt, ac juſſu ejus in varios carceres diſtribuuntur: CIↄIↄLXXII.
nam [a] Rodamnenſes regii tantae multitudinis minime capaces erant. Inter haec CAROLUS IX.
Petrus [b] Antiſſiodorenſis fiſci in urbe procurator, homo ingenita pravitate et libinidibus probroſis infamis, per veredarios equos venit, et ſine ullis lireris, quaſi in dignitate hominis ſatis ponderis ac fidei eſſet, Mandeloto hanc eſſe regis ac reginae voluntatem confirmavit, ut Proteſtantes, qui comprehenſi eſſent et comprehendi poſſent, ad unum omnes quamprimum nec exſpectato alio mandatu delerentur. Igitur Mandelotus circumfuſa multitudine, cui idem ſecretum Antiſſiodorenſis communicaverat, inſtante, victus dat manus, et ad horrendae ſententiae nuncium converſus, Idem tibi, Inqnit, Petre, quod Petro olim Chriſtus, edico; quidquid ligaveris, quicquid ſolveris, ligatum ſolutumque eſto: confeſtimque omnes ad caedeis et rapinas diſcurrunt. Boidono [c] Morniellus et Clavius ſe adjunxerunt, homines nefarii et ad omne facinus prompti. Cum carnificis opera in ea re patranda uti vellent, ille recuſavit, et legitimi magiſtratus ſententiae ſe parere paratum oſtendit; ceterum promiſcuis caedibus fatigari aut immiſcere ſe nolle. Cum idem praeſidiariis arcis mandaretur, illi pariter ultra modum commoti, non carnifices ſe eſſe, nec militari decori tam probroſum factum convenire indignabunde reſponderunt; nullam a miſeris hominibus ſibi illatam injuriam: itaque e macello et ſaece plebis profligati pudoris homines ad eam rem conducuntur. Tandem cunctis factum deteſtantibus ad urbanam cohortem, quae ccc oppidanis conſtat, devenitur, qui, quod carnifices, quod homines externi conſtanter recuſaverant, in civeis ſuos alacriter ſuſcipiunt. Delecti igitur perditiſſimi quique ex ea cohorte, ducibus illis, ad Franciſcanorum aedem primo ruunt, (id die Dominica, quae ſecuta eſt, actum) ubi pars Proteſtantium aſſervabatur, et inde ad Coeleſtinorum; magnaque caede edita, dum ad Rhodani ſuburbium ad tumultum a plebe excitatum Franciſcus Mandelotus cum [d] Sallucio Manta arcis praefecto accurreret, in archiepiſcopi aedeis, ubi ad ccc ex praecipuis urbis Proteſtantibus juſſu praefecti attinebantur, impetum faciunt, et, crumenas prius ſagaciter ſerutati, ſapplices ac Dei hominumque fidem imploranteis crudeliter caedunt; miſerabili utique ſpectaculo, cum filii patrum collo implicati, patres filios complexi, fratres, amici ſe ad conſtantiam invicem hortantes ab efferatis laniis, bajulis, naviculariis [a] ceu pecudes mactarentur, inter ululatus, lamenta, clamores horrendos, qui tota urbe perſonabant. Quod, tanquam ſe invito et ignaro fieret, Mandelotus ſubito [e] Guilloteria rediens, ſed re jam confecta, moleſte in ſpeciem tulit, et ad locum lanienae venit, ut de re jure anqnireret, adhibito regio magiſtratu; confectiſque per notarium publicum probationibus, per praeconem edici ridicula diſſimulatione imperat, ut, qui auctores tanti facinoris norint, eorum nomina edant, c aureorum praemio delatoribus et indicibus propoſito. Sub veſperam iidem lanii ad Rodamnenſem publicum carcerem veniunt, et novo crudelitatis genere in vinctos ſaeviunt, laqueiſque in colla inſertis miſeros cruciant, et ſeminecеs ad flumen proximum raptant. Nox ſequens rapinis ac caedibus traducta. Supellex aedibus, merces officinis exportatae, latitantes e latebris per indicia eruti, frequentes in fluvium abjecti. Trucidatorum cadavera in archiepiſcopalium aedium area jacentia, horrore ſpectaculi offenſus, Mandelotus navibus imponi juſſerat, ut ad citeriorem ripam tranſportara in [f] Athenacenſis coenobii coemeterio, ubi olim ara Lugdunenſis fuit, ſepelirentur. Miſſi veſpillones,

VAR. LECT. [a] tanquam totidem pecudes *D. f.*

INTERPR. [a] *priſons du roy, appellées Roane.* [b] *d'Auxerre, avocat du roy.* [c] *Mornieu, & le Clou.* [d] *Saluce, ſieur de la Mante, gouverneur de la citadelle de Lyon.* [e] *fauxbourg de la Guillatiere.* [f] *Abbaie d'Aiſnay.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

veſpillones, qui eam rem curarent. Verum cum monachi ſe id minime paſſuros demonſtrarent, cadavera illa ſepultura indigna dictitantes, dato ſigno fit concurſus, et a plebe efferata in fluvium praecipitantur, opimioribus cadaveribus ad adipem conficiendam pharmacopolis id depoſcentibus conceſſis. Id ita ab iis, qui haec recentibus odiis ſcripſerunt, proditum. Nec hic ſtetit occidendi licentia. Nam aliquanto tempore poſt [a] Darutii fratres magni nominis mercatores, [b] Labeſſaeus, [c] Galterus et Flocardus honeſti cives e carcere educti ac ſicis jugulati in [d] Rhodanum projiciuntur. Eandem fortunam expertus eſt Claudius [e] Gaudimelus excellens noſtra aetate muſicus, qui pſalmos Davidicos vernaculis verſibus a Clemente [f] Maroto et Theodoro Beza expreſſos ad varios et jucundiſſimos modulationum numeros aptavit, quibus et hodie publice in concionibus Proteſtantium ac privatim decantantur. Inter tot caedeis elapſi praeſidiariorum ope et [g] Mantae praefecti benignitate plerique, et inter eos Jo. [h] Ricaldus et Antonius Callia urbis paſtores, cum Joannes [i] Anglus primarius paſtor primo tumultu interfectus fuiſſet. Ad IƆ CCC omnis generis et ſexus immaniter occiſi perhibentur. Interfectorum cadavera per Rhodanum ſupernatantia tanto concurſu ad [k] Turnonium coacervata ſunt, ut ripas complerent, et oppidani caſu inopinato territi, tanquam hoſtis adeſſet, ad arma conclamarent: mox horrore perculſi, et ſceleris auctores deteſtati, quamvis a Proteſtantium religione alieni eſſent, homines adhibuerunt, qui ad amovendum ſpectaculum rapido fluctu delata corpora contis a ripa averterent. Tam horrendum ſpectaculum et homines averſati ſunt [l] Viennae, Valentiae, Burgi, Vivatii, ad Spiritus fanum; etiam [m] Avenione Cavarum, ubi majus Proteſtantium odium. [n] Arelate vero, ubi puteorum et fontium penuria aquam e fluvio vicino hauſtam potant, ultra facinoris deteſtationem graviſſimo incommodo oppidani conflictati ſunt, cum eſu piſcium et [α] aqua, quae ipſis e ſolo Rhodano ſuppetunt, uti nollent, et a conſpectu fluminis ipſius abhorrerent. Certe in Delfinatu et Provincia praeſidum prudentia et humanitate res longe aliter adminiſtratae ſunt. Nam Claudius [o] Sabaudus Tendae comes arctiſſima affinitate cum Momorantianis conjunctus, cum ei a Joſepho Bonifacio [p] Mola, qui biennio poſt infelicem exitum Lutetiae ſortitus eſt, allatae eſſent [β] regiae ea de re literae, ille ingenue reſpondit, non ſe exiſtimare id regem velle, ſed quoſdam erga publicam tranquillitatem male affectos illius nomen ementiri, quando ante paucos dies longe diverſa ab his mandata acceperit; malle ergo ſe prioribus ut regis fide et clementia magis dignis parere: verum is paulo poſt, cum Avenione eſſet, ex ſubito morbo deceſſit, magno provincialibus relicto ſui deſiderio, non citra ſuſpicionem veneni a ſeditioſorum emiſſariis [γ] propinati. In Delfinatu Bertrandus [q] Simienus Gordius in Momorantiana familia educatus, cum idem mandatum accepiſſet, [r] Monbrunii ac ceterorum Proteſtantium in [ſ] Allobrogibus potentiam et a deſperatione periculum cauſatus ſe excuſavit. Nonnulli tamen [t] Valentiae Segalaunorum interfecti: [u] Romanii item, ſed ſerius, ad x Kal. Oct. ubi ex ingenti numero, qui in carcerem conjecti fuerunt, cum complures intentato metu mortis ad majorum ſacra rediiſſent, ſeptem omnino pugionum ictibus a furente plebe confoſſi ſunt. [w] Santeranus quoque Arvernorum praeſes et ipſe Momorantianis addictus eadem moderatione

VAR. LECT. [α] aqua ipſa *D. f.* [β] a rege *D. f.* [γ] propinati. Ei in praefectura ſuffectus eſt is, de quo ſaepius dixi, Albertus Gondius Radeſiarum comes, non ſine magna procerum indignatione. In Delfinatu *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Daruts freres.* [b] *de la Beſſe.* [c] *Gaultier, & Flocard.* [d] *le Rhône.* [e] *Goudimel.* [f] *Marot.* [g] *le ſieur de la Mante.* [h] *Ricaud, & Caille.* [i] *l'Anglois.* [k] *Tournon.* [l] *Vienne, Valence, Bourg, Viviers, Pont-S. Eſprit.* [m] *Avignon.* [n] *Arles.* [o] *de Savoye, comte de Tende.* [p] *de la Molé.* [q] *de Simiane, ſieur de Gordes.* [r] *de Montbrun.* [ſ] *Dauphiné.* [t] *Valence.* [u] *Romans.* [w] *de S. Heran, gouverneur d'Auvergne.*

moderatione uſus eſt, idemque fere emiſſariis ex aula advolantibus, quod Tendius, CIↃIↃLXXII.
reſpondit, hoc addito, nunquam ſe talibus mandatis pariturum, niſi ipſe rex praeſens CAROLUS IX.
juberet. [a] Toloſae major intemperies fuit. Nam cum de re Lutetiae geſta allatum eſſet, pridie Kal. Sept. die Dominica, qua Proteſtantes [b] Caſtanetum ad conciones urbe iverant, continuo portae clauſae ſunt, cautumque ſedulo, ne quis exiret, libertate in urbem redeuntibus conceſſa. Multi tamen ex iis, qui exierant, re cognita, in urbem redire noluerunt, et inde [c] Podium Laurentii, Montalbanum, Regium-montem, atque alii alio migraverunt. Biduo poſt publico praeconio edicitur ſenatus auctoritate, ne cui ex Proteſtantibus vis aut moleſtia fiat. Poſtridie diſpoſitis per portas urbis et compita ſtationibus, ſuſpecti, pars per coenobia diſtribuuntur, ceteri publicis carceribus includuntur. Aliquot poſt dies ſub [d] Delpechii et Madronii opulentorum inſtitorum, ſed Proteſtantibus ſumme infeſtorum, ex aula adventum, in carcerem palatinum omnes conjecti ſunt; ubi mox noctu immiſſis ſicariis, ex eorum praecipue numero, qui juris civilis ſcientiae operam dantibus immiſti gladiatoriam in ea urbe faciunt, inter quos excellebat [e] Turrius, et aliis perditae vitae hominibus, ad CC crudeliter trucidati ſunt; et in iis aliquot ſenatores, atque inprimis Joannes [f] Coraſius, qui poſtea immanitate geminata ad ulmum in area palatii ſenatorio cultu ſuſpenſi ſunt. Corpora deinde caeſorum in foſſa in aedibus archiepiſcopalibus excavata terrae mandata. Eodem tempore, ſed majori cum caede, res [g] Rotomagi geſta, cum [h] Tanaquillus Venator Carrugius praeſes e primaria provinciae nobilitate vir miti ingenio moras, quantas potuit, adhibuiſſet; ſed poſtremo pervincente ſeditioſorum violentia, et eorum praecipue, qui ſuperiori anno delegatorum ex ſenatu Pariſienſi judicum decreto proſcripti fuerant, qui ſe ita acceptam injuriam ultum ire, et decreti illius memoriam inducere ſperabant, complures carceribus mancipati, et poſtea XV Kal. Oct. ſinguli ad nomenclatoris vocem citati et producti, crudeliter ab emiſſariis illis, duce [i] Maronimo facinoroſo homine, interfecti. Inde per aedeis privatas factus impetus, ubi illo die ac ſequenti in viros et foeminas promiſcue ſaevitum eſt. Ad IↃ homines omnis ſexus et aetatis enecti, quorum ſpoliatorum corpora foſſis ad portam [k] Caletenſem excavatis condita ſunt, veſtimentis, ut erant ſanguine cruenta, pauperibus diſtributis, et affectata etiam ex homicidiis apud plebem hoc facto gratia. Id in ſpeciem indigne tulit ſenatus, quaeſtione in facti auctores inſtituta, quae tamen diſſimulatione ſenſim evanuit, dilapſis ex urbe ad tempus ſicariis ac percuſſoribus. Per alias etiam urbeis, et ab urbibus per oppida et pagos exemplum graſſatum eſt: proditumque a multis, plus XXX hominum CIↃ toto regno in his tumultibus varia peſte extincta; quamvis aliquanto minorem numerum credo.

XIII. NEC interim Lutetiae et in aula ceſſabatur: ubi ante omnia excuſſa [l] Colinii ſcrinia reginae mandatu et Joannis [m] Morvillerii diligentia, ſi quid in iis reperiri poſſet, quod evulgatum atrocis facti invidiam in regno et apud externos principes lenire poſſet. Inter commentarios, quos ille ſtudioſe dietim conſcribebat, juſſu reginae poſtea abolitos, caput repertum eſt, quo regem monebat, ut in aſſignanda fratribus portione hereditaria, quod appennagium vulgo vocant, et conciliandа illis auctoritate moderatus eſſet. Quo lecto et recitato coram [n] [a] Alençonio, quem deſiderio Colinii teneri ſenſerat, Hic eſt ille tibi ex animo

VAR. LECT. [a] Alençonio filio, quem deſiderio Colinii, a quo ille ſe diligi ſciebat, teneri ſenſerat *D. f.*

INTERPR. [a] *Toulouſe.* [b] *Caſtanet.* [c] *Puy-Laurens, Montauban, & Realmont.* [d] *Delpeche & Madron, riches marchands.* [e] *la Tour.* [f] *de Coras.* [g] *Rouen.* [h] *Tanneguy le Veneur, ſieur de Carouges, lieutenant general en Normandie.* [i] *Maromme.* [k] *porte Cauchoiſe.* [l] *l'amiral de Coligny.* [m] *de Morvilliers.* [n] *le duc d'Alençon.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

animo amicus dilectus, [α] regina parens inſit, qui haec monita regi dabat. Ad quae verba Alençonius, Quantum me diligeret, reſpondit, neſcio: hoc ſcio, conſilium illud non niſi ab homine regi fido et rerum ipſius ſtudioſiſſimo proficiſci potuiſſe. Rurſus et inter ejus ſchedas repertum eſt breviculum, quo inter rationes, quibus neceſſitatem belli in [a] Belgio contra Hiſpanos gerendi impoſitam dicebat, hoc additum erat, in oratione quam ad regem miſerat, omiſſum, ne emanaret, ſed regi in occulto inculcandum; quod ſi conditionem a Belgis oblatam rex non acciperet, [β] fore, ut eam ad Anglos vicinos tranſcriberet, qui nunc regi hoc rerum ſtatu amici, ſi pedem ſemel in Belgio ac vicinis regno provinciis ponerent, antiquos animos eſſent reſumpturi, et, commoditate illa invitati, ex amicis infeſtiſſimi hoſtes regi ac regno redderentur. Quod et pariter cum [b] Walſinghamo Eliſabethae oratori communicatum eſſet, et [1] regina illum moneret, ex eo aeſtimaret, quam bene Colinius erga [2] reginam heram ſuam, quae illum tantopere dilexerat, affectus eſſet, ille eodem fere reſponſo uſus; Neſcire ſe, dixit, quomodò erga reginam heram ſuam affectus eſſet, hoc ſe ſcire, conſilium illud ſapere hominem regi fidum et Gallici nominis ſtudioſiſſimum; in cujus morte rex et Gallia maximam jacturam feciſſent. Ita eodem fere reſponſo uterque muliebrem aſtutiam non citra pudorem eluſit. Extremo demum menſe, quo caedes Colinii patrata eſt, rex veritus, ne Proteſtantes ex deſperatione per alias provincias extrema conſilia caperent, ad praefectos dat literas cum ampliſſimis mandatis, et ad Helionorum [c] Chabotium Carnii comitem inprimis Burgundiae praeſidem; quibus jubebat, urbes et oppida praefecturae ſuae circumiret, et Proteſtanteis amice conveniret, eoſque de tumultu Pariſienſi et ejus veris cauſis condoceret: nihil in ea re actum odio religionis, aut in praejudicium gratiae ultimo edicto ipſis factae, ſed ut conjurationi a Colinio ac ſociis contra regem, reginam, regis fratres, Navarrum ac ceteros principes et proceres initae praeverteretur: velle regem, ut edicta ſua ſerventur, et Proteſtantes ubique acceptis a praeſidibus ſecuritatis literis ſub tutela regia pacate vivere ac tuto poſſint, capitis poena in omneis ſancita, qui eis injurioſi aut moleſti ulla in re fuerint: viciſſim moneret Proteſtanteis, ut ſe domi quieti contineant; et quoniam in concionibus ac locis publicis conſilia Catholicis ſuſpecta, quaeque illos ad res novas concitare poſſent, inter Proteſtanteis haberi conſueverint, ab his abſtineant, et a regis clementia ac benignitate eandem, qua ceteros complectitur, gratiam ac ſecuritatem exſpectent: ſi vero his monitis, mandatis ac regis promiſſis per veſaniam neglectis publice convenire, turbas ciere, et arma defenſionis ſuae colore ſumere praeſumant, in eos jure gladii tanquam perduelleis utatur. In eandem ſententiam ad Melchiorem [d] Monpeſatum Pictonum, [e] Priam Turonum et alios aliarum provinciarum praeſides miſſae literae. Chabotius vero ſumma prudentia ac moderatione in praefectura ſua verſatus eſt, cum diceret, Proteſtanteis, ſeveritate et poenarum ſaevitia hactenus exaſperatos, melius humanitate et clementia ad officium adduci poſſe: reſque fere citra ſanguinem in Burgundia tranſacta eſt, pleriſque ad majorum ſacra, ejerata Proteſtantium doctrina, metu ſeu ſponte reverſis. Unus [f] Claromontius Travius e primaria nobilitate, cujus Helenam ſororem [g] Antonius Aſtaeus Grammontanus in uxorem duxerat, [h] Divione, cum res ad primum nuncium calerent, per abſentiam Chabotii a furente plebe interfectus eſt. Suſpecti [i] Matiſcone in carcerem a Philiberto [k] Guichio regis juſſu comprehenſi et aſſervati; nec praeterea alio incommodo affecti ſunt.

VAR. LECT. [α] regina parens inſit *deſunt D. ſ.* [β] fore ut *deſunt D. ſ. o.*

INTERPR. [a] *Pays-bas.* [b] *Walſingham.* [c] *de Chabot, comte de Charny, lieutenant general au gouvernement de Bourgogne.* [d] *des Prez, ſieur de Montpezat, ſeneſchal de Poicton.* [e] *le ſieur de Prie, lieutenant general en Touraine.* [f] *de Clermont, ſieur de Traves & de Thoulongeon.* [g] *Antoine d'Aure, dit de Gramont, vicomte d'Aſté.* [h] *Dijon.* [i] *Maſcon.* [k] *de la Guiche.*

NOT. [1] Catharina. [2] Eliſabetham *Put. L.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

VARIA de tumultu Pariſienſi judicia, et elogia. II. *Montalbanum, Nemauſus, aliquot in Cebennis caſtella, Rupella et Sancerrae, Proteſtantibus ubique exagitatis perfugium praebent.* III. *Navarrus et Condaeus fide adacti ad ſacra majorum redeunt: Hugonis Sorelli Roſarii publica profeſſio et recantatio.* IV. *Romae, ubi erat Cardinalis Lotaringus, ingens ex eo laetitia, jubilaeo indicto celebrata. Camilli Capilupi ſuper ea re ſcriptum.* V. *Navarri edictum de inſtauranda per ditiones ſuas majorum religione.* VI. *Poloniae regnum regina parens Andino filio ambit, quod Sigiſmundo Auguſto ſine liberis decedente ad electionem devenerat. Miſſus ad id ante tumultum Pariſienſem Joannes Monlucius Valentiae epiſcopus in Poloniam; qui ubi Coninum venit ad regni limitem, ad archiepiſcopos, epiſcopos, Palatinos, regni proceres literas dat, quibus Pariſienſem caſum ad invidiam contra Gallos ubique exaggeratum multis verbis elevabat. Jac. Cujacius in id ſcriptum evulgat: cui contrario Hugo Donellus ſub Zachariae Furneſteri nomine reſpondit.* VIII. *Pomp. Bellevreus itidem a rege in Helvetios miſſus, ut factum excuſaret; qui P. Carpentarii opera ad id uſus eſt, publicata ſub id epiſtola ad Fr. Portum contra Cauſarios; cui poſtea reſponſum eſt, ut et elegantiſſimae ornatiſſimi viri, hoc eſt Pibracii, ad Staniſlaum Elvidium ſuper eadem re epiſtolae.* IX. *Inde in Colinium mortuum lata ſententia; et cum ejus effigie ad ſupplicium tracti Bricomotius et Cavagnius.* X. *Cum Rupellanis vi et per delegatos actum. Strozzius et Polinius quaſi ad Indias navigaturi jam pridem juxta cum claſſe in ancoris erant. Bironus ad Joannis fanum erat, qui nullam amice cum iis agendi occaſionem intermittebat. Inde orta diffidentia, quae Burdigalenſi diu poſt ſecuto caſu in majus aucta eſt. Edictum, quo de egregia regis erga Proteſtanteis voluntate ac benignitate fides fit, et eorum ſecuritati proſpicitur.* XI. *Rupellanae obſidioni initium factum.* XII. *Lanovius e Belgio rediens regi reconciliatur et Rupellam mittitur. Velitationes primae.* XIII. *In Aquitania reliquiae Proteſtantium in Cadurcis collectae in commune conſultant. Renerius inſperato Dei beneficio, quod amplius ſuperiore libro explicatur, ſervatus, Villemurium ad Tarnim occupat. Loca alia in Rutenis, Laureacenſi agro, in Cadurcis, in Fuxenſi comitatu, et Buxetum haud longe a Toloſa occupata.* XIV. *Sancerrarum obſidionis maxime memorabilis initium per Cl. Caſtreum Biturigum praeſidem factum.* XV. *Nemauſenſes a regiis praeſidibus tentati animoſe reſiſtunt. Puſinum in Vivarienſi pago a Proteſtantibus et Chelarium occupantur; et in Septimania proxima Sommeria, ad quam paulo poſt Damvilla provinciae praeſes caſtra ponit.*

EX AUCTORIBUS,

L. Vicino P. P. Jo. Serrano, Camillo Capilupo, Actis publicatis, Fr. Lanovii comment. Rupellanae et Sancerranae obſidionum diariis, Jo. Lerii commentar. Joanne Choemio de Joannis Monlucii legatione Polonica.

LIBER

LIBER QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

SEDATA utcunque per Galliam tam foeda tempeſtate, et caedium ac direptionum libertate compreſſa, cum prudentiores minime Proteſtantium partibus addicti ad ſe ex triſti praeſentis ſtatus cogitatione ſenſim rediiſſent, et factum execrantes ejus cauſas et excuſationem curioſa veſtigatione quaererent, ſic judicabant; nullum ſimilis ſaevitiae exemplum in tota antiquitate evolutis gentium annalibus reperiri: nam certis hominibus aut uno loco furores hujuſmodi circumſcriptos fuiſſe, ut recentis injuriae ſenſu excuſari potuerint; aut in eos bacchatam tantum rabiem, quos e medio tolli jubentis intererat: ſic enim Mithridatis regis Ponti juſſu, uno nuncio atque una literarum ſignificatione, per totam Aſiam eodem die [α] XL civium Romanorum CIƆ interfecta: ſic Petrum Arragonium VIII CIƆ Gallorum in Sicilia, quam ſe abſente occupaverant, trucidari juſſiſſe: eorum longe ab hoc diverſam eſſe rationem. Nam reges illi in peregrinos et alienigenas ſaeviebant: hic vero in ſuos, et non plus poteſtati, quam fidei ſuae commiſſos civeis. Illi nulla alia quam peregrinis ipſis data fide obligati erant: hic recenti foedere cum regibus principibuſque vicinis ad [β] ſervandum, quam juraverat, pacem adſtrictus erat. Illi nullas ad fallendum artes regio faſtigio indignas adhibuerant: hic pro illecebra data dextra et nuptialibus ſacris abuſus eſt, ſororis [γ] conſanguineae geniali ſtola paene ſanguine reſperſa. Addebant, regias praedicari virtutes has ſolere, juſtitiam, manſuetudinem, clementiam; ſaevitiam ac crudelitatem in aliis omnibus, tum vero praecipue in principibus damnari: laudatum ſaeculis omnibus P. Scipionem dicere ſolitum, malle ſe civem unum ſervare, quam mille hoſteis interficere, eamque vocem Antoninum cognomento Pium crebris ſermonibus uſurpaſſe: reges quidem jus vitae et necis in ſuae ditionis ſubjectos populos habere; ſed cum hoc temperamento, ut non niſi cauſa cognita et quaeſtione conſtituta in eos animadvertere liceat: hunc furorem et mentis caecitatem Gallorum animis a divina mente miſſam propter aſſiduas ſanctiſſimi Numinis execrationes ac contumelias; quibus rex ipſe prave a matre, prave a moderatoribus ipſi a matre datis inſtitutus minime abſtineat, exemplo jam ab aula in urbes, et ab urbibus ad paganos ac ruſticos tanta licentia graſſante, ut tertio quoque verbo Dei caput, mortem, ſanguinem, ventrem deteſtentur: nefandis itidem libidinibus, ſcortationibus et adulteriis irritatam Dei patientiam: denique naturam rerum jam quodammodo cum Deo de tam diuturna patientia et manſuetudine expoſtulare, neque terram Galliam diutius iſta portenta tolerare potuiſſe: nam quae cauſae contra Colinium obtendantur, eas nulla vero ſimili ratione conficta vix pueris perſuaderi, nedum probari poſſe: cui enim probari poſſe, conjurationem illam intra Lutetiae moenia Colinium feciſſe, quem conſtat ante pacem, nam hoc demus, ſontem, certe poſt edictum, ſi quidem in publica fide et regis promiſſis conſtantia eſſe debet, inſontem ad regem veniſſe, a bello civili prorſus abhorrentem, et de Belgico tantum ſolicitum? quod vero poſt vulgus acceptum conjuraſſe dicunt, minus veritati conſentaneum videri.

VAR. LECT. [α] CL *D.* f.
[β] ſervandam *D.* f.
[γ] conſanguineae veluti pudore in id proſtituto, ejuſque geniali ſtola paene ſanguine reſperſa: atqui dextram ab antiquis fidei regiae pignus dictam; quam ſi rex negligeret, nullum cum eo commercium, nullam communionem eſſe, neque ipſum ab exteris regem exiſtimandum: regias praedicari virtutes has ſolere, juſtitiam, manſuetudinem *MS. Sam m.*

videri. Nam qui Colinius duobus tantis vulneribus acceptis aeger, aetate affectus, utroque brachio captus, quorum de altero amputando medici deliberabant, ccc adoleſcentibus comitatus LX CIↃ infeſtiſſimorum ſibi hominum egregie armis inſtructorum quaſi exercitum adoriri potuiſſet? qui tam exiguo tempore de tanto ac tam immani facinore conſilium capere? vix enim ad horas XL poſt vulnus acceptum vitam produxit: quo ſpatio illi erat a medicis omni colloquio interdictum. Tum ſi cujus criminis inſimulabatur, an non [a] Coſſenio ejuſque cuſtodiae commendatus, atque obſeſſis viis undique interclusus in poteſtate regis erat, ut momento temporis, ſi regi ita videretur, in carcerem trudi, et comparatis judiciorum more teſtibus in eum legibus et jure agi poſſet? Praeterea, ſi Colinius cum ambactis et clientibus in regem conjuraverat, cur eodem crimine ceteros innocenteis, tot nobileis, matresfamilias virgineſque, quae illo nuptiarum cauſa convenerant, tot praegnanteis mulieres, tot aetate affecta ſenes, tot in lectis decumbenteis aegrotos, et omnis ſexus ac profeſſionis homines de Colinii ultimis conſiliis ignaros comprehendi oportuit? Cui vero non abſurdum ac plane ridiculum videri, Colinium in Navarrum eandem cum ipſo religionem colentem, et quem quadriennium ante in poteſtate habuerat, tam alieno tempore conjuraſſe? Ita plerique diſputabant, ſicque exiſtimabant, facti hujus ratione nomen Gallicum olim invidia atque adeo infamia laboraturum, tantaeque indignitatis poſteritatem non immemorem futuram. Tunc etiam, ne quid ad ſummam inſaniam deeſſet, aemulatione veterum imperatorum, laus in tam deteſtando facinore quaeſita. Nam cuſi nummi argentei et [a] aurei, regique III Non. Sept. oblati; in quorum antica parte regis in throno ſedentis effigies depicta erat, cum inſcriptione, VIRTUS IN REBELLEIS, in [b] poſtica, duae columnae, quod erat regis inſigne, cum inſcriptione, PIETAS EXCITAVIT JUSTITIAM: in aliorum antica parte regis facies erat cum inſcriptione Gallica, CAROLUS IX REBELLIUM DOMITOR; in poſtica effigies Herculis contra hydram face ardenti et clava depugnantis.

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

II. REBUS ubique Proteſtantium deploratis, [c] Rupella quibuſdam, Montalbanum, Nemauſus, Vivarienſes et Cebennarum caſtella perfugium fuere: plures metu huc illuc domo relicta etiam extra regnum migrarunt, qui in Anglia a regina, in Germania a Friderico Palatino ſeptemviro humaniſſimo principe, a [d] Tigurinis et Bernatibus apud Helvetios benigne ſuſcepti ſunt; ac Genevae in Allobrogibus praecipue, ubi, cum in tanta rerum vaſtitate plerique penuria laborarent, diligentia Theodori Bezae et collegarum pecuniam ad eos uſus undique corrogantium ſublevati ſunt. Duo Colinii filii majores, periculo erepti, comes item [e] Lavallus [f] Andeloti filius et Aloiſia [g] Telinii vidua Genevam petiere, et inde, Baſileae aliquot menſes commorati, tandem Bernam conceſſere, humaniter et honorifice a republica excepti. Plures incommodum exilii veriti, et ab uxoribus domo ac ceteris charitatibus procul abeſſe non ſuſtinentes, violentiae ceſſerunt, et tempori ſervientes ad majorum ſacra redierunt. In eam rem Lutetiae conſcripta confeſſionis formula, juxta quam ſectarium errorem ejerare tenebantur, qui domi manere maluerant.

III. CONSILIIS ita huc uſque ſatis ex voto procedentibus, tria male habebant regem: Navarri et Condaei adhuc perſeverans in doctrina Proteſtantium voluntas; in Polonia, et apud Helvetios, ubi, quid de rege ſentiretur, tunc rerum noſtrarum intererat,

VAR. LECT. [a] aurei, auctore Nicolao Favetio curiae monetalis conſiliario, regique III Non. Sept. ab eodem Favetio oblati; *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Coſſeins.* [b] *au revers.* [c] *la Rochelle, Montauban, Niſmes, le Vivarais, & les Cevennes.* [d] *ceux de Zurich & de Berne.* [e] *de Laval.* [f] *d'Andelot.* [g] *de Teligny.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

interterat, ſiniſtrum de hoc facinore judicium; et Rupella Proteſtantibus, qui collectis animis arma ſumere auderent, firmiſſimum perfugium: quibus malis idoneum ac tempeſtivum remedium adhiberi oportebat, quippe omni mora in his negotiis ſumme periculoſa. Quantum ad Navarrum et Condaeum ſpectabat, parum laniena Pariſienſi actum videbatur, ſi rex, qui eo facto debellatum putabat, ab illorum pervicacia expugnaretur; quorum exemplum, ac pertinacia ad reliquias palantium et metu conſternatorum colligendas animoſque in propoſito confirmandos non parvum momentum allatura eſſet. Itaque rex temperatius cum Navarro, cujus magis flexibile ingenium norat, cum Condaeo ſeverius agendum ratus, ſive ſimulate ſive ira incitante, ut metum Condaeo et per Condaeum Navarro incuteret, v Eld. Sept. arma ſibi afferri et praetorianorum centuriones accerſi jubet; ſeque Proteſtantium reliquias profligare ſtatuiſſe dejerat, initio a Condaeo ſumendo; omnibuſque, ut ſibi praeſto ſint, imperat. Sed interceſſit prudens et ſupra ſexum fortiſſima mulier regis uxor, quae viri impetum, qua valebat apud eum auctoritate, compreſſit, monuitque, ne rem tanti momenti inconſultis conſiliariis aggrederetur: nam hujuſmodi eſſe, ut, ſi praecipitaretur, poſtea poenitentia emendari non poſſet. Rex igitur dilectiſſimae uxoris precibus victus arma deponit, et cuſtodes amandat. Poſtridie Condaeum accerſit, et tria illa proponit, ex quibus unum optaret; miſſam, hoc nomine vulgo receptam religionem Catholicam intelligebat, mortem, aut perpetuum carcerem. Cui Condaeus, Non ſinat Deus, mi rex et domine, ut primum eligam; ex duobus reliquis alterum, quod placuerit, majeſtatis tuae arbitrio ac voluntati relinquo, quam Deus pro providentia ſua regere ac moderari dignetur. Quo reſponſo modeſtiae pleno rex aliquanto placatior, cum in pertinaciae Condaei expugnatione ad famam et rerum ſuarum ſtatum magnum momentum poneret, reique conficiendae rationes veſtigaret, commodum accidit, ut magni nominis inter ſuos concionator Hugo [a] Sorellus Roſarius eccleſiae Aurelianenſis paſtor comprehenſus ſit, qui eodem quo alii metu, nam ſponte id non feciſſe exitus poſtea declaravit, territus, animum ad ſacra majorum redeundi prae ſe ferens, habere quaedam ſe dixit, de quibus regem convenire vellet. Magna de Proteſtantibus victoria parta putabatur, ſi Roſarius eorum partes deſereret. Itaque ſtatim coram rege ſiſtitur, et errorem ſuum deteſtatur; idque, quod nunc faciat, jam ante ſe facere paratum ſatis indicaſſe dicit, cum in dirimendis controverſiis ſemper antiquitatem et patres appellandos cenſeret; alioqui nunquam diſſidiorum finem fore: ceterum cunctationi ſuae tempeſtivam vim et neceſſitatem Deum impoſuiſſe, ut, quod facere conſtituerat, citius faceret: verum ſe operam daturum, ut damnum mora factum diligentia ſua ſarciat, exemploque ſuo facem errantibus praelaturum, ut ad eccleſiae unionem mature revertantur. Eam occaſionem ſibi veluti a Deo oblatam rex arripiens, hominem ad Navarrum, Catharinam ipſius ſororem, Condaeum, Mariam [b] Cliviam ejus uxorem, Franciſcam Aurelianam Condaei ſocrum introducit; qui illum de verae eccleſiae notis, certa ejus ſucceſſione ac legitima miniſtrorum vocatione diſputantem, eaque in ſola eccleſia Catholica Apoſtolica Romana ſimul eſſe affirmantem, multis argumentis et magna, qua pollebat, ornate dicendi facultate confirmantem cum attente [a] coram Sorbonicis doctoribus audiiſſent, omnes praeter Condaeum manus dederunt, metu, qui in Clivia et Aureliana perſeveravit, potius coacti, quam ab illo perſuaſi, ut eventus poſtea in Navarro et ejus ſorore docuit; qui tamen, cum honeſtam tempori ſerviendi et vitae ſuae conſulendi rationem quaererent, exemplum Sorelli pro excuſatione ſumpſerunt.

VAR. LECT. [a] diu ac coram *D. f.*
INTERPR. [a] *Sureau du Roſier, miniſtre d'Orleans.* [b] *de Cleves.*

ſumpſerunt. Condaeus, cui publico illo colloquio nondum plane ſatisfactum fuerat, ſeducto in arcano Sorello, Itane eſt, inquit, ut palam dicis; an prae metu et non ex animi ſententia loqueris? illo affirmante et multis verbis rem amplificante, ſubjecit Condaeus, Si ita eſſet, quemadmodum a puero in tua tuorumque collegarum ſchola edoctus accepi, veritatis defenſionem libenter capite ipſo redimerem; ſin vero erravi et circumventus ſum, errore depoſito veritati exploratae cedendum eſt. Ab ea die Condaeus labare coepit, ſive ſuae infirmitati alienam culpam praetexeret, nam in Baſtilia arce cubiculum paratum intellexerat, ſeu ita rem habere ab illo perſuaſus crederet: tandem poſt Navarrum et alios, errore ejerato et interpoſita pontificis nomine a Carolo Borbonio cardinali patruo auctoritate, a Sectario veneno expiatus ſolemni ſacro interfuit. Sorellus vero ille cum eandem operam Lutetiae multis locis nec ſine effectu navaſſet, inde [a] Diviodurum Mediomatricum cum Joanne [b] Maldonato Luſitano ſummae eruditionis et ingenii viro ex Jeſuitarum ſodalitio miſſus eſt, ut ſuo exemplo ac publicis concionibus eos, qui permulti in ea urbe a pontifice defecerant, in viam reduceret. Poſtremo [c] Monpenſerii rogatu [d] Sedanum quoque profectus eſt, ut Franciſcam filiam Henrici Roberti [e] Marciani Bullionii ducis uxorem a Proteſtantium doctrina revocaret. Qua in re conatus ejus fruſtra fuit; indeque moerore contracto, et crebris literis ab amicis e Germania ſcriptis monitus et increpitus, jam metu liber ſe ingrato illo miniſterio extricat, et Heidelbergam confert; editoque libello, quo priorem illam poenitentiam recantat, culpam in ea re ſuam graviſſimam rurſus deteſtatur; et diſerte a Condaeo veniam petit, quod exitioſo ſuo et impio miniſterio illum in tantum conſcientiae periculum praecipitaſſet. Sorellus a neutris gratia inita, ſed pariter ab utraque parte levitatis inſimulatus, ab eo tempore ſe quietum in Germania continuit. Inde quoque ſumpta occaſione et fiducia, Carolus Lotaringiae dux XVIII Kal. Oct. edictum condit, quo ditionis ſuae ſubjectis populis religionis Proteſtantium uſu, quem licentia invaluiſſe ſuoque injuſſu dicit, omnino interdicit, facultate tamen facta Proteſtantibus res ſuas vendendi et negotia ſua gerendi intra anni ſpatium, et alio libere migrandi. At rex, abductis a Proteſtantium partibus Navarro et Condaeo, quo profeſſionem fidei illorum illuſtri magis teſtimonio obſignaret, utrique perſuaſit, ut ad pontificem literas darent, quibus cardinalis Borbonius patruus ſuas adjungeret. Illi igitur V Non. [β] Sept. ad pontificem dant literas; quibus uterque, ſed diverſis verbis, magno ſuo cum dolore accidiſſe teſtabatur, quod ab ineunte aetate falſa doctrina imbuti a communione eccleſiae avulſi eſſent, culpa non tam parentum quam eorum, qui illos ſeduxerant: quem errorem cum a rege, regina parente, fratribus regis, cardinali Borbonio et Monpenſerio moniti agnoverint, ac deteſtati ſint, profeſſionem fidei ſuae apud pontificium oratorem depoſuiſſe, fiduciaque benignitatis ipſius, qui tanquam Chriſti in terris vicarius et gratiarum coeleſtium per univerſum orbem munis diſpenſator univerſos obvia humanitate complectatur, ad ejus miſericordiam confugiſſe, et petere, ut ab eo in gremium eccleſiae recipiantur, et impedimentum, quod matrimoniis a ſe nuper contractis, quo minus legitima, et ex iis ſuſcepti liberi cenſeantur legitimi, obeſſe poſſit, utrique conſanguinitatis facta gratia removeat. Quas ad literas pontifex Kal. Nov. perbenigne reſpondit, et laudata eorum pietate ac fide probata, miſſis etiam ad utrumque diſpenſationis diplomatis, gratiam, quam ad confirmanda jam contracta matrimonia petebant, fecit.

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

IV. JAM ante nuncio de tumultu Pariſienſi allato, mirum quanta laetitia Romae

exultatum

VAR. LECT. [β] Oct. *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Mets.* [b] *Maldonat Portugais.* [c] *le duc de Monpenſier.* [d] *Sedan.* [e] *de la Marck, duc de Bouillon.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

exultatum fuit. Nam VIII Eid. Sept. lectis in cardinalium ſenatu pontificii legati literis, quibus de re tota tanquam deſtinata regis voluntate ac juſſu confecta pontificem certiorem faciebat, mox decretum fuit, ut inde recta pontifex cum cardinalibus ad beati Marci concederet, et Deo optimo maximo pro tanto beneficio ſedi Romanae orbique Chriſtiano collato gratias ritu ſolemni ageret: item ut die Lunae proxima ſacrum ſolemne in Minervae aede celebretur, eique pontifex et cardinales interſint: inde Jubilaeum toto Chriſtiano orbe publicetur: ejus cauſae expreſſae ſunt, ut agerentur Deo gratiae ob deletos in Gallia veritatis et eccleſiae hoſteis, ob victoriam de Turcis reportatam, et in Belgio rem ab [a] Albano feliciter geſtam; pro regno item Polonico preces conciperentur, ut is eligatur rex, qui Catholicae Romanae religionis tuendae ac propagandae ſerio et ex animo ſtudeat. Sub veſperam in [b] Hadriani mole in publicae laetitiae ſignum diſploſa tormenta, ac paſſim per vias accenſi ignes, nihilque eorum praetermiſſum, quae in cunctis ac maximis quibuſque pro eccleſia Romana victoriis fieri ſolent. Cardinalis [c] Lotaringus ſumma animi impotentia tam optatum afferenti nuncium, is erat nobilis a fratre [d] Aumalio miſſus, CIↃ aureos numerari juſſit, ex eoque ſe incredibile gaudium cepiſſe teſtatus eſt. Ejuſdem inſtigatu biduo poſt ſupplicationes ad beati Ludovici maxima nobilitatis ac plebis frequentia celebrantur. Antecedebant epiſcopi et cardinales; poſt hos Helvetii; dein legati regum et principum ſequebantur; demum pontifex ipſe ſub umbella incedebat, cujus latera claudebant [α] diaconi cardinales, ordine prior Innocentius [e] [β] Montanus, et qui Aloiſii [f] Ateſtini apud nos tunc degentis vice fungebatur. Syrma pontificiae veſtis Caeſareus legatus, qui honos, ut maximus, Caeſari ante alios defertur, geſtabat. Tum levis armaturae equites ultimum agmen ducebant. Hoc ordine incedentes cum ad aedem veniſſent, ſacrum a cardinali Lotaringo peragitur magno paratu, aede ipſa praeter ſolitum ſumma magnificentia exornata, et ad ejus valvas inſcriptione appoſita, qua Lotaringus Caroli IX Chriſtianiſſimi Francorum regis nomine Deo optimo maximo, beatiſſimo patri Gregorio XIII pontifici maximo, ſacro illuſtriſſimorum cardinalium collegio, ſenatui populoque Romano, inter alia, conſiliorum datorum, auxiliorum miſſorum, duodecennalium precum ac votorum plane ſtupendos effectus et omnino incredibileis exitus gratulabatur. Mox et Strategematis titulo publicatur Romae libellus a Camillo [g] Capilupo ſcriptus, quo ſeries facti enarratur, et omnia jam ab initio, cum pax ante biennium cum Proteſtantibus facta eſt, certo regis ac reginae conſilio, aſtu ac ſolertia, quo res ad eum, quem ſortitae ſint, effectum perduceretur, ordinata et compoſita memorantur. Eo commentario inter alia perſcriptum eſt; regem, quo cardinalem Borbonium ad ſponſalia peragenda induceret, rei ignarum et conſcientiae ſcrupulum cauſantem, in quo ſibi a pontifice caveri petebat, reginamque ipſam falleret, quam niſi impetrata a pontifice gratia in nuptias nunquam conſenſuram artificioſe mentiebatur, re cum Colinio communicata, finxiſſe oratoris ſui apud pontificem literas, quibus ille regem de gratia a pontifice conceſſa, et primo quoque die mittenda certiorem faciebat: eo aſtu, quem Colinius ſummopere probabat, regem Borbonio cardinali impoſuiſſe, et Colinio perſuaſiſſe, Proteſtantium cauſae ſe ex animo favere, in quorum gratiam matrem fallere non dubitaſſet: ita ſponſalia contracta fuiſſe ſine pontificis auctoritate; qua re poſtea cognita, Borbonium, quod in

VAR. LECT. [α] longe diſpares et natalibus et moribus diaconi *D. f. o.* [β] Montanus et Aloiſius Ateſtinus regia indole vir. Syrma *D. f. o.* Montanus, infami per eum Julii III memoria renovata, et Aloiſius *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *caſtel S. Angele.* [c] *le cardinal de Lorraine.* [d] *le duc d'Aumale.* [e] *di Monte.* [f] *da Eſte.* [g] *Capilupi.*

in ea re peccaſſet, cenſuramque eccleſiae imprudenter incurriſſet, gratiam ſibi erroris a pontifice fieri expoſtulaſſe et [α] impetraſſe. Addit et eo ſcripto Capilupus, III hominum CIↃ tumultu Pariſienſi trucidata fuiſſe, (quem eundem numerum edit Jo. Baptiſta Hadrianius) et CCCC domos in urbe direptas, ac Petrum Paulum [a] Toſingum cum uno ex filiis morti Colinii interfuiſſe et praedae participaſſe, repertamque in Colinii ſcrinio imaginem nummi ſpecie cuſam cum ſingularibus literis R. L. P. quae conſilii de Lotaringis et pontifice exterminandis ſumpti fidem faciebat. [β] Quod commentum alio ineptiſſimo cumulavit, cum ſcripſit, cardinalem Borbonium, cum rex in ſenatum biduo poſt venit, gratiae ſummae loco a rege petiiſſe et obtinuiſſe, ut epiſcopatus [b] Bellovacenſis, quem per [c] Caſtellionaei cardinalis mortem adeptus fuerat, Paris Franciae dignitate ornaretur. Quod ſummam ejus de rebus noſtris ignorantiam aperte prodit. Nam pueri apud nos ſciunt, epiſcopum Bellovacenſem unum ex VI eccleſiaſticis Franciae Paribus eſſe et ſemper fuiſſe. Nec verius eſt, quod ſcribit, auxiliareis ante Colinii mortem in [d] Belgium duce [e] Villerio Depotio miſſos, ut laboranti [f] in Montibus [g] Naſſovio praeſto eſſent, ab Helionoro [h] Aureliano Longavillae duce Picardiae praeſide caeſos, IↃ CCC ex iis trucidatis et ducibus cunctis in vincula conjectis. Nam accepto de Colinii caede nuncio, copiae illae ſine caede ac certamine huc illuc diſſipatae ſunt. Addit poſtremo, reginae id ſemper fuiſſe jam ante multos annos conſilium, ut de perduellibus data occaſione ultionem ſumeret: id Proſpero [i] Santacrucio cardinali ante quadriennium haud obſcuris verbis indicaſſe, et ut Pio V id confirmaret rogaſſe; idem propria manu ad Pium V poſtea ſemel atque iterum ſcripſiſſe, literaſque ipſas vidiſſe ſe, teſtatur Capilupus: poſtremo, eo pertinere colloquium ab ea ante aliquot annos cum Joanne Corraro reipublicae Venetae apud regem oratore habitum, quo illa ſe in his tumultibus ſolari aiebat exemplo Blancae Alfonſi Caſtellae regis filiae et S. Ludovici parentis, eaſdem calamitates ſub filio puero olim expertae; ſub quo et rebellaverant [k] Albigei, doctrina a Proteſtantibus non multum diſſimiles, quos pugna ingenti profligatos, poſtea pace facta, et quamvis praeteritorum ſancita memoria, ſingulos ultione per occaſionem ſumpta omnino deleverit. His actis, Romae legatus in Galliam decernitur Fabius Urſinus cardinalis, tradita ei ritu ſolemni cruce, quod honorificae adeo legationis inſigne eſt; qui ſtatim ſe in viam dedit. Scribit Joannes Bapt. Hadrianius, conſilium de Colinii caede jam antea Baionae a regina in colloquio cum Albano habito ſumptum eſſe, quod continuorum bellorum ſuperventu retardatum et fruſtra per emiſſarios tentatum in eam occaſionem diſtulerit; ut jam ſupra diximus. Sane ingenioſi ſunt Itali et Hiſpani, qui haec tradunt, dum nobis profundam ſuam calliditatem et praepoſteram prudentiam in hoc facto affingere conantur; quod tamen noſtri aulici, tanquam ex occaſione natum neque ante praemeditatum, tam artificioſe [γ] excuſarunt.

V. Interea

VAR. LECT. [α] impetraſſe. Quod plerique commentum putant a Capilupo inventum, ut pontificem a diplomate inſolito et fallaci conceſſo excuſaret. Nam canoniſtarum conſtans ſententia eſt, papam cum haeretico diſpenſare non poſſe: a qua tamen ſe pontificem ipſum diſpenſaſſe certiſſimum eſt, ne tam opportunam Proteſtantium in caſſes inducendorum ac perdendorum occaſionem elabi ſineret. Nam ab ipſo cardinali Borbonio saepius audivi, ipſum nunquam, niſi accepto a pontifice gratiae diplomate, ei negotio ſe immiſturum fuiſſe; quod tamen poſt patefacta conſilia, et caedem patratam, regis juſſu, pontificio legato redditum ac ſuppreſſum eſt. Addit et eo ſcripto *MS. Samm. Put.* et *Rig.*

[β] quod putidum ejus commentum *MS. Samm.*

[γ] excuſarunt. Mirarique ſubit, rem, quam omnes boni, etiam ii qui a Proteſtantium doctrina abhorrent, ut mali exempli, aeque deteſtati ſunt; a pontifice, quod ad potentiam ſuam vel cruore ſanciendam faceret; et a Philippi Hiſpaniarum regis miniſtris, quod ad res ipſorum in Belgio, tantundem debilitatas Proteſtantium factione, firmandas, opportuna; et cum Gallici nominis infamia conjuncta eſſet; et voce et ſcriptis palam et publice traditam eſſe. Interea Navarrus *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Toſinghi.* [b] *de Beauvais.* [c] *de Chaſtillon.* [d] *Pays-bas.* [e] *Villiers des Pots.* [f] *Mons.* [g] *le comte Ludovic de Naſſau.* [h] *d'Orleans, duc de Longueville.* [i] *de Sainte Croix.* [k] *les Albigeois.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. V. Interea Navarrus, quo majus ſuae profeſſionis documentum daret, XVII Kal. Nov. edictum condit, quo ex conſilio reginae ſocrus, reginae uxoris, cardinalis Borbonii patrui, per univerſas ſuas ditiones, ac praecipue in [a] Benearnenſi principatu, ubi a parente ipſius ante aliquot annos ex comitiorum provinciae decreto majorum religio abolita fuerat, et Proteſtantium doctrina recepta, Proteſtantium religionis inter eos receptae uſus interdicitur, mandaturque, ut priſca religio tamdiu intermiſſa inſtauretur, bona ſacro Ordini adempta reſtituantur, paſtoribus, niſi ad ſacra majorum redeant, faceſſere juſſis. Edictum [b] Antonio Grammontano, cui tumultu illo parcitum diximus, tanquam Benearni et aliarum ditionum praeſidi perferendum et exequendum committitur: cujus tamen conatus fruſtra fuit, Benearnenſibus recuſantibus, et hoc mandatum, non libera voluntate, ſed a captivo principe ſuo profectum, interpretantibus. Regium quoque edictum conditur, quo omnibus Proteſtantium doctrinam profeſſis, etiamſi religioni illi renunciaſſent, publica munera adimuntur, ſive illa ad judiciarium ordinem, ſive ad equeſtrem pertinerent. Eximuntur tamen ab eo numero, qui minora munera adminiſtrabant, dummodo juxta abjurationis praeſcriptae ſolemnem formulam publice errorem ſuum deteſtentur.

VI. Rebus ita domi conſtitutis, reſtabat alterum, quod maxime regem ac reginam angebat, ut apud externos principes factum excuſaretur; quod ſcriptis et legationibus factitatum eſt, omni ſtudio ſatagente regina poſt ſcelus admiſſum, ut ejus invidia elevaretur, nec [c] Andium duci apud Poloniae proceres in petitione illius regni impedimentum afferret. Nam vaſti animi mulier et futuri anxia ejuſque vel per legibus vetitas artes cognoſcendi curioſa, cum ei a mathematicis praedictum eſſet, fore, ut filios omneis reges ante mortem videret, etſi id ex voto interpretabatur, tamen ſingulorum filiorum in regnum Franciae ordine ſuccedentium eventum verita, ut infauſtae ſucceſſionis augurium eluderet, diverſa quotidie regna ſomniabat, et ad omneis novorum imperiorum filiis conciliandorum occaſiones intenta erat. Itaque et diu ante cum Eliſabetha Anglorum regina de nuptiis egerat. De Caeſareae Juliae, vulgo Algeriam vocant, regno in adverſa Barbariae ora poſito cogitatum fuerat: quod illa a negotiatoribus [d] Maſſilienſibus decepta facile capi poſſe ſibi perſuaſerat; quippe Selimi viribus contra foederatos in oriente occupatis, et Aſtis ab imminente eorum cervicibus Hiſpano ſibi metuentibus; quos principis Selimo amici dominationem prae Philippi infeſti jugo optaturos apparebat. Quod ſi ſuccederet, continuo Sardiniam, quam olim pro Navarrae regno compenſationis titulo obtulerat Philippus, et Corſicam, in quibus jus ſibi Galli arrogabant, inſulas toto mediterraneo mari maximas et ad tranſitum in [e] Africam opportunas, ad novi regni amplificationem acceſſuras ſperabat. Itaque Franc. [f] Noallio epiſcopo paulo ante ad Othomanicam portam miſſo negotium datum fuerat, quo res cum bona Selimi gratia conficeretur, ut de ea cum [g] principe purpuratorum ageret. Cum initio de rerum eventu incertus non omnino recuſaret Selimus, ad extremum conſulto Mophthi, quod in hujuſmodi negotiis ſolemne illis eſt, ſe excuſavit: quippe religione attineri, ne templa et majorum ſacra in aliorum quam Muſulmanorum poteſtatem devenire pateretur; ſed alia ſe opimiore conditione regi ejuſque fratri conſulturum: nam claſſem CC triremium ſe propediem ad Provinciae litus miſſurum egregie inſtructam, cujus ope quicquid in Italiae et Hiſpaniae ora urbium ac locorum munitorum capietur, totum id regis, cui claſſis militabit, commodo cedet. Quo accepto reſponſo, Noallius, et literis ipſius Selimi ampliſſimis ad regem ſuper nova foederatione miſſis, conditiones accipiendas, et ſerio potius de Belgio, quod ſub

INTERPR. [a] *Bearn.* [b] *d'Aure, dit de Gramont, vicomte d'Aſter.* [c] *Anjou.* [d] *de Marſeille.* [e] *Barbarie.* [f] *de Noailles, evêque d'Acqs.* [g] *le grand viſir.*

ſub manum erat, quam de Libyae arenis procul poſitis et mobilibus Afrorum ingeniis tractandis cogitandum reginae ſuadebat. Bellum illud quippe exitu fructuoſiſſimum et alieno periculo confici poſſe, hinc Proteſtantibus nuper reconciliatis (haec ante tumultum Pariſienſem ſcripta) in Belgio, hinc Turcis cum claſſe auxiliari Italiae et Hiſpaniae litora eodem tempore infeſtantibus. Haec agitanti reginae et ad regna externa circumſpicienti de Polonia mentionem injecit Jo. [a] Monlucius Valenciae epiſcopus, quo praecipuo in omnibus magni momenti negotiis miniſtro utebatur; et, ut depoſita de tranſmarino et a ſacris Chriſtianis alieno regno cogitatione, ad novas et quaſi a Numine oblatas ſpes animum converteret, facile induxit. De Sigiſmundi Auguſti valetudine deſperata jam anno ſuperiore allatum fuerat; quo ſine liberis decedente, res poſt tot aetates ad comitiorum jura redibat. Rei conficiendae via ut ſterneretur, primo placuerat, ante mortem Sigiſmundi, ut aliquis e nobilitate juvenis in Poloniam mitteretur, qui ſpecie externa regna ac provincias luſtrandi in aula Caeſaris, qui regnum illud Erneſto uni ex filiis ambire dicebatur, quae conſilia agitarentur, cognoſceret; et inde in [b] Sarmatiam uſque tranſiret, ac regem aegrotum, ſi liceret, ſalutaret, proceres erga hoſpites iis in locis perhumanos inviſeret, et aliquam nominis Gallici toto orbe clari, ſed propter diſtantiam locorum apud eos minus cogniti memoriam quaſi ſenſim excitaret; ut, ſi caſus ferret, in eligendo rege etiam Gallorum ratio haberi poſſet. Is delectus eſt, in gratiam Monlucii, Joannes [c] Balagnius ipſius epiſcopi ex contubernio filius, qui tunc [d] Patavii admodum juvenis degebat: ad eum miſſa a rege documenta cum ampliſſimis patris his negotiis exercitatiſſimi monitis; quibus ille inſtructus viam ingreditur, et per Viennam [e] Pannoniae itinere facto, ſicuti juſſus erat, in Poloniam tranſit; ubi ſalutatis proceribus, et ab iis more gentis ſaepius lautiſſimis conviviis exceptus, ad regem tamen, qui in Lithuaniam uſque proceſſerat, et [f] Knikiniae aeger decumbebat, propter adverſae valetudinis incommodum admitti non potuit. Is tandem Nonis Quintil. ad Deum migravit, cum LII annum ageret, nullis heredibus relictis ex Eliſabetha et Catharina ſororibus Ferdinandi Caeſaris filiabus, et Barbara [g] Radevillia, quam inter eas mediam uxorem duxerat. Poſt juſta facta, ut in loco ab iis rebus, quae ad pompas neceſſariae ſunt, longe diſſito, extremo menſe, de reditu in Galliam cogitare coepit Balagnius, prius tamen honorifica Andium ducis mentione ubique facta, ejuſque virtutibus in conviviis, congreſſibus, compoſita oratione commendatis. Et primo [h] Poltozium, quod eſt epiſcopi [i] Ploſcovienſis, [k] Bugo impoſitum oppidum, venit. Haud longe hinc [l] Bloniae erat Anna infans regis defuncti ſoror, ad quam [m] Carboneus nobilis a Balagnio miſſus, qui ipſam ſalutandi et conveniendi ſibi copiam dari peteret. Verum illa, quae tunc a regni ſenatoribus aſſervabatur, ſe excuſavit. Balagnius vero per Viſtulam ſecundo flumine [n] Gedanum petiit, opulentiſſimam [o] Boruſſiae urbem et frequentiſſimum toto illo ſeptentrionali tractu emporium, in Conſtantini [p] Ferberi aedibus invidioſa ſupellectilis argenteae copia inſtructis exceptus. Inde conſcenſa navi Gallica, cui [q] Angelo Fiſcanenſi nomen, per Sueciam et Daniam exſcenſione facta, poſtremo in Galliam ineunte Sextil. appulit; ubi jam intellecta Sigiſmundi morte de honorifica in Sarmatiam mittenda legatione actum fuerat. Joannes Monlucius, qui negotii illius procurationem ſuſceperat, primo nominaverat Vidum [r] Fabrum Pibracium fiſci in ſenatu Pariſienſi patronum, virum ingenii dexteritate, elegantia, literis et cultiſſima eloquentia praeditum, nec non et Joannem [s] Truchium primarium ſenatus Gratianopolitani praeſidem.

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *de Montluc, evêque de Valence.* [b] *Pologne.* [c] *Balogny.* [d] *Padoue.* [e] *Hongrie.* [f] *Knichin.* [g] *de Ratziwil.* [h] *Poltez.* [i] *de Plocko.* [k] *le Boug r.* [l] *Blonie.* [m] *Charboneau.* [n] *Danzig.* [o] *la Pruſſe.* [p] *Ferber.* [q] *l'Ange de Feſcamp.* [r] *Du Faur, ſieur de Pibrac.* [s] *Truchon, premier preſident du parlement de Grenoble.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX. praeſidem. Sed cum rex Pibracii opera inpraeſentiarum egeret, Truchium vero abſentia longinqua et ſonticus morbus excuſarent, nominati rurſus a Monlucio Michael [a] Seureus eqnes Hieroſolymitanus compluribus legationibus feliciſſime defunctus, ac poſtremo Vidus [b] Sangelaſius Lanſaci filius, juvenis raris ingenii dotibus ornatus. Ipſe aetatem jam gravem et adverſam valetudinem cauſatus onus hoc a ſe removebat, quod humeris tandem ejus inſtante et obſecrante regina incubuit. Igitur ille rebus ad eam rem optime a rege inſtructus, ſed a ſe paratior, ut qui tot legationes magna cum prudentiae et felicitatis laude obiviſſet, pridie quam nuptiae Navarri et Margaritae regis ſororis celebratae ſunt, hoc eſt, XVI Kal. Sept. Lutetia profectus eſt, prius moniro Rupiſulcaudio comite, ſicuti ſuo loco diximus, ut ſaluti ſuae et ſuorum proſpiceret: cumque fanum [c] Deſiderii in Campania veniſſet, et dyſenteria vexatus ibi triduum morari coactus eſſet, de tumultu Pariſienſi accepit. Quare eum ſibi difficile per Germaniam ac periculoſum iter provideret, praevertendum ratus, antequam quidquam de ea re explorati ad illos principes allatum eſſet, adhue aeger reclamantibus medicis in viam ſe dedit, et [d] Michaelis fanum in Lotaringia venit; unde injurioſe a [e] Manegrio Virodunenſis praefecti legato Virodunum retractus vitae periculum adivit, ſpe a [f] Macereo quodam epiſcopi urbis ab epiſtolis concepta, ut interſecto eo Valentiae epiſcopatus fratri magni nominis theologo et Guiſii olim praeceptori a rege donaretur. Sed cum per literas a rege regina et [g] Andino Nonis Septembribus datas, quantum id moleſte ferrent, quamque id a voluntate ipſorum alienum eſſet, et Macereus et Manegrius cognoviſſent, dimittitur Monlucius: et inde recta [h] Argentinam contendit; ubi cum P. Gilbertum [i] Mallocium ſenatorem Gratianopolitanum, Carolum [k] Leberonem S. Rutii abbatem ſororis filium, et Joſephum [l] Scaligerum clariſſimi et undequaque doctiſſimi patris praeſtantiſſimum filium et ob ſingularem eruditionem ſibi et ornamento et uſui fore creditum, quos ſibi occurrere juſſerat, non offendiſſet, haud mediocriter turbatus eſt. Illi ſiquidem caſu territi, hoc rerum ſtatu Monlucium nnnquam ſe in viam daturum rati, partim domum reverſi fuerant, partim huc illuc palantes abierant. Scaliger [m] Valentia Segalaunorum, ubi Cujacio operam navabat, poſt tumultum cum Enimundo [n] Bonefidio celeberrimo juris in ea Academia profeſſore Genevam conceſſerat, unde nullis precibus revocari potuit. Solus ex iis, quibus Monlucius condixerat, Jo. [o] Baſinus in Bloeſenſi praefectura cognitor regius homo doctus Argentinae comparuit, cum quo [p] Francofurtum ad Moenum perrexit; ubi rurſus a Germanorum equitum praefectis, qui in Gallia militaverant, et ſtipendia a Proteſtantibus promiſſa ſibi non repraeſentari conquerebantur, properanti remora injecta eſt; qua ſe tandem cum extricaſſet, cum [q] Cracovio nno ex praefectis Boruſſo et Poloniae regis beneficiario CCC aureorum mercedem pactus, X Kal. Oct. [r] Lipſiam Auguſti Saxonis ſeptemviri, qui tunc in Daniam ad regem ſororium profectus domo aberat, ab eo pridie Non. Oct. perductus eſt. Inde ad laevam deflexit, et relicta, ad dextram Sileſia per Brandeburgicum limitem, quo incognitum ſe tutius tranſiturum ſperabat, ſpreto peſtis periculo, quae per illas regiones et tota Polonia eo anno infeſtiſſima graſſabatur, iter habuit; et medio Octobri [ſ] Mezericam ad regni limitem, ac mox [t] Coninum venit, unde V Kal. Nov. ad archiepiſcopos, epiſcopos, palatinos, alioſque proceres ac ſenatores Polonici regni in conventu [u] Warſavienſi coactos dat literas, eaſque Baſino dat perferendas, de illuſtriſſimo Andium duce in regnum Poloniae

INTERPR. [a] *Seure.* [b] *de S. Gelais, ſieur de Lanſac.* [c] *S. Diſier en Champagne.* [d] *S. Mihel en Lorraine.* [e] *Manegre, lieutenant du gouverneur en la ville de Verdun.* [f] *Macere.* [g] *le duc d'Anjou.* [h] *Strasbourg.* [i] *Malloc, conſeiller de Grenoble.* [k] *de Gelas de Leberon, abbé de S. Rufz.* [l] *Scaliger ou della Scala.* [m] *Valence en Dauphiné.* [n] *de Bonneſoy.* [o] *Bazin.* [p] *Francfort ſur Mein.* [q] *Cracow.* [r] *Leipſig.* [ſ] *Mezeries.* [t] *Conin.* [u] *diete de Warſau.*

Poloniae allegendo, addita defenſione pro eodem adverſus quorumdam calumnias, CIↃIↃLXXII.
ſic enim titulus ferebar, hoc eſt, ad diluendam Pariſienſis tumultus invidiam, qua ſe CAROLUS IX.
in eo negotio premi, et quam petirioni ſuae maxime obfuturam intellexerat. In ea non tam factum tuebatur, quam excuſabat, crimen quaſi recriminatione eludens: et in memoriam revocabat [a] Gondrinii caedem [b] Valentiae primo bello civili patratam; tot homines extra pugnam ab [c] Adretio crudeliter ad [d] Petram-latam, Monbriſonii in Seguſianis, Mornacii in Venaſcinenſi comitatu necatos; [e] Fumellum in [f] Cadurcis a ſuis proditione vulneratum, mox aedibus effractis e complexu uxoris avulſum virgis, flagris, loris ad mortem caeſum: [g] Nemauſi tot Catholicos in puteos conjectos; ubi et cum Bernatdus [h] Delbenius civitatis epiſcopus vir ſanctiſſimus in eo eſſet, ut eandem cum ceteris vicem experiretur, vicarius ejus inſigni rarae conſtantiae exemplo peſte propria ipſius periculum diſcuſſit, et conditionem mortis oblatam accepit, viraque epiſcopo conceſſa in puteum cum aliis praecipitatus eſt: in [i] Benearni pago complures e nobilitate more militari deditos, ac unum menſem humaniſſime habitos, dein, cum nihil amplius vererentur, et ſe tempore et jure belli tutos exiſtimarent, poſt coenam ad necem hora conſtituta, juſſu Navarrae reginae omnes crudeliſſime trucidatos. Nec in vivos tantum, ſed in mortuos et lapides ipſos Proteſtantium furorem ſaeviiſſe demonſtrat: nam [k] Engoliſmae, [l] Cleriaci juxta Aurelianum, mortuorum regum ſepulchris effoſſa corpora, ut a praetereuntibus calcarentur: nec [m] Vindocini regis Navarrae avis ac proavis parcitum fuiſſe: praeterea XX CIↃ templorum his bellis diruta, monaſteriorum II CIↃ: tum id Andini conſilio factum non eſſe; quem conſtat, vel ipſorum Proteſtantium, qui res hujus temporis ſcripſerunt, teſtimonio, ſumma clementia in his bellis uſum eſſe, et poſt [n] Monconturianam pugnam militum crudelitatem aegre tuliſſe, et, ut Gallis parceretur, imperaſſe: eundem, cum ſententiam in Colinii conſpiratione jam detecta rogaretur, reſpondiſſe Id inhoneſtum ſibi fore, ſi conſilii, quo de illis, quos antea tam ſaepe armis deviceraт, opprimendis agebatur, aut ſocius aut particeps eſſet. Sic autem factum ipſum diluebar, ut regem potius neceſſitate compulſum, quam conſilio in illud conſenſiſſe diceret: nam poſt vulneratum Colinium, regi minime liberum fuiſſe, quid ageret. Niſi enim in Guiſium ſuſpectum, nondum tamen convictum, animadverteret, vim à Proteſtantibus parari intelligebat. Quam autem ſibi ac rebus ſuis periculoſum eſſet, in hominem adeo populis gratioſum indicta cauſa animadvertere, non ignorabat; praeſertim Lutetiae, ubi tot armatorum millia familiae illi devota eſſe omnes ſciunt. Itaque quocunque ſe verteret, undique anguſtiis premebatur; et quartum ſibi bellum expectandum videbat, niſi Colinium et aliquot duces in poteſtatem redigeret; quod erat ejus ab initio conſilium: ſed medio tempore plebem cum armatis, duce Guiſio, qui periculo ſuo admonitus nihil non agebat, ut perniciem ſibi paratam inimicorum peſte anteverteret, regis conſilio et imperio praeterito ac ſpreto, ipſum Colinium, et quotquot ex ejus ſequacibus reperire potuerit, nullo reſpectu occidiſſe: re demum patrata, regem, cum aliter non poſſet, id quaſi ſponte ac juſſu ſuo factum probaſſe, aut ſe probare ſimulaſſe.

VII. CONTRA eam defenſionem biennio poſt contraria defenſio edita eſt admodum virulenta, a [1] Gallo quodam in Germania profugo, Zachariae Furneſteri nomine: quae cum Monlucii nomen et pudorem admodum ſugillaret, anno poſt [o] Lugduni publicatur adverſus illum Furneſteri libellum pro Joanne Monlucio epiſcopo

INTERPR. [a] *le ſieur de la Motte Gendrin.* [b] *Valence.* [c] *le baron des Adrets.* [d] *Pierre-late, Montbriſon en Forez, Mornas au comtat Venaiſſin.* [e] *de Fumel.* [f] *Querey.* [g] *Niſmes.* [h] *Delbene.* [i] *Bearn.* [k] *Engouleſme.* [l] *Clery près d'Orleans.* [m] *Vendoſme.* [n] *de Moncontour.* [o] *Lyon.*

NOT. [1] *ſcil.* Hugone Donello.

[a] epiſcopo et comite Valentino Dienſi praeſcriptio, elegantiſſime ſcripta a Jacobo Cujacio juriſconſultorum hujus aetatis principe, nomine tamen ſuppreſſo: qui licet in hoc ſcribendi genere non exercitatus, et aliis gravioribus ſtudiis occupatus, tamen amiciſſimo viro hoc officium minime denegate potuit; et interim, quid in ſimili argumento poſſet, hoc edito ingenii ſpecimine luculenter oſtendit. Dum haec a Monlucio raptim ſcriberentur, Vidus [b] Faber Pibracius majore cura ornatu et artificio epiſtolam elucubraverat ornatiſſimi cujuſdam viri nomine ad Staniſlaum Elvidium, Kal. Nov. publicatam: qua rem ut jure factam et laude dignam tuetur, ea maxime ratione, quod ad revincendam Colinii et ſociorum conjurationem vis tempeſtiva a rege adhibita eſſet: de qua conjuratione et regi tunc conſtiterit trium delatorum teſtimoniis prorſus conſentaneis, qui conſilio in aedibus Colinii habito interfuerant; et poſtea ampliſſimi Ordinis auctoritate ejus rei fidem factam, qui quaeſtione diligenti habita S. C. de quo mox dicemus, Colinium tanquam conjurationis convictum damnaverit. Contra eam epiſtolam paulo poſt editus Kal. Jan. libellus Gallicus Petri [c] Burini nomine et Gulielmo [d] Paponi inſcriptus; et rurſus alter Eid. Apr. Staniſlai Elvidii, ad quem Pibracius ſcripſerat, nomen praeſcribens: quibus pari vel etiam majore, quam Furneſterus fecerat, verborum acerbitate epiſtolae illius auctor proſcinditur, refutatis etiam argumentis. Elegantiſſimo item epigrammate in epiſtolae titulum luſit Q. Sept. [e] Florens Chriſtianus, jocoſa mordacitate auctorem ipſum carpens; quem omni officio et obſervantia poſtea coluit, in ejus gratiam ob praeſtantis ingenii libertatem receptus; ſicuti et Petro Ronſardo, non ſolum hujus aevi, ſed etiam retro ſaeculorum excellentiſſimo poetae reconciliatus fuerat, quem ille juvenis olim mordaci item carmine defixerat.

VIII. EANDEM ob cauſam miſſus ad Helvetios Pomponius [f] Bellevreus, apud quos regis nomine orator fuerat; et in comitiis [g] Badenſibus, habita ad Ordines oratione, his fere rationibus et argumentis caedeis ac latrocinia menſe Sextili facta defendit: quod Colinius conſilium regis necandi cepiſſet; quod magnas paſſim emuncta Gallia pecunias, multam auri et argenti vim congeſſiſſet, ut ſe regi potentia et opibus adaequaret, ut, cum ſibi commodum videretur, exercitus ad turbandum regnum compararet: quod palam in ſanctiore conſilio regi interminatus eſſet, niſi bellum Hiſpanis inferret, fore ut bonam Galliae partem adverſus majeſtatem ipſius concitaret: quod ſemper circa ſe latrones hominibus necandis exercitatos, certos item homines in quibuſque regni provinciis haberet, quorum celeri opera in mittendis nunciis et exercitibus conſcribendis utebatur; eamque ob cauſam regi et univerſae Galliae eum terribilem fuiſſe: quod, cum vulneribus infirmus a rege rogatus eſſet, ut in arcem Luparam ſe deportari pateretur, contumaciter et ſuperbe recuſaſſet; lacertiſque quantum poterat commotis tentaſſet, ecquid ad facinus aliquod idonei eſſe poſſent, ſubinde dictitans, ſibi quidem debilitata brachia, ceterum caput ſanum ſupereſſe, quo plura hactenus quam manu peregiſſet. His multa ſubjuncta erant ad ambitionem Colinii exagitandam, et ejus famam obſcurandam: quod nulla re memorabili geſta ſummos honores gratia potius quam meritis adeptus eſſet; nulloque Galliae, niſi ad ſeditiones et civileis diſcordias in patria excitandas, uſui fuiſſet. Ad quam orationem Germanice poſtea promulgatam reſponſum eſt ſcripto admodum acri et convicieis pleno, Wolffgangi Priſbachii Cracovienſis nomine edito. In Bellevrei familiaritatem ſe inſinuaverat [h] Toloſas quidam nomine Petrus Carpentarius, jus civile aliquando Genevae publice profeſſus, qui in tumultu Pariſienſi perfugium apud eundem habuit, ſicuti plerique alii minus clari nominis; nam magnae famae viros domo recipere

INTERPR. [a] *evêque & comte de Valence & Die.* [b] *Du Faur, ſieur de Pibrac.* [c] *Burin.* [d] *Papon.* [e] *Florent Chreſtien.* [f] *de Bellievre.* [g] *Diete de Baden.* [h] *de Toulouſe.*

recipere periculoſum erat homini gratiam aulicam captanti. Petrus is fortunae obſecutus, CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX. et inſita levitate in utrun.que paratus, palam non lanienam illam, ſed cauſam, ita Proteſtantium factionem appellabat, deteſtari; juſtoque Dei judicio factum dicere, poſtquam religio in factionem coaluit, poſtquam religioſi illi homines pro lachrimis, precibus, jejuniis arma ſumpſerunt, urbes occuparunt, promiſcuis ubique caedibus graſſati ſunt, etiam juſtis proeliis cum ſupremo magiſtratu depugnarunt, ut juſtam Numinis iram in ſe concitaverint: conciones eorum olim ad preces inſtitutas nunc conventicula et coitiones effectas; in quibus non de pietate, doctrina et morum emendatione, ſed de pecuniae collatione, de milite per provincias occulte conſcribendo, de arcanis cum externis principibus, cum ſeditioſis hominibus per oppida regia conſiliis agitur, ad turbandam pacem beneficio regis Proteſtantibus conceſſam: ultore ad eam audaciam comprimendam Dei gladio opus fuiſſe, eamque mentem regi alioqui clementiſſimo coelitus datam ſe agnoſcere. Haec Carpentarius in occulto primum, et in privatis cum Bellevreo colloquiis, dein etiam palam cum ſaepius inculcaret, idoneus viſus eſt, cujus opera rex reginaque in eodem negotio uterentur. Nec ille gravate onus ſuſcipit, aliqua aureorum ſumma in praeſens accepta et dignitatum ac honorum grandibus promiſſis oneratus, quos ille meritis majores poſtea conſecutus eſt: et cum Bellevreo profectus, eo in Helvetiis relicto, [a] Argentoratum, ubi etiam aliquando docuerat, conceſſit, ut rei famam colore quaeſito obſcuratam èx propinquo per Germaniam commodius ſpargeret. Ibi ad Franciſcum [b] Portum Cretenſem, virum Graece doctiſſimum et in familia ſereniſſimae principis Renatae Ferrarienſis olim in Italia educatum, epiſtolam in [c] Cauſarios ſcribit XVII Kal. Oct. duoque inter Galliae Proteſtanteis horum genera fuiſſe dicit; alterum pacatorum, qui ad religionem ſolum reſpiciebant; alterum, qui cauſam tuebantur, homines factioſos et a pacis conſiliis abhorrenteis: et unumquemque eorum ſuos paſtores habuiſſe, [d] Spinam, Sorellum, Hilbracum, Capellam, Haium, Mercurium; quorum moderatio et in omni re aſſerenda ſtudium aliis diſplicebat, inprimiſque Theodoro Bezae, quem buccinam Sebae vocat, et in quem praecipue toto illo libro invehitur: lanienamque non ſolum excuſat, ſed multis verbis et ſummo artificio jure factam demonſtrat, ut factio impia ad regiam auctoritatem labefactandam, fidem urbium ſolicitandam, tranquillitatem publicam turbandam, in perniciem denique Proteſtantium et religionis ipſorum a turbulentis hominibus et patriae hoſtibus conflata everteretur. Ad quam epiſtolam reſponſum eſt Porti ipſius, ſeu quis alius fuit, nomine, Kal. Mart. anni inſequentis, non ſine multa verborum acerbitate. Ea quoque in re Franciſci Balduini juriſconſulti, qui Proteſtantium religionem olim in Germania amplexus, poſtea ex Georgii Caſſandri nunquam ſatis laudati theologi conſilio [α] moderationis viam inſiſtens apud nos tranſierat, et tunc [e] Andegavi docebat, opem et operam imploravit Andinus. Verum ille acreis cum Genevenſibus contentiones cauſatus, quibus fore dicebat, ut, quae ab ipſo proficiſcerentur, in ea cauſa minime in bonam partem acciperentur, re vera quod factum deteſtaretur, modeſte ſe excuſavit: et lecta Carpentarii epiſtola, multa in ea memoriae et exacti in hiſtoria vetere ſenſus peccata notavit. Et ſane deplorandum fuit, viros dignitate, pietate, integritate ac doctrina praeſtanteis, et ab omni fuco et vanitate alienos, Morvillerium, Thuanum, Monlucium, Pibracium, et [β] Bellevreum, ut regni bono inſervirent, eo non metu aut ſpe, ſed praeſenti rerum ſtatu adductos, ut rem, quam intra ſe deteſtabantur, aut ſimulate laudarent, aut officioſa excuſatione obſcurarent. Interea III Kal.

VAR. LECT. [α] medium *D. f. o.* [β] Bellevreum, nam Carpentarium in eorum numero non repono, ut regni bono *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Strasbourg.* [b] *Portus, Candiot.* [c] *ceux de la cauſe.* [d] *d'Eſpina, Sureau, Houbraque, Capelle, la Haie, & Mercure.* [e] *Angers.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

Kal. Oct. qui dies Michaeli archangelo dictus eſt, conchyliatorum equitum pompa ſolemni luſtratio celebratur; ceremoniiſque in majore urbis templo peractis, ut populo oſtentaretur: interſuerunt Navarrus et Condaeus; infra regem Philippi Hiſpaniarum, Eliſabethae Anglorum, Friderici Daniae, Joannis Sueciae regum imagines; ac poſt [a] Andinum et Alençonium regis fratres ordine ſedentes; delectique natalibus et meritis inſignes ex confuſa illa et innumera equitum multitudine, qua vileſcere ille Ordo coeperat, qui cum iis [α] apparerent. Sacro peracto regi ſupplex libellus ex compacto offertur, nobilium priſcam religionem profitentium nomine; quo maximum adhuc nobilium numerum ſupereſſe dicebant; (id additum, ut nuper interſectorum memoria induceretur, et jactura illa, qua Galliam adeo debilitatam jactabant, elevaretur) poſtulabantque, ut religio una, videlicet ea, quam a majoribus per ſucceſſionem acceperint, cuique regia majeſtas ac regni ſalus innitatur, ipſius auctoritate in poſterum conſtituatur; et quod ipſe nuper ſuper ea re ad tempus ſtatuerit, id in perpetuum decernatur: quam ad rem efficiendam, ſi opus fuerit, operam ſuam magno conſenſu deferunt. Quem libellum rex benigne accepit, et ea in re, quod magis expediret, facturum ſe recepit. Inde ad Philippum Hiſpaniarum regem dat literas, in ſuſpicionem ante ob Belgicam expeditionem adductum; quibus nunc perſpicue apparere ait, quorſum illa diſſimulatio hactenus ſpectaverit: nunc enim facto oſtendiſſe, quam animo alieno eſſet, a bello Chriſtianis ſibique tanta neceſſitudine conjunctis principibus inferendo: nam conſtare, hoc ſuum conſilium fuiſſe, ut Sectarios ac perduelleis plane deleret ac profligaret: orare igitur amicum ac ſibi affinem regem, ut mutuo erga ſe ac res ſuas animo eſſet, et ſincera pax et amicitia, quam ſanctiſſime juraſſent, pari religione inter ipſos ſervaretur. Miſſae tamen ad tutandum limitem, ne quid Arauſionenſis in eo ob viciniam moveret, aliquot peditum cohortes ex [b] Subalpinis praeſidiis nuper evocatae, jam diſſipatis iis, quas Colinii juſſu poſt Jenliſianam ſtragem eo conveniſſe diximus.

IX. INTEREA quaeſtio in ſenatu in Colinium defunctum ac conſcios, inprimiſque contra [c] Bricomotium et Cavagnium nuper captos maturabatur; ac tandem VI Kal. Nov. horrenda contra Colinium mortuum fertur ſententia; qua tanquam majeſtatis reus, pacis et tranquillitatis publicae hoſtis, et initae adverſus regem conſpirationis auctor et inſtigator damnatur; bonis omnibus fiſco addictis; ejus memoria infamatur; nomen in perpetuum aboletur; decerniturque, ut corpus illius, ſi uſpiam inveniri poſſet, aut ſi minus, imago [d] crati impoſita a carnifice per urbis vias raptetur, et in ripenſi foro ad patibulum ſuſpendatur, atque inde ad [e] Monfalconias furcas editiore loco transferatur; ut inſignia ad caudas equorum alligata itidem in ſempiternae ignominiae teſtimonium per urbes raptentur, et ubicunque locorum toto regno in ejus honorem erecta et ad decus affixa comperientur, a carnifice publice confringantur ac lacerentur; ſtatuae item ejuſdem et imagines ubique concerpantur et aboleantur; aedes illius primariae [f] Caſtellione ad Lupam ſolo aequentur, nec ibi fas ſit unquam aedificium inſtaurare; arbores in illius ſepto ad mediam altitudinem caedantur, ſolum ſale conſpergatur, et in media area columna ſtatuatur cum lamina aerea, cui S. C. hoc inſcribatur. Tum illius liberi ignobiles et inteſtabiles pronunciantur, et indigni qui publicis muneribus fungantur, aut ullis bonis in Gallia fruantur, iis, ſi qua poſſidere comperiantur, in fiſcum redactis. Eodem S. C. ſtatuitur, ut quotannis IX Kal. Sept. qui beato Bartholomaeo dictus eſt, amburbiae ſupplicationes ad gratias Deo agendas

VAR. LECT. [α] apparerent: inter quos Albertus Gondius Radeſiarum comes ultimum locum tenuit, frementibus pleriſque, qui gratiae hunc honorem, qui meritis debebatur, promiſcue concedi indignabantur. Sacro peracto *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *les ducs d'Anjou & d'Alençon.* [b] *de Piedmont.* [c] *de Briquemaut, & de Cavagnes.* [d] *ſur une claye.* [e] *gibet de Monſaulcon.* [f] *Chaſtillon ſur Loing.*

agendas et celebrandam illius diei memoriam habeantur. Pari ſeveritate in Bricomotium altero S. C. et Cavagnium eodem die pronunciatur; niſi quod de inſignibus, ſtemmatis et imaginibus nihil adjectum eſt. Cum vero in ſacello coram eis S. C. recitaretur, nam ipſe tunc juvenis XIX annorum aderam, memini, Bricomotium jam ſeptuagenarium, qui patienter cetera audierat, ad liberorum mentionem exclamaſſe, ecquid illi commeruiſſent, cur tam ſevere cum illis ageretur: poſtea cum ambo, diverſi ad annulos ferreos, ut fit, alligati eſſent, ipſum morte territum indigna conditione de vita paciſci voluiſſe, allegatis ad regem ex amicis, qui intererant, qui [a] Rupellae, de cujus obſidione jam fama increbuerat, expugnandae rationes, ſi ſibi vitae gratia fieret, ſe exploratiſſimas habere renunciarent; nam ex ſuo conſilio a Scipione [b] Vergano harum rerum peritiſſimo munitiones urbis coeptas et conſummatas: qua conditione a rege repudiata, alia propoſita eſt, ut crimina objecta agnoſceret, et conjurationem a Colinio contra regem initam coram fateretur populo; quam ille viciſſim recuſavit. Cavagnius inter haec ſumma conſtantia defixis in coelum oculis et preces ex pſalmis aſſidue ac memoriter toto trihorio Latine recitatis, cum videret, Bricomotium linqui animo, ac magno famae diſpendio breve vitae interuſurium redimere cupere, conſtantiae, quam in belli periculis per tot annos ad hanc diem multa cum laude exhibuiſſet, memorem eſſe juſſit: quibus verbis generoſum virum pudore incuſſo ad mortis contemptum confirmavit; et ita ambo, cum ſe aſtantium precibus ad Deum commendaſſent, cratibus impoſiti, ac per vias conviciis laceſſiti, lutoque a plebe injecto foedati, ad ſupplicium rapiuntur, et per carnificem ſcalis dejecti laqueo ſuffocantur. Nec ſatiata plebs ſupplicio, etiam in mortuos indigne ſaeviit, quibus interula ſpoliatis etiam pudenda abſcidit. Cum iis producta Colinii effigies ſtraminea, ejus ori ad ludibrium inſerto lentiſci fruſtulo, quo Colinius vivus ad purgandos dentes uti ſolitus erat, et fere ſemper in ore profundiſſima cogitatione defixus, quaſi aliud agens, [a] totabat. Supplicium rex cum regina parente ex publicis urbis aedibus velo feneſtrae praetenſo ſpectavit, rem regiis oculis indignam, et ſpectaculo Navarrum intereſſe voluit.

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

X. QUO facto cum famam de ultima Colinii conjuratione ubique ſparſam abunde confirmaſſe rex ac regina ſibi viderentur, nam in iis ſenatus decretis praecipuum defenſionis ſuae robur ad probandam illam conjurationem poſuerat Pibracius, ut ſupra diximus, toti in tertio incommodo, quod reſtabat, removendo erant, hoc eſt, in urbibus, quae poſt tumultum a Proteſtantibus tenebantur aut occupatae fuerant, ad obſequium reducendis; praecipue Rupella, de qua intercipienda jam ante cogitatum erat, cum Philippus Strozzius et [c] Polinius Garda cum claſſe [d] Broagium miſſi fuerant, quaſi ad Floridam navigaturi, et poſtquam claſſem Hiſpanam ex Indiis redeuntem cepiſſent, in Zelandiam et Hollandiam vela facturi. Id ſuſpicati oppidani ſaepius Colinium monuerant, ut ſibi caveret; ipſique interim aſſidui in excubiis ſaluti urbis diligenter proſpexerant: at poſtquam de tumultu Pariſienſi allatum eſt, eo ſibi majore cura incumbendum arbitrati ſunt, ut inſidias ſibi paratas vitarent, quod poſt tot clarorum virorum ac militarium ducum neces, tot homines ubique per totum regnum trucidatos, cum debellatum omnes in aula exiſtimarent, ſolos ſe peti et ad internecionem deſignari crederent. Tunc Rupellae erant Philippus [e] Caſtrobriandus Rupibaritonius, [f] Bellavilla, triremium aliquot praefecti, qui ſtatim a Polinio revocati ſunt.

VAR. LECT. [a] rotabat; adeo ut in proverbium apud Gallos, de rebus quae ſimulate fiunt, roſarium Annae Momorantii magiſtri equitum, miſſa Michaelis Hoſpitalii Franciae cancellarii, pileus ruber Caſtellionaei cardinalis, et dentiſcalpium Colinii vulgo abierunt. Supplicium rex *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *Vergano.* [c] *le baron de la garde,* dit *le capitaine Polin.* [d] *Brouage.* [e] *de Chateau-briand des Roches-baritaut.* [f] *de Belleville.*

ſunt. Cum vero Rupellani viderent alio atque alio modo factum narrari, et diverſas jam literas regis nomine circumvolitare, ut Strozzii animum periclitarentur, ad eum ſcribunt, et cupere ſe de re tota ab eo certiores fieri oſtendunt; urbem interim muniunt, et ſtationibus firmant, et per octo regiones, in quas univerſa diſtributa eſt, duces militareis conſtituunt, ac ſingulis CC homines ſine ſtipendiis attribuunt. Mox in urbem ex vicina nobilitate L fere confluxerunt, LV paſtores, CIↃ IↃ milites ex [a] Pictonibus, Santonibus et longinquioribus provinciis domo profugi. Dum Strozzii mentem tentant, et ille ambigua fere reſcribit, allatae ſunt regis literae III Kal. Sept. ſcriptae; quibus jam diverſa a prioribus ratione factum excuſabat, et culpam rei in Colinium, qui deteſtanda audacia contra ſe, reginam, fratres, et Navarrum ipſum conjuraſſet, rejiciebat: de cetero velle ſe teſtabatur, ut edicta in gratiam Proteſtantium facta ſervarentur; eoſque hortabatur, ut elementiae ſuae confiſi in fide perſeverarent, et ceteris urbibus fidei et obſequii exemplo praeirent. [b] Audevarſio Navarri uxoris diſpenſatori perferendae datae erant, cum mandatis, ut Bironum praefectum a rege impoſitum intra urbem acciperent; nemini ſeditioſorum huc illuc diſcurſantium et ad arma homines concitantium receptum darent; et, quanquam ad vitandas turbas publicus uſus concionum regiis mandatis interdictus eſſet, libertatem in urbe conveniendi retinerent. Quod de conjuratione Colinii ſcriptum eſt, Melchior [c] Monpeſatus Navarri Aquitaniae praeſidis legatus, cum [d] Burdigalam proficiſceretur, haud longe ab urbe tranſiens datis ad oppidanos literis confirmarat. Illi vero utilem rebus ſuis ad frangendos regiorum impetus moram rati tempus ducebant, et ſe imperata facturos oſtendebant, modo copiae militares, quae ad portas uſque urbis continuo excurrentes vicinum agrum jamdiu vaſtabant, dimitterentur, et claſſis inde diſcederet. Cujus rei ſpes eis facta a Strozzio, conceſſis commeatus literis, ut ad regem delegatos mittere poſſent, qui de copiis dimittendis cum eo agerent. Haec ita palam dicebantur: ſed ſuppreſſo auctore aliud reſponſum acerbius nobilium ductorum et oppidanorum nomine ad literas regias III Kal. Sept. evulgatum eſt; cujus haec ſumma erat; ſe quidem de egregia regis voluntate nunquam dubitaſſe; immane tamen illud inauditae crudelitatis facinus ſatis oſtendere, regem non ex ſe loqui, ſed Guiſianos antiquos regni et pacis hoſteis regis nomen et auctoritatem ementiri: id ex adverſis atque adeo contrariis regis literis manifeſte colligi; nam prioribus regem factum deteſtari, ejuſque culpam in Guiſianorum audaciam rejicere; at ſecundis tanti ſe ſceleris auctorem profiteri: nulla vero ſibi ratione perſuaderi poſſe, regem optimum ac clementiſſimum tale quidquam juſſiſſe. Nam id affirmare cum nominis ſui infamia, quod prius negaverat; teſtari ſe edictum velle ſervari, et eodem diplomate publicam religionis adminiſtrationem capitalis ſupplicii poena conſtituta prohibere; denique ſororis germanae ſponſaliorum ſpreta religione et ſacroſancto hoſpitalis menſae jure violato, in tot procerum, nobilium, fortiſſimorum virorum, tot mulierum et puerorum capita, nullo dignitatis aut ſexus reſpectu, ſaeviiſſe, quid aliud eſſe, quam calidum et frigidum eodem ore ac ſpiritu ſimul efflare? eam ſi quis injuriam clementiſſimo regi impingere auſit, ut illum tot ſcelerum auctorem impudenti mendacio efficiat, ſingulos ſe paratos armis contra eum pro tuenda regis dignitate decernere. De cetero nihil ſibi antiquius unquam fuiſſe, aut porro fore, quam ut regi ſupremo domino obſequentes ſint, quantum ſalva conſcientia licebit, quae eſt certa obedientiae principibus debitae regula. Proinde ipſius regis mandatis, quae vera exiſtiment, inſtructos ſtatuiſſe, in tanta rerum perturbatione, ſolicita ſibi cuſtodia cavere; libertatem regis beneficio conceſſam in religione et adminiſtratione civili tueri:

INTERPR. [a] *Poictou & Saintonge.* [b] *le ſieur d'Audevars, maitre d'hoſtel de la reine de Navarre.* [c] *Des Prez, ſieur de Montpezat, lieutenant general au gouvernement de Guienne.* [d] *Bourdeaux.*

rueri: Guiſianorum, qui non ſolum innocentibus hominibus perniciem, ſed regi ipſi vim intulerint, inſidias vitare; neque committere, ut poſt acceptum tale detrimentum eo amentiae deveniant, ut peregrinis hominibus, Gallici ſanguinis avidis regiſque et regni hoſtibus, ſe tanquam pecudes jugulandos praebeant. Eo reſponſo publicato, etſi Audevarſius cum aliqua rei conficiendae ſpe diſceſſerat, tamen Bironus, qui interim [a] Joannis Angeriaci fanum venerat, et Proteſtanteis amicos circum amice inviſerat, ut eos ad regis voluntatem flecteret, male animatos Rupellanos cernens, omnem operam adhibet, ut ſuſpiciones purget, et bona ſpe impleat; et coram delegatis, qui ad ipſum ſalutandum ab urbe miſſi fuerant, remotis arbitris etiam profuſis lachrimis lanienae illius immanitatem deplorat ac deteſtatur, gratiaſque ſe Deo habere dicit maximas, quod minime ſe tam infami negotio immiſcuiſſet. Tum delegatos hortatur, civibus ſuis demonſtrent, quo in diſcrimine verſentur; videantque, ne nimis ſera ſit ac detrimentoſa poenitentia, ſi ſalutis expediendae, quas Deus offerat, rationes praetermittant: eos infirmiores eſſe, quam ut ſoli adverſus univerſi regni robur et regias opes reſiſtere queant; itaque hoc unum reſtare remedium, ut ſe uno atque altero adjuncto ex ſuis ad aliquot horas intra urbem admittant, ac fidei ipſius credant, ut ipſos regi obſecutos poſſit renunciare: effecturum vero ſe, poſt hanc praeſtiti obſequii ſignificationem, ne ullum ab exercitu regio detrimentum accipiant, et claſſis ſtatim e vicino tractu diſcedat. Perſuaſi a Birono delegati ad ſuos redeunt, et conditionibus propoſitis ſtare aequius cenſent; multique ex primariis civibus, belli imminentis incommoda averſati, in eam ſententiam inclinabant, in Bironi nomine et fide magnum momentum reponentes, quem non modo funeſtis caedium piaculis non contaminatum, ſed et ipſum tanquam ſuſpectum in maximum periculum Lutetiae adductum non obſcurus ferebat rumor. Dum deliberant, ecce afferuntur a [b] Polinio literae intempeſtivae, quae inclinantia ad quietem civium complurium conſilia turbarunt. Iis renunciabat, Bironum cum viribus adventurum; ac, ni illum honorifice, ut par erat, reciperent, vim et extrema omnia minabatur: id ſibi a rege mandatum ut iiiis ſignificaret. Polinii Rupellanis atque adeo Proteſtantibus inviſum erat nomen, ob indignam caedium olim in [c] Provincia, Franciſco rege, [d] Merindolii, Caprariae et aliis locis patratarum memoriam: qua de re ſuo loco diximus. Plus fidei Strozzio tribuebant; quem virum bonum et bene affecto erga ipſos animo exiſtimabant: ſed eum ſuſpectum reddebat reginae, ex cujus praeſcripto omnia agere credebatur, aliena a Rupellanis voluntas. Incidit et aliud, quod non mediocriter eos commovit, et deliberationem ſuſpendit. Nam ſub hanc ipſam horam per literas a Montalbanenſibus certiores fiunt, [e] Caſtrum in Albigenſi agro urbem, quae a Proteſtantibus tenebatur, cum poſt magnas regis de ipſorum ſalute pollicitationes in [f] Creuſetae e vicina nobilitate primarii viri manus permiſſa eſſet, caedibus ac rapinis crudeliter ab eo direptam ac vaſtatam; hocque exemplo ut ſibi conſulerent admonentur. Ea re factum, ut de non admittendo in praeſens Birono decretum fieret. Interea tanquam jam deſperatis pacis rationibus jejunium v et III Eid. Sept. in urbe more inter eos recepto indicitur: omniaque ad defenſionem parantur. [g] Sanſtephano e nobilitate vicina viro ſtrenuo equitatus cura attribuitur, eique [h] Guimenerius legatus datur. Nec Bironus tamen repulſa, ut putabatur, irritatus ab incepto deſtitit; ad eoſque [i] Surgeria VI Kal. Oct. reſcribit, ſibi quidem dolere, quod in eam ſententiam inclinaverint, quippe rebus ipſorum perniciosam: apud regem tamen ſpecioſis excuſationibus ſe rem diſſimulaturum, donec ipſi melius conſulti commodioris conſilii ineant rationes; ac curaturum, ut claſſis alio amandetur. In

eam

INTERPR. [a] *S. Jean d'Angely.* [b] *le baron de la Garde.* [c] *Provence.* [d] *Merindol, & Cabrieres.* [e] *Caſtres en Albigeois.* [f] *de la Creuſete.* [g] *de S. Eſtienne.* [h] *Guimenieres.* [i] *Surgeres.*

eam rem et afferuntur a Navarro literae IV Eid. ejuſdem menſis ſcriptae; quibus eos ad pacis conſilia, ut rebus ipſorum ſalutaria, hortabatur. Iterantur et regis, reginae, Andini literae peramanter ad eos ſcriptae, aliis ſuper alios nunciis adjectis. Ad quas oppidani reſpondent, et, actis pro tam egregia erga ipſos voluntate gratiis, ſuppliciter rogant, ut claſſem alio ſecedere jubeat; alioqui in tanta trepidatione nihil certi de rebus ſuis ſtatuere poſſe: ſi hoc a regis benignitate impetretur, certum hoc futurum erga ſe regiae voluntatis pignus, atque adeo ad augendam et amplificandam erga eum obedientiam ſtimulos additurum. Miſſus et Joannes [a] Durandus, qui res Rupellanorum Lutetiae procurabat, regis juſſu, cum Chriſtophori Thuani enixis in eam rem literis; quibus regina multum tributuros illos putabat, quod Thuanum erga ipſos bene jam a longo tempore affectum, pacis cupidum et a ſanguinariis conſiliis atque omni injuria abhorrentem noſſent. Verum in tanta rerum perturbatione vix ulla ullorum quantumvis ſummae exiſtimationis virorum monita audiebantur; quippe oppidanis haec non ſponte, ſed contra animi ſententiam a rege coactos ſcribere illos credentibus. Adhibitae et aliae artes. Nam [b] Oartiſii, qui Proteſtantium parteis hactenus ſecutus fuerat, commendatitiae miſſae literae; quibus, ut Bironum admitterent, eos rogabat, et [c] Ripenſis ob eam rem ad eos legati monitis obtemperarent. Idem Oartiſius poſtea ridiculus fuit, cum quaſi in Picardiam nave profecturus [d] buccellatum et carnes ſalitas magno numero a Rupellanis petiit: quod idem fruſtra ante eum [e] Polinius petiiſſet, repetita eadem petitione, ſed alterius nomine, ſuſpectam merito Oartiſii voluntatem et conſilium oppidanis reddidit. Inter haec literarum ultro citroque miſſarum commercia incidit laniena [f] Burdigalenſis; qua, qui antea ad quietem ſpectabant, exacerbati, pacis conſilia omnino depoſuerunt, et, qui ab initio rem armis gerendam cenſuerant, magis confirmati ſunt. Rei patrandae auctorem et praecipuum incentorem Enimundum [g] Augerium e Claromontano ſodalitio fuiſſe ferunt; qui et Franciſco [h] Bauloni ſenatori Burdigalenſi admodum locupleti, ut ab uxore diverteret, perſuaſiſſe dicebatur, ejuſque opibus ſublevatus opimam in ea civitate ſcholam fundaverat. Is in concionibus ad exemplum Pariſienſium eum, ut aliquid dignum pietate ſua auderent, aſtanteis quotidie inflammaret, tum ſancti Michaelis die, cum de angelis gratiarum Dei et ultionum miniſtris ageret, quae Lutetiae, [i] Aureliani et aliis locis acta eſſent, ea ab Angelo Dei patrata ſaepius repetito ſermone identidem inculcaverat, et ſubinde [k] Romanum Mulum regium cognitorem et Carolum [l] Monferrandum urbis gubernatorem ſuae factionis homines, ut ſegneis et in eo negotio tepidos, palam et in privatis colloquiis increpabat; qui Proteſtantibus publice ad conciones conveniendi libertatem interdixiſſe, et portas urbis ſtationibus appoſitis cuſtodire contenti, de cetero a vi et caedibus abſtinuerant, a Strozzio [m] Rupellae imminenti, et qui, ne ea res conatibus ſuis incommodaret, verebatur, ut creditur, moniti: ſed, cum ſub id tempus [n] Monpeſatus [o] Blaviam veniſſet, quaſi fundendi ſanguinis ſignum ejus adventu datum eſſet, quidam in oppido interfecti. Ubi vero ille Burdigalam appulit, plebs fremere, ſeditioſi huc illuc diſcurrere, Enimundus in concionibus plus ſolito intonare, ad extremum poſt aliquot dierum occulta Monpeſati cum Monferrando, incertum vetantis an ſuadentis rem, colloquia, cum Monpeſatus abiiſſet, paulo poſt dyſenteria extinctus, V Non. Oct. qui in Veneris diem incidebat, urbis conſules cum decuriis ſuis, ſicuti juſſi erant, in Monferrandi aedeis poſt prandium venere, adductis ſecum perditae vitae et proſtitutae audaciae ſicariis a Petro [p] Leſtonaco conductis; mandatoque ab eo accepto per urbem ad caedeis diſcurrunt, rubris pileis, id erat inſigne ſanguinario conſilio conveniens, conſpicui.

INTERPR. [a] *Durand.* [b] *d'Ouarty.* [c] *de la Rive.* [d] *biſcuit.* [e] *le baron de la Garde.* [f] *de Bourdeaux.* [g] *Oger jeſuite.* [h] *Baulon.* [i] *Orleans.* [k] *Romain Mulet.* [l] *le baron de Monferrand.* [m] *la Rochelle.* [n] *de Montpezat.* [o] *Blaye.* [p] *Leſtonac.*

A Joanne [a] Guillochio et Gul. Sevino ſenatoribus initium factum, qui in ſuis uterque aedibus ſtatim direptis crudeliter interfecti ſunt. [b] Bucherus item ſenator, grandi pecunia cum vitam a Monferrando redemiſſet, vix periculum evaſit; cujus et aedes direptae ſunt. Inde promiſcuae per urbem factae caedes et rapinae; totoque triduo CCLXIV homines occiſi memorantur; multoque major caedes edita eſſet, niſi [c] Buccinae et alterum urbis caſtellum pleriſque opportunum perfugium praebuiſſet. Jacobus Benedictus [d] Largabaſtonus curiae princeps periculum mortis in eo tumultu adivit, vixque ope amicorum ſervatus eſt. Ea re Rupellae nunciata, omnis concordiae ſpes praeciſa eſt, cunctaque ad vim ſuſtinendam comparata. Res tamen rurſus per literas a Polinio et Birono tentata: cumque conatus non ſucceſſiſſet, miſſus a rege Franciſcus [e] Folius Vigeanus e primaria [f] Pictonum nobilitate, cujus praeſentiam et auctoritatem apud eos plurimum valituram ſperabat; qui intra urbem minime admiſſus, ad [g] Tadonem vicum haud longe a ſancti Nicolai porta, cum urbis delegatis collocutus eſt XI Kal. Nov. et multis verbis regis nomine eis perſuadere conatus, ut Bironum cum imperio intra urbem reciperent, cum nihil impetraſſet, [h] Sigonium III a Rupella leucis conceſſit; ubi a [i] Guimenerio Sanſtephani legato, quanquam ſecuritatis literas a Rupellanis haberet, oppreſſus, et duobus e comitatu ſuo nobilibus interfectis, ipſe graviter vulneratus et omnibus impedimentis exutus eſt. Id permoleſte tulere Rupellani, [k] Bellavilla Anguillario proxima cum Vigeano cognatione conjuncto, qui Rupellae in ſumma auctoritate erat, rem minime ferendam, atque ad ipſorum injuriam pertinere, dictitante; ut quae, niſi Vigeano quam primum ſatisfieret, magna invidia eos oneraret. Parte alia Vigeanus et Bironus de injuria expoſtulabant. Itaque in facti auctores inquiri coeptum; et Guimenerius ex indicio equi, quo Vigeanus vehebatur, captus eſt. Sed cum Sanſtephanus ſub id in urbem veniſſet, et, quod factum eſſet, tanquam jure belli factum defenderet, minis etiam additis, niſi Guimenerius ſibi redderetur, ab actione ceſſatum eſt. Nec eo minus Guimenerius libertati reſtitutus rem ad animum revocat; et, quanquam antea ſemper Proteſtantium partibus addictus, ad Bironum ſibi ea re de Vigeani injuria abunde ſatisfactum exiſtimantem transfugit. Nec multo poſt Sanſtephanus ipſe, relictis Rupellanis, quibus militabat, accepta a Birono ſecuritate, domum conceſſit. Inter haec rex, condito edicto VIII Eid. hujus menſis, praefatus, ſe eorum, qui metu longe a domo urbes diſſitas aut etiam extra regnum migraverint, vicem dolere, ut qui non poſſint non ſumma rerum penuria laborare, mandat praefectis, ut abſentium nomina deſcribant, eoſque trinundina denunciatione, ut domum redeant, citari curent, ſecuritate, incolumitate et bonorum omnium libera poſſeſſione ac reſtitutione parentibus promiſſa; niſi paruerint, bona eorum annotari et per procuratores regios adminiſtrari jubeant. Aliquanto poſt V Kal. Nov. alterum edictum in gratiam Proteſtantium conditur; quo rex enixe prohibet, ne ullis, iis exceptis, qui contra ſe conjuraſſent, moleſtia aut periculum ob religionem creetur; ſi qui carceribus ob id attineantur, ſolvantur, bonis reſtituantur et in praefectorum tutela ſint; qui, ſi quid illis ſiniſtri contingat, eorum periculum proprio periculo luant. Quae eo a rege decernebantur, ut tanto magis Proteſtantium, qui arma ſumpſerant, factio debilitaretur, multis e nobilitate praecipue ea edictorum manſuetudine domum revocatis, qui aut extra regnum auxilia a principibus cauſae Proteſtantium faventibus ſolicitaturi credebantur, aut in urbibus, ad quas confugerant, multitudini confuſae, pavidae ac ſere imbelli, ſe duces praebere potuiſſent.

XI. DUM

INTERPR. [a] *Guilloche.* [b] *Boucher.* [c] *Chateau-Trompette.* [d] *de Largebaſton, premier preſident du parlement.* [e] *du Feu, ſieur de Vigean.* [f] *Poictou.* [g] *Tadon.* [h] *Sigogne.* [i] *Guiminieres, lieutenant de S. Eſtienne.* [k] *Languillier de la Maiſon de Belleville.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

XI. Dum haec in aula geruntur, Rupellani ſemel atque iterum delegatos in Angliam ad G. [a] Mongomerium comitem, qui cum [b] Carnutum vicedomino eo ſe contulerat, ad accerſenda auxilia mittunt. Ii fuere [c] Patdillanius, Claudius [d] Molinus paſtor, et Joannes [e] David urbis decurio: quibus tempeſtate repulſis rurſus mittitur Joannes [f] Placius. Tandem cum Rupellani nullis rationibus adduci poſſent, ut Bironum praefectum admitterent, et ſibi, non verbis, ſed idoneis pignoribus, caveri poſtularent, rex VIII Eid. Nov. ad Bironum mandata dat; quibus Rupellanis, niſi ſine exceptione et nulla interpoſita mora ipſum admitterent, bellum denunciabat, et, ut cum iis tanquam perduellibus ac rebellibus hoſtiliter ageretur, mandabat. Dum cuncta ad bellum parantur, Petrus Paulus [g] Toſingus Florentinus veteranus dux et fani Joannis praefectus, cum Paulo Aemilio [h] Fliſco et [i] Gregeto Juſtiniano Genuenſibus, et Auguſtino [k] Ramelio Piſaurienſi munitionum celebri architecto, ad [l] Rupellae ſitum et portum explorandum alveique vadum percontandum cum II triremibus mittuntur; quem ut de proximo cognoſcerent, ſe regis ad oppidanos literas habere ſignificant, eaſque per ſuos in urbem transferendas curant. In conſpectum Rupellae ubi venere triremes circiter meridiem, Toſingus longius ab urbe jactis ancoris ſubſtitit: Fliſcana triremis propius acceſſit et alveum ſubiit. Gregetus cum Auguſtino ſitum ſtylo depingere coeperat, dum internuncii ſcaphae impoſiti in urbem pergerent, diutius a decurionibus et ad noctis uſque crepuſculum detenti: quos Fliſcus diu praeſtolatus, cum ex nimia mora aliquid ſiniſtri interveniſſe ſuſpicatus recedere vellet, ingruente ſub noctem validiſſimo vento prohibitus eſt; continuoque a IV navibus onerariis et VIII actuariis litus legentibus duce [m] Eſſartio ad inſulam [n] Retiam ad belli rationes commeatu opportunam occupandam profecto prima vigilia circumvenitur; cumque ſummiſſa voce vela ingeminaret, regii tandem ſomno excitati ad arma conclamant, et trierarchi, ut altum petant, remigibus imperant, qui tamen Rupellanis ad libertatem eos vocantibus remis ſublatis curſum inhibuerunt. Ibi regii vento adverſo et aeſtu conflictati, ad haec remigio deſtituti, quod reliquum erat, arma expediunt: ſed crebris tormentorum ictibus pulſati et numero oppreſſi tandem ceſſere. Gregetus dum arrepta bipenne e prora hoſteis depelleret, glande plumbea trajicitur. Fliſcus duplici vulnere ſed leviter ictus cum Auguſtino capitur. Triremis multis ictibus quaſſata cum remigibus abducitur, qui poſtridie ſoluti ſunt. Toſingus, qui procul inde aberat, cum ſuis mature opem ferre non poſſet, et hoſtibus impar eſſet, trierarchi conſilio uſus, converſis velis continentem adnavigavit.

XII. Inde bello aperto tentari coepta Rupella, ſed lentius initio, adhibito ex occaſione novo ad oppidanos ad obſequium flectendos remedio. Cum paulo ante [o] Montes in Hannonia, quibus ſe Franciſcus [p] Lanovius cum [q] Ludovico Naſſovio incluſerat, ad tumultus Pariſienſis caſum praeciſa omni auxiliorum ſpe Albano dediti eſſent: qua de re mox plenius dicemus: poſt eum caſum Franc. Lanovius, quo ſe reciperet dubius, a [r] Longavillae duce Picardiae praeſide vetere amico invitatus [α] in aulam contendit, ubi praeter ſpem perhumaniter exceptus eſt. Rex poſtea in Alberti [ſ] Gondii aedibus ſeductum ad privatum colloquium admiſit, excuſatiſque apud modeſtiſſimum virum quibus voluit rationibus, quae tumultu Pariſienſi acciderant, facta etiam bonorum Telinii, cujus ille ſororem in uxorem duxerat, gratia, laudataque ejus integritate cum ſumma fortitudine conjuncta, et alieno ab omni factione ingenio, ad extremum rogat ac jubet, ut partes ſuas interponat, et regni tranquillitati ſimul ac Rupellanorum ſaluti operam navare velit; quod facturum eum eadem opera demonſtrat,

VAR. LECT. [α] ad regem contendit, a quo praeter *D.* ſ. o. d.

INTERPR. [a] *de Mongommery.* [b] *Chartres.* [c] *le jeune Pardaillan.* [d] *Du Moulin, miniſtre de Fontenay en Poictou.* [e] *David, pair de la maiſon de ville.* [f] *de la Place.* [g] *Toſinghi.* [h] *dal Fieſco.* [i] *Greghetto Giuſtiniani.* [k] *Ramelli da Peſaro.* [l] *la Rochelle.* [m] *des Eſſarts.* [n] *iſle de Ré.* [o] *Mons en Hainaut.* [p] *de la Noüe.* [q] *le comte Ludovic de Naſſau.* [r] *Longueville.* [ſ] *de Gondy, comte de Retz.*

demonſtrat, ſi illos ad pacis conſilia amplectenda flecteret. Cum Lanovius ſe initio excuſaſſet, et tanto negotio ut imparem aut minus idoneum oſtenderet, inſtante tandem rege imperium accipit, ea lege, ut rex ad fallendos eos ſe adminiſtro ſuâve, tanquam proditoris, opera minime uteretur: hoc enim ab ingenio ſuo et decore, quod vita apud ſe praeponderet, ſummopere abhorrere; in eamque rem data a rege fide ſibi caveri voluit. Ita Rupellam mittitur, ei adjecto Jo. Baptiſta[a] Vadagnio Florentino, ſpecie, ut is ad regem referret, re vera etiam, ut ejus omnium actionum inſpector velnti et explorator eſſet: quod ille non gravate tulit. Cum enim hujuſmodi negotium rumoribus et calumniis obnoxium videret, eo magis cupiebat, ut ab utraque parte perſpici poſſet, qua ſinceritate ac fide in eo verſaretur. Initio non admiſſus eſt intra urbem: ſed ad Tadonem vicum condicta die ad Nonas Novembreis cum Vadagnio venit; ubi a delegatis urbis, incertum jocone an contumeliae inferendae animo, indigne acceptus eſt. Nam cum poſt ſalutationes, qua de cauſa et cujus juſſu veniſſet, longa oratione expoſuiſſet, peteretque, ut poſtulata ejus ad[a] concilium referrentur, non aliud reſponſum tulit, quam, ſe a Lanovio, qui ſecum colloqui vellet, evocatos eſſe; ſed Lanovium nuſquam comparere, nec eum, ubi ſit, videre. Biduoque poſt eum eodem conveniſſent, eademque et poſtulata et reſponſa pari verborum ludibrio et aſperitate repetita eſſent, Lanovius mirari ſe dixit, qui tam cito ejus memoriam depoſuiſſent, qui ante triennium pro eorum ſalute ac defenſione tot vulnera accepiſſet, brachium etiam pugnando amiſiſſet. Tum delegati, Is, qui olim nobiſcum conjunctiſſimus nomine Lanovius vixit, aliam, quam tu nunc, perſonam apud nos geſſit; quos in cauſa communi magna virtute ac conſtantia tuendos perpetuo ſuſceperat, nec promiſſis corruptus inani ſpe nos aluit, aut interpoſito amicitiae ſpecie colloquio proditionem molitus eſt: illius tu quidem os, at voluntatem nequaquam refers. Quamobrem ad tuos te penates recipe. Quibus verbis illatam ſibi injuriam cum ſumma patientia diſſimulaſſet, tandem precibus pervicit, ut illi poſtulata ad ſenatum relaturos ſe promitterent. Tandem intra urbem acceptus eſt, initio plebi inviſus; ubi ei pro omni ad poſtulata reſponſo ab oppidanis tres conditiones propoſitae; ex iis, quam vellet, eligeret; ſi privatus in civitatem recipi vellet, aedeis, praedia, dignitateſque, quas tenuis eorum reſpublica praebere poſſet, ab ea acciperet; ſi imperium mallet, cunctam nobilitatem militeſque illum pro ſummo duce deligere, ejuſque auſpiciis et conſilio rem gerere paratos oſtendunt; quod ſi has conditiones reſpueret, et abitum pararet, quamcunque vellet navim conſcenderet, ea ſe illum in Angliam ad ſocios tranſportandum ſedulo curaturos. Ex iis Lanovius poſtquam cum Vadagnio collocutus eſt, illam accepit, quae et dignitati ſuae magis conveniret, et quae illi ſummam in urbe auctoritatem conciliaret; qua poſtea, ſicuti regi receperat, ad inclinandos ad pacem oppidanorum animos oblata occaſione uteretur. Ea erat, ut imperium eligeret; quod illi magno nobilitatis, militum et oppidanorum conſenſu delatum eſt, ſalva[b] Majoris, ita principem decurionum et parium vocant, in rebus aliis auctoritate. Et ſane inter ſummas anguſtias ejus animus conflictabatur; vixque e duobus alterum effugere ſe poſſe providebat, quin aut fidei regi datae parum memor videretur, aut Rupellanos, atque adeo cauſam, quam tuebatur, prodidiſſe inſimularetur; ita ut et ſibi ſaepe vita mortem optabiliorem diceret, et omneis ejus honeſtas rationes citra Dei offenſionem ſibi quaerendas duceret: quod Vadagnio ſaepius ad eum commeanti confirmavit. Sed tanta erat viri innocentia, tamque conſtans omnium de ejus fide ac candore opinio, ut nemo facta dictave ejus in malam partem interpretaretur. Itaque quamdiu apud Rupellanos fuit, ubi nullas optimi imperatoris et acerrimi ſuae cauſae defenſoris partes praetermiſit, nihil indignum viro

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [a] ſenatum *D. ſ.*
INTERPR. [a] *Guadagne.* [b] *le maire, eſchevins, & pairs.*

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

viro probo et officio promiſſo feciſſe a rege exiſtimatus eſt: et poſtquam ab iis diſceſſit, quod omneis pacis conditiones repudiari doleret, non proprerea in transfugae et proditoris opinionem apud Rupellanos incurrit; quorum et defenſioni praeſens fidam operam oavavit, et abſens, quae ad eorum ſalutem pertinerent, ſummo ſtudio ſemper procuravit; raroque Dei beneficio ab utraque parte eam gratiam conſecutus eſt, ut nec rex officium, neque Rupellani fideo illius in eo negotio deſideraverinr. Spe concordiae Lanovii interventu ſanciendae deſperata, pridie Non. Dec. copiae omnes luſtrantur; et ſcloppetariorum expeditorum, quibus Philippus Strozzius pro antiquo ſuo pedeſtris militiae imperio praeerat, XIV cohortes repertae ſunt, equitum perexiguus numerus. Tum re in concilio deliberata ſic oppugoatio inchoatur; ut Bironus ipſe Rupellae praefectus a rege deſignatus cum Strozzianis et machinis muralibus ad urbem accederet; Vidus [a] Dallonius Ludae comes Pictooum praefectus [b] Maranum Rupellanorum municipium tentaret. Locum tuebatur [c] Normanus ordinum ductor ſtrenuus cum III cohortium et equitum L praeſidio; qui cum imparem defenſioni confeſtim deſeruir, urbem petiturus: ſed cum in irinere obvium Bironum habuiſſet, in [d] Grimalderias aedeis urbi proximas foſſa et moro munitas confugit; deditionemque facere per tubicinem juſſus, cum, deriſo tubicine, recuſaſſet, fit oppugnatio, ae turris, quae pro foribus poſita erat, admotis tormentis diruitur: ſed nocte ſuperveniente Normanus tenebrarum beneficio per paludes, quibus locus cingitur, profugit. [e] Viroletus, qui cum Normano venerat, monituſque eum ſequi noluerat, de jactura equorum magis quam de ſalute ſua ſolicirus, mane cum ſuis captus eſt; cui ſervata in urbe cohors: ſed cum redemptionis pretium in tempore non perſolveretur, militiam oppidanorum pertaeſus ad regiorum partes poſtea tranſivit. Solicitatus ante fuerat per literas IV Eid. Nov. ſcriptas [f] Anguillarius, ut relicta Rupella, in quam ſe receperat, domum repeteret, in eaque pacate viveret beneficio edictorum tutus: ad quas ſerius redditas ille ſumma libertate reſpondir VI Eid. Dec. et neceſſitate ſe compulſum in eam urbem veniſſe dicit, ut ſecuritati ſuae conſuleret, et religionis, quam profitebatur, libero uſu a rege ſolemni ſacramento cooſirmato et poſtea contra fidem datam prohibito frueretur; proinde regem rogat, oc in oalam partem accipiat, ſi quouſque ei idonec de vita et libero religionis uſu caveatur, domum redire, ut jubeatur, non poſſit. Secundum haec Bironus ad [g] Andreae fanom tertio ab urbe lapide caſtra metatur, ubi loco monito tormenta aenea XI cum neceſſario omni ad diuturnam oppugnationem apparatu deponit: Strozzius ad [h] Pillcborellum altero ab urbe lapide vicum, hoſpitium ſibi ſumit; [i] Goas famoſus ordinum ductor [k] Ronſellum cum VI peditum ſignis occupat. Tom crebris, ſed levibus pugnis inter utroſque certatum; ſed iniquiore fere regiorum conditione, qui locorum ignari plerumque inter dumeta ac vineta anguſtiis viarum intercipiebantur, aut in ſalinas ſubjectas praecipitabantur: calones item et lixae, dum aquatum aut pabulatum proficiſcerentur, plerumque capti. Praeſidiarii etiam aliquando inſignibus regiorum ſomptis in eorum caſtra veniebant, ut de eorum conſiliis cognoſcerent, et, ſi quos longius a ſociis deambulanteis nanciſcerentur, captos ſecum io urbem abducebant. Hoc aſtu [l] Sancolumbus fortiſſimus centurio caprus eſt. Interea oppidani ac praeſidiarii cum per Autumni, qui illo anno ſereniſſimus fuit, commoditarem, ingentem vindemiam collegiſſent, et, dum res verbis aguotur, ſumma diligentia ad XXV doliorum CIↃ vini ae magnam frumenti vim ad urbem comportanda curaſſent, tum vero inſtanre obſidionis tempore ex finitimis vicis ae villis quantum commearus poſſunr in urbem convehunt, incenſis circum granariis, ne uſui regiis eſſent, qui tamen

magnam

INTERPR. [a] *de Daillon, comte du Lude, gouverneur de Poictou.* [b] *Marans.* [c] *le capitaine Normand.* [d] *maiſon de la Grimenaudiere.* [e] *le capitaine Virolet.* [f] *le ſieur de Languillier.* [g] *Bourg de S. André.* [h] *Pilaboreau.* [i] *de Goas.* [k] *Renſay.* [l] *de Ste Colombe.*

magnam ejus copiam adhuc intactam invenerunt. Tum crebris eruptionibus pugnatum. [a] Sammartinus Lutheranus vulgo dictus, qui cum IↃ CCC delectis peditibus ſe cum Strozzio conjunxerat, ab hoſtili equitatu circumventus, XX ex ſuis amiſſis et XL fere captis, qui in aedeis proximas confugerant, vix ſervatus eſt. Sed eam jacturam, hoſte pari clade affecto, fortuna mox compenſavit. In his tumultuariis certaminibus [b] Campetus nobilis obſeſſorum ductor capitur, et [c] Niortium miſſus cuſtodia aliquanto poſt evaſit. Pugnatum et ad [d] Fontes Eid. Dec. id vico nomen IↃC a Rupella paſſibus, unde dulcis aquae ſcaturigines erumpunt, quae per tubos in urbem derivantur: eam cum avertere regii non poſſent, tubos corrumpere decreverunt: in opere occupatos praeſidiarii erumpentes aggrediuntur. Ibi ortum acre certamen, quod nox diremit: VI ex praeſidiariis deſiderati; plures ex regiis: [e] Folius et Salius centuriones capti. Poſtridie ad eundem vicum redintegrata pugna pari fere ſucceſſu, niſi quod tandem tubuli inciſi ſunt, et fontes averſi, haud magno obſeſſorum incommodo; apud quos plerique juges putei ſunt: et antea magiſtratus auctoritate prohibitum fuerat, ne quis ex fontium aqua hauriret, quod earum ſcaturigines a regiis veneno infectas crederent. Inde celebratum XVII et XV Kal. Jan. in urbe jejunium. Sexto poſt die Bironus quatuor molatrinas, quae vento circumaguntur, juxta portam [f] Cuneam exuſſit; ubi XL circiter milites antea moniti, ut ſe in urbem reciperent, interfecti aut capti. Poſtridie, qui in Natalem incidit, aliquot ex nobilitate [g] Ronſellum uſque excurrerunt, lubricis propter glaciem viis; et inter certandum [h] Floriacus ſummae virtutis dux grave vulnus ex ſcloppeti ictu accepit, indeque in urbem relatus paulo poſt magno ſui deſiderio relicto deceſſit.

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

XIII. IN Aquitania, poſt matutinas Pariſienſcis, ſic tumultum vulgo vocabant, cum Joannes [i] Lomanius Seriniacus, vir e primaria provinciae nobilitate, [k] Renerius, de quo dixi, [l] Molinus et alii vix periculo erepti exeunte Septembri tandem [m] Montalbanum in Cadurcis veniſſent, in commune conſultatum fuit, quid facto opus eſſet. Eo jam [n] Paulini regulus, et Monclarii vicecomes venerant, Honorati [o] Sabaudi Villarii, qui in occiſi Colinii locum praefectura maris donatus fuerat, beneficio ſervati, et ab ipſo perſuaſi oppidanis auctores fuerant, ut omiſſo armorum conſilio gratiam regis potius tentarent, idque excuſato utcunque facto et laudata ejus clementia multis rationibus perſuadere conati fuerant; quas Seriniacus facti indignitate et periculo exacerbatus facile refutavit. Pronis auribus accepta ejus oratione, communicatoque cum [p] Millialdi, Nemauſi, Caſtri delegatis conſilio, miſſis etiam Rupellam, qui oppidanorum ſententiam exquirerent, decretum fuit, ut arma ſumerentur, ſeque adverſus vim omni ratione munirent. Itaque Renerius [q] Villemurium ad Tarnim occupat. Capta mox [r] Cauſſada, Biula, Nigrapeliſſia, Antonini fanum, Malauſa, Floniacum, Bella-pertica in Rutenis: in [ſ] Laureacenſi agro Podium Laurentii, fanum Pauli, Viterbium: in [t] Albigenſi dioeceſi Regius-mons; dein Lomberia, Rupes-curva: in [u] Foxienſi comitatu [w] Mazera et Arzilii [æ] maſſa. [x] Gordonius vicecomes [y] Cadenacum et Solliacum in Cadurcis in poteſtatem redegit. Terrida quoque ab iis occupata; in qua jus ſibi vindicabat Seriniacus. [z] Buzetum haud longe a [aa] Toloſa ſcalis admotis expugnatum, et oppidani reſiſtere auſi ad unum omnes obtruncati. [bb] Rapiſtagium

frustra

VAR. LECT. [æ] manſum. Gurdonius *D. f. o.* manſum. Gordonius *D. d.*

INTERPR. [a] *de S. Martin*, dit *le Lutherien*. [b] *Campet*. [c] *Niort*. [d] *la Font*. [e] *les capitaines Fouillou & la Salle*. [f] *la porte de Coigne*. [g] *Ronſay*. [h] *de Floiac*. [i] *de Lomaigne de Terrides, ſieur de Serignac*. [k] *Rehiers*. [l] *Moulins*. [m] *Montauban en Quercy*. [n] *les vicomtes de Paulin & de Monclar*. [o] *de Savoie, mareſchal de Villars, amiral de France*. [p] *Millaud, Niſmes, Caſtres*. [q] *Villemur ſur Tarn*. [r] *Cauſſade, Bioule, Negrepeliſſe, S. Antonin, Malauſe, Flognac, l'abbaye de Belleperche en Rouergue*. [ſ] *le Lauraguais, Puylaurens, S. Paul de Damiate, & Viterbe*. [t] *en Albigeois, Realmont, Loubers, & Roquecourbe*. [u] *de Foix*. [w] *Mazere, & le Mas d'Aſil*. [x] *le vicomte de Gourdon*. [y] *Cadenac & Souillac en Quercy*. [z] *Buzet*. [aa] *Toulouſe*. [bb] *Rabaſteins*.

fruſtra tentatum, brevioribus ſcalis repertis. Tum conventu Regio-monti habito diviſae inter duces provinciae; Gordonio [a] Cadurci, trans [b] Garumnam in [c] Vaſconia loca [d] Scriniaco, [e] Laureacenſis ager [f] Paulini vicecomiti, [g] Ruteni [h] Panati vicecomiti obvenere; [i] Calvimontis vicecomes [k] Bigerrones et Foxienſem principatum ſibi ſumpſit: conventumque inter ipſos, ut alteri alteris ſuppetias, cum neceſſitas exigeret, ferre tenerentur.

XIV. [l] SANCERRA in Biturigibus munitum ſitu oppidum, quod ſuperioribus bellis pleriſque perfugium fuerat, et ad quod tunc multi ſe receperant, eodem tempore, quo haec agebantur, tentata eſt. Oppidanis III Non. Sept. literis regiis imperatum fuerat, ut, quem Claudius [m] Caſtreus provinciae praeſes illis praefectum imponeret, cum praeſidio reciperent. Illi vero per Honoratum [n] Buellium Fontanum Sancerrenſium comitum gentilem, apud regem, cui ille admodum gratus erat, praeſidii onus deprecantur; et, libertatem, quantum ad religionem edictis conceſſam, ut ſibi retinere liceat, enixe rogant. Is et eorum cauſam tuendam ſuſcipit, et ad eos mittit quendam [o] Cadalietum nomine, ex venatorio regis famulitio, hominem callidum, qui et olim in Sancerrenſium comitis parentis familia educatus fuerat. Cadalietus cum [p] Sanpeo, qui ad Fontanum ab oppidanis miſſus fuerat, cum iis agit, et in occulto quo in periculo verſantur demonſtrat; non aliam ob cauſam, quam quod innumeros inquilinos quotidie intra ſua moenia recipiant, qui tanquam ſeditioſi ex urbibus ſuis ejecti, ſi audiantur, ipſos proculdubio in perniciem daturi ſint: proinde ſibi ante omnia conſulant; inquilinos moneant, ut cautione accepta ſibi alio perfugium quaerant, alioqui fore ut inquilinorum cauſa regis indignationem incurrant, ac tandem male mulctentur. Haec in arcano acta. Tum palam inſtante Cadalieto Fontani nomine deliguntur ex oppidanis V, qui regem adeant, et Fontani interventu aequas conditiones ab eo obtineant. Ii ſive metu ſive ſpe inducti, ſtatim ex Fontani conſilio ſupplices fiunt, petitaque praeteritorum venia, imperata facere paratos oppidanos oſtendunt: praemittiturque Cadalietus, qui Fontanum a rege miſſum venire renunciat. Qua re perculſi inquilini, paſtores, qui plurimum in his rebus poſſunt, adeunt, prenſant, ſe deſeri et communibus hoſtibus prodi miſerabili voce clamitantes, omneis ſe Gallos unius regis imperio ſubjectos, unam omnium cauſam eſſe, unum cunctos periculum manere: quorſum igitur pertinere, ut oppidani ab inquilinis diſtinguantur ac diſtrahantur, niſi ut diviſi facilius ſinguli carpantur, et, debilitatis ac diſſipatis membris, Proteſtantium corpus tandem univerſum opprimatur; [q] Genabi, Charitaei atque Aureliani quid actum ſit, quid adeo toto regno, oppidanos ignorare non poſſe: vicinorum periculo ſaltem ſapiant, nec meliorem fore ipſorum conditionem ſibi perſuadeant, ſi inquilini propter eandem cauſam laribus pulſi exules et extorres ante eorum oculos trucidentur, quorum periculum ad ſe pertinere exiſtimare debent, nec niſi ſumma cum impietatis et animi caecitatis apud poſteros infamia negligere poſſint. Paſtoribus juſta inquilinorum querela viſa eſt, qui in conventibus plebem incendunt, nullamque aliam ſalutis rationem eſſe ei perſuadent, quam ſi univerſorum unam eandemque cauſam ipſi ut ſuam tueantur, nec ullis conditionibus alteros ſe ab alteris ſeparari ac dividi patiantur. Itaque rejectus non ſine tumultu Cadalietus ad herum ſuum, qui jam [r] Conadam ad Ligerim venerat, re infecta revertitur: ſed primarios urbis civeis in occulto nihilominus ei favere monet; et duos inprimis, Julianum [ſ] Bertaucium et Simonem [t] Cartelucium, qui arcem tenebant, per quam illi ad oppidum aditum patefacturi eſſent. Ea ſpes ſupererat, rejectis conditionibus, in

INTERPR. [a] *Quercy.* [b] *la Garonne.* [c] *Gaſcogne.* [d] *le baron de Serignac.* [e] *le Lauraguais.* [f] *de Paulin.* [g] *Rouergue.* [h] *le vicomte de Panats.* [i] *le vicomte de Caumont.* [k] *Bigorre, & Foix.* [l] *Sancerre en Berry.* [m] *de la Chaſtre, gouverneur de Berry.* [n] *de Bueil, ſieur de Fontaines.* [o] *Cadaillet, ſieur de Chiron, valet de chambre & veneur du roy.* [p] *Louis de Saintpé.* [q] *Gien, la Charité, & Orleans.* [r] *Coſne ſur Loire.* [ſ] *de la Bertauche.* [t] *Charleluchet.* La Popeliniere l'appelle *Charles Luchet.*

quas delegati ipſorum conſenſerant. Igitur die ad v Eid. Nov. condicta Claudius [a] Buellius [α] Racanus Fontani frater cum delectis ad poſticum arcis ſummo ſilentio venit, ſcaliſque admotis in murum cum xxx circiter e ſuis evadit: nec plures numero erant in arce conſcii. Dum ceteri murum conſcendunt, in arce per eos, qui ab occulto conſilio alieni erant, ſigno dato, in oppido ad arma conclamatur: et [b] Flotus, ſtrenuus ordinum ductor ad [c] Dionyſianum aggerem accurrit, emiſſoque [d] Paquelone cum delecta ſcloppetariorum manu, qui nuper [e] Charitaeo aufugerat, per [f] Anſerinam portam venientibus auxiliaribus iter intercludit. Tum ad [g] Romili fanum ſtatio collocatur. Qui in foſſa erant, deſperato aſcenſu, per obliquum tramitem ad flumen ſubjectum dilabuntur: inde vis ad arcem facta, cujus oſtium remoliri et faſcibus admotis incendere oppidani ſtatuunt, adductis foeminis et liberis eorum, qui arcem tenebant, ut ipſi ignem ſubjicerent; quibus ſi obſeſſi parcerent, res leviori negotio confici videbatur, ſin a ſcloppetariorum grandine non ceſſaretur, iis a viris propriis, parentibus et amicis interfectis, non mediocre ſolatium oppidani ſenſuri erant, quibus de conjuratorum proditione tam memorabili ultionis genere ſatisfieret. Mox et adhibitis ruſticis ad pedem muri pluteis tecti perveniunt, cumque ſuffodere incipiunt, ac tandem ſub veſperam, cum auxilia a [h] Fontano non comparerent, oppidani ab iis, qui in arce cum conjuratis idem non ſentiebant, certiores facti, obſeſſos animo linqui, aperto muro et incenſo ſtramine vim faciunt, et, diffugiente cum ſuis [β] Racano, arcem xv poſtquam capta fuerat hora recipiunt. Cadalietus in ea captus jam graviter ſauciatus in oppidum defertur, et a furente plebe, quaſi conjurationis dux, juxta S. Joannis portam occiditur: fugientem Racanum paulum inſecutus Paquelo ad ſuos rediit. Eo caſu cum omnis de Sancerranis ad obſequium flectendis et admittendo praeſidio praeciſa ſpes eſſet, Fontanus in aulam revertitur. Illi vero, qui diſſenſiones ſuas paulum ab exitio abfuiſſe cernerent, eo magis in poſterum concordes nulla inquilinorum et oppidanorum facta diſtinctione amicitiam inter ſe coluerunt; et cum de regis gratia deſperarent, militia in oppido ordinata, cuncta ad vim, quam tamen verbis ſemper deprecabantur, ſuſtinendam comparant. Itaque Andreas [i] Joannellus, cujus virtutem praecedentibus bellis experti fuerant, praefectus dicitur, ei ſummo imperio delato. [k] Martino oppidanorum dux, qui fere, in eo numero putatis ruſticis, ad ıↄ armatos efficiebant, conſtituitur: cui legatus Claudius [l] Pillardus, et Ludovicus Martinatus ſignifer datus eſt. Inquilinorum praecipui duces erant [m] Florus, Challous Aurelianenſis, Montalbanus, Buſſerius Cortaſienſis, Buiſſo, Mineus, Paquelo et Orivallius Albinienſis; qui penes ſe ccc armatos habebant. His accedebant ruſtici, qui non ſolum gladiis, contis et ſcloppetis, ſed etiam fundis rem gerebant tanta, ut e ſuperiore loco, vi et ictuum repetitorum frequentia, ut non ab ulla re magis poſtea regii, qui oppidum obſidebant, infeſtati fuerint: ex eoque ſcloppeti Sancerrani, quibus fundae deſignabantur, in proverbium abierunt. Recepta arce, qua ex cauſa offenſione contracta incertum, [n] Doius ordinum ductor, Stephanus [o] Guichardus, Baronius, Bazarneus, alii ex primariis civibus oppido exceſſere: quod obſeſſorum rebus maxime incommodavit. Aliae et in regno urbes erant, quae domo pulſis et palantibus receptum praebuere: in Cadurcis [p] Montalbanum, Millialdum in Ruſtenis, in Septimania ſive Occitania Nemauſus, fanum Privati, Andeza; in [q] Vivarienſi agro et Cebennis [r] Puſinum, Albenacum, Villanova, Mirabellum:

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] Ratamus *D. f.* [β] Racamo *D. f.*

INTERPR. [a] *de Bueil, ſieur de Racan.* [b] *le capitaine la Fleur.* [c] *S. Denis, lieu terraſſé joignant les murailles de la ville.* [d] *le capitaine Paquelon.* [e] *la Charité.* [f] *porte Oyſon.* [g] *temple de S. Rombie.* [h] *le ſieur de Fontaines.* [i] *Joanneau gouverneur.* [k] *le capitaine Martignon.* [l] *Pillard lieutenant, & le jeune Martinat enſeigne.* [m] *les capitaines la Fleur, Chaillou d'Orleans, Montauban, la Buſſiere de Courtaiſon prés Orange, Buiſſon, la Minée, Paquelon, & d'Orival d'Aubigny.* [n] *le capitaine la Doye.* [o] *Guichard, le Baron, & Bazarne.* [p] *Montauban en Quercy, Millaud en Rouergue, Niſmes en Languedoc, S. Privas & Anduze.* [q] *le Vivarais & les Cevennes.* [r] *le Pouſin, Aubenas, Villeneufve, Mirebel.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

Mirabellum: ſed plerique jam oppidani, cum ſe impares ad vim ſuſtinendam viderent, huc illuc dilapſi; et, qui potuerunt, pars Genevam, alii ad Helvetios tranſierunt; quos Pomponius [a] Bellevreus regis nomine apud eos orator, ut domum redirent, regiſque beneficio uterentur, hortabatur, et apud pagorum ordines inſtabat, ne illis novas turbas contra patriam molientibus receptus daretur: ſed cum inhumanum videretur, miſeris hominibus percuſſorum manus fugientibus tectum negare, plus regis et Bellevrei expoſtulationibus miſericordia apud eos valuit. Qui vero domi remanſerant, non ſolum ob infirmitatem de rebus ſuis male ſperabant, ſed fortuna eos deſtituente etiam de cauſae ſuae jure in diverſas ſententias rapiebantur. Nam plerique ſic diſputabant; non licere ſine principum aut primarii magiſtratus auctoritate arma ſumere, nec, ſi rex injurioſus ſit, vim opponere ſubjectis jus eſſe: id ſatis docuiſſe Deum, infelici conatu toties re antea a Proteſtantibus tentata, cum et regendo imperio imparem regem per aetatem cauſarentur, et regis conſiliariorum iniquam adminiſtrationem praetexerent, ad haec principum et primariorum virorum ſe auctoritate tuerentur: nunc regem virum eſſe; et deeſſe principes, ad quos regni adminiſtrationem pertinere cauſari poſſint; et diſerte teſtari regem, nolle ſe Proteſtantium cauſae praejudicium facere: Colinium et ſocios ob conjurationem et armorum renovata conſilia ſuo juſſu oppreſſos, idque ad pacandum regnum extrema neceſſitate adductum regem feciſſe; et quamvis ea re modum exceſſerit, non tamen fas eſſe ſubjecto adverſus principem inſurgere, aut delictorum rationes et poenas ab eo expoſcere; cum a Deo populis impoſitus ſit, cui perinde ſoli ſuae adminiſtrationis rationem repoſcenti reddere teneatur. Nec deerant, qui et Condaei et Colinii memoriam accuſarent; ut qui multa regibus non ferenda auſi eſſent, et rem a ſupplicationibus et pietate ad vim et factionem adduxiſſent: nec ſine Numine eveniſſe, ut rex, qui pacem expetat, et edicta a ſe facta ut ad tranquillitatem neceſſaria tueri velit, extrema haec conſilia ceperit. Nec vitia inter Proteſtanteis jam a multo tempore ex nimia copia et otio graſſantia diſſimulabantur, quae juſtam Dei atque adeo regis iram adverſus ipſos excitaſſent. Itaque potius eſſe, ut ſe regi ſubjiciant, et ſupplicationibus ac patientia eum, quem armis prius irritaverint, in poſterum placatum habeant. Et vero, ſi quidem res humanis rationibus expendatur, poſt occiſos tot fortiſſimos viros, tot praeclaros belli duces, tot ſtrages ubique editas, tot familias per direptiones profligatas, quae belli gerendi ratio, aut quae ſpes in armis ſupereſſe poterat? Nam debilibus locis ac praeſidio deſtitutis, deficiente pecunia, contra univerſi regni robur confidere, amentiae propius videbatur. Praeterea in externis auxiliis nihil opis erat; et Angliae reginam ac Germanos, Imperii principes, deſperatis Proteſtantium rebus, quibus bellorum ſuperiorum temporibus ſemper praeſto fuerunt, cum ſumma jactura et regis offenſione inaneis ſumptus minime facturos apparebat. Itaque nihil aliud ab humanis praeſidiis amplius ſuperabat, quam ut leges a rege acciperent, et aequiſſimis quam poſſent conditionibus cum eo paciſcerentur. Sed adverſus haec belli incommoda et novas ſubinde exorienteis difficultates caedium horror, ſi praeſidium admitterent, pugnabat, et ejuſdem peſtis ob oculos aſſidue obverſantis metus in ſumma rerum infirmitate timidiſſimo cuique ex deſperatione animos addebat.

XV. ITAQUE cum Gulielmus [b] Jouſa per Damvillae abſentiam in Septimania legatus eodem tempore, quo [c] Rupella et Sancerra tentabantur, [d] Nemauſenſeis, in quorum civitate primaria praeſidialium curia eſt, de accipiendo praeſidio, nec non et ceteras provinciae urbes ſolicitaret, illi initio nutabant, et, cum recuſare primum omnino non auderent, tempus [α] variis protelationibus extrahebant: ſed cum in eo

eſſent,

VAR. LECT. [α] cunctando variis *D. f.*

INTERPR. [a] *de Bellievre.* [b] *de Joyeuſe, lieutenant general en Languedoc.* [c] *la Rochelle & Sancerre.* [d] *ceux de Niſmes.*

eſſent, inſtante Jouſa, ut [a] regiis mandatis obtemperarent, [a] Clauſonius curiae illius conſiliarius, cenſentibus pleriſque iiſque locupletioribus tempori cedendum eſſe, nec expectandum, dum temeritate ſua omnem ſibl poenitentiae viam praecluderent, decreto intercesſit, et qua erat inter ſuos ob integritatis et conſtantiae opinionem auctoritate pervicit, ne quidquam decerneretur, cum diceret, in eo negotio nihil feſtinandum eſſe, ſed capiendum in diem e re conſilium; nam Deum haud dubie in ſua cauſa ſuis praeſto futurum: qnod ſi ad arma deveniendum ſit, nihil morte acerbius poſſe contingere, quae tolerabilior longe gladios ſtringentibus ſit futura, quam ſi inermes ſe praedonibus dedant; a quibus non aliam, quam qui [b] Lutetiae, Aureliani, Lugduni, Caſtri et Toloſae nuper immaniter trucidati ſunt, gratiam expectare poſſint: optabilius eſſe mortem ab hoſte et in proelio aut pro moenibus fortiter pugnando oppetere, quam latronis aut etiam carnificis manu mactari: neque vero aut humano aut etiam divino jure injuſta eſſe arma, quae pro juſta defenſione, non ad vim inferendam, ſed ad injuriam propulſandam ſnmuntur: nec bellum adverſus regem, ſed impios ejus conſiliarios geri, qui regia auctoritate ad caedeis ac rapinas abutantur: nec deſperandum, ſi in manifeſta cauſae juſtitia, ſerio et vera peccatorum coram Deo confesſione expiatis mentibus, in eum ſpes et vota ſua conjecerint, quin Deus ipſorum aliquando miſereatur, et inſperata via expediendae ſalnris rationem aliquam eis commonſtret; interea patientia et precibus graſſari: verum eſſe, ſicque exiſtimare ipſos debere, cum in feſtinatione multum periculi ſit, morae et cunctationi, quae praeclaras rei bene gerendae rationes praebere ſolent, inſiſtendum eſſe. Ad has Clauſonii adhortationes accedentibus crebris Montalbanenſium literis, qui Rupellanorum exemplo confirmati Nemauſenſeis, nt in propoſito de non accipiendo praeſidio aut intermittendis concionibus perſeverarent, hortabantur, Jouſae ſcripto prolixo reſpondent; et de fide et obſequio erga regem praefati, incidiſſe eas occaſiones dicunt, quibus, qno minus imperata facere poſſint, prohibeantur: niſi enim ſibi de vita, fortunis, et, quod vita fortuniſqne pluris aeſtiment, de conſcientiarum libertate ac publico religionis nſu idonee primum caveatur, de praeſidio accipiendo non poſſe aſſenſum praebere. Tum amplificata, multis et ad horrorem compoſitis verbis Pariſienſi et urbium, quae ejus exemplum ſecutae ſunt, laniena, eo ſe terreri dicunt, ne, ſi jugum, quod detrectent, ſibi imponi patiantur, pari cum ceteris et idem in religione ſentientibus ſociis et amicis caedium ac ſuppliciorum ſaevitia deleantur: non minus ſe propterea in regis fide futuros, cui, cum tam praeſentis exitii metus tractu temporis paulatim ex animis exoleverit, non ſolum in ea re, ſed in aliis, ſicuti debeant, obſequium deinceps ſint praeſtituri. Hoc accepto reſponſo, nihilominus Jouſa quaſi de ipſorum ſalute ſolicitus urgebat, ut, quo regiis mandatis quadantenus obtemperare viderentur, ſaltem ad aliquod tempus conciones intermitterent: quarum frequentatione non tam ad illaqueandas ipſorum conſcientias, ant ipſum religionis uſum prohibendum, quem illis liberum relinquere rex deinceps in animo habeat, edicto interdicitur, quam ad vitandas in praeſens turbas et conventiculorum offenſionem; quando regi perſuaſum ſit, non de pietatis exercitiis, morum emendatione, aut diſciplina ſancienda, ſed de ſolicitanda urbium fide, ſeditionibus excitandis, ac denique de belli gerendi ratione in his conventibus conſilia agitari. Igitur Nemauſenſes, ne legati atqne adeo regis imperium negligere omnino viderentur, re deliberata, decernunt ad praeſentem neceſſitatem, ut conciones noctu et clam non interdiu haberentur: quae res magnas qnerelas in urbe excitavit. Nemauſenſium exemplum ſecuti Vivarienſes, et alia in Cevenis oppida, quae a Proteſtantibus tenebantur, ea ſe ratione

VAR. LECT. [a] regis *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Clauſonne, conſeiller au preſidial.* [b] *Paris, Orleans, Lyon, Caſtres, & Toulouſe.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX. ratione placatiorem habituros regem ſperantes. Cum vero Nemauſenſes bello ſemel accenſo in ſe primum armorum impetum incubiturum providerent, omnia ad defenſionem parant; et ſuburbium frequentiſſimum, quod urbi obſeſſae multum incommodaturum apparebat, ante omnia diruunt. Miſſus a rege fuerat in Vivarienſem agrum ex Vivarienſi nobilitate [a] Logerius vir probus; poſt cujus adventum [b] Puſinum, in [c] Rhodani ripa ſitu munitum et ad res multas opportunum oppidum, a Proteſtantibus occupatur. Haud longe hinc abeſt [d] Villanova, oppidulum [e] praefectura juridica, ex qua ad curiam Nemauſenſem provocatio eſt, nobile. In eo oppidani utriuſque religionis pro communi ſalute et tutela fidem obligaverant; et duos duces militares univerſitatis ſuffragiis creaverant, [f] Mirabellum et Baronium; hunc Proteſtantium doctrinae, illum majorum religioni addictum: ſed non diu inter diſſidenteis opinionibus animorum manſit concordia; regiique, qui ſibi ab aliis juſta offenſione irritatis et ad omnia ſuſpicioſis metuebant, optimum factu duxerunt, ſi oppidum in Logerii, quem a ſanguine et violentia abhorrere cognoſcebant, poteſtate eſſet. Res autem citra tumultum aut cujuſquam injuriam confecta. Nam cum Logerius a Mirabello monitus propius urbem copias adduxiſſet, ipſe ad oppidum accedit, et ex compacto regia auctoritate Mirabello imperat, ut portas ſibi ac ſuis patefaciat. Illa denunciatione attonitus Baronius, qui ante portam inermis obambulabat, ut Logerium ad portam venientem et comi vultu obvios quoſque ſalutantem vidit, quod erat ſuſpicatus, ſine ſtrepitu elabitur. Logerius intra urbem a Mirabello admiſſus moderate admodum ſe geſſit: nam a cruore omnino abſtinuit: avaritiae tamen a nonnullis inſimulatus, quod cum [g] Albenacenſeis et Privatenſeis urgeret, ut juxta regia mandata praeſidium acciperent, et illi vim deprecarentur, depenſa pecunia eam gratiam a ſe redimere coegerit, [h] Valetonio locuplete cive apud ſe retento, donec ea exſolveretur. Baronius [i] Mirabellum profugerat, locum ad conciones edicto regio deſtinatum, cumque ope [k] Pradelii viri nobilis, qui fundum in eo habebat, occupavit: quod ad Villam-novam intercipiendam poſtea ei maxime opportunum fuit. In Delfinatu proximo res fere quietae erant moderatione Bertrandi [l] Simienae Gordii provinciae per [m] Monpenſerii abſentiam legati, cum Proteſtantes nullas in ea urbes, oppida, arces tenerent, et Ludovicus [n] Podienſis Monbrunius, qui ad nuptias Pariſienſeis profectus non fuerat, rerum gerendarum occaſiones opperiens, interea apud amicos lateret. Inter haec [o] Damvilla Septimaniae praeſes in provinciam venit, ut imperia regia detrectanteis in ordinem cogeret, conflato jam regis juſſu ante praeſidis adventum a Gul. [p] Jouſa ipſius legato exercitu. Quo primum duceret fuit initio incertum: cumque primam belli tempeſtatem in ſe incubituram putarent [q] Nemauſenſes, nullum in urbe ſua munienda tempus intermittebant. Sed accidit, ut paulo ante Antonius [r] Plexius Gremianus belli ſtrenuus dux, qui ad rei Pariſienſis famam copias quaſdam ad tutelam propriam contraxerat, cum a nemine ſe peti videret, ultro alios petierit; ac [s] Sommeriam, in qua nihil tale ſuſpicatus Gul. Jouſa aliquot equitum praeſidium et equos ſuos reliquerat, inopinato ceperit. Eo poſt tumultum plerique Proteſtantium confugerant, et cum arcis praefecto incolumitatem pacti aliquanto tempore quieverunt; dein ſive ſuborta ſuſpicione, quaſi praefectus pactis ſtare nollet, ſive animis cum rerum ſucceſſu creſcentibus, conſilium de arce occupanda ceperunt, auſpiciis Gremiani, qui [t] Lecam haud longe ab oppido conceſſerat. Ibi cum [u] Riboto et Gulielmo Aemario ferrariis de arce intercipienda convenit; qui, quod arcis praefecto operam navarent, a cuſtodibus citra ſuſpicionem omnibus horis admittebantur. Ii igitur ſub prandium admiſſi

INTERPR. [a] *le ſieur de Logieres.* [b] *le Pouſin.* [c] *le Rhône.* [d] *Villeneufve.* [e] *Bailliage.* [f] *les capitaines Mirebel & Baron.* [g] *ceux d'Aubenas & de Privas.* [h] *Valeton.* [i] *Mirebeau.* [k] *le capitaine du Pradel.* [l] *de Simiane de Gordes, lieutenant general en Dauphiné.* [m] *le duc de Montpenſier.* [n] *Du Puy, ſieur de Montbrun.* [o] *le mareſchal de Damville, gouverneur de Languedoc.* [p] *de Joyeuſe.* [q] *ceux de Niſmes.* [r] *du Pleix, ſieur de Gremian.* [s] *Sommieres.* [t] *Leques.* [u] *Ribot mareſchal, & Aymar ferrurier.*

admiſſi in ſtationarios jam raros manus injiciunt, et cum praefecti ſororius ad ſtrepitum accurriſſet, ipſe quoque a conjuratis occiditur. Praefectus vix periculum evaſit, turre occupata, ex qua ſigno dato ad arma conclamavit. At Gremianus, qui haud longe hinc cum ꝛↄ delectis in inſidiis latebat, ad portam arcis advolavit; quam vectibus remoliri conati ferrarii ad extremum perfregerunt, et Gremianum intra arcem receperunt. [a] Monperruſius Jouſae ſignifer, qui in oppidi praeſidio erat, cum et ipſe accurriſſet, a Riboto provolutis ex arce grandioribus ſaxis repulſus ad turrem ponti imminentem cum paucis ſe recipit, ceteris diffugientibus. Turres mox deditione receptae, dimiſſis, ſicuti convenerat, praefecto arcis et Monperruſio. Id actum IV Eid. Nov. Majore aſtu eodem menſe captum [b] Chelarium in Vivarienſi pago munitiſſima arx cum oppido ſubjecto; quae a [c] Motha cum praeſidio tenebatur. Ad eam municipes, qui fere omnes Proteſtantium doctrinae addicti erant, ſuperioribus bellis, cum a [d] Torreta obſiderentur, viam ſubterraneam paucis notam in ſaxo inciderant, per quam, ſi neceſſitate compellerentur, ad extremum ſe reciperent. Tum forte aberat Motha, et [e] Valentiam Segalaunorum ad Gordium venerat. Quam commoditatem nacti municipes, quibus mortis metus quotidie a praeſidiariis plebi injurioſe illudentibus intentabatur, conſilio inito per cavernam, amoto ingenti ſaxo, quod oſtium obſtruebat, arcem ingreſſi cuſtodes ſomno ſepultos occupant, et reſiſtere auſos obtruncant; ceteros captivos ſiſtunt. Rei fama ſtatim ad Motham pervolavit; qui tum, cum de ea allatum eſt, cum Gordio de Chelario tanquam inexpugnabili arce ſermocinabatur: et cum nondum, qua ratione ab oppidanis capta eſſet, conſtaret, ille dejerans, vix habita nuncio fide, tamen rem, ut geſta erat, divinavit; Aut enim, inquit, terram ſubtus in arcem penetraverunt, aut per aerem in eam involarunt. Damvilla cum exercitu incedens cum jam fruſtra [f] Uticam tentaſſet, et [g] Geneſii fano recepto etiam [h] Calviſſonem expugnaſſet, cum [i] Nemauſum petiturus crederetur, ex ea occaſione ad [k] Sommeriam deflexit; in cujus oppugnatione totum quadrimeſtre conſumpſit. Sed haec ad annum ſequentem pertinent, Sommeriae, [l] Sancerrae in Biturigibus, [m] Rupellae in Santonibus, atque extra Galliam [n] Harlemi in Batavis, obſidionibus; ad haec Henrici [o] Andium ducis in regem Polonorum electione, inſignem. Et haec quidem quarti belli civilis in Gallia initia fuere, eo magis memorabilis, quod parvis adeo initiis praeter ſpem et eorum ipſorum, qui illud neceſſitate potius quam conſilio adminiſtrabant, opinionem, cum tot occiſis ducibus, diſſipata huc illuc quae ſupererat nobilitate, plebe per urbes attonita omnino debellatum crederetur, ſine ullius principis externo auxilio, deficiente poſt tantas direptiones ubique pecunia, res Proteſtantium intra anni curriculum reſtituit. Nunc ſeries narrationis poſtulat, ut res Belgicas noſtris conjunctiſſimas, ad quas Pariſienſis tumultus non parvum momentum attulit, ordine perſequamur.

INTERPR. [a] *le ſieur de Montpeyrous, guidon du ſieur de Joyeuſe.* [b] *Chelar au Vivarais.* [c] *le capitaine la Mothe.* [d] *le capitaine la Torrette.* [e] *Valence en Dauphiné.* [f] *Uſez.* [g] *S. Geniez.* [h] *Cauviſſon.* [i] *Niſmes.* [k] *Sommieres.* [l] *Sancerre en Berry.* [m] *la Rochelle en Saintonge.* [n] *Harlem en Hollande.* [o] *Anjou.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS QUARTUS.

EPITOME.

OB decimam in Belgio, ante Pariſienſem caſum, tumultuatur. II. Poſt Brielam in Batavis a Marciano Lumaeo Anglia pulſo, occupatam, Roterodamum in poteſtatem a regiis redigitur: Hiſpani Vliſſinga pelluntur. III. Mildeburgum obſeſſum, irrito conatu. Enchuſae ad foederatos defectio. Valenciani tumultuantur. IV. Montes in Hannonia aſtu a Proteſtantibus capti. V. Goda, Dordracum, arx Gorcumenſis, Lugdunum, Lovenſtenium et Schonhovium in Batavis ad eos deficiunt. Mox et Alcmaria, Horna, Edamum, Medenblicum in Arauſionenſis verba jurant. Bergenſis comitis in Zutfanienſi comitatu et Tranſiſelana res geſtae. VI. Copiae Albani et Arauſionenſis. Valencianae beneficio arcis receptae. VII. Vliſſingenſium contra reliquos inſulanos geſta. Tergoeſa infeliciter tentata; Tſerarſio ob id injurioſe proditionis inſimulato. VIII. Jo. Cerda Medinae-coeli dux Albano ſucceſſor deſtinatus in Belgium deſcendit. Albani ad Montes caſtra poſt caſum Pariſienſem. IX. Jenliſius obſeſſis ſuppetias laturus, a Philippicis noſtrorum indicio proditus, cum ſuis intercipitur. X. Spinolenſe coenobium expugnatur. XI. Lovanium, Mechlinia, Ruremunda in Arauſionenſis partes tranſeunt. XII. Montes poſt varias velitationes tandem Albano deduntur. XIII. Mechlinia recepta. XIV. Tergoa in Zelandia a foederatis iterum fruſtra tentata. XV. Marcianus Lumaeus, Ferdinando Toletano digreſſo, claſſem Amſterodamo admovet. Bergenſis comitis in Sicambris res geſtae. In Tranſiſelana paſſim defectiones, et in Friſia proxima Nederwormteri ductu. XVI. Albanus Moſae Trajectum venit. Nardenum in Friſia crudeliter direptum. Immanis facti a Numine defenſi propius miraculo exemplum. XVII. Harlemi obſidio a Friderico Toletano per hyemem concreta glacie coepta. XVIII. Fabius Urſinus cardinalis a pontifice miſſus longe aliam apud nos faciem, quam rebatur, reperit. Ejus cum rege colloquia, et de concilii Tridentini promulgatione enixa poſtulata, a quibus rex et regina ſe excuſaverunt. Rambulietus regis nomine, Duracius a Navarro Romam miſſi. XIX. Stella nova et admiranda ſub Caſſiopeae aſteriſmo conſpecta, de qua varia mathematicorum judicia. Novus morbus novam ſtellam ſecutus, Pictonicus colicus vulgo dictus. XX. Lutetiae novus motus irrito ſucceſſu tentatus, et a Ludovico Gonzaga Nivernio eluſus. XXI. Inter Venetos et Hiſpanos de foedere nuper inito diſſidia; quorum is exitus fuit, ut Veneti de pace cum Turcis facienda ſerio cogitarent. XXII. Columna cum Veneta claſſe ad Corcyram ſe conjungit. Carolus Lotaringus Meduanae marchio cum delecta nobilitate e Gallia eodem venit, in Patriciorum cenſum a ſenatu, cum Venetiis eſſet, allectus. Fr. Noallio Aquenſium in Tarbellis epiſcopo et ad Portam Othomanicam oratori mandatum, ut Venetis in procuranda pace regis nomine praeſto ſit. Eminus tormentis cum Turcis a Columna et Venetis res geſta. XXIII. Ubi venit Auſtrius novae ſubortae altercationes. XXIV. Ad Coronen haud longe a Methone in Peloponneſo facta exſcenſione leviter pugnatum, et ad Juncum portum fuit receptus. Navarrini ſive Pyli irrita obſidio. XXV. In Umbria res turbant ob vectigalia nova impoſita ab Urbini duce, interventu novi pontificis compoſitae. XXVI. De titulo magni Etruriae ducis controverſia mota

mota apud Caeſarem. XXVII. *Hippolyti Ateſtini cardinalis obitus; item literis clarorum virorum, Aegidii Tſchudi Claronenſis, Joannis Wolfii, Donati Janotii, Hippolyti Salviani, Nicolai Gruchii, Antonii Rodolphi Cevalerii, Stephani Tzegedini, Joannis Geneſii Sepulvedae.*

EX AUCTORIBUS,

Imm. Meterano, Joanne Parvo, Bernardino Mendoza, H. Fr. Conneſtagio, Lud. Vicino Popelinerio, Joanne Serrano, Actis Publicis, Chriſtophori Thuani primarii praeſidis adverſariis, Gemma Friſio, Paulo Aegineta, Franciſco Citeſio, Bartholomaei Caſae Chiapenſis epiſcopi relationibus.

LIBER QUINQUAGESIMUS QUARTUS.

DUM [a] Albanus in decimae ac viceſimae exactione totus eſſet, et quaſi nihil amplius a popularibus motibus metuens rem omni violentiae genere urgeret, opifices Bruxellis quaſi ex compacto tabernas claudunt; piſtores panem coquere, cerviſiarii, ſeplaſiarii, et alii rerum ad vitae quotidianae uſum neceſſariarum inſtitores quidquam vendere recuſant, ne quid decimae aut viceſimae ratione pendere cogerentur: quod cum ille ad injuriam revocaret, diſpoſitis per urbem ſtationibus tabernas aperire et merces vendere recuſanteis in aedium propriarum januis ſuſpendio punire ſtatuit. CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

II. JAMQUE dies aderat ſeverae juxta et horrendae ſententiae dicta per carnifices et alios ſaevitiae miniſtros exequendae, ſcalis etiam et laqueis ad eam rem paratis, cum de [b] Briela in Batavis a foederatis capta affertur. Quo nuncio in ſpeciem minime commotus Albanus, ne nimiae et intempeſtivae ſeveritatis ſuae poenitere eum appareret, rem non omnino omiſiſſe, ſed ad tempus diſtuliſſe videri voluit. Id autem ſic accidit. Cum exules ex nobilitate et oppidanis, qui arma ferre poterant, in Angliam conceſſiſſent, et claſſem tumultuariam XL circiter navium adornaſſent, vulgari dicterio anſeres ob id maritimi appellati, continuis excurſionibus omnia circum infeſta faciebant. Ea de re cum crebris nunciis apud Eliſabetham expoſtularet Albanus, et contra foederis leges fieri diceret, ut piratae in portubus ejus receptum haberent, illa, etſi minime ipſi alioqui cum Albano conveniret, foederatis prius monitis, ut ſibi conſulerent, omneis portubus ſuis et [c] Dovera in primis faceſſere jubet; ditioniſque ſuae ſubditis populis, ne commeatu eos juvent, gravi propoſito edicto vetat. Id quamvis moleſtum foederatis eſſet, tamen, cum parere neceſſe haberent, ex neceſſitate conſilium capiunt, ſumpta a periculo audacia, [d] Enchuſamque delati Antuerpienſem navem, Hiſpanicis mercibus magni pretii onuſtam, et [e] Cantabricam aliam capiunt. Inde vento parum aſpirante Brielam inſulam appellunt, ad quam Rhenus et [f] Moſa conjuncti in mare provolvuntur: ibi, quod nunquam ſe facturos ſperaverant, occaſione oblata aggrediuntur; urbem inſulae cognominem oppugnant, portamque pulvere tormentario evertunt, moenia ſcandunt, et de improviſo vi facta loco potiuntur, ipſo Palmarum die feſto Kal. Apr. direptis circum templis ac coenobiis, ac confractis imaginibus; captamque urbem feſtinatis operibus muniunt. Quo cognito, Albanus Maximiliano [g] Hennino Boſſuvii comiti mandat, ut cum X Hiſpanorum cohortibus, quae circa [h] Trajectum erant, quibus Ferdinandus [i] Toletanus praeerat, eo confeſtim ducat. In ipſo appulſu, cum foederati occurriſſent, propius accedere non auſi Hiſpani; interim

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *la Brille en Hollande.* [c] *Dover,* ou *Douvres.* [d] *Enchuyſen.* [e] *vaiſſeau de Biſcaie.* [f] *la Meuſe.* [g] *Hennin, comte de Boſſut.* [h] *Utrecht.* [i] *de Tolede.*

CIƆIƆLXXII. interim mari decreſcente deſtituti, in proximam litoris oram dum naveis deducere
CAROLUS IX. properant, hoſte inſiſtente partim caeduntur, partim in luto haerentes capiuntur, navibus incenſis: pauci fuga elapſi, cum [a] Dordracum confugiſſent, ingreſſu prohibentur. Id aſtu et nefanda proditione praefecti [b] Vlaerdingenſis accidiſſe ſcribit Mendoza; qui, monito clam [c] Lumaeo, naveis Hiſpanorum ſub cuſtodia relictas, earum incendendarum conſilium ei dederat. Inde [d] Roterodamum petunt; ubi ſinguli ſere haud exiguo numero catervatim admiſſi ſunt, et in iis Rodericus Sapata et Franciſcus [e] Valdeſius: ſic enim convenerat. Sed cum his conditionibus introducti jam ſe idoneo numero eſſe cernerent, ut vim facere poſſent, Boſſuvio ipſo praeeunte, qui unum ex cuſtodibus propria manu interfecit, vi portas revellunt, et ſociis acceptis plateas occupant, ex oppidanis ad cc interficiunt, urbemque crudeliter diripiunt. Id v Eid. Apr. accidit. Mox [f] Delfinſavam portu opportuno commodam in propinquo capiunt, ac praeſidio, cui Gaſpar [g] Drea praeerat, firmant. Foederatorum praecipui duces erant, praeter Lumaeum, Willelmus [h] Bloſius Trelonius, [i] Swetenii regulus, [k] [α] Lancelotus Bredenrodius; Bartholomaeus [l] Entenſius, Jo. Vigerius a [β] Stizma nobiles Friſii, alii; qui, ſedulo ſolicitata [m] Batavorum et Mattiacorum fide jam Roterodami caſu mirum in modum exacerbatorum, multos in ſuas partes pertraxerunt. Cumque Albanus [n] Vliſſingam, [o] Walacriae Mattiacorum primariae inſulae oppidum valde opportunum multis de cauſis ſibi inprimis muniendum intelligeret, coepta jam ante in ea arce, eo VIII Hiſpanorum cohortes ex Brabantia evocatas duce [p] Oſorio Angulo mittit; qui ipſo Dominicae reſurrectionis die, qui in VI Eid. Apr. incidebat, appulerunt, praemiſſis metatoribus, qui oppidum ingreſſi dum cum oppidanis altercantur, unus ex iis oppidano ſuperbius, ut aiebat, reſpondenti colaphum contumelioſe impegit: qua injuria, quae ad univerſos pertinere videbatur, illi irritati ſtatim arma capiunt, et metatores injurioſe pulſatos excedere cogunt, Petro [q] Pacheco, quem Albanus arci exſtruendae praefecerat, in tumultu [†] occiſo, cujus caput conto praefixum et pro moenibus ſtatutum eſt, incendentibus plebem factionis principibus, ne qua veniae aut reconciliationis ab Albano ſpes ſupereſſet. Quo facto, illi ad [r] Arauſionenſem legatos miſere opem ejus implorantes; Eliſabetha etiam de auxiliis clam ſolicitata. Itaque Angulus Vliſſinga excluſus, ex [s] [γ] Wackemi Inſularum praefecti conſilio, re infecta [t] Bergas, unde ſolverat, redit. Ad rei famam ſtatim Vliſſingam auxiliares Galli ɪↄ venere a [u] Naſſovio tranſmiſſi, duce Hieronymo [w] Tſerarſio. [δ] [x] Mildeburgum Philippus [y] Lanoius Bellovaſius praeſes ab inſulanis ad defectionem ſruſtra tentatum Albano ſervavit: [z] Campheram, quod eſt totius Zelandiae armamentarium, in fide retinere non potuit, mox foedere cum Vliſſingenſibus conjunctam. Inde Vliſſingenſes appellentium navium machinas bellicas capiunt, et ex iis claſſe inſtructa excurſionibus infeſta omnia faciunt. Nec multo poſt ad eos venere ɪↄ ſcloppetarii e Gallia a Naſſovio miſſi, duce Joanne [aa] Calvimontio Guitrio. Cum Albanus Dunkerka aliquot machinas devehi curaſſet ad vim ſubitam, antequam exules ſe Vliſſingae muniviſſent, faciendam, vectorum ſeu ignavia, ſive, ut Hiſpani volunt, proditione, eae in Anglorum manus venerunt. Dein datum negotium Philippo Lanoio Bellovaſio, ut cc praeſidiarios [bb] Tergoam, quae eſt urbs primaria [cc] Bevelandiae inſulae [dd] Scaldis aeſtuario oppoſitae, introduceret, et cum aliis totidem Mildeburgum ingrederetur.

III. CUM

VAR. LECT. [α] Ladiſlaus *D.* f. o. d. *ubique.* [γ] Balchemii *D.* f. o. d.
[β] Sitzma *D.* f. [δ] Milleburgum quod *D.* f. Mileburgum quod *D.* o.

INTERPR. [a] *Dort.* [b] *Vlaerdingen.* [c] *Guillaume comte de la Marck, ſieur de Lumey.* [d] *Roterdam.* [e] *de Valdes.* [f] *Delfshaven.* [g] *Drea.* [h] *de Bloys* dit *Treſlong.* [i] *le ſieur de Zwieten.* [k] *Lancelot de Brederode.* [l] *Entens, & J. Viger de Stizma.* [m] *Hollande & Zelande.* [n] *Fleſſingue.* [o] *iſle de Walcheren.* [p] *Oſorie de Angule.* [q] *Pacheco.* [r] *le prince d'Orange.* [s] *Wackem.* [t] *Bergenopzoom.* [u] *le comte Ludovic de Naſſau.* [w] *Tſerarts.* [x] *Middleburg.* [y] *de Lanoye, ſieur de Beauvais.* [z] *Campvere.* [aa] *de Chaumont, ſieur de Guitry.* [bb] *Tergoes.* [cc] *Sud-Beveland.* [dd] *l'Eſcault.*

NOT. [†] Pacheco in patibulo ſuſpenſus eſt; non capite truncatus, quod verba ſequentia fortaſſe innuunt.

III. CUM vero in [a] Walacria, excepto Mildeburgo, et [b] Armuida, quae eſt arx in faucibus canalis qui Mildeburgum ducit, omnia in poteſtatem inſperata felicitate redegiſſent ſocii, creſcentibus cum fortuna animis, de Mildeburgo obſidendo conſilium capiunt, et ad oppidum caſtra ponunt. Horum conatus ut impediret Albanus, Joannem Salazarium Bergis evocat, cum II cohortibus legionis Siculae, quibus ille [c] Giſmundi fanum tenebat; tum Conſalvo [d] Bracamontio imperat, ut cum VIII cohortibus legionis Flandricae, quae [e] Hypris erant, [f] Silvam-ducis veniret; et Roderico Toletano Neapolitanae legionis praefecto mandat, ut, conſignato in Bracamontii manus oppido, ipſe cum VIII illis cohortibus Bergas contenderet, quo et II cohortes ex eadem legione, et Belgicae item aliquot ex vicinis praeſidiis, convenire juſſae: juſſus et Chriſtophorus [g] Mondragonius [h] Danvillarii praefectus legionem X cohortium conſcribere, et cum iis [i] Antuerpiam petere. Ubi copiae convenere, Sanctius Avila arcis Antuerpianae praefectus ab Albano venit exercitui maritimo cum ſummo imperio praepoſitus, quod aliis negotiis diſtractus Albanus Bruxellis interim haerere cogeretur. Avila igitur cum iis ſolvit medio Aprili, et ad aggeres ſub veſperam appellit, qui ex litorali arena alga internaſcente denſati et erecti terreſtrem illum tractum admodum humilem, unde et hodie nomen provinciae ſortitae ſunt, a maris intumeſcentis inundationibus defendunt. Inde ſumma alacritate milites in aquam deſiliunt, quod humili vado navigia propius terram accedere non poſſent, pectore tenus extantes, et a tergo Mildeburgum tendunt, qua parte urbs cincta non erat, quod ſocii de auxiliis minime cogitarent. Primam aciem ducebat [k] Liquius cum CC Belgis ſcloppetariis: ipſe cum reliquis copiis Avila ſubſequebatur, in urbem ſine certamine introductus. Mox in ea Liquio relicto cum CC ſcloppetariis; ad hoſtem perſequendum egreditur, praemiſſo Ferdinando Agnaſco Medinilla cum CL Hiſpanis, et [l] Torrenſi cum CC Belgis, qui primam aciem ducerent: ſubſequebatur Avilam Bellovaſius cum circiter IƆC. Eo ordine in ſtationarios, qui vallum ſervabant, vim faciunt, eoſque diſturbant et in fugam conjiciunt, captis VI tormentis, cum quibus ſocii Mildeburgum pulſabant. Illi cum ſe in munitionem proximam recepiſſent, inſequente Avila, locum deſerunt cum aliis CC, qui eum ſervabant, relictis IV aliis tormentis, et Armuidam confugiunt: quo rurſus eos Avila inſecutus, nulla mora interjecta locum corona cinxit, ſucceſſumque eadem celeritate urgens capit, occiſis CCCC circiter. Qui elapſi ſunt [m] Veeram perfugium habuere. Armuida praeſidio firmata dum Avila redit, Felix Guſmanus Olivarii comitis filius et [n] Deventriae praefectus in hoſtilem navem incidit, in quam et poſt obſtinatum certamen inſiliit, et cum Gregorio levis armaturae legato incendio accenſo ambuſtus eſt. Mox et Avila ab Albano Antuerpiam revocatus cum X navibus contra XXX hoſtium pugnavit, et ſe ex eorum manibus anguſtia et commoditate canalis adjutus magna cum laude expedivit. Nec multo poſt Hiſpani, qui Mildeburgi in praeſidio erant, clam inſidias infra [o] Sudburgum, quod eſt caſtellum prope [p] Vliſſingam, ſtruxere; nec diu ibi commorati praeſidiarios Sudburgo egreſſos improviſo aggrediuntur ac fundunt, fugientium tergis ita inhaerentes, ut paene cum illis caſtellum ingreſſi ſint; quod admotis tormentis ſtatim deditum eſt. Sed cum Hiſpani in loco debili vim hoſtium experiendam ſibi minime exiſtimarent, eo deſerto Mildeburgum ſe recepere, et [q] Rammekenſem arcem in proximo muniendam ſuſceperunt. Eo tempore ad X Kal. Jun. allatum de [r] Enchuſae, quae eſt unus ex tribus praecipuis Bataviae portubus, ad ſocios defectione: qua re ultra modum commotus eſt Albanus, quod claſſem in eo portu inſtructam pariter in hoſtium manus veniſſe intellexiſſet: et eodem die duabus poſt horis nuncius de [ſ] Valencianis rebellantibus venit,

INTERPR. [a] *Walcheren.* [b] *Arnmuyden.* [c] *S. Gimond.* [d] *de Bracamonte.* [e] *Ipres.* [f] *Boiſleduc.* [g] *de Mondragon.* [h] *Danvilliers.* [i] *Anvers.* [k] *de Liques.* [l] *de Torres.* [m] *la Vera.* [n] *Deventer.* [o] *Sudbourg.* [p] *Fleſſingue.* [q] *Rammekens.* [r] *Enchuyſen.* [ſ] *Valenciennes.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

venit, concitante oppidanos [a] Famarſio, viro ex vicina nobilitate primario; jamque ille cccc Gallis duce Franciſco [b] Lanovio vallum ad arcem promoviſſe ferebatur. Itaque Albanus, [1] ccc equitum turmae et I equitum ſcloppetariorum, quae in praeſidio erant, ut eo quamprimum proficiſcerentur, imperat. Iis praeerat Garſias Valdeſius, qui Alfonſo [c] Lombrali Antonii Toletani legato praemiſſo ſtatim ſubſequitur, et arcem adventu ſuo firmat: tum eruptione facta ad vallum uſque venit, et capto uno ſigno in arcem victor receſſit: inde levis armatura [d] Condatum progredi juſſa, ut obſeſſis praeſto eſſet.

IV. CUMULATI et nova triſtitia praecedentes illi nuncii, [e] Montibus Hannoniae metropoli ſub id tempus a Ludovico Naſſovio captis. Id autem in hunc modum accidiſſe ſcribit Mendoza. Antonius [f] Olivarius Hannoniae fecialis et pictor, petita ab Albano venia, quaſi res noſtras exploraturus, in Galliam venerat, et cum [g] Colinio et Naſſovio egerat, ſpe facta, ut, ſi propius ad urbem ſine ſtrepitu exiguo numero accedere et eam ingredi poſſent, mox plus IƆCC ex oppidanis ad eos ſe adjungerent. Ad IX Kal. Jun. condicta dies. Ipſe, praemiſſis circiter [α] XI delectis ſine armis, pridie cum III carris vinaria dolia vehentibus, in quae arma ille recondiderat, eo venit, et, quaſi ob itineris longitudinem ſibi temporius mane exeundum eſſet, a portarum cuſtodibus hoſpitis nihil doli cogitantis rogatu impetrat, ut [h] Bertemontia porta ante lucem aperiretur: quo facto Ludovicus Naſſovius cum paucis, et in iis Joanne [i] Calvimontio Guiterio juxta prudenti et ſtrenuo viro, ingreditur, adeo fatigatis equis, ut aliquot ex iis in via defecerint. Ingreſſus, Franciam, libertatem, et urbem captam conclamat; et cum nemo, ſicuti ſperaverat, ſe ad eum adjungeret, etiam ſubjicit, hac eadem hora [k] Albanum ab [l] Arauſionenſi fratre captum et Hiſpanos ad internecionem deletos. Cum ne his quidem publice evulgatis ullus in armis compareret, ille inſidias veritus jam de conatu deſperans urbe, quam vi retinere non poterat, excedere ſtatuit: ſed cum porta exiiſſet, e longinquo ſocios, duce Joanne [m] Hangeſto Jenliſio, Franciſco Lanovio, qui Valencianas, ut illi expeditioni intereſſent, deſeruerant, adventanteis cernit. Tum vero exiiſſe poenituit, e veſtigioque Guiterium mittit, qui, ſi in tempore adveniret, portam occuparet. Ubi ille venit, jam oppidani tractis catenis pontem adducere coeperant; in quem jam paulo ſublatum equo Hiſpano pernici evectus inſilit, et pondere pontem deprimit; quem ceteri cum faſciis albis, [2] inſolitis genti inſignibus, ſubſequuntur, et ita ſine ſanguine fere urbe potiuntur, arce non ita firma ſtatim dedita.

V. EODEM tempore Enchuſae exemplum in Batavis ſecutae ſunt pleraeque urbes; [β] [n] Gonda, Dordracum, arx Gorcumenſis, Lugdunum, Lovenſtenium et Sconhovium, partim libertatis dulcedine, partim etiam minis adactae. Mox et [o] Alkmaria, Hornum, Edamum et Medenblicum in verba Arauſionenſis jurant. In Friſia quoque proſcripti ab Albano e primaria nobilitate, [p] [γ] Nederwormteri regulus, [q] Jodocus comes Schouenbergenſis, cum in patriam rediiſſent, a [r] Sneca, Bolſvarto, et Franikera oppidis admiſſi ſunt. Contra Gaſpar [ſ] Robles Luſitanus Billii regulus ab Albano miſſus intra [t] Leovardiam, Harlingam, et [u] Staveram accipitur: cumque Docum paulo ante occupatum eſſet, ſtatim a [w] Gallo-belgis recuperatur: arx item Staverenſis eum a ſociis

VAR. LECT. [α] XL *D.* f. o. [β] Goda *D.* f. o. d. [γ] Nedervomiteri *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *le ſieur de Famars.* [b] *de la Noüe.* [c] *de Lombrales.* [d] *Condé.* [e] *Mons en Hainaut.* [f] *Olivier, heraut d'armes.* [g] *l'amiral de Coligny, & le comte Ludovic de Naſſau.* [h] *porte de Bertemont.* [i] *de Chaumont, ſieur de Guitry.* [k] *le duc d'Albe.* [l] *le prince d'Orange.* [m] *d'Hangeſt, ſieur de Genlis.* [n] *Goude, Dort, Gorcum, Leyden, Lowenſtein, & Scoonhoven.* [o] *Alckmaer, Hoorne, Edam, & Medenblick.* [p] *le ſieur de Nederwormter.* [q] *le comte Joſt de Schouwenburg.* [r] *Sneeck, Bolſwardt, & Franeker.* [ſ] *de Robles Portugais, ſieur de Billy.* [t] *Leuwarden, & Haerlingen.* [u] *Staveren, Doccum.* [w] *Wallons.*

NOT. [1] *In edit. D.* f. o. *legitur* ccc equitum turmae et I equitum ſcoppetariorum: in edit. *D.* d. *ut et in priore Genevenſi* III equitum turmae et I equitum ſcloppetariorum: *denique in edit. Genev. poſteriore* ccc equitum turmae et I equitum ſcloppetariorum. *Potius legendum,* III equitum turmis et I equitum ſcloppetariorum —— imperat. [2] *potius* ſolitis.

ſociis obſideretur, iis in fugam verſis, ab Hiſpanis occaſionem quaerentibus oppidum diripitur. In Geldria quoque proxima, Bergenſis comes, tumultuaria manu coacta Zutfanieoſem ditionem in poteſtatem ſubigit, captis [a] Dotecomio, Duisburgo, Hardevico, Hatemio et Campena urbibus: et in [b] Tranſiſelana provincia Swollam, Haſſeltum, Steovicam, [1] Goerinum et Oldeoſelium capit. Solum Amſterodamum et pauca alia oppida ac praeſidia in fide manſerunt. Unde milites Hiſpani, occluſis aggeribus, et ruptis pontibus, per quos itinera in Batavis intercepta ſunt, ſumma commeatus penuria laborabant. Itaque Rodericus Sapata, aſſumpto ſecum Joanoe Cepeda cum delecta manu et magno carrorum oumero, a Ferdinando [c] Tolctano [d] Haga miſſus, infeſtos ruſticos habuit; quorum cum paucis permultos plerunque cecidit, nunc XXX cootra CCCC, nunc X contra CC commiſſis; ac poſtremo capto [e] Sparadamo et incenſo, ubi [f] [α] Robollius captus eſt. Tandem accepto ab Amſterodamenſibus commeatu, litus maris legens, ſemel atque iterum eadem felicitate cum ruſticis conflixit, capto etiam eorum munimento: quo pariter incenſo Hagam et inde Roterodamum ad Ferdinandum Toletanum re bene geſta reverſus eſt.

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

VI. INTEREA Arauſionenſis accepta e Gallia exigua admodum pecunia, ſed ampliore ab Heſſiae principibus oppignerato patrimonio comparata, in Germania exercitum VII CIƆ equitum et XIV CIƆ peditum conſcribit; cui duces primarii praefecti Erneſtus [g] Mandeſlous, [h] Barbius comes et Heoticus frater, quem, tranſmiſſo VIII Eid. Quintil. Rheno, in Geldria luſtravit. Diverſa parte Albanus XIV CIƆ equitum in Germania conſcribit; II CIƆ praeerat [i] Salentinus ex comitum Iſemburgiorum familia archiepiſcopus Colonienſis; totidem Adolphus [k] Holſatiae dux regis Danorum fratet, III CIƆ Ericus Brunſvicus, CIƆ IƆ Otho [l] Scouemburgius, CIƆ CC Franciſcus Saxoniae dux, totidem Petrus Erneſtus Mansfeldius [m] Lucemburgici principatus praefectus, CIƆ Albertus [n] Lovenſtenius comes. III item legiooes in Germania conſcriptae, ducibus Nicolao [o] Polvillerio, [p] Eberſtenio comite, et Georgio Fronſpergio: totidem in Belgio, ducibus Maximiliano [q] Boſſuvii comite, Aegidio [r] Barlemootio Hiergio Geldriae praeſide, et Ladiſlao Barlemontio Aegidii fratre [ſ] Megenſi comite. Cumque arx [t] Valeocianarum in dies magis premeretur, datum negotium Joanni Mendozae levis armaturae praefecto, ut cum duabus equitum cohortibus, quae [u] Aldenardae erant, et iis, quas [w] Capralis colligebat, copiis, laborantibus arcis praeſidiariis ſuccurreret. Eodem tempore juſſus Bernardinus Mendoza [x] Malabogium in Hannonia cum Petri Taxis et ſua cohorte ioſidere, ut diſcurrentibus illac per limitem Gallis, ne [y] Montes petereot, iter ioterclůderet. Igitur Joannes Mendoza rapta manu ubi [z] Tornacum venit, ſumptis in armameotario arcis armis, tirooem ouper cooſcriptum inſtruit; et cum iis Valencianas tendit, eo ordine, ut, introductis in arcem II Belgarum ſignis, ceteros admiſtis lixis et caculis in colle oppoſito diſponeret, ita ut majorem numerum ex oppido ſpectantibus repraeſentaret. Tum juſſis ad Hiſpanorum ritum pulſari tympanis, quaſi Hiſpanae eae copiae eſſent, ingens incuſſus oppidanis et obſidentibus terrot, qui ſtatim vallum deſerunt. Quo cognito Antonius Toletanus per moenia in urbem inſilit; et ab arcis praeſidiariis eodem tempore fit impetus, in quo aliquot ex Gallis occiſi, IX ſigna capta. Miles praedae intentus fugienteis perſequi neglexit, quorum plerique a Malabogii praeſidiariis, dum ſe ad limitem

VAR. LECT. [α] et Ramboldus Roſa *D. f.* Ramboldus Roſa *D. o.* Rambaldus Roſa *D. d.*

INTERPR. [a] *Detekum, Doesburg, Harderwick, Hattem, & Campen.* [b] *Over-iſſel, Zwol, Haſſelt, Steenwick, Coevorden, & Oldenzeel.* [c] *de Tolede.* [d] *la Haye.* [e] *Sparendam.* [f] *le capitaine Robol.* [g] *de Mandeſloo.* [h] *le comte de Barby.* [i] *Salentin, de la race des comtes d'Iſenburg.* [k] *Holſtein.* [l] *de Schauwenburg.* [m] *Luxemburg.* [n] *de Louwenſtein.* [o] *le baron de Polwriler.* [p] *le comte Otto d'Eberſtein, & le baron George de Fronsberg.* [q] *Boſſut.* [r] *de Berlaimont, ſieur d'Hierges.* [ſ] *le comte de Meghem.* [t] *Valenciennes.* [u] *Oudenarde.* [w] *le ſieur de Capres.* [x] *Maubeuge en Hainaut.* [y] *Mons.* [z] *Tournay.*

NOT. [1] *Lege* Covordiam.

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. limitem recipiunt, intercepti et interfecti ſunt. Valencianis receptis, continuo juſſus Joannes Mendoza cum III levis armaturae turmis Malabogium et [a] Bavacum inſidere, ut auxiliaribus Montes petentibus aditum impediret, miſſo Valentino [b] Pardeo Mota Capralis legato, qui Valencianis praeeſſet.

VII. VLISSINGENSES interim, non contenti mare incurſionibus infeſtum facere, III CIↃ bellatorum in terram exponunt, qui [c] Oiſtoburgo, Ecloa et Ardenburgo captis, [d] Brugas uſque et Gandavum excurrentes, ſi forte oppidani ad eos ſe adjungerent, aliquam moram in Flandria fecere; deinde, cum nemo eos admitteret, re infecta ſe ad ſuos rurſus recepere. Eodem tempore [e] Tſerarſius [α] [f] Tergoeſam tentavit, ſed irrito conatu; cui diffidens Albanus Iſidorum [g] Pachecum, qui [h] Armenterium tenebat, cum cohorte ſua praefecit. Vliſſingenſes vero infelicem Tſerarſii ſucceſſum pertaeſi, et Gallorum, quos ſecum ducebat, inſolentiam, ut aiebant, veriti, eos ingreſſu urbis prohibuere. Galli cum Anglis ad [i] Sutlanum pagum in propinquo divertere coacti, cum ſe pro tempore munivissent, incumbentibus [k] Mildeburgi praeſidiariis ſub diluculum oppreſſi, amiſſis L ex ſuis, quamlibet ſtrenue dimicantes, intra medium pagum compelluntur; ubi cum Hiſpani pro gloria, ipſi pro vita certarent, ſe invicem cohortantes et, ſi paulum anniterentur, victoriam in manibus eſſe clamitantes, poſt atrox ac diuturnum proelium, tormentum in confertos hoſtes diſplodunt, cujus ictu aliquot hominum ſtrage edita, ceteri pedem mox retulere: quo caſu paulum recreati animos reſumunt; et in iis aliquot Dieppenſes occaſioni minime defuere, qui cedentibus Hiſpanis inſiſtendum rati, revocatis ad ſigna ſociis, eos magno impetu invecti fundunt, multis occiſis, pluribus ſauciatis. Periere ex hoſtibus CL: nam noſtri [l] Riverii tribuni morte irritati, et alias Hiſpanorum crudelitatem exoſi, nulli dedititio pepercere. Poſt certamen, cum Angli Vliſſingenſium ingratitudinis pertaeſi domum redire ſtatuiſſent, Tſerarſius equos eis, quaſi ad tormenta reducenda his opus eſſet, ademit, et tentoriis ac pagi parte ambuſta inde caſtra movet. Ab eo tempore milites licentiae aſſueti contemptis ducum imperiis huc illuc vagi per inſulam errabant, ex rapto vitam miſerabiliter tolerantes; quos miſerati Galli, qui [m] Vliſſingae erant, nocte concubia funibus demiſſis multos e ſuis conterraneis in muros ſublevarunt. Quo cognito Vliſſingenſes tumultum veriti, ut ceteri in urbem introducerentur permiſere: ſed mox eoſdem rurſus novae expeditionis contra Tergoeſam ſuſcipiendae ſpecie emiſere. Ejus dux erat Tſerarſius, cui et IX machinae murales cum bellico omni apparatu attributae ſunt. Duabus a partibus verberatio ad oppidum facta haud ita firmum; ruinaque edita [n] Creſſius ſcalas admovet, et cum Gallorum et Anglorum delecta manu ad portam capitis, quam vocant, vim facit nocte obſcura, militibus interulas albas induere juſſis, ut inter pugnandum dignoſcere ſe poſſent: ſed contis et lapidum grandine, cum breviores ſcalae eſſent, dejecti ſunt: alii, qui ab adverſa parte vim facere juſſi erant, iniquitate loci deterriti abſtinuerunt. Sparſa mox fama advenientium Mildeburgo et Antuerpia auxiliorum, fremere milites, et de diſceſſu, etiam ducum injuſſu, cogitare. Quo cognito Tſerarſius furori ac licentiae praevertendum ratus, ne, ſi injuſſi a ſignis diſcederent, tormenta deſererentur, ipſe ab obſidione diſcedere decrevit, et Gallos et Anglos tumultuanteis in extremo agmine ſtatuit; qui ſtatim erumpentibus praeſidiariis confuſa fuga dilapſi, cum in ſuos jam naveis conſcendenteis incubuiſſent, tanta trepidatione cuncti ad naveis concurrerunt, ut plerique ſcaphas praegravante multitudine depreſſi fuerint. Periere aquis hauſti aut hoſtili manu interempti ad CC; impedimenta omnia amiſſa, tormenta ſervata ſunt.

Tſerarſius

VAR. LECT. [α] Tergoam *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Bavay.* [b] *de Pardieu, ſieur de la Motte.* [c] *Oostburg, Eecl̄o, & Ardenburg.* [d] *Bruges & Gand.* [e] *Tſerarts.* [f] *Tergoes.* [g] *Pacheco.* [h] *Armentiers.* [i] *Sutland*, al. *Ceteland.* [k] *Middelburg.* [l] *la Riviere.* [m] *Fleſſingue.* [n] *le colonel Creyts.*

Tſeratſius tot infelicium ſucceſſuum pertaeſus, propter quos proditionis inſimulabatur, CIↃIↃLXXII.
quaſi cum Albano conſilia in arcano communicaret, ad Arauſionenſem ſe contulit, CAROLUS IX.
quem et ſuppliciter obteſtatus eſt, ut, quando primariae auctoritatis duces, non ſolum culpa, ſed omnino culpae ſuſpicione vacare debent, ſibi cum bona ejus gratia liceret duello ſuum decus atque exiſtimationem tueri: idque ſcripto cum paſſim publicare vellet, ab amicis monitus, ut rumores de ſe ſparſos tempori ſepeliendos permitteret, ac neminem ad certamen provocaret, publicationem ſuſtinuit. Secundum haec Angli in patriam remearunt: Galli, ſaepius miſſione petita, poſt levia aliquot cum Mildeburgenſibus conſerta proelia indignati, quod a plebe tanquam proditores et ignavi notarentur, tandem hac illac diverſi conceſſere.

VIII. SUB id tempus Joannes [a] Cerda Medinae-coeli dux, quem ſuperiore anno ſucceſſorem Albano deſignatum diximus, et, cum veniret, tempeſtate in Hiſpaniam rejectum, ad vadum haud longe ab Oſtenda appulit III Eid. Jun. cum claſſe LIV omnis formae navium, quibus portabantur CIↃ IↃC, duce Juliano Romero; ubi cognito [b] Mattiacorum inſulas pleraſque rebellaſſe, celocem ingreſſus et claſſe ſubſequi juſſa [c] Sluſas petit; quo loco tria majora navigia arenis illiſa, et poſtea ab Vliſſingenſibus duce [d] [α] Theobaldo Petro Worſtio incendio conſumpta ſunt. Sluſis Brugas venit Cerda, et inde Bruxellas; ibique cum Albano collocutus, cum praeter ſpem res turbatas offendiſſet, a Belgii adminiſtratione ſe excuſavit, et ſe potius ſub ipſo libenter militaturum recepit. Sluſis remanſerat [e] Romerus et Sanctius Beltramus Pegna cum CC Hiſpanis; qui exſcenſionem fecerant; et Joannes Oſorius Ulloa cum reliqua claſſe in ancoris ſtabat; cum ecce XXIII olcades [f] Luſitanae vento ſecundo impulſae non ſalutatis Sluſis Hiſpanorum claſſem praetervehuntur, et ignarae Vliſſingam rebellaſſe, eo tendunt; quas inſecutus Ulloa, dum Vliſſingenſes in Luſitanos involant, occaſione capta Mildeburgum ſe contulit, et ad Rammekenſe caſtrum varia et fere iniqua fortuna jactatus eſt. Luſitanae merces ingentis pretii captae et in publicos belli uſus divenditae ſunt. Jamque in Geldriam Arauſionenſis deſcenderat; et ad eum comes [g] Batenburgicus cum CIↃ IↃ equitibus Germanis et VI CIↃ peditum ſe conjunxerat, cum quibus [h] Ruremondam venit. Quibus difficultatibus undique circumventus Albanus, cum plerique ſuaderent, ut relictis Bruxellis in tempore ſe Antuerpiam conferret, ne, ſi diutius exſpectaret, id vi et cum exiſtimationis jactura facere cogeretur, nunquam tamen, qua erat animi magnitudine, adduci potuit, ut ullum deſperationis rerum ſuarum indicium daret; potiuſque extrema patienda et facienda ſibi propoſuit, quam ut hoſti ulla in parte concedere videretur: nam [i] Montes deſerere, quibus ab hoſte pacate poſſeſſis aditus Gallis ad Belgium invadendum patebat, Philippi res in his provinciis evertere interpretabatur. In his anguſtiis, cum undique veluti a fortuna et praeſidiis humanis deſtitueretur, nequaquam ſeipſum deſeruit. Itaque X cohortes Roderici [k] Toletani [l] Antuerpia evocat, ad ejus praeſidium Mondragonio relicto; et VIII alias, duce [m] Caprali; III, quas Ludovicus [n] Barlemontius [o] Cameraci archiepiſcopus conſcripſerat, [p] Molinio duce; et III ex legione Joannis [q] Croii Rutii comitis; III equitum turmas ex [r] Malabogii praeſidiis Montes verſus tendere jubet; praemiſſo Friderico filio cum [ſ] Noerkermio et Chapino [t] Vitellio caſtrorum praefecto, qui caſtris locum idoneum deligeret. Cum ad [u] Bethlemiticum coenobium caſtra poſuiſſet, eruptionibus et levibus proeliis aliquoties initio certatum eſt. Contra, [w] Roboreus noſtras ad [β] [x] Spinolenſe coenobium munitionem ductis aggeribus vallaverat; qua expellere

VAR. LECT. [α] Euone Petro Voriſto *D. f. o. d.* [β] Spinelevenſe *D. f. o.*

INTERPR. [a] *de la Cerda.* [b] *Zelande.* [c] *l'Ecluſe.* [d] *l'amiral Eweut Pieterſen Werſt.* [e] *Romero,* [e] *Sancho Beltram de la Penna.* [f] *carraques de Portugal.* [g] *de Battenburg.* [h] *Ruremond.* [i] *Mons.* [k] *de Tolede.* [l] *Anvers.* [m] *le ſieur de Capres.* [n] *de Berlaimont.* [o] *Cambray.* [p] *de Moleyn.* [q] *de Croy, comte de Rœux.* [r] *Maubeuge.* [ſ] *le ſieur de Norcarmes* [t] *Vitelli.* [u] *cloiſtre, appellé Bethlehem.* [w] *Rouvroy.* [x] *cloiſtre d'Eſpinleu.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

expellere cum conantes Hiſpani cum damno repulſi ſunt. Cum vero XXX Galli equites in urbem penetrare vellent, a ducibus viarum decepti in hoſtium manus tradiri ſunt; quorum XVII inquiſitionis ſeveritati ſubjecti [a] Rupelmondae ad equile partim ſuſpenſi, partim pugionibus confoſſi in [b] Scaldim praecipirari ſunt, addita in eos poena, qui cadavera retrahere aut ſepulturae mandare auderent.

IX. DUM in eo ſunt, [c] Naſſovio ex ducum reliquorum ſententia pretium viſum eſt, ut [d] Jenliſius in Galliam veniret, et a rege de rebus omnibus certiore per ipſum reddito auxilia flagitaret. Ille impigre mandata faceſſit, et, benigne [α] in aula acceptus, mox multa benevolentiae erga ſe et Naſſovium ſignificatione remittitur, cum copiis quas Colinius per limitem conſcribendas curaverat. In iis erant IV CIƆ peditum ducibus [e] Rentio, Jumellio, et Beranguevillio, CC equites cataphracti et II levis armaturae turmae. Praecurſores ducebat [f] Petrobuſerius Geniſſacus: Philippus Laſinius Bellovaſius reliquo equitatui praeerat. Diſcedentem Jenliſium et poſtea per literas monuerat Naſſovius, ut non recta Montes, ſed flexo per [g] Cameracenſem agrum itinere ſe cum Arauſionenſi fratre conjungeret. Verum ille cauſatus contrarium a Colinio imperium, ut ſe quam primum ad urbem conſerret, Naſſovio minime audiens fuit. Interea levibus proeliis certatum; et cum V Eid. Quintil. praeſidiarii exiiſſent magno numero, adductis ſecum ruſticis ad meſſem colligendam, pugnatum eſt acriter; ſed iniquiore obſeſſorum conditione, qui ad extremum, incumbente Bernardino Mendoza, multis ex ſuis amiſſis, intra moenia ſugientes compulſi ſunt. Vulneratus tamen in crure Vitellius et Rodericus [h] Toleranus; et aliquot levis armaturae equites occiſi. Jamque in caſtra venerant ab Albano miſſae equitum turmae VII Philippi [i] Croii ducis Araſchotani, Maximiliani [k] Boſſuvii comitis, Barlemontii, Noerkermii, Mansfeldii comitis, et Georgii Lignii Eſtambrugii comitis Rutii legati, et VII legionis Rutianae cohortes. Expectabantur et in dies V ſigna legionis Neapolitanae, quae [l] Trajecti erant, et legio Nicolai [m] Polvillerii, quae miſſis crebro nunciis ſolicitabantur. Didacus [n] Zunica Philippi apud nos orator de regis mente adhuc incertus ſaepius cum eo egerat, ut ſuos, quo minus perduellibus in Belgio ſuppetias ferrent, omni ratione impediret; eaque de re acerbe cum rege expoſtulaverat, contra foedus fieri dictitans, quod violatum proculdubio Deum ultorem haberet, exprobrato etiam auxiliorum primo et altero bello civili ſummiſſorum beneficio, pro quo indignam Philippo gratiam rependi aiebat. Rex contra ſe excuſare, praeter voluntatem ſuam ſaepius declaratam id fieri, et nuper edicto proſcriptos qui rebellantibus in Belgio opem ferrent; ſed in regno nondum a belli civilis motibus quieto non omnia regem poſſe, multa diſſimulare cogi, donec reciperata per pacem auctoritate cuncti ad obſequium cogi poſſint. Cum ambiguo hoc reſponſo dimiſſus Zunica; ſed, eodem tempore ex aula nobilem ad Albanum Bruxellas miſſum, ſcribit Mendoza, qui in itinere Fridericum Toletanum monuerit de Jenliſii conſiliis, numero copiarum et itinere a noſtris inſtituto. Itaque ille triduo poſt ad caſtrum Cameracenſe IƆ CCC ſcloppetarios et CCCC equites mittit, qui viam inter [o] Caſtrum et Landrecium inſidentes de hoſtibus cognoſcerent. Jenliſius, cum recta [p] Montes petere decreviſſet, per [q] Boſſuvium iter habuerat; et inde [r] Quievregium ab urbe ſeſquimilliari non ſine maleficio tranſierat, a ducibus viarum deceptus; unde praeter antiqua odia exacerbati mirum in modum ruſticorum animi, qui ad III CIƆ ſe exercitui Hiſpano conjunxerant.

VAR. LECT. [α] a rege acceptus *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Rupelmonde.* [b] *l'Eſcault.* [c] *le comte Ludovic de Naſſau.* [d] *Jean d'Hangeſt, ſieur de Genlis.* [e] *le baron de Renty, les ſieurs de Jumelles, & de Beranguevılle.* [f] *de Pierrebuſiere, ſieur de Geniſſac; & Philippes de la Fin, ſieur de la Nocle.* [g] *le Cambreſis.* [h] *de Tolede.* [i] *de Croy, duc d'Arſchot.* [k] *Boſſut, de Berlaimont, de Norcarmes, le comte de Mansfeld, & G. de Ligne, ſieur d'Eſtainbruge,* qui eſt un lieu prés de Mons en Hainaut. [l] *Utrecht.* [m] *le baron de Polweiler.* [n] *de Zuniga.* [o] *Chateau Cambreſis, & Landrecy.* [p] *Mons.* [q] *Boſſut.* [r] *Kievraing.*

conjunxerant. Ad Fridericum et delatum ſcribit Mendoza, Jenliſium ſecum II CIƆ peditum et IV CIƆ equitum habuiſſe, credo, ut rem in majus extollat: contra quem tamen ille, eum vix XXXII ſigna peditum et CIƆ equites circiter haberet, ducere decreverit, cum ad famam pertinere exiſtimaret, ne hoſtes ſine certamine provinciam ingrederentur; nam male alioqui adfectis Belgarum animis fore, ut, prodenre ſe Hiſpanorum infirmitate et deſperatis ab ea parte rebus, quod ſinguli hactenus fecere, univerſi facto agmine deficiant, et ſcelere ſemel impiati, adveniente numeroſo Arauſionenſis exercitu, praeſidia intra oppida ſua accipiant; quod ſi accidar, de regis nomine in Belgio actum eſſe. Itaque quo patrem Bruxellas non citra diſcrimen verſantem tegeret, et tanto periculo praeverteret, optimum factu ac neceſſarium duxit, cum hoſte vel eum manifeſto periculo confligere. Eo conſilio impedimenta [a] Bincium praecedere jubet; et, cum allatum eſſet, auxiliareis intra noſtrum limitem receſſiſſe, uſque ad XVI Kal. Sextil. ſubſtitit. Cognitum dein IV ab hinc leucis illos caſtris poſitis ad [b] Hanam, unde Hannonia dicta, cum antea ſaltus [c] Carbonianus et Picardia inferior appellaretur, pontem moliri: is fluvius haud longe ſupra [d] Montes labitur, et infra eum [e] Trullum, qui urbem alluit, intra ſe accipit. Igitur Antonium Figeroam Bernardini Mendozae legatum cum XX equitibus mittit, et eodem tempore Franciſcum Ferdinandum Avilam [f] Groeningenae arcis praefectum cum ſcloppetariorum equitum Garſiae [g] Valdeſii turma, qui de hoſtibus diverſi cognoſcerent, et in horas ad ſe referrent. Ipſe eo ordine ſubſecutus eſt. Univerſus peditatus Belgarum et Hiſpanorum confuſus ſimul incedebat, duce Juliano [h] Romero, cui [i] Capralis et Liquius caſtrorum praefecti adjuncti erant. Vitellius quanquam ex vulnere debilis a foſſoribus in lectica vehebatur. Ad dextram pars equitatus tribus agminibus diſtincta progrediebatur: reliquus equitatus totidem agminibus diſtinctus in extrema acie collocatus erat; quam claudebant CCCC ſcloppetarii Hiſpani et ala equitum Bernardini Mendozae, qui, ſi praeſidiarii a tergo incurrerent, impetum eorum ſuſtinere poſſent. Ita ad urbem uſque progreſſum. Tum mutatus incedendi ordo, revocato in primam aciem, qui in poſtrema erat, equitatu; et ad [k] [α] Giſelini fanum ventum eſt: ubi cognito ex Gallo quodam juxta [l] Alterragium vicum capto, noſtros nondum Hanam tranſmiſiſſe, Fridericus confeſtim equites tranſmittere et ad eos pergere jubet, ſubſequente peditatu. Primam aciem ducebat Romerus, qui, ut in Gallorum conſpectum venit, Joannem Salazarium [m] Sarmientum cum LX ſcloppetariis majoris formae inter ſepem et ſalicetum collocat, qui, velitari pugna concurrente utrinque milite, in latus Gallos infeſtarent. Primo impetu pulſi Hiſpani; quibus CC Belgae recentes a prima acie ex Capralis legione Caprali ipſo duce et [n] Delvalio ſummiſſi ſunt, et mox totidem duce Liquio, qui Capralem ſequebatur, cum [o] Mota-Bergio et Fremenantio. Tum levis armatura apparere coepit cum CC Hiſpanis peditibus, quos ducebat Franc. [p] Bovadilla, Didacus Carvajalis, et Ferrandinus [q] Agnaſcus, quem poſtremo Fridericus cum reliquo peditatu ſequebatur. Noſtri Alterragium vicum a tergo habebant, cui planities ſpatio jactus colubrinae ſubeſt, rivis et arboribus denſis undique circundata, theatrali ſpecie; quos a fronte adortae Hiſpanorum duae cohortes [β] per viam quae Montes ducit, ducibus [r] Alfonſo Montero et Garſia Valdeſio, ſenſim pugnando ulterius ſemper progrediebantur. Jenliſius in ultimo agmine remanſerat, cum Rhingravio et [ſ] Geniſſaco, qua parte ſibi plus ab hoſte metuebat, et per anguſtias

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] Juliani *D.* f. o. d. [β] per viam quae Montes ducit *deſunt* *D.* f. o.

INTERPR. [a] *Binche, ou Bins.* [b] *Haiſne r.* [c] *Bois au Charbonier, à cauſe de la Foreſt Charboniere.* [d] *Mons.* [e] *Trulle.* [f] *Groeningen.* [g] *de Valdes.* [h] *Romero.* [i] *les ſieurs de Capres, & de Liques.* [k] *S. Ghiſlin.* [l] *Haultaige.* [m] *Sarmiento.* [n] *le capitaine de Vaux.* [o] *de la Motte en Bergy, & le ſieur de Fremenant.* [p] *Bobadilla.* [q] *Annaſco.* [r] *Montero.* [ſ] *de Pierrebuſiere, ſieur de Geniſſac,*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. anguſtias intet dumeta incedens c equites praemiſerat duce [a] Rentio, quem [b] Jumellus ſequebatur. In eos e ſilva exeunteis jam ſole ad veſperam inclinante Lupus Sapata cum ala equitum ſua impetum facit, et cum ſecutus Ferdinandus Toletanus, qui alterum agmen ducebat, cum Antonio Toletano, Bernardino Mendoza, et Joanne Mendoza, qui tertio agmini praeerat: cedentibus noſtris inſtant, et in fugam vertunt; qui in ſuos revoluti pedites ſequenteis diſturbarunt, et exercitum, qua parte minus ſibi metuebat Jenliſius, ipſi fugiendo ſolverunt. Ne vero per eum pontem, quo [c] Hanam ſtraverant et tranſierant, rurſus reverterentur, Antonius Figeroa Bernardini Mendozae [α] legatus, tranſmiſſo fluvio, prohibuit. Illi tranſitu negato per [d] Tornacum, Condatum, Atam, Valencianas uſque effuſi, et a ruſticis, dum per ſilvas armis abjectis palantes huc illuc errant, capti, ſpoliati ac crudeliter interfecti ſunt, CIↃ CC amplius deſiderati, et in iis Rentius et Rhingravius: [e] Olanius cum c circiter exarmatis in urbem pervenit, ſed poſtero die ex vulneribus deceſſit. Jenliſius et Jumellus capti, et poſtridie ante Friderici conſpectum producti: quorum hic, in arce Tornacenſi aſſervatus, ab Hiſpano milite tandem liberatus eſt; ille in arcem Antuerpienſem incluſus, aliquanto tempore poſt, ſine praecedente morbo, in lecto exanimis repertus eſt, faſcia injecta procul dubio eliſis faucibus. [f] Laſinius noctis hujus beneficio ad [g] Spinolenſe coenobium, quod noſtri muniverant, ſe recepit, et a [h] Poieto loci praefecto ſuſceptus periculum evaſit. Exiguo ac paene nullo certamine debellatum noſtri ſcribunt, ob anguſtiam loci et inopinatum Hiſpanorum a fronte occurſum, cum a tergo potius metueret ſibi Jenliſius. Tamen Mendoza duabus horis pugnatum fuiſſe aſſerit, ſumma noſtrorum virtute; exemplumque rarae fortitudinis de gregario milite affert, qui lancea transfixus non ſolum non receſſit, ſed ſumpta in terra forte lapſa lancea, ei innixus equitem contra ſe venientem intrepide expectaverit, et fortiter pugnando, deficientibus potius viribus quam animis, ad extremum vita linquente conciderit. Impreſſionem in [i] Rentianos, quam ille Toletanis et Mendozis tribuit, a Philippo [k] Santalgondano Noerkermio factam conſtantior fama eſt. Ex Hiſpanis Lupus Sapata graviter vulneratus fuit. Alfonſum [l] Lombralem et Antonium Zeronem legatum turmae equitum ſcloppetariorum cum XII equitibus et VI peditibus tantum interfectos ſcribit idem Mendoza. Sub veſperam revocatis ab inſequendo hoſte copiis, Fridericus ad [m] [β] Giſelini fanum rediit; et ſummo mane [n] Capralem mittit, qui Gallorum e pugna ſe recipientium X ſigna ad ſilvam contracta perſequeretur: ſed, relatis XXX ſignis, ſuos continuit; moxque relicto ad obſidionem urbis Philippo Lalanii comite, Bruxellas ad patrem contendit, cum ſtatim poſt proelium in caſtra veniſſent XIII peditum ſigna duce Nicolao [o] Polvillerio, et IↃ Hiſpani, qui [p] Trajecti in praeſidio erant, quorum in locum Eberſteiniae legionis IV cohortes ſubſtitutae ſunt, III equitum turmae duce Aurelio [q] Panhormitano, Nicolao Baſta et Georgio [r] Macuca in Italia nuper conſcriptae.

X. POSTQUAM Gallorum copiae ad [ſ] Naſſovium in [t] Montibus obſeſſum venientes deletae ſunt, in Albani conſilio deliberatum fuit, quid facto opus eſſet; et multis placebat, ſublato Gallicorum auxiliorum metu, in Hollandiam vireis vertendas eſſe, ne Proteſtantes in ea jam potentes majora incrementa caperent; et ſatis eſſe ad Montes expugnandos, ſi caſtella ad aditus exſtruerentur et idoneo praeſidio firmarentur, quae auxilia, ſi quae ſupervenirent, ingreſſu prohiberent. Verum aliter [u] Albano viſum,

qui

VAR. LECT. [α] legatus, refecto eo ſumma celeritate ruſticorum ope, tranſmiſſo *D. ſ.* [β] Gulielmi *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *le baron de Renty.* [b] *le ſieur de Jumelles.* [c] *Haiſne r.* [d] *Tournay, Condé, Aeth & Valenciennes.* [e] *le ſieur de Dolhain.* [f] *la Fin, ſieur de la Noüe.* [g] *cloiſtre d'Eſpinleu.* [h] *le capitaine Poyet.* [i] *ceux du baron de Renty.* [k] *de St Aldegonde, ſieur de Norcarmes.* [l] *Lombrales, & Ant. Ceron.* [m] *S. Ghiſlin.* [n] *le ſieur de Capres.* [o] *le baron de Polweiler.* [p] *Maeſtricht.* [q] *de Palermo.* [r] *Machuca.* [ſ] *le comte Ludovic de Naſſau.* [t] *Mons.* [u] *le duc d'Albe.*

qui [a] Montes Galliae vicinam urbem ſibi omni ratione expugnandam in animum induxerat, et Arauſionenſi appropinquante ab obſidione diſcedere parum decorum aut etiam tutum exiſtimabat. Secundum haec acceſitus Roterodamo ac [b] Delfis in Brabantiam Ferdinandus Toletanus cum ſua legione. Juſſus et Conſalvus Bracamontius, ſimul ac Eberſteiniae cohortes [c] Silvam-ducis veniſſent, cum iis et legione ſua in caſtra advolare. Ii cum XV Kal. Sept. conveniſſent, venit et Fridericus Toletanus, qui ſtatim cum CIƆ ſcloppetariis, Belgis, Italis, Hiſpanis [d] Spinolenſe coenobium adoritur, haud longe ab urbe, in qua CC defenſores erant duce [e] Poieto. Ibi acriter pugnatum; et cum aliquor cohortes ex urbe egreſſae eſſent, a Franciſco Salazario Joannis [f] Pacheci legato intra moenia non ſine gravi tamen damno a tormentis accepto compulſi ſunt. Ferdinandus Toletanus ab [g] Albano ex Hollandia evocatus ſecundum maris litus incedebat, et, cum [h] Harlemum praetervcheretur, munitionem in faucibus canalis ab oppidanis extructam miſſo Roderico Sapata, qui ſe cum Germanis ſub comite Boſſuvio militantibus juxta [i] Sparadamum conjunxerat, caeſis praeſidiariis in poteſtatem redigit, et navem armatam, quae ingreſſum canalis tuebatur, fugiente in urbem milite, capit. Plus IƆ CCC in illo conflictu interfecti, capta II ſigna. Inde Ferdinandus, adducto ſecum ſenatu Hollandiae, ne rebellante provincia ipſi mora ſua in criminis ſocietatem venirent, ſacrorum collegiorum totius provinciae ſodalibus ac devotis virginibus, [k] Ultrajectum venit; et X Kal. Sept. in caſtra ad Montes poſita, relictis Valencianis X machinis, quas Bruxellis advexerat. Inde ad coenobium Spinolenſe, jam ſemel tentatum, admoventur tormenta a Sapata et Alſonſo a Sotomajore; ubi edita ruina, cum in eo eſſent, ut impetum facerent, ex Hiſpanis deſiderati IV; nec ulterius certatum eſt, praeſidiariis, uti a Lud. Naſſovio juſſi erant, ad primum impetum in urbem ſe recipientibus. Loco impoſita a Friderico IV Belgarum ſigna ex Capralis legione, duce [l] Molinio. Eodem die XIII peditum ſigna venere duce [m] Fronsbergio regulo; ac poſtridie Albanus et Joannes [n] Cerda Medinae-coeli dux cum X equitum alis, ita ut XV omnino in exercitu eſſent, et cum eo Salentinus [o] Iſemburgicus archiepiſcopus Colonienſis CIƆ IƆ equites ducebat, Joannes Roda CCC, et IƆC ab archiepiſcopo Trevirenſi ſeptemviro ſummiſſi. [p] Avenis et Valencianis mox advecta tormenta; juſſique [q] Capralis et Rutii comes cum ſuis legionibus [r] Nemium vicum inſidere, urbe ab omni parte circundata. Tunc de tumultu Pariſienſi allatum eſt: quo nuncio vix dici poteſt quantum in Albani caſtris exultatum fuit, Hiſpanis factum vere Chriſtiano principe dignum, quod in rem ipſorum et cum noſtra infamia et jactura conjunctum eſſet, ſupra modum extollentibus. Et vero, quanta laetitia apud illos, tanta in urbe triſtitia fuit, conſternatis eo caſu obſeſſorum animis, et ſpe penitus de Gallicis auxiliis, in quibus magnam fiduciam ponebant, amiſſa. In Albani adventu, dum vallum promovetur, leviter pugnatum; factaque ab urbanis diſploſione, Franciſcus [ſ] Valdeſius primarius legionis Langobardicae centurio, Chriſtophorus [t] Coreuerus et Alfonſus [u] Meſſa vulnerati. Nocte inſequenti admota XXVI tormenta, ex quibus VI ſtatim rupta ſunt.

XI. INTEREA Arauſionenſis Duisburgo profectus cum XIV CIƆ peditum, VII CIƆ equitum Germanorum, III CIƆ Belgarum, tranſmiſſo Rheno ad [w] Moſam acceſſit; ubi Ruremondam per praeconem prius denunciatione facta aditum et commeatum recuſantem protinus incenſis portis et vi facta prid. Non. Sextil. cepit, et captam omni immanitatis genere Belgis ſaevientibus diripuit. Inde in Brabantiam ingreſſus

Lovanium

INTERPR. [a] *Mons.* [b] *Delft.* Mendoça met *Delfshaven.* [c] *Boiſleduc.* [d] *cloiſtre d'Eſpinleu.* [e] *le capitaine Poyet.* [f] *Pacheco.* [g] *le duc d'Albe.* [h] *Harlem.* [i] *Sparendam.* [k] *Utrecht.* [l] *le ſieur de Molyn.* [m] Mendoça le nomme *le baron de Fronsberg.* [n] *de la Cerda.* [o] *d'Iſenburg, archevêque de Cologne.* [p] *Avêſnes, & Valenciennes.* [q] *le ſieur de Capres, & le comte de Reeux.* [r] *Nemy.* [ſ] *de Valdes, ſergent major del Tercio de Lombardie.* [t] *de Corcuera.* [u] *de Meſa.* [w] *la Meuſe.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

[a] Lovanium deditione in poteſtatem redegit: [b] Mechlinia neutris partibus antea addicta, ſed quae praeſidium ab Albano miſſum accipere detrectaverat, VI ſigna peditum et IↃ equites noctu in urbem intra moenia accepit. [c] [α] Weertum Hornani comitis olim ditionis et poſt ejus mortem fiſco addictum, cujus arcem tenebat Joannes [d] Montelius Caias cum Franciſco Mendoza Monteri legato, poſt biduum ſuffoſſo muro vi facta in poteſtatem foederatorum conceſſit. Inde parte copiarum miſſa [e] Teneramundam et Aldenardam Flandriae urbes, oppidanis quibuſdam obviam prodeuntibus, in poteſtatem Arauſionenſis redegit. Aldenardae, quod quidam ex oppidanis reſiſtere auſi eſſent, mira intemperie Belgae bacchati ſunt: nam cum forum occupaſſent, juſſiſque domi ſe continere civibus cuſtodes portis admoviſſent, Jodocum [f] Curtavillam praetorem urbis in regiis aedibus oppreſſum multis vulneribus conficiunt, nudatumque per feneſtram in ſubjectum flumen praecipitant; tum accenſo furore ſacrificos paſſim veſtigant, comprehenſoſque ac multis probris oneratos necant. Templa, coenobia ac ſacerdotum domus ſpoliant, e veſtigioque ad templa urbi vicina diſcurrunt, atque eadem rabie expilant, diripiunt; nec ſepulchris parcunt, incentore praecipue Jacobo [g] Blommaerto cive Aldenardenſi, qui jam ſexennium a patria religionis cauſa exulaverat. Arauſionenſis cum cetero exercitu, [h] Diſto et Tilemontio in itinere in fidem acceptis, omni re alia omiſſa, de [i] Naſſovio fratre obſidione liberando cogitare coepit; eoque conſilio [k] [β] Nivellam verſus iter intendit.

XII. [l] NEMIUM uſque procedere juſſus erat [m] Capralis cum legione ſua, cui et delectos IↃCC ſcloppetarios Hiſpanos ſummiſerat Albanus, ut illac aditum auxiliaribus intercluderet; ſed cum Peronam uſque duabus a Montibus leucis diſſitum vicum veniſſe hoſteis intellexiſſet, et inde tranſmiſſo [n] Hana per [o] Genapum auxilia in urbem intromittere decreviſſe conjiceret, revocato Caprali et Hiſpanis ſubſidiariis et contractis propius copiis obſidionem urget, perducto ad labrum foſſae vallo, aquam etiam e foſſa derivare inſtituit, et diſpoſitis in colle ſuburbio ad [p] [1] Bertonvilliam portam impoſito, unde in urbem ſubjectam proſpectus eſt, VI tormentis in tecta domuum infeſta diſploſione fulminat; cetera duobus locis collocat, quae tam in Bertemontiam portam, quam extans propugnaculum quod illam tegebat, ictus adigebant. Duorum dierum continuata pulſatione turres portae adjectae perterebratae, non tamen omnino dejectae ſunt: dein VIII tormentorum in ripa ſtagni collocatorum diſploſione pinnae moenium dextra laevaque decuſſae: ceterorum tormentorum impetus contra extans propugnaculum factus eſt; cujus anterior pars tandem diruta, in poſteriori praeſidiarii aliquot ducta foſſa conſtitere, locum defenſuri. Turris item latericia S. Andreae vulgo dicta multis ictibus diverberata et aperta eſt; ita ut defenſores in ea conſiſtere non poſſent. Contra praeſidiarii diurnam muri ruinam lana, culcitis, ſaccis terra plenis ſumma diligentia comportatis noctu muniebant; quam [q] Lanovius cum C delectis ex nobilitate ac ſelecta item ſcloppetariorum et haſtatorum manu defendendam ſuſceperat, L ad reſiduam diruti propugnaculi partem tuendam deſignatis, et CC in antemurali munitione collocatis. Tum foſſam interiorem ducunt, et in tumulis ad latera excitatis V tormenta et II colubrinas collocant, quarum contraria pulſatione in hoſtium uſque tentoria jaculantes eorum irritos conatus plerumque reddebant: ad haec crebris eruptionibus hoſtium opera interturbabant. Cum vero Albanus aquam e foſſa derivare fruſtra tentaſſet, poſtremo ſcaphas pluteis

tectas

VAR. LECT. [α] Vertium *D.* f. o. d. [β] Nivigellam *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Louvain.* [b] *Malines.* [c] *Weert.* [d] *Montiel de Cayat.* [e] *Dendermonde, & Oudenarde.* [f] *Courteville, grand bailli de la ville.* [g] *Blommart.* [h] *Dieſt, & Tilemont.* [i] *le comte Ludovic de Naſſau.* [k] *Nivelle.* [l] *Nemy.* [m] *le ſieur de Capres.* [n] *Haiſne.* [o] *Genap.* [p] *porte de Bertemont.* [q] *de la Noue.*

NOT. [1] Dele *Bertonvilliam*; lege *Bertemontiam*: car il n'y a point de porte de cet autre nom à Mons. *Put.*

tectas fabricari juſſit tanta craſſitudine, ut contra ſcloppetorum ictus tutae eſſent: pontem item ex doliis et aſſeribus funibus colligatis et ſuperſtratis paraverat, per quem ex ſcaphis deſcendens miles in ruinam commode eniteretur. Eodem tempore, ut auxiliaribus aditum intercluderet, vallum ſtationibus validis firmaverat, collibus inſuper duobus, qui per Genapum venientibus occurrebant, a milite inſeſſis; et in altero munitione forma quadrangulari in ſtellae ſpeciem, ſic ut latera ſe invicem defenderent, a Medinae-coeli duce ex Bartholomaei [a] Campocaſſii conſilio ſumma diligentia extructa, quam II Germanorum ſigna, attributis II machinis, et Julianus Romerus, ſi opus eſſet, cum totidem Hiſpanis et Salazarii cohorte tuerentur. Ad haec equitatum in vallibus ſubjectis collocaverat; et dato negotio [b] Caprali, qui ad [c] Nemium vicum hoſpitium habebat, ut locum foſſa muniret, [d] Polvillerium et Liquium cum ſua quemque legione locum ſibi aſſignatum tueri jubet, [e] Fronsbergio cum Eberſtenii cohortibus ad tormentorum cuſtodiam relictis: tum IↃC Hiſpanos pedites electos ante agmina ita diſpoſita procurrere imperat, qui laborantibus ad ſubita praeſto eſſent. [f] Arauſionenſis [g] Perona progreſſus in conſpectum urbis venit cum toto exercitu VI Eid. Sept. qui dies natali beatae Mariae dictus eſt, ſub meridiem; reſque tantum, ut e longinquo, tormentis acta, quae et ab ejus caſtris et ex urbe in Albanum medium emittebantur: ſed plus ab urbanis damni accipiebat equitatus. Viciſſim Albanus, nunquam intermiſſa contra urbem verberatione, etiam contraria ejaculatione Arauſionenſem inſeſtabat. Ita dies extracta, dilapſis ſub veſperam in ſua hoſpitia copiis, quae poſtridie eodem ordine comparuerunt. Albanus Fridericum filium cum IↃC Hiſpanis ad Genapum praemiſerat, ut locum tueretur, quod ab ea parte vim facturum Arauſionenſem eoque in loco caſtra muniturum crederet. Sic autem ille incedebat. In prima acie bis mille IↃ equites erant, in tria agmina diviſi, quos CCC alii ſequebantur: poſt terga eorum veniebat peditatus ac reliquus equitatus. Arauſionenſis praeter ſpem in colle Genapo proximo excitatam munitionem animadvertens, unde non mediocriter tormentorum diſploſione inſeſtabatur, cum conſiſtere tuto non poſſet, peditatum Gallicum, qui ad laevam incedebat ac praecipuum exercitus robur erat, in duo agmina diviſum praecedere jubet, et Genapum iter intendit; quo ſub id tempus Sanctius Avila ab Albano miſſus venerat. Ibi acriter certatum, Hiſpanis ad pugnam ex vico prodeuntibus cum primariis ducibus Roderico Sapata, Franciſco Toletano, Marco Toletano, Joanne Ayala, cum C delectis; quos ſequebatur Julianus Romerus, et Ferdinandus Toletanus cum aliis cohortibus duce [h] Texeda. Mox et ſummiſſi ab Albano Joannes Sarmientus Salazarius, et Petrus [i] Taxis cum LX cataphractis equitibus, et ala equitum comitis [k] Rutii. Primo, ut in hujuſmodi certaminibus, re bene ab Avila geſta, compulſi intra foſſam aquarum inundationibus excavatam Galli: dein incumbente equitatu duce Henrico Naſſovio Arauſionenſis fratre magno damno affecti Hiſpani, capto ſigno alae Taxianae, et ſignifero pluribus vulneribus confecto: redintegrata demum ab Hiſpanis pugna pari utrinque damno; eoque res deducta, ut Albanus inermis, et ipſe [l] Medinae dux, quaſi dignitatis obliti, militum loco pugnarent. Tandem ad ſua utrinque ſe recipientibus copiis, rurſus Arauſionenſis, qui graviter diſploſione a Medinenſi munitione facta interim inſeſtabatur, Genapum rurſus iter perſequitur, ut Albanum ad certamen eliceret. Verum ille ſuos abſtinuit, et, cum ei ſatis eſſet, ne auxilia introducerentur, impedire, aleam univerſarum rerum proelio tentare noluit. Arauſionenſis itaque eo die [m] Fermeriam tribus paſſuum millibus ab Albani caſtris diſſitum vicum venit, in quo ſequenti die

ſe

INTERPR. [a] *le capitaine Compocaſſo.* [b] *de Capres.* [c] *Nimi.* [d] *le baron de Polweiler, & le ſieur de Liques.* [e] *le baron de Fronsberg.* [f] *le prince d'Orange.* [g] *Perone.* [h] *el capitan Texeda.* [i] *de Taſſis.* [k] *de Roeux.* [l] *Medina Celi.* [m] *Fremery.*

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

ſe continuit, occaſionem auxiliorum per [a] Floriani fanum, ubi Polvillerius erat, in urbem [α] intromittendorum opperiens; quo ſtatim Albanus Bernardinum Mendozam cum ſua et aliis duabus equitum alis, una praeterea ſcloppetariorum cohorte praemiſit, eumque ſubſequi v alias Hiſpanorum alas, et IↃC praeterea ſcloppetarios illos, de quibus diximus, Marco Toletano et Roderico Sapata ducibus, jubet. Arauſionenſis jam mille quingentis a Floriani campo paſſuum millibus conſederat, et, cum [b] Ariminium vicum occupare vellet, Mendoza conſpecto, quoſdam praemittit, qui, dum tentoria figerentur, cum eo levi pugna decertarent. Sub id Albanus cum Medinenſi, [c] Noerkermio et Juliano Romero eodem venit, a Mendozá monitus, qui pridie cum levi armatura Ariminii diverſatus fuerat, locum eum ad vim ſubitam opportunum et inſidiis obnoxium eſſe; conſiliumque de nocturna impreſſione in hoſteis facienda init. Rei conficiendae Friderico a parente negotium datur, qui cum CIↃ Hiſpanis interulas albas ſumere juſſis eo ducit nocte concubia, eo ordine, ut [d] Capralis cum VII ſignis ſuae legionis, et [e] Liquius cum CC peditibus Belgis vicum in itinere occuparet, quo ſui, ſi hoſtes per exploratores de conſilio cognoviſſent, ſe tuto recipere poſſent: ipſe cum Noerkermio ubi ad locum venit, hortatus more ſolito milites, ut virtutis ſuae memores tam praeclaram rei bene gerendae occaſionem ſibi elabi non ſinerent, Romerum cum CCCC ſcloppetariis, ducibus Joanne [f] Salazario, Antonio Moxica, Marco Toletano et Roderico Sapata, vim facere in hoſtium hoſpitia jubet, Ferdinando Toletano cum CL ſcloppetariis duce Garſia, [g] Suare modico ab hinc ſpatio inter haec ſubſiſtere juſſo. Rurſus IↃ ab hinc paſſibus Gaſpar [h] Urea et Chriſtophorus [i] Quixada cum totidem ſcloppetariis conſedere. Propius caſtra hoſtium Franciſcus Toletanus et Martinus [k] Eraſtus cum CC ſcloppetariis, et ante eos Rodericus [l] Pereſius cum L haſtatis progreſſi ſtabant. Vi a Romero, Moxica ac Sapata facta, vigiliae primo ac ſtationarii trucidantur; dein tumultu excitato, antequam hoſtes arma expedire aut ad ſigna convenire poſſent, oppreſſi horae ſpatio amplius CCC interficiuntur; ignis etiam in eorum tentoria immiſſus, quo plures ex iis ambuſti ſunt: alii ad ejus fulgorem expergefacti cum tandem arma ſumpiſſent, conſpicati Moxicam cum LX ex ſuis longius provectum, quam ut ſigno dato ſe ad ſuos recipere poſſet, in planitie ſubjecta circumveniunt, et eum cum ſuis omnibus ad internecionem caedunt. Non temere egreſſuros hoſteis ſibi perſuaſerat Fridericus, in eo tumultu univerſum Hiſpanorum equitatum adeſſe ratos; eoque conſilio Bernardinus Mendoza tubicines complures ſimul canere juſſerat. Verum ad incendii flammam eum, licet in media nocte, lux reddita eſſet, aſtus non proceſſit; et illi periculum minime veriti audentius eo in recipienteis ſe Hiſpanos invecti ſunt. Inde hoſtes cum tota nocte in armis fuiſſent, Illuceſcente die, ſtatim ſumma trepidatione vaſa conclamant, et impedimentorum parte relicta, tentoriis et aliquot curribus, et cadaveribus occiſorum nondum terrae mandatis diſcedunt, ac [m] Mechliniam concedunt, prius monito Naſſovio, ut, quando auxiliorum in urbem introducendorum facultas non eſſet, ſibi conſuleret. Is tunc ex morbo decumbebat. Eo conſulto, Lanovius et ceteri Gallorum duces cenſuerunt, ut honeſtis conditionibus deditio fieret: ad quam non tam rerum ſuarum anguſtia aut Arauſionenſis diſceſſu, quam caſu Pariſienſi compulſi ſunt; qui, ut Hiſpanis animos fecerat, ita Gallorum, quibus fere robur omne praeſidiariorum conſtabat, moeſtitia in praeſens, in poſterum deſperatione conſternatorum alacritatem omnino infregerat. Igitur cum Noerkermio his conditionibus tranſactum eſt XIII Kal. Sept. ut tam Galli quam Belgae ipſi incolumes dimitterentur; illi cum armis, equis, veſtibus

et

VAR. LECT. [α] intermittendorum *D. f. o.*

INTERPR. [a] *St Simphorien.* [b] *Armeny.* [c] *Philippes de Ste Aldegonde, ſieur de Norcarmes.* [d] *le ſieur de Capres.* [e] *de Liques.* [f] *de Salazar Sarmiento.* [g] *Suarez.* [h] *de Gurrea.* [i] *de Queſada.* [k] *de Eraſſo.* [l] *Perez.* [m] *Malines.*

et omni ſupellectile, ac bonis tam mobilibus quam immobilibus conceſſis; quo in numero cenſebantur Ludovicus [a] Naſſovius cum univerſa familia, ac Belgae nobiles; ceteri Belgae milites cum gladiis tantum, et iis veſtimentis, quae ipſi induerint, ac nulſis aliis praeterea: oppidanis, qui arma contra regem tulerint, liberum ſit ſine armis, ſed cum omni mobili ſupellectile inde exire; ita ut reliquis, qui in urbe manere optarent, ob praeterita nullum periculum crearetur, exceptis iis, qui publicorum nummorum ratione regiae majeſtati obligati ſunt: qui aliam quam majorum religionem profitentur, urbe faceſſere teneantur, iiſdem ac milites conditionibus; quibus ob praeteritorum memoriam nulla moleſtia in praeſens fiat, ſalva tamen eorum perſecutione, ſi quidem in manus regiorum inciderint: dimiſſi tam nobiles quam milites et oppidani fidem obſtringant, intra annum non militaturos contra Hiſpanorum regem aut etiam regem Chriſtianiſſimum, niſi forte regis Catholici id auſpiciis fiat; quo ſacramento non intelligantur obligati Ludovicus Naſſovius, Germani et Angli. His conditionibus urbs dedita. Albano obſides dati [b] Bertinius, [c] Albinius, [d] Bettencurius et Potellus ex Belgica nobilitate viri primarii; qui cum praeſidiariis manerent, donec in locum ſecurum ac pacatum deducti eſſent, et Naſſovius cum ſuis Ruremondam, Galli ad [e] Guiſae arborem perveniſſent: quo facto, obſides dati dimitterentur; et, quouſque id peractum eſſet, [f] Lanovius, [g] Soccurius, [h] Hecurius, [i] Cormontius apud Noerkermium Hannoniae praefectum manerent. Tum per ruinam Liquius ingreditur; Naſſovius in lectica cum ſuis a Friderico Toletano, Romero et Jo. [k] Murbequio deducti ſunt. Urbi impoſitus [l] Baucius cum IV ſignis Belgarum et parte tormentorum, ceteris ad [m] Rutium comitem tranſmiſſis, ut cum iis [n] Aldenardam obſideret.

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

XIII. MONDRAGONIUS inde praemittitur, ut [o] Teneramundam obſideret, quae ad primam denunciationem ſeſe dedidit. [p] Mechlinia paulo poſt digreditur Arauſionenſis, relicto in urbe IV ſignorum et CC equitum praeſidio. Albanus cum Bruxellas divertiſſet, et, eductis inde IV Siculae legionis cohortibus, [q] Tilemonem et Lovanium in itinere recepiſſet, Mechliniam contendit, praemiſſo Friderico filio, qui ſuburbia poſt aliquod certamen cepit, vulnerato inibi Ferdinando Toletano. Nocte inſeqnenti praeſidiarii ab Arauſionenſi impoſiti de ſucceſſu deſperantes aufugiunt: et, cum archiepiſcopi vicarius ac ſacri collegii ſodales mane cruce praelata et inſignibus ſacris (id actum Kal. Oct.) pro moenibus ſtarent, et vim ſupplices miſerae plebi deprecarentur, nihil preces et infulas ſacerdotum reveriti Hiſpani ſcalis admotis non multum contra pugnante Albano oppidanis admodum infeſto vim faciunt, et capta citra certamen urbe nullo non immanitatis, libidinis et avaritiae genere in ea graſſati ſunt. Id non ſolum juſtae Albani ob recentem defectionem Mechlinienſibus ſuccenſentis irae, ſed etiam neceſſitati datum, milite ob non perſoluta plurium menſium ſtipendia fremente, et prope ad ſeditionem ſpectante. Germani equites Lovanium, Joannes Mendoza cum levi armatura Liram in praeſidium miſſi. Poſtquam Mendoza [r] Araſchotium venit, de receſſu fugae propiore hoſtium cognovit, veſtigiiſque eorum inſiſtens ultimum agmen in luci ingreſſu carpſit, et [ſ] Diſtum jam praeſidio vacuum recepit. Aldenarda mox dilapſis praeſidiariis Rutio patuit; e quibus pauci ab oppidanis in aedibus, in quibus latebant, incendio excitato ambuſti ſunt.

XIV. DUM Albanus in Montium obſidione occupatus haeret, foederati de [t] Tergoenſi urbe in Mattiacis, jam toties infeliciter tentata, tunc rurſus oppugnanda conſilium ceperunt, Anglorum et Scotorum aliquot copiis ſubnixi. Itaque [u] Vliſſinga profecti

INTERPR. [a] *le comte Ludovic de Naſſau.* [b] *de Bertain.* [c] *d'Aubigny.* Meteren l'appelle *le baron de Doingnies.* [d] *les ſieurs de Bettencourt, & de Potteles.* [e] *l'Arbre de Guiſe.* [f] *de la Noue.* [g] *de Soyecourt.* [h] *de Hecour.* Meteren met *d'Elcourt.* [i] *de Cormont.* [k] *de Morbeque.* [l] *de Baux.* [m] *de Roeux.* [n] *Oudenarde.* [o] *Dendermonde.* [p] *Malines.* [q] *Tilemont, & Louvain.* [r] *Arſchot.* [ſ] *Dieſt.* [t] *Tergoes en Zelande.* [u] *Fleſſingue.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX. profecti cum VIII CIↃ peditum ad VII Kal. Sept. in inſulam exſcenſionem fecere; ubi, biduo poſt aliquod certamen foſſa ducta, VIII grandia abenea tormenta admovent, et IV minora ferrea, quibus munitiones pulſatae, et molatrina ſubventanea ac circumpoſitae domus dejectae ſunt. Deinde in murum juxta [a] Capitalem portam et novum propugnaculum verberationem dirigunt, quam mox ad [b] Imperialem portam transferunt, triduique pulſatione continua ingentem ruinam edunt, et ad [α] eam navem armatam ſaccis lana oppletis onuſtam admovent, ex cujus malo intus deſpectus eſſet, ac tandem, cum eam ad vim faciendam idoneam viderent, XXX ſcalis ad propugnaculum novum admotis eodem tempore illuc et ad ruinam impetum faciunt, cc Gallis aciem ducentibus. Repulſi cum damno foederati, cum ex obſeſſis vix quinque deſiderati eſſent. Petito dein a [c] Lumaco ſubſidio, miſſi bis mille quingenti Germani; quorum adventu in ſpem potiundae urbis erecti foederati foſſam ad portam [d] Siſeram promovent, illaque parte ruina edita tribus locis ſimul urbem invadere ſtatuunt. Urbem tuebatur Iſidorus [e] Pachecus, qui exiguum, quem penes ſe habebat, praeſidiariorum numerum tripartito dividit; et partem Conſalvo Mendozae, partem Ferdinando Sajavedrae, qui caſu in ea urbe, cum obſideretur, erant, tertium Alſonſo Mirandae attribuit; ipſe paucos ſibi ſervavit, laborantibus, cum opus eſſet, praeſto futurus. Cum foederati non ſatis ſibi inſtructi ad vim faciendam viderentur, rem in craſtinum diſtulere; quod magno obſeſſis commodo ceſſit, ab Iſidoro interim juxta ruinam excitato oppidanorum opera tumulo ad fraenandos irrumpentium impetus. Quo minime animadverſo foederati, cum ſero morae ſuae poeniteret, vim abſtinuerunt, et, tormentis amotis, nocte inſequenti igneis artificioſos ad incendendam portam adhibuere: quibus reſtinctis rurſus alteram rationem ineunt, et laneis ſaccis tanquam pluteis tecti muro ſuccedunt, eumque ſuffodere aggrediuntur: ſed crebris eruptionibus interturbati, ac cum damno ſaepius repulſi, cum nihil proficerent, ad cuneorum uſum vertuntur; quorum et irritus labor fuit. Cumque derivata e foſſa aqua in eo eſſent, ut ignibus artificioſis admotis vim facerent, nuncio de auxiliis ab Albano ſummiſſis accepto, omnino ab incepto deſtiterunt. Id negotii Sanctio Avilae et Chriſtophoro Mondragonio datum fuerat, qui expeditionem hanc audacem juxta et periculoſam ſuſceperunt, aſſumptis Antuerpienſis arcis et locorum vicinorum praeſidiis. Ii non ſolum terra, ſed etiam mari cum ſibi rem gerendam cognoſcerent, quod hoſtes cum claſſe canalem, qui ad urbem ducit, inſiderent, etiam in ſumma navium penuria quaſdam armant, et cum milite duo tormenta imponunt, quas ad canalem praemittunt; quae tamen vento reflante et ingenti imbre ſuperveniente retro compulſae ſunt, nec auxilia portare potuerunt, amiſſo altero ex duobus tormento, quod tenacis luti voragine hauſtum nulla opera inde extrahi potuit. Nec tamen propterea animum deſpondit Avila, qui monitus ab indigenis et [f] Blommario Pleumoſio inprimis ſtrenuo viro, olim [g] Tergoenſem inſulam continenti adhaeſiſſe, et violenta ac crebra maris inundatione avulſam tamen vadum reliquiſſe, quod recedente maris aeſtu facile tranſiri queat, vadi profunditatem et latitudinem per fidos ſibi homines tentari jubet; cognitoque vadum ſatis tutum, ſed per illud, ut quod VI milliaria latitudine amplectatur, et treis amneis profundo alveo in ſe accipiat, iter laborioſum eſſe, re cum Mondragonio communicata, cum IV CIↃ Germanici et Hiſpanici nominis eo ducit, et ſecundum litus maris incedit, ignaro milite, quo duceretur. Mondragonius, quamvis jam aetate affecta, ſed cruda ſenectute, primus vadum ingreditur, quod duarum horarum ſpatio tranſmiſit; militibus arma et ſaccos pulvere ſulphureo plenos ſupra capita geſtantibus, ex iiſque IX tantum, qui amnium interfluentium rapiditate, dum longius a ſociis decerrant, abrepti

VAR. LECT. [α] eam ingentem navem *D. f. o.*

INTERPR. [a] *porte de la Teſte.* [b] *porte de l'Empereur.* [c] *le ſieur de Lumey.* [d] *porte de Siſquerque.* [e] *Pacheco.* [f] *Blommart Flamand.* [g] *Tergoes.*

abrepti ſunt, amiſſis; ſtatimque igneis, ſicuti convenerat, accendit, quo incolumeis copias in inſulam tranſmiſiſſe Avilae ſignificaret, et [a] Pacheeum de adventu ſuo certiorem faceret. Ibi ad quietem et madorem abſtergendum breve tempus conceſſum; cujus interſtitio ſi hoſtes in auxiliareis itinerum incommoditate fatigatos impetum feciſſent, eos nullo negotio delere potuiſſent. At foederati, poſtquam de re cognoverunt, protinus ignibus excitatis, id enim ſignum erat, [b] Camferenſeis monent, ut naveis tranſportando militi ſine mora adducerent; ad quas illi dum properant, tanta trepidatione tumultuatum eſt, ut multi fluctibus inter conſcendendum hauſti ſint, Pacheco interim in ultimum agmen impreſſionem faciente cum CCCC a Mondragonio ſummiſſis, Joanne [c] Porreſio, Ballejo, Salvaterra ducibus: quo in conflictu ad IƆCCC ex foederatis perierunt. Avila mox Tergoam venit, et, urbe praeſidio ac munitionibus firmata, [d] Antuerpiam reverſus eſt; cum foederati eam a VII Kal. Sept. ad XII Kal. Novembreis obſidione cinxiſſent, quo tempore multi etiam Galli poſt caſum Pariſienſem in eorum caſtra venerant. CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

XV. NEC ceſſabat interea in Hollandia [e] Lumaeus: nam, digreſſo e provincia Ferdinando Toletano, ſtatim ad Amſterodamum claſſem antea inſtructam admovet, ſi qua ratione urbem commercio, quo uno conſtat, impedito ad partes ſuas pertraheret. Ea eſt in Batavis atque adeo toto Belgio hodie maxima et negotiationibus florentiſſima, cujus cives maxime a Proteſtantium doctrina alieni erant, ad mare et veluti in mari ſita, poſitu Venetam civitatem [f] Hadriatici ſinus reginam referens canalium per portas mare recipientium frequentia, quae eo artificio fabricatae ſunt, ut aeſtu intumeſcente claudantur, recedente ſponte aperiantur. In urbe IV CIƆ oppidanorum erant egregie armis inſtructorum, quibus cum ſummo imperio praeerat Petrus [α] Peterſonus primarius decurio regii nominis ſtudioſiſſimus et foederatorum partibus infeſtiſſimus. Lumaeus fruſtra ſolicitatis oppidanis, cum alia ratione urbi ob firmitudinem incommodare non poſſet, portum ingreſſus ad C naveis incendit; quae jactura ad CCC aureorum CIƆ aeſtimata eſt. Inde Schonoviam ducit, oppidum, quod Amſterodamenſibus foederatum, et propter commercium multa neceſſitudine conjunctum ſemper fuit, undique urbibus, quas jam ipſi tenebant, circumdatum, ob idque, cum nulla auxilii ſpes eſſet, tandem deditum. [g] Boſſuvii comes provinciae praeſes [h] Ultrajecti erat, quod vix in fide retinebat, ſervando in [i] Geldriam per eam urbem tranſitu intentus, ubi Ladiſlaus [k] Barlemontius Hiergius bello adverſus Arauſionenſis partibus addictos infeſtiſſimo diſtinebatur. Nam [l] Bergae comes Arauſionenſis ſororius, contracto V CIƆ armatorum ex ruſticis fere exercitu, multas urbes et oppida in Geldria et vicinis provinciis citra certamen occupaverat: [m] Zutfaniam, Doetecomum, Duiſburgum, Hardevicum, [β] Elburgum, Alumam, Oldezelam et alias in fidem receperat. Inde ſucceſſum urgens in [n] Tranſiſelana [1] ad Laurentii fanum et [o] Campenſem urbem caſtra ponit; quas et deſperatis auxiliis et commeatu deficiente IV Eid. Sextil. capit: earumque exemplum [p] Swolla, Haſſella, Stenvica in eadem provincia ſecutae ſunt, paſſim abolita majorum religione. [q] Deventriam provinciae caput tenebat Franciſcus [r] Varga in provincia ab Albano relictus, ut eam in officio contineret, et auxiliareis Germanos ductoribus Erico Brunſvico et Adolſo [ſ] Holſatiae duce venienteis acciperet, cum IV Hiſpanorum ſignis; qui crebris excurſionibus et incenſis pagis ac vicis infeſta omnia circum foederatis et oppidis, quae rebellaverant, faciebant, ac quotidie cum

Zutfaniae

VAR. LECT. [α] Perſonus *D. f. o. d.* [β] Elbericum *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Pacheco.* [b] *ceux de Campvere.* [c] *de Porres, Vallejo, & Salvatierra.* [d] *Anvers.* [e] *le comte de la Marck, ſieur de Lumey.* [f] *golfe de Veniſe.* [g] *Boſſut.* [h] *Utrecht.* [i] *Gueldres.* [k] *de Berlaimont, ſieur de Hierges.* [l] *le comte Vanden Bergh.* [m] *Zutphen, Doetekum, Doesburg, Harderwick, Elburg, Almeloe, & Oldenzeel.* [n] *Overiſſel.* [o] *Campen.* [p] *Zwoll, Haſſelt, & Steenwick.* [q] *Deventer.* [r] *de Vargas.* [ſ] *Holſtein.*

NOT. [1] *dele* ad Laurentii fanum et: *lege* die ſancti Laurentii ad *Put.*

CIↃIↃLXXII. Zutſaniae praeſidiariis decertabant. In Friſia, [a] Nederwormteri ex primaria regionis
Carolus IX. nobilitate viri anſpiciis, cui mox in eo munere ſucceſſit [b] Juſtus Scouenburgenſis comes, [c] Sneca, Boelſuerda et [α] Franikera in fidem receptae ſunt. Inde [d] Docum ducitur; et, oppido capto, cum praeſidiarii in turrem templi a ſe munitam confugiſſent, certa de auxiliis concepta fiducia, ne incendio quidem admoto induci potuere, ut deditionem facerent. Nec vero ſpe illi ſua falſi ſunt. Nam Gaſpar Robles [e] Billius, qui [f] Groeningenſi arci praeerat, cum auxiliaribus ſuperveniens, cum in itinere [g] Leovardiam, Harlingam et Staveram arces Belgarum praeſidio firmaſſet, Docum recta ducit; cjuſque adventu ruſticorum exercitu diffugiente urbs capta et crudeliter direpta eſt: quod XVI Kal. Oct. accidit. Doco capto, Billius ad Staveram vireis vertit, cujus arcem ruſtici armati oppugnabant; improviſoque incumbens eos belli fere rudeis fudit, et obſidione ſoluta pagum pari crudelitate qua Docum diripit. Inde praeda onuſto milite rediens cum praeſidiarios Sneeae, Boelſuerdae et Franikerae obvios habuiſſet, praedam ſuam recipere cupienteis, dejecto prima impreſſione eorum duce in fugam vertit, multis interfectis.

XVI. Interea Albanus poſt receptos [h] Montes [i] Moſae Trajectum venerat, et, dimiſſo equitatu Germano, quod ejus in obſidionibus, quas animo agitabat, exiguus uſus eſſet, tormentiſque [k] Moſae impoſitis, quorum cuſtodiam [l] Liquio cum V cohortibus attribuit, ipſe per aquam ſubſecutus eſt; et ubi [m] Wahalim ingreſſus eſt, reflexo contra Rhenum itinere adverſo flumine ad [n] Mokam venit, ubi Gaſpar Gomeſius [o] Graviae praefectus pontones ſumma amplitudine paratos habebat, quibus inter ſe colligatis pontem firmiſſimum extruxit. Ibi Albanus, exercitu tranſmiſſo et tormentis, per terram [p] Noviomagum tendit; ubi aliquandiu, ob loci commoditatem, ad negotia explicanda commoratus eſt. Inde rurſus Wahali tormenta imponuntur, et adverſo flumine [q] Arnhemium ducuntur, praemiſſo Friderico filio cum exercitu; ad cujus adventum [r] Lochemum et Duisburgum deditionem fecere. Miſere et legatos [ſ] Campenſes, Swollae, [β] Haſſellae, Stenvicae et Hardevici oppidani, et Amersfortenſes ex agro Ultrajectino, qui infirmitatem ſuam cauſati iram Albani deprecabantur, quod Arauſionenſi portas aperuiſſent. Ad Zutfaniam dein promota caſtra ad [t] Iſalam fluvium ſitam; cujus praeſidiarii dedere oppidum juſſi cum recuſaſſent, XIII majora tormenta ad portam Lochemenſem admoventur, quorum diſploſione edita ingenti murorum ſtrage praeſidiarii ſaevitiam Hiſpanorum veriti oppidum noctu deſerunt, cuſtodia civibus relicta; qui mane cum deditionem facere vellent, antevertentibus Hiſpanis et per ruinam enitentibus, urbs capta et obviis quibuſque trucidatis omni immanitatis et libidinis genere vaſtata eſt. Qua re, contra quam rebatur Albanus, deſperatio potius, et ex deſperatione irreconciliabile adverſus nomen Hiſpanum odium concitatum eſt, quam terror provincialibus injectus: et quanquam [u] Bergenſis comes et Schauenburgenſis Geldria et Friſia ad Hiſpanorum adventum exceſſiſſent, provincialium pertinacia minime infracta eſt, praevalente adverſus periculum odio. Itaque cum Fridericus, impoſito Swollae et Deventriae [w] Polvillerio, et eductis Franciſco [x] Varga et IV Hiſpanorum ſignis, [γ] [y] Nardenum veniſſet, oppidum in Batavorum ingreſſu ſitum nec muro nec poſitu firmum, miſſoque [z] Noerkermio et [aa] Creſſonerio oppidanos ad conditiones accipiendas invitaſſet, illi, dum de iis altercantur, et caveri ſibi idonee petunt, Hiſpanis colloquii tempore irruentibus ad interneccionem

VAR. LECT. [α] Frunika *D. f. o. d.* [β] Huſſeltae *D. f. o.* [γ] Nardunum *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *le ſieur de Nederwormter.* [b] *le comte Jooſt de Schouwenburg.* [c] *Sneeck, Bolſwardt, & Franecker.* [d] *Dockum.* [e] *de Robles, ſieur de Billy.* [f] *Groningen.* [g] *Leuwarden, Harlingen, & Staveren.* [h] *Mons.* [i] *Maeſtricht.* [k] *la Meuſe.* [l] *de Liques.* [m] *le Wahal.* [n] *Mocck.* [o] *Grave.* [p] *Nimague.* [q] *Arnheim.* [r] *Lochem, & Doesburg.* [ſ] *ceux de Campen, Zwol, Haſſelt, Steenwick, Harderwick, & Amersfort.* [t] *Iſſel r.* [u] *le comtes Vanden Bergh, & de Schaumburg.* [w] *le baron de Polweiler.* [x] *de Vargas.* [y] *Naerden.* [z] *le ſieur de Norcarmes.* [aa] *la Creſſoniere.*

interneciones fere omnes trucidati ſunt. Urbe direpta ignis in domos injectus, ut nihil ab incendio in ea, excepto templo et devotarum coenobio, intactum remanſerit. Id poſtea, quod ob id ſe magna invidia onerari ſentirent Hiſpani, jure belli excuſarunt, quod eam infirmorum et ad obſidionem ſuſtinendam imparium locorum temeritati poenam deberi dicerent. Factum adjiciunt inter pauca crudele, et propius miraculo, qui haec tradunt. In domo quadam paterfamilias locuples creditus, cum exquiſitis tormentis diſcruciatus, ut gazam occultatam indicaret, et nihil occultaſſe ſe conſtanter affirmaret, uxor etiam in ejus conſpectu a milite injurioſe compreſſa eſt, quod illi ſaevius omni cruciatu accidit; tandem cum conviciis, quando aliud non poterat, tantam injuriam ultus, ad extremum crudeliter ante uxoris oculos interfectus eſſet; uxor ejus ad indicandam pecuniam ad lignum capite in terram verſo et manibus poſt terga vinctis ex pede ſuſpenſa eſt coram puerulo filio, qui caedis paternae et injuriae maternae ac tormenti ſpectator fuerat, et ipſe vinctus, nec matri opem ferre valens, cum matre ita ex ligno pendente ſine cibo biduum relictus eſt. Ei vero jam deficienti et matrem diritate ſupplicii et ex fame prope anima linqui cernenti juvenem quendam praeſto fuiſſe aiunt forma eximia, quaſi coelo dimiſſum, qui utrumque ſolatus ſolvit, et pane allato fame prope enectos recreavit, eoſque, ut certam in Deo fiduciam ponerent, monitos in poſterum bene ſperare juſſit. Cujus rei fides penes auctores ſit.

XVII. NARDENO Fridericus Amſterodamum venit jam aſpera hyeme et glacie aquis ubique concretis, et equitatum, cui Joannes Mendoza praeerat, [a] Arnhemii, [α] Amersfortii et Ultrajecti, quibus oppidis praepoſitus erat Robertus [b] Melodunus Haſſenburgus, ſubſiſtere juſſit; cumque in animo haberet [c] Harlemum in poteſtatem redigere, eos per Amſterodamenſeis primum ſolicitari curavit, ut praeſidium acciperent. Igitur miſſi legati cum literis, qui jure viciniae eos officii ſui admonerent, et in regis fide manere hortarentur. Sciſſa tunc in factiones erat civitas, aliis Arauſionenſi ſtudentibus, quae pars tandem praevaluit, aliis regio nomini addictis, qui tamen pro tempore pervicere, ut [d] Theodoricus Friſius et Chriſtophorus [e] [β] Scagius cum Hadriano [f] Aſſendelfio ad Fridericum mitterentur, et excuſata praeteritorum memoria vim deprecarentur, oppidanoſque imperata aequis conditionibus facere paratos oſtenderent. Id III Non. Dec. actum. Poſtridie jurati oppidani in concilium vocantur; cui inter alios interfuerunt Ladiſlaus Brederodius, [g] Vlbutius Riperda ſtrenuus ordinum ductor, Hadrianus [h] Jenſenius et [i] [γ] Stuverius primarius decurio. Ibi Riperda cum immanitate et perfidia Hiſpanorum multis verbis exagitata ſe ducem oppidanis, ſi virtute potius ſibi conſultum, quam ignavia ſe perditum ire mallent, obtuliſſet, ſuperius decretum inducitur; novumque conditur, quo extrema potius tentari placuit, quam ut ſe Hiſpanis dederent. Secundum haec ad Arauſionenſem mittunt, qui [k] Lugduni Batavorum erat: et cum [β] Scagius et Aſſendelfius Amſterodamo rediiſſent, protinus comprehenſi Lugdunum ad Arauſionenſem ſub cuſtodia mittuntur, ubi paulo poſt Aſſendelfius proditionis publico judicio convictus [l] Delfis patibulo affixus eſt. Mox Harlemenſibus auxilio ſummiſſus Lazarus [m] Mulerus cum X Germanorum ſignis; cujus praecipui duces erant [n] Steinbacus legatus, Chriſtophorus [o] Vaderus, Lambertus Wirtenbergenſis et Martinus Prutius, qui, per inferiorem Hollandiam habito itinere, prid. Non. Dec. urbem ingreſſi ſunt. Eodem die templa ſpoliata et imagines paſſim dejectae ſunt; ac poſtridie nuncius a Theodorico Friſio principe legationis, qui apud Fridericum ſibi a civibus metuens remanſerat, cum ipſius literis in urbem venit, qui tanquam explorator quaeſtioni ſubjectus et poſtea in furcam

actus

VAR. LECT. [α] Amſterfortii *D.* f. o. d. [β] Scaccus *D.* f. o. d. [γ] Stenerus *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Arnhem, Amersfort, & Utrecht.* [b] *de Melun, ſieur d'Haſſenbourg.* [c] *Haerlem.* [d] *Dierick de Friſe, vieux Bourguemaiſtre.* [e] *Schagen.* [f] *Aſſendelft penſionaire.* [g] *Wybolt Ripperda Friſon.* [h] *Janſen eſcoutette de la ville.* [i] *le bourguemaiſtre Stuyver.* [k] *Leyden.* [l] *Delft.* [m] *Muller.* [n] *le colonel Steenbach.* [o] *les capitaines Vaader, Lambert Van Wirtenberg, & Martyn Pruys.*

CIϽIϽLXXII. actus eſt. Fridericus vero Harlemum obſeſſurus temporis commoditate uſus, quod
CAROLUS IX. aquae paſſim glacie concretae eſſent, naveis in canali Harlemenſi haerenteis incendere aggreſſus eſt; idque negotii datum Franciſco [a] Aquilario, [b] Alvardo primario Martini [c] Eraſti centurioni, et Roderico [d] Pereſio, ut ope gallicarum ferrearum, cujuſmodi VII millia ad uſum regionis accommodatas fabricari juſſerat, per glacies peditem traducerent, et vim ad naveis facerent: ſed cum comperiſſent, claſſiarios uncis candentibus uſos glaciem circa claſſem dirupiſſe, conatus fruſtra fuit. Inde ad Sparendamum, quod eſt inter Amſterodamum et Harlemum ſitum oppidulum, aquaticam regionem a ſuperiore, quae aridior eſt, unde et nomen habet, dividens, a foederatis per Ferdinandi Toletani abſentiam feſtinatis operibus munitum, ante omnia duci placuit; ejuſque rei cura Roderico Sapatae, qui ſemel atque iterum jam locum feliciter oppugnaverat, committitur; ubi ipſe ictu tormenti brachium laevum amiſit, dum velitari pugna cum praeſidiariis decernit. Eo Harlemenſes miſerant, qui aggere perſoſſo inducta aqua regionem ſubjectam mergerent: ſed imperfecto opere cum Hiſpani ſuperveniſſent, et ſumma diligentia aggeris ruinam ſarciviſſent, conatus Friderici retardari propterea minime potuere; qui per [e] Sparam et Tiam amneis tanta firmitudine concretos, ut graviſſimo ponderi ferendo pares eſſent, traducto milite Sparendami munitionem alio tempore inexpugnabilem creditam, et tunc CCC bellatorum praeſidio firmatam vi undique facta cepit. Martinus Prutius cum multis e ſuis in ea deſideratus; auxiliares ab Harlemenſibus ſummiſſi ab Hiſpanis cum damno intra urbem compulſi ſunt, ubi miſſo Philippo [f] Marnixio Santaldegondano inſtituti novi magiſtratus, creatique IV primarii decuriones, VII aediles ſeu ſcabini, et X conſiliarii. Demum pridie Eidus Menſis [g] Harlemum ab Hiſpanis corona cingitur, occupato a Didaco Carvajali cum IϽ ſeloppetariis [h] Lazari fano. In Friderici exercitu erant LXX ſigna peditum, XXII Belgarum, XVI Germanorum, et XXXVII Hiſpanorum, II ſeloppetariorum equitum alae, et CC equites Teutonici ex ala [i] Schenkii: evocatae et Joannis Pacheci, et Antonii Toletani equitum alae, quae viam ab [k] Alkmaria et ex aquatica provincia ducentem inſiderent, et eam inprimis, quam maris fluctus excurrens complanat et ſpiſſa arena ſternit tanta firmitate, ut per illam carri onuſti quam expeditiſſime decurrant. Ad Ecmondanam arcem ſumpto hoſpitio mox auxiliares aliquot ſummiſſi, cum propter brumoſum aerem Hiſpanos incurrenteis non viderent, magno damno affecti ſunt. Inde conſultatum in caſtris, qua parte et qua ratione pulſatio deberet fieri; et peritioribus placebat, ut decuſſata verberatione moenia pulſarentur ab ea parte, quae ſilvam ſpectat; quod et debilior ea parte murus, et facilior eſſet in eum aſcenſus. Sed transferenda erant tormenta, et hoſpitia mutanda; atque adeo durum videbatur, ut miles procul a tecto omni tam aſpera ac frigida hyeme ſub tentoriis et dio degere cogeretur: quod tamen neceſſarium erat, ſi ab ea parte pulſatio fieret. Verum non tam rei difficultate et incommoditate territus eſt Fridericus, quam contemptu hoſtium: et, fiducia de [l] Zutfaniae et Nardeni ſucceſſibus temere concepta, conſilium tutius reſpuit. Sic enim diſputabat, oppidanos belli rudeis, et Batavos fere omneis, quorum corpora mollia et fluxa militarem laborem pati non poſſent, ſuſtinendae obſidioni impares eſſe; praeſidiarios vero mille tantum in urbe eſſe, qui exemplo aliorum, ſi nulla mora interjecta tormenta admoverentur, protinus dilapſuri ſint, et urbem praedae expoſitam relicturi. Bernardinus Mendoza, credo, ut Hiſpanos culpa liberet, id Friderico a [m] Noerkermio et Creſſonerio perſuaſum ſcribit, magno errore, ſicuti exitus docuit. Igitur nulla ducta foſſa, praeter eam, quam tormenta XIV defendebant, admodum longinquam, pulſatio ad portam [n] S. Crucis et munitionem

INTERPR. [a] *d'Aguilar.* [b] *Alvarade, ſergent major.* [c] *Eraſſo.* [d] *Perez.* [e] *la Sparen, & la Tie.* [f] *de Marnix, ſieur de Ste Aldegonde.* [g] *Haerlem.* [h] *maladerie de S. Lazare.* [i] *Schenck.* [k] *Alkmar.* [l] *Zutphen, & Naerden.* [m] *le ſieur de Nortarmes, & la Creſſoniere.* [n] *de Ste Croix,* vulgo *Cruys poorte.*

Digitized by Google

munirionem ei oppoſitam dirigitur xv Kal. Jan. portaque dejecta, poſtridie munitio CIϽIϽLXXII.
quaſſatur, et murus, qui inde ad S. Joannis portam porrigitur, quam obſeſſi novo CAROLUS IX.
pomoerio ad S. Catharinae uſque pontem ducto firmaverunt; ruinaque edita, poſt CIϽ IϽXV ictuum diſploſionem, tot enim toto triduo a coepta verberatione numerati ſunt, irruptio facienda pronunciatur, reclamante Romero, qui de ſucceſſu verebatur: ſed, licet pilae ſerreae et pulvis tormentarius deficerent, iterum a [a] Noerkermio et Creſſoncrio perſuaſus edicit, ut deſtinati ad vim faciendam ſe pararent; qui aperto campo duce Fr. Varga incedentes, quippe nullo vallo tecti, ac pontem artificioſum a Bartholomaeo [b] [α] Campocaſſio fabricatum ſecum portantes, cum ad munitionem veniſſent, quam [c] Steinbachus cum ſariſſophoris defendebat, vim univerſi faciunt, non expectato ducum imperio, et loco arduo et anguſto enitentes vix pauci in ſummum evaſerunt. Ibi Alfonſus [d] Galeacius cum aliquot haſtatis diu cum Steinbacho quaſi ſingulari certamine depugnavit. Sed diſploſione tormentorum catenis ferreis onuſtorum infeſtati, ac poſtremo magna cum jactura repulſi ſunt Hiſpani, nequicquam eorum temeritatem increpante Romero, qui, dum ſuos revocat, ſclopeti ictu in oculo ſauciatus eſt. Deſiderati amplius CL; et in iis Lucas [e] Soinagus, et ipſius ſignifer Andreas [f] Brotius: graviter ſauciati Fr. [g] Varga et in foſſa relictus, ex qua non niſi poſtridie educi potuit, Petrus Benavides Didaci Carvajalis, Tovilla Gaſparis [h] Ureae, et Lama Franciſci Valdeſii ſigniferi; et ipſe Galeacius ictum ſariſſae in femore accepit. Hic exitus fuit primae aggreſſionis ad Harlemum ab Hiſpanis ſumma virtute ſactae et majore a praeſidiariis et oppidanis depulſae; quibus, praeter inſitam virtutem, gratiae apud infeſtos deſperatio, ſed praecipue Numen tot immanitatum vindex animos faciebant, ut ita obſidionem, quam Fridericus paucorum dierum fore ſibi perſuaſerat, in VIII uſque menſem extraxerint, et nuſquam interruptum hac uſque fortunae Hiſpanienſis ſemper victricis curſum praeter omnium opinionem tam diu retardaverint. Demum IV Kal. [β] Jan. promiſſa ab Arauſionenſi auxilia, quae erant III Belgarum ſigna duce Hieronymo [i] Tſerarſio, intra urbem accepta ſunt; dum interim Hiſpani, nubiloſi coeli beneficio uſi, nullum promovendo vallo et cuneis agendis tempus intermitterent: quae nos in ſequentem annum reſervamus, ea, quae hoc anno apud nos, in Italia et Oriente geſta ſunt, ſicut narrationis ordo poſtulat, prius exſecuturi.

XVIII. [γ] FABIUS [k] Urſinus cardinalis a pontifice poſt acceptum de Pariſienſi tumultu nuncium legatus in Galliam venit, aliquanto tempore prius Avenione commoratus. Is longe aliam rerum faciem, quam rebatur, et quam Romae reliquerat, in Gallia offendit, inde animis pavore conſternatis, inde facti atrocitate irritatis, turbato item ubique regno. Mirarique ſubiit, quod Romae publicis laudibus depraedicabatur, id apud nos aeque omneis triſti ſilentio deteſtari; regemque ipſum, cui egregii adeo facinoris et diu ante profunda prudentia excogitati et concocti gloriam ingenioſe paſſim per Italiam affingebant, illud tanquam ex occaſione et rei neceſſitate natum, neque ante praemeditatum, apud ſuos excuſare. Itaque in aula deliberatum aliquandiu fuit, legatum rex admitteret, an honeſtis excuſationibus apud eum uſus colloquium deprecaretur: quippe verebatur, ne pontificis gratiam, quam eo facto ſummam demeruerat, legati repulſa amitteret, minore ex adfectata repulſa apud Proteſtanteis profectu, quam ut ob eam injuriam in tam gravem pontificis offenſionem incurrere deberet. Tandem et pontificii et Urſini nominis rerum Gallicarum ſemper in Italia ſtudioſiſſimi dignitati datum, ut admitteretur. Igitur ille, ubi [l] Lugdunum venit, more ſolemni acceptus, multis laudibus civium fidem extulit; et [m] Boidono illo

VAR. LECT. [α] Campio *D. f.* o. d. [β] Dec. *D. f.* [γ] Dum haec in Belgio agerentur, Fabius *D. f.* o.

INTERPR. [a] *le ſieur de Norcarmes.* [b] *le capitaine Campocaſſo.* [c] *le colonel Steinbach.* [d] *Galeas.* [e] *Soinage.* [f] *Broot.* [g] *de Vargas.* [h] *de Gurrea.* [i] *Tſerarts.* [k] *Orſino.* [l] *Lyon.* [m] *Boyden.*

CIↃIↃLXXII. Carolus IX. illo lanienae immanis anteſignano palam laudato, etiam ei poteſtatis plenitudine gratiae beneficium impertivit; et quanquam a regiis miniſtris ex Joannis [a] Morvillerii conſilio monitus, ut ſobrie et parce de ea re loqueretur, non potuit ſibi temperare, quin regis in eo negotio prudentiam, patientiam, animi magnitudinem publice et in privatis colloquiis ubique apud omneis etiam cum delectu verborum commendaret. Inde Lutetiae ſolemni pompa a ſenatu et ceteris urbis ordinibus perhonorifice IX Kal. Dec. exceptus eſt; et ad epiſcopi aedeis divertit. Poſtea cum rege collocutus, inter alia multis et enixis precibus ac rationibus ab eo contendit, ut concilium Tridentinum, cujus publicationem totum jam novennium in Gallia magna cum univerſi Chriſtiani orbis offenſione ſuſpenſam aiebat, in regni curiis promulgaretur, et recentis facti omnibus ſaeculis depraedicandi, quod ad Dei gloriam et ſacrae Romanae eccleſiae dignitatem pertineret, memoria ſacroſanctae ſynodi approbatione velut obſignaretur: ſic enim apud omneis, tam qui ſunt, quam qui poſtea erunt, conſtiturum, non odio aut ultione aut privatae injuriae ſenſu regem in tot capitum perniciem conſenſiſſe; ſed ardenti Dei gloriae propagandae ſtudio a Chriſtianiſſimo principe datum, ut, quod ſtante Proteſtantium factione ſperari non poterat, iis ſublatis, majorum religio, hoc eſt, Catholica Apoſtolica Romana, quae per ſynodum Tridentinam a Sectario veneno aſſeritur, citra controverſiam ac ſine exceptione per univerſas Franciae ditionis provincias conſtitueretur. His et aliis rationibus ſaepius apud regem repetitis, quae magni in aula Romana ponderis, pleriſque etiam apud nos ſpecioſae videbantur, quo minus rex ac regina acquieſcerent, obſtabant jam ſumpta ad excuſandum factum conſilia. Nam diplomatis poſtea promulgatis rex contra conteſtabatur, non odio religionis, ſed ad revincendam Colinii ac ſequacium deteſtandam conjurationem, quae juſſu ſuo Lutetiae acta eſſent, accidiſſe, exemplumque ad ceteras urbes injuſſu ac magno ſuo cum dolore graſſatum eſſe: idque literis, orationibus ac libellis illis, de quibus diximus, ubique inculcabatur. Itaque, ut regiis edictis fides conſtaret, cum jam ubique Rupellanorum exemplo confirmati Proteſtantes animos in regno colligerent, et metus eſſet, ne externorum principum, Eliſabethae Anglorum reginae ac Germanorum inprimis, auxiliis juvarentur, rex, multa de ſummo ſuo erga veram religionem ſtudio ac praecipuo in ſedem Romanam cultu et obſervantia praefatus, in praeſens ſe excuſavit; et multis in arcano promiſſis oneratum legatum, quam potuit, honorificentiſſime dimiſit. Id conſilii a cardinali Lotaringo pontifici ac ſacro cardinalium collegio datum fuerat, de concilii in Gallia promulgatione ſemper ſoliciro, tum ad omneis occaſiones intento, quae tamdiu expetitam ejus promulgationem adjuvare poſſent: eam vero veniſſe, aiebat ille, quam ſi pontifex elabi ſineret, vix unquam recuperaturus eſſet. Sic autem diſſerebat; huic negotio jam aliquoties agitato ſemper intercedere conſueviſſe praecipuos in regni curiis ſenatores, eccleſiae Gallicanae libertates ac jura regni obtendenteis; ſed nunc odio Proteſtantium ubique accenſo, et injecto in omneis metu, multum de libertate ſuffragiorum in dicendis ſententiis deceſſurum, oſque permultis proculdubio occluſum iri, metu, ne, ſi eo rerum ſtatu obſtinatius contra concilii promulgationem pugnent, ex eo in ſuſpicionem veniant, quaſi minus recte ac pie de religione ſentiant. Igitur tam praeclaram rei conficiendae occaſionem captandam ratus pontifex inter cetera Urſino enixe mandaverat, ut negotium hoc diligenter curaret: quod tamen ob eas cauſas exitum non habuit. Paulo poſt, ut honorificam pontificis legationem pari officio rex remuneraret et debitum obſequium redderet, Nicolaum [b] Angenneum Rambulletum virum et dignitate et rerum uſu praeſtantem Romam ablegavit. M. Antonius [c] Muretus orationem habuit, et ſcenae ſerviens repetita motus Pariſienſis memoria regis

INTERPR. [a] *de Morvilliers.* [b] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [c] *Muret.*

regis pietatem multo temperamento laudavit. Mox et miſſus Joannes [a] Durfortius Duracius Aquitaniae regulus, qui regis Navarrae nomine apud pontificem eodem officio defungeretur. Nec multo poſt cardinalis Lotaringus, poſt Colinii capitalis Lotaringicae familiae inimici caedem, et ex ea infractam Momorantianorum potentiam, qui ob cognationem et conſiliorum cum defuncto conjunctionem a regis gratia exciderant, cum ſibi votorum compos videretur, in Galliam, quaſi rerum in aula potiturus, redit, magno faſtu et prae animi impotentia inſolentiae propiore vultu, quam in proſperis rebus homo alioqui magni animi premere et diſſimulare non poterat. Sed petulantiam ingenii illius ſtatim repreſſit regina ſuſpicax foemina et imperii ſupra ſexum avida, ac ſpes ejus contrario faſtu eluſit. CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

XIX. EODEM tempore nova ſtella VI Eid. Nov. ſub Caſſiopeae aſteriſmo conſpecta eſt; quae cum coxa et pectore ipſius Caſſiopeae rhombi figuram ſignans immota diutius anno conſtitit, et cum initio Jovem [α] in perigaeo eccentrici et epicycli magnitudine et fulgore aequaret, paulatim attenuata, et initio anni [1] LXXIII omnino extincta eſt. Eam cum ſtella, quae Magis ab oriente ad adorandum generis humani Propitiatorem recens Bethleemi natum venientibus praeluxit, ingenioſa et accommodata ad tempus ſimilitudine [β] quidam in Proteſtantium gratiam luculento carmine edito tandem fecit, additis triſtis augurii minis, quas brevi poſt eventus comprobavit: quae et Cornelii [b] Gemmae Friſii medici et aſtronomiae noſtra aetate peritiſſimi ſententia fuit, ob id [c] Neomagum ab Albano tunc temporis evocati, qui de ea multa ſcripſit, in ſua [2] Coſmocritica; eique poſt natum Chriſtum vix aliud phaenomenon comparandum illuxiſſe dicit, ſive ſublimitas ſigni ſive raritas et diuturnitas ſpectetur. De eo et aeque miranda tradiderunt Thaddaeus Hagecius et Fabritius Polus, qui illud Viennae in Auſtria obſervarunt, et Hieron. Munius Valentiae in Hiſpania Hebraicae linguae et mathematicarum artium profeſſor. [γ] Britanni, vaticiniis dedita gens, id poſtea ad funeſtam Mariae mortem retulerunt, ex cujuſdam aſtrologi Oxonienſis ſententia, qui per Caſſiopen Cephei regis ſororem in boreali plaga reginam aliquam denotari aiebat, et ex XVI menſium duratione, juxta Arabum neſcio quod apoteleſma, et aſcenſu ſtellae in ſuperiora, reginam illam ſeptentrionalem poſt XVI annos in coeleſtem regionem evolaturam: cui vaticinio eventus poſtea fidem aſtruxit. Novus morbus et tunc primum inter nos emerſit, colici ſpecie, a [d] Pictonibus, ubi graſſari coepit, ſumpto nomine, qui per decennia recrudeſcens uſque ad annum ſextum ſequentis ſaeculi violentior ſemper incubuit; bilioſus etiam dictus ob acerbiſſimos a bile cruciatus, qui quorum attingit corpora veluti ſidere percuſſa de priſtino repente ſtatu dejicit; tum pallore ſuccedente vultus decoloratur, extrema frigent, vires concidunt; in iis et animus inquies, corpus agitatum, per vigiliae malum, cardiogmi frequentes, et nauſea inde perpetua, proſtrata appetentia vomitus, ructus a porracea et aeruginoſa bile, aut ejus loco non minus moleſtus ſingultus creberrimus aegros fatigat: his et hypochondria aeſtuant cum febre lenta, tum ſitis inexhauſta, ſtranguria importuna, quae plerumque calculum mentitur, et omnium graviſſimus ventriculi, inteſtinorum, lumborum, ilium et inguinum intentiſſimus dolor; tum propagante veneno, ſeu vapore acri a materia morbifica ſuſcitato, humeri, mammae, totumque pectus velut aculeis vellicatur, interdum et crura et os ſacrum; nec deſunt, quibus plantarum dolores crudeliſſimi, motu illaeſo, ventriculi cruciatus ſequantur, et per vices acerbius ingraveſcant; cum vero aegri doloribus illis paulum remittentibus morbo

VAR. LECT. [α] in perigaeo eccentrici et epicycli *deſunt D.* f. o. d.
[β] Theodorus Beza luculento *MS. Samm.*
[γ] *Quae ſequuntur de aſtrologi Oxonienſis ſententia,... et colico Pictonico, uſque ad* Rebus in urbe *deſunt D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *de Durfort, ſieur de Duras.* [b] *Gemma.* [c] *Nimegue.* [d] *colique de Poitou.*

NOT. [1] rectius LXXIV. [2] Coſmocritica, cap. 3. lib. 2.

morbo ſe defunctos putant, brachia et pedes ſenſim reſolvi, et vim tota mole per artus inſuſam frangi repente ſentiunt, cubiti, manuum, tibiarum et pedum motu prorſus deperdito; ſed integro quaſi acus cutem acutiſſime pungentis ſenſu: quam reſolutionem in plerisque praecedunt convulſiones epilepticae, cum plurium horarum caecitate, conſtante tamen ſibi mente. Huic poſt novum ſidus exorto morbo ſimilem ante CIƆ CC annos Romae viſum ſcripſit Paulus Aegineta, qui per alias orbis partes poſtea fuit diſſeminatus; cui remedia longa temporis experientia per otium excogitata, multis interim inter diriſſimos cruciatus quotidie pereuntibus. Qua de re obſervationes a Franciſco [a] Citeſio, ex Joannis [b] Pidoxii, Franciſci [c] Vertuniani, Petri [d] Milonis, Paſcaſii [e] Galli medicorum Pictonicorum uſu et doctrina praeſtantium adverſariis collectas, curioſis petere licet. Nos alio properamus.

XX. REBUS in urbe confectis, cum rex Claudiam ſororem Lotaringiae ducis uxorem, quae invitata ad Margaritae ſororis nuptias venerat, ad regni fineis uſque proſequi ſtatuiſſet, per ejus abſentiam paulum res a ſummo periculo abfuerunt, ſcelerata [f] Henrici Engoliſmenſis fratris nothi conjuratione; qui complures recenti laniena et ſecutis eam praedis ineſcatos circa ſe habebat, quibuſcum capto conſilio de altero tumultu Lutetiae excitando, locupletiorum, ut de Sectaria lue ſuſpectorum, domos nota certa, ea erat crux decuſſata, deſignandas curaverat. Cum quidam ex conjuratis ea ſpe geſtiens aliquid jactabundus de re effudiſſet, brevi affore diem dictitans, quo reliquiae occulti adhuc et latitantis in urbe mali omnino abolerentur, accedente ad haec inſolita earundem notarum eodem die ditiorum foribus inſcriptarum multitudine, ſenatus primores aucta ſuſpicione Lud. Gonzagam [g] Nivernii ducem, quem rex diſcedens urbi cum ſummo imperio praepoſuerat, adeunt; et, expoſitis, quae ad eos delata eſſent, indiciis et aliis conjurationis argumentis, rogant, videret, ne quid urbs detrimenti caperet. Accidit vero, ut eodem tempore, jam die appetente, duo e conjuratis Engoliſmenſis familiares praefracta impudentia et audacia Nivernium adirent, ſine literis, regiſque hanc eſſe voluntatem conſtanter aſſeverarent, ut, qui de religione nova ſuſpecti in urbe ſupereſſent, ad unum omnes trucidarentur; quibus ille, dum de voluntate regis, ut ipſe aiebat, certius cognoſceret, in carcerem ſtatim conjectis, ea re metu conſciis injecto deteſtanda praevalidae conjurationis conſilia irrita reddidit.

XXI. REVERSO Romam Urſino legato, etſi pontifex ob excuſationem de concilii Tridentini publicatione, cujus ſpem cardinalis Lotaringus fecerat, plene ſibi ſatisfactum non putaret, tamen ſe caſu ipſo Pariſienſi ſolabatur, quem in ſacri magiſtratus ſui auſpiciis maxime inter proſpera ducebat, alioqui de bello Turcico anxius, cujus conſilia relangueſcente poſt tantam victoriam foederatorum ardore minus ex animi ſententia [α] procedebant. Poſt Pii V obitum, M. Ant. [h] Columna, cum jam in itinere eſſet, ut ad claſſem ſe conferret, ſtatim e via in urbem reverterat; novoque pontifici felicem inaugurationem gratulatus, quoniam morte deceſſoris mandatum ſibi imperium exſpiraverat, eum monuerat, ut quem vellet claſſi praeficeret. Itaque continuato ei a pontifice imperio Columna omiſſum iter repetit, nec quantavis celeritate uſus prius Junio menſe [i] Meſſanam appulit: unde [k] Joannes Auſtrius, evocatis Italicis, Germanicis et Hiſpanienſibus copiis per hyberna Siciliae diſtributis, XXII onerarias naveis omni re commeatu et apparatu refertiſſimas [l] Corcyram praemittit, et Alvarum [m] Baſſanum Meſſana omiſſa ſubſequi jubet. Venerat ad eum Jacobus [n] Superantius cum XXV triremibus a Jacobo [o] Fuſcareno ſummae rerum a ſenatu in locum Sebaſtiani

Venerii

VAR. LECT. [α] procedebant: de quibus nunc rerum ſeries expoſcit, ut dicamus. Poſt Pii V *D. t.*

INTERPR. [a] *Citois.* [b] *Pidoux.* [c] *Vertunian,* dit *la Vau.* [d] *Milon.* [e] *le Coq.* [f] *le chevalier d'Angouleſme.* [g] *Nevers.* [h] *Colonna.* [i] *Meſſine.* [k] *Don Juan d'Auſtriche.* [l] *Corfu.* [m] *de Baçan, marquis de Santa Cruz.* [n] *Soranzo.* [o] *Foſcarini.*

[a] Venerii, cui ſtatim poſt pugnam ob contentiones cum Joanne Auſtrio habitas magiſtratus abrogatus eſt, praefecto, miſſus, ut profectionem ejus urgeret. Cum nullas juſtas morae cauſas haberet, nova mandata Philippi profert, quibus jubebatur, ob metum belli in [b] Subalpina regione a Gallis movendi copias partiri, et partem quandam, quae ſatis eſſe viſa fuerit, Columnae ac ſociis, ne omni ope deſtituantur, attribuere; cum reliqua Meſſanae ſubſiſtere, ibique nova imperia exſpectare. Secundum haec ille invitus in ſpeciem XXII triremeis Columnae attribuit, iis praefecto Aegidio Andrada, reliquam claſſem penes ſe retinet. Quod ubi Venetiis cognitum eſt, tum vociferari omnes, et ſe Hiſpanorum aſtu, aut odio potius, deſertos ac proditos conclamare: primo anno promiſſa haud retractanter auxilia, ut ſenatum ad foedus ſanciendum ſtimularent; non prius tamen ſummiſſa, quam tempore rerum gerendarum exacto, ita ut illa ad nullam aliam rem valuerint, quam ad retardandum Venetorum incitatum impetum et claſſem funeribus abſumendam: proximo anno vix tandem ſero Hiſpanos conveniſſe; dum interim Famaguſta undique totis Orientis opibus oppugnaretur; neque ante contra hoſtem progreſſos, quam cum nulla proelii ſpes eſſet; cujus tamen felicitas inopinata et tanta victoria tantum abeſt, ut laetitiam in regia et Hiſpanorum procerum animis excitaverit, ut aperte plerique Auſtrii conſilium improbarent, nonnullique eo uſque provecti temeritatem ejus puniendam cenſerent, qui calore adoleſcentiae et inconſulta gloriae cupiditate claſſem regiam, cujus incolumitate ſalus Italiae continebatur, periculoſae proelii aleae committere non dubitaſſet: hujus vero tertii anni manifeſtam ludificationem, cui dubium relinquere, Hiſpanorum id conſilium eſſe, ut Venetos inſanis et inutilibus ſumptibus abſumant, eorumque ditionem bello tam damnoſo attritam inde Turcis ad praedam exponant, hinc propriae ambitioni aliquando ſeponant? nam ridiculum eſſe prorſus, quod de Gallicorum motuum in Subalpina regione metu in medium affertur; planeque apparere, eam affectatam eſſe excuſationem; nec verius eſſe, quod plerique aiunt, qui arcana profundius rimantur, pontifice mortuo, cum incertum eſſet, quis illi ſucceſſor daretur, hoc ſtatu rerum noluiſſe ſuas in Italia provincias omni praeſidio nudari: igitur odium Hiſpanorum adverſus ſenatum inſatiabile in cauſa eſſe, qui, quantum Venetis deceſſerit, tantum ſibi accedere exiſtiment: itaque ex eorum conſilio ipſos ſibi conſilium capere debere; et a foedere, ex quo lucrum ad Hiſpanos, damnum ad ſe infida atque adeo leonina ſocietate redeat, mature diſcedere. His rationibus jam caecitate ſuperiorum annorum fere diſcuſſa in ſenatu facile pervincitur, ut Marco Antonio Barbaro reipublicae in Conſtantinopolitana urbe procuratori mandaretur, Mechemetis [c] purpurati primarii ſermonem de pace repeteret, remque ad ſummas conditiones atque ejuſmodi, ut ferri et a Turcis extorqueri poſſent, perduceret: ceterum a contrahendo abſtineret, antequam a ſenatu certiore prius facto noviſſima mandata acciperet. Eodem tempore Joannem [d] Michaelium in Galliam, et Antonium [e] Teupolum in Hiſpaniam, viros dicendi facultate et rerum uſu praeſtanteis, mittunt; illum, ut regem a laceſſendo Philippo dehortaretur; nam tunc non tantum de bello in Subalpina regione, ſed etiam in Belgio a Gallis gerendo, ſuſpiciones ingentes exortae erant: hunc, qui apud Philippum inſtaret, ut conventa ſubſidia ex templo mitterentur, nec cunctatione et ſegniter agendo bellum magno animo coeptum, majore fortuna geſtum, ſeneſcere pateretur.

XXII. Interea Auſtrius Meſſana relicta [f] Panhormum contendit: Columna ſex dierum felici navigatione uſus [g] Corcyram pervenit ineunte Quintili, ubi cum Veneta claſſe conjungitur; ad quam multi proceres convenerant, et in iis cum delecta

INTERPR. [a] *Veniero.* [b] *Piedmont.* [c] *Viſir.* [d] *Micheli.* [e] *Tiepolo.* [f] *Palermo.* [g] *Corfu.*

CIↃIↃLXXII. Carolus IX. delecta Gallica nobilitate Carolus [a] Lotaringus Meduanae marchio Guiſii frater. Is, ſive occulti conſilii conſcius procul a patrando facinore abeſſe vellet, ſive bellici decoris cupidus aemulatione fratris, qui Pannonicae expeditioni prius interfuerat, pacata patria virtutis periclitandae honeſtam occaſionem extra Galliam quaereret, ei militiae hoc anno nomen dedit; a ſenatu Veneto ob propenſam adeo in rempublicam voluntatem in [b] patriciorum cenſum, qui honos maximus apud illos habetur, allectus. Inde conjuncti omnes [c] Gomenitiarum portum ſubeunt; in eoque claſſem luſtrant, quae fuit omnino CXL ſeu triremium ſeu navium. Dum in eo ſunt, literae ab Auſtrio venerunt, quibus ſibi datam a Philippo facultatem ſcribit, ut, ſublato Gallorum metu, ſe cum ipſis conjungat, quod ſe propediem facturum ſignificat; interimque Columnam monet, ab omni conatu abſtineat. Hic rurſus eadem quae prius vociferati Veneti, tempus rerum gerendarum ea mora eximi, et ſuborientibus ſemper novis cauſis ſacroſanctam auxiliorum fidem eludi: nam qnando venturum Auſtrium? jam enim, ſi anno exſpectandus ſit, in concilio agitatum iri, an ad eum claſſis accedere debeat; an ipſe, dum ad claſſem veniat, ſit exſpectandus: interea tempus inutiliter duci, et [d] Cretam non ſatis valido praeſidio firmatam hoſti prodi. Quibus verbis cum pudor ipſi Andradae incuſſus eſſet, placuit media ſententia, ut porro quidem ire pergerent, ſed nullas urbes aut provincias tentarent; tantum conſilia et conatus hoſtium ex propinquo ſpeculabundi explorarent, dum Auſtrius ad claſſem accederet: neque tamen occaſiones, ſi quae darentur, rei bene gerendae praetermitterentur. Teupolus autem in Hiſpaniam profectus, cum rem, cujus ergo miſſus erat, confectam offendiſſet, ne ſine aliquo pretio legatione defungeretur, Philippi animum tentare inſtitit, quandoquidem tam ſero claſſis conveniſſet, et jam ea mora ſuperioribus annis magnorum damnorum cauſa extitiſſet, claſſem extra ditiones ſuas, ſi Auſtrio expedire videretur, in hoſtico hybernare paſſurus eſſet. Quod multis rationibus et precibus ei perſuadere conatus eſt, non tam rei obtinendae ſpe, quam voluntatis ejus certius explorandae cauſa. Ad haec Philippus, cum de ſuo in rem communem egregio ſtudio permulta dixiſſet, nec incommodirates graviſſimas, quibus vires ſuae aliis locis diſtinerentur, tacuiſſet, in poſterum multa pollicitus, de conſilio in hoſtico hybernandi ſpatium ad deliberandum poſcit, paucisque poſt diebus per ſcribam reſpondet, praeceps de hybernando in hoſtico conſilium ſibi minime probari; proinde illud repudiare, ac ſtare ſententiam, ut claſſis peracto rerum gerendarum tempore in occidentem revertatur. Quo de reſponſo ubi Venetiis cognitum eſt, eo major ad pacis conſilia animorum inclinatio nemine jam repugnante facta eſt. Michaelius cum ambiguo a rege ac regina reſponſo dimiſſus eſt; regi rerum ſuarum rationem conſtare; neque tamen eum quidquam facturum, quod rei Chriſtianae aut ipſorum reipublicae, quam praecipua ſemper benevolentia proſecutus ſit, detrimentum afferre poſſit. Haec ita palam apud nos acta, in id omnem curam ſenatu ponente, ne quam querelarum occaſionem Philippo daret, aut etiam ipſius incolumitatem negligere, et non omni officio amicitiam ejus expetere videretur. Verum longe alia ac praecipua legationis, ſed occulta ratio erat, ut regem orarent, partes ſuas per Franciſcum [e] Noallium Aquenſem in Tarbellis epiſcopum apud Selimum interponeret, ut aequis conditionibus pacem ab eo impetrarent; quod et rex ſedulo fecit, eoque nomine magnam gratiam ab illa republica inivit. Interea claſſis [f] Corcyra egreſſa iter Cretam intendit; cumque [g] Cephaleniam appuliſſet, inde Mathurinum [h] Scutum Romegaſium illo mari famoſum equitem exploratum praemittunt, qui implgre itinere facto promontorium [i] Maleam tenuit; ubi ex incolis, qui ſoli ex tota [k] Peloponneſo ſaepe bello petiti, cum

locorum

INTERPR. [a] *de Lorraine, marquis de Mayenne.* [b] *les nobles.* [c] *le Gomenizze.* [d] *Candie.* [e] *de Noailles, eveque d'Acqs.* [f] *Corfu.* [g] *Ceſalonie.* [h] *de l'Eſcut de Romegas.* [i] *Capo de Maina.* [k] *la Morée.*

locorum inacceſſibilium aſperitate, tum propria ſe virtute tutantes, nunquam ad ju- CIↃIↃLXXII.
gum accipiendum a Turcia cogi potuerunt, cognoſcit, claſſem hoſtilem CCXX navium, CAROLUS IX.
quarum plures minoris, LV majoris formae eſſent, retro ad promontorium in portu Epidauri, quae urbs eſt in ſinu [a] Argolico [b] Malvaſia vulgo dicta, conſediſſe. Quibus rebus ſatis exploratis Romegaſius iter repetit; et claſſi Chriſtianae, quae jam [c] Methonen ſuperaverat, obvius factus, quae certo cognoverat, exponit: inde [d] Cytheram inſulam tenuit ſinui [e] Laconico objectam e regione Maleae promontorii, quod Argolicum a Laconico diſtinguit, freto VIII CIↃ paſſuum a continenti diſcretam; quae portum habet in latere a promontorio averſo, ut ex eo promontorio exeuntes naves conſpici non poſſint, a circumjectorum ſcopulorum ſpecie [f] Dragoneriarum nomine indito. In eo portu cum claſſis pernoctaſſet, poſtero die ad aquam ſumendam exſcenſione facta, qui in ſpeculis erant, claſſem hoſtilem e portu prodire, jamque ſuperato promontorio Cytheram verſus curſum dirigere ſignificant. Itaque ſubito ad arma conclamatum eſt; claſſiſque noſtra ſtatim egreſſa triplicem aciem inſtruit, onerariis et majoris formae triremibus praemiſſis. Ubi in conſpectum altera alterius venit, Turci ordinem noſtrae aciei onerariarum praeſidio firmatum contemplati, quamvis numero ſuperiores, curſum inhibuerunt, neque noſtri numero inferiores ulterius progredi tutum exiſtimaverunt: itaque ſe invicem tormentorum ictibus laceſſere contenti diem extraxerunt; Turcos tamen ſenſim cedenteis noſtri inſecuti ſunt: dein occidente jam ſole claſſis in eundem Dragoneriarum portum ſe recepit. At Uluzalis Turcicae claſſis dux, omiſſa Chriſtiana claſſe, iter occidentem verſus capit. Columna, conſilio ducum advocato, Petrum [g] Pardum Hiſpanum mittit ad Auſtrium, quem tum [h] Corcyram veniſſe conjectura erat, oratum, ut pergere feſtinet: haud dubie enim LIII triremibus, quas habeat, reliquae claſſi adjunctis ſpem eſſe hoſtilis claſſis, quae in pari numero ſemper noſtra inferior futura ſit, omnino delendae. Ipſi ut celerius ſe cum Auſtrio conjungerent, iter retro relegunt, et IV Eid. Sextil. qui dies B. Laurentio dictus eſt, in altum evecti, cum promontorium [i] Taenarium praetervehrentur, a claſſe Turcica conſpiciuntur, quae ſtatim aquatione omiſſa aciem inſtruit: nec noſtri certamen detrectant; ſecundoque vento utentes, et onerarias prae ſe agentes curſum in hoſtem dirigunt: ſed vento, qui ſecundiſſimus ad eam horam flaverat, eos deſerente, cum et remis connitendum eſſet, et onerariae remulco trahendae, Uluzalis ut onerarias a claſſe noſtra divideret, tam propinqua utraque claſſe, ut [k] Superantius jam ſcloppetis Turcicam inceſſeret, aſtu uſus eſt, et retro cedere coepit; inſequentibuſque noſtris, qui prora converſa fugam parare hoſtem rebantur, cum jam onerarias longe poſt ſe reliquiſſent, mutato curſu Uluzalis incitato remigio incumbit, feroque errore agnito noſtri curſum inhibent; et jam turbata acie et confuſis ordinibus cedebant, cum Columna, ut periculo a ſimili fugae receptu praeverteret, audax conſilium capit, et quamvis onerariarum praeſidio deſtitutus incitato remigio proram in hoſtem convertit, idemque ut ceteri faciant conclamat. Qua voce fugam cum ſtitiſſet, Uluzalis e re conſilium capturus, cum noſtros in aciem inſtructos videret, et onerarias, quae retro remanſerant, remulco jam eo tractas, ut accenſae pugnae mox intereſſe poſſent, impetum ſupprimit: atque ita cum aliquot horas utrique minabundi conſtitiſſent, tormentis tantum ſe mutuo laceſſentes, tandem veluti ex compoſito quique in ſua reverſi ſunt.

XXIII. JAMQUE Auſtrius [l] Meſſana ſolvens Corcyram venerat cum LIV triremibus et II majoris formae Florentinis, quibus Alfonſus [m] Apianus praeerat, ac multis onerariis; et inde Leucadem uſque proceſſerat, unde reflante vento rurſus in Corcyram rejectus

INTERPR. [a] *Golfo di Napoli di Romania.* [b] *Malvagia.* [c] *Modone.* [d] *Cerigo.* [e] *golfo di Colochina.* [f] *delle Dragoniere.* [g] *Pardo.* [h] *Corfu.* [i] *Capo Matapan.* [k] *Soranzo.* [l] *Meſſina.* [m] *d'Appiano.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

rejectus eſt; ubi [a] Pardus a Columna miſſus cum convenit: cumque quae geſta erant, quibuſque ipſe interfuetat, narraſſet, addit, putare ſe, claſſeis iterum congreſſas, idque ex continenti per multas horas tormentorum, quem in itinere exaudierit, ſonitu conjicere. Qua re commotus [b] Auſtrius Alfonſum [c] Baſſanum cum duabus expeditis triremibus praemittit, qui, itinere raptim facto, eo uſque inveſtigabundus procedat, dum certiora et exploratiora de Chriſtiana claſſe cognoſcat. Ille [d] Zacynthum praetervectus cum noſtram claſſem plenis velis contra venientem cerneret, proras continuo convertit, nequicquam reclamante nauclero Veneto rei maritimae perito, et inſcitiam hominis increpante, qui claſſem eam Chriſtianam ex navibus onerariis, quibus hoſtilis carebat, non eſſe animadverteret. Verum ſeu prae livore, ſive humilitatem monentis ſpernens Baſſanus non audivit; ſed trepida fuga Zacynthum ſe recipit, arcemque quantum intime poteſt ſubit. Eo mox noſtra claſſis appulit, et inde navigatione noctem diemque continuata Cephaleniam ſe contulit; ubi cum Auſtrium exſpectare Columna conſtituiſſet, Baſſanus ad eum remittitur, ac per literas rurſus, ut acceleret rogatur. Sed ille, ſive ex ſe, ſive ex ducum conſilio, periculum cauſatus, ſi tam vicino hoſte eum exiguo triremium numero ſe rerum aleae committeret, Columnae et [e] Fuſcareno mandat, ut cum claſſe ad ſe quamprimum accedant. Ubi illi imperiis coacti venerunt pridie Kal. Sept. tantundem ſpatii rebus gerendis detracto, rurſus quaſi in mandatis haberet Auſtrius omneis morae interponendae occaſiones ſedulo captare, novis ſubortis inter eum et Fuſcarenum altercationibus multum temporis conſumptum eſt; eum Auſtrius claſſem Venetam non ſatis bellatoribus inſtructam diceret, praefectoque inſtaret, ut Philippicis copiis ſuas triremeis ſuppleri pateretur: contra negaret Fuſcarenus, claſſem ſuam alienis copiis egere, quae bis eo anno Turcicam fugaſſet. Sed cum non aliter ſe ulterius proceſſurum Auſtrius oſtenderet, Columna partes ſuas interpoſuit; remque ita tranſegit, ut Veneti copias e pontificia claſſe detractas ad ſupplementum acciperent, in quarum locum ipſe bellatoribus Hiſpanis pontificiam ſuppleret.

XXIV. TANDEM eum decretum eſſet extemplo Turcos bello repetendos, onerariis ad majorem celeritatem relictis, quae tamen Zacynthum uſque procedere, ibique Auſtrii imperia praeſtolari juſſae ſunt, III Eid. Sept. ſolvunt, et [f] Ericuſam, alias Paxum dictam, primo veniunt, et biduo poſt cum vento aliquantum luctati primis ſe intendentibus tenebris Cephaleniam tenuerunt, cum reſciviſſent in itinere Turcos, compluribus eorum morbo correptis, pavidos in [g] Junco portu ſe continere. Inde poſt bidui moram inſtruendae et luſtrandae aciei inſumptam ſub veſperam praevalido vento flante ſolvunt; neque tamen coeli beneficio uſi ſunt, nec ultra [h] Strophadas ea nocte proceſſum eſt, ita Joanne Cardona et aliis gubernatoribus Philippicarum navium ſuadentibus; eum contra Columna et Fuſcarenus nullam eſſe curſus cohibendi cauſam dicerent; illa quippe tarditate hoſtem e manibus emitti, qui in portu Junco improviſo oppreſſus deleri potuerit. In ea inſula, quae a portu Junco XXX paſſuum CIↃ diſtat, totum diem ſubſiſtendum fuit, ne ab hoſtibus conſpicerentur: deinde ſub noctem iter repetunt eo conſilio, ut ita curſum moderarentur, ut prima luce [i] Methonen appellerent, quae urbs VIII paſſuum CIↃ orientem verſus ultra portum Junco, et claſſi hoſtili, quae pro certo credebatur tota aut majorem ſaltem partem portu Junco ſe tenere, iter ad Methonen intercluderetur, in qua una ſtatione arcis praeſidio tuta eſſe poterat, a Chriſtianorum viribus alibi haud dubie profliganda. Sed rurſus heic ſive inſcitia gubernatoris, ſive affectata ab Auſtrio tarditate peccatum eſt. Nam praetoria, cum iter recta ortum verſus intendendum eſſet, in occaſum flexit, et pro eo ut Methonen

teneret,

INTERPR. [a] *Pardo.* [b] *Don Juan d'Auſtriche.* [c] *de Baçan.* [d] *Zante.* [e] *Foſcarini.* [f] *Iſola del Paxu.* [g] *Porto Quaglia* ou *delle Quaglie.* Cabrera en la vie de Philippe II le nomme *Puerto Junco.* [h] *Stivali.* [i] *Modone.*

teneret, ſicuti inter duces convenerat, [a] Proten inſulam, quae VIII paſſuum CIƆ citra portum Juncum a parte occidentis eſt, appulit, libero ac tuto dato poſt conſpectam noſtram claſſem hoſtibus, qui LXX tantum naveis habebant, Methonen et ad reliquam claſſem nemine occurrente, receptu. Mane errore nocturno agnito, [b] Columna, ut eum emendaret, ſumma remigii vi connixus recedenteis diu inſecutus eſt, et, cum aliquot ex hoſtilibus a reliqua claſſe abſcedentes proras obvertiſſent, non tamen conflixerunt, ſed mutuis ſe tantum tormentorum ictibus laceſſentes, utraque claſſe ſpectante neque ſuo ſe loco movente, per aliquot horas conſtiterunt. Igitur deſperata pugna noſtri turbato aciei ordine [c] Oenuſas tenuere; qua in inſula a parte Favonio averſa, qui tum vehemens admodum flabat, cum in ancoris ſtare ſtatuiſſent, hoſtes ſolutos ordines conſpicari recedentibus inſtant. Verum cum noſtri ut in his temporis anguſtiis aciem quam commode fieri potuit inſtruxiſſent, Uluzalis ſpe, quae illum attraxerat, cum inordinaris conferendi certaminis fruſtratus, impetum ſuſtinuit. Inde noſtri Oenuſas ſe conferunt, ex adverſo Methones exiguo freto diſcretam a continenti inſulam: et cum poſtridie ad aquandum juxta [d] Coronen, quae ultra Methonen ortum verſus ſita eſt, exſcenſionem feciſſent, aliquandiu pugnatum eſt, noſtrorum initio iniquiore conditione; ſed, Paulo Sfortia cum delectis ſuperveniente ac certamen reſtituente, averſi hoſtes, et aquatio noſtris tuta fuit. At Turci colle, qui Methonae imminet, inſeſſo, et inde diſploſione in claſſem ſubjectam directa, cum ſpem pugnae praecidiſſent, Chriſtiana claſſis Juneum portum a Turcis relictum ſubit, ibique motus incolarum, quorum illi ſpem faciebant, atque onerarias, quae [e] Zacynthi ſubſtiterant, opperiri ſtatuit; quas et ſupplemento militum et commeatu ac bellico apparatu onuſtas ante omnia accerſi placuit, miſſis XXIII triremibus, quae illas, ſi ventus deſtitueret, remulco traherent. Poſtquam onerariae advenere, ad IV Kal. Oct. conſultatum inter duces, quid inclinata jam anni tempeſtate, ne ſine aliquo pretio diſcederent, agendum eſſet: et de Methone, quae ante oculos verſabatur, oppugnanda ſermone injecto, variarum ſententiis eſt inter Columnam et Antonium [f] Auriam Hiſpanorum ſtipendiarium; cum hic cum tota claſſe rem gerendam diceret, ille claſſem ad portum Juncum ſubducendam, et cum terreſtribus copiis collem [g] S. Venerandae, ex quo olim Turci urbem verberaverant, inſidendum contenderet. Cum utrinque multis rationibus pugnaretur, neque inter ſe, ne media quidem ſententia propoſita, convenire poſſent, in eo tamen non diſſidebant, jam tantum temporis elapſum eſſe, ut Auſtrio diuturnioris morae locis iis faciendae auctores eſſe non poſſent: itaque potius videri, ut ad ſua ſe quiſque mature reciperet. Tum vero Veneti, quaſi in extrema rerum ſuarum deſperatione, palam vociferari, ſe ac ſua hoſtibus prodi, remque Venetam omnino ſociorum culpa everti. Auſtrius contra animi angi, qui et ſecretis mandatis ſibi parendum neceſſario eſſe intelligeret; et tamen hominum ſermonibus moveretur inde ſecuturis, ſi tanto conatu nulla re, non modo geſta, ſed ne tentata, fortunis reipublicae Venetae adflictis non ſubveniretur. Igitur Navarrinum oppidum, quod Pylum fuiſſe veteribus creditur, citra Methonen occidentem verſus in eadem ora ſitum duci placuit; idque magis inopia potioris conſilii, quam quod ea urbs ſatis dignum morae pretium videretur. Hujus oppugnationis cura demandata Alexandro Farneſio principi Parmenſi, qui jam tum magnam de ſe ſpem concitatam poſtea rebus praeclare geſtis longe ſuperavit. Tormenta in terram expoſita loco idoneo ſtatuuntur. Ad oppugnationem ex Joſephi [h] Boni a magno Etruriae duce miſſi ingenio machina quaedam fabricata fuerat ex duabus triremibus conjunctis, dempto interiore remorum ordine,

CIƆIƆLXXII.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Prodano.* [b] *Colonna.* [c] *Iſola della Sapienza.* [d] *Corone.* [e] *Zante.* [f] *Doria.* [g] *il colle di S.ta Veneranda.* [h] *Bonello ingenieur.*

CIↃIↃLXXII. CAROLUS IX.

ordine, quae multa humo referta ac tabulato conſtrata ſuſtinendis muralibus tormentis par eſſet; in quam VIII bombardae impoſitae: ſed aeſtus violentia et jactatione adeo incerti ictus erant, ut nulli uſui conatus fuerit. Tum aliquoties utrinque pugnatum; iiſque certaminibus inſignis praecipue opera Pauli Sfortiae fuit. Sed cum magno errore iter, quo auxilia obſeſſis ſummitti poterant, nulla ſatis valida Chriſtianorum ſtatione inſideretur, ea re factum eſt, ut eadem nocte, qua noſtra claſſis [a] Navarrini portum intravit, IↃ delectorum manus ſine certamine in urbem introducta ſit. Nec minus in anguſto res hoſtium erant. Nam [b] Cuſſaimus purpuratus et Scraus Aga [c] Graeciae praetor, qui [d] Monaſterii mediterranea Macedoniae urbe cum terreſtribus copiis erant, ab Uluzali diu ante moniti, vix tandem magnis itineribus, cum ad III Eid. Sept. iter ingreſſi eſſent, difficultate viarum retardati, cum equitatu haud citius V Eid. Oct. ad ipſum pervenerunt; locatiſque ad Navarrinum caſtris Uluzalim aſpere increpant, qui ſe, temeritate ſua, et Imperatoris res in ſummas anguſtias haud procul a certa pernicie dediſſet. Ad objurgationes illorum accedebant et querelae praefectorum [e] Methones, Corones et Navarrini; qui adventu claſſis magnam commeatuum partem, quo oppida alenda eſſent, conſumptam aiebant; tum purpurati ac praetoris copias, quod claſſis reliquum fecerat, omnino abſumpſiſſe dicebant. Quam ob rem cum magna ſe invidia in aula laboraturum provideret Uluzalis, cujus minore mole ac levioribus de cauſis conflatae multos ſaepe obrutos ſciret, initio ad illorum jurgia purgatione omiſſa nihil aliud reſpondit, quam res bellicas non in verbis verti, neque diſputationis, ſed actionis tempus praeſens eſſe. Sed cum poſtremo res Turcorum eo deveniſſent, ut, conſumpta tot copiarum terreſtrium ac navalium non ante proviſo ſuperventu annona, ad extremam omnium rerum inopiam redacti amplius durare non poſſent, neque tam propinqua claſſe noſtra Uluzalis recipiendi ſe ac claſſis ſervandae rationem expeditam videret, tandem, dum iracundia Imperatoris deferveret, conſilium trajiciendi in [f] Africam cum XXVI triremibus, cum quibus ſtipendia faciebat, cepit: cumque in eo eſſet, ut clandeſtina fuga ſe, relicta claſſe reliqua, proriperet, effuſo multorum dierum continuo imbre, qui exercitum noſtrum nullis tectis defenſum mire vexavit, effectum eſt, ut Hiſpani occaſione arrepta, ad haec commeatus inopiam cauſati, per noctis ſilentium ſignis conticentibus, ne ab hoſte ſentirentur, ab obſidione diſceſſerint; reclamantibus Venetis, neque annonae deficientis excuſationem accipientibus, multaque in eam rem, ut eos retinerent, in medium afferentibus; quae nihil Auſtrium cum moviſſent, claſſis Non. Oct. ſolvit, ac [g] Zacynthum curſu directo ad ſua quiſque diviſa claſſe, ſed magis in diverſa raptatis affectibus, abierunt. Auſtrius ad Meſſanam ſubſtitit: Columna et Joannes Andreas Auria Romam perrexerunt, inde in Hiſpaniam excurſuri. Venetae naves [h] Illyrium legerunt, et munitionem a Turcis in [i] Rizonici ſinus faucibus ad Catharum exſtructam opera Pauli Urſini et [k] Moreti Calabri expugnaverunt, ſparſa fama, quaſi anno ſequenti totis viribus bellum coeptum repetituri eſſent, XX CIↃ peditum conſcriptis et majore triremium numero inſtructo; dum interea pacem cum Turco urgerent interventu Franciſci [l] Noallii oratoris regii, qui in reipublicae gratiam, apud quam olim regis nomine legatus fuerat, hoc negotium ſumma prudentia nec minore diligentia procurabat.

XXV. SUB id tempus in Umbria res paulum a ſeditione abfuere. Nam [m] Eugubini Guidi Ubaldi [n] Roborei principis ſui imperium peroſi, et nova ab eo nuper ad ſupplendos ſumptus a Franciſco Maria filio in aula Hiſpanienſi et expeditione contra Turcos ſuſcepta factos impoſita vectigalia non ferentes, apud eum miſſis e civitate delegatis

INTERPR. [a] *Navarrino.* [b] *Cuſſaim Baſcha.* [c] *Beglerbei de Grece.* [d] *Monaſtir.* [e] *Modone.* [f] *Barbarie.* [g] *Zante.* [h] *Dalmatie.* [i] *golfo di Cattaro.* [k] *Moretto Calabreſe.* [l] *de Noailles.* [m] *d'Agubio.* [n] *della Revere.*

delegatis interceſſerunt, et onus ſibi intolerandum deprecati, etiam proteſtati ſunt, CIƆIƆLXXII.
niſi eo levarentur, fore, ut ſupremi tribunalis, ad quod directum civitatis dominium CAROLUS IX.
pertineret, auxilium implorarent, pontificem iis verbis deſignantes. Idem eorum exemplo fecere et Urbinates et alii ejuſdem ditionis oppidani. Non auditi illi a principe, ſed cum minis, quaſi res ſeditioni quam ſupplicationi propior eſſet, dimiſſi, cum non propterea quieſcerent, Alfonſus Ferrariae dux, cujus ſororem nuper Franciſcus Maria uxorem duxerat, quod rem peſſimi exempli eſſe duceret, et duplici nomine ad ſe pertinere exiſtimaret, militem ad motus eos compeſcendos conſcribit, miſſo [a] Brunoro Zampeſchio homine militari et ſenatus Veneti ſtipendiario, qui, dum majores copiae convenirent, bellum futurum tumultuantibus e propinquo oſtentaret: ejus cauſae et favebant Philippi in Italia miniſtri, et Franciſcus [b] Etruriae princeps auxilia promittebat. Itaque miſeri homines in ſpem vanam antea erecti, quaſi reliquos Italiae populos exemplo ſuo ad libertatem vocaturi eſſent, cum ſe undique premi viderent, nec in pontifice novo, otii cupido et ab omni metu alieno, tantum praeſidii, quantum ſibi perſuaſerant, reperirent, ejuſdem interventu, culpam prius confeſſi, et poenam deprecati, cum principe ſuo reconciliati ſunt.

XXVI. EODEM hoc anno Coſmus magnus Etruriae dux, a Pio V creatus, qui diu ante arthritide vexatus valetudinis cauſa procul a negotiis Piſas conceſſerat, icto cerebro paene oppreſſus eſt, ex eaque infirmitate linguae et dextrae manus uſum prorſus amiſit, omni rerum cura, quam jam Franciſco filio commiſerat, a ſe omnino abdicata; quo magis illi enitendum fuit, ut dignitatem virtute patris partam cura ac diligentia ſua tueretur. Eam illi controvertebat Caeſar, nec Philippus Hiſpaniarum rex huc uſque approbare voluerat; et uterque novo pontifici inſtabant, ut deceſſoris ſui decretum induceret, et totum hoc negotium Caeſari, in cujus fide Etruria eſt, liberum relinqueret; ſic enim fore, ut et Coſmo, cui bene velit Caeſar, et quicum arctiſſima adfinitatis neceſſitudine conjunctus ſit, alia ratione ſatisfiat, et jus Imperio ſuum ſervetur: nam aut eo titulo aut alio, qui illi aequiponderet, ei libenter gratificaturum. Cumque ea de re Alfonſus Ferrarienſis, tanquam [c] Mutinae et Regii, quae civitates ad Imperium pertinent, dux, litem Coſmo apud Caeſarem moviſſet, pontifex, inſtante Coſmo et Franciſco ejus filio, viciſſim Alfonſum monuerat, tanquam ſanctae ſedis ratione Ferrariae beneficiarium, ut ab ea lite apud Caeſarem contra Coſmum inſtituta deſiſteret: quod ille, quamvis ſaepius monitus, et facere recuſaverat, et eo rem deduxerat, ut Coſmus a Caeſare citatus tanquam Imperii beneficiarius, per Ludovicum [d] Antenoreum et Joannem Baptiſtam [e] Concinum procuratores ſuos, prius proteſtatus ut nullum inde in poſterum libertati ac immunitatibus Florentinae ditionis praejudicium factum intelligeretur, prolatis inſtrumentis et rationibus in medium propoſitis, ſe defendere coactus ſit; ſed eo ambitu et circuitu cauſa agitata fuerat, ut non brevi finem habitura videretur. Inter haec Caeſar a palpitatione cordis jam diu aeger, qui numeroſam familiam haberet, et ejus amplificandae ad omnes occaſiones intentus eſſet, Rodolfo et Erneſto filiis in [f] Pannoniam miſſis, ut regni comitiis intereſſent, Rodolfum in regno Pannoniae ſucceſſorem ab Ordinibus deſignari curavit. Ipſe paulo poſt cum Auguſta uxore ac ceteris liberis et Carolo archiduce fratre magna pompa [g] Poſonium venit; ubi Rodolfus x Kal. Oct. corona regia inſignitus eſt. Res magno paratu peracta, cum numeroſa regni nobilitas extra urbem ſub tentoriis, recepto gentis more, in armis conveniſſet, et omni honorifica ſignificatione publicam de ea inauguratione conceptam laetitiam teſtaretur. Quae tamen laetitia nonnihil infracta eſt duarum ſororum geminatis eodem anno funeribus, Barbarae Alfonſi Ferrariae ducis uxoris, et Annae, quae Sigiſmundo Auguſto Poloniae regi

INTERPR. [a] *Brunoro Zampeski.* [b] *la Toſcane.* [c] *Modene & Reggio.* [d] *Antinori.* [e] *Concini.* [f] *Hongrie.* [g] *Presburg.*

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

regi nupſerat; quo rurſus ſine liberis extincto, cum regni ampliſſimi et toto ſeptentrione potentiſſimi adipiſcendi ſpes electione ad comitia devoluta multos competitores excitaſſet, ipſe eam dignitatem Erneſto ſecundo ex filiis ſolicitis prenſationibus [α] ambiebat.

XXVII. HIC annus fatalis et ultimus fuit Hippolyto [a] Ateſtino, Alfonſi I Ferrariae ducis et Lucretiae Borgiae filio; qui maximis negotiis a prima adoleſcentia apud nos innutritus, et propter arctam Herculis fratris cum Franciſco I adfinitatem etiam ad intima ejus conſilia admiſſus, ac opimis ſacerdotiis donatus, ejuſdem commendatione a Paulo III in cardinalium collegium cooptatus fuit: poſtea ſub Henrico II [b] Senas, quae ad regis patrocinium confugerant, ſumma prudentiae et aequitatis opinione moderatus; ac denique, longe maximi momenti legatione ſub Carolo IX defunctus, patrocinium rerum Gallicarum Romae ſuſcepit: vir elato et magnifico ingenio, quod ingentia aedificia in Gallia ab eo fabricata, et horti regali ſumptu ab eo in monte [c] Quirinali et Tibure exſtructi, ad quae viſenda, toto orbe etiam hodie fit concurſus, ad poſteritatem reſtantur. Tandem effoeto laboribus potius quam annis corpore, nondum enim ſexageſimum aetatis attigerat, vita exceſſit IV Non. Dec. Corpus in S. Catharinae depoſitum, poſtea Tibur tranſlatum eſt, et in Franciſcanorum templo conditum. Ut ad viros literis claros tranſeam; hoc anno nobis ereptus eſt Aegidius [d] Tſcheudus Claronenſis, vir clariſſimus, qui patriae ſuae hiſtoriam, hoc eſt, Helveticam magno labore et induſtria vernaculo ſermone deſcripſit; et, cum primo de [e] Rhaetia et Alpino eo tractu commentarium ſcripſiſſet, eo Latine a Seb. Munſtero amico ſuo ſe inſcio publicato, indoluit vir exactae diligentiae, nondum perfectum opus ſuo nomine evulgatum; ab eoque tempore in eo recudendo laboravit, atque adeo hiſtoria univerſa Helvetiorum concinnanda, quam tamen ad umbilicum adducere non potuit, pridie Kal. Mart. morte praeventus, non tamen omnino immatura; quippe cum jam LXVII annos attigiſſet. Poſt cujus obitum operis tamdiu expetiti ad exitum perſequendi cura demandata eſt Joſiae Simlero viro ea provincia digniſſimo; qui et illud vernaculo ab auctore inchoatum Latine a ſe verſum perſequi inſtitit: ſed non diu poſt decedens imperfectum reliquit. Tſcheudum aliquanto poſt ſecutus eſt Jo. Wolfius Tigurinus ſenatoria familia ortus, magni nominis et eruditionis, inter ſuos theologus. Is Petri Martyris Vermilii, qui [f] Tiguri fixo domicilio docuerat, inchoata et imperfecta ſupplevit, et multa inſuper ſcripſit; ac tandem in patria non ita ſenex, quippe cum tantum L annos expleviſſet, fatis hoc anno conceſſit, XV Kal. Dec. Gaſpare fratre ſuperſtite medicinae in ea republica profeſſore; cujus diligentiae multa Conradi Geſneri, quae vir ad publicam utilitatem natus immaturo obitu inedita reliquerat, poſt mortem auctoris ab ipſo publicata debemus. Nunc Itali dicentur; primuſque occurrit Donatus [g] Janotius, Florentinae reipublicae ante confirmatum Mediceorum principatum quondam a ſecretis epiſtolis; qui homo ingentis animi, cum ſemel liberam patriam vidiſſet, amiſſa libertate vertere ſolum maluit, quam in ea manere, ubi non eſſet, qui fuerat: et quamvis ampliſſimis conditionibus a Coſmo delatis, etiam praecipuis dignitatibus invitatus, nunquam adduci potuit, ut Florentiam rediret. Is a teneris egregie in literis inſtructus, ceterum ad tractanda negotia natus, cum patriae calamitate et ſpontaneo exilio ſibi generoſe indicto a rebus gerendis remotus eſſet, totum vitae tempus in literis et officiis privatis contrivit; et Venetiis, ut vel in aliena republica civitatem retineret, et amiſſae veluti libertatis auram reſpiraret, domicilium fixit; et in grati animi teſtimonium de sereniſſima republica commentarium ſummo judicio conſcriptum edidit. Scripſit et in illo otio de

VAR. LECT. [α] ambiebat: qua de re poſtea plenius dicemus. *D. f. o.*

INTERPR. [a] *da Eſte.* [b] *Siene.* [c] *Monte Cavallo & Tivoli.* [d] *Schud de Glaris.* [e] *pays des Griſons.* [f] *Zurich.* [g] *Gianotti.*

de rebus Italiae ad Paulum III, et de republica Florentina etiam commentarios, qui CIↃIↃLXXII.
in [a] Gadiana et Rudolfiana bibliotheca aſſervantur, magno publicae utilitatis bono, CAROLUS IX.
cum Deus voluerit, publicandos. Tandem plenus annis Venetiis deceſſit, ibidem ſepultus. Praeceſſit hunc Hippolytus [b] Salvianus, [c] Tiferno in Umbria familia nobili natus, vir multijugae doctrinae et opere de piſcibus inter alia ſcripta clarus: qui cum XXII annos in ſchola Romana magno concurſu praelegiſſet, et medicinam feliciſſime feciſſet, Eid. April. deceſſit aetatis anno LIX; et ad S. Mariae ſupra Minervam conditus eſt [α]. Joannes [d] Argenterius, qui Salviano jungatur, ex Italisupereſt, [e] Caſtronovo in Subalpina regione loco obſcuro natus, ſed ingenio, quod in Ariſtotelis ſchola praecipue exercuit, excellens; praeſtantiſſimus item medicus, et ſcriptis ad poſteritatem victuris clarus, qui [f] Auguſtae Taurinorum deceſſit, III Eid. Maias, cum aetatis annum ageret LVIII, ad S. Joannis ab Hercule filio honorifice ſepultus. Apud nos Nicolaus [g] Gruchius Rotomagenſis, nobili loco natus, omni literarum ac ſcientiarum genere egregie inſtructus, et cum Joachimo Perionio primum de Ariſtotelis vera interpretatione, dein cum Carolo Sigonio de praecipuis antiquitatis Romanae controverſiis, de quibus et ſcripta utriuſque publice prodierunt, digladiatus, cum ob doctrinae famam magno concurſu Lutetiae ac [h] Burdigalae, dein etiam [i] Conimbricae, a Joanne Luſitaniae rege honeſtis praemiis cum aliquot aliis e Gallia invitatus, Ariſtotelem, quod primus Graece fecit, publice interpretatus eſſet; ultimis bellis huc illuc vagus, tandem confecto bello civili tertio a [k] Rupellanis, qui ſpe diuturnioris, quam quae ſecuta eſt, pacis ludum literarium in litore illo Santonico aperire decreverant, accerſitus eſt, et cum vix pedem in urbe poſuiſſet, febre lenta, qua in itinere correptus fuerat, ingraveſcente, antequam dignam hoſpitibus de ſe optime meritis gratiam poſſet rependere, in ipſo profeſſionis limine, [β] Januario ineunte ultimum vitae diem clauſit; eo felicior cenſendus, quod morte, quamvis ſtudioſis acerba, tumultum Pariſienſem antevertit, neque urbis, in qua ſenectutis nidum poſuerat, obſidioni ſuperfuit. [γ] Ex noſtris dicendus ſuperat Antonius Rodolphus Cevalerius [l] Moncampio, vico juxta [m] Viram in ulteriore Neuſtria natus, familia nobili; quippe ex qua [n] Cevalerii Agnelli fratres prodiere, qui ingenium in poetica exercuerunt. Is, cum à puero linguae Hebraicae operam dediſſet Lutetiae Pariſiorum ſub Franciſco [o] Vatablo, in Anglia [p] Oxonii ſub Paulo Fagio, inde inter domeſticos Eliſabethae, quae poſtea regina fuit, aſcitus, cupidam diſcendi virginem linguam Gallicam docuit: dein poſt Edvardi VI obitum in Germaniam profectus uxoris Immanuelis Tremellii filiam ex priore marito in uxorem duxit, ita ut vulgo Tremellii gener crederetur, cum eoque linguae ſanctae periſſimo majores ſemper in eadem progreſſus fecit: dein [q] Argentinam anno CIↃ IↃ LIX evocatus eſt: [r] Aureliae Allobrogum diu poſt magna cum laude nec minore in omneis fructu docuit, ut ex theſauri Sanctis Pagnini multa acceſſione locupletati, editione, ab eo tunc temporis procurata, patet: quadriennio dein exacto, patriae viſendae deſiderium ut aliqua ex parte expleret, [ſ] Cadomum venit; in eaque urbe pacate manſit, quo uſque, bello civili recrudeſcente, in Angliam profugere coactus, a memori regina perhumaniter acceptus eſt. Facta demum apud nos ante biennium pace Cadomum revertit: unde tandem hoc anno poſt tumultum Pariſienſem rurſus migrare coactus, cum ſibi in Angliam neceſſario renavigandum videret, homo jampridem valetudinarius ad

Grenezaeam

VAR. LECT. [α] *Hic ſequitur in D. f. o. d. Octaviani Ferrarii elogium: quod in Ed. Gen. lib. 84. aliis verbis ponitur.* [β] Ineunte hoc anno, Januario menſe, ultimum *D. f.* [γ] *Cevalerii & Tuzedini elogia deſunt D. f. o.*

INTERPR. [a] *de Gaddis & Ridolfi.* [b] *Salviano.* [c] *citta di Caſtello.* [d] *Argenterio.* [e] *Caſtel nuovo en Piedmont.* [f] *Turin.* [g] *Grouchy de Rouen.* [h] *Bourdeaux.* [i] *Coimbra.* [k] *les Rochellois.* [l] *Monchamp.* [m] *Vire en baſſe Normandie.* [n] *Chevaliers des Agneaux.* [o] *Guaſtebled ou Vatable.* [p] *Oxford.* [q] *Strasbourg.* [r] *Geneve.* [ſ] *Caen.*

CIƆIƆLXXII. CAROLUS IX.

[a] Grenezaeam ditionis Anglicanae inſulam nauſeabundus divertit, in eaque morbo fatali oppreſſus exeunte Septembri anno aetatis LXV deceſſit; relicto filio, qui nunc [b] Cantuariae degit. Praeter Grammaticam linguae Hebraicae exactiſſimam, et theſaurum, quem dixi, novam Bibliorum editionem quadrilinguem aggreſſus fuerat magna diligentia adornatam; cujus primam partem, qua pentateuchus et Joſuae liber continentur, manu ipſius eleganter deſcriptam mihi videre contigit. [a] Stephanus [c] Tzegedinus Hungarus magni inter ſuos nominis, editis etiam pleriſque ſcriptis, theologus, cum paſtoris munere Budae et Peſti inter graviſſimas anxietates et aerumnas diu functus eſſet, anno aetatis LXVII [d] Kevini in Pannonia defecit. Ultimum agmen claudet Jo. [e] Geneſius Sepulveda Cordubenſis, [f] Salmanticae, ubi ſacri collegii ſodalis erat, mortuus, cum vitae curſum cum ſaeculo numeraret; homo Graece Latineque doctus, et philoſophicis ſtudiis clarus, quod eruditae ejus lucubrationes editae teſtantur; ſed obnoxius, et quanquam theologiam profeſſus, ab humaniore ſententia, quae theologum magis decebat, alienus. Nam cum Bartholomaeus [g] Caſa, qui Carolo V Caeſari a ſacris confeſſionibus erat, apud eum ante XVIII annos de Hiſpanorum Indias ad occidentem vaſtantium avaritia, crudelitate et libidine conqueſtus eſſet, tantique principis mandatu de re tota certius coram cogniturus in Indias trajeciſſet, et reverſus, dictis majora vidiſſe ſe teſtatus, [h] Pinciae in concilio inſtaret, ut modus immani licentiae poneretur; alioqui fore, ut Deus ea immanitate irritatus imperio Indiarum Hiſpanos exueret, et coepta divini verbi promulgatio illis locis, quae cauſa juſti contra Indos gerendi belli obtendebatur, minime procederet; reperti ſunt tamen, qui lucrum ex ea intemperie captantes factum excuſarent; quorum cauſam tuendam Sepulveda ſuſcepit, et per divina et humana jura Hiſpanis, quod facerent, licere dixit; quippe qui in bello captos tanquam ſervos belli jure uterentur; idque libro complexus eſt, quem cum edere omni ratione cuperet, interceſſit Caſa, et [i] Segobienſis epiſcopus. Itaque negotium rurſus in diverſis Hiſpaniae conſeſſibus agitatum fuit; tandemque decretum, ut, quando res ad conſcientiam pertineret, theologorum ſuper ea ſententiae exquirerentur. Id actum anno hujus ſaeculi XLVII. Secundum hoc [k] Compluti et Salmanticae conſulti theologi, poſt longas altercationes, cenſuerunt, e re Chriſtiana eſſe, ut liber Sepulvedae tanquam doctrina minus ſana refertus non ederetur: neque propterea Sepulveda quievit; ſed Romam ad amicos eum miſit, ut publicaretur. Cum rurſus Caeſar per oratores ſuos id prohibuiſſet, et interim omnia exemplaria in Hiſpania reperta ſupprimi curaſſet, nihilominus Sepulveda in pertinacia perſeverans, et turpe vinci exiſtimans, cum Caſa et Segobienſi epiſcopo publica concertatione committi petiit, et obtinuit. Nam triennio poſt publica diſputatio inſtituta eſt, cui Dominicus a Soto, magni nominis theologus et Caeſari ipſi a ſacris confeſſionibus, interfuit: iſque exitus actionis fuit, ut, Caeſare aliis bellis occupato, potius permiſſa quam adprobata Hiſpanorum in Indiis graſſandi licentia fuerit.

VAR. LECT. [a] *Tzegedini elogium deeſt D. d.*

INTERPR. [a] *Guernſey.* [b] *Cantorbery.* [c] *Tzegedin.* [d] *Kevin en Hongrie.* [e] *Genes de Sepulveda de Cordoua.* [f] *Salamanque.* [g] *de las Caſas.* [h] *Valladolid.* [i] *de Segovie.* [k] *Alcala de Henarez, & Salamanque.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

VENETI cum Turcis interventu regii oratoris tranſigunt ; qui miſſis ad pontificem et Philippum legatis factum excuſant. II. *Bellum foedere ſoluto in Africam a Philippo tranſlatum ad Tunetem expugnandam. Auſtrius urbe praeſidiariis nudata ſine certamine potitur ; quae nihilominus militi diripienda conceditur. Arx deſignata inter urbem et ſtagnum, in cujus faucibus Guleta ſita eſt ; eique Gabriel Serbellonus imponitur. Biſerta item capta. Amidas cum filiis Neapolim deducitur.* III. *Harlemi obſidio continuatur. Antonii Olivarii, qui Montium capiendorum auctor fuerat, in caput pretium ab Albano propoſitum ; quod in urbem jactu cum immiſſum eſſet, pro eo* XI *capita in Hiſpanorum caſtra quaſi pro decima et auctario tranſmiſſa ſunt.* IV. *Lovanii prodigioſa aquarum diluvies ; item Coro flante per Friſiam et Miſniam. Monſtrum bicorpor Amſterodami : ac Lunae defectus longe maximus.* V. *Columbarum nuncia ab antiquitate repetita.,* VI. *Tandem poſt octavum menſem et duas ingenteis oppugnationes ſumma vi repulſas extracta obſidione Harlemum ad ſummas anguſtias redactum arbitrio Albani deditur ; qui ad bis mille aut per carnificem aut alia morte affecit.* VII. *Vario res interim eventu in Zelandia geſta, Mildeburgo et Rameka in Walacrenſi inſula in arctum coactis ; quibus dum auxilio cum claſſe venit Boſſuvius comes a Marciano vincitur et capitur. Harlemo capto, Alcmaria petitur.* VIII. *Obſeſſi, Marciani victoriae certi, animis ſumptis fortiter reſiſtunt, et Hiſpanos ab obſidione diſcedere gravi damno accepto cogunt. Diſtributis copiis Julianus Romerus captis circumpoſitis locis Lugdunum Batavorum cingit, quod proxima hyeme petere duces decreverant. Ramekenſis arx in Zelandia Arauſionenſi dedita.* IX. *Albano ſub exitum anni e Belgio diſcedente, Medinae quoque dux revocatur, et Ludovicus Requeſenes ſucceſſor deſignatur ; qui Bruxellas veniens exercitum Albano tradente accepit.* X. *Rex, dum Monlucius in Polonia pro fratre Andino laborat, ad tumultus Pariſienſis invidiam mitigandam Gaſparem Schombergium ad Imperii principes legat, et ab iis in petitione regni literas commendatitias petit. Is in itinere cum Arauſionenſi per Naſſovium Francofurti tranſigit.* XI. *Damvilla ad Sommeriam caſtra ponit ; quam amiſſo Candala ſororio tandem deditione a Gremiano recipit.* XII. *Puſinum Rhodano impoſitum intercipitur. Villanova a Baronio et Pradela aſtu capta.* XIII. *In Velaunis Sanvitalis Proteſtanteis urgebat.* XIV. *Monbrunius in Allobrogibus res eorum ſuſtentabat. Villarius marchio eoſdem ita infeſtabat, ut in Rupella et Sancerris omnis ſpes illis eſſet repoſita.* XV. *Sancerrae deſcriptio et origo. Obſidio, et prodigioſa obſeſſorum fames, et contra eam obſirmatio.* XVI. *Rupellae continuata obſidio.* XVII. *Radeſianus in Angliam miſſus, ut quod Lutetiae actum erat excuſaret ; quod ſtrenue fecit : eodemque tempore invitata Eliſabetha, ut filiam regis de ſacro lavacro ſuſciperet, quae ſerio gravibus de cauſis de nuptiis cum Alençonio cogitat.* XVIII. *In Scotia ab Anglica factione Mortonius poſt ſubitam Marrii mortem prorex creatur. Alexandro Areskino pueri regii educatio committitur. Praeteritorum oblivio ſancitur. Cum Kirkaldius,*

qui

qui arcem Edimburgenſem tenebat, conditiones accipere detrectaret; arx obſeſſa, ac tandem arbitrio Eliſabethae dedita. Kirkaldio ac Jacobo fratri gula fracta. Lidingtonii ingenium, mors. XIX. *Roſſenſis epiſcopus ad nos proſugit. Gul. Howardi Effinghamii et Reginaldi Greii Cantii comitis obitus.* XX. *Hibernici motus à Perotto compreſſi. Factione aulica Walterus Ebroicus Eſſexiae comes in Hiberniam duris legibus miſſus variis incommoditatibus conflictatur, et tandem praeclaram, cum minus putabat, de rebellibus victoriam reportat.*

Ex auctoribus,

P. Contareno, Jo. Bapt. Hadrianio, Fr. Noallii oratoris ad Portam relationibus, Uberto Folieta, Imm. Meterano, Joanne Parvo, B. Mendoza, H. F. Conneſtagio, Petro Cornelio, Gaſparis Schombergii relatione, L. Vicino P. P. Rupellae et Sancerranae obſidionum diariis, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae.

LIBER QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

CIƆIƆLXXIII. CAROLUS IX.

TOTA, quae ſecuta eſt, hyeme negotium pacis inter Turcos et ſenatum Venetum agitatum fuit; qui, Philippum et ejus procuratores ac duces minus aequos expertus, quam magno conſenſu bellum ſuſceperat, tam magno deponere ſatagebat. Tandem, interventu Franciſci [a] Noallii regii apud Selimum legati, inter eos conditionibus tranſactum eſt; quas non aequitas, ſed diſpar fortuna compoſuit. Nam conventum, ut Cyprum armis occupatam, [b] Antibarim et [c] Ulcinium in Epiro, [d] Soppotum item a Venetis redditum Turci retinerent; ac praeterea CCC aureorum CIƆ certis penſionibus acciperent; tum unus quiſque haberet reciperetque quaecunque ante bellum poſſediſſet; captivique et mercatorum bona utrinque reſtituerentur. Miſſus Andreas [e] Badoarius [f] Byzantium ad firmandam reipublicae nomine his legibus pacem, et pro oratore Antonius [g] [α] Teupolus in locum M. Antonii Barbari; uterque cum donis ac muneribus, quae purpuratis in Porta large diſtribui mos eſt. Ea pax, quod ignaro Philippo et inconſulto pontifice coiiſſet, varie a variis accepta. Veneti, ut honeſtius et citra offenſionem ſociorum a foedere diſceſſiſſe viderentur, neceſſitate factum excuſarunt, cum ejus culpam in Hiſpanorum affectatas moras et malignam tarditatem rejicere potuiſſent; et edito ſcripto ſuas rationes ita tuliſſe demonſtrant, ut mature cum Turcis convenirent; alioqui inevitabili exitio ſe conflictaturos, quo pactione illa devitato, dum ſibi conſulunt, et una quoque peſtem a Chriſtiana republica, cui per Venetorum everſionem Turci imminebant, avertiſſe, et univerſis [β] conſuluiſſe. Miſſus a ſenatu ad pontificem Nicolaus [h] Pontanus, vir eruditione, rerum prudentia et dicendi facultate inter ſuos praeſtans, et ei aliqua familiaritate percharus; quem tamen pontifex concepta in ſenatum ira verbis publice male acceptum dimiſit. Joannes [i] Superantius ad Philippum legatus eſt; qui, cum, omiſſis querelis, ſenatum regalis ipſius faſtigii rationem habere et amicitiam officioſe expetere videret, honorifico ac moderato reſponſo uſus eſt; et, Superantio perbenigne appellato, Nulla re, inquit, privatim a Turco laceſſitus, rogatu pontificis, religionis tantum contemplatione, cum veſtra republica, cujus in hoc foedere jungendo tantum ſalutem et commoda ſpectavi, arma haud gravate neque retractanter conſociavi; eoque tempore id feci, cum duobus inteſtinis ſimul bellis in Hiſpania et Belgio implicatus a novo et tantae molis negotio

VAR. LECT. [α] Teopolus *D. f. o.* [β] conſuluiſſe exiſtimandi ſunt. Miſſus *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Noailles.* [b] *Antivari.* [c] *Dolcigno en Albanie.* [d] *Soppoto.* [e] *Badoaro.* [f] *Conſtantinople.* [g] *Tiepolo.* [h] *de Ponte.* [i] *Soranzo.*

negotio excuſare me potuiſſem. Ceterum rem quemque ſuam noſſe verum eſt; nec iniquo animo fero, ſenatum, ſiquidem e re ſua exiſtimavit, ut cum Turcis conveniret, rebus ſuis in tempore conſuluiſſe, bellumque Venetorum cauſa a foederatis ſuſceptum illorum arbitrio deponi; ſatiſque mihi eſt, ſi Chriſtianus orbis intelligat, meae in ſuſcipiendo ſacro bello alacritati parem reſpondiſſe in perſeverando ad extremum conſtantiam. CIƆIƆLXXIII. CAROLUS IX.

II. PACE a Venetis cum Turco publicata, et per eam foedere ſoluto, apparatus bellici a Philippo in eam rem facti ne perirent, quo convertendi eſſent, non diu deliberatum fuit. Nam ſtatim Africa occurrit, rebus Hiſpanorum opportuna, et de qua jam ante initio foederis ſemper Hiſpani cogitaverant, ut in ea [a] Tunetanum regnum Caroli v Caeſaris olim virtute partum et munitione ad portus ſubjecti fauces extructa firmatum, in quo nuper res a Turcis novatae fuerant, ſui juris omnino facerent. Siquidem [b] Amida Hiſpanis merito ſuſpectus, ſed Turcis ſuſpectior, [c] Aſſanis ſive Mule-aſſis vulgo dicti, quem ille XXII fratrum immaniter jugulatorum ſcelere regnum adeptum eodem regno ſpoliaverat, et poſtremo captum oculis orbaverat, filius, ab Uluzali paucis ante annis regno et ſuo et patris ſcelere quaeſito dejectus ad Guletae praefectum ſe contulerat. Quam injuriam nomini Hiſpano factam cum ulciſci in animo haberet Philippus, arma Orienti deſtinata ſtatim in Africam tunc defenſoribus vacuam transferri juſſit; ſummaeque rerum Auſtrium, qui Neapolim venerat, praefecit. Is, miſſo ante Marcello [d] Auria et Franciſco [e] Grimaldo cum II triremibus, ut de Turcicae claſſis conſiliis cognoſcerent, cum eam in Cephalenia eſſe et omnem Italiae ea aeſtate vexare conſtituiſſe renunciaſſent, eo ſibi magis maturandum ratus, [f] Neapoli Non. Sextil. ſolvit, et proſpera navigatione uſus biduo poſt [g] Meſſanam appulit cum IV CIƆ peditum Germanorum nuper conſcriptorum, totidem Italorum duce Pagano Auria Joannis Andreae fratre, et III CIƆ duce Octavio Gonzaga ad [h] Portum Herculis in naveis partim Hiſpanas partim Etruſcas impoſitis. Cum Hiſpani qui [i] Rhegii erant, et Itali [k] Catanae in Sicilia, [l] Panhormum VII Eid. Sept. conveniſſent, aliquot diebus ad neceſſaria comparanda inſumptis, [m] Mazariam antiquiſſimam Siciliae urbem cum univerſa claſſe venit; et ad laevam cum portum eo tempore non frequentatum, ceterum ingenti quantumvis claſſi capiendae idoneum, et ab omni vento tutum ſubiiſſet, commoditate loci delectatus, poſtquam [n] Lilybaei portum eſſe bellis Romanorum cum Carthaginienſi populo geſtis adeo celebrem comperit, cum deinceps de potentiſſimae familiae nomine [o] Auſtrium vocari voluit. In ejus claſſe erant omnino naves longae XC, onerariae XVIII; quibus portabantur Hiſpanorum peditum VIII CIƆ, X Italorum, Germanorum IV, equites CCCC; ad hoc magna annonae et bellicorum apparatuum copia. Primus appulſus fuit ad inſulam [p] Favigianam; et inde VIII Eid. Oct. ſolvit, ac ſecunda navigatione uſus [q] Africae oram tenuit, expoſitoque milite, tormentis ac commeatu Tunetem recta iter intendit. Ejus adventu [r] Radamus ab Uluzali captae urbi praefectus relictus, et [s] Aidares, qui nuper Conſtantinopoli venerat ſucceſſor Radamo miſſus, tertiti [t] Carvennam concedunt, copiarum ſuarum non tam numero quam generi diffidentes. Erant enim VI CIƆ ſtipendia facientium, partim Turci, partim aliarum nationum, ac par numerus ex provinciali delectu, quorum ingenia mobilia et cum fortuna pariter mutantia Turcis merito ſuſpecta erant. Igitur diſcedentibus praefectis urbs Auſtrio ſine certamine patuit; quae nihilominus militi diripienda conceſſa eſt, humanorum tantum capitum praeda interdicta, quae libera dimiſſa ſunt. In ea copioſa annona relicta

INTERPR. [a] *de Tunis.* [b] *Amida.* [c] *Muley-Hazen.* [d] *Doria.* [e] *Grimaldo.* [f] *Naples,* [g] *Meſſine.* [h] *Porto-Hercole.* [i] *Reggio en Calabre.* [k] *Catanea.* [l] *Palerme.* [m] *Marſalla.* [n] *Lilybee,* [o] *porto d'Auſtria.* [p] *Favignana.* [q] *Barbarie.* [r] *Rabadan Baſſa.* [s] *Heder Baſſa.* [t] *Carvan.*

CIƆIƆLXXIII. CAROLUS IX.

relicta fuerat, machinae curules circiter L, et tormentarii pulveris magna vis. Poſtridie Auſtrius urbis moenia et ſitum circumeundo luſtravit, arcemque novam inter urbem et ſtagnum ſubjectum loco idoneo aedificare conſtituit, tantum ſpatium munimento amplexus, quantum capiendis VIII CIↃ bellatorum ſufficeret; et tamen IV CIↃ praeſidio tutum eſſet. Quod eo conſilio factum, ut turbulentis temporibus praeter praeſidiarios receptaculum commodum ceteris eſſet, neque cives Tunetani diverſoriis et hoſpitiis gravarentur; qua re, nihil eſt, quod regnanteis populis magis inviſos reddat. Sed de urbis ſitu et arcium inibi aedificatarum forma ac ratione pleniorem explicationem, in annum ſequentem reſervamus. Igitur cum alteram et novam arcem interiori ſtagni parti oppoſitam, quae urbem attingit, exſtrui placuiſſet, ejus cura Gabrieli[a] Serbellono regis vicario in Africa conſtituto demandata eſt; eique attributa XXII Italorum ſigna, duce Pagano Auria, totidem Hiſpanorum, duce Andrea Salazario, adjuncto Lupo Hurtado Mendoza cum ſcloppetariorum equitum ala. Inſulae, quae in ſtagno eſt, Sinoguerra Hiſpanus impoſitus; regno regendo Machmetes Aſſanis, quem dixi, filius praeficitur, repudiato Amida ob parricidium paternum Tunetanis inviſo, qui ſtatim Panhormum cum duobus liberis tranſvectus eſt; ubi eum futurum accepiſſet, ut frater ejus Machmetes, cui maxime infeſtus erat, regno praeficeretur, tanta rabie correptus eſt, ut ſe de triremi, qua vehebatur, in mare praecipitaturus eſſet, vix Amida filio, quo minus id faceret, impediente. Inde[b] Neapolim abductus eſt, et in arcem S.[c] Anſelmi ſub cuſtodia conjectus; ubi eum anno ſequenti vidimus jam admodum ſenem ac prope octogenarium, ut ex aſpectu conjici poterat; et tamen, ſicuti mihi praefectus arcis re curioſe indagata narrabat, cum ancilla concubina Maura quotidie iſtuc aetatis adhuc dormientem. Is alterum ex filiis deformem ac claudum ſubtriſti vultu praediligebat, quem et in eadem cella ſecum habebat: quod alteri a ſe veluti rejecto erga Hiſpanos benevolentiam conciliabat, formoſo et hilari vultu humanitatem prae ſe ferenti, ad haec armorum tractandorum et equorum more gentis ſine fraeno ac ſella regendorum peritiſſimo; cui ob id libere per urbem equitare permittebatur, et Machmeti, niſi caſus aliter tuliſſet, ſucceſſor deſignabatur. Serbellonus de eventu male praeſagus initio ſe excuſaverat, multa opponens, quae arcis effectum impedirent, materiae, calcis, inſtrumentorum, fabrorum et architectorum inopiam: quae omnia illi affatim ſubmiſſum iri cum pollicitus eſſet Auſtrius, poſtremo onus quamvis gravate ſuſcepit. His actis ſuperabat, quo res Tunetanae in tuto collocarentur, ut Biſerta finitima urbs Turcis eriperetur; quod illi Biſertini cives ſine ullo certamine confectum dederunt, Turcis, qui erant in arcis praeſidio, obtruncatis. Biſertinus civis, qui concivibus ſuis facinoris auctor ac dux fuerat, urbi praeponitur; arcis cuſtodia Franciſco Avilae cum ſigni ſui militibus CCC committitur. Rebus in Africa conſtitutis, appetente jam hyeme, Auſtrius in Siciliam rediit, et inde Neapolim conceſſit.

III. NUNC ad propinqua magis deveniendum eſt, initio ab[d] Harlemi obſidione nuper inchoata ducto. Hiſpani primo impetu repulſi, cum ſpes de deditione urbis temere concepta eos fruſtrata eſſet, foſſam non flexuoſo tractu ſed, ut operi ac tempori parcerent, recto ducunt, ex conſilio Bartholomaei[e] [a] Campocaſſii architecti, eo artificio, ut palis certo ſpatio utrinque defixis et tranſverſis tignis impoſitis, ac ſupra ingeſtis ſaccis lana oppletis, miles ſubtus a defenſorum ictibus tutus eſſet, et, ſi neceſſitas exigeret, ſtructura ea pontis uſum praebere poſſet. Tum ex ea foſſa duae aliae tanquam rami prodibant, ex quibus machinae in turreis continua verberatione diſplodebantur. Promoto ad foſſam uſque urbis vallo, cum tam prope et oppugnatores et defenſores eſſent, ut non jam ſcloppetis ſed manu rem gererent, poſt acria et obſtinata certamina

VAR. LECT. [a] Campil *D. f. o. d.*
INTERPR. [a] *Serbellone.* [b] *Naples.* [c] *Caſtel S. Elmo.* [d] *Haerlem.* [e] *Campocaſſi.*

certamina noctu ex compoſito praeſidiarii propugnaculum [a] S. Crucis portae oppoſitum deſerunt XVI Kal. Feb. cum eodem die eruptione in [b] Roſtenburgum, quod erat hoſpitium Germanorum, facta, magna ſtrages edita eſſet. Pridie caput hominis a corpore ſeparatum in urbem jactu immiſſum eſt, quod erat Antonii [c] [α] Olivarii illius, qui [d] Montium Hannoniae [e] Naſſovio prodendorum auctor et adminiſter fuerat, ab Amſterodami oppidanis intercepti et occiſi, cum ad [f] Nardenenſem aggerem rumpendum cum delectis miſſus eſſet, ut commeatus ab ea parte ſubvectionem impediret. Pretium in ejus necem ab Albano conſtitutum fuerat, quod tulere illi, qui caput Friderico [g] Toletano attulerunt. Eam indignitatem longe indigniore facinore ulti ſunt obſeſſi, XII patibulo ſuffixis, ex quibus XI capita abſciſſa, barba et capillitio in ſpeciem mendicantium detracto, et in culeum conjecta, atque in Hiſpanorum caſtra tranſmiſſa ſunt, cum hac inſcriptione, Haec ad Albanum pro decima nondum perſoluta defer, ob quam Belgii urbes atque adeo Harlemum nunc oppugnat; et, ne de mora longiore conqueri poſſit, undecimum pro foenore et auctario adjunctum ſciat. Eruptionibus crebris inter haec certabatur; quae eo conſilio fiebant, ut commeatus ſubvectionem et auxiliorum ad urbem acceſſum adjuvarent. Itaque introducti toto Januario IↃC ex diverſis nationibus conflati auxiliares: [h] Vemius Gallis, [i] Simandus Anglis, [k] Balfurius Scotis imperabant: Cum bis mille Angli, Scoti, Belgae, Germani brumoſo admodum aere incederent, quantumvis ex oppido accenſis facibus, eo pervenire non potuerunt; ſed obſcuritate oculos praeſtringente decepti huc illuc diverſi abierunt, et in Arauſionenſis caſtra major pars conceſſit. Commeatu autem onuſti carri CCCLVI [l] Saſſemo pluribus vicibus in urbem devecti ſunt; qui jugati ac binis equabus tracti ſine rotis per glaciem tanta celeritate per devia facto et ſemper variato itinere decurrebant, ut ſtationes quantumvis attentas fallerent. Deſerto a praeſidiariis munimento, pars urbis oppoſita, et S. Crucis porta eo majore cura ac diligentia ab oppidanis muniri coepit, terra, fimo, faſcibus aggeſtis et tranſverſis lignis in modum muri Gallici firmata. Tum reliquo menſe pluries certatum; iiſque in certaminibus Franciſcus Toletanus graviter ſauciatus eſt: Didacus Carvajalis, et [m] Creſſonerius tormentorum praefectus, cum praeſidiarii ad tormenta clavis configenda vi magna ſed irrito conatu erupiſſent, interfecti ſunt; et in Creſſonerii locum Valentinus [n] Pardeus Mota rei tormentariae praepoſitus. Ex obſeſſis [o] Vemius, Michaelius, Cognatus, Galli, ſtrenui ordinum ductores, Lambertus [p] [1] Wirtembergenſis, vulnerati; Petrus [q] Vlaſmanus occiſus eſt.

IV. Hoc menſe inſolens ac prodigioſum diluvium Lovanio incubuit VI Eid. Jan. Nam [r] Dilia fluvio poſt diuturnum toto Decembri aſperrimum gelu ſolutis nivibus intumeſcente et alveum ſupergreſſo, aquae ſupra murorum pinnas excrevere; tandemque hora ante meridiem decima perruptis aggeribus ſtragem latiſſimam dedere, tanta vi, ut caſas omneis humileis et carioſas ſecum vorticoſo impetu rapuerint. Torrenti flumini aedes proximae ad XII ulnarum altitudinem demerſae vix tapidos fluctus ſuſtinuere. Tum pavidi omnes ad ſumma tectorum faſtigia evadere, muros perfodere, tabulata perfringere, ſcalas, celoces, ſcaphas tumultuariis clamoribus ac plerumque lamentabili voce expoſcere, ejulatu puerorum ac foeminarum paſſim omnia perſonare, tectorum ubique ruentium fragores exaudiri, convelli arbores, ſimulacra per templa erui, integras domuum contignationes, ſpondas, lectos, culcitas, capſas, menſas ſupernatare, denique mortuorum oſſa ac plerumque cadavera tumulis effoſſa prorſus horrendo

VAR. LECT. [a] Pinteri *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Cruys poorte.* [b] *Ruſtenburg.* [c] *Olivier.* [d] *Mons.* [e] *le comte Ludovic de Naſſau.* [f] *digue de Naerden.* [g] *de Tolede.* [h] *Vehemi.* [i] Meteren vocat *Semmade*, Mendoza *Simado*, forte *Simonds.* [k] *Balfour.* [l] *Saſſem.* [m] *la Creſſoniere.* [n] *de Pardieu, ſieur de la Mote.* [o] *les capitaines Vehemy, Michel, & Couſin.* [p] *de Wittenberg.* [q] *Vlaſman.* [r] *Dele r.*

NOT [1] *Lege* Wittenbergenſis. V. Meteren. fol. 78.

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX. horrendo ſpectaculo fluitare. Jamqne multis in humilioribus urbis partibus menſurant vitae ad aquae in momenta excreſcentis modum ſortuna admetiebatur, cum raro Dei beneficio aquarum vi revulſa magno cum ſtrepitu altera civitatis porta, quaſi carcere effracto, Dilia liberior in campos ſubjectos effunditur, et praeſentis exitii metu tot conſternatas animas ſolvit. Quod portenti loco accepit Cornelius Gemma in ſua Coſmocritica; ut et exhalationem lucidam chaſmatis ſpecie in coelo viſam VI Kal. Feb. frequenteis hoſtium externorum irruptiones, ruinas urbium, proditiones; conflictus, clades, ut ille ait, ſignificantem. Quibus et monſtroſam geminorum ſoeminei ſexus ſe complectentium ſpeciem Amſterodami prid. Non. Oct. editam accenſet, pedibus quatuor ac totidem brachiis diſtinctis, tantum connatis pectoribus et inferiore maxilla, ut prorſus unicum os videretur. His addit et Lunae defectum longe maximum, qui eodem anno extremo VI Eid. Dec. accidit punctorum XX, (quamvis XVII tantum et XXIV ſcrupulorum eam ſaciat Cyprianus Leovitius) et qualis ab anno hujus ſaeculi LV vix conſpectus fuit. Prodigii et loco annumerari poteſt inſolita oceani per Friſiam inundatio, Coro flante; cujus violentia aquae regurgitantes, accedente imbri denſo, aggeres non ſolum perruperunt, ſed fere dejecerunt, homines cum armentis et gregibus inopinato caſu oppreſſos ſecum rapientes; pabulo corrupto et ruptis pontibus. Majus damnum in ea parte Friſiae acceptum, quae ſinu Daniae conjuncta eſt; minns [a] Groeningam verſus, quod ea pars nec admodum promineat, et duabus inſulis ac promontorio veluti defendatur. Id accidit exeunte Sextili; cum eodem menſe in [b] Voitlandia et Miſnia exortis praeter ſolitum foedis tempeſtatibus amnes eo uſque excreviſſent, ut aquae per agros ſupernatantes armenta ac pecudes pleriſque locis oppreſſerint, pontes diruerint, ac luctuoſa vaſtitate vicina circum loca compleverint. Interea in urbe obſeſſa, cum jam initio obſidionis plus ab annonae anguſtia quam ab hoſte in oppido metueretur, proviſum eſt auctoritate magiſtratuum, ut ea admodum parce diſpenſaretur, conſtituto etiam in ſingulas bovillae carnis libras tolerando pretio. Tum inſigni humanitatis exemplo [c] Delfium, Lugdunum, Gouda ſuperioris Hollandiae urbes Harlemenſibus per literas ſignificarunt, paratos ſe, ut eorum annonam ſublevarent, bello inutilia capita ſenum, puerorum ac foeminarum apud ſe recipere, et de ſuo alere. Cnmque cunei ab Hiſpanis erebri ope hominum rei peritorum ex [d] Eburonibus accerſitorum acti contrariis actis everſi eſſent, cum magna foſſorum ac militum jactura, poſtremo Toletanus, cujus exercitus ſummis difficultatibus et incommoditatibus, aſpera praeter ſolitum, quae illis locis ſaeviſſima ſemper eſt, hyeme, conflictabatur, ut finem moleſtae adeo obſidioni imponeret, de impetu faciendo cogitare coepit: propugnaculoque jam capto et tumulo e ceſpite excitato ac ſaccis terra oppletis firmato pridie Kal. Feb. noctu aciem eo ordine inſtruit, ut Rodericus et Ferdinandus Toletani, quiſque cum V cohortibus legionis ſuae, hic ad laevam, ille ad dextram pulſati muri, vim ſacerent; quos ceterae earum legionum cohortes ſequerentur, et ſupra foſſam tanquam per pontem incederent: tum Bracamontius et Romerus cum ſua quiſque legione ſubſequi juſſi: Gaſpar [e] Robles Billius e Friſia a [f] Toletano evocatus ad S. Joannis munitionem eodem tempore cum ſuis vim facere jubetur, dum interim Germani et Belgae juxta ſilvam in aciem inſtructi ſtarent ad ſubita parati. Signo dato poſt preces peractas a Roderico Toletano et Laurentio Perea oppugnationi principium datur, qui cum ſuis ſumma vi connixi in murum inſiliunt: ſed cum eodem tempore cuneus ſub muro actus contrario ab oppidanis acto ſubverſus eſſet, ruina, contra quam putabant Hiſpani, extra revoluta, qui ſequebantur, ſocios, qui in ſummum evaſerant, conſequi non potuerunt. Multi cuneorum vi in aera

INTERPR. [a] *Groningue.* [b] *le Voigtland, pays de la Haute Saxe.* [c] *Delft, Leyde, & Gouda.* [d] *Liege.* [e] *de Robles, ſieur de Billy.* [f] *de Tolede.*

aëra rotati ac lacerati, partim tormentorum ictibus diſcerpti aut a defenſoribus fortiter CIƆIƆLXXIII.
rem gerentibus interfecti ſunt. Nec felicior Billii ad S. Joannis munitionem ſucceſſus CAROLUS IX.
fuit; unde cum damno ſuorum et ipſe repulſus eſt. Periere ex Hiſpanis fere delecti ccc; et in iis Rodericus Toletanus graviter vulneratus: Didacus [a] Pereſius, Stephanus Illanius, Laurentius Perea Luſitanus, Alfonſus Magius ſtrenui ordinum ductores interfecti ſunt, ac primarius Billii centurio. Ex obſeſſis Lambertus [b] Witembergenſis lethaliter ſauciatus. Dum haec geruntur, CLXX carri commeatu onuſti, quibus CC delecti deducendis attributi erant, in urbem introducti, non citra certamen, cum in Germanos juxta ſilvam in aciem inſtructos incurriſſent; a quibus tamen in tutum commeatu recepto cum levi damno ſe expediverunt. Menſis ſequens nulla re fere memorabili geſta exactus eſt, dum Hiſpani a damnoſis oppugnationibus ceſſare, et urbem arcta obſidione ad deditionem commeatus penuria compellere tutius ducunt, pleriſque ex ducibus ab obſidione omnino diſcedendum cenſentibus; quibus tamen Fridericus ab Albano patre monitus, quod rem ad exiſtimationem pertinere exiſtimaret, non auſcultavit. Nonis et IV Eidus, qui in vallo erant, cuneis ignem ab oppidanis ſubjectum concipientibus, non levi damno affecti ſunt: quo eodem die foſſa intus ex adverſo ruinae ab obſeſſis ducta. Carri item CXIII introducti, et paulo poſt II CIƆ CCXL modii frumenti a XL delectis in urbem convecti ſunt. XXVIII navigia commeatu plena cum CCCC delectis bellatoribus item per lacum appulerunt duce Chriſtophoro [c] Gunthero. Summiſſa dein [d] Lugduno et Dordraco tormenta cum pilis, pulvere et cetero apparatu bellico. Tum certatum inter Amſterodamenſeis et obſeſſos navalibus aliquot procliis, cum jam glacie pleriſque locis ſoluta intenſum antea frigus paulum remiſiſſet, et navis XXCIV pedibus longa ab Harlemenſibus fabricata acceſſum per mare liberum ad urbem faceret. Quare cum multi de ſucceſſu deſperarent, Albanus auxilio ſummiſit [e] Polvillerii legionem et IV legionis Siculae cohortes, quas [f] Neomagi penes ſe habebat, duce [g] Toribio Zimbrone; et Mondragonium totidem ex ſua eo mittere juſſit. Tum Maximiliano comiti [h] Boſſuvii negotium datum, ut quanta poſſet navigia armaret, et canalem ac lacum urbi circumpoſitum inſideret, commeatumque ab illa parte intercluderet: [α] cum triremis, incumbentibus quatuor aut quinque hoſtilibus, et Girardo navarcho graviter ſauciato, vixque ſcaphae ope elapſo, in manus Amſterodamenſium veniſſet, ſuperveniente altera Harlemenſi, cui [i] Jacobus Antonius praeerat, cum damno recepta eſt. [k][β] Ranſcotus Lovanienſis vir nobilis captus, et duo praeterea; ceteri ad unum omnes trucidati. Victores [l] Fuikam conceſſerunt, et [m] aggerem ab hoſte aperiri coeptum, quo aqua ex lacu derivaretur, et commeatus ſubvectio impediretur, obſtruxerunt. Inde ineunte Martio tormentis in oppido res agi coepta, auctore Joanne [n] Cunigamio Scoto [o] Balfurii legato, quorum continua verberatione tumulus ab Hiſpanis excitatus paene dirutus eſt et inutilis redditus, tormentorum hoſtilium rotis plerunque confractis.

V. CUM vero glacie ſoluta difficilior eſſet per terram ad urbes vicinas et amicas itus ac reditus, nec ut antea [p] Saſſemo, Lugduno et Fuika ultro citroque nuncii tuto commearent, quidam ingenioſi rem aſtus plenam ex antiquitate repetitam, quippe qui id in [q] Mutinae, quam Dec. Brutus tenebat, obſidione factitatum meminerant, commenti ſunt. Nam columbas cicures in oppido caveis incluſerunt, et tranſmittendas ad illas urbes curaverunt; quae inde, cum opus eſſet, cum literis ſubter alas affixis emiſſae Harlemum revolabant: atque ita literae arcani plenae ſtatim ad magiſtratum afferebantur. Contra Albanus, ut Fridericum filium ad obſidionem urgendam

VAR. LECT. [α] cum vero triremis illa, de qua dixi *D. t.* [β] Roſcotus *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *Perez, Eſtevan de Illanes, Lorenzo Perea Portugais, & Alonſo Munnez.* [b] *de Wittenberg.* [c] *Gunter.* [d] *Leyde, & Dort.* [e] *baron de Polweiler.* [f] *Nimegue.* [g] *Toribio Zimbron.* [h] *Boſſut.* [i] *Jacob Antonis.* [k] *Ranſcot.* [l] *le fort de Fuick.* [m] *digue.* [n] *Cuningham.* [o] *Balfour.* [p] *Saſſem.* [q] *Medene.*

CIↃIↃLXXIII.
CAROLUS IX.

urgendam magis confirmaret, Henricum [a] Viennenſem Capralem cum legione ſua [b] Sequanorum ad eum mitti, facta etiam ſpe, ut brevi XXV ſigna Hiſpanorum ex [c] Inſubribus, et Lupi Figeroae legio in eam rem ſummitterentur: ſic enim Philippum Ludovico Requeſeni Mediolanenſis principatus praeſidi mandaſſe. Nec exitus promiſſis omnino defuit: nam paulo poſt XII ſigna legionis Longobardicae, et XIII legionis Figeroae a Requeſene miſſae, duce Lupo [d] Acunea in caſtra advenere. Miſſus et Bernardinus Mendoza ab Albano cum mandatis ad filium coram frequenti nobilitatis et militum corona recitatis, ut conſtanter in obſidionis conſilio perſeveraret, a qua ſi diſcederet, ſe licet morbo confectum in caſtra venturum, et, ſi quidem morbo impediretur, venturam potius ex Hiſpania uxorem, ipſius matrem, quam dux iam glorioſae expeditioni deeſſet. Mendoza dein in Hiſpaniam ab Albano miſſus, ut regem de re tota certiorem faceret, et ſucceſſorem Albano peteret. Interea dum crebris eruptionibus pugnatur, et cuneis res agitur, plerique deſiderati; in iis Stephanus [e] Quixada, Sanctius [f] Lodonius primarius centurio Bracamontianae legionis, et Bartholomaeus [α] Campocaſſius, cujus multis ingenioſe ad rem bellicam inventis utilis admodum opera fuerat; et ante eos Joannes Verga Neapolitanae legionis centurio item primarius: graviter vulnerati ſunt [g] Santalgondanus Noerkermius et [h] Gognius nobiles Belgae; nec non et Joannes Ayala. Demum VIII Kal. Apr. eruptione a X ſignis per [i] Flumentanam portam in Germanorum hoſpitium facta; cum illi aliquot machinas, quas ſecum habebant, diſploſiſſent, CC Gallorum inprimis virtute in fugam magna cum ſtrage converſi ſunt, et ad IↃCCC amplius trucidati: incenſa eorum tentoria ac mapalia; captae machinae VII, ſigna IX, quae mox in victoriae ſignum pro moenibus Galli ſtatuerunt; ingens praeda praeterea facta: ex praeſidiariis VIII tantum deſiderati; et in iis, [k] [β] Derdenius Belga ſtrenuus ordinum ductor, ac poſtridie Theodorus [l] [γ] Braeſſemanus Ladiſlai Brederodii legatus ſcloppeti ictu interfectus eſt. Quatriduo poſt XXX inductis in canalem armatis navigiis a [m] Boſſuvii comite, et perforato aggere, [n] lacus omnino obſeſſis interclusus eſt, extructa etiam ab eodem comite ad [o] Fuikam munitione, cui Guletae nomen inditum eſt, ut navibus ſuis ſtationem tutiorem redderet. Itaque Harlemenſes, ut viam ſibi vi facerent, tertiam triremem in lacum remis impellunt, [p] Binchorſtio et Manreginaldo ducibus. Toto Aprili cuneis utrinque aliquot acti, ſed exiguo profectu; et aliquot navigia in urbem introducta pulvere onuſta. V Eid. Apr. obſeſſi cum XII navibus exeunt; inter quas erat triremis CVIII pedes longa, quae cum ob longitudinem facile circumagi non poſſet, et brevibus atque aggeri illideret, emiſſi urbe CC delecti, qui militi in ea laboranti praeſto fuere, et eos ſecum acceptos intra moenia incolumeis reduxere, relictis in hoſtium poteſtate navigiis. Inde ducta a [q] ſilva ad Fuikam uſque foſſa, quo ab ea parte aditus obſeſſis omnino intercluderetur. Poſtridie Arauſionenſis claſſis [r] Hemſtedam uſque venit; ad cujus conſpectum ↃↃ ex obſeſſis urbe progreſſi ſunt, rati militem e claſſe in terram expoſitum iri; ſed ea ſpes irrita fuit: quod Arauſionenſis per litt. [s] Tſeratſium, Roſonium, Bordetum aliquot poſt diebus in urbem introductos excuſavit; et XIV Kal. Maias cum II CIↃ comparuit, iiſque in terram expoſitis, cum Harlemenſes ſerius erupiſſent, rurſus re infecta diſceſſum eſt. Eum errorem mox penſavit nocturnus Balfurii conatus, qui [t] Roſtenburgum ea nocte intercepit, interfectis praeſidiariis: quod cum Hiſpani poſtridie magna vi adorti eſſent, majore inde etiam cum damno repulſi ſunt. Extremo demum Aprili, diſploſione a regiis inſtaurata, ex obſeſſis Henricus

Janſenius

VAR. LECT. [α] Campius D. f. o. d. [β] Derdindeus D. f. o. d. [γ] Braeſſemanus D. f.

INTERPR. [a] *de Vienne, baron de Chevreaux.* [b] *Franc-Comtois.* [c] *Lombardie.* [d] *d'Acunna.* [e] *de Queſada.* [f] *de Londonno.* [g] *de St Aldegonde, le ſieur de Norcarmes.* [h] *de Goignies.* [i] *porte de la riviere,* vulgo *Syl poorte.* [k] *le capitaine Dardeinde Wallon.* [l] *Braeſſeman, lieutenant de Lancelot de Brederode.* [m] *Boſſut.* [n] *lac de Haerlem.* [o] *fort de Fuick.* [p] *Binchorſt, & Manrenauld.* [q] *du bois juſqu' au fort de Fuick.* [r] *Hemſtede.* [s] *Tſeraerts, Roſoni, & Bordet.* [t] *Ruſtenburg.*

[a] Janſenius et Chriſtophorus [α] Seagenus vir nobilis, ac poſtridie eruptione facta CIƆIƆLXXIII.
[b] Margotinus ſtipatorum Arauſionenſis praefectus deſiderati ſunt. Cuſi nihilominus CAROLUS IX.
in urbe nummi aurei, in quorum antica parte inſignia Harlemi viſebantur, in poſtica haec inſcriptio erat, VINCIT VIM VIRTUS. Cum jam ad anguſtum res in urbe redactae eſſent, et libra panis viris, ſelibra foeminis, libra tribus pueris dietim tantum diſtribueretur, ut hoſtem ab obſidione annonae anguſtia diſcedere compellerent, loca amni, qui [c] Ultrajecto Amſterodamum influit, impoſita occupant. [d] Schonovia interim 10 delecti emiſſi ſunt duce [e] Phiſſio; quos quinque peditum cohortes navibus vectae ſequebantur, quibus et tormenta ac commeatus portabantur. Ii, cum ad [f] Breukelam vicum in ripa fluminis poſitum veniſſent, locum munire inſtituunt, et arcem Gunterſtenium in oppoſita fluminis ripa XL delectorum praeſidio firmant: verum eorum conatus diligentia ſua antevertit Joannes Baptiſta [g] Taxis, qui tum forte Ultrajecti erat, et rem frumentariam procurabat. Is enim aſſumptis duobus ſignis praeſidio in urbe a Boſſuvii comite relictis, et Maximiliani [h] Meloduni vicecomitis Gandenſis equitum ala, et aliquot Hiſpanis ex arcis praeſidiariis a Joanne Deça acceptis, ſtatim eo ducit, disjectiſque operis et in fugam conjectis cuſtodibus liberam ſubvectionem fecit. Kal. Maii pacificatio inter Philippum et Eliſabetham Anglorum reginam diu ante agitata et nondum terminata, allato regis per Bernardini Mendozae manus mandato, finem accepit, et in caſtris ad terrorem obſeſſis ſpe auxiliorum ab ea parte praeciſa incutiendum publicata eſt. Diebus ſequentibus in abigendis armentis tantum certatum fuit; ſed accenſis et exacerbatis adeo animis, ut juris gentium obliti nullas leges utrinque ſervarent. Itaque cum Hiſpani aliquot oppidanos in tumulo ante oculos obſeſſorum patibulo affixiſſent, praeſidiarii viciſſim totidem captivos eodem mortis ignominioſae genere in conſpectu Hiſpanorum affecerunt. Tandem V Kal. Jun. cum Arauſionenſis claſſis, quae C circiter navium erat, [i] [β] [1] Harlemuriam veniſſet, pugna cum Boſſuvii comite, qui LX circiter navigia penes ſe habebat, conſerta, diſſipata et in fugam conjecta eſt, amiſſis XXI navibus: quae res magnos animos ad perſequendam obſidionem Hiſpanis fecit, diſploſis toto exercitu in ſignum laetitiae tormentis. Inde ad Fuikam verſa vis, quam obſeſſi diu et obſtinate defenderunt: ſed, cum nulla auxiliorum ſpes eſſet, et jam pulvis tormentarius deficeret, poſtremo dediderunt. Neque propterea Harlemenſes animos deſponderunt; eoque commento uſi ſunt, ut ſubſidium, quod navibus aut carrorum ſubvectione ſperare non amplius poterant, ſibi compararent. Milites ruſticorum in morem tela veſtitos emittunt, cum ſariſſa, quae circulo ligneo ſemipedis latitudine in imo confixa erat, ne in terram voraginoſam deſtituta profundius immergeretur, et ſolido facilius inhaereret. Hujuſmodi armis et ad defenſionem tuti erant, et foſſas, quae locis illis crebrae ſunt, per avia incedentes ſuperare poterant; eoque aſtu eluſis ſtationibus plerique ultro citroque commeabant, farinam et pulverem ſaccis ſecum deferentes: ſed re a regiis deprehenſa, mox et Hiſpani eodem ſariſſarum genere uſi obſeſſorum aſtum inutilem reddiderunt; cinctaque omni ex parte urbe, ut nullus ad eam eſſet acceſſus, crebriſque munitionibus idoneo ſpatio ac ſitu excitatis et valido militum robore firmatis, quod Albano novum ſubinde in dies adveniebat, equites ab Arauſionenſi ſaccum quiſque in tergo portantes mittuntur, qui ſupra ſilvam facto itinere, cum in eo eſſent ut urbem ſubirent, a Ludovico [k] Cajetano copiarum nuper Italia evocatarum duce intercepti ac caeſi ſunt. [l] Batenburgicus ab eodem Arauſionenſi cum valida manu

VAR. LECT. [α] Scagerus *D. f. o. d.* [β] Harlemurium *D. d.*

INTERPR. [a] *Janſſen, & Chr. Schagen.* [b] *le capitaine Margotin.* [c] *Utrecht.* [d] *Sconhoven.* [e] *le capitaine Phiff.* [f] *Breukelen.* [g] *de Taſſis.* [h] *de Melun, vicomte de Gand.* [i] *Haerlem-mer, meer, ou lac de Haerlem.* [k] *Gaetano.* [l] *le ſieur de Batenburg.*

NOT. [1] Harlemenſem lacum. *Put.*

CIƆIƆLXXIII manu miſſus, ut in Ultrajectenſi canali munitionem ad intercludendos ab illa parte
CAROLUS IX. commeatu regios excitaret; verum a Franciſco Valdeſio conatus ejus diſturbati ſunt. Inde cuncis res acta, qui plerumque contrariis actis everſi ſunt; [a] Vemius tamen et Cognatus ſtrenui duces paene obruti ſunt, et Vemius ruina ſepultus vix ope foſſorum ruderibus ſumma celeritate amotis periculo ereptus eſt. Tum Fridericus de oppugnatione tertio tentanda cogitans caſtellum ligneum, quod CC milites capiebat, duce Petro Velaſco in puppe navis conſtruendum curat cum ſublicio ponte tanta altitudine et longitudine, ut demiſſus in ruinam ſummam militem exponeret: ſed in ejus rei apparatu Marcus Toletanus magni nominis dux, dum propius in murum inſpicit, ictu ſcloppeti interfectus eſt; ac tandem funibus, quibus caſtellum in puppe ſuſpenſum innitebatur, tormentorum ictibus crebris ab una parte inciſis, cum machina nutaret, vix ſaltu ſe ejicientibus, qui intus erant, conatus irritus fuit. Id III Non. Junii accidit. Miſſae dein columbae, ut anrea, cicures, quae revolando literas ad obſeſſos deferrent. Tum ignis ad cuneum a regiis injectus XVII Kal. Jul. cujus ruina cum multi ex defenſoribus periiſſent, Hiſpani pulverea nube fumo glomerata conſpectum obſeſſis adimente vim faciunt, et XXX circiter in altum enixi, cum viderent praeſidiarios ad defenſionem paratos, ſtatim pedem retulerunt.

VI. BIDUO poſt [b] Tſerarſius et Gotinus emiſſi, qui Arauſionenſem de urbis ſtatu certiorem facerent. Jam enim ſumma omnium rerum penuria laborabatur, frumento omnino deficiente, et pellibus equorum, vaccarum, catorum carnibus, pane ex lente et cannabis ſemine confecto vitam tolerante multitudine. Tum nova foſſa intus ducta a Margaritae fano ad portam uſque S. Joannis: et V Kal. Jul. deſperatione adacti ad IƆCC eruptionem faciunt, ad Fuikam uſque progreſſi, quo Arauſionenſem cum claſſe venturum, ſicuti miſſis per columbas revolanteis literis promiſerat, rebantur; ſed irrito ſucceſſu. Quod ſemel atque iterum tentatum haud feliciori eventu; Friderico, qui per Scotum transfugam, obſeſſos extrema penuria laborare, nec diutius obſidionem ferre poſſe, reſciverat, ſuos a proelio abſtinente. Interea praeſidiarii ad ſummam anguſtiam redacti, ſpecie victus quaeritandi diſcurrentes, oppidanorum domos aliquot diripiunt: quod magnum tumultum in urbe excitavit, qui mox allatis a volueri tabellario literis ſpem de parato auxilio faciente aliquantum ſedatus eſt. Nihilominus colloquiis principium factum Kal. Quintil. Joanne [c] Vlieto primario Harlemi [1] decurione, [d] Steinbacho, Roſonio et Pelicano ducibus egreſſis, qui cum Eberſtenii comite capita contulerunt: ſed re infecta diſceſſum eſt. Diebus ſequentibus, cum Fridericus de Scoti fide dubitaret, et adhuc commeatum ſuppetere in urbe per alios intellexiſſet, redintegrari verberationem jubet; magnaque ruina edita, turris ponti S. Catharinae vicina omnino diruta eſt: cumque in eo eſſent Hiſpani, ut ex machina, quam dixi, inſtaurata vim facerent, ventus tanta violentia incubuit, ut navis, cui caſtellum inſidebat, ad commodum ſpatium admoveri nequiverit. Admoti tamen pontes duo, quibus, cognita ex transfugis obſeſſorum extrema penuria, Fridericus minime uſus eſt. Iterum Joannes Vlietus, [a] Steinbachus et Roſonius, [e] Sohemus, Pelicanus et Cornelius Matthaeus cum Boſſuvii et Eberſtenii comitibus collocuti ſunt; ſed nihil actum, cum praeſidiarii ſe, niſi cum armis dimitterentur, nunquam in deditionem conſenſuros oſtenderent. Sub id ſemel atque iterum vexillum atrum ex turre majoris templi ſuſpendunt oppidani, ut per illud claſſiariis auxiliaribus ad extremas anguſtias ſe redactos eſſe ſignificarent, et opem implorarent. Demum VIII Eid. album vexillum in eadem turre ſtatuunt, et Nicolaum Bernardum emittunt, qui
in

VAR. LECT. [a] Stenbachus *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *les capitaines Vehemi, & Couſin* al. *Cocbiin.* [b] *Tſeraerts, & Gotin* ou *Goutin.* [c] *de Vliet, bourguemaiſtre de Haerlem.* [d] *Steenbach, Roſeny, & Pelican.* [e] *Soheim* al. *Sobey, Pelican, & Corn. Matheu.*

NOT. [1] *Dele* decurione: *lege* conſule. *Put.*

in perendinum commeatum ad [a] [1] Tomos ſubvehi peteret, alioqui deditionem neceſſario ſubſecuturam. Biduo poſt per [b] volucrem tabellarium ſpes facta certi auxilii ea ratione ſummittendi, ut noctu ad Fuikam claſſis appelleret; infeſtaque diſploſione fulminaret, quaſi ab illa parte auxilia adventura eſſent; interim per [c] ſilvam et [2] Mannepatum auxilia iret accelerarent. Ea erant circiter IV CIƆ armatorum, quos ducebat [d] Tſerarſius, eo ordine, ut C equites praecederent, dein III CIƆ [e] Mattiacorum et Batavorum ſubſequerentur cum VI campeſtribus tormentis; tum Galli, Angli, Scoti, Pleumoſii cum ala equitum Germanorum incedebant, et carros annona et bellico apparatu onuſtos claudebant. Verum aſtus non proceſſit, per transfugas re Friderico renunciata, qui tota ea nocte in armis fuit, et ope Hiſpanorum praemiſſum equitatum fudit; qui in peditatum ſubſequentem revolutus, cum ſolviſſet ordines, incumbentibus regiis trucidatus eſt. Occiſi ad CIƆ CC; capta XIV ſigna, et tormenta campeſtria cum carris omnibus. Dein albeſcente die tracta ab Hiſpanis circa urbem in victoriae ſignum capta vexilla, quae auxiliariorum fuiſſe mox per tabellarium alatum oppidani reſcivere. Auxiliaribus copiis deletis, obſeſſi, ut ſibi conſulerent, ab Arauſionenſi moniti, cum, animorum conſternatione maxima ſecuta, multi in horas fame enecti perirent. Conſilium initio captum de deſerenda a praeſidiariis et oppidanis urbe, relictis in ea foeminis ac pueris; quibus licet injuriae ſaevorum hominum expoſitis tamen parciturum hoſtilem furorem rebantur, idque duces ad continendum in diſciplina militem facturos ſperabant. Sed ad rei famam tanta foeminarum comploratio oborta eſt, ſe deſeri compoſitis ad miſericordiam ejulatibus conquerentium, ut ab eo conſilio diſceſſum ſit; et deliberatione habita decretum, ut vi ultima ſe periculo eximerent, eoque ordine erumperent, ut in fronte collocatis VII ſcloppetariorum ſignis, magiſtratus et oppidani cum uxoribus ac liberis ſequerentur, tum IX ſigna ultimum agmen clauderent. Dum in eo ſunt, et omnia confuſe ac ſumma trepidatione aguntur, rumores in urbe ſparguntur, quibus ſpes facta, ſi deditionem arbitrio Friderici facerent, fore, ut victor in dedititios miſericordia ac benignitate uteretur: qua re vehemens de gratia deſperantium impetus aliquantum remiſit; et tandem IV Eid. Quintil. colloquio res tranſacta eſt a Chriſtophoro [f] [α] Vadero, multum reclamante [g] Roſonio, qui, quod erat conjectans, extrema potius tentanda ac patienda cenſebat, quam ut ſe fidei immanium hominum committerent. Inde per urbem publice per praeconem denunciatum, optarent, qui in ea erant, an manere vellent arbitrio Albani, an ſine armis urbe exire. Et, cum illi malle ſe arbitrio Albani manere in urbe reſpondiſſent, ſtatim pronunciatum eſt, Scotis et Germanis ab Albano vitae gratiam factam, ceteri quid ille juberet exſpectarent. Qua re intellecta, [h] Bordetus Gallus ſtrenuus dux, qui in [i] Montibus militaverat, ne hoſti ludibrio eſſet aut diutius de gratia anxius animi penderet, a fido ſibi et multis precibus exorato milite ſummi atque extremi, poſt tot ab eo alias accepta, beneficii loco impetravit, ut ſe ſcloppeti ictu transverberaret, et cum morte finem miſeriis ſuis faceret. Pactis inter Harlemenſeis et Fridericum factis convenerat, ut ad redimendam urbis a milite direptionem CCXL florenorum CIƆ ab oppidanis exſolverentur; quorum dimidium intra duodecimum diem, reſiduum intra trimeſtre proximum dependeretur. Igitur introductus Philippus [k] Martinius olim urbis [3] decurio ad exigendam pecuniam: et juſſi oppidani, viri, foeminae,

VAR. LECT. [α] et Vadero *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *juſqu'aux Tonnes.* [b] *un pigeon.* [c] *par le bois & le Mannepad.* [d] *Tſeraerts.* [e] *Zelandois & Hollandois.* [f] *Vader.* [g] *Roſony.* [h] *Bordet.* [i] *Mons.* [k] *Martins jadis bourguemaiſtre.*

NOT. [1] *Dele* Tomos: *lege* tonnas. Eſt ſpecula in faucibus lacus Harlemenſis poſita nautis, ad dirigendas certius naves, quam indigenae *Tonne* dicunt a forma. *Put.*

[2] *Mannepatum.* Hoc vocabulum Flandris ſignat viam virorum. *Put.*

[3] *Lege* conſul. *Put.*

foeminae, et milites, comportatis in aedeis publicas armis, in tria aſſignata templa concedere. Germani et Scoti, quibus gratia facta erat, ad Catharinae et Urſulae ſana ſepoſiti ſunt. Secundum haec allata a ducibus et ſigniferis vexilla et in manus victoris a ſupplicibus conſignata. Tum initium carnificinae ſactum Eidibus menſis; qua die Amſterodamo Albanus Harlemum venit: et ad ejus adventum, dum urbem circumiens luſtrat, CCC Belgae laqueo ſuſpenſi ſunt. Poſtridie Riperda, qui Harlemenſeis a deditione ſacienda initio dehortatus fuerat, et ejus legatus, et is [a] qui Stenbacho a ſacris concionibus erat, ſecuri percuſſi ſunt. Biduo poſt extra portam, ut per intervalla ſpectaculum repetitum magis afficeret, CCC milites carnificis gladio perierunt; et in iis [b] Simo Simonius paſtor. Quatriduo exacto, [c] Scotenae [d] Ladiſlaus Brederodius, Roſonius, et Brielae quaeſtor ſecuri percuſſi. Rurſus quatriduo poſt omnes ob religionem olim fugitivi aut ſuſpecti in carcerem conjecti, qui poſtea varia peſte perierunt. Certe Mendoza, qui rei interfuit, jam ex Hiſpania reverſus, et [e] Petrus Cornelius, Hiſpani, qui hiſtoriam eam ſcripſerunt, quaſi in ſeveritate atque adeo ſaevitia ſua, quae Philippi poſtremo nomen illis provinciis inviſum fecit, ſibi placeant et glorientur, numerum, quem Belgae ſcriptores minorem faciunt, augent, et bis mille eorum, qui [f] Montibus aut Zutfaniae certis conditionibus dimiſſi fidem fefellerant, gladio, laqueo, aut in aquam praecipitatos Albani juſſu vitam finiviſſe tradunt. Hic exitus fuit Harlemenſis obſidionis ſpe promptiſſimae deditionis ſuſceptae, quae tamen in octavum uſque menſem extracta eſt, culpa eorum, ſicuti exiſtimat Mendoza, qui quatuor dierum ſpatium lucriſacere cupientes ab initio verberationem minime idoneo loco inſtituerunt, et interquieſcendi ac loca infirma interim per otium muniendi obſeſſis facultatem praebuerint. In hac obſidione X CIϽ CCLVI tormentorum ictus diſploſi ſunt, duaeque ingentes oppugnationes magna vi factae majore depulſae ſunt, et quatuor maxima veluti proelia commiſſa; navale unum, in quo ſocii magna clade affecti et multis navibus amiſſis victi ſunt; duo terreſtria auxiliarium pariter a regiis deletorum; et quartum, quo Germani ab obſeſſis cum ſignorum aliquot et tormentorum jactura ſuperati ſunt. Multi praeterea Hiſpani bello clari duces et alii in ea occiſi, et ex regio exercitu omnino ad IV CIϽ deſiderati ſunt. Ex obſeſſis cum initio IV CIϽ bellatores eſſent, poſtremo morbis, ictibus, fame et alia peſte ad CIϽIϽ redacti ſunt.

VII. DUM Fridericus Toletanus Harlemi haereret, in [g] [α] Walacrenſi inſula minime ceſſabatur, [h] Mildeburgo et [β] Rammeka jamdudum arctiſſima obſidione cinctis; quibus Sanctius Avila arcis Antuerpianae praefectus ſuppetias ferre juſſus cum claſſe ineunte Martio inſtructa ſecundo [i] Scaldi devectus claſſem hoſtilem numero ſuperiorem obviam habuit, et poſt levia certamina re infecta [k] Antuerpiam rediit; unde paulo poſt majore claſſe comparata profectus cum hoſte in [l] Vliſſingae conſpectu conflixit. Jamque poſt tormentorum et ſcloppetorum diſploſionem manibus ferreis injectis res cominus gerebatur, cum Avila, dum in praetoriam hoſtilem ſecundo vento invehitur, cado pulveris tormentarii forte ignem concipiente, pariter ipſe cum nautis, paulum abfuit, omnino conflagravit; et interea hoſtilis praetoria ventum nacta proram convertit, et tanquam ex ſuperiore loco infeſta diſploſione claſſem regiam valde infeſtavit, depreſſis pleriſque navibus; vixque Avila cum paucis in inſulam trajecit, ubi ipſe magna commeatus penuria laboravit. Cum is ſucceſſus ſociis ad majora audenda animos feciſſet, et Avilam poſt eam cladem acceptam haud facile quidquam magni momenti moliturum putarent, [m] Tholam in Brabantia cum VIII peditum ſignis ducunt, duce [n] Rolleto Camferae praefecto, ad [o] Romaſvallium Kal. Maiis exſcenſione facta

VAR. LECT. [α] Valacremenſi *D.* f. Valacrenenſi *D.* o. d. [β] Ramula *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *miniſtre du ſieur de Steenbach.* [b] *Simon Simonſen.* [c] *Schooten.* [d] *Lancelot de Brederode, Roſony, & Simon Schoorel receveur de la Brille.* [e] *Pedro Cornelio.* [f] *Mons ou Zutphen.* [g] *Walcheren.* [h] *Middelburg, & Rammekens.* [i] *l'Eſcault.* [k] *Anvers.* [l] *Fleſſingue.* [m] *Ter-Tolen.* [n] *de Rollet, gouverneur de Campvere.* [o] *Romerſwael.*

facta copias in terram exponunt, in [a] Martiniano aggere munitione exſtructa, et templo in [b] Flietenſi portu, qui praeſidio tenebatur, potiti, praecipitatis in mare praeſidiariis, rurſus xxx naveis, cum quibus venerant, conſcendunt, et [c] Bergas ad Somam profecti intra aggerem, qui Bergis Tholam ducit, caſtra muniunt, promontoriumque a praeſidio deſertum occupant. Tholam [d] Alamontius tenebat Mondragonianae legionis primarius dux cum cxxvi militum praeſidio; Bergis [e] Aegidius Villanius et Petrus Cornelius cum duobus ſignis ejuſdem legionis erant, ceteris Harlemum juſſu Albani profectis. In ea anguſtia Mondragonius, cum nihilominus quavis ratione Tholenſibus ſubvenire ſtatuiſſet, cum Rolleto congreſſus periculum vitae adiit: ſed mox ab Albano ſummiſſo Claudio Bernardo cum delectis copiis ſocios jam perfoſſo aggere Tholae imminenteis longo circuitu ductis copiis praeter opinionem aggreſſus fundit, ita ut ex CIↃ amplius vix xx evaſerint, ipſo Rolleto in certamine deſiderato. Id viii Eid. Maias accidit. Verum ea clades [f] Gertrudis ſano (id oppidum ad ditionem Arauſionenſis pertinebat) aſtu intercepro penſata eſt, quod a ii ſignis Belgarum, ſed infrequentibus excubiis negligenter ſervabatur. Nam id a [g] Poeto Gallo ſtrenuo ordinum ductore navigiis [h] Dordraco, [i] Worcumio et vicinis locis ſecum adductis, trucidatis levi negotio praeſidiariis, occupatum eſt, ut res a proditionis ſuſpicione non abfuerit. Id aliquanto poſt accidit, iii Eid. Oct. Eo caſu perculſus Albanus ſtatim Bernardino Mendozae negotium dat, ut cum ſua equitum ala Bredam peteret, et inde ſociorum excurſiones in Brabantiam impediret. Interea Fridericus poſt deditum Harlemum tibicinem Alkmariam mittit, qui oppidanos urbem dedere juberet, quod illi, [k] Ruchavero ab Arauſionenſi auxilio ſummiſſo et intra moenia accepto, facere recuſarunt. Quo reſponſo intellecto Hiſpani, qui tanquam ad praedam paratam exierant, et quibus multorum menſium ſtipendium debebatur, ea ſpe dejecti protinus Harlemum injuſſu imperatoris redeunt, ſolemnique ſeditione excitata ducum ſuorum imperia abrogant, novos conſtituunt, et tormenta xiv in urbem convehunt. Quae res magnam remoram Friderici conatibus attulit, et magno foederatorum commodo atque adeo Alkmarienſium ceſſit, qui feſtinatis operibus urbem interea muniverunt, et a primo metu animos collegerunt, ita ut obſidioni ſuſtinendae ſe deinceps pares oſtenderint. Seditioni componendae totus menſis inſumptus; et poſtremo ad Hiſpanos ab Albano miſſus Chapinus Vitellius vir militi admodum gratioſus viii Eid. Sextil. xxx aureos ſingulis militibus numerari cum juſſiſſet, ſeditionem compoſuit. Poſtridie Lazarus [l] Mullerus Germanorum ductor cum ſuis in tutum deductus eſt; et novo tumultu ab Hiſpanis Harlemi excitato, cum Simo [m] Scorlius, qui huc uſque latuerat, fugam pararet, agnitus et in carcerem conjectus eſt. Tumultu utcunque ſedato iii Eid. Fridericus in urbem venit; in cujus adventum ccc Galli, Angli ac Belgae ſub cuſtodia ſervati capitis poena affecti ſunt; eo ſpectaculo intermiſſa per menſem laniena renovata, cum quatriduo ante primarii cives et Belgarum duces [n] Scotenam haud occulta oppidanorum moeſtitia eodem die abducti eſſent, de quibus xvii Kal. Sept. ſupplicium ſumptum eſt. Poſtridie poſt adventum Friderici Godofridus [o] [α] Merleus Harlemi epiſcopus B. Bavonis templum ritu ſolemni dedicavit, et ſacrum coram Friderico peregit, ipſo Friderico propoſitis capitibus poſt recitatum evangelium ſacramento ad ſervandas eccleſiae immunitates adacto. Biduo poſt pleique, qui in valetudinariis aegri decumbebant, milites inde retracti ad ſupplicium rapti ſunt. Tum publicatum diploma, quo univerſis praeteritorum gratia fiebat, exceptis lvii oppidanis, quorum et nomina edita ſunt. Demum [p] Liquio urbi cum Germanorum praeſidio

VAR. LECT. [α] Amerledus *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *digue de S. Martin.* [b] *Port Vliet.* [c] *Bergenopzoom.* [d] *Alemont.* [e] *de Villain, & P. Cornelio.* [f] *Gertruydenberg.* [g] *Poiet.* [h] *Dort.* [i] *Worckum.* [k] *Ruychaver.* [l] *Mullern.* [m] *Scorl.* [n] *Schooten.* [o] *de Mierloo.* [p] *de Liques.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX. praeſidio impoſito, Hiſpani deducti et [a] Alkmariam petere juſſi ſunt. Primo appulſu capta a [b] Medinilla Friderici juſſu [c] Caſa rubra, ex qua canalis ſubjectus defendebatur, et acceſſus ad oppidum intercludebatur. Eruptione ab oppidanis facta, cum ad Caſam acriter pugnatum eſſet, repulſi illi, ſed Medinilla in certamine deſiderato. Tandem ad oppidum XII Kal. Sept. caſtra poſita; variíſque proeliis certatum uſque ad XVII Kal. Oct. quo eruptione facta obſeſſi in vallum progreſſi magna trepidatione caſtra compleverunt, captis pleriſque, ex quibus multa de [α] Hiſpanorum conſiliis reſciverunt. Interea miſſus Franciſcus Valdeſius, qui munitiones in Hollandiae faucibus occuparet, et novas locis idoneis extrueret, unde capta Alkmaria facilius in alia provinciae oppida invadere poſſet. Dum in itinere eſt, ad [d] Leidendorpium, quo Gaſparem [e] Omblaſcum Gabrielis Nonii ſigniferum cum CC ſcloppetariis praemiſerat, ex inſidiis erumpente hoſtium manu periculoſe certavit, vixque equo ſuffoſſo et alterius in tempore commodati ope exitio ereptus eſt, amiſſis in eo conflictu amplius C ex ſuis. Dum haec agerentur, in [f] Walacrenſi inſula ſocii [g] Rammekenſem arcem in [h] Mildeburgi canalis jam ad ſummam anguſtiam redacti faucibus obſideut, quo ſtatim [i] Lanoius Bellovaſius Zelandici maris praefectus ſecum aſſumpto Mondragonio cum claſſe advolavit, et commeatu per terram Mildeburgum importato, nullaque alia re facta inde diſceſſit. Moxque Amſterodamo, quo Albanus venerat, Maximilianus [k] Henninus Boſſuvii comes prid. Eid. Quintil. cum XII majoris formae navibus ſolvit, quibus portabantur Germanorum legionis aliquot cohortes, VI Hiſpanorum ducibus, Corcuera, Garſia [l] Suare, Antonio Avila, Martino Oarce, Texeda et Alfonſo Ajala; Belgarum item aliquot cohortes, quibus Franc. Verdugus praeerat. Primam aciem ducebat Joannis [β] Simonis [m] Rollii navis, cui Corcuerae cohors impoſita erat, quam canalis anguſtias undique navigiis in vado immerſis circumdati ſuperare juſſam altera ſubſequebatur, ac tertia praetoria, cui inviſum juxta et infauſtum [γ] illis regionibus Inquiſitionis nomen erat, poſt eas ordine incedebat. Quod ubi hoſtes viderunt, protinus canali egrediuntur, et claſſem in aciem inſtruunt, quae XXIX navibus grandioribus et nonnullis aliis minoris formae conſtabat, paulum in brevia deflexo itinere, quo regiae propter pondus pervenire non poterant. Inde expoſiti in terram Hiſpani, ut munitiones duas in litore ab hoſtibus excitatas, quaeque claſſi inſulanis auxilio venienti non mediocriter incommodabant, occuparent: quod et illi ſtatim confecerunt. In ancoris utraque claſſis per XVI dierum ſpatium ſtetit, ruſſumque Boſſuvius comes Albani juſſu hoſtilem claſſem aggreditur: cumque quatriduum integrum levibus proeliis utrinque certatum eſſet, [δ] Theodorus [n] Sonoius, [o] Enchuſa acceptis navibus et novo militum robore, viciſſim regiam claſſem prid. Eid. Sept. petit; et ſub meridiem, cum utraque venti commoditatem captaret, utrinque aliquanto tempore tormentorum ictibus res acta eſt, donec Boſſuvius in proram praetoriae hoſtilis incubuit; nec illa certamen detrectavit, et a parte dextra Boſſuvio incumbens fortiter pugnam capeſſivit; moxque duae aliae hoſtiles in puppem Boſſuvianae vim faciunt, et ignibus artificioſis injectis, tum ſaxorum grandine et calcis vivae pulvere in oculos vibrato, ut militum aciem perſtringerent, regios urgent, ex ſuperiore loco in eos pugnantes, aſſeribus objectis, quibus tegebantur, et piſcatoriis retibus ad ictus machinarum vice ſaccorum lana oppletorum oppoſitis eorum violentiam frangebant. Quo animadverſo ceterae regiae claſſis naves Amſterodamum verſus fugam capeſſunt, excepta ea qua Texeda portabatur, et ita implicatae V naves aeſtu maris nuſquam intermiſſo

VAR. LECT. [α] Toletani *D.* f. o. [β] Simenrollii navis *D.* f. o. d. [γ] illis regionibus *deſunt* *D.* f. o. [δ] Gul. Marcianus Lumaeus Enchuſa *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Alcmar.* [b] *de Medinilla.* [c] *Tour rouge.* [d] *Leiderdorp.* [e] *Don Blaſco alferez del capitan Don Gabriel Nunno,* al. *Ninno.* [f] *Walcheren.* [g] *Rammekens.* [h] *Middelburg.* [i] *de Lanoy, ſieur de Beauvais.* [k] *de Hennin, comte de Boſſut.* [l] *Suarez, Ant. D'Avila, & Mart. de Ocrez.* [m] *Roll.* [n] *de Sonoy.* [o] *Enchuyſen.*

intermiſſo certamine per noctem inter [a] Edamam et [*] Hornam vadis illiſerunt, duabus ante auroram horis. Illuceſcente die Germani ex Boſſuviana in hoſtilem praetoriam tranſeunt, nequicquam Boſſuvio et Hiſpanis repugnantibus ac multos ex transfugis interficientibus: ex quibus cum [b] Sonoius intellexiſſet ad quas anguſtias res regiorum eſſent redactae, novis Enchuſa per ſcaphas miſſis auxiliis firmatus Boſſuvium aggreditur, qui ex LXX ſive nobilibus aut Hiſpanis militibus ſolos ſuperſtites XV circa ſe habebat. Nec tamen ille ſe deſeruit, ſed ex rerum deſperatione animos ſumens, cum ſemel atque iterum ſumma virtute hoſtilem oppugnationem ſuſtinuiſſet, poſtremo conditiones a Sonoio propoſitas Corcuera aſſentiente accepit, repudiato Hiſpani cujuſdam conſilio, qui, cum ob recentem Harlemenſis carnificinae memoriam a Batavis nullam gratiam ſperandam exiſtimaret, inter colloquendum ignem in pulverem tormentarium injicere in animo habebat, quo ambuſti, quando ſibi neceſſario percundum erat, hoſteis eadem ſecum ruina involverent. Ita hoſtes incolumitate promiſſa Boſſuvianam navem ingreſſi cunctos in ea repertos Boſſuvio excepto ſpoliant, et Boſſuvium Hornam cum Corcuera graviter ſauciato et XII circiter Hiſpanis magna pompa deducunt; ubi paulum res a violentia abſuit, cum foeminae Hiſpanis illuderent, et contra pacta vim facere non auſae, injurioſe eis os admota manu ſublinerent: reliqui, qui numero ad L erant, Enchuſam deducti ſunt. Boſſuvius, quantumvis ſedulam operam dantibus Hiſpanis, de quibus optime meritus erat, ut ipſe liberaretur, obtinere non potuit; et, licet iis, qui ſecum captivi erant, partim pecunia, partim precibus libertati reſtitutis, nihilominus uſque ad Gandavenſem pacificationem ſub cuſtodia retentus eſt.

CIↃIↃLXXIII.

CAROLUS IX.

VIII. Is caſus Alkmariae obſeſſis animos mirum quantum auxerit, qui loco confiſi, ad haec proſperis undique allatis nunciis inflati, fortiter ſe hoſti oppoſuerunt; et, cum XIV Kal. Oct. poſt bis mille ac XXXVI ictuum diſploſionem, tot enim a curioſis numerati ſunt, ruina ingens edita eſſet, ad turrem rubram ac [c] portam piſcatoriam facto eodem tempore impetu, trium horarum ſpatio obſtinatis animis certatum eſt, [d] Sanphilippenſi et Sanjacobina legione, quarum praefectus Lupus Acunea paulo ante ex morbo Harlemi deceſſerat, ad id deſtinatis. Ponte deficiente, qui in voragine, dum trahitur, haeſerat, cum primi natatu ad ruinam evaſiſſent, aegre ſubſequentibus aliis, poſtremo regii repulſi ſunt, amplius CCCC occiſis ſive ſauciatis, et in his Franciſco Bobadilla et Didaco [e] Felice. [f] Blaſcus Nonius Carvajal, cum in ſummum enixus eſſet, diuque ſariſſa dein et cominus gladio cum defenſoribus certaſſet, poſtremo ſclopeti ictu accepto dejectus eſt, quo ex vulnere poſtea obiit: tantaque ſtrages facta ſaxis, uncis, circulis candentibus, pice, oleo ardenti, plumbo liquido, reſina a defenſoribus, et foeminis ipſis, ex ſuperiore loco dejectis, ut Manuel [g] Cabeça Vaca, qui ſubſequi juſſus erat, per cadaverum acervos perrumpere non potuerit, et Lud. [h] Cajetanus, cum in eo eſſet, ut in ruinam evaderet, a Friderico revocatus vix tandem ſe receperit, amiſſis amplius CCC ex ſuis. Biduo poſt amplius IↃCCC ictus diſploſi: cumque in eo eſſent Hiſpani, ut vim facerent, Albanus a quibuſdam monetur, hoſteis haud procul ab [i] Alkmaria in [k] Aquenſi regione perfoſſionem aggeris moliri; quod ſi fieret, tota regio et exercitus ipſe ab ſubmerſione periclitabatur. Itaque continuo ad filium ſcribit, et, ut mature ab obſidione diſcedat, imperat, deductis in tempore tormentis: quod ille fecit; et V Kal. Oct. ac ſequentibus diebus machinas in naveis impoſuit, diligentiam ſummam in eo navante Juliano Romero. V Non. Oct. tentoria ſublata, et

VAR. LECT. [a] Horubim *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Edam, & Hoorne* al. *Horne.* [b] *le ſieur de Sonoy.* [c] *porte de Friſe.* [d] *Tercies de San Philippo y Santiago.* [e] *Felice.* [f] *Blaſco Nunnez de Carvajal.* [g] *Cabeça de Vaca.* [h] *Gaetano.* [i] *Alcmar.* [k] *le Waterlandt.*

et v tandem Eid. ejuſdem menſis omnino ab obſidione diſceſſum eſt; cum obſeſſi jam in eas anguſtias, ac rei pecuniariae praecipue, redacti eſſent, ut taleros ex ſtanno mille decies et quingentos paulo ante conflare ad exſolvendum militi ſtipendium coacti eſſent. Regii diſcedentes aliquot domos et molatrinas incenderunt, a praeſidiariis inſequentibus exiguo damno accepto; ſed mox extrema omnium rerum penuria conflictati ſunt circa [a] Ecmundam et Harlemum, cum legumina ipſa ad victum deficerent. Inde diſtributae in hyberna locis idoneis copiae, tum ad recreandas vireis, tum ad occaſionem opperiendam; hyeme plerumque illis regionibus ad obſidiones opportuna, cum aquis, quibus Hollandia abundat, glacie concretis libere ac tuto cum carris et impedimentis ac tormentis inceditur; quod alio tempore niſi per aggeres commode fieri nequit. Juſſi itaque Franc. Valdeſius cum [b] Sanphilippenſi et Sanjacobina legionibus, et II Germanorum ſignis, totidem Belgarum, ac VI Italorum et Hiſpanorum levis armaturae alis, et una Germanorum per [α] Harlemum in provinciam ingredi, [c] Caprali cum legione ſua [β] Ecmondae relicto: diverſa parte Julianus [d] Romerus cum delectis Belgarum et Germanorum ſignis et duabus Ferdinandi Toletani et Conſalvi Bracamontii legionibus per aggeres mari oppoſitos [e] Hagam petiere: quod uterque ſedulo fecit: et Valdeſius quidem inſeſſis aggeribus [f] [γ] Soeterwoudam, Halſerſwoudam, et Sotermeram inſulam, Nordam munitionem, Bleiſvicam, Capellam, Weteringam et alia in ima terrae lingua poſita loca praeſidio firmavit. Romerus vero Haga occupata, et deditione acceptis [g] [δ] Catwico, Valkenburgo, et [ε] Maſelantſluſae munitione per Joannem [h] Contreram cum exigua delectorum manu vi capta ac trucidatis circiter IϽC, qui in ea erant, ruſticis, capto praeterea Philippo [i] Marnixio Santalgondano ſummae exiſtimationis viro et primario Arauſionenſis conſiliario, receptis dein [k] Monaſterio, [l] Graviſſenda, [†] et Bernonis ac Coſſonis arcibus, exeunte Octobri [m] Lugdunum Batavorum, quod proxima hyeme petere duces decreverant, omni ex parte cingit; cum antea IV Non. ejuſdem menſis Rammekenſis arx, poſt Boſſuvianam cladem omni auxiliorum ſpe praeciſa, jamque cuneo acto ſociis ad impetum faciendum ſe comparantibus, a praeſidiariis in Arauſionenſis manus conſignata eſſet; quod magnum momentum ad [ζ] Walacrenſem inſulam in poteſtatem redigendam attulit.

IX. Cum vero multo ante ſiniſtri de Albano rumores, non ſolum in Belgio inter regiis partibus addictos, ſed etiam in Hiſpania ſparſi et ad Philippum perlati eſſent, quaſi harum provinciarum populos inſolitis exactionibus nimia ſeveritate exacerbatos ex deſperatione ad defectionem adegiſſet, idque praeſenſiſſet Albanus, neque ignoraret quanta invidia in aula principis ſui conflagraret, ignominioſae miſſioni praevertendum ratus, rebus adhuc proſperis, ſucceſſorem ſibi dari petierat: et Philippus, qui paci Belgii, in quo Albani nomen inviſum ſciebat, et viri dignitati conſultum cupiebat, petitioni ejus ita annuit, ut valetudini ipſius in dies ob aëris intemperiem illis locis ingraveſcenti hoc datum ab omnibus credi vellet. Itaque in ejus locum miſſus fuerat Joannes Cerda Medinae-coeli dux, homo decore familiae inſignis, ſed quem nulla alia res praeclare geſta commendabat. Is cum ſub id tempus provinciam ingreſſus eſſet, quo omnia ad defectionem ſpectabant, hoc rerum ſtatu publicam adminiſtrationem

VAR. LECT. [α] Marhartemum *D.* f. o. d. [β] Ecmundae *D.* f. [γ] Seterboam, Cerſaum et Sotermeram inſulam, Orcadum munitionem, Blaſvicam, Capellam, Derrigmum *D.* f. o. d. [δ] Caſuico *D.* f. o. d. [ε] Maſendufae *D.* f. o. d. [ζ] Valacremenſem *D.* f.

INTERPR. [a] *Egmond, & Haerlem.* [b] *Tercies de San Philippo y Santiago.* [c] *le baron de Chevreaux.* [d] *Romero.* [e] *la Haye.* [f] *Soeterwoude, Haſſerſwoude, Soetermeer, fort de Noordem, Bleyſwick, la Capelle, Wetering.* [g] *Catwick, Valkenburg, & Maeſlandtſluys.* [h] *de Contreras.* [i] *de Marnix, ſieur de Ste Aldegonde.* [k] *Monaſtir.* [l] *Graveſande.* [m] *Leyde.*

NOT. [†] *Dele* et Bernonis ac Coſſonis arcibus. Hae duae arces nuſquam in illo tractu reperiuntur, et indigenis prorſus ignotae, quia non exiſtunt: ergo delenda iſta duo vocabula. *Put.*

adminiſtrationem capeſſere noluit, affectata modeſtia onere in Albanum ſimul cum invidia rejecto. Nec Albanus, qui aemulum non ſucceſſorem ſibi miſſum indignabatur, invitus fecit, ut imperium retineret: regique poſtea per literas demonſtravit, ſi Belgium ſalvum cuperet, quemvis alium quam Cerdam provinciae praeficeret: nam eo ingenio illum eſſe, qui nec belli res curare poſſet, et in pace rempublicam everteret. Igitur uterque exeunte anno revocatus, et Ludovicus Requeſenes ordinis [a] Sanjacobini princeps, Mediolanenſis principatus praeſes, vir ſumma dignitate, qui bello Granatenſi nuper, et icto inter Philippum pontificem ac Venetos contra Turcos foedere Joannis [b] Auſtrii ſupremi utroque bello imperatoris legatus fuerat, ei ſucceſſor deſignatus eſt; factoque per [c] Allobroges, Sequanos ac Lotharingiam itinere xv Kal. Dec. Bruxellas venit, et exeunte eodem menſe traditos ab Albano exercitus accepit; qui mox ſequenti menſe cum Friderico filio, II cataphractorum et III ſclopetariorum equitum alis in viam ſe dedit, eodemque, quo venerat Requeſenes, itinere in Italiam, et inde Genuae conſcenſis triremibus in Hiſpaniam perrexit, ubi longe diſparem meritis ſuis gratiam in aula invenit. [d] Cerda, ne cum Albano, quicum nunquam convenerat, idem iter faceret, longe compendioſiore via per mare domum ſe recepit.

CIↃIↃLXXIII.
CAROLUS IX.

X. APUD nos rex, poſt tumultum Pariſienſem utcunque per regnum compoſitum, veritus, ne in Germania principes ob id ab eo alienati in Andini fratris regnum Poloniae ambientis coepto feliciter negotio minus ſe aequos praeberent, Gaſparem [e] Schombergium praeſtanti virtute et fide ſibi perſpecta virum eo legat exeunte Februario, ut ſparſos de ſe rumores dilueret, et libellos famoſos ubique diſſeminatos coram refutaret, principeſque ipſos ad antiquam foederationem cum Francogalliae regno colendam hortaretur. Nam ab adverſariis ubique jactabatur, regem cum pontifice et Hiſpanorum rege in Proteſtantium perniciem ſecreta conſilia agitare, ex [f] Caſtellionaei maris praefecti caede et ſecuta mox cardinalis Urſini legatione colore quaeſito; idque Fridericus Baioarus Palatinus ſeptemvir inſito religionis ſuae tuendae ardore facile ſibi perſuaderi paſſus erat, ac vix tandem a Jo. Caſimiro filio, qui rebus noſtris ſummopere favebat, ab ea opinione dimoveri potuit. Ad eum primo miſſus Schombergius, cum ſuſpicionem facti neceſſitate purgaſſet, cardinalem Urſinum a pontifice ad regem miſſum duo ab eo petiiſſe dixit; ut concilium Tridentinum per regnum curaret promulgandum, et in foederis ſacri contra Turcam initi ſocietatem veniret: ad ea autem reſpondiſſe regem; de concilio adſentiri non poſſe, quippe cum id minime neceſſarium ac rebus ſuis ſumme detrimentoſum eſſet, noviſque in regno tumultibus, quos quantum in ipſo erat vitatos cupiebat, cauſam praebiturum: quantum ad foedus contra Turcos ineundum, ſe nulli principum affectu in rem Chriſtianam cedere, ceterum eo ſtatu res ſuas nunc eſſe, ut bellis externis temere ſe implicare non debeat, ſed in eo laborare, ut pacem domi et foris habeat; et vero experientia didiciſſe, amicitiam, quam cum Turcis colat, plus reipublicae Chriſtianae prodeſſe, quam ſi bellum aperte cum iis gerat: cum hoc reſponſo pontificium legatum dimiſſum: de cetero quod Lutetiae actum ſit, non conſilio ſed neceſſitate a fortuna impoſita accidiſſe, ex eo patere, quod poſt ſedatam tempeſtatem nulli Proteſtantium in agro et urbibus injuria facta, nullius conſcientiae vis allata ſit: Andinum regis fratrem ad [g] Rupellam quidem haerere, non tam ut oppidanos bello infeſtet, quam ut eos ad imperata faciendum cogat; hocque demum ab illis petere ſolum, ut eum admittant, ſalva conſcientiarum et ad conciones conveniendi libertate: neque vero cuiquam recto ac minime praeoccupato judicio de re publica ac regis ingenio exiſtimanti,

nedum

INTERPR. [a] *grand commandeur de l'Ordre de Santiago.* [b] *Don Juan d'Auſtriche.* [c] *Savoye, Franche Comté, & Lorraine.* [d] *le duc de Medina Celi.* [e] *de Schomberg.* [f] *l'amiral de Coligny, ſieur de Chaſtillon.* [g] *la Rochelle.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX.

nedum prudentiſſimis Imperii principibus in mentem venire poſſe, regem in Proteſtantium Germaniae caput cum Hiſpanis foedus ſecretum icere decreviſſe; quippe qui ambitioſa eorum conſilia perſpecta habeat, neque per perniciem foederatorum principum ac civitatum ad monarchiam, quam tam diu illi parturiunt, conſtituendam, hoc eſt, ad diriſſimae ſervitutis jugum univerſae reipublicae Chriſtianae imponendum, viam barbaris hominibus munire velit: imo nihil magis in votis habere regem, quam ut exemplo deceſſorum ſuorum arctam cum Imperii principibus amicitiam et conſiliorum conjunctionem habeat; et, ut egregiam ſuam adeo erga illos voluntatem facto ipſo adprobet, eo arctiore cum Angliae regina ſe vinculo obligaſſe, invitata ipſa nuper, ut filiam unicam de ſacro lavacro ſuſciperet, et renovata de Franciſci Alençonii fratris nuptiis jam pridem injecta mentione: neque vero deſperare, quin res ſumme ſibi et univerſae Germaniae expetenda ſelicem ſortiatur exitum; ad idque magnopere optare, ut ipſi principes partes ſuas interponant, atque inprimis Palatinus ſeptemvir, quem gratia plurimum apud Angliae reginam valere ſciat; cupere inſuper, ut electionem [a] Andini fratris commendatione ſua adjuvet, quo ipſe tanto beneficio obſtrictus, et tam potentis ac rebus Germaniae opportuni regni potens, duplici vinculo coeptam cum majoribus ſuis amicitiam colat, et rerum arbitrium, quaſi bilancem, adverſus praeponderantem Hiſpanorum potentiam pro parte ſua teneat ac moderetur. His coram expoſitis Schombergius cum videret Caſimirum non parum commoveri, quo majorem periculi Germaniae libertati impendentis, ſi ſe principes a regis Chriſtianiſſimi amicitia alienarent, viro ſagaci metum injiceret, ſecretum nuper Romae agitatum conſilium, accepta ab eo fide, nt illud non evulgaret, ſumma fiducia communicat. Romae allato, Palatinum, Saxonem et Brandeburgicum ſeptemviros de Caeſare ex ſuae doctrinae addictis principibus creando excluſis Auſtriacis ſerio cogitare, in idque Moguntinum archiepiſcopum ad ſuas partes pertraxiſſe, pontificem ultra modum animo commotum aiebat Schombergius, et Philippici oratoris, ex quo id reſciverat, inſtigatu IX delectis cardinalibus in arcanum ſednctis, quo perniciem ex illa ſeptemvirorum conſpiratione toti Germaniae atque adeo rei Chriſtianae impendentem averteret, ſeptemviros ob ſectariam labem quaſi indignos jure electionis privare, illudque in ſe transferri, decreviſſe; quod haud ita effectu difficile videbatur Auſtriacis Philippi viribus ſubnixis, et ſeptemviris ob recentem caſum Pariſienſem a rege alienatis, ac propterea tanto auxilio deſtitutis. Quod eo a Schombergio dicebatur, ut Proteſtantes principes proprio periculo territi ſe reſpicerent, et mature cnm rege in gratiam redirent, atque in regni Polonici petitione ſi Andinum non adjuvarent, at non ei adeo in Auſtriacorum gratiam adverſarentur. Cum id Caſimiri animum non mediocriter pnpugiſſet, et ille operam ſuam non ſolum apud Fridericum patrem, ſed etiam apud ceteros ſoederatos principes prolixe detuliſſet, Schombergius [b] Francofurtum ad Moenum conceſſit; ibique coeptum interventu Galeacii [c] Fulgoſii a regina miſſi cum [d] Lnd. Naſſovio Arauſionenſis fratris nomine paciſcente negotium perſecutus, his conditionibus cum Naſſovio tranſegit: Si rex Philippo in Belgicarum provinciarum gratiam bellum denunciet, Hollandia et Zelandia jam nunc in poteſtatem regis tradantur, ſalvis juribus, privilegiis, immunitatibus et libera ubique conſcientiarum ac religionis, quam in oppidis et agro colunt, profeſſione. Si armis aperte cum Hiſpano agere noluerit, mutuo datis CCC florenorum CIↃ, quae tunc maxime urgebantur, quaecunque loca a tempore pactorum bello quaeſita fuerint, regi cedant, eaque tradere Arauſionenſis teneatur: ſi nulla loca capi contingat, nihilominus Hollandia et Zelandia legibus ſupra conventis regi cedant, in eamque rem princeps aliquis e Germania fidem obſtringat, Arauſionenſem pactis ſtaturum. Haec ita in arcano cum

Ludovico

INTERPR. [a] *le duc d'Anjou.* [b] *Francfort ſur Mein.* [c] *Fregoſe.* [d] *le comte Ludovic de Naſſau.*

Ludovico Naſſovio conventa. Crebreſcebat interim fama, Maximilianum per Im- CIↃIↃLXXIII.
perium violentas prenſationes facere, et, dum filio regnum Polonicum parat, validam CAROLUS IX.
inter principes obnoxios factionem alere, eo conſilio, ut, ſi Andinus eligeretur, electionem vi aperta diſturbaret, eumque per Germaniam in Polonicum regnum venientem tranſitu prohiberet: in id [1] Auguſtum ſeptemvirum fidem obligaſſe, et decem millia equitum cum ſtipendio in v menſeis pollicitum eſſe, fide viciſſim a Caeſare accepta, ſi filius Erneſtus regno potiretur, fore ut [a] Gedanum aliaſque [b] Boruſſiae civitates ab Imperio avulſas, necnon et Livoniae eam partem, quam Poloni haud ita dudum juris ſui fecerunt, Germanico imperio reſtituat. De ſumptibus et Saxoni cautum, Sileſiae ea parte, quae ſeptemviri ditionem tangit, oppignerata. Id quum primum ex Jo. Sturmio reſcivit Schombergius, per literas Joanni Monlucio Valentiae epiſcopo ſignificat, et inde [c] Caſellas ad Willelmum [d] Heſſum tendit; a quo vix tandem impetravit, ut oratores in Angliam mitteret conciliandis ſereniſſimae reginae cum Alençonio nuptiis, conditione adjecta, ut Palatinus ſeptemvir eodem officio apud eam defungeretur. Cum vero urgeret regis nomine Schombergius, ut ad Poloniae proceres in Andini gratiam ſcriberet, ille ſe excuſavit, et publice eo officio citra offenſionem, non ſolum Caeſaris, cui jam ceteri Germaniae principes ſuam interceſſionem roganti detuliſſent, ſed etiam ſine ipſorum principum injuria defungi ſe non poſſe oſtendit. Ad extremum inſtante Schombergio inventa ratio, qua, ſi non legatione publica, ut alii, at majore operae pretio clam negotium adjuvaret, datis per Vernerum [e] Criſpingum a conſiliis ad Sophiam Sigiſmundi Auguſti nuper defuncti et Annae infantis ſororem Henrici Brunſvici viduam commendatitiis literis. Nam illa impenſe Proteſtantium doctrinae addicta Auſtriacos ſupra modum oderat: et, ſpe de Annae infantis cum Andino nuptiis, non ſolum apud ſororem, ſed etiam apud Poloniae proceres idem in religione ſentienteis commendatio ejus plurimum valitura credebatur. Ipſe Heſſus, qui ſacroſanctam Henrici memoriam in pectore ſervabat, ut vere gratum et generoſum principem decebat, literas prolixae benevolentiae plenas ad reginam dat, et acerrimum alioqui caſus Pariſienſis ſenſum charitati erga ipſum ipſiuſque liberos ac Francogallicum nomen ſe poſthabere teſtatus eſt; quantum in ipſo erat, ne in Belgio res componerentur, omni officio annitens; quod vereretur, ne Philippus ab hac cura vacuus totis viribus in Franciam bello internecino ſciſſam incumberet. De cetero ſummi beneficii loco petebat, ut, ad abolendam motus invidiam, rex Caſtellionaei nuper Lutetiae interfecti liberos bonis reſtitueret, eandemque gratiam uxori ejus viduae a Sabaudiae duce interceſſione ſua impetraret. Verum ab interceſſione quidem ſe regina excuſavit: illud vero de reſtituendis Colinii liberis rex praefracte negavit; ac, legibus cum Colinio actum, judiciumque tam ſolemne revocare ſibi non integrum eſſe, reſpondit. Conſilium dederat regi Schombergius, quo placatiores in Germania Proteſtanteis haberet, praeſertim in regni Polonici petitione, ut foedus cum Imperii principibus ad defenſionem et ſui et Andini fratris, ſi eum in regem eligi contingeret, nomine proponeret. Sed cum Joannes [f] Monlucius oſtenderet, Polonos nihil antiquius habere, quam ut pacem cum vicinis ac praecipue cum Turco colerent, idque ipſe regis nomine religioſe illis ſervaturum Andinum confirmaſſet, negotio coepto minime convenire viſum eſt, ut de foedere amplius ageretur; quippe ex quo neceſſitas aliquando regi Poloniae imponeretur, ſi Turci Germanos armis peterent, ut bellum habere cum Turcis cogeretur, a quo Poloniae proceres maxime omnium abhorrent. Interea Schombergius Caſellis [g] Wolfenbutelum tendit; non tam ut Julium

INTERPR. [a] *Dantzick.* [b] *la Pruſſe.* [c] *Caſſel.* [d] *le Landgrave de Heſſe.* [e] *Criſpingen.* [f] *de Montluc, eveque de Valence.* [g] *Wolfenbutel.*

NOT. [1] Auguſtum Saxonem ſeptemvirum.

CIƆIƆLXXIII. Julium Brunſvicum ducem, quem a noſtris partibus alienum ſciebat, conveniret,
Carolus IX. quam ut eo colore commodius et citra ſuſpicionem cum Sophia vidua de ſecretis Heſſi ad eam mandatis ageret. Itaque ſalutato honorifice Julio, ſtatim ex occaſione Brunſvicam divertit, et cum Henrico [a] Cratone ab ipſa miſſo egit; purgatiſque de Andini adverſus Proteſtanteis infeſto animo ſuſpicionibus ac rumoribus ubique ſparſis, tandem ab ea Heſſi commendatione impetravit, ut prolixe ad amicos in Andini gratiam ſcriberet: quod non parvum momentum electioni dein ſecutae attuliſſe creditur. Non parum et ad eam contulere Franciſci [b] Perſonae eodem tempore a Condaco in Germaniam miſſi ad Jo. [c] Poxium Sechellium, qui cum Monlucio erat, literae; quibus, poſt ſedatum motum, Proteſtanteis ubique per Galliam disjectos a rege et Andino ſumma benignitate et indulgentia habitos adfirmabat: quod Schombergii item ſolertia procuratum eſt, qui Perſonae ex eo negotio ſummam apud regem gratiam conciliavit. Inde [d] Dreſenam pergit ad Auguſtum Saxonem ſeptemvirum, nuper Vienna, quo ad Caeſarem inviſendum raptim profectus fuerat reverſum; quem a rebus noſtris maxime averſum ob motum Pariſienſem reperit, cum illi perſuaderi non poſſet, ex neceſſitate, ſicuti regii jactabant, ad revincendam diriſſimam Caſtellionaei et conſciorum conjurationem, ſed [α] deſtinato ad delendos toto regno Proteſtanteis, captum ab eo tam probroſum conſilium; ſiquidem ſe certo certius ſcire, permiſſu atque adeo juſſu regis a Guiſio caedem patratam, datumque mandatum eodem tempore cunctis provinciarum rectoribus, ut Hugonotos in agro et urbibus repertos ubique ad perniciem perſequerentur: quod a Caeſare et Auſtriacis inductus dicebat, qui, quod factum alioqui gaudebant, in regis Andinique odium retorquebant. Evulgatum ſub id per [e] Vindeliciam ſcriptum, quod e ſodalitio Jeſuitico [f] Monaci ſive Ingolſtadii prodiiſſe putabatur, quo, dum rex ob raram prudentiam et ardens in cauſa religionis ſtudium, quod in caede Proteſtantium nuper manifeſtum fecerat, exquiſitis laudibus commendabatur, ſumma interim invidia apud Proteſtanteis Imperii principes onerabatur, eo conſilio, ut bene procedens electionis negotium alienatis a rege foederatis et amicis diſturbaretur, et, ſi Andinum in regem eligi contingeret, tranſitus ejus per Germaniam impediretur. Quod cum Schombergius artificioſe ab infeſtis Gallico nomini et Germanicae tranquillitati hoſtibus confictum multis rationibus apud Auguſtum probare conaretur, ſuperveniente legato Caeſareo, ex ejus adventu occaſione ſumpta, [g] Lipſiam VI a Dreſena milliaribus divertit, ne comparatione illius minus honorifice a ſeptemviro acceptus videretur. Ab eo tempore per conſiliarios cum Auguſto, dum interim valetudini curandae vacaret, egit; a quo ſi nihil aliud obtinere potuit, ſaltem eum ad conditiones antea cum Caeſare conventas ſegniorem reddidit; de Brandeburgico ſeptemviro minus ſolicitus, quod eum et Auſtriacis addictum, et nihil, quod in gentilium ſuorum Boruſſiae principum incommodum vergeret, acturum ſciebat.

XI. INTEREA apud nos, cum caede Pariſienſi omnino debellatum putaretur, repente bellum ubique recruduit. In Septimania Henricus Momorantius [h] Damvilla provinciae praeſes, qui vix abſentiae fraternae beneficio periculum Lutetiae evaſerat, ut tempori obſecundaret et auctoritatem retineret, [i] Calviſſone et Monpeſato occupatis, [k] Sommeriam ducit, et locum corona cingit III Eid. Feb. cum IV CIƆ peditum, quos per ſuburbia ſemidiruta commode diſtribuit. Oppidum illud a [l] monte, cui ſubjectum eſt, nomen ſortitum aequali intervallo, hoc eſt, tribus leucis a [m] Monpelio et Nemauſo abeſt, et arcem regiam in ſummo habet, vineto vaſto adjuncto. Portis quinque

VAR. LECT. [α] certo conſilio deſtinato ad delendos toto regno Proteſtanteis eum excitatum: ſiquidem ſe certo *D. f.*

INTERPR. [a] *Crato.* [b] *la Perſone.* [c] *de Poix, ſieur de Sechelles.* [d] *Dreſden.* [e] *Baviere.* [f] *Munchen ou Munick, & Ingolſtade.* [g] *Leipſick.* [h] *le mareſchal de Damville, gouverneur du Languedoc.* [i] *Cauviſſon, & Montpezat.* [k] *Sommieres.* [l] Montagne appellée *Meyre.* [m] *Montpellier, & Niſmes.*

quinque intratur; quarum una ad orientem vergit, altera [a] Borgetiana vulgo dicta inter occaſum et ſeptentrionem ſita eſt, tres aliae meridiem ſpectant, et ex iis una pontana a ponte antiqui operis vocata, qui rivo a fonte [b] Vidorlio derivato aliis fontibus ac rivulis aucto oppidi moenia alluenti impoſitus eſt. [c] Gremianus ad angulum turris [d] Caudatae tumulum e terra excitaverat, et alterum ad alteram oppidi turrem, et propugnaculum humile in foſſa feſtinatis operibus interea extruxerat. Sed oppidi poſitu declivi fiebat, ut ex collibus circumpoſitis obſeſſi graviter infeſtarentur, ex uno in alterum, et ex altero deorſum libero proſpectu et ejaculatione: verum ea incommoda defenſorum virtus longo tempore ſuperavit. Cum Gremiano erant [e] Sanclarius, Sanravius, Monpeſatus, quiſque cum ſua familia, et alii ſtrenui ordinum ductores. Poſtridie turris ponti impoſita tormentis pulſata eſt, et ignis portae admotus, ſed nullo profectu, quippe quam obſeſſi pomoerio firmo muniverant. Triduo poſt novam verberationem Damvilla dirigit cum VII machinis, ab ea parte, qua murus inde arci inde vineto connectitur, ut tribus ruinis editis eodem tempore in oppidum, arcem et vinetum vis fieret. Per tres dies continuata pulſatione, turris, quae ruinam defendebat, dejecta eſt: ſed rudera, contra quam rebatur Damvilla, cum in ſe ſubſediſſent, neque in foſſam procidiſſent, eo difficilior acceſſus oppugnantibus redditus eſt. Vi facta, praeſidiarii ſumma ſe virtute defenderunt ex alto pugnantes; et inter eos maxime conſpicui [f] Baratus Nemauſenſis, et Coniacus Monpelienſis, qui graviter ſauciatus fuit: tum mulieres magnis animis tanquam pro ſalute certabant, cratibus, oleis, clavis confixis, circulis ferreis candentibus dejectis ad deturbandos regios. Tandem illi repulſi cum damno, deſideratis ex ſuis [g] Altamencurio, Limanio et Monperuſio ipſo magni nominis inter eos ducibus. Magna pulveris penuria obſeſſi laborabant; quo fiebat, ut parcius nec niſi deſtinatis ictibus ſeloppetos minus juſto oneratos eoque minore laeſorum damno diſploderent, raro machinis uterentur. Eam repulſam ignominioſam ratus Damvilla, quem ab obſidione ſtatim diſceſſurum ſibi Sommerienſes perſuaſerant, animum obfirmat, et VI Non. Martias verberationem inſtaurat inter Borgetianam portam et turrem Caudatam; ubi edita ingens ruina, quae, licet eo, quem dixi, extructo a Gremiano e ceſpitibus tumulo defenderetur, tamen decuſſata tormenti et colubrinae e colle vicino in latus feriente ejaculatione defenſores, quo minus pro ruina conſiſtere poſſent, prohibebantur, et, ſi quidem eodem die vis facta fuiſſet, periclitabantur obſeſſi: ſed re ob adventum XXII Vaſconum ſignorum, quae Henricus [h] Foxius Candala Damvillae ſororius ducebat, in diem ſequentem dilata: interea praeſidiarii tumulis utrinque ad ruinam excitatis et ducta interiore foſſa ſe munierunt; et, cum poſtridie ſub meridiem impetum feciſſent Vaſcones, magna vi et alacritate impetum ſuſtinuerunt, et regios magno cum damno repulerunt. Quod ad injuriam revocans Candala homo praeceps, et ad privatum decus pertinere exiſtimans, ſi ſine aliquo pretio ab oppugnatione diſcedere cogeretur, alia parte ad arcem vim facit, in qua amiſſis CCC e ſuis et ipſe interficitur. Is pridie in privato colloquio vicem ſe publicam dolere Damvillae confirmaverat, qua fieri dicebat, ſumma Gallici nominis infamia, ut Galli, quo impuriſſimorum nebulonum, haec ejus verba notata ſunt, libidini morem gererent, ſe mutua pernicie conficerent. Ea mors magno cum Damvillae dolore, nec minore ſuorum indignatione conjuncta fuit, qui ipſum ob eam belli moram et infelicem ſucceſſum invidioſe carpebant, quaſi tempus ad frangendos regiorum conatus de induſtria inutiliter extraheret. Itaque, licet a Paulini vicecomite, qui [i] Podium Laurentii in agro Lauracenſi tenebat, CXX delecti in oppidum [k] Floro ductore introducti eſſent, Damvilla, qui rumores de ſe ſparſos

INTERPR. [a] *la porte du Bourguet.* [b] *Vidourle.* [c] *de Loques, dit de Grennan.* [d] *tour de Caudas.* [e] *de Senglar, de S. Rovi, & de Montpezat.* [f] *Barat de Niſmes, & Cogniac de Montpellier.* [g] *d'Autremencour, de Limans, & de Monpeiroux.* [h] *de Foix, ſieur de Candale.* [i] *Puy-laurent en Lauraguais.* [k] *le capitaine Flory.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX. non ignoraret, verberationem repetit, ingentique edita ad vinetum ruina, cum tamen turris duplex in angulo vineti vi tormentorum dejecta eodem fortunae beneficio praeter ſpem obſeſſorum difficilem acceſſum irrumpentibus feciſſet, aliquantum retardatus regiorum impetus fuit, interea eluſo per colloquii ſpeciem Damvilla. Cumque ſe rurſus intus pro tempore muniviſſent praeſidiarii, eo rem ad extremum deduxerunt, ut, cum Damvilla magno conſtituram loci expugnationem provideret, aequis conditionibus de deditione cum iis tranſegerit, poſtquam [a] Villanovanus, qui Damvillam concepto contra oppidanos odio ad ultionem accendebat, ex vulnere in obſidione accepto deceſſerat: eae fuerunt, ut milites et oppidani cum armis univerſiſque rebus ſuis incolumes dimitterentur, ſeptem diebus ad receptum et colligendas ſarcinas conceſſis. In eam rem obſides a Damvilla dati ac [b] Nemauſum miſſi: et v Eid. Apr. Gremianus cum ɪↄc ſcloppetariis oppido egreſſus eſt: oppidani Nemauſum et in Cebennas proximas, quo cuique commodum viſum eſt, abierunt. Eo ſucceſſu mutata aliquantum rerum in Septimania facies, cum, quantum odii ex ea obſidione apud regios Damvilla contraxerat, tantum invidiae ex deditione ad Gremianum redundaret, quem ſui, ut Damvillae gratificaretur, nulla neceſſitate compulſum ultro deditionem feciſſe calumniabantur. Ab eo tempore nihil in ea provincia actum; ſatiſque habuit Damvilla militem diuturnis moleſtae ac detrimentoſae obſidionis laboribus fractum per praeſidia diſtribuere: neque tamen Proteſtantes ceſſabant; qui, quanquam amiſſa Sommeria, magnum ſe operae pretium feciſſe putabant, quod regiorum primos impetus ignobilis oppidi obſidione fregiſſent, ac tamdiu remorati eſſent; mox collectis animis [c] Florenſacum et alia circa [d] Narbonem loca occupant; tum Joannem [e] Sancaumontium Sanromanium ex primaria nobilitate virum, qui vix Lutetiae communem aliorum perniciem effugerat, et Genevam ſe contulerat, evocatum, quo majorem auctoritatem rebus ſuis conciliarent, ſummum imperatorem creant; legationem dein ad Fridericum Palatinum ſeptemvirum decernunt, auxilia rebus afflictis petentes: ea defuncti ſunt viri prudentia inter ſuos conſpicui [f] Calverius et Vallius; et Palatinum principem in communi cauſa ultra quam dici poteſt bene animatum facile ad commiſerationem commovent, ac multa de egregia ſua erga ipſos voluntate referunt, de futuris etiam auxiliis ſpe facta: ſed dum diverſis itineribus redeunt, Vallius incolumis ad ſuos pervenit, Calverius a [g] Gordio captus poſtea Damvillae interventu liberatus eſt.

XII. TUNC et [h] Puſinum ſitu munitum caſtellum [i] Rhodano impoſitum et ad belli occaſiones, ut poſtea eventus docuit, valde opportunum a Proteſtantibus interceptum eſt; et [k] Curſolium olim dirutum oppidum ex adverſo [l] Valentiae in Rhodani itidem ripa ſitum ab ipſis muniri coeptum. Aſtu et [m] Villanova in Vivarienſi agro intercepta in Proteſtantium poteſtatem jam ante venerat: eam [n] Logerius, ſicuti ſuperiore libro diximus, regis nomine occupaverat; eaque occupata [o] Baronius [p] Mirabellum ad [q] Pradelam virum nobilem confugerat; unde tanquam ex editiori loco Villanova ſubjecta, illis quotidie ante oculos obverſans, memoriam amiſſae patriae renovabat. Baronius [r] Privati fanum praeſidio tenebat. Pradela a fabro aerario monitus, viam intercipiendae Villanovae iniri poſſe, ſi clathri ferrei, per quos tempore pluvio aqua urbem alluens effluit, refringantur, ſicuti ſuperioribus annis Nemauſi factitatum fuerat, Baronium revocat, et rem non negligendam demonſtrat. Baronius periculum et difficultates veritus eam minime tentandam cenſebat, quod id ſine auxiliis peragi non poſſet: et cum [s] Albenacenſibus neceſſario communicandum erat, quo factum eſt, ut ſecretum ad Logerium emanaverit, qui novo ſupplemento praeſidium continuo auget,

INTERPR. [a] *le ſieur de Villeneufve.* [b] *Niſmes.* [c] *Florenſac.* [d] *Narbonne.* [e] *le ſieur de S. Romain de la maiſon de S. Chaumont.* [f] *Calver, & des Vaux.* [g] *de Simiane de Gordes.* [h] *le Pouſin.* [i] *le Rhone.* [k] *Curſol.* [l] *Valence.* [m] *Villeneufve en Vivarais.* [n] *le ſieur de Logieres.* [o] *le capitaine Baron.* [p] *Mirebel.* [q] *le capitaine la Pradelle.* [r] *S. Privas.* [s] *ceux d'Aubenas.*

auget, et ſuſpectos in oppido in cuſtodiam trudit, tum aſſiduus in excubiis ſolicite agendis complures noctes inſomneis ducit. Tandem ineunte Martio, cum copiae conveniſſent, Baronius quoque Mirabellum a Pradela evocatus venit ſub veſperam; non tamen tanto ſilentio, quin Logerius de ejus adventu certior factus ſit, qui, licet ſaepius deluſus denunciationes illas crebras inaneis larvas eſſe exiſtimaret, tamen praeſenti ſignificatione perculſus mature portas claudi jubet, et noctem eam inſomnis egit, duplicatis ſtationibus ac per moenia et urbis plateas diſpoſitis: tum accendi faces per feneſtras paſſim imperat, ita ut urbs tota colluceret: ipſe cum delectis urbis cuſtodias circumit. Er ſane, ſi ſocii ad horam condictam, ea erat proxima poſt mediam noctem, adfuiſſent, haudquaquam Logerium in tanta vigiliarum frequentia ſefelliſſent. Verum quod alia plerumque conſilia evertit, ducum, alioqui votis concordantium, ſed in modo ac ratione diſſidentium, contentio rem confectam dedit. Nam dum Baronius rem ut difficultatis plenam haud tentandam dicens novas ſubinde moras comminiſcitur, rem in multam noctem per diſceptationes extrahit. Pervicit tandem Pradelae ardens deſiderium et auctoritas, ut res tentaretur. Igitur illi per colliculorum, quibus Villanova circundatur, anfractus ſummo noctis ſilentio incedentes, jam illuceſcente aurora ad foramen cancellis ferreis obſeptum accedunt; quo tempore Logerius eas ſolitas ludificationes credens, cum noctem ſolicitam egiſſet, remiſſa paulum cuſtodiarum diligentia, domum ſomno ſe daturus petit, et milites huc illuc, quaſi nihil periculi amplius ſubeſſet, ad ſomnum capiendum dilabuntur. Tum clathris revulſis delecti ſubeunt, et prima ſtatione ſemiſomni facile obtruncata, per vias diſcurrentes ſubeuntibus ſociis oppidum captum inclamant; portaque effracta omnes irrumpunt, nequicquam ex pomoerio tormentis diſploſis. Ad ſtrepitum egreſſus Logerius ſeminudus, cum nihil ſpei videret, mox ſe domi, quam jam antea muniverat, recipit. Obvii quique trucidantur; et ſacerdotes inprimis, qui eo ſynodi habendae cauſa convenerant, crudeliter mactantur. Praeſidiarii partim ad turrem majori portae oppoſitam, partim ad templum ſe colligunt. Logerius domi vim ſuſtinebat: ſed, triduo cum in oppido pugnatum eſſet, ad extremum a Logerio deditio fit, proditionis falſo a regiis poſtea inſimulato. Inde ad praedam verſo milite nihil fere pretio dignum actum: [a] Gorcaea tantum et Salvaſſo recepta et munita, ita ut e Vivarienſi praefectura ad [b] Nemauſum foederatis iter tutum eſſet.

XIII. IN Velaunis Petrus [c] Caſtronovius Rupibonus dioeceſis illius praefectus, nam tota [d] Occitania, quae hodie vocatur, in XXII dioeceſes diſtribuitur, Proteſtantibus eam regis voluntatem eſſe denunciaverat, ut conventibus abſtinerent: neque tamen [e] fani Viti municipes propterea conciones intermiſerunt, a [f] Bonefidio quodam curione ſuo, qui poſtea Genevam migravit, ea doctrina jampridem imbuti. [g] Vacca ordinum ductor [h] Bellodinaeam arcem bello opportunam cum ſumma ſimulatione uſus occupaſſet et munire coepiſſet, concurſu ruſticorum ad eam recipiendam tintinnabulorum pulſu facto paene interturbatae ſunt operae: ſed ex Vivarienſi dioeceſi advenientibus auxiliis territi ruſtici fugam capeſſunt, quos Vacca inſecutus magnam ſtragem eorum edidit, et inde excurſionibus liberis ſubjectam regionem vaſtavit. Eam arcem poſtea Antonius [i] Turrius Sanvitalis Velaunorum et [k] Bargoeus Vivarienſium praefecti intercipere conati fruſtra fuere. Cum vero [l] Guiardus Anicienſis [m] Hiſpalium e regione Podii ſive Anicii occupaſſet, Sanvitalis eo confeſtim ducit, ubi et graviter vulneratus fuit: ſed centurionis proditione Guiardus mox interfectus, et cum capite occiſi claves arcis ad Sanvitalem allatae ſunt, magno Anicienſium levamento,

INTERPR. [a] *le Gerce, & Salvas.* [b] *Niſmes.* [c] *Chateauneuf, ſieur de Rochebonne, gouverneur & ſeneſchal du Puy en Velay.* [d] *Languedoc.* [e] *S. Voi.* [f] *Bonnefoy.* [g] *le capitaine Vacheresses.* [h] *Beaudiſner.* [i] *la Tour S. Vidal.* [k] *la Barge, gouverneur du Vivarais.* [l] *Guiard, natif du Puy.* [m] *Iſſaly.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX. levamento, quibus hoſtis tam vicinus continuis excurſionibus haud mediocriter incommodabat. [a] Monjoius quoque eodem tempore [b] Gondrinii Valentiae ante decennium interfecti mortis inſimulatus et moleſto ob id carcere diu poſtea vexatus, cum ex Delfinatu in Vivarienſem dioeceſim tranſiiſſet, ut [c] Faiam arcem a [d] Matthia, cui commiſſa fuerat, proditam reciperet, in inſidias praecipitavit, et cum ſuis caeſus, poſtremo fortiter ex equo pugnans interfectus eſt. Secundum haec [e] Sanquintina et Catuelia arces a Sanvitali receptae ſunt. Inde ad [f] Teuſam promota caſtra, ſummiſſis [g] Lugduno copiis; ubi dum colloquuntur oppidani, vis a regiis facta, et locus expugnatus ac crudeliter direptus eſt, etiam exenteratis cadaveribus, quod quidam aureos deglutiiſſe deprehenſus eſſet: patibulo paſſim affixi concionatores tanquam turbarum incentores: captus inibi et [h] Cambonetus Meneſtrolienſis, qui, inſtigante Matthia ſororio ipſius, [i] Montem-falconium Velaunorum municipium ductus, et palo affixus, deſtinatis ſcloppetorum ictibus poſtremo confoſſus eſt. Haud meliorem ſortem experti ſunt [k] Montii caſtri praeſidiarii haud procul a Pauli fano, quod ab [l] Angelo Proteſtantium partibus addicto nuper occupatum fuerat: nam cum ii intercluſo fontium uſu penuria aquae vitam ſalvam pacti deditionem feciſſent, accenſo mutuis injuriis odio, ad unum omnes trucidati ſunt. Ex iis ſex [m] Sanprimo Seguſianorum regulo in praedam ceſſere, quos ille ſecum abductos ac poſtea interfectos in [n] Fani Stephani praecipuo Seguſianorum oppido plauſtro publice traducendos curavit, ut eo facto provinciae Proteſtantibus terrorem incuteret. Quibus exemplis territi fani Viti municipes, cum ſe undique praeſidiis cinctos viderent, lares partim deſerunt, partim religionem quam profitebantur ejurant, et ad majorum ſacra metu redeunt.

XIV. In Delfinatu Ludovicus [o] Podius Monbrunius, qui huc uſque diſſimulata voluntate latuerat, tandem e latebris erupit, [p] Valentia, Montelio Adaemari et Creſto fruſtra tentatis: nam re cognita Gordius provinciae legatus Vivarienſeis copias auxilio a foederatis miſſas in Rhodani tranſitu fudit. Id cum non ſucceſſiſſet, [q] Oripetra, Serra et aliae arces in [r] Dienſi dioeceſi a Proteſtantibus occupantur. Eodem tempore Franciſcus [ſ] Bona Diguierius, Morgius, Campolius in montana regione [t] Muzam capiunt, eamque feſtinatis operibus muniunt, dum Monbrunius cum exigua manu diſcurrens terrorem tota provincia oſtentaret. Nec in [u] Aquitania ceſſabatur; in quam cum exercitu VIII CIↃ peditum et II CIↃ equitum Honoratus [w] Sabaudus Villarius Navarri legatus a rege miſſus venerat. Primum ad [x] Terridam, quae CXX praeſidio tenebatur, impetus factus; quam II admotis tormentis pulſatam tradentibus praeſidiariis numero regiorum territis deditione recepit, [y] Farcio ipſo, qui loco praeerat, ad arcis feneſtras laqueo ſuſpenſo: quo facto Proteſtantes tota trans [z] Garumnam Vaſconia deturbati ſunt. Tranſmiſſo dein fluvio ad [aa] Cauſſadam [bb] Averoni impoſitam promota caſtra, quam [cc] Mota Pujolius vir ſtrenuus cum IↃC ſcloppetariorum praeſidio fortiter admodum defendit, regiis non ſolum defenſorum virtute ſed et hyemis aſperitate repulſis. Obſidione ſoluta Pujolius ab uno ex ſuis per imprudentiam paulo poſt ſcloppeti ictu transverberatus eſt. Inde in Gordonii vicecomitis arces a regiis ſaevitum, qui continuis incurſionibus ac velitationibus agmen poſtremum carpebat. Nec feliciori ſucceſſu Villarius [dd] Verfolium tentavit, unde cum damno pariter repulſus eſt; et quanquam novis ab Andino ſummiſſis duce [ee] Goa copiis ſubnixus, quarum primariam cohortem in Duranii tranſitu Gordonius paulo

INTERPR. [a] *le ſieur de Monjou.* [b] *le ſieur de la Motte Gondrin.* [c] *chateau de Fay.* [d] *le capitaine Matthias.* [e] *chateau de S. Quintin, & de Chateuil.* [f] *Teuſe.* [g] *Lyon.* [h] *Chambonet de Meniſtrol.* [i] *Montfaucon en Velay.* [k] *Monts prés S. Paul.* [l] *l'Ange.* [m] *le baron de S. Priê en Forez.* [n] *S. Eſtienne en Forez.* [o] *Du Puy de Montbrun.* [p] *Valence, Montelimart, & Creſt.* [q] *Orpierre, & Serre.* [r] *de Die.* [ſ] *de Bonne, ſieur de los Diguieres; de Morges, & Champoly.* [t] *la Menſe.* [u] *Guienne.* [w] *de Savoie, marquis de Villars, mareſchal & amiral de France.* [x] *Terride.* [y] *le capitaine Fargues.* [z] *la Garonne.* [aa] *Cauſſade.* [bb] *Averon r.* [cc] *la Mote-pujols.* [dd] *Verfueil.* [ee] *ſieur de Goas.*

paulo ante fuderat, nihil deinceps tentavit, ſtipendii defectum cauſatus; quo fiebat, ut licentioſus miles regi non poſſet, et rapinis paſſim ſine diſcrimine ſaeviens nomen regiorum ruſticae plebi jam arma ubique capienti infeſtum redderet. Quod veritus Villarius, Joanne [a] Nogareto Valeta auctore, qui primas in exercitu tenebat, [b] Montalbanenſeis non vi ſed per literas tentavit, an ad officium redire vellent: ex eorumque conſilio Andinus, cum in obſidione Rupellae eſſet, ſaepius ad conſules urbis et nobilitatem, quae in urbe militabat, literas dederat; quibus eos, gratiae a rege impetrandae ſpe facta, cujus ſe ſponſorem offerebat, ad pacis conſilia hortabatur.

CIↃIↃLXXIII.
CAROLUS IX.

XV. Rebus Proteſtantium ubique vario eventu nutantibus, omnes eorum ſpes in [c] Sancerrae et Rupellae, quae eodem tempore obſidebantur, fortunis [α] vertebantur. Poſt Sancerram colloquio et vi Honorati [d] Fontani et Claudii Racani Buelliorum fratrum fruſtra tentatam, Gulielmus [e] Joanellus urbis praefectus ab oppidanis et inquilinis creatus rem frumentariam negligenter curaverat, ſtolida fiducia fretus, quaſi de quavis re alia potius quam de obſidenda Sancerra regii cogitarent; et in Rupellae obſidione totas regis vireis occupatas dictitans, ſatiſque eſſe, ſi ſibi interim ab aſtu militari et inſidiis caverent: ab eoque perſuaſi plerique ſibi expetitae pacis expectatione quaſi certa blandiebantur: nihil interim commeatus in urbem comportabatur; tantum [f] Laſſaco, Azio, Jaris, Savinio et Sullignio et perpaucis aliis circumpoſitis vicis cibaria in diem parce advehebantur. Coeptae oppidi munitiones pendebant; ſtabant loca obſeſſae urbi damnoſa, quae in tempore dirui oportuit; atque omnia ſecure et oſcitanter agebantur, pervincente Joanelli ſemper auctoritate et pertinacia, qui, quod ab initio urbem non obſeſſum iri affirmaſſet, imprudentiam ſuam ſuperbia et obſtinatione tuebatur. Tandem III Non. Jan. qui in Veneris diem incidebat, regii in conſpectum Sancerrae venere; et Joannis [g] Lucemburgi Briennae comitis ala equitum et altera intra ſcloppeti grandioris jactum conſtitere. Ibi excurſionibus aliquot certatum [h] Floro copiarum militarium ſummo duce, et Petraeo, qui nuper [i] Montibus ex Hannonia redierat, egreſſis. Dein V Eid. totus exercitus apparere coepit, duce Claudio [k] Caſtreo Biturigum praeſide, ac nocte inſequenti ad [l] Saturnini fanum, Fontanaei, Surii in valle, hoſpitium ſibi ſumpſit, magno obſeſſorum errore, qui ea loca non ante demoliti eſſent. Toto triduo omnes copiae convenerunt: erant ad V CIↃ peditum, IↃ equites, et in iis alae Caſtrei, Briennii, Joannis [m] Bloſſeti Torſii, Triſtani Roſtinii, et Carterii Aurelianenſis, hominis, qui alioqui ignobili loco natus pugnacitate ſua inter proceres numerari meruerat: erant et in caſtris XVII ſigna foſſorum: dein advenere VIII ſigna veteranae legionis duce [n] Sarriaco, et alii volones ex vicinis undique locis: mox et advectae ad [o] Theobaldi fanum X murales machinae, et IV colubrinae. Quinto ab adventu die Caſtreus per tympaniſtam oppidanos deditionem facere jubet; qui impudenter a Joanello retentus atque indigne habitus magnas offenſionis cauſas excitavit, ac poſtremo exitium ipſi maturaſſe creditur. Sancerra in Bituricenſi agro ſive Sancerrium caſtrum, ſicuti vocat Sigebertus, quod olim Rogerio epiſcopo [p] Bellovacenſi patrimonii jure competebat, anno Chriſti CIↃ XIII [q] Odoni Campaniae comiti pro comitatu Bellovacenſi compenſationis titulo attributum, jure ſucceſſionis tandem ad illuſtrem Buelliorum familiam pervenit, cum eadem comitatus praerogativa. Oppidum, IↃ a Ligeri ſubjecto paſſibus, monti uberi ſolo et tritici ac vini, quod inter generoſa Galliae vina numeratur, feraci,

praealto

VAR. LECT. [α] vertebantur; de quibus nunc ordine dicemus. *D. f.*

INTERPR. [a] *Nogaret de la Valette.* [b] *ceux de Montauban.* [c] *Sancerre, & la Rochelle.* [d] *les ſieurs de Fontaines & de Racan de la maiſon de Bueil.* [e] *le Bailli Joaneau gouverneur.* [f] *Laſſay, Azy, Jars, Savigny, & Sulligny.* [g] *de Luxembourg comte de Brienne.* [h] *les capitaines la Fleur & la Pierre.* [i] *Mons en Hainaut.* [k] *de la Chaſtre, gouverneur de Berry.* [l] *S. Satur, Fontenay, & Sury en Vaux.* [m] *de Bloſſet, ſieur de Torſy, Triſtan de Roſtaing, & Cartier d'Orleans.* [n] *regiment de Sarriu.* [o] *S. Thibaut.* [p] *de Beauvais.* [q] *Eudes II comte de Blois & de Chartres, de qui ſont deſcendus les comtes de Champagne.*

praealto et omni ex parte arduo inſidet; poſitu ideo firmiſſimum, ovali forma ac paene rotunda; ſed infirmo a munitionibus exterioribus muro, qui VIII aut ad ſummum IX turribus, etiam comprehenſis iis, quae portas urbis tegunt, diſtinguitur: ambitu II CIƆ IƆ paſſuum ſpatium complectitur: IV portis, [a] Caeſariana, [b] Vetere, Andreana et Anſerina, intratur: pars, quae magis declivis et acceſſu facilis [c] Africo obverſa, [d] Avaricum Biturigum provinciae metropolim ſpectat; in ſummo arcem habet Caeſareae et Anſerinae portae interjectam, cui alterum montis jugum de nomine [e] Ulmi lupini dictum ad meridiem oppoſitum imminet. Regii prope ab eo oppido, ut ex eo in arcem tanquam inferiorem deſpectus ſit, ad [f] Fontanaeum caſtellum exſtruunt, et vallo, foſſa ac cratibus per [g] foſſores muniunt, et in eo machinas deponunt; alterum in [h] Ardilleriis in campo [i] S. Lazari vulgo dicto aedificant, et foſſa pariter vallant. Inde in campum S. Lazari X tormenta, in montem Ulmi lupini VI ſumma operarum vi praeter omnium expectationem deducunt; ac demum XI Kal. Mart. murum a vetere porta ad Andreanam quatere incipiunt, continuata totum quatriduum verberatione et diſploſis ter mille quingentis ictibus, exiguo tamen obſeſſorum damno; quippe tantum XXV ex iis deſiderati ſunt. E diverſo obſeſſi animis ad ſuſtinendam obſidionem obfirmati, diſtributis inter duces regionibus, ſuperiora turris Caeſareae diruunt, ne ruina ipſis incommodaret, infirma arcis loca muniunt, et foſſam intra ducunt. Interea vallum a Caſtreo ad foſſam uſque oppidi productum, et foſſa perforata, ſtratoque ponte ligneo, et cratibus hinc inde diſpoſitis, ut tectus miles per eum ad pedem uſque muri ſubire poſſet, cum in eo eſſent, ut murum ſuffoderent, oppidani eruptione facta ducibus [k] Martinato et Pillario pontem diruunt et VIII Eid. Mart. incendunt, alterumque poſtridie valentiorem, noctu ſtratum, quanquam aegre, poſtremo ferreis hamis diſſiparunt, et igne injecto conſumpſerunt: tum alteram foſſam intra veterem portam circumducunt. Crebris eruptionibus qui utrinque capiebantur, diligenter de ſtatu ſuorum interrogabantur. Plures etiam utrinque transfugiebant, qui ſponte alteri alteros de conſiliis hoſtium edocebant. Cum igitur cuniculos agi certo didiciſſent obſeſſi, intus ſeptem puteos fodiunt, ut cuniculorum conatus irritos redderent. Ducta dein turſus interior foſſa ex [l] Petraei conſilio e regione portae veteris, obſtructis domuum oſtiis et feneſtris ac perforatis lateribus, ut ſcloppetarii tecti inde ejaculari poſſent. Continuatae pulſationis fragore per convalleis et vicinas ſilvas reſonante attoniti cervi quidam per media caſtra perruperunt, et in foſſam uſque penetrarunt; quorum ſtrepitu conclamatum utrinque ad arma, pari ab utraque parte trepidatione. Unus ex iis ſcloppeto interfectus et in urbem ductus eſt: de altero acriter utrinque ac diu certatum fuit, ac penes regios non citra ſanguinem praeda tandem remanſit. XIV Kal. Apr. totis viribus oppugnatio tentata, eo ordine: Sarriacus cum veteranis cohortibus ad ruinam juxta portam Anſerinam tendebat, quem Caſtreus cum ſua equitum, qui in pedes deſcenderant, ala ſuſtinebat; ii in murum evaſerunt ſtatuto in ſummo a [m] Roſſio ſigno, quod poſtremo poſt acerrimum certamen pulſis ſuis ſalvum retulit: ad eandem ruinam Henricus [n] Guſſerius Bonnivetus cum delecta nobilitate et Carterio vim fecit, quos IƆ delecti ſequebantur, qui tamen in ima foſſa remanſerunt; dum interim nuſquam intermiſſa verberatione defenſores pro ruina ſtantes infeſtabantur: ſed tandem et ipſi ruina paene in foſſa obruti inde faceſſere magno obſeſſorum levamento coacti ſunt. VI ſigna Vaſconum veteranorum ad portam [o] veterem et ad munitionem Baudinam dictam impetum fecerunt; quos Carolus [p] Grangius Montinius Briennii comitis

INTERPR. [a] *la porte Feubard,* vulgo *la porte de Ceſar.* [b] *porte Viel, la porte S. André, & porte Orſon.* [c] *tournée au Midy.* [d] *Bourges.* [e] *l'Orme au Loup.* [f] *village de Fontenay.* [g] *pionniers.* [h] *lieu, dit les ardilliers.* [i] *Champ S. Ladre.* [k] *les capitaines Martinat & Pillard.* [l] *le capitaine la Pierre.* [m] *le capitaine Ros.* [n] *de Gouffier de Bonnivet.* [o] *ravelin de Porte Viel, & la platteforme de Baudin.* [p] *de la Grange, ſieur de Montigny.*

comitis legatus ſuſtinebat. Novae cohortes ad majorem ruinam tendebant, cum quibus [a] Texerius ſcalis admotis ad Caeſaream portam vim fecit. Ubique ſumma virtute obſeſſorum repulſi ſunt regii, [b] Floro, Challovio, Montalbano, Paquelone, Reginalderio, Pillario, Martigone, Martinato juniore, Orivallio, qui inquilinos et volones ducebat, [c] Alegrio centurione, Buiſſone et Martinato egregiam operam navantibus; quos non mediocriter adjuvabant ruſtici fundis rem gerentes, quas ſcloppetos Sancerrenſes proinde vulgo vocabant. Sed praecipua vis foeminarum fuit; quae provolvendis ſaxis, oleo fundendo, artificioſis ignibus ac circulis candentibus rotandis ſumma animi praeſentia ſpretis periculis aſſiduae inſerviebant, et in medio diſcrimine verſabantur: quaedam etiam ſupra quam ſexus fert viriliter tractare arma conſpectae. Regiorum in eo conflictu LX amplius deſiderati; CC circiter ſauciati, qui poſtea ex vulneribus perierunt; CC praeterea vulnerati ac mutilati. Ex obſeſſis XXVII interfecti ſunt. Re bene geſta gratiae Deo publice in urbe actae. Caſtreus obſeſſorum animos miratus confeſtim conſilium mutat, et, cum de oppido vi expugnando deſperaret, de arcta obſidione, qua obſeſſos annonae penuria ad deditionem compelleret, cogitare coepit. Itaque motis loco tormentis et cratibus, fruſtra tentato ſed levi certamine oppido, novam munitionem in [d] Sanlazariano campo exſtruit, CXX pedes in fronte porrectam, et tribus prominentibus propugnaculis diſtinctam; aliam in [e] Ardilleriis forma crucis Hieroſolymitanae; et menſe Aprili tertiam in loco, cui [f] Montis veteris ſaxo nomen, cordis formam praeferentem; alias item V minores, quas continua foſſa conjunxit, deductis tormentis et [g] Theobaldi fanum amandatis: remiſſis item veteranis copiis, et novis in obſidione retentis, cum duabus colubrinis, urbem undique cinxit, ita ut nulla parte ad eam acceſſus eſſet. Tranſlata ſenſim viminea dolia aut incenſa, et relicto priore vallo intra novas munitiones milites retracti ſunt; turre lignea curuli rotis impoſita, ex qua bellatores tecti in ruinam pervadere poterant, hoſtium arbitrio relicta, qui eam eruptione facta incenderunt. Quare obſeſſi jam de conſilio Caſtrei certiores, ante omnia in [h] Septimaniam [i] Crucium mittunt ad ejuſdem confeſſionis ſocios, et auxilia in communi cauſa petunt, datis ad eos Non. Maii literis: nam Joannes [k] Mercaderius aliquot ante diebus miſſus [l] Nerondae captus ad Caſtreum adductus fuerat. Proximum fuit, ut annonae curam haberent: itaque perveſtigatae ſingulorum aedes, et deſcriptio facta; dein et placuit, ut frumentum omne in granaria publica comportaretur, et per diribitores pro neceſſitate diſtribueretur; vino etiam pretium dictum. Jam enim penuria magna rerum invaluerat, et carnibus deficientibus Martio menſe elapſo primum aſini ad eſum caeſi fuerant; poſtea muli, equi, feles, mures, talpae, ac poſtremo canes, ac leporarii praecipue, quod pane fere alantur, in macello ex concilii auctoritate propalam venditi. Tum volentibus urbe excedere facultas data; iis, qui remanſerunt, primum ſelibra panis, poſt octiduum quadrans librae tantum in ſingulos dies viritim attributus. Ita Maius et Junius exacti. Reverſo ex Septimania Crucio, et auxiliorum ſpem ſed non ante VI ſeptimanas faciente, rurſus ipſe, [m] Florus, Minaeus et Petraeus ad ſolicitanda auxilia miſſi: de quorum diſceſſu cum per exploratores transfugas et captivos cognitum eſſet, a [n] Carterio eos inſequente Florus et Crucius ab hoſpitibus proditi poſtremo capti ſunt: Minaeus et Petraeus per [o] Heduos amiſſis [p] Noclae equis incognito habitu ad Helvetios receptum habuerunt. Id per Crucium ut obſeſſi reſcirent, ſedulo curavit Caſtreus, quo depoſita omni auxiliorum ſpe maturius de deditione cogitarent.

Itaque

CIƆIƆLXXIII.

CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *le capitaine Teſſier.* [b] *les capitaines la Fleur, Chaillou, Montauban, Paquelon, la Renaudiere, Pillard, Martignon, le jeune Martinat, & d'Orival.* [c] *le ſergent d'Alegre, les capitaines Buiſſon, & Martinat l'aiſné.* [d] *Champ S. Ladre.* [e] *aux Ardilliers.* [f] *le Chaillou de Mont viel.* [g] *porte S. Thibaut.* [h] *Languedoc.* [i] *la Croix ſoldat.* [k] *Mercadier.* [l] *Nerondes.* [m] *les capitaines la Fleur, la Minée, & la Pierre.* [n] *Cartier.* [o] *Bourgogne.* [p] *la Nocle.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX. Itaque [a] Crucius binas ad uxorem et ad [b] Montalbanum contubernalem dat literas, quibus de ſuo ac Flori caſu eos certiores faciebat; hoc praeter veritatem, ſed cogente Caſtreo, addito, Petraeum et Minaeum in ſuo conſpectu interfectos. Eo nuncio conſternati mirum in modum Sancerrenſes, cum tamen jam ulterius proceſſiſſent, quam ut ad poenitentiam, ſicuti ipſis videbatur, tutus receptus eſſet, hortantibus eos aſſiduis concionibus ad patientiam paſtoribus, animos obfirmant, et [*] IV Eid. Quintil. in concilio decernitur, in obſidione ſuſtinenda perſeverandum; qui in conſtantia non durarent, urbe excederent; qui contra facere aut concilii decretum impugnare auderent, per moenia ejecti praecipitarentur. Tum inſtaurata ad portam veterem munitio: ſed major a fame quam ab hoſte metus. Ineunte Quintili ad inſolentiores cibos ventum eſt: nam coriis bubulis, pellibus agninis, equinis, caninis, aliiſque conſimilibus victitari coeptum; quae, abraſo pilo, et flamma vel candente ferro purgatae, et diem unum aut alterum aqua maceratae ac ſubactae, elixabantur, [1] terebantur, frigebantur; etiam eae, quae calce, alumine, aliiſque acrimoniae et gravioris odoris condituris prius fuerant ſubactae. In pretio ante alias erant pelles vitulinae, quarum pedalis quadra XII, ut cum minimum, fere ſemper XV ſolidis venum ibat: totae autem aut ſingillatim ac particulatim venditae XXX libras Francicas venditori conficiebant, hoc eſt, ſupra aureos coronatos XI, ut tunc aurei aeſtimabantur. His ſucceſſerunt membranae et [c] chartae pragmaticae, quantumvis putri ſitu obſitae: et in uſum hunc depromptae tympanorum ac cribrorum pelles. Non publicis, non privatis familiarum inſtrumentis ac documentis, quorum jacturam alio tempore tanti aeſtimaſſent, in tali anguſtia parcitum. Dein [d] paludamenta e bubulo corio confecta, capiſtra, antilenae et poſtilenae cum equorum ephippiis, zonae coriaceae, [e] ventralia, anſae flabellorum, amenta clitellarum lagenarumque e nervis bubulis; quibus acceſſerunt equorum et boum ungulae, cervorum caprearumque et aprorum pedes olim foribus affixi. Exeſa et oſſa fimetis effoſſa; et laternarum cornua ad victum, non jam magiſtratus auctoritate, ſed ut cuique omnium inventorum magiſtra neceſſitas ſuggerebat, adhibebantur. Hortorum inter haec magna utilitas aliquanto tempore fuit; quorum qui copiam non habebant, egentiores, herbas ignotas ac plerumque noxias legebant, ut vitae conſulerent plerumque vitae diſcrimen adeuntes. Cicutam ſiquidem quamvis moniti non aſpernabantur, donec corpora ſenſim ex ejus eſu intumeſcere ſenſerunt, ſemen lini, [f] buceratis, et ſimilia. Palea ipſa minutatim conciſa cum acere, juglandium putamina, coerulei lapidis, quem vulgo ardoſiam vocant, tegulares laminae commolitae et tuſae, uſum panis praebebant; ex incerniculo ſebum, axungia utcunque vetus et rancida, in deliciis erat. Ad has anguſtias pretii caritas acceſſit. Nam poſtquam equi generoſi ad uſum belli ſepoſiti cibo eſſe coeperunt, libra equinae XX ac XXII ſolidorum, caput VII et VIII librarum Francicarum, lingua III et ſemis, pedes quatuor ſex librarum erant; hepar in partes ſectum XIV libris veniit: nam ex eo admiſtis herbis botelli confecti. Oletum quoque per vicos diligenter et certatim collectum; fimus item equorum, omneſque e fimeto ſordes ac veteramina, quorum alioqui odore ſolo nemo non laederetur, in alimoniam ſubducta: et, ne quid ad extremae neceſſitatis exemplum deeſſet, puella triennis ex fame mortua et jam elata, de conſilio vetulae refoſſa, ipſis parentibus cibo fuit, qui tamen re comperta magiſtratus ſententia ad ignem damnati ſunt; ut haec obſidio Samaritanae famis in ſacris libris memoratae, Hieroſolymitanae a Flavio Joſepho deſcriptae, et Numantinae hiſtoriis Romanis celebratae, quae vix a multis creditur, fidem aſtruat. In hac triſti-

VAR. LECT. [*] III Eid. *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *la Croix.* [b] *le capitaine Montauban.* [c] *vieux parchemins.* [d] *harnois de cuir de boeuf, licols, poitrails, & croupieres.* [e] *vieux devantiers de peaux.* V. Lery, p. 139, 140. [f] *de Sainfoin, ou Sené foin.*

NOT. [1] *Forſan* torrebantur.

triſti rerum facie quotidie videre erat alios per vicos exſpirare, alios efferri, alios funus proſequi, et praeeuntibus cadaveribus invidere; patres vero, cum filios efferrent, ſuperſtitibus eandem ſortem cum lachrimis brevi denunciare. ita in dies ad xxx fere fame perimebantur. Extra oppidum ſe proripientes ab hoſtibus repulſi ac vulnerati ſpreta vulnerum cura in foſſa claviculis vitium, limacibus, herbis ſilveſtribus aegre vitam tolerabant, et languentes inter ejulatus ac lamenta emoriebantur, mora quam morte ipſa magis cruciati. In hac obſidione ex inedia toto XL dierum ſpatio amplius IↃ periere, CC tabidi inventi ſunt: nam reliqua obſidione omnino XXCIV ab hoſte interciderunt. Inter haec paſtores, quorum maxime res agebatur, minime officio deeſſe, cunctos ad patientiam hortari, et ſuum periculum univerſorum facere, inſtitutiſque quotidianis ſub veſperam precibus, quae ad Joannis habebantur, nutanteis confirmare. Tum, quod triſti ac funeſto per vicos emorientium egenorum ſpectaculo multi permoverentur, proviſum, ut, quibus nihil amplius ſupereſſet, iis juſculum certo modo ex herbis, coriis ac pellibus cum menſura vini erógaretur. Et cum nulla amplius in ſeipſis ſpes, nullum praeſidium eſſet, ad extrema confugere, auxilia brevi affutura dicere, in Rupellanis, de quorum ſecundis ſucceſſibus proſpera quotidie afferebantur, et plerumque a paſtoribus ad libidinem confiсta memorabantur, inanem fiduciam ponere; quos cum rege tranſigenteis non ſibi tantum, ſed ſociis atque adeo Sancerrenſibus in communi cauſa conſulturos aiebant.

XVI. RUPELLAE obſidionem ſuperiore anno a Birono inchoatam, quando nullis pactis conveniri poterat, toto animo rex ac regina agitabant, de ceteris ſecuri, quod ea urbe in poteſtatem redacta debellatum omnino exiſtimarent. Ea in [a] Alnetenſi pago, qui ad [b] Santones pertinet, ad oceanum patenti planitie ſita eſt, quae paulatim tamen; ut vix ſentiatur, ad eam partem, quae orientem et ſeptentrionem ſpectat, aſſurgit. Mare, quod urbem alluit, alveo facto CIↃ paſſuum latitudine porrigitur, et dimidium in longitudinem patens portum efficit, tutiſſima ad naveis tam longas quam onerarias capiendas ſtatione; in cujus faucibus binae turres ingentes erectae ſunt, lateritio ſolidiori opere ſtructae et feneſtratae in mare proſpicientes, tormentis in latera directis firmatae, quae vel minimas ſcaphas ſubeunteis portu ſummovere poſſunt; atque is locus, quod catena utrinque ducta ingreſſum a mari prohibeat, [c] Catena vulgo appellatur. Praeterea a Rupella duobus millliaribus [d] Boſium promontorium vulgo dictum aſſurgit, quod ſinu vaſto, ſed a ventis et omni tempeſtate tuto, cujuſmodi ſinus toto eo tractu Baias vocant, imminet, cujuſvis claſſis magnae capax; turribus iis, quae portum claudunt, murus mira craſſitudine jungitur, rectoque ductu novo et in orbem exſtructo mediocris magnitudinis propugnaculo occurrit [e] Garrotio communiter dicto, quod totius alvei imperium obtinere videtur, et pro armamentario urbi eſt. Inde murus trans portus alveum, qui heic vado tranſiri poteſt, ad portam S. Nicolai producitur, quae altiſſima foſſa et compluribus propugnaculis ac lateribus munita ingenti mole exſurgit. Murus deinde paulum oblique propugnaculo [f] Dominarum ita dicto, quod ſuperioribus bellis matronae nobiles terrae in illud comportandae operam navaverant, conjungitur; et ibi angulo facto introrſum curvatus, rurſum cubiti ſpecie longo ductu porrigitur, ſubjectaſque ab ea parte ſalinas habet; dein ad alteram portam, quae a Mariae delubro praeter turrim omnino diruto et nova munitione occupato [g] Cunea vocatur, paulatim aſcendendo extenditur. Hujuſcemodi muri poſitus, quod crebris ſinibus ſeſe invicem ſpectantibus diſtinctus, forcipis ſpeciem referat, vulgari architectorum noſtrorum conſuetudine de forcipis nomine appellatur. Foſſa toto eo tractu profunda et aeſtu maris per ſalinas vicinas reſtagnantis

INTERPR. [a] *Pays d'Aunis.* [b] *Saintonge.* [c] *tour de la Chaine.* [d] *chef de Bois* al. *chef de Baye.* [e] *tour du Garrot.* [f] *boulevart des Dames.* [g] *porte de Coignes.*

teſtagnantis impletur, dein paulatim aqua deſtituitur; ſcalpellis in ea parte, quae ſeptentrionem ſpectat, foſſa excavata. Cunea autem porta hac arte munita eſt, ut terreo eoque acuto propugnaculo contineatur, quam novae ex lapide quadrato munitiones excipientes ad pomoerium introrſus continuato muro ductae tegunt, induſtria Scipionis [a] Vergani Forojulienſis, qui Condaeo tunc operam et Colinio navabat, et poſtea ad regias partes tranſivit. Delubri turris ſtudioſe ab oppidanis dejecto faſtigio murus extat; ex eaque tanquam oppidi ſpecula in ſubjectos campos diſpoſitis campeſtribus tormentis libera ejaculatio eſt. Huic murus aggere introrſus adjecto et extrorſum profunda foſſa ad terreum munimentum, cui [b] [1] Veteri fortunae nomen, oblique paulum jungitur, unde in campos proſpectus eſt. Inde ad inſigne [c] Evangelii propugnaculum declivi paulum poſitu deſcenditur, ubi aqua foſſam complere incipit, a Vido [d] Dallonio Ludae comite provinciae praeſide olim exſtructum. Eam molem frequentibus turribus interſtructis murus excipit, qui angulo facto oblique ſenſim introrſus ad arcem [e] Veterem extenditur, et inde ad portam novam pertinet, quae duplici foſſa, eaque aqua aeſtuario regurgitante plena, magno inſuper adjecto a Scipione propugnaculo praemunitur. Inde murus rurſus cubito facto ad [f] Molinaceam portam ac poſtremo fauces portus ducit. Ea porta ſi ulla alia munitiſſima eſt, duplici foſſa totidemque propugnaculis vallata; quorum alterum altero continetur, non orbiculari ſed triquetra forma; eaque amplitudine ſingula exſtructa ſunt, ut duarum cohortium praeſidium facile capiant: in his feneſtrae, quibus globi emittuntur, ſibi invicem reſpondent; mediocri magnitudine fabricatae, ut in hoſteis quoquo verſus libera ſit ejaculatio. Oppidi totius ambitus III CIↃ paſſuum amplectitur, quadrangulari fere forma. Muro magna ex parte rupes pro fundamento eſt, ejuſque ac foſſae pleriſque locis altitudo ſcalas non admittit. Cuniculi ne agantur, aeſtuaria prohibent, uno tantum loco excepto, qui a [g] Cunea porta ad Evangelii propugnaculum porrigitur. Contra tormentorum ictus interioribus tam veteribus quam novis exſtructis munitionibus defenditur; moenia foſſae labrum exterius altitudine ſuperat, ita ut ab eo contegi videantur. Aeſtuario bis quotidie foſſae alluuntur, quo recedente, aqua ad non exiguam altitudinem clauſtris retinetur, per urbem ad molas farinarias et ſordeis purgandas eadem arte multis locis derivata. In urbe erant CIↃ CCC delecti milites, cives bis mille egregie armis inſtructi, nec belli rudes: his plures fortiſſimi tribuni ac centuriones praeerant; in iis [h] Rupenardus Eſſartius homo pugnax, et [i] Challovius e Pictonica nobilitate, [k] Normanus Rotomago urbe impiger ordinum ductor, [l] Silvagius, Muſſa, Rupellani cives, [m] Sala, Vadornius, Canopetus, Campanius, alii. Tormenta praeterea aenea muralia numero XV, campeſtria LX, minota C, eoque plura ferrea; pulveris tormentarii pondo ad CLX CIↃ; novum etiam quotidie conficiebant. Vini et omnisgeneris commeatus nauticique buccellati magna erat apud eos copia, frumenti perexigua. Oppidani, agreſte olim hominum genus mercaturae ac rei nauticae deditum, quaeſtus avidum ac natura ſuperbum, poſtea cultu et uſu paulum mitigatum, ſuperioribus tamen bellis et hoc ultimo ſuarum virium facto periculo audacius redditum, priſtinos animos retinuere: tunc vero Pariſienſi tumultu efferati metu atque indignatione admiſtis nihil non ſuſtinere parati erant, potius quam ſe eorum, quos ob amicorum et eandem cauſam foventium effuſum nuper immaniter cruorem deteſtabantur, arbitrio committerent. His et animos multa alia faciebant; firmitudo urbis, quae tunc ea forma, qualem eam deſcripſimus, erat, (nam nunc

INTERPR. [a] *Vergano de Conean de Frieul.* [b] *Vieille-fontaine.* [c] *boulevart de l'Evangile.* [d] *de Daillon comte du Lude.* [e] *Vieux Chaſteau.* [f] *porte des Moulins.* [g] *porte de Coignes.* [h] *Roche Enard des Eſſarts.* [i] *Chaillou.* [k] *le capitaine Normand de Rouen.* [l] *Sauvage, & la Muſſe, Rochellois.* [m] *la Salle, Vadorgne, Canopet, & Champagny.*

NOT. [1] *Lege* veteris fontis nomen. Perſonne ne parle de la Vieille Fortune, mais il y avoit un baſtion nommé Vieille-Fontaine. *Pus.*

nunc longe ampliores munitiones ſunt, amplificata cum novis munitionibus urbe ;) CIϽIϽLXXIII.
ſpes claſſis Britannicae, quae ſi in Santonicum litus deſcendiſſet, ſic exiſtimabant ac CAROLUS IX.
pro certo affirmabant, fore ut CIϽ amplius e Pictonica et Santonica nobilitate, qui ſe domi continebant, occaſionem opperientes huic ſe conjungerent ; [a] Blavia item in aeſtuario [b] Garumnae oppidum ad belli rationem maxime opportunum eorum ſigna mox ſequeretur. Ad haec incommodorum regis rationem inibant, et eorum enumeratione ſibi blandiebantur ; cum grandi aere alieno ſuperioribus bellis contracto oneratum, aerario parere et damnoſum bellum gerere ſimul non poſſe ; tum crebras inter aulae regiae proceres contentiones, ſimultates et aemulationes eſſe, dum alter alterius gloriae et commodis invidet, primaſque obtinere ſtudet. Multa item accidere poſſe, ut res humanae variis ac multiplicibus caſibus obnoxiae ſunt, quorum unius interventu fiat, ut expeditio tanto ardore ſuſcepta intermittatur : inter quae numerabant reginae mortem, quam huic bello accendendo Italicis artibus facem praetuliſſe ſibi perſuadebant : morbos denique et rerum in longa obſidione penuriam et alias peſteis in medium adducebant ; quibus fore dicebant, ut duces, laboribus fracto milite et jam in ſtationibus obeundis ſegni, ut ſunt mobilia et morae impatientia Gallorum ingenia, ab obſidione diſcederent. Haec vulgo non ſolum in circulis, ſed etiam ex ambone a paſtoribus jactabantur, qui amplius L in eam urbem, cum ubique toto regno exagitarentur et maxime omnium peterentur, confluxerant, et terroribus variis plebis animos paſſim concionibus ſuis implebant. Rempublicam tunc gerebat Jacobus [c] Henricius mercator, ſuperioribus temporibus Colinii praefecti maris diſciplina imbutus, homo non ita ſolerti ingenio, ſed ad extrema conſilia obfirmato, duris moribus, et nobilitati ad omnem favoris aulici auram, uti aiebat mobili, valde infeſtus. Is Salverti civis Rupellani conſiliis praecipue regebatur, qui, quod rempublicam ſuperioribus bellis ſumma cum prudentia adminiſtraſſet, magna in auctoritate apud ſuos erat ; ejuſque interventu, ſubortis inter nobilitatem et oppidanos de imperio contentionibus, cum res prope ad internecinam perniciem ſpectaret, animi ſaepius reconciliati ſunt, imperio penes praetorem urbanum, quem vulgo [d] Majorem vocant, ſemper remanente. Initio anni terreſtri ſimul et maritima obſidione urbs urgebatur, duobus caſtellis a noſtris exſtructis, quae ad mare poſita alvei portum ſubeuntis fauces utrinque muniebant, et naveis ingreſſu ac receſſu prohibebant : alterum a loco [e] Corellium dictum ſervabat Ludovicus [f] Berengarius Gaſtius peditum tribunus ; alterum, cui Novo nomen, [g] Coſſenius Aquitanus cum cohortibus praetoriis defendendum ſuſceperat. Inter utrumque oneraria navis ingens Veneta ſuperiori bello a Joanne [h] Sora rei maritimae tunc legato intercepta et a regiis deinceps recepta in medio alveo collocata fuit : prora ad moenia oppoſita, quae ſaburra multa completa, ut firmior fundo haereret, tormentis ac valido praeſidio firmata adventanteis quotidie duce eodem Sora naveis arceret : ex ea deſtinato ictu pilae continuo in oppidum emittebantur, majore oppidanorum metu, quam incommodo ; quippe quarum interdum ictibus foeminae rei domeſticae aut viri negotiis privatis intenti inopinato carperentur : quod incommodum ut a ſe removerent praeſidiarii, ſecunda vigilia ad maritimam munitionem vado illius loci humili accedunt, et igneis artificioſos, quorum illi peritiſſimi ſunt, in eam conjecerunt ; ſed, iis mox regiorum diligentia reſtinctis, ſpe exciderunt, amiſſiſque circiter XV e ſuis in oppidum propere re infecta redeunt. Ita praeparatis utrinque ad defenſionem et oppugnationem rebus, tamen omnia in adventum Henrici Andium ducis ſuſpenſa ſunt ; et, ne nihil interim ageretur, remiſſo a rege cum mandatis Jo. Baptiſta [i] Vadagnio abbate tentatum

INTERPR. [a] *Blaye.* [b] *la Garonne.* [c] *Henry.* [d] *Maire.* [e] *de Courcilles.* [f] *Berenger, ſieur du Gaſt.* [g] *de Coſſeins.* [h] *le capitaine Sore.* [i] *Gadaigne.*

CIƆIƆLXXIII. CAROLUS IX.

tentatum rurſus de pace colloquium. Bironus VI Eid. Jan. ad obſeſſos ſcribit; et eorum literas ad regem perſerti curaſſe ſe dicit per Vadagnium, qui nuper ex aula redierit, et regis ad ipſos mandara habeat; petitque, ut ad ea exponenda in urbem introducatur: proinde datis obſidibus Vadagnii ſecuritati caveant. Ad haec illi, obſides non poſſe multas ob cauſas ſe mittere, reſpondent; petere igitur, ut literae ad eos cum [a] regiis mandatis mittantur; quibus, implorata divina ope, quod e re videbitur, protinus ſint reſponſuri. Biduo poſt Bironus, eo reſponſo irritarus, ad eos et ad [a] Lanovium dat literas; et mirari ſe dicit, quod inter principes aequo jure agenteis ſemper licuerit, neque unquam recuſatum fuerit, ut legati utrinque miſſi admittantur, id regi cum Rupellanis juris non eſſe, et delegatos ſuos non admitti: cauſas vero, quae obtendantur, ſe non percipere ex eorum literis, multo minus divinare poſſe. Addebat in literis ad Lanovium, vereri ſe, ne in hoc negotio, quod ſere in aliis accidat, ut, qui ad concordiam alios hortantur, id infirmitaris ſuae conſcieutia facere adverſariis videantur: ſic enim fieri, ut ſana conſilia tanquam non a bona mente profecta ſpernantur: at enim, cum undique totis regni viribus, quae in dies adveniant, prementur, tunc demum ſeram inemendabilis culpae poenitenriam fore. His literis acceptis, nihilominus oppidani in ſententia perſtant, et longe diverſam ſuam cum rege ac ceterorum inter ſe principum conditionem eſſe demonſtrant, a quorum cauſa proditionis ſuſpicio abeſt, eoque libere colloquia et legatorum itationes inrer eos permittuntur; proinde ut ſcripto agatur petunt, ad evitandas calumnias et pericula, quae hoc tempore ex hujuſmodi colloquiis evenire poſſunt: nam eo res deveniſſe caſu Pariſienſi, ut ſibi, ſi ſapiant, etiam tuta omnia metuenda ſint. Ne in praeſentiarum ulterius urgeretur colloquium, multa, quae inciderunt, impedimento fuere. Nam triduo poſt inopinata eruptione certatum eſt, temeritate duorum Eſſartianae cohortis militum, qui, quod eruptiones decreto ducum prohibitae eſſent, injuſſu eorum ſeala ſe in foſſam demiſerunt, et pari imprudentia in hoſtem viciniorem ac paratiorem, quam rebantur, praecipitavere; quos alii atque alii ſubinde ſecuti ſunt; eaque res ad juſtum certamen venerat, cum Lanovius ſuorum periculum minime negligendum ratus, et ad famam pertinere exiſtimans, ne primis congreſſibus vinci viderentur, ipſe egreſſus eſt cum delectis equitibus, et quinque horarum ſpatio cum regiis dimicans inſidiarum variis locis ab ipſis diſpoſitarum impetum perfregit, ac paucis tandem amiſſis, et majore multo a regiis damno accepto, in urbem rediit. Bironus multorum ſtipendiorum dux, non alias ſecundum [b] Jaſenolium certamen acriori pugna tumultuaria certatum meminiſſe ſe, multoties poſtea affirmavit. Capti [c] Sala et Folius; et alius [d] Pigallario proxima cognatione conjunctus, qui, cum ſugam pararet, an ex odio in Jo. Leomontium Pigallarium a Rupellanis concepto, incertum, extra urbem interfectus eſt. Deinde ex [e] Tibalderii ex Santonica nobilitate viri militaris et olim Proteſtantium doctrinam amplexi in urbem adventu, quod is transfugiendi ſpecie [f] Angullarium et ceteros nobileis ad defectionem ſolicitaſſet, et re infecta in caſtra regia rediiſſet, injecta non mediocris oppidanis ſuſpicio, quaſi minime ſincera fide cum ipſis ageretur; quae poſtremo mirum in modum aucta eſt, detectis praetori urbano occultis urbis intercipiendae conſiliis, per quendam nobilem, qui conjurationi nomen dederat. Jam enim multi milites egregie armati quaſi transfugae e caſtris in urbem venerant, ex Pigallarii et [g] Sammartini Lutherani vulgo dicti copiis, et ſub [h] Normano merebant. Cum numerus in dies creſceret, veritus praetor urbanus, ne, ſi diutius expectaret, conjuratio tantas vireis ſumeret, ut, quod aſtu moliebatur, vi aperta efficere poſſet, ex quorundam et Salverti imprimis ſententia ſummo ſilentio diſpoſitis

VAR. LECT. [a] regis *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de la Noüe.* [b] *Jaſeneuil.* [c] *la Sale, & le Fouillon.* [d] *de Puygaillard.* [e] *la Tibaudiere.* [f] *l'Anguillier.* [g] *de S. Martin,* dit *le Lutherien,* [h] *le capitaine Normand.*

diſpoſitis ſtationibus quoſdam ex ſuſpectis captos et mox a furente plebe mactatos ex moenibus in foſſam praecipitat juxta portam novam, ut a regiis conſpicerentur: ceteri in carcerem conjecti ſunt; tres quaeſtioni ſubjecti, Jacobus[a] Salicetus Inſula Jordanius, Joannes[b] Nantalius et Petrus Guillocho, qui torti et ſingillatim interrogati a magiſtratu, a Pigallario, non ignaro Birono, ſe miſſos, confeſſi ſunt, ea fiducia, ut ſigno dato multi in urbe ſe illis adjungerent: nam ſibi confirmatum a Pigallario, eſſe in urbe hominem, cujus nomen ignorent, qui claveis ſuppoſititias penes ſe habeat, cujus ope recluſa primaria urbis porta ſocii admitti debebant. De iis ſumpto ſupplicio et exacerbatis propterea plebis animis, nihil colloquio agi potuit. Miſſae tantum ad Rupellanos a Birono per Vadagnium fiduciariae regis literae XIII Kal. Jan. Lutetia datae. Mox et de adventu Andini, regis Navarrae, Condaei et aliorum procerum, qui per diſpoſitos equos jam[c] Caeſarodunum Turonum uſque proceſſerant, allatum eſt. Qua re cognita praeſidiarii urbe exeunt, [d] Neſtracumque profecti et in e pabulatores invecti citra certamen, tantum lixis ac caculis inibi repertis, commeatum in urbem important, et vicum incendunt. Viciſſim incenſae a regiis molatrinae [e]Cuneae portae proximae, excepta[f] Branda vulgo dicta, quam Normanus oppidanorum beneficio acceperat; veritusque, ne et illa eandem cum ceteris ſortem experiretur, piſtrinario, qui eam interdiu exercebat, ſub veſperam ſe in urbem recipiente, militem noctu immittebat, qui ſtrepitu ingenti facto, et voces complurium imitatus, ſtationariis regiis ſuſpicionem fecerat, quaſi locus a valido praeſidio teneretur. Quam opinionem adjuvabat Normanus a pomoerio alta voce ex compacto defenſores loci, ut bono animo eſſent, adhortans; nam brevi affore ſuppetias: ita ut noſtri, qui noctu convenerant, poſt diſploſos aliquot colubrinae ictus vix tandem militem ad colloquium data fide elicuerint; qui, ut mendacio ridiculo fidem aſtrueret, vitam ſibi et ſuis pactus locum dedidit. Noſtri vero molatrinam ingreſſi, cum neminem intus reperiſſent, ſibi contra belli leges procaci aſtu illuſum indignati hominem furcae initio addicunt: ſed, gratia ei a Birono vitae facta, tantum remo mancipatus eſt, unde poſtea aufugit. [α] Ad [g] Ronſellum dein pridie Kal. Febr. eruptione a Rupellanis facta acriter pugnatum, et poſt triduum majore vi ad [h] Corelliam Lanovio duce, biremibus etiam e portu egreſſis, pugnaque ad noctem uſque extracta. Cum jam de Andini adventu minime dubitaretur, et omnia ad feriam obſidionem pararentur, oppidani tertio in Angliam ad maturanda auxilia mittunt; et, quo legationi majorem dignitatem conciliarent, [i] Anguillarium ei praeficiunt, cui Vincentium [k] Merellum Rupellanum adjungunt: ſed nec ea legatio magnum pondus habuit, praeoccupato reginae Anglorum per legatos regios ingenio.

XVII. Superiore anno VI Kal. Nov. nata erat filia regi; unde occaſione ſumpta Albertus [l] Gondius Radeſiarum comes, qui arcanorum conſiliorum particeps tunc maxime in gratia florebat, ad Eliſabetham regis nomine miſſus fuerat. Rex ſiquidem reginaque, cum providerent, ſi res ad arma devenirent, parata fore ab Anglis ad reliquias Proteſtantium ſublevandas auxilia, praevertendum rati, eo Radeſianum legaverant, ut foedus nuper cum Eliſabetha ictum confirmaret, rogaretque reginam, ut pro filia regi nuper nata in luſtrali lavacro fidejubere vellet; mutuamque pecuniam tanquam ab amiciſſima principe peteret. Is magna pompa eo profectus [β] [m] Cantuariae Eliſabetham offendit. Matthaeus [n] Parkerus archiepiſcopus regni primarius conſiliarius

CIↃIↃLXXIII.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [α] Interea ad Rupellam pridie Kal. Febr. acriter pugnatum eſt, eruptione a praeſidiariis ad Ronſellum uſque facta: et poſt triduum majore vi ad Corelliam certatum Lanovio duce, biremibus etiam e portu egreſſis, pugnaque ad noctem uſque extracta *deſunt hic loci in D. f. o. d. in his tamen Codd. ad finem hujus libri ponuntur.*

[β] *Quae ſequuntur de Parkeri convivio uſque ad* compoſita oratione *deſunt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *de Saulx de l'Iſle Jourdain.* [b] *Nantel, & Pierre Guillochon.* [c] *Tours.* [d] *Neſtré.* [e] *porte de Coignes.* [f] *Moulin à vent de la Brande.* [g] *Ronſay.* [h] *Courcilles.* [i] *l'Anguillier.* [k] *Mereau.* [l] *de Gondy, comte de Retz.* [m] *Cantorbery.* [n] *Parker.*

CIƆIƆLXXIII. Carolus IX. conſiliarius in ampliſſima aula a ſe inſtaurata diem natalem reginae, ſeptimum ſcilicet Septembris, celebraturus, ipſam reginam, Radeſianum, [a] Motaſenelonium et omnem Gallicanam nobilitatem invitavit. Tanta frequentia res peracta, quantum poſt annum CIƆIƆXIX, quo Carolus V et Henricus VIII in eadem aula, excipiente eos Gul. [b] Warhamo archiepiſcopo, convivati ſunt, non meminerant homines. Inter conviviorum lautitias Radeſianus compoſita oratione et exquiſito verborum artificio tantum apud Anglam potuit, ut illa ſincera fide ſecum agi crederet, hominiſque in aula gratioſi dictis ac promiſſis fidem haberet. Ille Pariſienſem motum non religionis odio, ſed ad diſſipandam a Colinio et conſciis initam conjurationem, excitatum multis verbis demonſtrabat: regem edicta a ſe in Proteſtantium gratiam facta religioſe ſervare velle; et eo ſtatu nunc res illorum eſſe, ut in tanta rerum infirmitate motum amice potius componi, quam belli aleam tentari, ipſorum ſecuritatis interſit: proinde rogare regem, ne ſpreta nuper icti foederis religione homines querulos et vano metu perculſos auxiliis juvet, nec a ſuis juvari patiatur, ſed eos ad concordiam et obſequium hortetur: plus enim illis in benignitate regia, quam in armis, praeſidii fore. Illa vero, ſive quod ita rem habere a Radeſiano perſuaſa crederet, ſive quod deploratis, ut rebatur, Proteſtantium in Gallia rebus, ſumptibus ut inanibus parcendum duceret, ita ſibi perſuaſum credi volebat. Igitur, cum ſe de pecunia mutuo danda excuſaſſet, in ceteris ſe foederis memorem fore oſtendit, neque commiſſuram, ut rex ac regina fidem ſuam ac benevolentiam alia in re merito deſiderare poſſent. Quod de pecunia mutua mandatis Radeſiani additum erat, non eo conſilio factum fuerat, quod in rei obtinendae ſpem rex ac regina veniſſent, ſed ut Anglae animum periclitarentur, et ei excuſationem apud Proteſtanteis importunis querelis eandem gratiam ab ipſa efflagitanteis pararent. Tandem Radeſianus, poſtquam honorifice ab Eliſabetha exceptus eſt, cum multa benevolentiae ſignificatione dimittitur; pervicitque legatione ſua, ut Angli in auxiliis mittendis tardi, et in pecunia commodanda admodum parci fuerint, nullumque aut perexiguum commodum ad Gallorum Proteſtantium res inde redierit. Paulo poſt Gulielmus [c] Somerſetus [α] Wigorniae comes, primarius Angliae regulus, et, ſicuti Proteſtantes tunc Anglae infeſti jactabant, pontificiis partibus addictus, in aulam [ε] cum baptiſterio ex ſolido auro venit, et Eliſabethae nomine cum Mariae Auguſtae aviae et Emmanuelis Philiberti Sabaudiae ducis procuratoribus religioſo officio defunctus eſt IV Non. Febr. virginique a matrinis Mariae-Eliſabethae nomen inditum. In itinere Wigornienſis a praedonibus ſeu Gallis ſeu Belgis paene interceptus, etiam periculum vitae adiit: qua re ultra modum irritata Angla [γ] per Gul. [d] Holſtockum regiae claſſis curatorem omneis Gallicas et Belgicas naveis per portus ſuos capi juſſit; ex eoque tantundem remorae auxiliis et [e] Mongomerii comitis profectioni injectum eſt, donec, ea placata et diſſimulante, Mongomerius cum exigua claſſe nec ſatis inſtructa ſe ſero in viam dedit. [δ] Ab eo tempore Eliſabetha de nuptiis ſerio cogitare coepit, duplici metu ex orbitate injecto, domeſtici ſcilicet contemptus, et ſubinde novarum ab externis principibus molitionum: contra quae maritum et liberos firmiſſima eſſe munimenta ſibi perſuaſerat. Contra aulici rebus ſuis ſtudentes diſputabant, religionem et juſtitiam vincula eſſe imperii contra omnia validiſſima; nec eſſe cur illa ſalvis his contemptum a ſuis timeat, quorum res, ſpes, vota in una ipſius ſalute defiguntur, animi longa avorum ſerie ipſi obſtricti quaſi inextricabili catena tenentur, oculi denique virtutum ſplendore magis in dies magiſque exhilarantur, et id genus alia aſſentatoribus familiaria. Cum autem illa ſaepius uſurparet,

VAR. LECT. [α] Worceſtriae *D.* f. o. d. *deſunt* *D.* f. o. d.
[ε] cum baptiſterio ex ſolido auro *deſunt* *D.* f. o. d. [δ] *Sequentia ad hujus libri uſque finem deſunt*
[γ] per Gul. Holſtockum regiae claſſis curatorem *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *de Salignac, ſieur de la Mothe-Fenelon.* [b] *Warham.* [c] *Somerſet, comte de Worceſter.* [d] *Holſtock.* [e] *le comte de Montgomery.*

uſurparet, plures ſolem occidentem negligere, illi contra inculcabant, neminem tam CIƆIƆLXXIII. fatue ſtolidum eſſe, qui ſalutareis ſolis clare ſplendentis radios negligat, ut funeſtum CAROLUS IX. ac confuſum minimarum ſtellarum ſimul exorientium ac occidentium lumen aſpiciat. His accedebat novus a Puritanis, de quibus jam dixi, metus; qui, facta inter Proteſtanteis ipſos ſciſſura, novas quotidie turbas excitabant, ſparſis etiam famoſis in [a] Cecilium, Baconum ac praecipuos Eliſabethae conſiliarios libellis, quibus eos tanquam patriae proditores inſimulabant; et quanquam illos et voce et ſcriptis Joannes [b] Whitgiftus, qui poſtea archiepiſcopus Cantuarienſis fuit, plene confutaſſet, invaleſcebat in dies malum, ut adverſus turbulentam adeo factionem novis edictis admodum ſeveris opus fuerit. His de cauſis in nuptias cum incenderetur regina, non ceſſabat Catharina, novas ſubinde faces concepto jam incendio ſubjiciens, aſſiduis apud Anglam pro [c] Alençonio legationibus, qui et ſuos peculiares regis permiſſu emiſſarios in illa aula habebat. Exortis tamen apud nos turbis, cum inſtaret, ut ſibi cum bona reginae venia in Angliam deſcendere liceret, illa impetum ejus cohibuit, ſubmonuitque intempeſtivum fore ejus adventum, recenti adhuc tumultus Pariſienſis ſenſu, et ſuſpicione ex eo Proteſtantibus injecta, quaſi a cruentis nuptiis veniens funeſtas in Anglia nuptias celebraturus veniret.

XVIII. NEC res interim in Scotia quietae erant, ubi poſt Jo. [d] Areſkini Marriae comitis mortem Jac. [e] Duglaſſius Mortonius, favorem ei apud proceres conciliante Eliſabetha, creatus prorex ſeveras admodum ad conſtituendam rempublicam leges initio magiſtratus condidit. Educatio regis ante omnia Alexandro Areſkino commiſſa, cum Marriae comes, ad quem peculiari jure pertinebat, aetatis defectu ab hoc munere excluderetur. Additum, ut nullus pontificius aut factioſus ad puerum regem admitteretur; nec comes niſi cum duobus famulis, baro niſi cum uno, ceteri ſoli et inermes. Fruſtra a noſtris Mortonio oppoſiti [f] Atholius, Huntilaeus et Argathelius; quos auctoritate ſua Eliſabetha diſturbavit, et per Henricum [g] Killegraecum oratorem ſuum ad has conditiones tandem adegit, Ut religio recepta in Scotia ſanciretur; Mortonii regimini omnes ſe ſummitterent; qui contra religionem, regem, proregem aliquid moliretur, perduellis ſenatus auctoritate judicaretur; viciſſim ſententiae omnes contra Hamiltonios et Gordonios latae reſigerentur; oblivio praeteritorum ab anno LXVII ſanciretur; exceptae ab ea [h] Moravii et Levinii proregum caedes, quae Eliſabethae arbitrio relinquebantur. Ad majorem poſtea ſecuritatem placuit, ne aut prorex ad caedem exponeretur, aut rex puer ab adverſae partis proceribus ſaluti ſuae deſperantibus in Galliam exportaretur, ut Eliſabetha fidem publico inſtrumento interponeret, caedem proregum [i] Hamiltonio aut [k] Gordonio fraudi minime futuram, nec, niſi ipſius conſenſu, de ea quaeſtionem habitum iri. Quod in Ordinum conventu ſancitum cum cuncti fere proceres probare viderentur, [l] Kirkadius, qui Edimburgenſi arci ante biennium a Moravio impoſitus fuerat, [m] Humius, Lidingtonius, epiſcopus [n] Dunkeldenſis, alii e nobilitate, qui in ea erant, conditiones admittere noluerunt; ſpretaque Mortonii auctoritate, arcem ſe reginae nomine tenere declararunt, loco firmo confiſi et promiſſis ex Gallia auxiliis lactati; Strozzius quippe cum claſſe in dies expectabatur. Fruſtra precibus et opimis conditionibus oblatis invitati ad pacem a prorege et Killegraeco praeſidiarii, cum omnes concordiae rationes rejicerent. Tandem acto cum Anglis primum foedere, Gul. [o] Drurio, qui [p] Berwici erat, imperatum, ut cum CIƆIƆ delectis et machinis bellicis arcem obſideret. Quinque moles ad eam erectae;

INTERPR. [a] *Cecil baron de Burghley, & le chevalier Nicolas Bacon garde des ſceaux.* [b] *Whitgift.* [c] *le duc d'Alençon.* [d] *Erskine comte de Marr.* [e] *Douglaſs comte de Morton.* [f] *les comtes d'Athol, Huntley, & Argyle.* [g] *Killegrew.* [h] *les comtes de Murray & de Lenox.* [i] *le duc de Châtelleraut.* [k] *le comte de Huntley.* [l] *Kirkaldy de Grange.* [m] *le lord Hume, & Maitland de Lidington.* [n] *de Dunkeld.* [o] *Drury.* [p] *Berwick.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX.

erectae; e quibus verberatione continuata Davidis turris primum concidit, dein impreſſione facta propugnaculum Spurrum dictum ab Anglis captum, rejectis interim cum damno qui ab altera parte vim faciebant. Tandem praeſidiariis caede, vulneribus, morbis ac vigiliis admodum imminutis aut debilitatis, ad colloquium deventum, acceptis intra arcem obſidibus Hentico [a] Leaco et Flecco Scoto. Kirkadius ipſe et Robertus [b] Melvinus ſuniculo demiſſi, incolumitate ſibi ac ſuis petita, arcem ſe tradere pararos oſtendunt: cum nullae conditiones admitterentur, in arcem temiſſi novum ad ſuperiora incommodum teperiunt adjectum, ruina maceriae altero jugis aquae fonte oppleto, et altero ad tormentorum ictus expoſito, ut ex eo aqua hauriri non poſſet. Itaque tandem Eliſabethae arbitrio fit deditio XXXIII, a quo arx coeperat obſideri, die. Cum dedititiis ſevere actum: Kirkadio, quod Moravii, a quo impoſitus fuerar, caedi participaſſe crederetur, et Jacobo fratri, gula laqueo fracta; nec non [c] Moſmano et Cokio aurificibus, qui pecuniam in gratiam perduellium adulteraſſe arguebantur: Humio et ceteris mandatu reginae parcitum: Lidingtonius [d] Letham ſub cuſtodia miſſus paulo poſt vi morbi non ſine veneni ſuſpicione deceſſit; vir uſu rerum et ingenio ſplendidiſſimus, ſed verſipelli, ut chamaeleontis nomine ob id a Georgio Buchanano ſit proſcriptus. Hoc caſu alterius partis, quae reginae cauſam propugnabat, omnino profligata factio.

XIX. JOANNES [e] Leſlius epiſcopus Roſſenſis, qui ſumma fide et conſtantia, nec citra vitae periculum, herae ſuae operam navaverat, Anglia exire juſſus in Galliam ſe recepit, a [f] Southamptonio, quem indicio ſuo in vitae periculum vocaverat, et Henrico Howardo [g] Norfolcii fratre ſibi metuens; qui poſtea nullum apud Caeſarem, pontificem et principes Germaniae majorum religioni addictos et praecipue apud nos pro Maria officium intermiſit: ceteri huc illuc diſſipati. Nec multo poſt Gul. Howardus [h] Effinghamius, Thomae Howardi bellicoſi illius Norfolcii ducis ex altera uxore filius, [i] Caleti olim dein et maris praefectus ac privati ſigilli cuſtos, vir fidei ſpectatae et animi invicti, fatis conceſſit: quem mox ſecutus eſt Reginaldus [k] Greius Cantii comes ante annum a regina creatus, cum titulus ille a morte Richardi Greii, qui patrimonium omne abligurierat, per L amplius annos jacuiſſet.

XX. HIBERNIA et varios motus hoc anno habuit. [l] O-Conori et O-Mori familiae in inſula praepotentes contracta praedonum manu [m] Athlonum ad [n] Sineum fluvium diripiunt et incendunt: Jamque ulterius pergentibus, ut ſe tumultuantibus in Momonia conjungerent, obviam factus Joannes [o] Perottus Momoniae praeſes eos repreſſit, Jacobo [p] Fitz-Moriſio et Fitz-Edmundo Imokelliae praefecto profligatis, pluribuſque caeſis, et [q] Maino caſtro, quod Gallorum praeſidio tenebatur, expugnato: poſtremo in templum ad [r] Kilmalocum ſive S. Malachiae cellam compulſos ad veniam ſuppliciter a regina petendam adegit. Quo tempore [ſ] Deſmoniae comes cum Joanne fratre, qui rebellionis illius auctores, in inſulam ab Edvardo Fittono ex Anglia reducti in carcerem Dublinii conjiciuntur. Tunc et in [t] Ultonia [u] Brianus Mac-Phelimus, qui majorem [w] Clandeboiae partem occupaverat, [x] Knocfergum oppidum incendit, circumpoſita late regione ad ſeditionem excitata. Contra eos Walterus [y] Ebroicus, nuper Eſſexiae comes creatus, quod a [z] Burcheriis Eſſexiae comitibus genus duceret, cum exercitu miſſus, occulto aulicorum aſtu, qui juvenem in reginae gratia jam tum florentem procul domo abeſſe malebant. Nec fefellit Walterum fraudulentum aemulorum conſilium, qui, militari ardore fervens, illecebris aulae valedicere

INTERPR. [a] *Leigh, & Fleck.* [b] *Melvin.* [c] *Moſman, & Coky.* [d] *Leith.* [e] *Laſly evêque de Roſs.* [f] *le comte de Southampton.* [g] *Howard duc de Norfolk.* [h] *le baron d'Effingham.* [i] *Calais.* [k] *Grey comte de Kent.* [l] *les maiſons d'O-Connor & O-More.* [m] *Athlone.* [n] *le Shannon.* [o] *Perrot, preſident de Munſter.* [p] *Fitz-Morris, & Fitz-Edmonds ſeneſchal d'Imokelly.* [q] *Château de Mayn.* [r] *Kilmalock.* [ſ] *Deſmond.* [t] *Ulſter.* [u] *Brian Mac-Phelim.* [w] *Clandeboy.* [x] *Knockfergus,* Ware dit *Carrickfergus.* [y] *D'Evereux, comte d'Eſſex.* [z] *Bourchier.*

valedicere potius duxit, quam tam praeclaram virtutis oſtendendae occaſionem praetermitteret. His legibus ſuſcepta ab eo expeditio, ut pars altera Clandeboiae, ſummotis rebellibus, ſibi ac ſuis commilitonibus cederet; ad quam tuendam equites cc pedites cccc alere teneretur. In belli apparatum x CIↃ librarum monetae Anglicae ex praediis reginae in Eſſexia oppigneratis mutuo ſumpta. Nec minor [a] Fitz-Williami proregis livor quam aulicorum fuit, qui de Ultoniae rebellione, ſi Walterus in provinciam veniret, ſuſpicione injecta, reginam ab eo conſilio dehortabatur. Igitur inventa ratio, qua proregi ſuum jus ac dignitas ſervaretur, nec expeditio decreta omitteretur; juſſuſque Walterus ab eo [1] gubernatoris diploma accipere. Praecipiti Auguſto, poſtquam ad Knoc-fergum periculoſa tempeſtate conflictatus fuit, Walterus in inſulam appulit, cum [b] Darcio et Richo e primaria nobilitate, Henrico [c] Knollio et quatuor ejus fratribus, Michaele et Joanne [d] Cariis, Henrico, Gulielmo et Joanne [e] Norriſiis. Brianus Mac-Phelimus, cui omnes opes in re pecuaria, armentis et gregibus abactis, amico in ſpeciem vultu ad eum venit, et omnia ſua, gratulatus adventum, prolixe detulit: idem fecere [f] Mac-Gileſpicus et Mac-Guilius et Hugo [g] Dunganoni regulus aliique ex eodem ordine: ſed mox Mac-Phelimus defecit, et ſe ad [h] Turloghum Leinighum cum ſuis contulit: inde crebrae inter eos velitationes. Verum dum pecunia minime repraeſentatur, annona ſerius advehitur, plerumque corrupta, miles morbis conflictatur, diploma promiſſum prorex mittere detrectat, annus inutiliter exactus. Walterus interea impenſis impar quiritari, ſe ab aemulis proditum, et non ſolum ſuo ſed Anglicae rei detrimento ad perniciem expoſitum: proinde obſecrare reginam, ut militi ſtipendium numerari imperaret, ſibi autem [i] Maiam peninſulam largiretur. Tandem miſerta ei regina cum e provincia revocare ſtatuiſſet, aemuli ad aureis ejus excubantes et ambitionem ejus maligne exagitantes pervicerunt, ne revocaretur. Itaque, ne nihil ageret, in Momoniam profectus, nam, ne in Ultoniam jam iret, a prorege prohibitus fuerat, [k] Cono O-Donello Turloghi genero [l] Liſſerum caſtrum abſtulit, et Hugoni O-Donello conceſſit. Poſtea ad reginam ſcripſit, monuitque, ſi expenſis regiis tria oppida in Ultonia muniantur, et locis a ſe deſignatis praeſidia diſponantur, fore ut ſupra VII librarum CIↃ quotannis ad reginam redeant, nec ad alendum militem poſt biennium regia pecunia ſit opus. His curis conflictante Waltero, Brianus Mac-Phelimus, qui [m] Morum militum ductorem nuper ex inſidiis peremerat, cum Turlogho et Hebridianis Scotis inopinato ſupervenit; quos ille ultro adoritur et poſt acre certamen ad cc cecidit, et Brianum et [n] Rorium Ogeum Briani fratrem uterinum nec non et Briani uxorem cepit. Ad [o] Rupellae obſidionem redeo.

INTERPR. [a] *Fitz-Williams.* [b] *le lord Darcie, & le lord Rich.* [c] *Knolles.* [d] *Cary.* [e] *Norris.* [f] *Mac-Gileſpic, & Mac-Guillie.* [g] *le baron de Dungannon.* [h] *Turlogh Leinigh.* [i] *Mayo.* [k] *Con O-Donnel.* [l] *Liſfer.* [m] *Moore, capitaine Anglois.* [n] *Rory Oge.* [o] *la Rochelle.*

NOT. [1] Ultoniae gubernatoris. *Camd.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

RUPELLAE continuata obſidio. II. *Andinus in caſtra venit.* III. *Irritum cum obſeſſis colloquium. Rupellani ſe purgant, et diffidentiae cauſas proponunt.* IV. *Colloquium redintegratur nullo exitu. Aumalius ictu colubrinae diſcerpitur.* V. *Lanovius anxius, qui permiſſu regis ad urbem venerat, Andini juſſu obſeſſos deſerit. Paſtorum in urbe intemperies, inter quos diſputatum an captis regiis parcendum eſſet. Anton. Claromontius Talarius fortiter pugnans lethali vulnere ſauciatur. Draco volans in aere conſpectus. Coſſenii et Vergani occubitus.* VI. *Auxiliaris Mongomerii ex Anglia claſſis haud magno profectu.* VII. *Diffidentibus in caſtris regiis principum et procerum animis, Alençonius cum Navarro, Condaeo, Henrico Turrio Turenae vicecomite, et ipſo Lanovio, juvenilis temeritatis conſilium ineunt; a quo ut foedo et periculoſo eos dehortatur Lanovius.* VIII. *Roianum in Garumnae aeſtuario interim a Campeto occupatur. Per Oartiſium tentatum colloquium.* IX. *Ingens oppugnatio, in qua quinquies repetito certamine toties regii cum damno repulſi ſunt.* X. *Tandem, nuncio de Andino in regem Poloniae electo in aulam allato, Villaregius a rege in caſtra mittitur, et pacificatio cum Rupellanis maturatur, qua Nemauſenſes et Montalbanenſes comprehenſi, Sancerranis ab ea excluſis. Variae clades in ea obſidione a regiis acceptae.* XI. *Poloniae regni deſcriptio, lingua, civitates, provinciae.* XII. *Regum poteſtas legum fraenò temperata. Senatores ac palatini. Regum ſucceſſiones et electiones. Ob religionem motus.* XIII. *Monlucii in electione procuranda contentiones, diligentia, ſolertia ad diſturbandas competitorum factiones.* XIV. *Tandem Andinus Kal. Maii hoc anno rex eligitur.* XV. *Legati ad electum regem miſſi in Galliam veniunt, et Lutetiae magna pompa excipiuntur.* XVI. *Cum Sancerranis a Cl. Caſtreo tranſigitur. Joannes Lerius incolumis ab eo ſervatus.* XVII. *Gulielmi Pratenſis Vitelliani caſus, qui paulo poſt Anton. Alegrium Milialdum ob privatam ultionem occidit.* XVIII. *Joan. Gulielmi Saxonis mors. Michaelis Hoſpitalii jam quinquennium ab aula remoti, Andreae Maſii et Caroli Langii, Franciſci Fabritii Macrodurani, Joachimi Curaei Sileſii, Jo. Baptiſtae Cynthii Giraldi, obitus.*

EX AUCTORIBUS,

Rupellanae obſidionis diario, Jo. Lerio, Martino Cromero, Carolo Sigonio, Jo. Monlucii relatione et orat. Papirio Maſſono, Actis publicis.

Digitized by Google

LIBER QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

ANDINUS jam [a] Maxentii fanum venerat, datis ad [b] Lanovium IV Non. Febr. literis; quibus et ſuam erga oppidanos egregiam voluntatem teſtabatur, et eos ad officium hortabatur: praedicebatque, ſiquidem intra triduum, quo tempore ad caſtra venturus eſſet, ſe regis imperia accipere paratos oſtenderent, urbe in manus ſuas conſignata, vitam ſibi, res, fortunas ac dignitatem ſalvas fore ſcirent; ſin intra illud tempus non obtemperarent, extrema ſe conſilia ſecuturum, neque paſſurum ullum momentum ſibi perire, quouſque eos vi ad obſequium reduceret, et inſigni edito caſtigationis exemplo ceteros a rebellione deterreret. Ad ea nihil a Lanovio reſponſum: Rupellani factis non verbis reſponderunt, feſtinatis operibus urbem munientes, et interdum, ut foſſoribus lignatum egreſſis praeſto eſſent, erumpentes. Itaque VIII Eid. acriter certatum eſt, Lanovio ipſo ad pugnam egreſſo, iniquiore regiorum conditione: quo eodem die cum praeſidiarii navem in faucibus portus demerſam incendere conſtituiſſent, ignes ab eis injecti a noſtris continuo reſtincti ſunt, commeantibus utrinque per ſpatium inter duo propugnacula in faucibus erecta, recedente aeſtu, equitibus, quod vadoſum nunquam antea Rupellani experti fuerant. Pugnatum et biduo poſt: ſed diſploſione e navi demerſa infeſtati praeſidiarii cum damno intra oppidum compulſi ſunt. Andinus inter haec [c] Mauzaeum venit VII ab urbe leucis: unde rurſus ad oppidanos, nobilitatem, et inquilinos, qui Rupellae erant, dat literas; multaque rurſus de ſua erga ipſos egregia voluntate praefatus eos ad officium hortatur; et non ita praecluſum apud regem veniae ac gratiae locum demonſtrat, quin, ſi ad bonam mentem redeant, [a] ille placari et cum iis reconciliari queat; monetque, ſiquidem in propoſito obſtinate perſeverent, noverint, ſibi juſtam principis ſeveritatem experiendam; exitiique ſui, quod ante oculos obverſatur, nemini praeterquam ſibi ipſis cauſam imputent. Ad haec Rupellani reſcribunt, et gratias Andino agunt; rogantque, ipſe apud regem partes ſuas interponat, quo pax et tranquillitas in regno ſanciatur, et ipſorum conſcientiis idonee caveatur.

CIↃIↃLXXIII.
CAROLUS IX.

II. POSTRIDIE Andinus in caſtra venit, ad Cuneam uſque portam cum equitatu progreſſus; ubi ſeſta tormentorum diſploſione, ut aſſolet, ſalutatus, inde cum [d] Alençonio fratre, Navarro, Condaeo, Delfino principe Monpenſerii filio; [e] Guiſio, Aumalio, Nivernio, Longavillano, Bullionio, Antonio Cruſſolio Uriceenſi, ducibus; [f] Henrico Engoliſmenſi, Arturo [g] Coſſaeo equitum tribuno, Blaſio Monlucio, Chriſtophoro Urſino Capella, Fr. Regio, Chavignio, Raſſeſano comite, Michaele Seureo Melitenſium equitum in Campania principe, [h] Niulum conceſſit; ibique hoſpitium ad obſidionis uſque exitum habuit. Poſt adventum Andini aliquandiu ceſſatum eſt in caſtris, quod copiae, quae ex [i] Aquitania exſpectabantur, nondum adveniſſent; quae ubi venere, rurſus inter duces ſententiis variatum et altercatum de oppugnationis ratione; cum alii aliter atque aliter de vallo ducendo ſentirent, et quiſque hanc ſibi provinciam, ut periculi ſic decoris plenam, depoſceret: eam vero imperator cum nemini

VAR. LECT. [a] rex. *D. f.*

INTERPR. [a] *S. Maixent.* [b] *la Noue.* [c] *Mauzé.* [d] *le duc d'Alençon, le Roy de Navarre, le prince de Condé, & le prince dauphin fils du duc de Monpensier.* [e] *les ducs de Guiſe, d'Aumale, de Nevers, de Longueville, de Bouillon, & d'Uzez.* [f] *Henry d'Angouleſme, grand prieur de France.* [g] *le mareſchal de Coſſé, Blaiſe de Montluc, Chr. de la Chapelle aux Urſins, Fr. le Roy ſieur de Chavigny, le comte de Retz, & M. Seure grand prieur de Champagne.* [h] *Nieul.* [i] *Guienne.*

CIↃIↃLXXIII. Carolus IX. nemini uni citra aliorum offenſionem attribuere ſe poſſe cerneret, ita inter duces partitus eſt, ſingulisque valli diverſis locis aſſignati ducendi negotium commiſit. [a] Monpenſerio, Aumalio, Guiſio, Lud. Gonzagae Nivernenſium duci, Longavillano, Bullionio ducibus, Birono, Radeſiano, adjuncti ſunt Carolus [b] Lotaringus Guiſii frater Meduanae marchio, Monlucius, Chavignius, Sceureus; qui caſtellum ex maceriis ad [c] Brandam conſtruendam ſuſcipiunt; ad quod vallum productum pertinebat, et a [d] Cunea porta paſſibus CL, a foſſa urbis CXX aberat. Interim aliquoties certatum: et quatriduo poſt [e] Mirandus aliquot navigiorum armatorum dux ſublustri nocte, praeda L vini doliorum et XXV frumenti facta, portum ſubiit, et quamvis C amplius tormentorum ictibus undique ex munimentis et Veneta ipſa nave petitus in urbem incolumis pervenit, oppidanis in ejus occurſum, ac ſi Mongomerius cum auxiliari claſſe advenisset, ultro prodeuntibus. Poſtridie Andinus ad [f] Correliam munitionem prandium ſumpſit: et, dum ad hoſpitium redit, acriter ad [g] Sannicoleam portam pugnatum eſt quatuor horarum ſpatio; [h] Granriſio interim ad Fontanum uſque vicum cum delectis equitibus, ſcloppetarium unoquoque ſecum geſtantibus, progreſſo; qui, re bene geſta atque captivis aliquot abductis, ad ſuos rediit.

III. Inde rurſus tentatum colloquium, quod hactenus dilatum fuerat, adductis in ſuſpicionem plebis animis, quaſi inſidiarum aliquid lateret, ex eo auctam, quod Petrus Paulus [i] Toſingus praecipuus Strozzii conſiliarius paulo ante ad obſeſſos ſcripſerat ante Andini adventum, ſibi conſultum videri, ut Rupellani tranquillitatis publicae ſervandae cauſa Floridam cum totis familiis migrarent; eiſque, ſi id conſilii caperent, ſe ducem offerebat: quod ab iis pro ridiculo rejectum, et perinde acceptum, ut ab homine Italo profectum, qui Galliam indigenis vacuam cuperet, ut in eam novae Italorum coloniae deducerentur. Auxerat et ſuſpicionem conjuratio nova ſub id tempus detecta, quae a [k] Blancarderio olim Caroli Telinii diſpenſatore inita fuerat ad urbem intercipiendam, ſolicitata nobilium in ea fide. Ab Andino delegati Bironus, Strozzius, Renatus [l] Villoclarus, [m] Vadagnius: cum Lanovio ab urbe miſſi venere [n] praetor, [o] Morterius, Moriſſo: colloquio jam coepto ſupervenit [p] Radeſianus. Ibi Vadagnius cum mandatis a rege miſſus, regem, quamvis nemini factorum aut conſiliorum rationem reddere teneatur, cunctosque ſuae ditioni ſubjectos jure ſuo ad obſequium cogere queat, ea benignitate eſſe dicit, ut cum iis etiam in colloquium deſcendere non gravetur: tum, quae Lutetiae acta erant, non religionis odio, ſed ad diſturbandam conjurationem deteſtando auſu a Colinio ac conſciis contra ſe, reginam parentem, fratres ac regnum univerſum initam multis verbis demonſtrat: quod vero exemplum per ceteras urbes graſſatum ſit, in quibus non eadem cauſa ſuberat, id injuſſu regis ac contra ipſius voluntatem magno ſuo cum dolore accidiſſe; idque ne ulterius fieret, enixe vetuiſſe; ac mox peramicas ad Rupellanos literas dediſſe, quibus de animo erga ipſos ſuo certiores eos faciebat: illos vero contra male animatos ac perſuaſos ad arma protinus concurriſſe, triremeis ſuas intercepiſſe; Vigeanum a rege miſſum fide publica violata hoſtiliter ab iis habitum eſſe: regem tamen pacis ſtudioſum haec omnia ſumma aequitate ac lenitate diſſimulaſſe, ac publice teſtatum eſſe, velle ſe, ut de cetero in poſterum edicta in gratiam Proteſtantium facta ſalva et integra maneant: quod conventus prohibuerit, id in religionis aut edictorum praejudicium factum interpretari ipſos minime debere; nam nihil ea in re ſpectaſſe aliud regem, quam ut tranquillitas publica conſtitueretur, quam conventibus concionum audiendarum cauſa inſtitutis turbari experientia compererit; ea vero conſtituta, conſcientiarum,

INTERPR. [a] *le duc de Monpenſier.* [b] *de Lorraine, marquis de Mayenne.* [c] *la Brande.* [d] *porte de Coignes.* [e] *le capitaine Mirant.* [f] *fort de Courcilles.* [g] *porte de S. Nicolas.* [h] *le ſieur de Grand-ris.* [i] *Toſinghi.* [k] *Blanchardiere, maitre d'hôtel du ſieur de Teligny.* [l] *de Villequier.* [m] *l'abbé Gadaigne.* [n] *P. Pierres, lieutenant general de la Rochelle.* [o] *Mortiers, & Moriſſon.* [p] *le comte de Retz.*

CIƆIƆLXXIII.
CAROLUS IX.

conſcientiarum libertati abunde proſpecturum ipſum: interim, quantum ad ipſos, ſic velle ac jubere, ut libera ac, prout edictis nuper factis continetur, publica religionis in urbe profeſſio conceſſa intelligatur; modo in ceteris ſe regis dicto audienteis praebeant, praefectos ejus recipiant, eorum imperiis pareant: quod ſi nulla interpoſita mora fecerint, dubitare nequaquam ipſos debere, quin pro ingenita clementia rex praeteritorum veniam ipſis indulgeat, eoſque in gratiam recipiat; ſin minus ſe obſequenteis praebuerint, extremam vim et perniciem poſtremo ſibi acceſſituros: nec vero auxiliorum ab Anglis fiducia et Mongomerii adventu in ſpem falſam erigi debere: nam regi cum ſereniſſima Anglorum regina optime convenire; nihilque ipſam facturam, quo foedus nuper inter ipſos religioſe initum violaſſe dici poſſit: Mongomerium nihil aliud quaerere, quam ut in bonam regis gratiam recipiatur; itaque ſeram, incertam, atque adeo fallacem eam ſpem eſſe: proinde moniti in tempore ſapiant, nec in exitium inevitabile ſeipſos ſponte ac ſine neceſſitate praecipitent. Ad ea Rupellani incredibili moerore ſe angi reſpondent, quod, quicquid ſalutis expediendae neceſſitate fecerint, id apud regem perduellionis crimini vertitur: nihil enim obſequio regi debito hactenus antiquius habuiſſe; ad idque principum, procerum, qui eandem ſecum religionem profitentur, atque Colinii ipſius inprimis exemplo, hortatibus, literis confirmatos; et cum nunciis, literis, et ipſo praeſenti periculo etiam ante caſum Pariſienſem ſatis admonerentur, ut ſibi conſulerent, tamen cum de ea re ad Colinium ſcriberent, non ſolum ab eo contra monitos, ut nihil ſiniſtri ſuſpicarentur, ſed etiam aliquando increpitos, quod ſuſpicioſis hominibus, qui publicam quietem turbatam mallent, nimis facileis aureis praeberent: poſt caſum autem Pariſienſem cum dubitationi amplius locus non eſſet, etſi, [a] Polinio Garda formidabili ſibi multis nominibus hoſte tam vicino, qui nullam infeſtandi ſe ab eo tempore occaſionem praetermiſit, potius ſibi juſtae defenſionis neceſſitatem impoſitam, quam ſecurae pacificationis ſpem reliquam viderent, tamen in fide manſiſſe, et literis ad regem XIX Kal. Jan. datis ſe imperata facturos oſtendiſſe, modo ab armis diſcederetur, et Polinius cum claſſe, qua armorum metum intentabat, procul faceſſere juberetur; de cetero ſibi et eandem religionem per univerſum regnum profitentibus de conſcientiarum libertate, de vita, ſecuritate, dignitate et fortunis idonee caveretur: ſed neque ab armis diſceſſum, ut ſpes facta fuerat, et Polinium magis ac magis in ipſos hoſtiliter saeviiſſe, et, quod vi aperta nequibat, id inſidiis tentaſſe: nam triremeis eo conſilio miſſas ſpecie colloquii, ut urbis ſitum et acceſſus contemplarentur, quod ex Auguſtino et [b] Gregero Juſtiniano captis harum rerum peritis hominibus ſatis conſtitit: quod ad [c] Vigeanum attinet, quod ſibi maxima cum invidia objiciatur, id vero ſe aegerrime tuliſſe, ut contra jus omne factum; ſed facti auctores ſtatim ad regem transfugiſſe; quoſdam vero, qui apud ſe permanſerint, ſceleratam audaciam capite luiſſe, ut eo nomine nihil merito ipſis improperari queat: quod rex edictorum ſe fidem ſervaturum polliceatur, habere gratias, et quam demiſſe poſſunt ipſum rogare, ut tam ſanctam, piam et aequitatis plenam erga ſuos voluntatem per Andinum exſequatur; ac petere ſpatium ſibi ab eo concedi, quo de ea ceteras per univerſum ſparſas eccleſias facere certiores queant; quibus inconſultis quidquam facere nec juſtum nec ſibi conſultum exiſtiment: interim oratum regem cupere, ut ab armis abſtineatur, libera ſit ubique religionis profeſſio, ac publice conveniendi facultas detur; ſibique rex ſic perſuadeat, nil, niſi quod ad Dei gloriam et publicam tranquillitatem pertineat, in illis conventibus agitari. Ita ſolutum re infecta colloquium. Poſtridie rurſus eruptione facta ſex horarum ſpatio ab obſeſſis pugnatum; in qua parum a periculo Lanovius abfuit, vix a [d] Marſallo, qui vulneratus et ex vulnere paulo poſt deceſſit, diſcrimini ereptus.

INTERPR. [a] *le baron de la Garde,* dit *le capitaine Polin.* [b] *Greghette Giuſtiniani.* [c] *le ſieur du Vigean.* [d] *Marſault.*

Digitized by Google

CIↃIↃLXXIII. ceptus. In eo conflictu vulnerati Joannes [a] Garda Vincius, Lud. [b] Bertonus Grillo-
Carolus IX. nius, Joſephus [c] Bonifacius Mola, Fr. [d] Magdalenus Ragnius, [e] Auxius Andino a cubiculo, [f] Serilliacus peditum praefectus: interfecti [g] Bubaſius et Nanſius. Ac mira ſane mulierum alacritas et animi praeſentia in his proeliis fuit; quas videre erat per pomoerium urbis diſcurſanteis, ſpreto mortis periculo, inter media arma verſari, et vulneratis ac labore fractis defenſoribus vinum, conditos fructus et hujuſmodi dulciaria ſumma diligentia propinare. Cum delegati de Vadagnii mandatis ad publicum urbis concilium retuliſſent, ad quod admiſſi pleriquе ex paſtoribus et inquilinis, initio pleriſque placuerat, ut, quando nulla aut exigua auxiliorum ſpes et ſumma in urbe commeatus anguſtia eſſet, de pace mature ageretur: ſed paſtorum ab eo conſilio maxime alienorum auctoritas apud oppidanos interceſſit, ac pervicit, ut deliberatio ſuſpenderetur, et ante omnia diligentius in adverſariorum mentem et conſilia introſpiceretur, an nihil inſidiarum admiſtum haberent; dein nihil inconſultis ſociis in communi cauſa ageretur: enimvero hoc viderent, implicantem et ſibi pugnantem regis voluntatem proponi, qui Rupellanis liberam religionis profeſſionem permittat, quam aliis edictis ut publicae paci contrariam toto regno prohibeat: qua re quid aliud ſignificari, quam ipſius conſiliariorum eam mentem eſſe, ut per fucatam pacem adempta Proteſtantibus juſta armorum defenſione religionis permiſſae uſus tota ditione ſua poſtremo eliminetur? Ad haec Joannes Giraldus multa addidit, quo Rupellanos exemplo ſociorum confirmaret, qui fanum Joannis nulla re cum Rupella firmitate comparabile ante quatuor annos tam gnaviter contra victorem exercitum defendiſſent, et regios belli pertaeſos tandem ad aequas pacis conditiones adegiſſent: tum vitanda colloquia monet, ut quae, corrumpendis aut ſaltem enervandis obſeſſorum animis fere inſtituta, parum prodeſſe, plerumque multum periculi importare experientia comperiatur. In hanc ſententiam itum: ac decretum, ut deinceps ſcriptis ageretur, colloquia raro uſurparentur; et, cum de pace ageretur, cuncti, qui eandem toto regno religionem profitentur, in ea comprehenderentur. Cum nihil hactenus colloquiis profectum eſſet, tandem prid. Kal. Mart. machinae ad murum Evangelii propugnaculo contiguum, et in turrim portae Cuneae impoſitam diriguntur; in qua defenſores duo tormenta collocaverant, quorum continua diſploſione caſtra regia non mediocriter infeſtabantur. Poſt diſploſionem, ruina edita, quam obſeſſi conferto agmine admiſtis foeminis ruentes ſaccis lana oppletis diligenter ſarcire ſatagebant, tubicen in urbem mittitur, qui deditionem eos facere jubet: in caſtris quippe perſuaſerant ſibi duces, verberatione territos oppidanos de deditione cogitaturos, cui nullum datum reſponſum; tantum ſub veſperam eruptio facta a duabus urbis partibus, ducibus Lanovio, qui in equitatum regium incidens intra urbem compulſus eſt, et [h] Normano, qui re bene geſta uno tantum ex ſuis amiſſo ad ſuos rediit. In eo conflictu [i] Guiſius et Meduanius frater, quibus ſors tuendi valli eo die obvenerat, ſtrenuam admodum operam navarunt. Interfectus ex regiis Montius primariae Strozzii cohortis legatus: ſauciatus Emericus [k] Barbezerius Chemeraldus junior, Claudius [l] Bellovillerius Fani Aniani comes Alençonii legatus, Carolus Robertus [m] Marcianus Molevriae comes Bullionii ducis frater, Carolus [n] Grangeus Montinius.

IV. Et quanquam inſtantibus paſtoribus nuper decretum factum eſſet, ut a colloquiis in poſterum abſtineretur, tamen, ut ea via rurſus tentaretur, pervicit Lanovii auctoritas; cujus aeque in bello gerendo, quamdiu apud Rupellanos fuit, virtus, et in pace procuranda, quoties animos obſeſſorum ad eam inclinare potuit, ſtudium; utrique

INTERPR. [a] *de Garde, ſieur de Vincy.* [b] *Berton, ſieur de Grillon.* [c] *Boniface de la Mole.* [d] *de la Magdelene, ſieur de Ragny.* [e] *le ſieur d'Auchy.* [f] *de Serillac.* [g] *Boubas, & Nanſy.* [h] *le capitaine Normand.* [i] *le duc de Guiſe, & le marquis de Mayenne.* [k] *de Barbezieres, ſieur de Chemerault.* [l] *de Beauvilliers, comte de S. Agnan.* [m] *de la Marck, comte de Maulevrier.* [n] *de la Grange, ſieur de Montigny.*

utrique parti admirabile extitit; ita ut neque oppidanis ſuſpectus, neque apud regios CIƆIƆLXXIII.
rem aequa ratione aeſtimantibus reprehenſibilis exiſtimatus ſit. Itaque obſides intra CAROLUS IX.
urbem accepti, Strozzius, [a] Batreſſius eques Melitenſis annonae praefectus et Joannes [b] Valla Mandrevillius. Ipſe [c] Lanovius cum praetore urbano et Moriſſone ad Andinum profectus eſt. Quibus comiter exceptis Andinus, regem nihil ad ſuperiores a [d] Vadagnio allatas conditiones addere, ait: ipſos vero vana auxiliorum ex Anglia ſpe lactari, idque ſibi ex [e] Anguillarii literis nuper interceptis certo conſtare: proinde conditiones oblatas accipiant, quas jam Montalbanenſes ut aequitatis plenas acceperint. Tum Lanovium ſeducit, et cum eo collocutus, cum aliis quoque ſingulis ſermonem habuit, eos impendentis periculi metu ad pacis rationes incundas hortatus. Nec intermiſſa interim regiorum inchoata verberatio, qua turris [f] Cunea paene diruta, et Colubrinae impoſitae magna ex parte confractae ſunt. Inde multa in urbe agitari coepta, cum paſtores ſibi metuentes nullum non lapidem moverent publice in concionibus, et aſſiduis apud ſingulos prenſationibus, ut oppidanos rejectis conditionibus ad obſidionem ſuſtinendam confirmarent. Tandem decretum fuit, ut religionis cauſa nullae conditiones admitterentur, niſi quae ceteris regni eccleſiis, quas vocant, communes eſſent. Itaque cum poſtea IV Non. Mart. repetito colloquio, cui praeter Lanovium et Moriſſonem [g] Etambius oppidanorum nomine interfuit, [h] Radeſianus Andini nomine oppidanis ſignificaſſet, regem ſtatuiſſe liberae profeſſionis beneficium ſoli urbi in praeſentiarum impertiri, ſed eandem gratiam poſtea ceteris ejuſdem confeſſionis ſociis ſingillatim communicaturum, nihil agi potuit: remque a concilio ad populum referri placuit, ut, quando juſtum bellum paci iniquae et inſidiarum plenae praeferendum eſſet, ad extrema quaeque perferenda ſe compararent; Lanovio [a] interim, qui longe diverſas perſonas et fortiſſimi propugnatoris et aequiſſimi pacificatoris, neutri propterea parti ſuſpectus, ſuſtinebat, ſibi minime ſatisfaciente; ob idque juſtas quotidie diſcriminum occaſiones per crebras eruptiones captante, quo ſe implicato et utrinque calumniis obnoxio negotio vir innocens honeſta morte expediret. Pridie colloquii eruptione facta, poſt longum certamen ſub veſperam diſploſo colubrinae ictu Claudius Lotaringus Aumaliae dux, qui poſt pluteum latebat, pluteo perforato, interfectus eſt, magno ſui apud regios deſiderio relicto; nec minore obſeſſorum, ubi rem reſciverunt, laetitia, paſtoribus jam ultionis divinae initium hinc factum de ſceleratis Colinii ac ſociorum caedibus, quarum Aumalius praecipuus incentor fuiſſet, ex ambone detonantibus.

V. CUM vero jam nulla, res ad concordiam adducendi, ſpes eſſet, Lanovius, repoſcente ejus fidem Radeſiano, qui tantum ducem quantumvis pacis ſtudioſum oppidanis ad ſuſtinendam obſidionem obſtinatis animos facere videret, cum [i] Rupenardio, Campanio, et Salla morbum cauſante, ad Andinum tranſiit; quod a bonis et prudentibus fidem et virtutem viri reputantibus non ſolum excuſatum, ſed etiam laudatum; a paſtoribus ſolis, qui nimium quam multi in urbe erant, et de privato periculo quam de publica fide magis ſoliciti in pacis ſuaſores aſſiduis concionibus debacchabantur, reprehenſum, qui eo uſque amentiae provecti ſunt, ut, cum inter concionandum eos, qui hoſteis ſpe pretii vivos cepiſſent, calore dicendi temere quaſi avaros et in Dei cauſa praevaricanteis increpuiſſent, publica diſputatione inſtituta, hoſtibus parci in hoc bello impium eſſe aſſeruerunt, idque ſcripturae teſtimoniis ad libidinem violenta interpretatione detortis et edito ſcripto confirmare auſi ſunt: cui ſimilem opinionem a communi humanitatis ſenſu abhorrentem, contra belli jura et publicam

VAR. LECT. [a] interim animi anxio, qui *D. f.*

INTERPR. [a] *la Batreſſe.* [b] *Du Val, ſieur de Mandreville.* [c] *la Nouë.* [d] *l'abbé Gadaigne.* [e] *l'Anguillier.* [f] *tour de Coignes.* [g] *d'Etambé.* [h] *le comte de Retz.* [i] *Roche Enard, de Champagny, & la Salle.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX.

publicam fidem, ſciſſa factionibus Gallia, etiam noſtri theologi Lutetiae et in praecipuis regni urbibus, pari temeritate, haud ſine magna ſacri Nominis infamia, his ultimis temporibus defenderunt. Praeter eas cauſas, et privata injuria Lanovium, ut abitum maturaret, incitatum ferunt, de qua minus digne ei ab oppidanis turbata urbe ſatisfactum fuerat. Nam, cum in urbis concilio multis verbis egiſſet, ut eos ad pacis conditiones accipiendas inflecteret, domum reverſum [a] Placius quidam ex innumera paſtorum illorum turba proſecutus, poſtquam perfidum proditorem et transfugam ſumma petulantia saepius nominavit, ad injuriae tantae cumulum etiam os impacta manu contumelioſe pulſavit. Qua re vir magni animi et ſupra omnem injuriam poſitus, minime, ut par fuit, commotus eſt: ſed ſumma moderatione hominis dementiam miſeratus potius quam incuſans, cum nobiles, qui circa eum erant, ad injuriam tantam vindicandam accurrerent, eos inhibuit; et comprehenſum Placium ad uxorem remiſit, ſubinde admonens eam, ut viri ad furorem prolabentis valetudinem commendatam haberet, neque eum vagari ſineret. Et re vera furoris hoc et dementiae in eo adoleſcentis principium fuit, ex qua poſtea diu laboravit, et ob quam paſtorali munere tandem depoſitus eſt. Diſceſſum Lanovii, ut et aliorum, qui ejus exemplum ſecuti ſunt, etſi aegerrime tulere obſeſſi, tamen minime propterea animum deſponderunt; ſed, cum ſe ad ſuſtinendam vim obfirmaſſent, ut etiam novo facinore omnium animos magis obligarent, aliquot ob conjurationem vinctos producunt, et publico ſupplicio afficiunt. Tum delecti inter Rupellanos [1] ſeviri, penes quos rerum ſumma eſſet; qui tamen nihil inconſulto Majore et [a] concilio agerent: ii fuere [b] Challovius, Eſſartius, Normanus, Riverius, Gargulleus. Inde per quatriduum redintegrata a regiis verberatio. Pridie Eid. Mart. allatae Mongomerii literae ante menſem datae, et in concilio recitatae ſunt; quibus moram praeteriti temporis excuſabat, et ſpem de adventu ſuo intra menſem faciebat, cum XLV armatarum et XXV onerariarum commeatu plenarum navium claſſe. Poſtridie et nuncius a Sancerranis venit, proſpera omnia de obſeſſorum ſucceſſibus afferens, ut qui jam treis oppugnationes ſumma virtute repuliſſent. Nocte inſequenti eruptione facta acriter utrinque pugnatum eſt: nam obſeſſi ad vallum uſque progreſſi magnum tumultum in caſtris excitarunt; interque certandum [c] Serilliacus, quem ſaucium IX Kal. Mart. e pugna exceſſiſſe ſupra diximus, interficitur: vixque [d] Coſſenii ſuperventu obſeſſorum conatus repreſſi ſunt; qui tandem haſtatorum et loricatorum manu ſe opponente e vallo in foſſam praecipitantur, amiſſis circiter XII ex ſuis. Nec ceſſabant paſtores, non ſolum aſſiduis adhortationibus, ſed homines ad facinus patrandum promptos inflammando: atque ex iis quidam in caſtra regia transfugerunt, qui, ſive poenitentia ducti, ſive commento hoc gratiam apud regios captantes, ſe a miniſtris ſubornatos ultro confeſſi ſunt, quaſi fide de Guiſio et Gonzaga interficiendis data. Biduo poſt tranſlatae a [e] Corellio munimento machinae et juxta [f] Brandae molatrinam collocatae, et directa ad [g] Cuneam portam et contra Evangelii propugnaculum verberatio; eoque major diligentia ab obſeſſis poſita, ut pomoerium ea parte inter propugnaculum illud et [h] Rembaldam portam humo comportata magis firmaretur. Vallo interim a noſtris ad [i] Paleranum inchoato ad labrum uſque foſſae producto, et cratibus diſpoſitis, obſeſſi noctu erumpentes et vallo ſuperato crateis dejiciunt, ſtationarios caedunt, et cum damno regios pellunt, occiſis ex iis amplius L. Quo tempore Radeſianus, cum e vallo deſcenderet, eo ipſo loco, quo [k] Chavignium vulneratum ſupra diximus, ictum ſcloppeti ad ile ſiniſtrum accipit. Tam vicino bello cum facile ſtationarii inter ſe colloquerentur, Challovius a Majore indigne habitus, et jam ob id plebi ſuſpectus, [l] Goam legionis

VAR. LECT. [a] Senatu *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *la Place.* [b] *les capitaines Chaillou, des Eſſarts, Normand, Riviere de Lys, & Gargouillaud.* [c] *de Serillac.* [d] *de Coſſeins.* [e] *fort de Coureilles.* [f] *la Brande.* [g] *porte de Coignes.* [h] *porte de Rambauld.* [i] *Paleran.* [k] *le Roy, ſieur de Chavigny.* [l] *de Goas.*

NOT. [1] *potius* quinqueviri.

legionis tribunum et amicitia vetere ſibi conjunctum, qui tunc excubias agebat, vocari curat; cum quo familiariſſime conſerto ſermone egit, ut ab imperatore ſibi copiam excundi impetraret: qua Gonzagae Niverni interventu impetrata, eruptionis ſpecie egreſſus ad nos transfugit, VII Kal. Aprilis; cum ad hanc diem toto eo menſe XII CIↃIↃCCCXC machinarum ictus diſploſi a regiis numerati eſſent. Inde ad [a] Malabecanam portam regii progreſſi numero CIↃCC, ut labro foſſae capto atque exſcenſione in foſſam facta humilia propugnacula occuparent: ſed ab obſeſſis magna vi repulſi, et vento vehementi coorto infeſtati, re infecta abierunt. Poſtremo ad [b] Tadonem pugnatum equeſtri certamine; et [c] Lurius ex obſeſſis in eo occiſus, ac [d] Guimenerius Lurii frater captus, diſploſis in eo a regiis CC tormentorum ictibus: et, cum ad [e] Columbariam regios vim facturos appareret, ad eam partem feſtinatis operibus munitiones novae exſtructae: ac V Kal. Apr. et die ſequenti, cum fruſtra ſe noſtri diu in armis oſtentaſſent, ad Cuneam et Sannicoleam portam item juxta Columbariam et Rembaldam portam, ſub veſperam rurſus exſcenſione facta munimenta humilia propugnaculo Evangelii circumpoſita invadere tentarunt; ſed irrito ſucceſſu, a praeſidiariis repulſi, diſploſis interim amplius CCCC tormentorum ictibus. Biduo poſt ad Tadonem pugnatum, et diſploſione tormentorum utrinque facta per duarum horarum ſpatium multi quoque ab utraque parte occiſi ac diſcerpti, atque in iis [f] Loſſius minor, Joannis Loſſii ſtipatorum regiorum praefecti filius. Jamque procedente tempore magnis difficultatibus miles in regiis caſtris conflictabatur, deficiente pridem ſtipendio, arcta annona, et morbis per exercitum graſſantibus: itaque pedites ſenſim dilabi, nobilitas fremere, quod tamdiu nondum ullo pretio facto ad obſidionem haereret, et murmura paſſim omnium quaſi injuſſu imperatoris diſceſſurorum audiri. Cui malo nullum aptius remedium concilio habito viſum eſt, quam ſi quamprimum oppugnatio tentaretur. Ad eam rem comparata omnia Gonzagae ſtudio, qui poſt [g] Aumalii mortem huic negotio praepoſitus fuerat. Is XXX corbeis ceſpitibus refertos ad labrum foſſae noctu erigit, et CCCC delectos cuſtodiae deſtinat, ita ut ex vallo jam ad foſſam tuto iretur. Cumque Evangelii propugnaculo murus ex lapide quadrato praetenſus continuata noctes dieſque verberatione tandem corruiſſet, humilia propugnacula, caſamatas vulgo vocant, quaſi latenteis domunculas dixeris, apparere coeperunt; quas occupari neceſſe erat, cum agger perforari aut cuniculi agi et cominus res geri aliter non poſſet. Hae VII numero erant; quarum nonnullae VI pedum altitudine ſolo extantes ac feneſtratae neminem in foſſam deſcendere aut ex labro in eam deſpicere impune patiebantur: aliae vix noſtris conſpicuae exiguo a ſe invicem ſpatio diſtantes erant, ad quas e Cunea porta ſubterraneis meatibus de muro ibatur: nec parum difficultatis ſuperabat in iis capiendis, aqua in foſſa ad ulnae altitudinem regurgitante, et pingui ſolo muricibus ac clavis ferreis conſtrato, nitenteis remorantibus. Nulla vero dies abibat, quin ſignifer aliquis, praefectus aut primorum ordinum ductor in foſſae margine caderet: itaque labrum pluribus locis perforari de procerum ac ducum conſilio Andinus jubet. Sed rurſus in meatibus excavandis nova difficultas exorta eſt, quod margo naturam rupis referens aegre ſcalpellis frangeretur. Itaque meatus vix ſex pedum in latitudinem patebant, per quos demiſſus miles, ſaccis lanae plenis, ſtoreis, aſſeribus pedali craſſitudine et V pedum altitudine, atque hujuſmodi materia primum comportari juſſa. His rebus portatilis valli vice milites, ne in latus aut a fronte peti poſſent, defendebantur, et ad domuncularum uſque feneſtras ac muri radicem jam tutius accedere poterant. Tria item diſpoſita tormenta, quibus defenſores a moenium corona ſummovebantur: vaſa quoque vinaria CC circiter ad vallum comportata, quae lapidibus et arena plena per foramina in foſſam protruderentur. [h] Coſſenio et

INTERPR. [a] *de Maubec.* [b] *Tadon.* [c] *Loury.* [d] *Guimenieres.* [e] *au Colombier.* [f] *de Loſſes.* [g] *le duc d'Aumale.* [h] *de Coſſeins.*

CIↃIↃLXXIII.
CAROLUS IX.

et [a] Goae caſtrorum magiſtris loci explorandi cura data fuerat, delectorum militum ſingulis centuria attributa, quos Strozzius ſubſequi juſſus. Dies ad VII Eid. Apr. dicta: et, ut res citra tumultum et ordine peragi poſſent, tegi eam placuit. Sed re evulgata, [b] Guiſius, Meduanius, et Engoliſmenſis nothus ad foramen accurrunt, et cum iis pleraque nobilitas; quos Gonzaga, qui in mandatis habebat, ne quenquam, praeter operi deſtinatos et qui ſtationem haberent, eo accedere pateretur, fruſtra, ut diſcederent, rogat; quippe qui provideret, juvenes pugnae et decoris ad vanitatem cupidos nimio feſtinandi ardore [a] effecturos, ut omnia tumultuarie et perperam turbatis ordinibus peragerentur. Cum diſcedere recuſarent, ille imperatorem adit, et, niſi nobilitas revocetur, hunc diem illi exitialem futurum praedicit. Igitur Andinus precibus cum illis agit, minis poſtea additis: tum per [c] Longovillanum ac Bullionium duces, dein per Rogerium [d] Bellogardium et Ant. [e] Alegrium Milialdum apud eos inſtat, ut ſe reciperent. Cum abitum primo ſimularent, mox ad locum redeunt; a quo poſtmodo nulla ratione revocari potuerunt. Jamque meridies inſtabat, cum mixta militi nobilitas confuſo ordine per foramina foſſam ingreditur, impedimento potius quam adjumenro futura: et magnis quidem initio animis propugnacula humilia invadunt; quorum altero depulſis defenſoribus potiti ſunt, alterum deſerentibus praeſidiariis occuparunt. Ant. [f] Claromontius Talarius, non minus virtute quam gente in [g] Allobrogibus perilluſtri clarus, maximum munimentum oppugnat; quod vi tandem cepit; in eoque tamdiu conſtitit, donec ex latentis turriculae feneſtella colubrinae aliquot ictibus diſploſis depelleretur, graviter inibi ſauciatus; quibus ex vulneribus poſtea deceſſit, relicto ingenti ſui deſiderio, quod eo die inter omneis ſummum virtutis ſuae ſpecimen dediſſet. Guiſius quoque, occupato altero propugnaculo, diu inter ſaxa, igneis pice ferventi et oleo ardenteis ac cupas verſatus, poſtremo opem a Gonzaga in extremo diſcrimine petiit; qui ſororio laboranti auxilium laturus in ſiniſtro brachio ictus eſt. Meduanius denique adverſo crure, dum ſe ad ſuos recipit, vulneratur. Dum ad munimenta humilia intra foſſam pugnatur, legionarii aliquot in ſummum Evangelii propugnaculum evaſerunt, ac totidem nobiles; qui ſtatim, cum confuſe omnia adminiſtrarentur, praecipites inde deturbati ſunt: in his fuere [h] Montagudetus et Vallius Aquitani centuriones, Ludovicus [i] Betengarius Gaſtius legionis tribunus, Eberardus [k] Sanſulpicius natu minimus Alençonio gratiſſimus, idemqne Strozzii ſignifer, et [l] Caſtrovetus, quam corporis forma tam virtute et genere nobilis. Initio cum faſtigium prenſarent, inopinato collapſa muri parte ad erumpendum via pateſacta, imperatore acclamante aliquot manipuli proceſſerunt; ſed, jam turbatis ordinibus nec dicto audientibus, unus tantum miles in ruinam aſcendit; ubi paulum commoratus neminem, praeter foeminas reſiſtenteis et ſaxa et igneis artificioſos vibranteis, offendit, ut, ſi alii eum ſecuti eſſent, ea parte rem feliciter ceſſuram creditum ſit: ſed hoſte confeſtim adventante et ſariſſis et haſtis noſtros proturbante conatus fruſtra fuit. Utrobique duarum horarum ſpatio acriter certatum eſt, diſploſis a noſtris bis mille quingentis tormentorum ictibus. Graviter vulnerati Strozzius, Gaſtius, qui propugnaculum bis aſcendit, [m] Bellogardius, Caſtrovetus, Sanſulpitius, qui poſtremus ex vulnere obiit. Tandem, cum nihil proficeretur, die jam inclinata, Andinus receptui cani jubet. Deſiderati ex obſeſſis amplius LX; et in his [n] Fronſacus ſtrenuus ordinum ductor, [o] Riverii ſignifer, et [p] Normani legatus. [q] Daugius, qui paulo ante ex regiis caſtris ad obſeſſos tranſierat, et fortiter admodum ea die ſe geſſerat, nocte inſequenti,

dum

VAR. LECT. [a] facile commiſſuros, ut *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Goas.* [b] *le duc de Guiſe, le marquis de Mayenne, & le chevalier d'Angoulesme.* [c] *de Longueville, & de Bouillon.* [d] *de Bellegarde.* [e] *d'Alegre, ſieur de Millaud.* [f] *de Clermont Talard.* [g] *Dauphiné.* [h] *de Montagudet, & de Vaux.* [i] *Berenger, ſieur du Gaſt.* [k] *de S. Sulpice.* [l] *Châteauvieux.* [m] *le capitaine Beauregard.* [n] *le capitaine Franſac.* [o] *la Riviere le Lys.* [p] *Normand.* [q] *la Dauge.*

CIƆIƆLXXIII.
CAROLUS IX.

dum pomoerium circumit, glandis ictu transfixus eſt. Poſtridie ſummo mane obſeſſi ignem ad ruinam pice et materia ſpiſſa admiſta accendunt, tanta fumi abundantia, ut diruti muri conſpectum noſtris adimerent, et interea ruinae ſarciendae ſedulo incumbentes a noſtrorum ictibus tuti eſſent. Diſcuſſo fumo, rurſus impetus a noſtris potius tentatus, quam factus, irrito ſucceſſu. Die hunc ſequente noſtri ſe in armis oſtendunt quaſi impetum facturi; ſed mox nulla re tentata ad vallum ſe recepere: eoque die tantum res tormentis acta, diſploſique ad IƆCC ictus. Noctu conſpectus in coelo ignis draconis ſinuoſo volumine caudam trahentis ſpecie, qui tandem quaſi in mare decidens evanuit. Poſtridie, ut pluribus locis vi facta vires obſeſſorum diſtraherentur, ſcalae ad [a] Tadonem, quo et [b] Ludius comes cum ſuo comitatu venit, et [c] Molineam portam comportantur; et [d] Bajordanus Vaſconum tribunus ac Bironus huic rei deſtinantur. Ad eam partem, ſive maris reciprocantis fiducia, ſive temporis anguſtia, obſeſſi aggerem imperfectum et murum reſiduo humiliorem reliquerant, in portus faucibus navem onerariam deſtituiſſe contenti, quae caſtello in eo ex aſſeribus ſerratis conſtructo tormentorum impetum ſuſtineret. Bironus ad [e] Catenam vim facere debebat; quo loco circuitu uſus non niſi orto jam ſole pervenire potuit: itaque, cum detectas a praeſidiariis inſidias videret, re minime tentata abiit. Bajordanus cum ſcalas admoviſſet, clara jam luce ad Molineam portam impetum fecit, tanta vi repulſus, ut relictis ſcalis et multis ex ſuis caeſis ac mutilatis cum damno diſceſſerit. Eo in certamine praecipua foeminarum virtus fuit, quae ex ſuperiori loco ſaxis, igne artificioſo, et interdum contis rem gerere magna cum regiorum admiratione conſpectae ſunt; quaedam etiam in foſſam progreſſae, ut ſtratos hoſteis jugularent et ſpoliarent. Inde cuniculis noſtri inſtitere, aggere erecto, ut ab Evangelii propugnaculo tuti eſſent: et quatriduo poſt aeri verberatione facta cuniculo ignem concipiente munimenti extrema pars magno cum fragore diruta eſt; ſed longe alio, quam noſtri rebantur, eventu: quippe, cuniculariorum magno errore, major quam oportuit pulveris copia indita fuerat, ita ut ejus ruina et fragmenta huc illuc disjecta in noſtrorum perniciem verterint, oppreſſis amplius CC: ex obſeſſis etiam deſiderati [f] Morterius, Ronſlacus, Grolius, Vincentius paſtor et Talmandus, ac praeterea duo gregarii milites. Ita impetus regiorum fruſtra fuit, foeminis, quae ſub id in ruinam aſcenderant, et multa noſtris cum convitiis exprobrando, igneamque materiam ſuis ſubminiſtrando et interdum in noſtros vibrando ſexum egrediebantur, ſtrenuam operam navantibus. Tantum perſpectae audaciae ſpecimen tunc editum biduo poſt majore laude cumularunt, eruptione ab obſeſſis per ſubterraneos meatus facta, qui regios adorti pleroſque obtruncant, vulnerato [g] Savaliano, et Baſtidae legato, incenſiſque, injecto a foeminis igne, operibus ac [α] ponte a noſtris inchoato. [h] Muſſus in eo certamine ex obſeſſis graviter ſauciatus, ex eoque vulnere poſtea deceſſit. Dein XIV Kal. Maias [i] Coſſenius, et mox Scipio [k] Verganus, dum in vallo eſſent, glande plumbea icti ſunt. Utriuſque mors mira laetitia in urbe accepta; atque illius quidem, quod praecipua ejus opera in Sanbartholomaea laniena graſſatores uſi eſſent; hujus, quod, cum aliquando muniendae Rupellae induſtriam ſuam Condaeo et Colinio locaſſet, eandem nunc turpiſſimo transfugio, ut aiebant, ad capiendam urbem addiceret. Proinde manifeſtum divinae ultionis exemplum hoc a paſtoribus publice in concionibus magna vocis contentione depraedicatum eſt.

VI. JAM pridem conſtans de claſſe auxiliari rumor increbruerat, quae tandem altero poſt die vento et aeſtu ſecundis in regiorum conſpectum ita ſe dedit, ut plenis velis

VAR. LECT. [α] ponte imprimis a noſtris *D. f. o.*

INTERPR. [a] *Tadon.* [b] *du Lude.* [c] *porte des Moulins.* [d] *de Bazourdan.* [e] *Tour de la Chaine.* [f] *des Mortiers, Renſlac, Groſles, Vincent, & Talmand.* [g] *Savaillan, & la Baſtide.* [h] *le capitaine la Muſſe.* [i] *de Coſſeins.* [k] *Vergano.*

CIƆIƆLXXIII. CAROLUS IX.

velis in portum vel invitis iis ſine ullo detrimento ingreſſura crederetur. Naves LIII numeratae ſunt; quae, ut regias numero ſuperabant, ita celeritate, armamentis, militum virtute multo inferiores erant: harum XX praecedebant; tum ſequebatur inſignis praetoria, quam tamen [a] Mongomerius non conſcenderat; ceterae majores ultimum agmen claudebant, quibus II CIƆ armatorum ex Gallis, Belgis et Anglis portabantur. Joannes [b] Sora et Loretus ſecundum Mongomerium ſummum imperium tenebant. Claſſis [c] Baiae promontorium praetervecta, cum regiam inſtructam videret, in ancoris ea nocte ſubſtitit; ad quam [d] Mirandus cum trireme armata, nequicquam ab iis, qui in Veneta nave et Correliae munimento excubabant, tormentorum ictibus petitus mittitur, ut Mongomerium de obſeſſorum ſtatu edoceret. Ibi aliquandiu pugnatum a Scipione [e] Fliſco, [f] Baſtiae triremibus ultro procedentibus et hoſtilem claſſem laceſſentibus: ſed tormentis tantum res acta, Mongomerio ſub noctem recedente, qui mutante vento, converſa velificatione uſus, e conſpectu noſtrorum ſe ſubduxit, et [g] Bellam inſulam in Armorica ad [h] Ligeris oſtium ſitam, unde commeatus copioſus in caſtra comportabatur, occupavit, ibique eventum opperiens ſe munire inſtituit. Expoſtulanti ea de re apud Eliſabetham per oratorem ſuum regi reſponſum eſt, reginam in foedere nuper icto fidem interpoſitam religioſe ſervare decreviſſe, nec commiſſuram, ut eam violaſſe merito dici poſſit: quod ad auxiliareis attinet, eos praedones eſſe et exules, de quibus, ſicubi comprehendi poſſint, et ipſa ſupplicium ſumi expetat; nam injuſſu ſuo profectos, et falſa inſignia geſtare; in quos proinde ſi rex tanquam in piratas animadvertat, eum jure ſuo uſurum, et rem ſibi gratiſſimam facturum. Quam excuſationem rex in optimam partem accepit, quod ad exiſtimationem rerum ſuarum facere exiſtimaret, hoc reſponſo paſſim de induſtria a noſtris publicato, omnibus innoteſcere, potentiſſimam reginam in tali occaſione nolle a foedere diſcedere; et a Proteſtantium in Gallia tumultuantium partibus alienam eſſe [α].

VII. INFELICI ſucceſſu producta huc uſque obſidione, animi tandem principum et procerum quorundam renudati; qui ſive tumultum Pariſienſem peroſi ſive Proteſtantium cauſae addicti novarum rerum occaſionem quaerebant: his ſe ducem praebuit [i] Alençonius, ſive aemulatione Andini fratris, ſive quod ſenſum occiſi Colinii, quem unice diligebat, deponere non poterat: reſque facile cum Navarro et Condaeo, et Lanovio qui in noſtris caſtris erat, convenit, interventu Henrici [k] Turrii Turenae vicecomitis XVII annorum juvenis, qui jam tum magnum fortitudinis et ſolertiae in rebus agendis inſtar erat. Nam Navarrus Boniſacio [l] Molae, qui in Alençonii gratia pollebat, diffidebat, et rem ei commiſſam protinus ad Andinum emanaturam rebatur. Convenientibus illis, variae, ut inter male animatos ſed diverſa ſentienteis, dictae ſententiae. Quidam auctores erant, ut [m] Engoliſma et Joannis Angeriaci ſanum per delectos interciperetur; continuoque Alençonius, cum fida nobilitatis manu per Turenium ante tentata eo profectus, ſe palam ducem profiteretur, et ſparſos toto regno Proteſtanteis ad arma ſumenda exemplo ſuo vocaret. Sed cum in capiendis illis urbibus multum periculi, captis non parum difficultatis in iis conſervandis tam vicino exercitu futurum appareret, tum dubio eventu maximorum principum ſalutem in tantum diſcrimen praecipitari ſumme temerarium videbatur; et Lanovius, cui cuncti, ut par erat, plurimum deferebant, quam in proeliis audax tam in conſiliis periculoſis cunctator, ardorem juvenum quantum poterat maturitate ſua temperabat. Actum et de claſſe regia intercipienda; quod eo facilius confectu videbatur, quod infrequenteis in ea excubiae eſſent, graſſante jam tum inter tribunos legionum, ex quibus

VAR. LECT. [α] *Pagina ſequens de Alençonii, Turenii et aliorum conſiliis, uſque ad* Demum VII Kal. Maias *deeſt* D. f. o. d.

INTERPR. [a] *le comte de Montgomery.* [b] *la Sore, & Loret.* [c] *Chef de Baye.* [d] *le capitaine Mirant.* [e] *del Fieſco.* [f] *la Baſtie.* [g] *Belle-Iſle en Bretagne.* [h] *la Loire.* [i] *le duc d'Alençon.* [k] *de la Tour vicomte de Turenne.* [l] *de la Mole.* [m] *d'Angouleſme, & S. Jean d'Angely.*

quibus praeſidia in naveis mittebantur, avaritia, qui nec numerum militum regionibus ſervandis et ad claſſis cuſtodiam idoneum ſub ſignum habebant: et Turenius jam praetoriam vicecomitis [a] Uſacii conſcenderat. Sed, cum nec res periculo carere videretur, et claſſe regia intercepta incertum eſſet, an cum ea Rupellam intrarent, an in Angliam ad arceſſenda auxilia contenderent, eodem Lanovio auctore intermiſſa aliquandiu conſilia, quae claſſis Mongomerianae appulſu reſumpta ſunt, principeſque denuo in equis conſultaturi conveniunt cum Lanovio et Turenio. Ibi de conſcendenda auxiliari claſſe et petenda Anglia a praefervidis actum: hoc ad famam pertinere: nam toto regno ad tantam defectionem procul dubio motus ſecuturos; in praeſens res lapſas Proteſtantium erigi, ac ſimul vicinae expugnationis periculo praeverti. Contra diſſerebat Lanovius, cui cum Mongomerio alioquin minus bene conveniebat, obſidionem Rupellae minime urgere, neque tam periculoſo ac praecipiti ad eam ſolvendam conſilio opus eſſe: et vero, erga Gallos quo animati ſunt modo Angli, quibus tota fere auxiliaris claſſis conſtet, haud ſatis manifeſtum eſſe; et in Anglia tantorum principum cito ſubiturum taedium, Eliſabetha, quae paci, quae ſuorum incolumitati ſtudet, ſumptuum pertaeſa, et aegre ſe bello externo implicitura: quam vero pudendum, nulla neceſſitate cogente, taleis hoſpites ſalutem propriam ac decus tam parvi facere, ut pro aliorum ſalute ſupplices deprecaturi in externas oras venire non dubitent? aut quo vultu excepturam eos Anglam? quae quanquam humanitate nulli principum qui hodie ſunt cedat, ne tamen foedus nuper inter regem et ipſam quaſi renovatum violare videatur, aut eos conſpectu arcebit, aut admiſſos ſimulate increpabit; quicquid vero ad eos juvandos in occulto faciet, ita parce faciet, ut non tam re id profuturum quam ad famam nociturum appareat. Itaque ad praeſens ſatis videri factum, quod propenſam adeo voluntatem in juſta cauſa ſublevanda renudaverint, qua deinceps cum occaſio ſe offeret, aut major ſuadebit neceſſitas, contracta inde fiducia promptiores et ſine tergiverſatione in ea promovenda utantur. His viri juxta probi ac ſapientis admonitionibus compreſſa praefervidorum juvenum conſilia, quae, interim occultis itationibus et colloquiis inter eos agitata, tandem anno ſequenti in apertam conjurationem eruperunt. Demum VII Kal. Maias repetita [a] pulſatio: qua intermiſſa, ſub meridiem [b] Oartiſius et Vallius [c] Eſſartii, qui in urbe erat, frater, nomine Aodini ad [d] Cuneam portam venerunt, et colloquium popoſcerunt. Egreſſi [e] praetor, Eſſartius, et Odetus [f] Nortius urbis paſtor, et aliquanto tempore ſimul fuere. Poſt utrorumque diſceſſum ignis in cuniculum Evangelii propugnaculo ſubjectum injicitur, et dehiſcente terra multi utrinque abſorpti. Sub id nequicquam a noſtris oppugnatio tentata; tantum CC tormentorum ictus diſploſi. Poſtridie diſploſio integrata, ne foſſores in altero cuniculo parando occupati exaudirentur. Rurſuſque ad colloquium deventum die inſequenti, et utrinque cum mutua laetitia ac gratulatione diſceſſum. Dein ad Tadonem pugnatum egregie a noſtris ſub veſperam, exſcenſione etiam in foſſam facta, qui inde ab obſeſſis poſtremo depulſi ſunt, diſploſis interim CCCC tormentorum ictibus. Die inſequenti rurſus directa ad Evangelii propugnaculum verberatio. Ex Veneta etiam nave admodum crebris in urbem ictibus fulminabatur, undique accurrentibus quaſi ad ſummam oppugnationem copiis. Ibi dum acriter utrinque pugnatur, foeminis virorum galeis ſumptis, et omnia militaria munia impavide ad noſtrorum ſtuporem adminiſtrantibus, tandem pars Evangelii munitionis concidit, de cetero haud magno per cuniculum illato oppidanis detrimento Quinque horis certatum, quinquies repetito certamine, et diſploſi circiter a noſtris IↃCCC tormentorum ictus; qui tandem retro pedem tulere, a munitione vicina ponti a regiis ſtrato

CIƆIƆLXXIII.
Carolus IX.

VAR. LECT. [a] pulſatio a noſtris: qua *D. ſ. o.*

INTERPR. [a] *le vicomte d'Uza.* [b] *d'Ouarty, & de Vaux.* [c] *des Eſſarts.* [d] *porte de Coignes.* [e] *le maire.* [f] *de Nort miniſtre.*

CIↃIↃLXXIII. ſtrato oppoſita, quam [a] Bobinellus cohortis urbanae dux tuebatur, in latus ita infeſtati,
CAROLUS IX. ut conſiſtere in veſtigio non poſſent. In cuniculis quoque pugnatum, cum contrarios noſtris oppidani agentes ſibi invicem occurriſſent, et lanceis ardentibus, brevioribus ſeloppetis, ac gladiis res acta. Foeminarum quoque audacia in eo perſpecta, quae dimicando et ſtationes obeundo non ſecus quam viri ad aggerem et cuniculos excubabant.

VIII. PER hos dies [b] Campetus, cum ex vinculis profugiſſet, in [c] Aquitaniam tranſgreſſus ſociorum ope [d] Roianum in aeſtuario Garumnae rei frumentariae opportunum [e] Tremolliae familiae oppidum occupat, qnod poſtmodo deſerere coactus eſt. Tot adverſis ſucceſſibus et aliis incommoditatibus infracti noſtrorum animi, tamen novis ſubinde conatibus in ſpem potiundae urbis erigebantur: ſed lente fere res in caſtris adminiſtrabantur. Contra oppidani, de rerum noſtrarum ſtatu a regiis ipſis ſedulo edocti, a deſperatione et ſegnitie noſtra novos animos ſumebant, et nihil de diligentia et alacritate priſtina in bello, nihil in colloquiis de prioribus petitionibus remittebant. Jamque rari ex urbe in caſtra regia, plures ex caſtris ad obſeſſos transfugiebant; pauloque ante duo ex Santonica nobilitate equites ſtationem noſtram praetervecti, et umbilico tenus exſtantes, aeſtuariis ſuperatis, ſub meridiem cunctis deſpectantibus per [f] Molineam portam ingreſſi fuerant. Itaqne prid. Kal. Maias eruptione facta obſeſſi munitionem proximam Evangelii propugnaculo, quam a [g] Tallario captam noſtri ad hunc diem tenuerant, et pluteis atque aſſeribus munierant, trucidatis praeſidiariis cepere, moxque ſemidirutam deſeruere: eaque re aliquantum retardati noſtrorum ſunt conatus. Eodem die remiſſa ad Andinum poſtulata oppidanorum et nobilium, qui in urbe erant, dum bellum geritur, nuſquam intermiſſo aut abrupto de pace colloquio. Nocte, quae III Nonas Maias ſecuta eſt, oppidani producta machina, cui a forma grui nomen fecere, ignem e ponte in propugnaculnm injecerunt, ſed exiguo profectu: ac poſtridie Oartiſius ad Cuneam portam venit cum poſtulatis: ibi a praetore urbis exceptus, poſt longum et altercationum plenum ſermonem res in triduum rejecta. Interea igne in cuniculum injecto, cum milites ad vim faciendam deſtinati ſegniter incederent, nec adduci poſſent, ut in propugnaculum eniterentur, Strozzius et Gaſtius primarii duces ipſis exemplo ſuo praeire parati ab Andino revocantur. Quo eodem tempore res melius in foſſa geſta, ubi munitio a regiis reciperatur, diſploſis bis mille tormentorum ictibus, et ad diem retenta fuit: nam poſtridie e Cunea porta et munitione proxima erumpentes obſeſſi praeſidium regium inde depulerunt. Nec multo poſt Bironus ipſe in foſſae labro minoris tormenti e moenibus diſploſi ictu in femore percuſſus eſt. Repetitum dein per [h] Oartiſium colloquium, urgente negotium rege, qui Claudium [i] Pinarium, et mox Petrum Brulartum, utrumque a ſecretis epiſtolis, ea de cauſa ad Andinum fratrem legaverat, obſidionem, de cujus exitu multas ob cauſas verebatur, in longum extrahi indignatus. VI Eid. et ſequenti die varie pugnatum, eruptione ab obſeſſis per [k] Malabecam portam facta, et ſtatione caeſa ac in fugam conjecta: capto viciſſim a [l] Sancolumbo poſtridie [m] Riverii Lilii ſigno, quod ille in Evangelii propugnaculo ſtatuerat, et c circiter fariſſis, neque ullo alio operae pretio a noſtris facto, quamvis praeſidiariis ſomno ſepultis. Quem errorem cum altero poſt die emendare vellent, vim facturi vigilum ſtationem reperterunt, reque infecta abierunt. Sequentibus diebus ignis ab obſeſſis in regiorum pontem et munitiones injectus; a quo tam ſpiſſus fumus excitatus, ut noſtri locum deſerere ſemel atque iterum coacti ſint. Egreſſa interim plebe ad piſcationem, unde pauperrimi quique alebantur, leviter pugnatum.

IX. TANDEM

INTERPR. [a] *Bobineau.* [b] *Campet.* [c] *Guienne.* [d] *Royan.* [e] *de la Tremoille.* [f] *porte des Moulins.* [g] *de Clermont Talard.* [h] *d'Ouarty.* [i] *Pinart, & P. Brulart.* [k] *de Maubec.* [l] *de Ste Colombe.* [m] *la Riviere le Lys.*

IX. Tandem xvii Kal. Junias totis viribus ad propugnaculum certatum; quae CIↃIↃLXXIII.
octava oppugnatio a Rupellanis numerata eſt. Goas, Sancolumbus, Stephanus [a] Caſtri- Carolus IX.
ota Urbinas homo impiger ordines ducebant; qui, magna vi facta, ab obſeſſis majore repulſi ſunt, glandium grandine infeſtati. Sancolumbus et Caſtriota graviter vulnerati; et huic quidem mox femur amputatum, quod ſumma conſtantia pertulit. Deſiderati et complures alii, et in iis [b] Rancherius nobilis Biturix ex Gonzagae familia. Ex obſeſſis [c] Vergerius Bellilocus, qui egregiam admodum operam toto obſidionis tempore navaverat, in umbilico lethalem plagam accepit, ex qua mox deceſſit. Tum redintegrata verberatio, et ad ccc tormentorum ictus diſploſi; qua poſtridie continuata, diſploſi circiter cc ictus contra munitionem rotundam, a qua infeſtabantur regii, quam et demoliti ſunt. Magna erat in urbe pulveris ſulfurei penuria; quo fiebat, ut raris nec niſi deſtinatis ictibus obſeſſi ſcloppetos diſploderent, quod ſecuriores noſtros reddiderat. Sed navigio forte a [d] Mongomerio ſummiſſo et feliciter appulſo, jam diſtributo inter milites pulvere, obſeſſi diſploſione non parce, ut antea, ſed liberalius deinceps uſi ſunt: multique imprudentes e noſtris ſauciati ſunt; et inter alios [e] Poliacus, dum forte conſpicuus in equo ſpatiatur, a Vaſcone deſtinato ictu concidit; ex quo in caſtra relatus altero poſt die obiit; quo eodem die [f] Pigallarius ipſe in vallo ſauciatus eſt. Biduo poſt Helvetiorum legio jam diu exoptata in caſtra tandem venit, quibus ad [g] Ronſellium et Neſtraeum hoſpitium aſſignatum. Secure agentibus, qui in vallo erant, in infrequentiores ſtationes eruptio ab obſeſſis, ut credibile eſt prius monitis, tempeſtive facta eſt, trucidatis obviis quibuſque, et qui elabi poterant trepida fuga dilapſis, etiam machinis muralibus iii clavis confixis: verum diutius morati, accurrentibus regiis in reditu undique circumventi; ſe tamen eadem, qua venerant, virtute expediunt, deſideratis xx circiter ex ſuis, et in his [h] Marronerio nobili Pictone, et aliquot ſauciatis, cum [i] Bobinellus ſtrenuus ordinum ductor, eodem die ante eruptionem ſcloppeto interfectus fuiſſet. Occiſi e noſtris amplius ccc, et ix ſigna capta, quae poſtridie obſeſſi pro moenibus magno cum noſtrorum dolore erexerunt. Neque tamen a propoſito deſtitit Andinus, quod ex procerum conſilio ceperat, cuniculos agendi et raſtris ac ligonibus propugnaculi radices ſuffodiendi. Itaque quinque inſtitutis denuo cuniculis totum illud ſpatium, quod a Vetere fonte ad Evangelii munimentum pertinet, diruere aggreditur; quod, munimentis humilioribus tribus deſtructis, commode fieri poſſe peritis perſuaſum erat: quorum primum ab hoſtibus ultro relictum exigua caede occupatum fuerat; alterum ſaepius amiſſum, ſaepius receperatum eſt; poſtremum machinae curulis ad foramen delatae ope everſum: alia Cuneam portam verſus ſita ex foſſae labro minoribus tormentis verberabantur, ita ut dimidia foſſa tantum hoſtibus reliqua eſſet; ex qua tamen adducto tormento munitiones regias ad radicem Evangelii propugnaculi erectas infeſta pulſatione quaſſabant. Sub id tempus Monpenſerius in [k] Armoricam, cujus praeſes erat, ad excurſiones Mongomerii prohibendas et commodiorem commeatus ſubvectionem ab Andino cum copiis terreſtribus ablegatus eſt; quem paucis poſt diebus [l] [α] Radeſianus, Bellae inſulae nuper e ſacro opulenti illis locis coenobii patrimonio abſtractae creatus marchio, cum inſtructa claſſe ſecutus eſt, ut ex ea Mongomerianos expelleret. vii Kal. Junias repetita vehementiore quam antea verberatione, Helvetiorum copiae in aciem educuntur, contraria obſeſſorum verberatione paulum initio infeſtatae: dein ignis in cuniculos paratos, in quibus reſidua ſpes erat, inditur; qui cum fragore magno disjecto muro longe

VAR. LECT. [α] Albertus Gondius Bellae D. f.

INTERPR. [a] *Caſtriotto d'Urbino.* [b] *Rancher.* [c] *du Verger Beaulieu.* [d] *le comte de Montgomery.* [e] *de Pouillac.* [f] *de Puy-gaillard.* [g] *Ronſay, & Neſtré.* [h] *la Marroniere, gentilhomme de Poictou.* [i] *Bobineau.* [k] *Bretagne.* [l] *le comte de Retz, marquis de Belle-Iſle.*

CIƆIƆLXXIII. CAROLUS IX.

longe alio ab opinione eventu rem confecit, terra et ruderibus utrinque congeſtis, ita ut ruinae latera inde firmarentur, iiſque inſidentes deſenſores tanquam aggere ad id de induſtria exſtructo enitenteis noſtros crebra glandium grandine ſummopere infeſtarent. [a] Gaſtii et veteranae demortui Coſſenii copiae antecedebant, duce Philippo Strozzio, qui cum xxx centurionibus ac ſigniferis intrepide locum aggreditur. Subſequebatur Condaeus, decoris magis cauſa quam quod eam expeditionem probaret, et [b] Longavillanus cum delecta illuſtrium virorum manu. Ultimo loco, Guiſio et Engoliſmenſi notho ducibus, milites incedebant, qui, cum ſuperioribus certaminibus animo infracti ſegniter nec pro ducum imperio pugnarent, centurionum et imperatoris ipſius ſpem ſefellerunt. Quinquies repetito certamine, toties repulſi noſtri, foeminis pro muris et in foſſa certatim cum viris aemulatione ſupra ſexum ſtupenda certantibus. Tandem duo de xxx centurionibus aut amiſſi aut ſauciati; et in his Goas ipſe, qui primus in ruinam ſumma virtute conſcenderat, quo ex vulnere ſtatim deceſſit; complurium ſtipendiorum dux, qui, cum innumeris certaminibus interfuiſſet, nullum hactenus vulnus acceperat. Eo caſu territi ceteri, poſt diſploſos IƆCCC tormentorum ictus, pedem retulere. Deſiderati praeterea ex noſtris ccc amplius milites, cum ex obſeſſis xxv tantum periiſſent; et in iis [c] Blaſius ſtrenuus ordinum ductor fragmenti lapidis ictu occiſus. Parte alia ad [d] Tadonem ſcalae admotae, ubi comes [e] Ludius rem gerebat; et aliquanto tempore navis, quae catenam ſervabat, in noſtrorum poteſtate fuit. Nocte inſequenti ruina ita ab oppidanis ſarta eſt, ut firmior quam ante verberationem ea urbis pars cunctis appareret.

X. Post hanc oppugnationem, cum potius occaſiones honeſte ab obſidione diſcedendi quaererentur, quam potiundae per vim urbis ſpes ſupereſſet, commodum accidit, ut nuncius de Andium duce in regem Poloniae electo in caſtra perlatus ſit: unde eruptionibus et procliis levibus, interdum etiam continuata verberatione, belli potius fucus quam bellum fuit. Interim allatae Mongomerii literae, quibus de profectione ſua in Angliam, quo jam [f] Anguillarium legaverat, certiores oppidanos faciebat, et brevi cum auxiliis venturum ſe ſignificabat. Admotae et ad propugnaculum toties pulſatum a noſtris crates et viminea dolia: tum etiam ad Tadonem juxta [g] Sannicoleam portam, cura rei comiti Ludio et Jo. Petro [h] Peloiae harum rerum perito demandata. Tunc [i] Bravius ſtrenuus ordinum ductor, indigne ante a praetore habitus, ſpecie eruptionis ad nos transfugit; cujus diſceſſu aucta in urbe ſuſpicio, et VIII Eid. Jun. multi ex oppidanis in carcerem conjecti, quod diuturnioris obſidionis taedio et annonae in dies decreſcentis penuria pacis rationes iniri quotidianis ſermonibus et porrecto etiam libello expetere prae ſe ferrent. Biduo poſt eruptionibus aliquot certatum. Diverſa parte omnia lente et ſegniter in caſtris agebantur; et, jam de novo regno ac diſceſſu cogitantibus proceribus, milites ipſi parum ducum dictis audientes erant. Quo cognito, rex Nic. [k] Neovilllum Villaregium ab epiſtolis ſecretis, cujus prudentiae et fidei multum tribuebat, poſtremo ad fratrem miſit, cum mandatis, ut quavis ratione cum Rupellanis tranſigeretur: quod ut commodius et honeſtius conficeret, dum inutilibus hactenus colloquiis res extrahitur, tentatur denuo pridie Eid. Junias oppugnatio, novis actis cuniculis, et claſſe propius accedere juſſa, ut ex ea in portum et navalia infeſtis ictibus effulminaretur: tum, quo obſeſſorum vires diſtraherentur, bipartito fit impetus, et duobus locis ad ruinam itur, completa prius foſſa et ſubruto muro; ſed nimia feſtinatione praecedentium et ſegnitia ſubſequentium irritus conatus fuit: nam cum c circiter ex nobilitate in ſummum [l] Veteris fontis propugnaculum evaſiſſent, et in ruina diu conſtitiſſent, conſpicati foſſam interius ductam

et

INTERPR. [a] *le ſieur du Gaſt.* [b] *le duc de Longueville.* [c] *le capitaine Blaiſe.* [d] *Tadon.* [e] *le comte du Lude.* [f] *L'Anguillier.* [g] *porte de S. Nicolas.* [h] *Peloie.* [i] *le capitaine Brave.* [k] *de Neufville, ſieur de Villeroy.* [l] *Vielle-fontaine.*

CIƆIƆLXXIII.
CAROLUS IX.

et munitiones ad latera erectas, cum nemo conſequeretur, jam per illud otium creſcentibus oppidanorum animis, poſt denſam ſeloppetariorum grandinem tandem retro compulſi ſunt. Ludovicus [a] Claromontius Amboſianus, Buſſii nomine poſtea notior, juvenis manu promptus, et Julius [b] Centurio Genuenſis, et nonnulli alii graviter vulnerati in caſtra relati ſunt. Nec felicius res ad Evangelii propugnaculum eodem tempore geſta eſt, Guiſii, qui rei praeerat, imperia detrectante milite. Itaque poſtridie LX peditum ſigna ab Andino eam ob cauſam exauctorata, ac tribuni et centuriones aliquot dignitate moti, et in eorum locum valli ac munitionum cuſtodia proceribus ac Helvetiis attributa eſt. Ignavia quoque punita: quippe cum eruptionibus quibuſdam ſimulatis tantus pavor militem ſuperioribus diebus invaſiſſet, ut turpi fuga aggeres ac ſigna ſine certamine deſererent. Sub id Montalbanenſium legati in caſtra venerunt, quibus Rupellanos compellandi copiam fecit Andinus, miſſo cum iis Lanovio, qui cohortationibus ſuis et ſuo ipſorum exemplo oppidanos ad pacis conditiones accipiendas inflecterent. Conſultatione non citra altercationem habita, eo deliberatio rediit, ut obſeſſi, conſcientiarum, corporum ac fortunarum ſalutem ac libertatem ſibi omni ratione tuendam ducerent. Ita remiſſi legati, et, rurſus verberatione ad Sannicoleam portam a Ludio inſtituta, ſcalae admoventur, eo conſilio, ut inopinato oppidani opprimerentur: ſed re ab obſeſſis cognita conſilium irritum fuit. Graſſabatur in caſtris, ut fit in diutinis obſidionibus, mortifera lues, ex qua plerique nihil proficientibus remediis quotidie moriebantur; ac per hos dies ex ea, magno ſui deſiderio relicto, obiit vicecomes [c] Uzatius, ſtrenuus dux et rei maritimae apprime peritus. Cumque res jam coeptis et in poſterum deſtinatis colloquiis ad exitum paene ducta videretur, momento, paulum abfuit, everſae ſunt, illico diſploſis, dum imperator ſingula loca explorando intra munitiones cum Alençonio fratre ac Navarro deambularet, ab oppoſita turricula duabus minoribus machinis; quarum altera, pluribus ſed exiguis globulis oppleta, imperator ipſe in cervice, laeva manu ac femore innoxie perſtrictus eſt; altera Joannes [d] Garda Vinſius imperatori percharus, qui ſe ad flammae, quae ictum praecedere ſolet, conſpectum oppoſuerat, paene lethaliter in praecordiis ictus eſt; quo ex vulnere tamen raro medicorum ſtudio et incantamentis, ut creditur, curatus convaluit. Nec ea re tamen exacerbatus magis imperatoris animus, qui miſſis delegatis rurſus colloquium repeti mandavit: quod ultro citroque commeando, dum interea ſemper res hoſtilirer ſed lente agerentur, ad XI uſque Kal. Quintil. extractum eſt; quo die ignis in cuniculum a noſtris exeavatum injectus eſt, ſed contrario ac ſperabatur exitu, terra exterius rejecta, et difficilem aſcenſum ad Veteris fontis propugnaculum ſuperandum efficiente, urbemque ab ea parte magis firmante. Tum promota ad Sannicoleam portam III tormenta; et CCC ictus a Ludio contra eam diſploſi. Demum loco deſtinato cum delegati a rege Jo. [e] Scarſius Valliguidonius, Renatus [f] Villaclarus, Fr. [g] Balma Suzae comes, Joannes [h] Surchius Malicornius, [i] Blaſius Monlucius, Armanus Guntaldus Bironus, ac poſtremo cum [k] Lanovio et Bernardo [l] Fiza a ſecretis epiſtolis [m] Radeſianus veniſſent; ab oppido cum [n] Montalbani et Nemauſi delegatis, [o] praetor urbis, et [p] Garguilleus peditum praefectus venere; poſt crebras altercationes de Sancerra, quam pactis comprehendi imperator hactenus noluerat, conditiones hae perſcribuntur: Ut, quantum ad conciones, baptiſmorum et matrimoniorum celebrationem, integra omnia Sancerranis manerent; de cetero edicti beneficio excluderentur: Rupellae, Nemauſi, et Montalbani libera profeſſi opermitteretur: additum, quo auctoritas regi, dignitas regi Poloniae ſervaretur, ut Rupellani ſupplices ab ipſo tanquam

INTERPR. [a] *Clermont d'Amboiſe, ſieur de Buſſy.* [b] *Centurione.* [c] *d'Uza.* [d] *la Garde, ſieur de Vins.* [e] *d'Eſcars, ſieur de la Vauguyon.* [f] *de Villequier.* [g] *la Baume, comte de Suze.* [h] *de Cheurſes, ſieur de Malicorne.* [i] *Blaiſe de Montluc, & Armand de Gontaut ſieur de Biron.* [k] *la Noué.* [l] *de Fize, ſecretaire d'Etat.* [m] *le comte de Retz.* [n] *Montauban, & Niſmes.* [o] *le maire.* [p] *Gargouilland.*

CIↃIↃLXXIII. Carolus IX. tanquam regis legato praeterita condonari peterent. Eodem die reverſis in oppidum legatis, convocata ad tubae ſonitum nobilitate ac poſtea plebe, omnes publice rogati, vellent probarentve leges ab Andino propoſitas: et, aſſentientibus cunctis, poſtridie, cum ad locum conventum rediiſſent, reſponſum eſt a regiis, Poloniae regi, ſic enim jam appellabatur Andinus, in praeſentiarum non vacare, ut conditionibus ſubſcriberet; ceterum ſecuros Rupellanos eſſe jubere; nihil enim contra conditiones conventas factum iri, tempore per eam moram captato, quo rex de re omni edoceretur, et pacta conventa confirmaret. Interim induciae in ſex dies pactae: per quarum tempus rex Poloniae cum [a] Maranum valetudinis cauſa conceſſiſſet, per ejus abſentiam cuniculus igne fortuna concepto concrepuit, commotis mirum in modum oppidanorum animis, qui eo caſu a fide data diſceſſum aut diſcedendi occaſionem quaeſitam exiſtimabant: quod tamen tanquam imprudentia factum poſtea excuſatum eſt. Interea Franciſcus [b] Bellavilla, cui conditiones ad regem perferendae datae erant, in caſtra rediit. Itaque prid. Non. mota loco tormenta, et viminea dolia utrinque ſive amota ſive incenſa; ac quatriduo poſt Bironus urbem per Cuneam portam ingreſſus eſt, praecedentibus quatuor tubicinibus regiis ac feciali: tum praeconis voce edictum de pace per urbis plateas publicari mandat; epuloque in urbanis aedibus exceptus, ſub veſperam in caſtra rediit. Miraculi loco a Proteſtantibus atque adeo obſeſſis acceptum, quod, cum toto obſidionis tempore affatim et ſolito copioſius [c] ſurdones, ita vulgo dicti, oſtreorum ſeu [d] pectunculorum id genus eſt, in pauperculae plebis recedente aeſtu ad piſcationem ruentis eſum ſuppetiiſſent, ſoluta obſidione ſtatim evanuerint, neque diu poſtea ita frequentes viſi ſint. Edicto, motuum poſt IX Kal. Sept. excitatorum oblivio ſancitur; majorum religio locis, quibus ab illo die exturbata eſt, reſtituitur; Rupellanis, Nemauſenſibus et Montalbanenſibus libera doctrinae ſuae profeſſio juxta edicta in Proteſtantium gratiam facta permittitur; fidi regiae majeſtatis ſubditi et praeſidiis immunes declarantur; privilegia ipſis ſua confirmantur: item iis, qui ab illo die in eadem religione perſeveravere, domum redire, ibique cum omni conſcientiae libertate manere, et inde, quo velint, per univerſum regnum commeandi facultas datur: nobilibus, qui ſummam juriſdictionem habent, et ab illa die eandem religionem profeſſi fuerunt, conciones domi, baptiſmos et matrimonia celebrare, coenam adminiſtrare jus eſt: ſyngraphae et promiſſiones de ejuranda religione ab illo tempore factae irritae pronunciantur: omnes item ſententiae adverſus Proteſtanteis belli iſtius tempore latae, ſive in capitalibus ſive in civilibus cauſis, tanquam nullae et nullius effectus declarantur: cuncti dignitatibus, muneribus publicis ac bonis reſtituuntur: poſtremo additum, ad teſtificandam trium illorum oppidorum obedientiam, ut ad duorum inſequentium annorum ſpatium ex ſingulis urbibus quatuor e primariis civibus, quales rex pro ſuo arbitratu elegerit, in aulam veniant, et trimeſtri exacto commutentur. Iis, praeterea rex recipit, ſe gubernatorem impoſiturum, qui ſuo nomine regat pacate oppidanos, judiceſque minime ipſis ſuſpectos daturum. Sancerrani eo non comprehenſi, niſi generali clauſula, qua in religione ſua hoc ultimo bello perſeverantibus cautum eſt; qui interea ad [α] portentoſum, qualem antea diximus, finem redacti, ad Sextilem uſque inſequentem ſumma animorum obſtinatione obſidionem pertulerunt. Hunc exitum habuit bellum hoc quartum civile poſt tumultum Pariſienſem, cum debellatum caede illa omnino ab aulicis putaretur, in quarundam urbium oppugnationibus inchoatum et peractum, ac praecipue in unius Rupellae obſidione, quae regni totius robur et impetum in ſe concitatum per tot menſeis pertinaciſſime praeter omnium opinionem ſuſtinuit, et ad extremum fregit. Praeter Aumalium, Talarium, Coſſenium, Goam, ejus fratrem, et alios, XL bellatorum

CIↃ,

VAR. LECT. [α] extremum ac portentoſum *D. f.*

INTERPR. [a] *Marans.* [b] *de Belleville.* [c] *Sourdons.* [d] *petoncles.*

CIↃ, quae ad eam undique convenerant, caedibus, morbis aut alia peſte extinctis, et in his LX ordinum ductoribus: praeterea ingenti pecunia et apparatu bellico conſumpto; et poſtremo redactis ad eas anguſtias rebus, ut rex ea pace plus quam caede Pariſienſi, contra quam ei falſo perſuaſum fuerat, ſe lucratum exiſtimaret. Poſt obſidionem et proceres aliquot ex contagione tunc populariter ſerpente perierunt. Nam Helionorus [a] Aurelianus Longavillae dux [b] Bloeſis in itinere deceſſit; nec non Antonius [c] Cruſſolius Uticenſium itidem dux, cui ſine liberis defuncto Jacobus frater [d] Acierius antea dictus, qui jam relicta Proteſtantium cauſa regias partes ſequebatur, jure hereditario ſucceſſit. Novus Poloniae rex conſcenſa claſſe cum Alençonio fratre, Navarro, Condaeo ac pleriſque proceribus [e] Condivicinum Namnetum venit, et inde adverſo [f] Ligeri, votis [g] Cleriacae virgini nuncupatis ac perſolutis, Aurelianum regali pompa ingreſſus eſt IX Kal. Sextil. quem honorem rex frater novo regi haberi voluit, jam ejus potentiam et magnitudinem in regno ſuſpectam habens, et cum honorifice a ſe dimittere vehementer cupiens.

CIↃIↃLXXIII.

CAROLUS IX.

XI. [h] ANDINI in regem Poloniae creati mentio me admonet, ut electionis illius negotium, de quo ſuperiore libro aliquid obiter attigimus, nunc ab origine repetam, et pluribus explicem; et ante omnia quaedam de regno ipſo, ejus provinciis, regibus, et publica adminiſtratione, quantum ad rem ſatis erit, paucis praemittam. Ultra [i] Viſtulam, qui limes eſt Germaniae orientem verſus, late jacent Sarmatiae, [k] Europaea prima, deinde [l] Aſiatica, ad ſeptentrionem porrectae, quae [m] Tanai fluvio et [n] Maeotide palude diſcriminantur. In Europaea Poloniae regnum ſitum eſt; quod etiam citra Viſtulam verſus occaſum ad Oderam ſeu Viadrum uſque protenditur, et Pomeraniam ac Pruſſiam ampliſſimas Polonicae ditionis beneficiarias provincias, quanquam et eaſdem imperium Germanicum ſibi vindicat, Poloniam denique proprie dictam, a qua toti regno nomen, inter Viſtulam et Oderam amplectitur. Totum igitur regnum ab Odera ad Viſtulam et a Viſtula ad Boryſthenem hodie Nieperum dictum, a [o] Ponto Euxino ad mare Balticum, ab extremis Lithuanorum finibus ad Moſcorum et Suecorum uſque limites, extenditur. In Europaeae Sarmatiae ſpatio maximae ac frequentiſſimae regiones moribus ac lingua differentes, Polonia, Pruſſia, Maſſovia, Samogitia, Livonia, Lithuania, Volhinia, Podolia, in unum fortiſſimum regni corpus coaluerunt. Polonia, cui a Pole nomen, quod vocabulum planitiem et venationem ſonat, eo quod plana majori ex parte provincia et venationibus exercendis opportuna ſit, in majorem et minorem dividitur; et ab occaſu Oderam habet, et trans Oderam Germaniam omnium Europae provinciarum maximam, a meridie Pannonias, ab ortu Lithuaniam reſpicit; regio ferax, oppidis ac vicis et caſtellis frequens, fluviis crebris irrigua, et ad haec generoſa nobilitate abundans, quae armorum curam fere cum literis conjungit. Itaque et regionum viſendarum gratia nobiles ac primores adoleſcentes crebro lares paternos deſerunt, et magnam ſecum doctrinae copiam et optimarum rerum uſum non mediocrem, quod illis inclementis coeli rigore denegatur, ex peregrinationibus collectum domum referunt. Slavica lingua utuntur; ut et in Germania Bohemi, Sileſii et Moravi, a Slavis e [p] Roxolania populis profecta; qui circa Attilae Hunnorum regis tempora vacuas Vandalorum ſedeis occupaſſe et in interiorem Germaniam victricia arma intuliſſe memorantur. Ab iis, ut genus, ſic lingua propagata hodie quam latiſſime per ſeptentrionem et orientem patet; eaque fere, praeter eos, quos dixi, [q] Vindae, Baltico mari vicinae gentes, Pomerani, Luſatii, Roxolani, Moſci, quorum non ſolum in Europa ſed etiam in Aſia latiſſimum

eſt

INTERPR. [a] *D'Orleans, duc de Longueville.* [b] *Blois.* [c] *de Cruſſol, duc d'Uzez.* [d] *le ſieur d'Acier.* [e] *Nantes.* [f] *la Loire.* [g] *Noſtre Dame de Clery.* [h] *le duc d'Anjou.* [i] vulgo *Weiſſel.* [k] *la Ruſſie.* [l] *la Tartarie.* [m] *le Don.* [n] *Mare delle Zabacche.* [o] *Mare Maggiere.* [p] *Ruſſie.* [q] *Vandales.*

CIↃIↃLXXIII. Carolus IX.

eſt imperium, [a] Circaſſii etiam Quinquemontani ad Pontum habitantes, Raſciani, Moeſii, Serviani, Bulgari, [b] Boſnienſes in Illyrico, Dalmatae, Iſtri, Carniolani, ac denique Carinthii utuntur. Poloni Miecislao duce circa annum Chriſti IↃCCCCLXV ſacra Chriſtiana ſuſcepere, Joanne XIII Romae ſedente. Antiquiſſima apud eos urbium Gneſna, a [c] Lecho primo gentis duce, uti fertur, condita, et a Gniaſdo, quod nidum patria lingua ſignificat, appellata, quod in eo loco aquilarum nidum reperiſſet Lechus; unde principibus Polonis alba aquila expanſis alis inſigne etiam hodie manet. Urbs archiepiſcopali ſede decorata eſt. Archiepiſcopus legatus Romanae ſedis natus et totius regni Primas habetur; et, ſubſtracto e vivis rege, etiam munere apud Polonos fungitur regio; mittendarumque ad exteros legationum, cuſtodiendorum finium et promulgandorum comitiorum jus habet: regem electum pronunciat, ſacro oleo inungit, regiumque diadema imponit: in ſupremae dignitatis ſignum ſublatus praefertur ei baculus, et cibum ſumpturo tympana militaria pulſantur, qui honos ſoli regi in Polonia habetur. Aula nulla poſt regiam praeterquam archiepiſcopalis cenſetur; et aulici familiares ejus, non famuli, ut ceterorum epiſcoporum, vocantur. Poſtea Cracus, qui circa annum Chriſti IↃCC regnaſſe ſcribitur, Cracoviam ad Viſtulae ripam aedificavit, in eaque regiam ſedem fixit. Poſtea Popielius ſenior regionis montanae pertaeſus, in qua ſita eſt Cracovia, regium tribunal Gneſnam retulit; et rurſus Vladiſlaus regiam circa annum CIↃCCCXX Cracoviam tranſtulit, quae et epiſcopali ſede et arce a Sigiſmundo I in colle [d] Vanelo conſtructa maxime inſignis eſt, et tribus oppidis contiguis, Caſimiria, Cleparia et [e] Stradomio, frequentiſſima efficitur. Caſimiria Stradomio et interlabente Viſtula, qui receptis amplius XIV magnis fluminibus apud [f] Gedanum, urbem borealis orae nobiliſſimam et emporium illis locis celeberrimum, in mare exoneratur, a Cracovia ſeparatur, ampliſſimo ponte interjecto facultatem ultro citroque commeandi praeſtante. Caſimiriae conjunctus eſt Hebraeorum vicus; quem illi olim promiſcue cum Chriſtianis habitabant, poſtea ſeparatim, ut ſe a plebis injuriis aſſererent, locum hunc multis magnis et elegantibus aedificiis exſtructis occuparunt. Praeterea Cracoviae gymnaſium eſt et ſchola ab Vladiſlao I Jagellone inſtituta, in qua mathematicarum artium, philoſophiae, theologiae ac juris ſtudia florent ac docentur. Altera Poloniae urbs eſt [g] Poſnania, quam [h] Warta celebris fluvius alluit, poſt Cracoviam et ſuperbarum aedium ſplendore ac magnificentia mercatorum atque opificum omnis generis numero et omnium rerum non ſolum ad uſum ſed etiam ad luxum neceſſariarum copia ceteras antecellens, epiſcopali et ipſa dignitate inſignis. Secundum has duas primarias [i] Vladiſlavia ſive Cujavia numeratur, quanquam nec aedificiis neque opibus cum utraque comparanda; cujus epiſcopo ampliſſima dioeceſis ſubeſt, nempe tota Pomerania, et Gedanum ipſum, de quo modo diximus. Sunt in ea provincia praeterea aliae urbes et oppida, quibus et ab illis cognominatis regionibus Palatini, quos lingua patria Vaivodas appellant, quaſi militiae duces dixeris, praeficiuntur; iique ſunt, qui amplioribus provinciis praeſunt: nam Caſtellani anguſtiorum regionum ſunt praefecti. Lithuania poſt Poloniam ſequitur, ampliſſima, ſed vaſta provincia, campeſtris, pabuli ferax, nemoroſa, et pluribus aeſtate locis, poſtquam nives colliquatae ſunt, paluſtris. Fluvios nobiliores habet [k] Narvam, [l] Chrononem et [m] Bereſinam copia piſcium maxime abundanteis; praeterea Vilnam et Veliam, qui ad Vilnam de alterius nomine dictam urbem totius provinciae metropolim confluunt. Vitibus regio, propter coeli rigorem, ut et Polonia caret: ſed populares birra atque cerviſia, ex aqua tritico vel hordeo et lupulo cocta, item medone, ex aqua melle lupuloque confecto, utuntur. Martarum, caſtorum, harmelinorum,

aſpreolorum,

INTERPR. [a] *Circaſſiens des cinq montagnes.* [b] *la Boſnie en Eſclavonie.* [c] *Lech.* [d] *Vanel.* [e] *Stradom.* [f] *Dantzick.* [g] *Poſen.* [h] *la Warte.* [i] *Vladiſlau* ou *Cujavie.* [k] *Nerva.* [l] hodie *Memel ou Niemen.* [m] *Berecznie.*

aſpreolorum, nigrarum et albarum vulpium, luporum, pantherarum, urſorum pelles CIↃIↃLXXIII.
Lithuani in omnem Europam tranſmittunt, Hercynia ſilva bonam provinciae partem CAROLUS IX.
occupante; in qua praeter alia animalia viſuntur et jubati biſontes taurorum ſpecie, cornibus quandoque ſic diductis, ut treis procerae ſtaturae viros eorum intervallum capiat: alces item cervina effigie, colore tamen ad albedinem inclinante, cornibus nonnihil differentibus producit; quae velociſſime currunt, ſed inſtar equi gradarii. Pellibus biſontis et aliis praeparatis in bello utuntur milites; carnes etiam inter delicata obſonia numerant: et alcinae quidem ungulae, ſi ſtatis temporibus abſcindantur, praeſentiſſimum adverſus comitialem morbum remedium credunt. A Libone quodam Roma exule fabulantur nomen provinciae inditum, quaſi [1] Liboniam dicas; quae poſtea primis mutatis literis Lithuania appellata ſit: et argumento eam fabulam firmant, quod multas Latinas voces eorum lingua admiſtas habeat. Nobilitas in ea magna, et primariae dignitatis viri; in quibus dux [a] Slucenſis, qui incredibili privatarum opum apparatu vel aliquibus Germaniae et Italiae principibus exaequari poteſt: item [b] Olicae duces ex illuſtriſſima [2] Radevilliorum familia; ex qua Sigiſmundus Auguſtus Barbaram lectiſſimam foeminam in uxorem duxit, Nicolai ſororem, cujus induſtria et virtute juris Polonici Livonia facta eſt, ſicuti ſuo loco diximus. Magna et clariſſimae [c] Chodkieviciorum comitum gentis inter Lithuanos et aliorum dignitas eſt. Ultimi ſeptentrionalium ad illas partes Chriſtianis ſacris initiati ſunt circa annum CIↃCCCXXCVII, epiſcopo Vilnae ab Vladiſlao Jagellone tunc inſtituto; cujus ſucceſſores Graecorum ritibus addicti, diu patriarcham Conſtantinopolitanum, ut et [d] Roxolani, ſolum agnoſcentes, Romano pontifici obtemperare noluerunt. Prope Vilnam Tatari gens Scythica ſupra [e] Vacam amnem agros colunt, Mahumetanae ſuperſtitioni addicti; quos Vitoldus anno ſalutis CIↃCCCXCVI ex media Scythia abductos cum uxoribus et liberis in media Lithuania collocavit. Ii ſuis legibus vivunt, et ex aequo cum Lithuanis magni principis imperium agnoſcunt, eorumque opera rex in bello uti conſuevit. Cum ceteris Tataris continuum magis quam infeſtum bellum gerunt Poloni, quippe in Podoliam et Ruſſiam uſque fere excurrentibus: et hoc quidem anno, in feriis Paſchalibus, CIↃIↃCCC ex iis, Baca et Sicoza ducibus, ad Baram uſque arcem progreſſi ſunt, viciſque aliquot et praediis circumjacentibus ſuccenſis, dum onuſti praeda revertuntur, a familia [f] Buczacii praefecti [g] Camienecenſis inopinata eruptione circumventi ſunt ac trucidati, ſpoliis receptis. Lithuaniae principes Magni Ducis titulum uſurpabant, non ab imperatoribus conceſſum, ſed, ut Moſcorum principes plurium ducum ditionibus in unum coaleſcentibus hanc praerogativam ſibi privata auctoritate ſumpſerunt, ita et Lithuanos duces feciſſe vero ſimile ſit. Ceterum inter magnos Lithuaniae duces praeſtantiſſimus fuit [h] Jagello a [i] Gedimino genus trahens Olgirdi filio, qui abrogatis gentilium ſuperſtitionibus primus Chriſtianorum ſacris initiatus eſt, Vladiſlai nomine accepto, et reginam Hedwigen Ludovici Hungariae et Poloniae regis filiam, quam Poloni regio diademate ornaverunt, uxorem duxit, et dotale regnum cum uxore accepit anno ſalutis CIↃCCCXXCVI: atque ut parem Polonis omnibus tam praeclari beneficii referret gratiam, poſt conſummatum cum regina conjugium, Lithuaniam omnem cum Samogitia, et ea Roxolaniae parte, quae in ditione ejus erat, Poloniae regno jure ſempiterno adjunxit, et regibus Polonis obnoxiam fecit. [3] Ab eo ſtirps regum Poloniae propagata eſt, quae in Sigiſmundum

Auguſtum

INTERPR. [a] *le Duc de Sluski.* [b] *Olika.* [c] *Chodkiewicz.* [d] *Russes.* [e] *Vaca r.* [f] *Buczacz.* [g] *Kaminiek.* [h] *Jagellon.* [i] *Gedimin.*

NOT. [1] *Liboniam.*] Livoniam a Libone dictam veriſimilius credi poteſt, quaſi *Liboniam*: nam B in V facilis eſt mutatio. *Put. L.*

[2] alias *Radzevilliorum.* *Put. L.*

[3] La race des Jagellons a duré en Pologne 185 ans; elle commença l'an 1386, & finit l'an 1571, aiant été preferée par election à toute autre famille. *Put. L.*

Auguſtum anno [1] ſuperiore defunctum deſiit. Lithuaniae Roxolania regio ſubeſt; quod nomen tamen latius paret, et, ut nomen ipſum praefert, diſſeminatam gentem ſignificans, quicquid terrarum eſt inter mare Balticum et Livoniam, Sueciam, Oceanum glacialem, Volgam, qui Rha hodie appellatur, Maeotim paludem, Pontum Euxinum, montes Sarmaticos, Poloniam, Lithuaniam et Samogitiam complectitur; in duaſque regiones dividitur: quarum altera Carpathios montes non longe a Cracovia attingit, et ſecundum [a] Tyram ad Walachorum fineis, atque ex altera parte [b] Boryſthenem et Pontum Euxinum porrigitur; tum ad utramque [c] Axiaci fluminis ripam vergit, et a Tanai Europae et Aſiae limite ad Aſtracanum nobile emporium in citeriore Volgae ripa, ad cjus fere oſtia, ubi a Medis, Perſis, Armenis, Scythis et Moſcis nundinae celebrantur, per vaſta terrarum ſpatia extenditur: inde Volga non magno interjecto ſpatio in LXX ramos ſcinditur, plurimis inſulis factis, totidemque per oſtia navigabilia in mare Hyrcanum ſive Caſpium evolvitur. Et haec quidem Roxolania, quae ultra Boryſthenem ad Perſarum uſque fineis extenditur, magno Moſcoviae duci paret: haec, quam regiam vocamus, [d] Leopolienſi, Lublinenſi, Belſenſi, nec non Podoliae, Volhiniae, [e] Kioviae, Circaſſiae et Podlachiae regionibus comprehenditur. Eodem jure, quo Lithuania, atque adeo cum Lithuania in regni Polonici ditionem conceſſit; ſicuti et Samogitia, quae [f] Prutenis et Livonis intermedia cum Lithuania contigua eſt: ferax frumenti et leguminum, ſilvis et nemoribus amoeniſſimis exornata, ſed nulla celebri urbe aut illuſtri oppido inſignis. Maſſovia autem doctiſſimorum et fortiſſimorum virorum foecundiſſima, cum antea communi totius Poloniae nomine cenſeretur, tunc primum peculiarem adepta eſt appellationem, cum Maſlaus ſive Maſos Miecislai Polonorum regis pocillator, circa annum Chriſti CIϽXXXIV, ardente bellis civilibus regno, mortuo rege, provinciae dominationem invaſit, eamque de ſuo nomine Maſſoviam vocavit: verum a Caſimiro I deinceps una cum Prutenicis auxiliaribus victus, et tandem etiam ſupplicio affectus, vitam cum principatu amiſit: nomen tamen ſemel regioni inditum ab eo tempore manſit, quamvis provincia ad ampliſſimi regni corpus reverſa: Viſtula, Narva et [g] [2] Bugo irrigatur; et uros, quos et turos patria lingua vocant, boum ſilveſtrium genus nigrum, ſola producit. Metropolis ejus eſt Warſavia ad Viſtulam, cui ligneo ingenti ponte conjungitur, ubi ob loci opportunitatem comitia regni celebrantur. Secundum eam Ploſcovia dignitate praecipua eſt: utraque epiſcopalis civitas. Pruſſia ſive Boruſſia et Livonia ſuperſunt, ampliſſimae provinciae regni Polonici beneficiariae, de quibus cum ſuperioribus libris, qua ratione in ditionem Polonicam conceſſerunt, abunde dixerimus, non eſt quod earundem rerum repetitione lectori moleſti ſimus.

XII. INITIO apud Polonos ſumma poteſtas penes unum fuit; iſque Lechus memoratur, de quo diximus: quo ſublato, principis unius imperium pertaeſa gens XII ex omni procerum numero ſibi duces ſeu palatinos creavit; quibus et ſummam univerſae reipublicae commiſit adminiſtrationem. Sed rurſus ad unum delata poteſtas eſt; qui Cracus fuit Cracoviae conditor circa annum Chriſti IϽCC: cujus ſtirpe extincta Palatini rurſus rempublicam geſſerunt; donec Primiſlaus, homo plebeius, ſed aſtuto ingenio et virtute ſupra nataleis, cum feliciter rem adverſus Hungaros geſſiſſet, anno LX ſaeculi inſequentis omnium ſuffragiis princeps creatus eſt: quem alii atque alii longa temporum ſerie principes ſecuti ſunt, uſque ad Boleſlaum I, qui ab Othone III Caeſare, repudiato Ducis nomine, quo majores ſui contenti vixerant, in civitate Gneſnenſi, Rex ſocius et amicus Romani imperii appellatus eſt, anno Chriſti CIϽI: quod cum ſucceſſores diu ſervaſſent, eo tandem Boleſlaus II poſt patratam Staniſlai

epiſcopi

INTERPR. [a] *Nieſter r.* [b] *le Nieper r.* [c] *Oczakow.* Bonfin le nomme *Hakſak.* [d] *Leopol* ou *Lemberg*, *Lublin*, & *Belz* ou *Belcz.* [e] *Kiow.* [f] *ceux de Pruſſe & de Livonie.* [g] *le Bog.*

NOT. [1] l'an 1572. [2] Mercator putat Bogum eſſe Hypanim Scythiae Europaeo. *Put. L.*

epiſcopi necem privatus eſt, quod tamen ſaeculis aliquot deinceps Primiſlaus re- CIƆIƆLXXIII.
ſumpſit, ex nobilitatis conſilio a Jacobo archiepiſcopo Gneſnenſi regio diademate in- CAROLUS IX.
ſignitus, anno CIƆCCXCV. Ab eo regium nomen manſit et dignitas regia, ſed cum moderato potentiae temperamento: nam quamvis princeps ſupremam poteſtatem habeat, maxima tamen auctoritas remanet penes regni ſenatum, qui ex nobilitate conſtat, plebe ab univerſa reipublicae procuratione omnino ſummota; ita ut optimatum veluti auctoritas regio imperio, regia viciſſim poteſtas ſenatus et equeſtrium virorum libertate temperetur; ſic fere, ut ampliſſimum illud imperium regio ſplendore refulgeat, et regia in eo poteſtas, quae plerumque ad libidinem et inſaniam vergens, cum cuncta licent, omnium ſcelerum et injuſtitiae ſeminarium eſt, ſapientiſſimis ſenatorum et nobilitatis animadverſionibus intra aequitatis terminos contineatur: itaque, cum apud alios quicquid regibus placuit legis habeat vigorem, heic non modo nullam ſine ſenatus conſilio et nobilitatis aſſenſu fert legem, ſed et legibus regni ipſe obtemperare jubetur. Incredibilis tamen eſt regum in Polonia majeſtas, ac ſubditorum erga eos cultus, cum ex praeſcripto legum regnare judicantur. Quod enim praecipuum eſt, ſumma eſt juris dicendi penes eos poteſtas; et, quanquam nihil in quemvis ſine publici judicii auctoritate ſtatuant acerbius, [a] condonandi tamen mulctas, et ab legibus patrata nece gratiam faciendi jus habent. Poſſunt et ad repentinos reipublicae motus urgente periculo univerſam nobilitatem ſigno dato ad arma vocare, et irruentibus hoſtibus ſub vexillis opponere, mercenarium militem conſcribere, creare militiae magiſtros, exercitum exauctorare, et in militarium ſanctionum violatores animadvertere. Sed potiſſima eorum in creandis magiſtratibus et honoribus ac dignitatibus in eos, quos dignos cenſuerint, conferendis, facultas ſpectatur. Nam archiepiſcopos, epiſcopos, coenobiarchas, eccleſiatum primicerios dicunt; palatinos, caſtellanos, mareſcallos, cancellarios, theſaurarios, qui ſunt regni ſenatores, ex arbitrio ſuo faciunt; gubernatores, et quos capitaneos vocant, ceteroſque regionum judices ac magiſtratus in ſingulis praeficiunt provinciis; ſecretarios, ſupplicum libellorum magiſtros, ac reliquam curialium miniſtrorum turbam creant; plebeios homines propter egregia bello et pace erga rempublicam merita jure nobilitatis ornant; caſtella, pagos, vicoſque regaleis viris de ſe ac regno bene meritis utendos concedunt; proſcriptorum et ſine legitimis heredibus decedentium agros nobilibus viris in perpetuum donant: omnes demum legationes, leges, literae, diplomata, privilegia, et univerſa foederum, induciarum et bellorum negotia regio nomine conficiuntur, ac regiis ſigillis firmantur; ita tamen ut in iis maximam auctoritatem tota regni univerſitas habeat. Ad haec accedunt opes non mediocres. Nam ampliſſimum regum eſt toto regno patrimonium; portoria ex mercatura complura: magna quoque pecuniae vis ex ſodinis ſalis e profundiſſimis terrae venis raro naturae beneficio tanquam e ſaxo eruti quotannis in aerarium inſertur; quales ſunt apud [a] Bochnam et Veliſcam in ſatrapia Cracovienſi, apud [b] Haliciam, Colomeiam, Salum, et aliis pluribus [c] Roxolaniae locis: praeterea in deſertis Podoliae ad [d] Boryſthenem locis lacus eſt, cujus aqua ſereno et ardente ſole in ſolidum ſalem concreſcit; ita ut homines cum jumentis et curribus in eo tanquam in glacie verſentur, ſectumque in fruſta arbitratu ſuo avehant. Sed vilitas annonae, et nobilitatis immunitates ac ſacri Ordinis inprimis, in cauſa ſunt, ut ampliſſimi regni, quam vicinorum, cenſus ſit tenuior: nam nobilitas univerſa omnibus ſoluta vectigalibus, bellica tantummodo munera privatis obire ſtipendiis tenetur, idque non niſi ad propulſandam hoſtium vim intra Sarmatici regni fineis: nam ſi ad inferendum exteris

VAR. LECT. [a] tamen et pecuniarias et capitaleis poenas legibus inflictas condonandi jus habent. *D. f.*

INTERPR. [a] *Bochnia, & Vielijczka.* [b] *Halicz, Colomeie, & Sale.* [c] *Ruſſie.* [d] *le Nieper.*

CIↃIↃLXXIII.
CAROLUS IX.

exteris gentibus bellum extra Poloniam proficiſci jubeantur, ſingulis ternis menſibus quinos aureos nummos ſtipendium in haſtam accipiunt. Ita ſacro Ordine et nobilitate ab omni onere immuni; coloni equeſtrium hominum, ſenos in ſingula jugera circiter ſolidos, agnoſcendae regiae poteſtati, pendunt: regia item plebs moderatum vectigal exſolvit. Interdum regibus, ex ampliſſimi Ordinis ſententia, licet, univerſis regni Ordinibus tributum imperare in communeis et publicos regni uſus. Tam exiguo aerario innumerabilis, et qui ceterorum Chriſtiani orbis principum opes ſuperat, equitatus ex milite voluntario apud eos conficitur. Nam rex ex ſolis nobilibus, qui privatis ſumptibus regno militare aſtricti ſunt, centum quinquaginta millia gravioris et levioris armaturae militum cogere, et in aciem, ſi neceſſitas ferat, educere poteſt. Secundum regem maxima eſt et auguſtiſſima ſenatus auctoritas; ad quem admittuntur Gneſnenſis et [a] Leopolienſis archiepiſcopi, et VII epiſcopi; quo in numero [b] Boruſſiae epiſcopi non cenſentur: poſt eos ordine veniunt palatini, numero XV, ut penes quos olim ſublatis regibus ſumma reipublicae adminiſtratio bis fuerit: et ultimi caſtellani LXV; inter quos Cracovienſis palatinus, veteri praerogativa, palatinos omneis et dignitate et in dicenda ſententia anteit. Sunt et alii, quos regni officialeis vocant, puta mareſcalli II Poloniae et Lithuaniae; cancellarii item II, et totidem procancellarii; quorum illi ambarum nationum ſigilla majora, hi minora ſervant; ſummus ſecretarius, et II libellorum ſupplicum magiſtri, qui ſubditorum querelas ad regem deferunt. Ita numerus omnium [a] XCVIII conficit; quorum alii majores, alii minores conſiliarii appellantur; quibus et Sigiſmundus Auguſtus alios recenter adjecit. Senatores a rege in concilium vocantur: praeſentes quidem, quoties opus eſt; abſentes non niſi juſtas ob cauſas, ut ſi comitiorum tempus incidit, aut nuptiarum principis aut liberorum ejus celebrandarum cauſa, aut cum quis ſocius aut regno obnoxius dux in verba regis juraturus venit. Omnibus eadem eſt perpetua et conſtans tuendae publicae libertatis et propagandi regni voluntas: et, cum deliberant, libere et ſaepius acerrime ſententias dicunt; principem imprudentius regnantem objurgant, atque uno conſenſu et incorrupto judicio ſanctiſſima majorum inſtituta et univerſas communis patriae leges inſuperabileis defendunt, quippe ex praecipua totius regni nobilitate generis et virtutum commendatione delecti et exacto fidei ſacramento in ſenatum cooptati. Iis quoque ſummus honos a principe habetur: nam et venientibus ad ſe caput aperire ſumma cum oris ſuavitate et in proximo ſedendi poteſtatem facere rex conſuevit. Alii ſunt, praeter ſenatores, et regni munerum curatores; ut aerarii quaeſtores, capitanei, quos vocant, qui ſunt in minore Polonia XL, in majore XXX, in Maſſoviae principatu XII, vexillifer, pincerna, dapifer, ſtructor. Splendidiſſimus militiae totius regni ducis in exercitu magiſtratus, penes quem, ut principis vicarium, in acie rei ſumma reſidet, potiſſimum excellit: quare hoc tam illuſtri honoris gradu non niſi primarii donantur ſenatores: ſecundum quem et alii belli duces, quos campeſtreis vocant, ſed longo proximi intervallo numerantur. Ea autem ſumma ſenatorum, et contra moderata principis in Polonia poteſtas, ex eo locum habuit, quod qui reipublicae clavum tenet, non naturae legibus, quemadmodum ceterarum gentium reges, in paternum et avitum regnum ſuccedit, ſed communibus ſenatorii et equeſtris ordinis ſuffragiis publicaque totius nobilitatis acclamatione rex eligitur: et quanquam ſuperiores reges continuato fere temporum contextu alter alterum ex eodem genere exceperit, hoc non juri hereditario, quod ſibi vindicare prohibentur, ſed virtutibus et innatis nobilitati Poloniae erga regiam prolem ſtudiis aſcribi debet; quae natos paternae virtutis heredes futuros cum ſibi perſuaderet, quod in parentibus admirabatur, hoc de filiis eorum ſperare facile potuit. Ita tamen filii in paternum ſolium ſuccedebant,

VAR. LECT. [a] XCVI *D. ſ. o.*
INTERPR. [a] *de Leopol de Ruſſie.* [b] *la Pruſſe.*

ſuccedebánt, ut non hereditate, ſed nobilitatis conſenſione regnum deferri exiſtimarent; electione eo conſilio prudentiſſime inſtituta, ut ſi qui reges, quod in ſumma poteſtate fere uſu venit, aut ab officio deflectere vel publicam oppugnare libertatem vellent, hac ſaltem neceſſitatis lege et liberorum charitate in officio continerentur. Sic [a] Piaſtorum ſtirps IↃ, Jagellonum familia cc circiter annorum ſpatio in Polonia ordine ſucceſſorio regnavit. A primis regni incunabulis, hoc eſt, ab anno Chriſti IↃL uſque ad Sigiſmundi Auguſti obitum novies interregnum in Polonia fuit: et primum quidem, quanquam obſcuris teſtimoniis numeratur, cum, deficiente Lechi ſobole, Viſimirus ſeu Craeus ad regnum electione vocatus eſt: ſecundum poſt Craci mortem ſecutum eſt; quo tempore XII palatini rempublicam adminiſtrarunt: tertium fuit, cum, dirempta de principatu per equorum curſum controverſia, [b] Leſconi infimae ſortis juveni ſceptrum obvenit: quartum poſt [c] Popielum II [d] Cruſviciae a muribus devoratum, ut tradunt eorum annales, quando Piaſtus ille Cruſvicienſis civis et agri cultor, probitate pollens, omnium conſentientibus votis princeps deſignatus eſt: quintum poſt Miecíſlaum II, quando uxor ejus ob regnum perverſe adminiſtratum a Polonis imperium foemineum exoſis, Caſimiro etiam herede innocuo excluſo, pulſa eſt: ſextum, cum, poſt Primiſlaum ab Othone Lango et Brandeburgicis occiſum, Weneeſlao Bohemiae regi ſumma delata eſt: ſeptimum poſt Caſimiri Vladiſlai filii mortem, cum Ludovicus Hungariae rex Polonorum ſuffragiis ad regnum vocatus fuit: octavum denique, quando, poſt Ludovici mortem, Jagello Lithuanus regni gubernacula ſuſcepit; cujus progenie in Sigiſmundo Auguſto deficiente, res poſtremo ad interregnum anno ſuperiore rediit.

XIII. EJUS orbitas, etiam antequam moreretur, multos ad ambiendum regnum invitaverat; et Maximilianum Caeſarem ſororium ejus inprimis, qui regnum Erneſto filio petebat; ut et Joannes Sueciae rex Sigiſmundo itidem filio, puero tunc vix octavum annum egreſſo, qui poſtea, ſed aliquot annis elapſis, illud adeptus eſt. Ambiebat et illud regnum Joannes Baſilii filius, Ruſſorum princeps, aſtutia et immanitate tantum inſignis. Nos quoque eadem ambitus prurigo tetigerat inſtigatu Joannis Monlucii epiſcopi Valentini, qui reginae parenti vaſti animi foeminae auctor fuerat, ut Andium ducem filium Polonis proponeret: eamque ob cauſam ipſe ſuperiore anno in Poloniam cum ampliſſimis mandatis miſſus fuerat, Coninii ob luis per hyemem tota ea regione graſſantis periculum ſubſiſtere coactus. Praeter eos competitores, inter Polonos potens erat eorum factio, qui regem e ſuo ordine eligi reipublicae intereſſe exiſtimantes, in id totis ſtudiis incumbebant ut externi principes a regni petitione ſummoverentur. Eum autem regem Piaſtum vocabant, jucunda illius Piaſti renovata memoria, qui cum poſteritate ſua complures annos apud ipſos feliciſſime regnavit. Et priores quidem duos proximitas ac vicinia rebus regni opportuna commendabant; ſed huic infirma aetas; illum, etſi adultior, tamen uſu et experientia nondum reipublicae adminiſtrandae idonea excludebat. Moſcovitam et inveteratum gentis odium et religionis diverſitas, tum ſuſpecta Turcis potentia, quorum et in ea electione rationem ſibi habendam prudentiores Poloni exiſtimabant, omnino removebant. Quae ultima ratio etiam Erneſto, quo minus acciperetur, non mediocriter nocuit. De Piaſto creando etſi major et melior pars aſſentiebatur, tamen in perſona eligenda, ob aemulationes et religionis ad regni factiones accedens diſſidium, nunquam comitia conventura apparebat. Qua re efficiebatur, ut de Andini electione noſtri bene ſperarent, qui et gentis toto orbe illuſtriſſimae ſplendore inſignis, ſpecie imperio digna, aetate capeſſendae reipublicae idonea, multis egregie et bello et pace geſtis clarus, Turcis, quibus cum Gallis ſolemne foedus, minime ſuſpectus, Catholicis in regno ſumme acceptus,

INTERPR. [a] *Piaſtini.* [b] *Leſcon.* [c] *Popiel.* [d] *Kruſwick.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX. acceptus, Proteſtantibus denique initio ob diditam ejus virtutis famam non ingratus eſſet, quippe cum ex eo regno peteretur, in quo religionis diſſidia aequabili jure tolerabantur. Sed poſtquam de Pariſienſi motu allatum eſt, mirum quam omnes, qui antea partibus noſtris favebant, commoti et ſubito alienati ſunt, ſubeunte animos facti atrocitate, et rem per ſe gravem et odioſam artificioſe exaggerantibus competitorum legatis, nec non Polonis quibuſdam, qui tunc Lutetiae erant, et devitato periculo vix domum incolumes interim reverſi fuerant. Itaque ad odium magis inflammandum imagines illius lanienae ſtatim ſtudioſe ab aemulis et inimicis ubique ſparſae, quibus omnia omnis generis ſaevitiae ac crudelitatis inaudita hactenus exempla delineata ob oculos repraeſentabantur: atque inter alia videre erat ſectis matrum uteris vivos infanteis educi, et, quaſi non ſatis eſſet, ſi matre interfecta una interficerentur, inde eductos altera morte mactari. Parum ſcilicet exiſtimabant, qui haec faciebant, ſi invidiam facti per aures in hominum animos inſtillarent, niſi eam ipſo oculorum, qui ſenſus omnium acerrimus ac praeſentiſſimus eſt, ſpectaculo exacerbarent. Contra Monlucius literis, colloquiis, cum quibus ſicebat, et fucata rei narratione factum, quam optime poterat, excuſabat; in eamque rem ornatiſſimi viri epiſtolam illam, de qua ſupra diximus, ubique diſſeminandam curaverat: et, quoniam tabulis et picturis res in majus ad invidiam ab invidis augebatur, eorum exemplum ſecutus, etiam Andini imaginem paſſim ſpectandam propoſuit, ut ejus jucunda ac auguſta ſpecie crudelitatis opinione elevata majorem omnium candidato principi benevolentiam conciliaret. Jamque dies conventus VIII Eid. Jan. indicti advenerat; qua oratores terreſtres, ita ex nobilitate provinciarum delegatos vocant, ubi venere, de loco, tempore electionis faciendae et audiendorum legatorum ratione conſultatum fuit. Et placebat ſenatoribus, ut primis illis comitiis legati externorum principum audirentur, deinde ad regni fineis quam primum amandarentur: ſic enim turbas, prenſationes ac largitionum ſuſpicionem vitari; et commodius legatos tunc audiri ab exiguo numero, quam in L CIↃ hominum corona poſſe: ad quos, poſtquam convenerint, referri, et more ſolito ab univerſis ordinibus in novi regis electione procedi melius et citra tumultum poſſet. Sed cum oratores terreſtres mandatis ſuis facultatem tantum ſibi datam dicerent, ut de loco et tempore generalium comitiorum cum ſenatu conſultarent, non autem, ut legatos audirent; Monlucius etiam affirmaret, ſibi a rege diſerte injunctum, ut univerſos regni ordines alloqueretur, res omnis in Nonas Aprilis rejecta eſt, quae dies dicta eſt comitiis. De loco et variatum ſententiis; cum multis placeret, ut Lublinum comitiis locus deligeretur, ob vicinitatem Lithuaniae opportunus; de qua valde ſiniſtri, et qui ſenatorum animos ancipites tenebant, rumores percrebuerant, quaſi proceres et ampliſſimae provinciae nobilitas aut corrupta aut belli pertaeſa, quod continuum de finibus cum Moſco gerit, in ejus electionem non expectato comitiorum decreto ſuffragia addixiſſet. Suſpicionem augebat, quod, cum ceterae provinciae oratores miſiſſent, ſoli Lithuani delegatos ſuos mittere diſtulerant; qui tamen, ſed ſerius, advenere, mora ob itinerum incommoditatem excuſata: qua in bonam partem accepta, ipſi ab ordinibus interrogati ſunt, ecquid, ut fama ferebatur, fidem Moſco de futura ipſius electione obligaſſent; et illi quidem ingenue confeſſi ſunt, urgente per emiſſarios ſuos Moſco et nobilitatis voluntates periclitante, ſcriptas a majore Lithuaniae nobilitatis parte literas, quibus ſpes illius aleretur, ſed eo conſilio, ut, donec rex eligeretur, ipſi a Moſcorum incurſionibus, quae periculoſiores per interregnum futurae erant, tuti eſſent; ceterum id ratum fixumque Lithuanis eſſe, ut emori malint, quam Lithuaniam a Polonico regno dividi et avelli patiantur. Tandem Lublino repudiato, placuit, ut Warſoviae juxta majorum conſuetudinem comitia ad condictam diem celebrarentur; et ita dimiſſus conventus; in quo parum

res

tes a rixa, et a rixa a mutua peſte abfuit. Nam cum Lithuani Moſco fidem dediſſe CIↃIↃLXXIII. incuſati contra exprobraſſent iis, qui aderant, tentatam viciſſim ipſorum a noſtris CAROLUS IX. fidem, in eamque rem depenſa a [a] Monlucio c aureorum CIↃ, Albertus [b] Laſcus Palatinus Siradienſis, Hieronymi, qui olim Franciſco I Caroli regis et Andini avo militaverat filius, id in ſe, ut erat, dictum putans, Sandomirienſem Palatinum, eorum, qui ſe pretio corrumpi paſſi eſſent, nomina edi debere, dicentem interfatur, Me ſcio, inquit, his verbis deſignari, cujus parens cum ſub Gallis diu magno inde contracto aere alieno ſtipendia fecerit, ſi quid ab iis accepi, id vero jure meo facere potui: cete rum Deum teſtor et hunc auguſtiſſimum conceſſum, me nihil pecuniarum, quanquam incorrupta fide id potuerim, a Gallis accepiſſe. Heic rurſus cum Caſtellanus [c] Cracovienſis maxime omnium a noſtris partibus alienus non omnino vanum rumorem eſſe contenderet, quamvis neminem nominaret, Laſcus, id ad injuriam ſuam pertinere exiſtimans, magna verborum acerbitate Cracovienſem aggreditur; et res proculdubio a verbis ad arma inter eos deveniſſet, paratis utrinque clientibus et amicis, qui quam multi erant, confligere, niſi [d] Breſtanus Palatinus, vir prudens et pacis ac concordiae ſtudioſus partes ſuas interpoſuiſſet, et refutata rumoris apud Cracovienſem vanitate, cum plene ſibi ſatisfactum putaret Laſcus, primarios viros magno patriae bono inter ſe conciliaſſet. Incidit et ſub id res, quae non mediocriter Suecorum apud Polonos gratiam imminuit. Germanus quidam juvenis, regis ac reginae Succiae literas confinxiſſe convictus, ob idque in carcerem conjectus, mane in cuſtodia ſeipſum ſtrangulaſſe deprehenſus eſt; haud ſine ſuſpicione, quaſi ab alio ei mors maturata fuiſſet: nam pedibus et manibus vinctus erat: inde per vicos cum falſarii elogio ignominioſe tractus ad patibulum extra urbem ſuffigitur. Quod licet re vera minime ad Suecos pertineret, tamen eorum petitionem inauſpicatam reddidit. Soluto conventu Joannes [e] Baſinus, Delbenius, et Joannes Choënius Monlucio ab epiſtolis, qui totam rem ſcriptis mandavit, ad Monlucium, a quo miſſi fuerant, [f] Coninum redeunt; ac paulo poſt eodem venit Aegidius [g] Noallius Franciſci [h] Aquenſis apud Tarbellos epiſcopi et regii in porta Othomanica oratoris frater, a regina Monlucio ſummiſſus; qui, ſi ille, quem jam in Lotharingia captum et poſtea Francoſurti retentum audierat, per Germaniam iter faciens morbo aut alio impedimento retardaretur, per Italiam longiore viarum circuitu ſed tutiore itinere in Poloniam perveniret. Verum is ſerius venit, quam ut, ſi Monlucius non veniſſet, in tempore adeſſe potuerit; in itinere etiam a rege, ſed curſore regio minime eum adſequente, revocatus, Monlucii inſtigatu, qui ſucceſſorem gloriae, jam re confecta ut rebatur, participem ſibi dari indignabatur. Sed Noallius, qua erat modeſtia, cum nec ſe ſucceſſorem, ſed adjutorem, nec gloriae, quae Monlucio ſolida debebatur, ſed in ſolicitudinis partem tantum vocatum oſtenderet, in Polonia remanſit; et Poſnaniam peſte jam remittente conceſſit; unde poſtea fratri, qui interim eandem electionem Turcorum commendatione urgebat, ſucceſſor Conſtantinopolim miſſus eſt. Ab eo tempore res per prenſationes toto regno a candidatis acta: et, cum Caeſarei legati liberius per Poloniam miſſis emiſſariis diſcurſarent, miſſi a ſenatu Poſnanienſis et Cracovienſis epiſcopi, qui eos monerent, ut loco aſſignato ſe continerent, attributis etiam, honoris ſpecie, re ut ipſos explorarent, quibuſdam ex nobilitate. Nulli ad Monlucium miſſi; quo liberius illi fuit, quicquid e re videbatur, ſemotis arbitris agere. Baſinus ab eo miſſus in minorem Poloniam, ut amicos viſeret ac confirmaret; et Maſſovicam nobilitatem praecipue, cujus in gratia ſummum praeſidium reponebat. Miſſus et ad Commendonum cardinalem, a pontifice

INTERPR. [a] *de Montluc, evêque de Valence & de Die.* [b] *Laski, Palatin de Siradie* vulgo *Sirradski.* [c] *le Châtelain de Cracau* ou *Cracovie.* [d] *le Palatin de Breſt* vulgo *Brzeſtki.* [e] *Bazin, Delbene, & Jean Choiſnyn.* [f] *Conin.* [g] *de Noailles.* [h] *d'Acqs.*

CIↃIↃLXXIII. pontifice anno ſuperiore ad Sigiſmundum cauſa foederis legatum, et tunc ad comitia
ÇAROLUS IX. uſque in Polonia ſubſiſtere juſſum, [a] Dienſis decanus nuper ex aula reverſus, qui regis literas ad ipſum attulerat. Cujus rei occaſione competitores variis criminationibus res noſtras apud Proteſtanteis convellere tentarunt, ſuppoſitis literis cardinalis Lotharingi ad Commendonum per manus volitantibus; quibus eum ad Andini electionem adjuvandam hortabatur, ſpe facta, ut ille religionem Catholicam, cujus ſe acerrimum propugnatorem in Gallia ſemper praebuiſſet, et ſanctae Romanae ſedis iis regionibus vileſcentem auctoritatem in eo regno propagaret, Sectarium virus exſtirparet, ac demum Proteſtanteis vel amice ad officium revocaret, vel Sanbartholomaea ſtrage edita Polonia tota exterminaret: quae literae mox vanitatis convictae ſunt. Sparſa et fama, quaſi rex ſe apud Caeſarem excuſaſſet, Valentini epiſcopi, quem propediem revocaturus eſſet, importunitate factum affirmans, ut eam legationem in Poloniam in fratris gratiam mitteret: nam ignoraſſe ſe, Caeſarem vitricum illud regnum filio petere. Dum his et ſimilibus rumuſculis artificioſe ſparſis inter candidatos et aemulos principes per legatos res geritur, tempus comitiorum appetiit; et Monlucius [b] Poſnaniam venit, quo paulo ante venerat Vidus [c] Sangelaſius, Lanſaci, multis legationibus ſumma cum prudentiae laude defuncti et nuper Tridentina clari, filius. Is, quod minime petita venia regnum intraſſet, a praefecto Poſnaniae ſub cuſtodia habitus, ſub adventum Monlucii excuſato facto liberatus eſt. Cum vero praeter mandata regia non parvum momentum in actione publica poneret Monlucius, orationem, quam habiturus erat, in linguam Polonicam, per [d] Sokolovium nobilem Polonum, qui egregiam admodum operam ei in hoc negotio navavit, transferendam curavit, ut facilius ab omni nobilitate intelligeretur; quorum pleraque pars etſi linguam Latinam calleat, tamen patriam melius percepturos eos vero ſimile ſiebat. Itaque, et ea fideliter tranſlata, et ſummo ſilentio Cracoviae typis mandata, ut ejus CIↃIↃ exemplaria diligentia ſumma confecta ſint. Inde Warſaviam Monlucius cum Noallio et Sangelaſio venit III Non. Apr. et, cum de ſedendi praerogativa ei ab oratore Hiſpano mota controverſia fuiſſet, pro tempore rogati ſunt legati externorum principum, ut a ſacro publico abſtinerent. Poſtea re in deliberationem deducta decretum fuit, ut cardinalis Commendonus ante omneis, ſecundum eum Caeſarei legati, et tertio loco Monlucius, quarto Hiſpanus admitteretur. Ad comitia XXX CIↃ circiter e nobilitate venere, cum multo plures venturos opinio eſſet, quibus hoſpitia circa urbem IV nec longius milliaribus diſtributa ſunt. Archiepiſcopi, epiſcopi, palatini, caſtellani et praefecti in urbe pernoctabant. Comitia in campis patentibus habita, milliario et amplius ab urbe erectis XII tentoriis; praeter quae aliud longe [e] maximum erat malo praealto ſuſtentatum forma rotunda VI CIↃ hominum capax, in quo ſenatus conveniebat, et praeter ſenatum praefecti et oratores terreſtres, qui VIII ex ſingulis provinciis, quas palatinatus vocant, aderant. Ac mirari tunc ſubiit, cum C circiter equitum CIↃ tunc intra quatuor milliarium ſpatium circa urbem diverſarentur, per XL amplius dies non pabulum equis, non carnem, non piſceis ac cetera eſculenta, ac ne vinum quidem tot hominibus defuiſſe; quorum et magna copia ſemper fuit, et ſumma in tanta capitum multitudine vilitas; et, quod omnem fidem ſuperat, nullae ſimultates aut rixae toto eo tempore in tam numeroſa nobilitate auditae; quaſi de republica ſolicitis animis omnem injuriae et odii ſenſum depoſuiſſent. Sic autem comitiorum inſtituta erat ratio, ut, cum univerſa de rege creando conſultatio eſſet, ab invocando Numine divino ſumeretur exordium: deinde externorum principum audirentur legati; et orationum ab iis habitarum exemplaria XXXII, tot enim ſunt provinciae ſeu palatinatus, traderentur, quae palatini ad ſuae provinciae quiſque nobilitatem deferret, dato principibus

INTERPR. [a] *le Doyen de Die.* [b] *Poſen.* [c] *de S. Gelais.* [d] *Sokolowski.* Les autres l'appellent *Szlikoski.* [e] *une grande tente ronde ſoutenue par un ſeul maſt.*

principibus aliquot ſenatoribus negotio ſingulorum petitorum virtutes praedicandi, CIƆIƆLXXIII.
utilitates et incommoda explicandi: quibus actis, a ſenatoribus et univerſa nobilitate CAROLUS IX.
ſuffragia exquirerentur, et, in quem univerſi totius regni ordines conſentientibus inter ſe judiciis convenirent, is legitimus rex haberetur. Initio ſenatorum votum erat, ut prius de legibus et ſtatutis condendis ageretur; tum ad electionem procederetur. Proteſtantes propterea, qui apud eos Evangelici dicuntur, ante omnia ſibi idonee caveri petebant. Contra, qui majorum religioni inſiſtebant, nihil ſe quidem contra Evangelicorum libertatem facturos aiebant, potiuſque omnia paſſuros, quam ob eam cauſam ad bellum civile deveniretur: ſed iidem periculum ſubeſſe demonſtrabant, ne, conceſſa conſcientiarum promiſcua et inſtrumentis firmata libertate, porta ſectis et omnis generis monſtroſis opinionibus aperiretur. Quae omnia rem procul dubio in longum extrahebant; et dilatione nimia metus erat, ne ſumptibus et taedio gravata pleraque nobilitas interim dilaberetur, quam Monlucii actioni praeſentem adeſſe maxime noſtra intererat. Tandem obtinuit, ut legati ante omnia audirentur. Et primus quidem Boruſſiae ducis ratione praerogativae, tanquam regni beneficiarii, orator admiſſus eſt. Tum cardinalis Commendonus VI Eid. Apr. auditus: qui ſumma gravitate et vehementia, ita ut aliquando ab Evangelicis proceribus interrumperetur, Polonos nomine pontificis ad eum regem eligendum hortatus eſt, qui Catholicae religionis, hoc eſt, veteris cultor ſit, qui licentiae Sectariorum habenas non laxet, qui auctoritatem eccleſiaſticam tueatur; qua everſa, et regni fundamenta collabi neceſſe ſit: quod ex magna eorum prudentia et aequanimitate in hac de ſumma rerum conſultatione ſperet, ſumpto ex eo augurio, quod, cum in libero regno nati rege tamdiu caruerint, ſilentibus regis morte legibus, omnes tamen ex lege vixerint, et ſua cuique voluntas, ſtudium et in patriam charitas pro lege fuerit, adeo ut in tot nobilium et militarium hominum millibus nullus tumultus, nulla vis, nullae ſeditionum turbae extiterint: eam animorum tranquillitatem et conſenſionem facere ſpem, ut eum in regem eligant, qui eandem in religione pacem et unionem ſectetur, et Chriſti exemplum ac praeceptum amplectatur, qui eſt pax noſtra, qui facit utraque unum, per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo, et diſſidenteis reconciliat in uno corpore Deo, ut ipſi occurramus omnes in unitate fidei et agnitione Filii Dei, et per ipſum habeamus acceſſum in uno Spiritu ad Patrem. Poſt eum ſequutus eſt Caeſareus orator Willelmus Urſinus Roſembergus, ſupremus Bohemiae burgravius, vir perilluſtris et eruditus, ſed parum vehemens. Huic comes in arcano additus fuerat Andreas Dudithius, legationis utique princeps futurus, ſi, ut in priſtina apud Caeſarem gratia, ſic in majorum religione perſeveraſſet; a qua cum ſub id deſciviſſet, ſingulari tamen erga Auſtrium nomen adfectu meruit, ut, ſi non primarias partes, hoc enim Caeſari apud pontificem invidioſum fuiſſet, ſaltem ſecundas tanquam praecipuus Roſembergi conſiliarius teneret, et pro prudentia ſua et rara in ſcribendo loquendoque facultate negotium adjuvaret. Legatus in [a] Erneſto haec praecipue commendabat, quae ab Andino abeſſe innuebat; linguae Bohemicae atque Slavicae et Polonis communis uſum: quod e propinquo peteretur; et auxilia, cum opus eſſet, in proximo haberet; quod a longinquis principibus ſperari non poſſet: quod ſi e longinquo princeps peteretur, haud facile ei per Germaniae principes acceſſum ad regnum patere. Tum multa in Maximiliani Caeſaris laudem ſubjecit, quae in Andini invidiam vergebat; quod juxta prudens, ſapiens ac clemens princeps eſſet, a ſanguine et immanitate alienus, qui pacem ut in imperio ſic et in regno ob religionem ſciſſo ſumma moderatione tueretur. Additae inſuper a Roſembergo Caeſaris nomine eaedem conditiones, quas a noſtris furtim ſparſas intellexerat, ut nos anteverteret, et, ſi novas

non

INTERPR. [a] *l'Archiduc Erneſt.*

non haberemus, iis ab alio propoſitis, ullas proponere omnino ſuperſederemus. Eodem die vocati noſtri: ſed Monlucius morbum cauſatus, quamvis fremente adverſa factione, ſe excuſavit; et ita tempus ad ea reſpondendi ſuffuratus eſt: in id tota nox impenſa; et, quia jam oratio ſua typis expreſſa erat, quinque nova ſolia ei ſumma diligentia inſerta ſunt. Igirur IV Eid. auditus eſt magna attentione Monlucius; cujus orationem, quia edita, et omnium manibus teritur, heic apponere ſupervacaneum duxi. In ea expoſitis mandatis, Andinnm commendabat a gentis claritate, generis ſplendore, matura aetate, morum probitate cum rara ingenii praeſtantia conjuncta, exercitatione in reipublicae adminiſtratione, et in re militari experientia ac felicitate; quae omnia multis verbis illuſtrantur. Tum, quod de linguae ignorantia objiciebatur, et quod nullas provincias imperio Polonico adjungere poſſet, diluuntur; et, quae ejus rei multa commoda et emolumenta ex Audini electione ſperari poſſent, multis verbis perſequitur: nullas illi eſſe cum quovis principe inimicitias aut ullas de finibus controverſias; non hoſtem regni fuiſſe, ſed e gente nominis Polonici amantiſſima profectum: magnas illi in Gallia ditiones eſſe, et opes ex iis ſuppetere non mediocres; quippe cujus vectigalia ad CCCCL aureorum CIↃ excurrerent: claſſem ex iis in regni uſus comparare cum ſuis ſumptibus poſſe, ad Narvicam navigationem tuendam, et Vaſcones in has oras ſeptentrionaleis, cum neceſſitas poſceret, transportandos: nam a portubus Galliae [a] Gedanum uſque tantum X dierum navigationem intercedere: his opibus et academiam [b] Cracovienſem et gymnaſium in ea inſtitutum inſtaurari poſſe. Tum, quae de crudelitate ab adverſariis objecta fuerant contra regem et ipſum Andinum, multis verbis et rerum noſtrarum brevi narratione propoſita refutat; et regis patientiam ac utriuſque benignitatem et clementiam multis verbis laudat, tumultu Pariſienſi, quem caſu potius et neceſſitate caſum conſecuta, quam conſilio contigiſſe oſtendit, excuſato: ubi et regem poſt turbas Lutetiae ſedatas, ne quid ſimile in ceteris regni urbibus accideret, edicto per diſpoſitos equos celerrime perlato, et propoſitis graviſſimis in edicti contemptores poenis prohibuiſſe dicit; cui edicto paruerint urbes omnes, ſex exceptis, in quibus plebs effetata et ſuperiorum temporum injuriis laceſſita nulla ratione cohiberi potuerit: Andinum autem, cum ſententiam de hac re ſuam rogaretur, omnino promere recuſaſſe; quippe qui inhoneſtum ſibi fore exiſtimaret, quos armatos et validiſſimis exercitibus ſtipatos toties fortiſſime profligaſſet, eos extra bellum interimendos judicare; et, quibus belli fortuna peperciſſet, eos a laniſtis et plebis ſerocientis faece jugulari: eum nimirum eſſe, qui nunquam iraſci vel ſemel commoveri viſus ſit, nullius cujuſquam os offenderit, nemini unquam convitium dixerit, aut vim intulerit; qui, ſi rex a Polonis eligatur, cogitationes et affectus et conſilia ſua omnia ad hoc unum ſit revocaturus, ut eos facti nunquam poeniteat; et a ſubditis ſibi populis et a poſteritate, rex pius, bonus, prudens, fortis ac pater patriae jure, vere et non adulatorie dici mereatur. Eam orationem magnae et laeti augurii acclamationes exceperunt; ut, ſi ſtatim ſuffragia lata eſſent, Andinum procul dubio nemine refragante electum iri appareret. A curioſis etiam obſervatum, dum verba faceret Monlucius, toto eo tempore alaudam veterum Gallorum inſigne in ſummo malo, cui tentorium innitebatur, immotam conſtitiſſe, et modulato cantu Monlucii orationem veluti proſecutam fuiſſe, tum eo perorante evolaſſe: contra, cum oratores Caeſarei et Sueci ſenatum alloquerentur, porcum et leporem forte excitatum per tentoria diſcurriſſe, et lixis inſequentibus oratores inter dicendum ſaepius conturbatos fuiſſe. Poſtea et, cum pueri nobiles, quales inter Polonos, ut apud nos, plurimi ſunt, nec minus laſciviae et licentiae aſſueti, in comitiis per jocum regem eligerent; et quatuor petitores, quot erant, ante ſenatum ludibrio

creatum

INTERPR. [a] *Dantzick.* [b] *de Cracovie.*

ereatum produxiſſent, excitata ſubito rixa, is qui Erneſtum repraeſentabat, validis ictibus pulſatus fuit; Suecus vero campo excedere coactus eſt; et eum Piaſtus aufugiſſet, laſeiviens turba carrum obvium, qui eorum lingua piaſtus dicitur, corripit, et appoſitis facibus ſuecendit, ſublata voce, Piaſtum conflagraſſe. Id veluti ominoſum a multis acceptum eſt, quaſi, Erneſto, Sueco et Piaſto a peritione rejectis, Andini, qui ſolus e competitoribus ſuperabat, eligendi neceſſitas a Deo imponeretur. Auditis Suecí et aliorum oratoribus, exemplaria manu ſcriptarum orationum ad palatinos tranſmiſſa eo, quem dixi, numero: ſed multo plura a Monlucio, quippe qui ſuam typis excudi ante curaſſet, ut pluribus eodem tempore ejus copia fieret; cum paucis aliarum videndarum facultas daretur. Inde ſalutandis, excipiendis et conveniendis proceribus tempus inſumptum; quam rem per ſe Monlucius, quantum poterat, tum per [a] Noallium, [b] Sangelaſium, Baſinum, [c] Dienſem decanum et [d] Balagnium filium exequebatur. Iterum ei moleſtia a Reinardo [e] Cracovio, qui ultimis bellis Condaeo et Colinio militaverat, Caeſareis et aliis oratotibus ſuggerentibus, facta; qui, cum multa in invidiam Andini atque adeo regis in comitiis ſparſiſſet, et per tentoria diſcurrens grande aes alienum a rege contractum nobilitati de electione anxiae ingereret, poſtremo eo audaciae provectus eſt, ut libellum ſenatui offerret, quo petebat, ut ſibi ſiſtendi Monlucii facultas eſſet, prolata Monlucii cautione, qui, cum Francofurto diſcederet, eodem ſe comparitutum pollieitus erat. Sed ſententia Francofurtenſis contra prolata, qua Monlucio libere diſcedendi copia facta fuerat, Cracovii conatus fruſtra fuit. Mox et aliud incidit, quod non mediocriter res noſtras conturbavit, allatis [f] ſummi Othomanicae portae purpurari literis, quibus ſenatus certior fiebat, ita cupere et velle Selimum, ut is e Polonorum numero deligeretur, qui regno adminiſtrando idoneus eſſet, aut, ſi de rege e ſuo numero eligendo non convenirent, Andinum regis Galliae fratrem in regem aſſumerent. Hae literae a [1] Bogdano Walachiae miſſae; quibus et ſuas ille junxerat, addito, id Selimo conſilii eſſe, ut potenti contra Chriſtianos principes in regno conſtituto inimico rem Chriſtianam labefactet, et auctoritatem ſuam ſtabiliat. Id veto maligne a Bogdano confictum cauſati noſtri, rem ab omni veriſimilitudine eo maxime argumento abeſſe oſtenderunt, quod nullus in tanti momenti negotio a Selimo veniſſet: et vero, noſtris minime inſtantibus id actum, fidem facete, quod nullus tunc regis orator Conſtantinopoli eſſet. Nam paulo ante Aquenſis epiſcopus diſceſſerar; ſed Raguſiam uſque progreſſus, inde acceptis a rege contrariis mandatis, ad Portam poſtea rediit. Ita utcunque elevata facti illius invidia ad praeſens, rurſus aliae difficultates occurrebant, dilata re variis de cauſis. Nam Evangelici ſibi caveri ante omnia petebant, eaque de re foederationem perſcribi, cui omnes ſubſcriberent: alii in ſtatutorum et legum correctionem incumbendum potius cenſebant: ſed [g] Maſovii et oratores terreſtres repugnabant, et ad electionem quam primum procedendum contendebant. Tandem, ut utriſque ſatisfieret, de correctione tantopere expetita agi coeptum, et foederatio perſcripta, cui tamen epiſcopi ſubſcribere recuſarunt: et ita facta ſpes Maſoviis et ceteris electionem urgentibus, ut incunte Maio ſtatim in eam incumberetur. Interim decretum, ut externorum principum legati [α] mitterentur. Itaque [h] Loviciam Rozembergus, Monlucius [i] Ploſcoviam, Suecus v a Warſavia leucis in Cracovienſis Caſtellani arcem quandam, conceſſere. Antequam Monlucius diſcederet, alteram ad ſenatum orationem habuit; qua, invaletudinem cauſatus, Warſaviae remanendi ſibi libertatem concedi primo petebat;

VAR. LECT. [α] dimitterentur *D. f.*

INTERPR. [a] *de Noailles.* [b] *de S. Gelais.* [c] *le Doyen de Die.* [d] *de Balagny.* [e] *un colonel nommé Cracouf.* [f] *le Grand Viſir.* [g] *les Maſovites.* [h] *Lowicz.* [i] *Plozko.*

NOT. [1] *Lege* Walachiae Vaivoda. *C.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX. petebat; idque ab humanitate ſenatus et aequitate expoſcebat: tum, quae contra conditiones regis nomine oblatas ab aemulis calumnioſe et artificioſe conficta inaudiverat, paucis refutat, eaſque multis rationibus denuo confirmat. Id actum VII Kal. Maias.

XIV. JAMQUE inſtabat tempus electioni condictum, cum Maſovia nobilitas proteſtatione facta, niſi quamprimum ad electionem procedatur, ſe diſcedere paratam, et in ſua, ubi de electione inter ſe conſultaturi ſint, conceſſuros oſtendunt: quibus et ſe ſocios adjungunt archiepiſcopus Gneſnenſis et Cujaviae ac Cracoviae epiſcopi; quorum exemplum palatini aliquot et caſtellani ſecuti ſunt. Itaque Kal. Maii principium rei factum; et, cum omnes prius in genua procubuiſſent, Deo in tanti momenti conſultatione advocato, plerique etiam a peccatis per confeſſionem expiati ardentiſſimas preces ad Deum fudiſſent, intra horae ſpatium in XIII provinciis ſuffragia pro Andium duce vicerunt. Poſtridie et altero inſequenti exquiſita ceterarum provinciarum ſuffragia, et Lithuanorum inprimis, qui huc uſque votum declarare diſtulerant, omnes magno conſenſu in noſtras partes inclinarunt; in quorum poſtremo ſententiam ſenatores magna animorum conſenſione quaſi pedibus iere, praeeunte palatino [a] Sandomirienſi, qui gravem de ea electione orationem, et poſt eum Cujaviae epiſcopus alteram ad ſenatum habuere. Ita ex XXXV CIↃ, qui electioni interfuerunt, omnes fere pro Andino, vix IↃ ſoli pro aliis votum emiſerunt, qui fere, cum eos exigui numeri ſuppuderet, mox et ad noſtras partes ſe applicuere, exceptis perpaucis, qui ſuſtinendum judicium cenſuerunt, dum petitionum merita a ſenatoribus denuo examinarentur. Itaque delecti bini ſenatores pro unoquoque candidato, qui in eorum cauſam rurſus anquirerent. Tandem re ad ſenatum relata, electio in gratiam Andini facta tenuit VII Eid. Maias, quae dies in pervigilium Pentecoſtes incedebat. Archiepiſcopus [b] Gneſnenſis prae gaudio exiliens, veritus ne propter ferias ſequentes proclamatione dilata res mutarent, ipſe extra ordinem Andinum regem Poloniae renunciavit: quod indigne admodum tulere Cracoviae, Vladiſlaviae et Podoliae praefecturarum proceres; quod praeter morem factum dicerent, ut proclamatio, quae a regni tribunis fieri conſueverat, ab archiepiſcopo facta eſſet; itaque eam ante omnia nullam declarari debere contendebant: ſed tandem interventu Monlucii convenit, ut proclamatio ab archiepiſcopo facta pro ſimplici declaratione haberetur; de cetero a tribunis regni more ſolito proclamatio fieret. Qua in re rurſus nova contentio exorta eſt, cum ii, qui contradicebant, proclamationem in loco majorum ſub tentoriis fieri debere dicerent; archiepiſcopus nulla ratione adduci poſſet, ut electione ſemel facta ex urbe ad tentoria reverteretur. Verum Monlucii precibus exoratus tandem acquievit: et quinto poſt die, coram legatis noſtris Ploſcovia evocatis, primum a Joanne [c] Firleio Dambroviczano Cracovienſi caſtellano regni tribuno, dein ab [d] aulae tribuno, poſtremo a praefecto [e] Samogitiae, loco [f] tribuni Lithuaniae, Henricus illuſtriſſimus Andium dux Poloniae rex renunciatur; prius adactis jurejurando oratoribus regiis in conditiones a Monlucio in oratione ſua propoſitas, prout ab ipſis ſenatoribus explicatae et amplificatae fuerant. Id etſi aegerrime ferrent noſtri oratores, tamen, cum videret Monlucius eo rem deductam, ut aut iis ſubſcribendum eſſet, aut re imperfecta diſcedendum, tandem paruit; cum multo iniquioribus conditionibus ante electionem in gratiam Galliae Proteſtantium ab Evangelicis Polonis propoſitis ſubſcripſiſſet, eaſque regem ratas habiturum, ſi electio ſuccederet, ſed in arcano, promiſiſſet: quod illius calumniandi aemulis in aula uberem materiam poſtea praebuit. Quatriduo poſt electionem Achmetus cubicularius a Porta Othomanica venerat, cum Selimi

INTERPR. [a] *de Sandomir ou Sendomirzki.* [b] *de Gneſna.* [c] *Firlei de Dambrowikze, palatin de Cracau, mareſchal du Royaume.* [d] *le mareſchal de la couronne.* [e] *le grand capitaine de Samogitie.* [f] *le mareſchal de Lithuanie.*

Selimi literis: ne ante promulgationem audiretur, per amicos prudentiſſime prohibitus a Monlucio, cum ſic judicaret, ſi in Andini gratiam literae afferrentur, magna ob eam Turcorum commendationem invidia Andinum apud Poloniam nobilitatem conflagraturum, multoſque ex eo a partibus Gallicis alieniores fore; ſin in aliorum favorem ſcriptae eſſent, id electionem jam factam conturbare poſſe. Is poſt promulgationem auditus, et recitatae ejus in ſenatu literae, ejuſdem cum literis a Bogdano miſſis argumenti; quibus re jam confecta nihil inde praejudicii fieri potuit.

XV. SECUNDUM haec confectum electionis decretum, et vix tandem epiſcoporum, palatinorum et caſtellanorum ſigillis firmatum; delegatique, qui illud in Galliam ad regem novum creatum afferrent, Adamus [a] Conarskius Cobilinus epiſcopus Poſnanienſis, Albertus Laſcus Palatinus Siradienſis, Joannes Baptiſta [b] Tencinii comes, Joannes [c] Tomices caſtellanus [d] Gneſnenſis, Andrea comes a [e] Gorka, Joannes Herburtus caſtellanus [f] Sanocenſis, Staniſlaus [g] Criſcus caſtellanus [α] Radomienſis, Nicolaus Chriſtophorus Radevillius dux Olicae, Joannes Sarius [h] [β] Samoſcius Belſenſis praefectus, Nicolaus [i] Firleius Caſimirienſis, Joannes [k] [γ] Sborovius Odolanovienſis, Nicolaus Tomices Joannis filius, Alexander [l] Prunenſis palatini Kiovienſis filius; qui cum in procinctu eſſent, ut in Galliam proficiſcerentur, petito a Caeſare ob repulſam, ut par erat, non ſatis aequo, et aliis Imperii principibus Caeſari amicis, et inprimis ab Auguſto Saxone ſeptemviro commeatu, repulſam tulerunt. Nam Caeſar id non poſſe ſe, niſi prius Imperii principibus conſultis, concedere reſpondit; et Imperii principes, niſi ex Caeſaris conſenſu, facere ſe poſſe reſponderunt. Dum in via legati eſſent, Evangelici, quos vocant, Cracoviae conventum [δ] de rebus religionis generalem exeunte Septembri habuerunt; in quo Sandomirienſi ante triennium decreta confirmarunt, relicta libertate fratribus Bohemicae et Auguſtanae confeſſionis ritus ſuos ac conſuetudines ſervandi: quae eadem [m] Petricovienſi, anno CIϽIϽLXXVII Junio ineunte, et [n] [ε] Wladiſlavienſi CIϽIϽXXCIII, XIII Kal. Quintil. ac poſtremo [o] Torunienſi, anno CIϽIϽXCV, menſe Auguſto, denuo ſancita ſunt. Interea Monlucius in viam ſe dedit; et delegatis auctor fuit, ut et ipſi omni mora poſthabita ad viam ſe accingerent: nam eam inter Caeſarem, Imperii et utriuſque regni principes a tot ſaeculis foederationem et neceſſitudinem eſſe, ut procul a veroſimili ſit, Caeſarem prudentiſſimum principem et ceteros Imperii proceres eam violaturos. Itaque ipſe [p] Miedzerico profectus [q] Lipſiam praeceſſit; quo mox eum ſubſecuti ſunt delegati. Ibi cum eſſent, a Saxone ſeptemviro reſponſum hoc acceperunt; mirari ſe, quomodo minime venia petita in viam ſe dediſſent, antequam ipſe a Caeſare reſponſum tuliſſet: proinde ſuis mandare, ut eos honorifice accipiant, et interim urbe excedere non patiantur; alioqui, ſi diſcedant, fore ut illis ex eo periculum creetur. Id per urbis conſules delegatis denunciatum: quod, quamvis multi ita interpretarentur, quaſi Saxo neceſſitatem remanendi ipſis imponeret, tamen auctore Monlucio, qui potius metum his verbis injectum a Saxone Auſtriacis obnoxio dicebat, quam manendi neceſſitatem impoſitam, ſe poſt triduum in viam dant, praeeunte Monlucio, in quem ſi quid periculi ſubeſſet primum recideret; relicto cum delegatis Noallio, et Joanne Herburto Sanocenſi caſtellano ad Saxonem ſeptemvirum miſſo, qui nomine delegatorum commeatus facultatem ab eo peteret. Verum is, qui cum venationibus occupatum convenire non potuiſſet, orationem ſane gravem et elegantem ad ipſum perſcripſit,

VAR. LECT. [α] Raczianenſis *D.* f. o. Racziencnſis *D.* d.
[β] Zamoſcius *D.* f. o. d.
[γ] Borovius *D.* f. o. d.
[δ] de rebus religionis *deſunt* *D.* f.
[ε] Vulodiſlavienſi *D.* f. o. d. *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Conarski de Cobilin, evêque de Poſen.* [b] *Tenczin.* [c] *Tomicze.* [d] *de Gneſna.* [e] *de Goorka.* [f] *de Sanocki.* [g] *Criski chatelain de Radomski.* [h] *Zamoyski, palatin de Belz al. Belzki.* [i] *Firlei de Dambrowikze, palatin de Caſimirie.* [k] *Zborowski, palatin d'Odolanovie.* [l] *Prunski, fils du palatin de Kiow.* [m] *de Petrikow.* [n] *de Wladiſlaw.* [o] *Thorn.* [p] *Miedzericz.* [q] *Leipſick.*

CIϽIϽLXXIII. Carolus IX. perſcripſit, quae edita eſt; qua copiam libere ac tuto tranſeundi ſibi fieri rogabat, et eam citra violatam foederis religionem negari non poſſe contendebat. Interea Monlucius, per [a] [α] Erfordiam, [b] Gotham, Iſenacum facto itinere, Caſſellas ad Willelmum Heſſorum principem venit; quem ſparſis rumoribus offenſum utcunque placavit, et de electionis negotio, contra quam vulgo a Caeſarianis jactabatur, certius edocuit: atque inde per [c] Divio durum Mediomatricum ſine ullo impedimento in Galliam perrexit; ubi a rege et regina ob rem feliciter geſtam ſumma gratulatione exceptus eſt; non item ab Andino, quamvis id diſſimularet, qui ea quantumvis honorifica miſſione quaſi in exilium ſe a fratre, non ſine occulto livore, relegari interpretabatur; et Galliae amoenitate ac deliciis innutritus, aegre in [d] Sarmatiam profecturus videbatur. Monlucium ſubſecuti ſunt delegati, eodem quo ille itinere Germaniam emenſi; et Divioduri Mediomatricum a Joanne [e] Thevallio praefecto et Joanne [f] Lucemburgio Briennae comite et Carolo [g] Scarſio Lingonum epiſcopo ac Franciae pari, qui et orationem ad eos habuit, IV Eid. Sextil. peramanter et honorifice regis nomine excepti, inde incolumes nullo e ſuis deſiderato aut propter morbum intereundum relicto Lutetiam XIV Kal. Sept. appulerunt, cum in ſuo comitatu praeter legationis principes et complures nobileis adoleſcentes amplius CCL haberent. Ad eorum adventum portis effuſi magiſtratus obviam gratulantes exierunt, et familia omnis regia agmenque nobilium equitum; ante alios, Franciſcus Borbonius Delfinus princeps agnationis regiae adoleſcens, Henricus Lotharingus Guiſiae dux et Carolus [h] Meduanae dux Guiſii frater, cum patruelibus ſuis, Carolo Aumaliae duce et Carolo [i] Ellebovii marchione; quorum nomine verba ad eos fecit Paulus [k] Foxius, vir natalium ſplendore, eruditione et rerum peritia clariſſimus, mihi nunquam ſine honeſtiſſima praefatione nominandus. Tum poſt amplexus utrinque datos porta [l] Sammartiniana urbem ingreſſi ſunt, invecti quadrijugis L curribus. Ad novum ſpectaculum quo minus cuncti in urbe confluerent, non aetas, non valetudo, non ſexus quemque retardavit; ſic ut feneſtras in viam deſpectantibus plenas, referta tecta ac ſub multitudinis pondere laborantia, oppletas vias et anguſtum ſibi tramitem ad tranſeundum relictum, novi hoſpites mirarentur; cum contra Pariſienſes vaſta corpora, vultus inſolita gravitate torvos, ſummiſſas et rutilanteis barbas, pileos pretioſis pellibus fartos, gemmatos enſeis falcatos, ferratas ocreas, pharetras et arcus, raſumque occiput, et cothurnatos gallicis ferreis a luto defenſos, non ſine ſtupore aſpicerent. Ex iis omnibus nullus non Latini ſermonis peritus erat; plures Italice et Germanice loquebantur: quidam etiam tam concinne Gallicas voces proferebant, ut ad [m] Sequanam potius aut [n] Ligerim quam ad [o] Viſtulam aut [p] Boryſthenem nati viderentur; pudore interim aulicis, literarum non tantum rudibus ſed infeſtis hoſtibus, incuſſo, qui interrogati ab hoſpitibus ſuis erubeſcere et nutu tantum reſpondere cogebantur.

XVI. Eo ipſo die, quo Poloni Lutetiam attigere, cum Sancerranis poſt diuturnam obſidionem tranſactum eſt; cum extremae famis, quae jam plus IϽ ex iis abſumpſerat, et ſummae patientiae experimento facto, potius miſerrima morte perire quam, recenti adhuc promiſcuarum caedium memoria, ſe graſſatorum arbitrio permittere ſtatuiſſent. Verum ab initio hujus menſis cum variis ultro citroque habitis ſermonibus et internunciis hinc inde commeantibus oppidani de [q] Caſtrei egregia erga ipſos voluntate jam certiores facti eſſent per Joannem [r] Lerium, qui ab ipſo evocatus ob id fuerat, poſtremo metu internae ſeditionis, a qua paulum in urbe abfuerant, obſidibus datis ſerio de conditionibus agere coeperunt. Eam autem voluntatem regis juſſu

VAR. LECT. [α] Herfordiam *D. f. o. d.* *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Erfurt.* [b] *Gotha, Eyſenach, & Caſſel.* [c] *Mets.* [d] *Pologne.* [e] *de Thevallet.* [f] *de Luxembourg, comte de Brienne.* [g] *d'Eſcars, evêque de Langres.* [h] *Mayenne.* [i] *Elbeuf.* [k] *de Foix.* [l] *porte S. Martin.* [m] *la Seine.* [n] *la Loire.* [o] *le Weiſſel.* [p] *le Nieper.* [q] *de la Chaſtre.* [r] *Lery.*

induetat Caſtreus, alloqui multis de cauſis obſeſſis ob indigna de ſe ſparſa dicteria et CIƆIƆLXXIII.
tympaniſtam ipſius praeter belli jus initio obſidionis retentum ac poſtremo inter- CAROLUS IX.
fectum ſuccenſus, quod res Sancerranorum ante Polonorum adventum componi rex ſua intereſſe arbitraretur; neque committendum exiſtimaret, ut ex neceſſitate ad deſperationem verſi oppidani facinus aliquod extrema patientia, cujus jam ſpecimen dediſſent, dignum, regi invidioſum, ſibi vero exitioſum expatrarent: idque Monlucius, qui promiſſis ſuis quantumvis per vim, dum in Polonia eſſet, ab Evangelicis extortis fidem conſtare cupiebat, aſſiduis efflagitationibus[α] in aula urgebat. Itaque Gulielmi[a] Joanelli et Joannis[b] Martinii interventu in has conditiones conventum: ut praeteritorum gratia obſeſſis a rege fieret; iique, tam oppidani quam inquilini et mulieres ac belli duces, bonis omnibus immobilibus reſtituerentur; mobilia depenſis intra ſextum diem XL CIƆ librarum redimerent; pacificationis nuper cum Rupellanis factae beneficio uterentur, religionis libera profeſſione aeque ac edicto illo nominatis conceſſa: rex has pactiones ratas haberet, et auctoritate ſua firmaret: tum urbs in Caſtrei manus permitteretur, qui ab omni vi et injuria ſuos abſtineret. Secundum haec obſides XII a Caſtreo imperati: quibus acceptis, et poſtea allato a rege diplomate, et depenſa pecunia, ipſe urbem exeunte menſe ingreſſus eſt; continuoque horologio et tintinnabulis amotis praeſidium loco imponit. Joanellus, cujus juſſu incertum, a latrunculis noctu aedibus ſuis, quaſi a Caſtreo vocaretur, extractus in vico interfectus eſt; nec non et Petrus[c] Burgada oppidi paſtor cum uxore aliquor diebus poſt a percuſſoribus extra urbem trucidatur. Joannes Leſius[d] Charitaci oppidi antea paſtor, navigatione Americana, quam ſumma fide deſcripſit, clarus, qui et obſidionem hanc dietim ſcripſit, ſecuritate a Caſtreo accepta, a[e] Fontano in tutum deductus eſt. Is militibus in pomoerio tempore obſidionis excubantibus conſilium dederat, quo ad diuturnitatem laboris ac vigiliarum facilius ferendam durarent, lectos ſibi Braſilienſium more pararent, alligatis, ut illis mos eſt ad arbores, ſic ad palos, qui vice arborum eſſent, idoneo ſpatio defixos, utrinque culcitis; ſic enim fore, ut neque a pulicibus, cimicibus et hujuſmodi peſte infeſtarentur; neque duritia ſoli, aut denique interdum madore et frigiditate debilitatis membris frangerentur. Ita Sancerra dedita, poſtquam VIII menſibus obſeſſa fuit, diſploſis a Caſtreo quinquies mille nongentis et quindecim machinarum ictibus. Ex oppidanis XXCIV ictibus interfecti; quidam et in vineis occiſi: ſed IƆ amplius fame vel Saguntinae comparanda exanimati ſunt. Ex regiis in ea obſidione deſiderati CIƆCC et amplius; et in his[f] Querius[g] Goae peditum tribuni legatus,[h] Lobetius Briennae comitis vexillifer,[i] Caballolius ordinum ductor: alii multi praeterea vulnerati.

XVII. PAULO ante adventum legatorum res intervenit probroſa, et quae in ſpeciem levis ſilentio praeteriri poterat, niſi ab aliis prodita eſſet, de qua certiora tradam. Habebat aedeis in Auguſtinianorum caio ex adverſo[k] Luparae, medio Sequana, Antonius[l] Pratenſis Nantolietus, Antonii cardinalis Pratenſis olim Franciae cancellarii et pontificii in Gallia legati nepos, homo locuples et coelebs. [β] Is de illuſtris[m] puellae, quam Henricus in deliciis habuerat, et honeſto matrimonio elocare cupiebat, nuptiis ſolicitatus, non ſolum ſe excuſaverat, ſed inſuper addiderat, non ſe eum eſſe, qui decus ſuum pro pudicitiae alienae pretio in ſolutum dari ulla conditione pati poſſet. Quod ad animum revocans Henricus, puella de injuria expoſtulante, convenit, ut contumelia repulſam ulciſcerentur. Itaque ex compacto rex ipſe, qui Nantolieto minus

VAR. LECT. [α] apud regem urgebat *D. f. o. d.* [β] Is de Ludovicae Aquavivae Atrienſis, quam Henricus *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Joanneu.* [b] *Martignon.* [c] *de la Bourgade.* [d] *la Charité.* [e] *de Bueil, ſieur de Fontaines.* [f] *Queriers.* [g] *de Goas.* [h] *la Lobiere.* [i] *le capitaine Caballole.* [k] *le Louvre.* [l] *du Prat, ſieur de Nantouillet.* [m] *mademoiſelle de Châteauneuf de Rieux.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX.

minus bene vellet, Henricus novus Poloniae rex, Henricus Navarrae rex, Henricus Engoliſmenſis nothus, Guiſius, et alii ex juventute proceres, noctu domum cum ſorotiis commuoem, et ideo ſemper ſere apertam, per laſciviam intrant, et Nantolietum contumelioſe habitum omni re ſpoliant, laceratis lecto et aulaeis: tum qui ſequebantur ad praedas verſi ſupellectilem argeoteam, ac poſtremo pecuniam ſcrinio effracto rapiunt. Ea laſcivia quin tragico exitu clauderetur paulum abſuit. Gulielmus [a] Vitellianus Nantolieti frater in proximo cooclavi latebat, privatis ultionibus intentus, cum quatuor ſicariis ſibi fidis et manu promptis; qui ſe deprehenſos rati ad ſtrepitum arma expediverant, ſi ad conclavis fores vis facta eſſet, protinus cum ſcloppetis et ſtrictis gladiis exituri, et obvios omneis trucidaturi; quod illis locorum gnaris contra ignaros, et paratis adverſus inermeis factu facile erat: quod ſi contigiſſet, quid, tribus regibus uno ictu, tot principibus ac proceribus occiſis, univerſo regno eveniſſet, exiſtimandum iis relinquo, qui ſingulorum principum vel naturalem mortem regnis ac provinciis magnam mutationem ac plerumque everſionem afferre minime ignorant. Vitellianus Lutetiam venerat, ut de Antonio [b] Alegrio Millialdo vindictam ſumeret, homine natalibus, virtute militari et literarum cogoitione, quod in noſtra nobilitate rarum eſt, claro, ob idque ab Henrico delecto, ut Polonicae profectionis comes, et Latinae linguae inter illas nationes neceſſariae, cujus uſum ille et in ſcribendo et in loquendo perſamiliarem habebat, commercio, regi inter illos interpres et veluti internuncius eſſet. Is ante decennium Joannem [c] Thierium Vitelliani fratrem ob quandam offenſionem ſub veſperam in aedibus ſuis inermem aggreſſus, cum ille medius inter uxorem gravidam et ſocrum in area ambularet, multis ictibus indigne interſecerat, moxque captus, Henrici ipſius commendatione, poenae poſtremo exemptus fuerat. Ab eo tempore ſibi metuens a Vitelliano, qui [d] Gonnelium ob alterum fratrem interſectum medio tempore itidem occiderat, aut extra regnum in Italia et Germania fuerat, aut in [e] Arvernis aula procul manſerat; unde illum Henricus fide data nuper accerſierat. Sed nihil aut ſtipatus, aut Henrici gratia profuit, quin Vitellianus, quod animo deſtinaverat, exſecutus ſit, Millialdo, cum ex Ludovici Gonzagae [f] Nivernenſium ducis aedibus exiret cum aliquot ex ſuis, media in luce occiſo. Poſtea cum ſuis captus cum factum negaret, et multa in contrarium adduceret, quo ſe longe ab urbe tunc fuiſſe, cum Millialdus occiſus eſt, probaret, ſupervenientibus legatis, Poſnanienſis, cui in aedibus Nantolieti fratris hoſpitium aſſignatum erat, multis verbis a Vitelliano, ut juſto ultionis ſenſu incitato, poenam apud regem deprecatus eſt. Sed cum contradiceret Henricus, qui fidem Millialdo dederat, ad id a Ludovico [g] Berengario Gaſtio, qui praecipuum gratiae locum tunc apud eum obtinebat, inſtigatus, gratia non coocesſa; ſed res indeciſa penes ſenatum relicta eſt, qui, profecto in Poloniam Henrico, etſi de facto non dubitabat, tamen Vitelliaoum caedis fraternae per iniquam regis gratiam impunitae ultorem mortis poena minime digoum judicavit; egregio principibus documento, ſi purum a cruore regnum cupiunt, et caedeis alias ex aliis ſeri indeſinenti ſerie nolunt, ut priora crimina inulta non ſinant. Igitur dimiſſus Vitellianus, noo ſine mulcta, cum poſtea Gaſtii inſtigatu factum reſciviſſet, ut Henricus adverſus ſe adeo excanduiſſet, a primoribus Gaſtio alia de cauſa infeſtis ſtimulatus de ipſo quoque occideodo conſilium cepit.

XVIII. [a] Hoc anno Jo. Gulielmus Saxo Jo. Friderici ſeptemviri filius, qui diu ſub Henrico II militavit, cum tantum aetatis XLII ſuperaſſet, debitum naturae perſolvit, relictis ex Suſanna Baioara Palatina Friderico Gulielmo et Joanne filiis, [h] Vinariae ad parentes

VAR. LECT. [a] *Haec de Jo. Gulielmi Saxonis morte et elegiis narratio, ſex lineis comprehenſa, deeſt D. f. o.*

INTERPR. [a] *de Viteaux.* [b] *d'Alegre, ſieur de Milloud.* [c] *Du Thier.* [d] *Gonnelieu.* [e] *Auvergne.* [f] *Nevers.* [g] *Berenger, ſieur du Gaſt.* [h] *Weimar.*

parentes ſuos cum illuſtri monumento adpoſitus. Mortuum laudavit Joannes Roſinus et Joannes Vigandus. Jenae in ejus laudes Tilemannus [a] Heſhuſius orationem habuit; et omnium elegantiſſimam Juſtus Lipſius, qui tunc bonas literas in ea academia profitebatur. [α] Hic annus praeterea Galliae abſtulit Michaelem [b] Hoſpitalium, Andream [c] Maſium et Carolum Langium, (quidni enim homines Belgas inter Gallos recenſeam?) rara hujus ſaeculi ornamenta; ſed illum dignitate praecellentem, qui per omneis togae gradus ſumma cum doctrinae, integritatis, gravitatis ac prudentiae incomparabilis laude verſatus ad ſolſtitium tandem honorum pervenit, et turbulentiſſimis Galliae temporibus, iis etiam qui rempublicam turbatam quam pacatam malebant ſuffragantibus, ob ſummam virtutis et conſtantiae opinionem poſt Franciſci Olivarii mortem, quem ille vivum praecipue coluerat, cancellarius Franciae creatus, invidiam ſemper virtutis comitem magnis conatibus adverſam habuit; cum qua infracta animi magnitudine diu luctatus, non victus, ſed cedendo victor evaſit, et, ad quietem domeſticam verſus, in honeſtiſſimo otio, quod reliquum vitae fuit, tranquille exegit. Dum in aula fuit, indignam meritis ſuis gratiam rependi dolens, tamen judiciario ordini corrigendo intentus ſanctiſſimas leges promulgavit, quae ſanctiſſimi earum conditoris memoriam apud poſteros conſervabunt. Tandem anno aetatis circiter ſeptuageſimo in [d] Viniano ſuo III Eid. Mart. placidiſſima morte ad Deum migravit, condito prius teſtamento; quo vitae anteactae quaſi reddita ratione, pietatis in Deum, charitatis erga patriam, ingenii, elegantiae et prudentiae, quae eum ad extremum vitae ſpiritum uſque comitata eſt, teſtimonium veluti conſignatum reliquit. Quae de jure ſcripſit immortalitate digniſſima in tenebris hactenus deliruere; aliquando utinam magno reipublicae bono lucem viſura. Verſus ne perirent, Vidi [e] Fabri, quem ille vivus ſingulari benevolentia ſemper proſecutus eſt, pietas vetuit; qui eos huc illuc neglectim ab auctore ſparſos, noſtra etiam opera et Scaevolae [f] Sammarthani viri inter alias dotes harum rerum peritiſſimi in iis ordinandis uſus, collegit et publico dedit. Ii verſus puritate ſermonis, nitore, acumine et ſententiarum pondere cum omni antiquitate certant; virumque vere exprimunt, qui non vultu tantum Ariſtotelis os, quod ex utriuſque imaginum ubique proſtantium comparatione conſtat, ſed Solonis, Lycurgi, Charondae ac Platonis denique ſapientiſſimorum legiſlatorum pectus, mores, doctrinam et judicium, quibus longo rerum maximarum uſu et experientia confirmatam prudentiam junxerat, in omni vitae ſive privata ſive publica actione referebat [β]. [γ] Maſius VII Eid. Aprilis [g] Zuenarae in Clivenſi ditione ex hydrope haud ita ſenex deceſſit, cum Willelmo principi ſuo diu fidam operam in praecipui conſiliarii munere navaſſet; vir ſincero, candido et aperto ingenio, ad haec rara et recondita doctrina praeditus, et qui, ad Hebraicae, Chaldaicae ac ceterarum orientalium linguarum cognitionem, ſummam animi pietatem et exactum rerum ſacrarum ſtudium attulerat, variaque in eo genere commentatus fuerat; plura etiam daturus, ſi viro bono per valetudinem fere ſemper adverſam licuiſſet. Specimen eorum praebent doctiſſimi et accurata diligentia ſcripti in Joſuam commentarii, ante biennium ab ipſo auctore publicati. [δ] At Langius natione Flandrus, cum in adoleſcentia itidem, poſt humaniorum literarum egregium ſtudium, juris ſcientiae ſe addixiſſet, inde [h] Leodicum in Eburonibus, patriae turbas peroſus, tanquam pacatiorem locum ſeceſſit, et in ſacri collegii

CIƆIƆLXXIII.
Carolus IX.

VAR. LECT. [α] Hic annus Galliae duo magna, et quibus vix orbis univerſus comparanda habuit, hujus ſaeculi ornamenta, abſtulit; Michaelem Hoſpitalium et Joannem Mercerum, utrumque eruditione et probitate clariſſimum; ſed illum dignitate praecellentem, &c. *D.* f. o. d.

[β] *Hic ſequitur in D.* f. o. d. *Merceri elogium: quod in Ed. Gen. et hac noſtra ad lib. 47. calcem ponitur.*

[γ] Ante Mercerum, Merceri gemellus Andreas Maſius VII Eid. Aprilis *D.* f. o. d.

[δ] *Hoc Langii elogium deeſt D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Heshauſen.* [b] *de chancelier de l'Hoſpital.* [c] *Maes.* [d] *Vignay.* [e] *du Faur.* [f] *de Ste Marthe.* [g] *Zevenar au païs de Cleves.* [h] *Liege.*

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX. collegii ſodalitium cooptatus multa in literis commentatus eſt; a Ciceronis opere praeclaro, quod de officiis ſcripſit, exorſus: et in illo otio etiam hortorum culturae, homo elegantiae inſuetus, animum applicuit; primuſque exoticos flores ac plantas ex Indiis ac novo orbe, non ſolum oculorum oblectamento, ſed etiam naturae remedia novis morbis quaerentis locupletandae, undecunque collegit, ac per pulvillos diſpoſuit; eorumque ſpectaculo cum Juſtum Lipſium illac forte in Germaniam et Italiam tranſeuntem aliquandiu diſtinuiſſet, inde ſermoni juxta ſerio et erudito de Conſtantia occaſionem praebuit. Tandem cum necdum Eburones ſuos a turbis vacuos videret, taedio vitae correptus, ſtudiorum curſum et vitae una abripuit III Kal. Sextil. relictis imperfectis quae prae manibus habebat ad aeternitatem victuris monumentis, et inſigni utriuſque linguae fere omnium MSS. bibliotheca, quae huc illuc diſtracta àc diſſipata eſt. [a] Laevinus Torrentius, vir et cognatione et ſtudiorum ac voluntatum conſenſione conjunctiſſimus, ejuſdemque collegii ſodalis, ei, monumento in majore urbis templo erecto, parentavit. His addetur dignitate et eruditione fortaſſe inferior, ceterum literator inſignis, editis in hoc genere compluribus monumentis, Franciſcus [α] Fabritius, [b] Durac ſive Macroduro duobus a [c] Juliaco milliaribus in agro [d] Colonienſi natus, qui ſecundum Seb. [e] Corradum Regienſem hiſtoriam Ciceronis [β] alioſque bonos auctores maxime illuſtravit, et hoc eodem anno Duſſeldorpii, ubi docebat, debitum naturae perſolvit, [γ] immatura morte, quippe cum tantum aetatis annum XLVII ingreſſus eſſet. Joachimus [f] Curaeus, [g] Freiſtadii in Quadis natus, Sileſianis annalibus bene de patria meritus, Fabritio junior, XII Kal. Feb. [h] Gegloviae ſub id deceſſit. Annum clauſit Joan. Baptiſta [i] Cynthius, Lilii Gregorii [δ] Giraldi gentilis, comi vir et amoeno ingenio; qui [k] Patavii fere vixit, et ſcriptis aliquot vernacula lingua claruit, atque Ferrariae poſtremo in patria annos natus LXIX [ε] deceſſit.

VAR. LECT. [α] Fabritius, Macroduro in Colonienſi agro *D.* f. o.
[β] alioſque bonos auctores *deſunt* *D.* f.
[γ] *Quod ſupereſt de Fabritio, quodque ſequitur de Curaeo, deſunt* *D.* f. o. d.
[δ] Giraldi doctiſſimi viri gentilis, vir comi et amoeno *D.* f.
[ε] deceſſit, ad S. Riminerii ſepultus *D.* f.

INTERPR. [a] *Levin Torrentin, ou van der Beken.* [b] *Duren.* [c] *Juliers.* [d] *dioceſe de Cologne.* [e] *Corradio da Reggio.* [f] *la Curſe.* [g] *Freyſtat en Sileſie.* [h] *Glogaw.* [i] *Cinthio Giraldi.* [k] *Padoue.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

SERAPHINUS Olivarius ad novum Poloniae regem a pontifice mittitur. II. *Legatorum Polonorum in regis Poloniae renunciatione pompa, et iu decreti pronunciatione coram rege et totius regni proceribus ſolemnis actio: cujus maxima pars fuit Joannes Sarius Samoſcius: an is librorum de ſenatu auctor?* III. *Fr. Balduinus juriſconſultus moritur.* IV. *Pompae feſtae iu Lateranis reginae matris aedibus. Praemiſſus in Poloniam Nic. Angeneus Rambulietus.* V. *Graſſatio Moſcorum in Livonia per iuterregnum. Roſtochienſium cauſa cum ducibus Megalopolenſibus, Caeſaris, Auguſti Saxonis et Brandeburgici ſeptemvirorum interventu componitur.* VI. *Paulus Foxius in Italiam et ad Germaniae principes a rege mittitur; in cujus comitatu erat hujus ſcriptor hiſtoriae.* VII. *Legati Poloni honorifice dimiſſi.* VIII. *Ante diſceſſum nonnihil altercatum ſuper conditionibus a Proteſtantibus propoſitis et iuſolitis ac ſuggeſtis poſtulatis, quae rex fruſtratione eluſit. Libri ſeditioſi recenti Sanbartholomaei caſus memoria publicati; Anthenoticus, et Franco-Gallia, et dialogus Politici nomine: item Francia Turcica Ponceti, equitis ſancti Petri, ſub nomine, ad invidiam quorundam in aula; et matutinum pervigilium, et ſpecilla cryſtallina, et hujuſmodi libelli famoſi ad incendendos animos.* IX. *Novus rex ſolemni pompa Lutetiam ingreſſus legatos dimiſſos ſequitur, magno comitatu per Germaniam facto itinere.* X. *Rupellae detecta conjuratio; et conſcii aliquot, Rhaeticarum copiarum duces, ſupplicio affecti. Tumultuatum et aliis regni partibus.* XI. *Poloniae rex pergit; et, Boruſſia pertranſita, Miedzerici Vladiſlavienſem epiſcopum obvium habuit a regui ordiuibus miſſum, qui ipſum luculenta oratione ſalutavit, cui a Vido Fabro Pibracio reſponſum.* XII. *Ubi Cracoviam venit, Radeſianum mittit, qui exſequiis deceſſoris ſui intereſſet; quae ſolito ritu celebratae ſunt.* XIII. *Quo facto, ipſe ſolemni pompa Cracoviam ingreſſus eſt, ingenti et Polonorum et principum ac procerum Galliae comitatu.* XIV. *Cracovienſis palatinus Proteſtantium doctrinae addictus in inauguratione intercedit, et amplius ſibi ac ſuis caveri petit. Heic Joan. Vincentius Laurens orator pontificius partes ſuas interpoſuit, ne quid ultra a Sigiſmundo Auguſto conceſſa in praeſens concederetur. Actum et clam de mittenda ad Joannem Sueciae regem legatione cum regis literis, ut eum ad amplectendam majorum religionem, quo inclinare videbatur, incitaret. Eo poſtea miſſus Autonius Poſſevinus.* XV. *Proteſtantium in Gallia motus. Res in aula turbant: et, dum rex ad Sangermanum eſſet, homines Alençonio addicti in armis ſe oſtenderuut. Politicorum et alio nomine male-contentorum factio. Momorantii Alençonio favent. Guiſianorum coutraria factio. Alençonius et Navarrus ſcripto ſe purgaut.* XVI. *Quaeſtio de Mola, Coconaſſio, Turtraeis habita, et ſumptum ſupplicium. Condaeus, qui Samarobrigae erat, fuga in Germaniam abit. Franciſcus Momorantius et Arturus Coſſaeus equitum tribunus ſiſtuntur. Alençonius et Navarrus cuſtoditi.* XVII. *Mongomerius in Neuſtria res turbat; Dunfronii in Aulercis captus et Lutetiam ductus capite plectitur.* XVIII. *Reginae matri ingraveſcente regis morbo regni adminiuſtratio*

attributa et in ſenatu promulgata. XIX. *Regis mors, ingenium, conſilia, virtutes.* XX. *Coſmi magni Etruriae ducis, Abdalae Feſſae et Marochi regis obitus.*

EX AUCTORIBUS,

Papirio Maſſono, Actis publicis, Libris tunc publicatis, D. Chytraeo, L. Vicino P. P. Carolo Paſcalio, Rogerio Tritonio, Archivis curiae Pariſ. et actis probatoriis, Jo. Bapt. Hadriano, Lud. Marmolio, Antonio Errera.

LIBER QUINQUAGESIMUS SEPTIMUS.

CIƆIƆLXXIV.
CAROLUS IX.

SUB id tempus a Gregorio XIII pontifice miſſus [a] Seraphinus Olivarius, vir candore et amoenitate ingenii rara doctrina exculti praeſtans, ad Henricum novum Poloniae regem ſalutandum Lutetiam venit: eique pontificis nomine ob felices belli ſucceſſus et ampliſſimum regnum virtutibus ac meritis ipſius tam honorifice delatum gratulatus, etiam roſam auream pontificis manu ſibi traditam et Roma allatam, tanquam boni ominis praemium, in conſecrato loco obtulit, cum literis Staniſlai Hoſii epiſcopi [a] Warmienſis cardinalis, viri doctiſſimi, et ut in Deum ſic in patriam praecipua pietate inſignis; quas Henricus ſumma cum animi voluptate legere viſus eſt.

II. TUM legati Poloni, cum altero ab ingreſſu in urbem die quieviſſent, perendie ad [b] Luparam in conſpectum regis admiſſi, ante omnia demiſſiſſime regis dextram deoſculati ſunt. [c] Poſnanienſis epiſcopus pro collegis locutus expoſuit, quanti ſenatus ceterique regni Poloniae ordines Chriſtianiſſimum regem feciſſent, ex eo intelligi potuiſſe, quod petitioni ejus de fratre in regem ſuum eligendo aſſenſi eſſent; ſe collegaſque ſuos ejus rei nunciandae cauſa cum mandatis in Galliam veniſſe, ſpe fretos, ut ea electio a Polonis rite facta totius Europae bono vertat. Ad ea rex paucis reſpondit: eorum adventum ſibi gratiſſimum eſſe; ſe vero effecturum, ut non ſolum Poloni ſentiant, ſed omnes gentes, atque adeo poſteritas olim intelligat, nullam nationem cuiquam aut cariorem aut acceptiorem fuiſſe, quam erit Polonica ſibi ob recordationem egregii muneris commendatione ſua Henrico fratri conjunctiſſimo tam benevole delati. Plura in eam rem addita a Renato Birago cancellario et Paulo [d] Foxio. Inde legati Catharinam regis parentem in cubiculo ſuo ſalutarunt, et Eliſabetham nurum. Catharina Italice cum Poſnanienſi in arcano aliquandiu quoque collocuta eſt. In diem ſequentem dilata regis ſui ſalutatio: ad quem ſtatim a prandio inſcenſis equis magno circuitu per ſublicium pontem profecti ſunt, longe majore pompa et apparatu, quam pridie venerant: aureis ſiquidem textilibuſque togis amicti incedebant, ſenatoria gravitate imaginem quandam Romanae majeſtatis referentes: habenae equorum argenteae diſtinctaeque lucentibus gemmis, clitellae inauratae ac pretioſae phalerae cum voluptate ſimul et admiratione ſpectabantur: ſua quemque familia anteibat compoſita ex generoſis adoleſcentibus in ſerica toga, praeeuntibus accenſis cum ferreis bicubitalibus clavis. Ea pompa deducti ſunt ab aulae primoribus ad principem ſuum, ab eo ſuſcepti laeto ac ſereno vultu. Tum Poſnanienſis epiſcopus orditur; Senatum, equites ac ceteros Poloniae et Lithuaniae Ordines, recepto in coelum Sigiſmundo Auguſto, conveniſſe, et exquiſitis more majorum ſententiis placuiſſe omnibus, ipſum utriuſque gentis regem pronunciari: ſciret, regnum ob ſummam opinionem virtutis ſibi delatum per eam regi et conſervari oportere: de cetero pacta nomine ſuo a legatis in ſenatu facta jurejurando firmaret; quo facto, demum ea, quae comitiorum

VAR. LECT. [a] Olivarius Seraphinus *D. ſ. o.*
INTERPR. [a] *de Warmie.* [b] *le Louvre.* [c] *de Poſen.* [d] *de Feix.*

comitiorum decreto ſancita eſſent, libentiſſime ipſe ac collegae ſui exſecuturi ſint. CIↃIↃLXXIV.
Ad quae Henricus, quod tam benevole ipſum in tegem elegiſſent, gratias ſe Deo ac CAROLUS IX.
ſenatui maximas habere, daturumque operam dixit, ut conceptae de ſe opinioni olim reſpondeat. Quo reſponſo Latine dato, Philippus Huraltus [a] Cevernius ejus cancellarius excepit; nihil optatius regi accidere potuiſſe ipſorum adventu, cupienti quam primum ad regnum, quod Dei et Polonorum ſingulari munere conſecutus eſſet, proficiſci: aequaſſe legatos officiis vel potius ſuperaſſe cogitationes regias, confecto tam longo itinere, antequam ad ſe in Galliam pervenire potuerint; quorum rex nunquam memoriam depoſiturus ſit; quin ipſum in poſterum effecturum, ut, qui fortiſſimi bello ducis gloriam ab hoſtibus ipſis meruit, ejus etiam tanquam liberaliſſimi ac gratiſſimi principis beneficentiam cuncti de ipſo bene meriti expetiantur: interea paratum, cum ab ipſis exemplum pactionum ac conventionum acceperit, eas quoties volent jurisjurandi religione firmare. Tum, legatis ac ſecundum eos ceteris Polonis ad oſculum regiae manus admiſſis, Henricus Poſnanienſis dextram prehendit, et cum eo una legati cubiculum regis ingreſſi cum ipſo colloquuntur: inde ſub veſperam dimiſſi aliquot dies ad mandata inſpicienda concedi petunt. Poſtridie cum Franciſcum Alençoniorum ducem viſuri eſſent, cognito eum ex nocturna febre decumbere, moleſti eſſe noluerunt, et Henricum Navarrorum regem, Margaritam uxorem, Carolum Borbonium et Carolum Lotharingum cardinaleis ſalutavere. Biduo elapſo, Poſnanienſis Renato [b] Villaclaro et Philippo Huralto ad ſe miſſis ſignificat, collegas, ſi ſibi facultas detur, cupere regem ſuum convenire. Facta poteſtate in Palatio [c] Andino proferuntur conditiones illae, de poſſeſſionum ſuarum, quas in Gallia haberet, reditibus per menſarios in Poloniam inferendis. Alia capita erant de aere alieno deceſſoris ſui, de academia Cracovienſi, de ſeminario juventutis, de privilegiis et immunitatibus, de ſacris, de matrimonio, de claſſe, de foedere cum Gallis ineundo, et, quod praecipuum erat quodque ab Evangelicis maxime urgebatur, de pace inter de religione diſſidenteis ſervanda. Tum etiam in gratiam Gallorum Proteſtantium, ſtipulantibus Evangelicis Polonis, a Monlucio, ut dixi, promiſſa repraeſentari petiere ex iis quidam: ad quae cum ſubſiſterent noſtri, qui aderant, ii erant Biragus cancellarius, Joannes [d] Morvilletius, Sebaſtianus [e] Albaſpineus Lemovicum epiſcopus, Paulus [f] Foxius, Philippus Huraltus Cevernius, [g] Pomponius Bellevreus, [h] Vidus Faber, et regis mandatis nihil tale contineri affirmarent, Monlucius poſtremo teſtatus eſt, nihil quidem eorum mandatis ſuis expreſſum, ſed, ut aemulis ac malevolis os obſtrueret, et Evangelicis ob ſiniſtros de motu Pariſienſi rumores artificioſe in Polonia ſparſos alienatis aliqua ex parte ſatisfaceret, hoc illorum odio et horum deſiderio ſimul dediſſe: nam, cum adverſarii regem et Andinum in ſummam invidiam apud regni proceres adducerent, quaſi conſilio, non caſu, motus ille excitatus eſſet, et ipſe contra tanquam ex occaſione ac neceſſitate natum excuſaret, Evangelici ſic eam excuſationem accipiebant, ut rex, ſi quidem haec ipſo ignaro aut invito accidiſſent, promitteret, ſe de graſſatoribus poenas ſumpturum, de cetero Proteſtantibus idonee caveret, et edicta in eorum gratiam a ſe facta ſervaret: nam praeteritorum ultionem, et in poſterum ſecuritatem ſuis ipſum debere. His rationibus victum ſe ac perſuaſum Monlucius alebat, ut haec regis nomine promitteret, veritum, ſi recuſaſſet, ut eos minus placatos haberet, et procedenti feliciter electionis negotio remora aut impedimentum ex eo afferretur: verum rem ejuſmodi eſſe, ut, cum nequaquam ad Polonos pertineat, nec ejus ratione rex teneatur. Id nihilominus cum Evangelici legati improbis efflagitationibus urgerent, contra, ut temere et nimia fiducia praeter mandata a Monlucio factum, invidi in aula replicarent, rex, re cum Poſnanienſi et aliis legatis majorum religionis

INTERPR. [a] *de Chiverny.* [b] *de Villequier.* [c] *le duc d'Anjou.* [d] *de Morvilliers.* [e] *de l'Aubeſpine, eveſque de Limoges.* [f] *de Foix.* [g] *Pompone de Bellievre.* [h] *Guy du Faur.*

CIↃIↃLXXIV. CAROLUS IX.

religionis cultoribus communicata, ex compacto petitionem illorum variis ludifica-tionibus diu fruſtratus, ad extremum omnino eluſit. [α] Rogerus [a] Tritonius Pinarolii abbas, qui Vincentii [b] Laurei vitam ſcripſit, Vincentio, qui pontificii oratoris munere apud novum regem tunc fungebatur, id laudis tribuit, quod, cum Poſnanienſis natura, ut ille ait, timidus in capite de religione haereret, oeque conſtantiam quam debebat ſervaret, Albertus autem [c] Laſcus minus juſto rem curare videretur, apud utrumque ne aſſentiretur enixis rationibus pervicerit; ad idque Aloiſii [d] Ateſtini cardinalis a ſe antea egregie inſtructi, quem et obſoleto habitu ad Poſnanienſem noctu introduxerit, opera ſit uſus: quam taodem diligentiam ac curam Laureus conſtanter adhibuit, aſſiduus ad novi regis antiquae religionis retinentiſſimi aures, quem et in Poloniam ex muneris impoſiti neceſſitate ſecutus eſt. Petebant et legati Evangelici, ut in cauſa Carlotae Monpenſerii filiae, quae apud Fridericum Palatinum ſeptemvirum, Gallia ob religionem excedens, ſuperiore anno perfugium habuerat, rex partes ſuas interponeret, et eam parenti ſuo reconciliaret: item, ut Jacoba [e] Monbella Intramontia Colinii Lutetiae interfecti vidua, quae [f] Auguſtae Taurinorum a Sabaudiae duce cuſtodia retinebatur, interventu regis liberrati et bonis reſtitueretur, ſalvaque conſcientia domi ei vivere liceret; et Carolus Colinii filius, qui [g] Maſſiliae captivus atrinebatur, liberaretur, et ad fratres remitteretur. Sed haec itidem poſtulata tanquam nihil ad Polonorum res pertinentia pati reſponſo rex eluſit. Cetera capita illo et proxime ſecutis diebus io colloquiis tractata, adhibita in pleriſque commoda et aequa interpretatione; ſed ejuſmodi, quae fineis mandati religioſe cuſtodiendos non excederet. Henricus interim in palatio Andino epulo legatos accepit v Eid. Sept. ubi illi, cum ad latera regiae menſae aſſiderent, aſſurgentes nudis capitibus propinando regi ſuo, qui mos gentis eſt, pium et hilare pro ipſius ſalute votum conceperunt. Ac die ſequenti in majore urbis templo convenere rex, Henricus, reginae, legati Poloni, etiam Evangelici, pontificis, Hiſpaniae, Scotiae, Venetorum, aliorumque principum oratores, Carolus Borbonius, Carolus et Ludovicus Lotharingi, Aloiſius Ateſtinus, cardinales, epiſcopi, ſenatores, aulici, plerique cives, ut nullus vaſtiſſima aede locus ne tholus quidem vacuus fuerit. Peractis ſacris Henticus ad aram maximam coram Petro Gondio epiſcopo propoſitis ſacroſanctis Evangeliis per Deum juravit joxta formulam proximis conventibus perſcriptam, et ab ipſis legatis allatam, jura cuique ſua in Polonia et Lithuania ſervaturum. Rex eodem loco juravit, quae per Monlucium, Aegidium [h] Noallium, et Vidum [i] Sangelaſium Aginni Nitiobrigum praefectum, oratores ſuos comitiis illis pactus eſſet, ea ſe bona fide impleturum. Tum in epiſcopio lautiſſimum hoſpitibus ſuis epulum dedit. Perendie, cum ad colloquium vocati eſſent, recitatae ſunt literae Caeſaris et comitiorum Germaniae in conventibus [k] Francofurti ad Moenum XVI Kal. Sept. datae; quibus ſacri Imperii Ordines rogati, ut eorum voluntate Henrico io Polooiam profecturo iter per Germaniam facere liceret, ipſi et comitatui, ſed ſine maleficio et injuria, tranſeundi faculratem dabant. Cum data facultate uti placuiſſet, gratiae per literas Caeſari ac priocipibus actae; ac nominatim iis, per quorum fineis tranſire oporteret. Quibus actis, reliquum erat, ut decretum electionis publice et ritu ſolemni recitaretur: magno theatro id actum in ampliſſima palatii Pariſienſis aula, in qua regum nuptiales pompae celebrari ſolent. Rex et Henricus Poloniae rex, reginaeque, Franciſcus Alençooiorum dux et Henricus Navarrorum rex ſororius, ſub pretioſis umbellis edito pegmate juxta menſam marmoream conſedere: ad laevam conſanguinei regis principes, Henricus Borbonius Condaeus, Ludovicus

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Laureo novem lineae, uſque ad* Petebant et legati *deſunt D. ſ. o. d.*

INTERPR. [a] *Tritonio abbé de Pignerol.* [b] *Lauro.* [c] *Laski.* [d] *d'Eſte.* [e] *Monbel d'Entremont.* [f] *Turin.* [g] *Marſeille.* [h] *de Noailles.* [i] *de S. Gelais, gouverneur d'Agen.* [k] *Francfort ſur Mein.*

Ludovicus [a] Monpenſeriae dux et Franciſcus [a] Delfinus filius: dextrum latus claude- CIƆIƆLXXIV.
bant cardinales quatuor, quos dixi; infra quos ſedebant epiſcopi complures, oratores CAROLUS IX.
regum et regii conſiſtorii aſſeſſores: paulo inferius longa admodum ſerie in humilioribus ſedilibus ſenatores in purpura, academiae rector, judices ordinarii, ac [b] tribuni aerarii. Spectatorum ad x CIƆ, partim in ſcalarum gradibus pontibuſve ligneis, partim ubi quiſque poterat, in vaſtiſſimi loci area ſtabant. Tum facto ſilentio, clangentibus tubis, legati Poloni ingrediuntur, ad fores excepti a Guiſio magno palatii magiſtro, et ad regium theatrum deducuntur; ubi depoſitum eſt decretum arca argentea incluſum, quam ex legatis duo humeris ſuis ad majorem venerationem a gradibus aulae ad eum locum ſuſtulerant. Ibi Poſnanienſis, pauca praefatus de Polonorum erga regem cultu ac ſtudio, ab eo demiſſe petit, velletne S. C. quo frater Henricus rex Poloniae dictus eſſet, ipſi coram offerri, recitarique. Cum reſponſum eſſet, placere, converſa ad Henricum oratione, Quod felix fauſtumque ſit, inquit, ſenatus, equites ceterique Poloniae et Lithuaniae Ordines in regni comitiis uno ore te regem ſuum eſſe, ejuſque rei tam laetae nuncium ac decretum per nos in Galliam deferri juſſerunt. Ac primum rogant, ut, quo animo regnum defertur, eodem accipias; reque ipſa demonſtres, regium decus non magis ſtudio et voluntate gentis, quam egregiis tuis in rempublicam Chriſtianam meritis te eſſe conſecutum. Deinde orant, ut, rebus tuis conſtitutis, quamprimum ad inaugurationem et regni tuis virtutibus delati poſſeſſionem, ad clientes ac populos tui amantiſſimos proficiſci pergas. Inde ad collegas converſus, argentea arca reſerari juſſa, S. C. profertur, atque honorificentiſſime ſtatim offertur Henrico regi electo, pio, inclyto, triumphatori, magno: moxque imperato ſilentio a Joanne Herburto Henrici juſſu recitatur. Eo, poſt recenſita epiſcoporum, palatinorum, caſtellanorum ac ſenatorum nomina, quatuor eligendi cauſae memorabantur; ſplendor familiae [c] Valeſiorum, ſumma naturae ac fortunae in Henrico ornamenta ac dotes, ipſius in rempublicam Chriſtianam merita, pactum de fructibus patrimonii ſui in Poloniam inferendis. Recitato decreto, quod ex ſigillis firmatum erat, Poſnanienſis pauca ſubjecit; et ſecundum eum Nic. Chriſtophorus Radevillius Lithuanorum nomine, qui Polonis dignitate exaequantur. Ad haec Henricus actis denuo Deo optimo maximo, regni Ordinibus, ipſiſque legatis gratiis, quod jam fecerat, decretum hoc honorificentiſſimum ſibi gratiſſimum ſimul ac jucundiſſimum eſſe profeſſus eſt, vocatoque ad ſe Huralto cancellario, pluribus eum ad orationem legatorum reſpondere jubet. Is igitur ſic orditur. Nullum poſt hominum memoriam majus Galliae ac Poloniae beneficium, cum multa acceperint, hac auguſtiſſima electione a Deo datum. Laudataque ſenatus prudentia, Nervae Caeſaris et Alexandri Macedonis exemplum in medium attulit; quorum alter digniſſimo dedit imperium, alter ſupremis verbis dari mandavit: digniſſimum videri eum, cujus votis Polonorum ſuffragia annuerint, quem abſentem praeſentibus, procul poſitum finitimis, exterum ſuis praetulerint, eumque ante capere regem quam expectare maluerint: Henricum talem graviſſimo fortiſſimi ac integerrimi ſenatus elogio judicatum: quam expectationem ſui concitaverit apud alias gentes, eam in reliquum tempus apud ſuos tutaturum amplificaturumque: regem fratrem Polonorum cauſa, bene meritam de ſe parentem ac dulcem patriam deſerere: Poloniam nunc ei patriam eſſe. Tum in legatorum gratiam ſubjecit, ſerenitatem ſuam nemini plus quam legatis debere; quos neque longitudo itineris, neque viarum aſperitas, neque tot interjectae nationes ac flumina a ſuſcepto legationis munere retardarint, addita hac regis nomine fauſti ominis clauſula, Eamus quo nos Dei voluntas et Chriſtianae reipublicae amor vocat. Quae ultima vox frequenti auditorum gratulantium admurmuratione excepta eſt. Confeſtimque phonaſci
regiae

VAR. LECT. [a] Monpenſerii *D. f. o.*
INTERPR. [a] *le prince Dauphin d'Auvergne.* [b] *treſoriers de France.* [c] *de Valois.*

CIƆIƆLXXIV. CAROLUS IX.

regiae domus hymnum Deo cecinerunt: regeſque ipſi flexo genu ſupplices Regnatorem coeli adorarunt, reges pro arbitrio renunciantem ac deſtituentem. Poſtquam ſurrexerunt, rex prior ſereoo vultu ad fratris ſolium accedens Chriſtiano ritu eum amplexus ac deoſculatus eſt. Tum Franciſcus frater, et Henricus Navarrorum rex ſororius ad oſculum pariter admiſſi. Ceteri priocipes, ſed diſpari dignatione, novum regem venerati ſunt. Legatis quoque Polonis fottem regis ſui dextram ſuaviari datum. Inclinata jam die conventus dimittitur; et decretum argentea theca iterum incluſum humeris Joannis Tomicae et Andreae a [a] Gorka ad aram proximam templi deponitur, fidei et cuſtodiae Philippi Huralti commiſſum. Hanc ſolemnem ceremoniam excepit fragor ingens tormeotorum tota urbe atque in armamentario regio praecipue diſploſorum, et noctumum epulum inſolita magnificentia legatis a rege in [b] Lupara datum. In eandem rem edita an habita ſir incertum oratio luculenta a Joanne Sario [c] Samoſcio, cujus nomen libris duobus de ſenatu praeſcriptum legitur; quos cum Caroli Sigooii eſſe ab amicis accepiſſem, confeſſione a viro modeſtiſſimo vix tandem extorta, cum [d] Bononiae eſſem, rem ita habere poſtea intellexi. Sane vir inter eruditos ſcriptis illis oominatus majorem poſtea militaris gloriae laudem re ipſa meruit, rebus bello fortiſſime geſtis contra Moſcos et Auſtriacam domum; ut bello et toga clariſſimus merito cenſeri debeat.

III. TUNC etiam Franciſcus Balduinus haud obſcurae famae juriſconſultus, et Cracovienſi academiae, niſi mors bominem praeveniſſet, inſtaurandae deſtinatus, orationem ad eundem Sarium evulgavir; qua et eum ut librorum de ſenatu auctorem laodat, et legationem Polonicam, ut maxime omnium illuſtrem, aliarum ab omni antiquitate repetitarum comparatiooe, multis verbis extollit. Is poſtea eodem anno III Eid. Nov. Luteriae annos tantum natus LIII fato conceſſit.

IV. POSTERO a decreto recitato die novus rex regis fratris juſſu urbem armatus exquiſita magnificentia ingreſſus eſt, a porta [e] Antoniana ad portas uſqoe palatii ſub uraniſco equitans: cumque tranſeuotem magno comitatu cives fauſtis acclamationibus regem Poloniae ſalutavere, triumphalibus arcubus paſſim et aliis ad ſpectaculum poſitis ſtatuis ac picturis; quas magiſtratus urbis poeticis et aliis inſcriptionibus, Polonorum laudes, concordiam fratrum, civiumque in eos ſtudia teſtantibus, ornaverant. Poſtea et regioa in [f] Lateranis aedibus, quae in pomoerio urbis juxta Luparam ſunt, legatos noctumo convivio excepit. Ibi remotis menſis repente pracalta rupes apparuit nullo externo motu ſe circumagens; cujus io cacuminibus XVI nymphae totidem Galliae provincias referentes viſebantur, quae oobiles e reginae gynaeceo puellae erant. Hae, poſt Sireneos cantus, et recitata ad lyrae pulſum exquiſitae elegantiae carmina, io Galliae et oovi regis laudes a P. Ronſardo et Jo. Aurato raris hujus aevi luminibus facta, in planum e clivo deſcenderunt, ut ſua munera Henrico Poloniae regi offerrent; inde ad choreas verſae, inauditis prius maeandris et inſolitis ſaltatiooum ad voluptatem excogitatarum gyris, ordine et compoſito corporis geſtu diſtioctis, diu otioſorum oculos tenuerunr. Altero poſt die conſultum viſum eſt, ut Jo. [g] Sborovius in Poloniam praemitteretur, qui ſenatum certiorem faceret de actis legatioois, de regis profectiooe, et tempore adventus in Poloniam, ut beneficiarii regni ad inaugurationem edicto vocarentur. Miſſus et a rege Nicolaus [h] Angeneus Rambulietus, jam multis legationibus magna cum prudentiae laude defunctus; qui ſenatum cooveniret, et regis nomine gratias ageret, quod commeodarione ſua apud Ipſos factum eſſet, ut in fratris electionem conſenſiſſeor. Ii diverſis itineribus in Poloniam profecti ſunt: prior Sborovius quae ſui muneris erant inter ſuos executus eſt; Rambulietus primum omnium Jacobum [i] Uchanſchium archiepiſcopum Goeſnenſem adiit,

INTERPR. [a] *le comte de Gorka.* [b] *le Louvre.* [c] *Zamoyski.* [d] *Bologne.* [e] *porte S. Antoine.* [f] *aux Tuilleries.* [g] *Zborowski.* [h] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [i] *Uchanzki.*

adiit, tunc [a] Lovitiae in arce ſua diverſantem; penes quem rege abſente ſumma rerum erat, et cujus praecipue fuerat erga noſtros ſemper gratia: quo ſalutato, poſt gratias regis nomine actas, magna cum animi benevoli ſignificatione utrinque diſceſſum eſt. Lovitia Rambulietus Warſaviam petit, et Annam regis defuncti ſororem, quae in arce urbis diverſabatur, itidem utriuſque regis nomine ſaluravit, literaſque ab utroque ei porrexit: a qua viciſſim, acceptis ad regem Poloniae literis, poſtridie Ilzam venit, Franciſci [b] Craſſinii Cracovienſis epiſcopi arcem, ab eo honorifice exceptus. Inde tridui itinere Cracoviam attigit; ac poſtridie in ſenatum introductus, eadem, qua Gneſnenſem archiepiſcopum oratiooe allocutus erat, univerſum ſenatum compellavit: quam Cracovienſis caſtellanus excepit, et pari verborum honore remuneravit.

V. DEIN coram ipſo Rambulieto in ſenatu deliberatum ſuit de ratione belli contra Moſcum gerendi; quem, exercitum C equitum CIↃ comparare et cum eo Lithuaniam et Livoniam invadere decreviſſe, fama erat. Jam initio anni, occaſione per interregnum capta, in Livoniam deſcenderat Joannes Moſcorum imperator Baſilii filius, cum priora bella per legatos in Livonia geſſiſſet: et, poſitis ad [c] Witenſteiniam arcem caſtris, ſexto, poſtquam venerat, die, vi expugnavit, inaudita ſaevitia in captivos graſſatus; quos, et in his Joannem [d] Boium arcis praefectum et nobileis aliquot Suecos ac Livonos, veru alligatos aſſavit: Inde Novogardiam cum parte exercitus reverſus ſobrinam ſuam Mariam, Andreae filiam Magno [e] Holſatiae duci, ut ex ejus adfinitatis occaſione Danos et Germanos cum Livoniis committeret, in matrimonium dedit. Reliquae Moſcorum copiae, quae XVI CIↃ armatorum efficiebant, in Livonia relictae, cum omnia circum infeſtis populationibus vaſtarent, ab Achazio Suecorum duce inſigni victoria de Ruſſis parta et praeda ingenti recepta partim caeſae, partim diſſipatae ſunt. Nec multo poſt tentata Roſtochienſium cum Megalopolitanis ducibus conciliatio, interventu Caeſaris, Auguſti Saxonis et Joachimi Brandebugrici ſeptemvirorum; ſed irrito ſucceſſu initio: cumque res ad arma ſpectare videretur, et contra arcem exſtructam palis ligneis tumultuario deſtitutis pro muro ſe munire inde cives pararent, inde Megalopolitani ope Daniae regis navibus [f] Warnemunda adductis portum Roſtochienſem obſediſſent, nobilitas, cujus cauſa quodammodo in cauſa civium vertebatur, ab iis ſolicitata partes ſuas interpoſuit: et [g] Guſtrovii inſtituto colloquio tandem praeter Roſtochienſium opinionem res compoſita eſt; ita ut ſummi imperii umbra penes Megalopolitanos principes remaneret, Roſtochienſes jus ipſum, privilegia antiqua et libertatem retinerent, et arx illa formidabilis a fundamentis dirueretur. Id actum XI Kal. Oct. qui dies annis vertentibus deinceps feſto nolarum ſonitu et cantico beatorum Ambroſii et Auguſtini ſolemnis celebratur; quippe quo triſtiſſima ſervitute oppreſſis civibus optatae libertatis lux primum affulſit. Additum fuerat tranſactioni, ad placandos honorifica ſatisfactione principes, ut ſenatus urbis et cives ſub dio extra oppidum ab Alberto et Ulrico [h] Megalopolenſibus praeteritorum veniam peterent, et novo ſacramento illis fidem obligarent: quod ſolemni ritu Februario proximo peractum eſt; rumque arx ab illis tradita, et a Roſtochienſibus ſolo aequata eſt.

VI. APUD nos aliquot diebus poſt Sborovii profectionem Paulus Foxius in Italiam mittitur, qui reipublicae Venetae, pontifici ac ceteris Italiae principibus, qui gratulatum novo regi principatum oratores miſerant, regis fratris viciſſim nomine gratias ageret, et inde in Germaniam eodem officio defuncturus pertranſiret, ac poſtremo Ipſum Poloniae regem in regno ſuo adiret. In ejus comitatu tunc eram: idque mihi nunc de illo, de quo non poſſum noo ſemper fari perhonorifice, dicere ſat erit,

nunquam

INTERPR. [a] *Lowicz.* [b] *Craſſinzki.* [c] *Wittenſtein.* [d] *Boy.* [e] *Holſtein.* [f] *Warnemunde.* [g] *Guſtrow.* [h] *de Mecklenburg.*

CIƆIƆLXXIV. Carolus IX. nunquam me ab ejus latere, eram autem fere aſſiduus, niſi meliorem et ad virtutem excitatiorem diſceſſiſſe.

VII. Secundum haec, legatis [a] lautia data ſunt a rege, torques aurei, vaſa aurea et argentea. Tandem Henricus, rebus ad iter comparatis, IV Kal. Oct. Luteria diſceſſit. Rex, qui venationibus occupato ingenio res ſuas et auctoritatem in fratris veluti manus conſignatam hactenus parum curare creditus erat, ubi eum vidit moras ſubinde nectere, et in Gallia per hyemem remanendi occaſionem captare, repente mutavit; et, quaſi ex profundo ſomno ad ſe rediiſſe viſus eſt, cunctantique ſubiraſcens, appellato Numine, quod a pravis pueritiae moderatoribus corruptus nimium quam frequenter uſurpabat, aut ſe aut fratrem regno exceſſurum, neque parentem ei ſemper praeſto futuram, dejeravit. Regina quoque, quae Henricum efflictim diligebat, cum, quam cupide regnum longinquum filio ambiverat, tam invita facere videretur, ut cum a conſpectu avelli ſineret, et ipſa quoque moras nectens in regis alioqui obſequentiſſimi offenſionem incurrit; cognitaque ejus mente, cum cunctationi amplius locus non eſſet, prioris conſilii pertaeſa ad nova animum appulit, ut, ſi cum in Galliam non poſſet, in proximam Galliae provinciam revocaret. Ea de cauſa Gaſpari Schombergio negotium datum, ut cum Arauſionenſi ageret, ut Henricus honeſtis conditionibus bello Belgico praeficeretur; quo claſſe inſtructa cum bona Daniae regis Arauſionenſi, ut ſibi perſuadebat, faventis venia commode, Polonis etiam conſentientibus et ejus profectionem adjuvantibus, venire poſſet. Quod et Schombergius, vir quam bello ſtrenuus tam prudens et rerum agendarum peritus, ſedulo fecit: eaque de re in occulto [b] Divioduri Mediomatricum cum Arauſionenſis delegatis eo ab illo miſſis ſerio egit; negotiumque eo produxit, ut conditiones utrinque perſcriptae ſint: ſed, quae poſtea acciderunt, curſum inchoati negotii conturbarunt.

VIII. Rex interea [c] Villeriam in Retia ſilvâ conceſſerat, fratrem inde ad fineis uſque regni proſecuturus; ubi Proteſtantium per [d] Septimaniam et Aquitaniam poſt obſidionem Rupellanam congregatorum delegatos audivit. Ii quamvis pactis edicti nuper facti comprehenderentur, tamen ſucceſſu inflati et adventu Polonorum, quos in gratiam ſuam multa a rege petiiſſe didicerant, conditionibus illis ſtare recuſabant; et, cum permiſſu regis, [e] Nemauſi primum, dein Montalbani, IX Kal. Sept. eodem die, quo anno ſuperiore Colinius cum foederatis Lotetiae oppreſſus fuerat, conveniſſent, et edicto ſibi idonee cautum negarent, utrobique capita quaedam libello ſupplici adjuncto conſcripſerunt, miſſis [f] Joleto, Philippo et Chavenacio viris induſtriis et interritis. Summa poſtulatorum erat, ut, poſt gratias regi de egregia erga Proteſtanteis voluntate et pacis adeo ad ſtatum Galliae conſtituendum neceſſariae ſtudio actas, ipſum demiſſe orarent, ne in malam partem acciperet, ſi, recenti lanienae Pariſienſis adhuc ſenſo, amplius ſecuritati ſuae conſuli peterent: neque enim de praeclara regis voluntate dubitare; ſed, cum videant ipſum pravorum conſiliariorum impulſu, qui nunc et in aula ejus praecipuum auctoritatis faſtigium teneant, immanis facinoris, a quo ingenitam ejus bonitatem abhorrere ſciant, ſe publicis literis auctorem perhibere, cum paulo ante factum illud publice eſſet deteſtatus, merito vereri, ne pax edicto nuper facto ſancita eorumdem artibus violetur, niſi potentioribus remediis ea firmetur: ad eam rem igitur poſtulare, ut urbes, quas tenent, ſuorum hominum, quibus ex aerario regio ſtipendium numeretur, praeſidio cuſtodiantur; et praeter illas urbes etiam aliae duae in ſingulis regni provinciis arbitrio bonorum virorum utriuſque religionis ipſis concedantur, quae itidem praeſidio ſerventur, numerato pariter ex regia pecunia ſtipendio: libera ſit per univerſum regnum religionis, quam profitentur, nullo

INTERPR. [a] *dons & preſens que les Romains faiſoient aux ambaſſadeurs des princes eſtrangers, quand ils s'en retournoient en leur pays.* [b] *Mets.* [c] *Villiers-côte-de-Retz.* [d] *Languedoc & Guïenne.* [e] *Niſmes & Montauban.* [f] *Yolet, Philippi & Chavagnac.*

nullo locorum diſcrimine, profeſſio: ex Proteſtantium numero ſenatus in regno con- CIↃIↃLXXIV.
ſtituatur, qui jus inter ipſos dicat: alendis ſuarum eccleſiarum paſtoribus, quae ex CAROLUS IX.
fundis Proteſtantium percipiuntur, decimae impendantur: Sanbartholomaeae lanienae auctores vel adminiſtri, tanquam praedones et publicae tranquillitatis perturbatores ſevere puniantur: judicia Lutetiae et Toloſae ab eo tempore contra Proteſtanteis lata revocentur, et contra praeſcriptiones omnes tam ex contractu quam a lege et conſuetudine quaeſitas reſtituantur: ſacerdotum et monachorum, qui Proteſtantium doctrinam profitentur, legitima matrimonia, ex iiſque ſuſcepti liberi legitimi declarentur; et ad ſucceſſiones omnes, dignitates et honores admittantur; ejus rei judicium penes judices Proteſtanteis ſit: tutores pupillorum, quorum parentes eam doctrinam amplexi fuerunt, eos in eadem religione educare et inſtruere teneantur: libera ſit ejuſdem religionis in comitatu [a] Venaſcinenſi et Avenionenſi dioeceſi profeſſio: nihil in cauſa religionis per [b] Benearni pagum contra ea, quae ex Ordinum decreto a Joanna regis Navarrorum matre ordinata ſunt, immutetur: omnes principes, magiſtratus ac regni ordines pactis ſervandis ſolemni ſacramento fidem interponant. Huic libello pluribus verbis amplificato vicecomes Paulinus, qui [c] Aquitaniae cum ſummo imperio Proteſtantium nomine, et [d] Sanromanius, qui [e] Septimaniae praeerant, [f] Gordonius, Verlacus et alii complures ex nobilitate ſubſcripſerunt; qui regi, cum Villeriae eſſet, oblatus eſt, magna omnium admiratione, et ſumma cum primis reginae indignatione, cum diceret, Condaeum ipſum, ſi in vivis eſſet, quamvis cum XX CIↃ equitum et L peditum CIↃ in Galliae umbilico incederet, primariarum regni urbium potentem, vel dimidiam illarum conditionum inſolentiae plenarum partem minime petiturum fuiſſe. Eodem tempore auditi et [g] Delfinatus et Provinciae delegati, qui onera ac vectigalia nova et intoleranda, contra privilegia et libertates temporibus Philippi Valeſii et Ludovici XI repetitas ſibi impoſita, pari libertate deprecabantur. Quorum omnium poſtulata cum praeter ſpem ac voluntatem rex cogeretur audire, eaque juvenis maxime omnium injuriae impatiens ad animum revocaret, tamen, diſſimulato in praeſens dolore, reſponſo vago et ambiguo fruſtratus eſt. Nam Septimanos et Aquitanos ad Henricum Momorantium Damvillam remiſit, qui loco juxta Montalbanum deſignando delegatos eorum audiret, et eorum petitionibus, ſecundum regis mandata, qua poſſet ratione ſatisfaceret; ac curaret, ut per judices minime ſuſpectos jus inter illos diceretur: attributus et illis domum repetentibus, quo dictis fidem aſtrueret, [h] Jacobus Cruſſolius dux Uticenſis in tumultu Pariſienſi a Guiſio ſervatus, qui eos ad Damvillam adduceret. Quod ad Delfinatus et Provinciae delegatos, rex ſuperiorum temporum turbas et onera regni ac penſiones, quae Margaritae amitae, reginae Scotiae, reginae parenti ac fratribus debebantur, cauſatus, ſe excuſavit; et in poſterum curaturum dixit, ut pacato regno populum tributis levet, et ad priſca privilegia provincias, quantum in ipſo erit, reducat. Haec eodem die XV Kal. Nov. ad utroſque reſponſa data. Septimani poſtea [i] Millialdi in Rutenis convenerunt, Damvillae permiſſu; ubi eadem poſtulata denuo agitata, et interpretatione novis excogitatis capitibus amplificata, et ad ipſum Damvillam exeunte anno miſſa; ſic ut de iis conveniri non potuerit, exacerbatis animis et omiſſis pacis conſiliis jam tum ad novum bellum inclinantibus. In eam rem evulgata tunc pleraque ſcripta, in quibus non parum momenti ad incendendos animos fuit; atque inprimis libellus de ſervitute ſpontanea, cui et [k] Anthenotico nomen, in re diſpari a
Stephano

INTERPR. [a] *le comtat Venaiſſin & le dioceſe d'Avignon.* [b] *Bearn.* [c] *Guienne.* [d] *de S. Chaumont, ſieur de S. Romain.* [e] *Languedoc.* [f] *le vicomte de Gourdon, & le ſieur de Verlac.* [g] *Dauphiné & Provence.* [h] *Jacques de Cruſſol* (auparavant nommé *le ſieur d'Acier) duc d'Uzez, ſon frere Antoine etant mort l'année precedente.* [i] *Millaud en Rouergue.* [k] *le Contre un.*

CIↃIↃLXXIV. CAROLUS IX.

Stephano [a] Boëtiano ſenatore Burdigalenſi olim factus, ut ſuo loco diximus, et tunc palam publicatus ad praeparandos ſeditioni animos. Evulgatus et eodem tempore liber Franco-Galliae titulo; quo magni nominis ſua aetate [b] juriſconſultus probare nititur, regnum illud inter Chriſtianorum principatus florentiſſimum non bereditatis jure, ut privata patrimonia, ſed nobilitatis ac populi judicio et ſuffragiis deferri ſolitum: et, ut eligendorum regum auctoritatem, ita et abdicandorum et exauctorandorum poteſtatem penes regni comitia et publicum gentis conventum antiquitus extitiſſe, exemplis ex Philippi Valeſii, Joannis, Caroli v, Caroli vi, ac denique Ludovici xi temporibus repetitis. Id vero maxime urget, omni tempore ut a ſucceſſione ſic a publica omni procuratione mulieres excluſas fuiſſe. Alius et repoſitus liber multis rationibus, exemplis et argumentis amplificatus, ante aliquot annos Magdeburgicae obſidionis tempore in Germania editus: in quo quaeſtio de obedientia magiſtratui ex verbo Dei debita fuſe pertractatur, et obedientiam Deo debitam infinitam, hominibus finitam eſſe demonſtratur; ac proinde licere ſubditis, cum a magiſtratu violantur, arma tutandi ſui cauſa expedire. Eadem peſſimi exempli quaeſtio accenſis poſtea ad ſeditionem animis multo pernicioſius exagitata, et a majorum religionis cultoribus, contra Dei, pattum et conciliorum decreta, Lutetiae, magna ſacri ordinis infamia, nec minore publicae tranquillitatis diſpendio, retractata eſt. In eandem rem dialogus, Politici nomine, de poteſtate, auctoritate et officio principum ac populi libertate, eodem tempore in publicum exivit. Cumulatum et ad majorem invidiam repetitum a biennio conſilium, quod [c] Bloeſis, antequam Navarrae regina in aulam veniſſet, initum fuiſſe ferebatur, de Francia Turcici imperii inſtar ſub abſolutam poteſtatem redigenda: ad id ſubornatum a Birago cancellario et [d] Radeſiano comite [e] Poncetum quendam, qui poſt varias peregrinationes a pontifice S. Petri torque donatus ob eam cauſam vulgo eques indigetabatur. Is ad regem, reginam, Andinum introductus varia regna ſe luſtraſſe aiebat; ſed nullam in iis principum plenam poteſtatem reperiſſe, praeterquam in Turcico imperio; in quo penes ſummum imperatorem omnium vitae, dignitates et bona ſunt: id autem has praecipue ob rationes contingere; quod nulli ſint in Othomanico imperio magnates, nulli qui non a principis nutu et arbitrio pendeant eique magnitudinis ſuae incrementa debeant: nullos nobileis praeter praetorianos, qui vulgo Domini filii appellantur, et per quos ſine natalium, familiarum aut dignitatum praerogativa aut excuſatione cuncti arcto indefiniti obſequii vinculo obligati conſtringuntur; nullam aliam in eo religionem, praeter eam quam ipſe colit, admitti; niſi in provinciis nuper bello partis, in quibus, ne ad ſolitudinem redigantur, ademptis de cetero omnibus bonis, dignitatibus, et de religione diſputandi libertate, licet indigenis ſuam religionem retinere: nulla praeterea propria ſingulorum bona, nullas terras aut ditiones beneficiarias eſſe, cuncta ad principem pertinere a publicanis adminiſtrata, aut inter praetorianos ac milites ad ejus arbitrium annuatim diviſa; indeque immenſos tot miniſtrorum tum pacis tum belli ſumptus fieri, neque opus eſſe capitali vectigali, quod aegre et ab invitis exigatur: nulla loca munita niſi in limitibus conſpici: praeterea arcano imperii id agi, ut, cum proprium quid aut hereditarium nemo habeat, ſolique ii, qui principi operam navant, opibus ad vitam abundent, univerſi in ea tenuitate degant, ut quamvis duram ſervitutem ſervientes animis et viribus ad audendum ſint impares. His a Ponceto copioſe expoſitis, ab eodem quaeſitum, qua via inſiſtendum videretur, ut abſoluta regia poteſtas Turcicae exemplo in Francia conſtitui poſſet: ad haec autem illum reſpondiſſe; proceres ante omnia de medio tollendos, et nobileis ſenſim carpendos: nam, cum in regno tres ordines ſint, eos aliorum quaſi vindices et aſſertores eſſe, et regiae poteſtatis quaſi

INTERPR. [a] *de la Boetie, conſeiller de Bourdeaux.* [b] *François Hotman.* [c] *Blois.* [d] *le comte de Retz.* [e] *Poncet chevalier du Pape.*

quaſi arbitros ac moderatores, ita ut, qui legem aliis debet dícere, ab iis plerumque accipere cogatur: ad tollendos autem proceres et nobilitatem in ordinem cogendam, placere, ut bellum religionis colore, qui apud alios duos ordines, eccleſiaſticum et plebeium, ſpecioſus eſt, alatur: nam ſic paulatim ad internecionem eos, praeſertim quo quiſque generoſior eſt, deleri poſſe: neque defuturas artes, quibus ii, queis belli fortuna pepercerit, in pace opprimantur; interea dum bello et pace in id incumbitur, caute ſervandum eſſe, ne rex dignitates, honores, munia publica iis aut in eorum gratiam cuiquam tribuat; invidioſas et ſumptus periculique plenas praefecturas aut legationes ipſis reſervet, penſionibus et honorariis quantum licebit ſubſtractis, quo vaſta illa corpora quaſi alimento negato ad maciem paulatim adducantur, ac poſtremo concidant: in primis, publica regni comitia, quae tantum ad firmandam Ordinum potentiam ſpectant, omnino prohibenda eſſe; et ſevere caſtigandos, tanquam quietis publicae perturbatores, qui ad illa proclamabunt: ſublatis proceribus et labefactata nobilitate, in civitatibus et urbibus eos petendos, qui per haec bella a regiis partibus minime ſteterint; quibus rurſus ſublatis, et ſacro ordine plebeioque omni patrocinio deſtitutis, facile fore, ut toto regno civitates munitae moenibus et propugnaculis nudentur, arces procerum ac nobilium diruantur, et religio quam rex probaverit cum plena ſua poteſtate, nemine in poſterum contradicente, firmetur ac ſtabiliatur. Evulgato ea de re libello [a] Poncetus eques amarulento admodum ſcripto Antipharmaci titulo reſpondit: quo calumnioſe id ſibi affictum dicit; neque ſe tamdiu in porta Othomanica, neque tunc, cum conſilium Bloeſis initum fingitur, in aula fuiſſe, neque de ea re aut cogitaſſe unquam aut coram rege reginaque verba feciſſe. Antipharmacum illud a libelli evulgati auctore, alio ſcripto, cui [b] Specillorum cryſtallinorum titulus, confutatum: quo per illud Ponceti conſilium maturatam Sanbartholomaeam carnificinam dicit; et, ad Poncetiani reſponſi titulum alludens, ab hujuſmodi externorum atque adeo tranſmarinorum morum interpolatoribus, venenum [c] Porciano principi, Tendae comiti, Longavillae, Bullionii et Uticenſi ducibus, Navarrae reginae, ipſi ante aliquot annos [d] Alençonio, propinatum confirmat: eadem peſte [e] Momorantium, Damvillam et Thoreum ejus fratres petitos: poſtea inſidias Condaeo innocentiſſimo principi, [f] Carnutum vicedomino, Turenae vicecomiti et Monpenſerio ipſi ac Delfino ejus filio ſtructas. [g] Ludenſem comitem et Chavinium antiqua nobilitate, fide in regem, pietate in majorum religione colenda illuſtreis, quod Monpenſerio ipſiuſque familiae addicti eſſent, calumniis apud regem ab harum fraudum conſarcinatoribus maligne traductos; interea dignitates, honores, beneficia iis negata; contra largitiones in Italos, id Radeſiani et Biragi odio additum, collatas; portoria exteris elocata; epiſcopatus aliaque coenobia iiſdem conſiliatoribus attributa; idque ſtudioſe fieri, ut, ſparſis diſſidiis ac aemulationibus accenſis renovatiſque antiquis ſimultatibus, proceres inter ſe committantur; et, quod nec ferro nec veneno potuit, ſanguinolentum illud conſilium per ipſorum manus exitum habeat: ſic Monlucium contra Damvillam incitatum: ſic [h] Iouſam et Acierium contra cognatione ſibi arcta conjunctos; ſic denique [i] Villarium cum Momorantiis ſororis filiis commiſſum; idque aſtu et inſtigatu novorum hominum factum, qui, cum nuper pedibus albis in Franciam venerint, per adulationes et malas artes ad invidioſos honores evecti, hoc agunt, ut, proceribus toto regno oppreſſis et bene meritis praemio omni excluſis, ipſi ſoli rerum potiantur, et, pro vetere ac legitimo imperio, quo Francia tamdiu floruit, novam et inſolentem dominationem ad ipſius perniciem inducant. Haec, ſive ad odium conficta, ſive ex vero

CIↃIↃLXXIV.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Poncet chevalier du Pape.* [b] *Lunettes de chriſtal de roche.* [c] *le prince de Porcean, le comte de Tende, & les ducs de Longueville, Bouillon, & Uzés.* [d] *le duc d'Alençon.* [e] *le mareſchal de Montmorency, le mareſchal de Damville, & le ſieur de Thoré.* [f] *le Vidame de Chartres, & le vicomte de Turenne, le duc de Monpenſier, & le prince Dauphin d'Auvergne.* [g] *le comte du Lude, & le ſieur de Chavigny.* [h] *de Joyeuſe & d'Acier.* [i] *Honorat de Savoie, marquis de Villars.*

CIↃIↃLXXIV.
CAROLUS IX.

vero trahentia, ita ab iis tunc jactabantur, qui, recenti injuria efferati, ultionis, quam ipſi per ſe ſumere non poterant, procerum ac nobilitatis animis proprio periculo ad defectionem ſolicitatis, occaſionem quaerebant.

IX. INTEREA, rebus omnibus ad novi regis profectionem comparatis, rex, qui fratrem ad regni uſque fineis proſequi ſtatuerat, morbo fatali graviter adflictari coepit; unde materia variis ſermonibus ſuppeditata. Nam pauci naturalem ei et non accerſitum rebantur, memores, quae ſummus diſſimulandi artifex prae impatientia interminatus et matri et fratri eſſet, neque ignari quam non ſponte novus rex Galliam [α] relinqueret. Miſſus ſub id [a] Radeſianus in Germaniam cum pecunia, ſpecie ut Henricum in Poloniam euntem comitaretur, re ut delectus haberet, et negotium a Schombergio cum Arauſionenſi et Ludovico Naſſovio ejus fratre inchoatum ad exitum perduceret: alii addunt, ut deſiderium ſui apud regem ſe jam faſtidientem, ut in aula ſaepe accidit, ſi poſſet, excitaret, et interim dignitatem abſentia tueretur. Rex [b] Villeria per [c] Sueſſiones Vitriacum Catalaunorum oppidum ad Matronam proceſſerat; ubi, haudquaquam remittente morbo, coactus eſt ſubſiſtere: demumque hic rex et Henricus ejus frater iter dividunt; et, poſt complexus utrinque datos, Henricus, ulterius progreſſa matre, Alençonio, Margarita, et aliis proceribus, ex Catalaunorum finibus per [d] Ambaros in [e] Leucos continuato itinere [f] Nanſium venit; ubi a Carolo ſororio Lotharingiae duce magnifice et omni laetitiae ſignificatione exceptus eſt. Claudia uxor filiam recens enixa erat, pro qua in ſacroſancto lavacro Poſnanienſis et collegae rogati Chriſtiano ritu fidejuſſere. Blamontium tandem ventum: ubi diu in arcano cum Henrico dilectiſſimo filio collocuta parens, poſt lachrimas uberius profuſas, eum poſtremo dimiſit; et cum Alençonio nequaquam pariter affecto et Margarita in citeriorem Galliam rediit. Metus inceſſerat reginam, ne Alençonius, ſe injurioſe ſpretum hactenus, dum Henricus frater in Gallia eſſet, in occulto conqueſtus, eandem gratiam, quam [β] ille obtinuerat, peteret, ut regis per univerſum regnum legatus declararetur, et ope Navarri, Condaei, Momorantiorum et Arturi Coſſaei equitum tribuni Momorantiis addicti novos motus in Gallia ſereret, et ipſam penitus a publica rerum adminiſtratione removeret: idque ambitioſae juxta et ſuſpicaci foeminae Lotharingus cardinalis et Guiſius ſibi ab Alençonio et aliis timentes perſuaſerant. Illa vero, quod eventurum metuebat, id quaſi jam factum regi inſuſurrat, ut eum a fratre alienaret, et efficeret, ut ampliſſimum id munus Carolo Lotharingiae duci genero, ſub quo rerum ſe potituram ſperabat, a rege deferretur, jam tum proximam [γ] filii mortem praeſagiens: et, ne quid intactum interea relinqueretur, Rupellam belli

VAR. LECT. [α] relinqueret. Suſpicio fuit a Carolo Gondio Turrio cubiculi regii magiſtro, conſciis Alberto Radeſiarum comite equitum tribuno et Petro epiſcopo Pariſienſi, fratribus, et non ignara regina parente, venenum propinatum regi; qui homines ſuaſu matris ad honores primarios fremente nobilitate in pueritia ſua evectos, cum, accedentibus cum aetate annis, eum erroris puderet, evertere meditabatur: idque palam ita jactabatur. Sed atrociora memorabant in arcano aulici; regem juvenem, cum Turrii uxorem, Purroboni Maſſilienſium triremium praefecti filiam, praeſtanti forma foeminam, deperiret, Turrium ad aliquot dies aula ablegaſſe: illum vero, ſuſpicatum quod erat, ſtatim reverſum, cum rege uxorem deprehendiſſe; qui facto irritatus eum non ſolum ſilere juſſit, ſed interminatus eſt, ſi quidem ille propterea uxori ſuccenſeret, ſe, qui ex humili loco illum per gratiam opibus et dignitate auxiſſet, mutata voluntate perditurum: Turrium vero ad praeſens dolorem prae metu ſuppreſſiſſe; ſed, re per aulam emanante, Guiſium ad omnes occaſiones intentum, qui regis infeſtum ſemper ingenium expertus eſſet, et contra in Henrici benevolentia multum praeſidii poneret, Turrio facinoris auctorem fuiſſe, quo et privatam injuriam ulciſceretur, et, ſublato furioſo rege, ſic Carolum vocabat, ac meliore in ejus locum ſuffecto, gratiam a bonis et univerſo regno iniret: Ceterum Turrium, re confecta, ſive veneno et ipſum ab uxore ſive Guiſio petitum, ſive poenitentia ſceleris ductum, ex moerore paulo poſt extremum vitae diem clauſiſſe. Morbus initio gravis cum paulum remiſiſſet, et conſcii robore juventutis periculum evaſiſſe crederent, priora conſilia reſumunt. Miſſus propterea Radeſianus in Germaniam cum pecunia, cujus magnam partem intervertiſſe ferebatur, ſpecie ut Henricum in Poloniam, &c. *MS. Samm. Put. & Rig.*

[β] ille a rege obtinuerat *D.* f. o. d.

[γ] regis mortem *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *le comte de Retz.* [b] *Villiers Côte-de-retz.* [c] *Soiſſons & Vitry ſur Marne.* [d] *le Barrois.* [e] *Toul.* [f] *Nancy.*

belli moram, cum qua nuper tranſegerat, per Bironum, V. [a] Dallonium Ludae comitem, Carolum [b] Roaldum Landereum et [c] Pigallarium tentat.

X. BIRONUS et Pigallarius cum Jacobo [d] Leonio Rupellano convenerant, qui porro alios conſilii conſcios habebat, et in iis Gulielmum [e] Davidem Plantam, [f] Amadeum Zardonerium, Ludovicum [g] Viennam Portam, Joannem [h] Turgerium. Per eos Leonius, corruptis pretio militibus, urbem occupare, et eam Birono et Pigallario, qui copias jam [i] Noallium et Viviani fanum praemiſerant, tradere receperat. Id per transfugam cum Major, quem vocant, cognoviſſet, re cum paucis communicata, ante omnia Leonium ruri tunc agentem capere ſtatuit; qui per lictorem citatus, ut ſe judicio ſiſteret, cum non pareret, capta inde occaſione in domo ſua occiſus eſt. Captis libris ejus ac commentariis, ordo conjurationis et nomina conſciorum patuere. Igitur capti Zardonerius, Planta, Turgerius, [k] Sala, Rhaeticarum copiarum duces; qui diverſi interrogati et convicti ad mortem tandem damnati ſunt: cunctis fere, Planta excepto, cum ad locum ſupplicii venere, rem, quam praeſentibus judicibus aut in tormentis confeſſi erant, coram plebe inficiantibus. Quatriduo poſt, recitatis palam Leonii commentariis ac literis, Zardonerius, et poſtridie Planta et Porta, confractis membris, rotae impoſiti: octavo poſt die Turgerius et Sala eodem ſupplicio affecti ſunt: ac poſtremus omnium Gulielmus [l] Vidus Talio Rupellanus, ſponte ac ſine tormentis conjurationis ordine explicato, damnatus et productus, quod aliquando urbis praefectus, eaque re nobilitatis praerogativam adeptus eſſet, honeſtiore vitae exitu, capite truncatus eſt; copiis interea Bironi et Pigallarii dilapſis, et ipſis de ſacto quidquam ſe reſciviſſe pernegantibus. Is caſus praeparatis jam ad novos motus animis non mediocres ſtimulos addidit: quamvis rex per literas conjurationem deteſtaretur, ſe inſcio a turbulentis hominibus, qui maleficio ſuo nomen regium falſo praetexerent, initam dictitans, et quam proinde pari ſeveritate ab ipſis vindicatam gaudeat; hortabaturque, ne propterea animo commoverentur, aut quidquam de ſe inclementius ſuſpicati turbas cupientibus aures praeberent, ſed in officio, quod et ſperet, conſtanter perſeverarent. Nec multo poſt [m] Dominicus Lichanius Lucenſis, qui receptum in [n] Garumnae aeſtuario habebat, et cum armata bireme, cui [o] Hirundini nomen, per Santonicum litus piraticam continuis excurſionibus faciebat, cum ad [p] Retenſem inſulam exſcendiſſet, a [q] Saujone et Normano ſtrenuis ductoribus Rupella ſummo ſilentio profectis bireme exutus eſt. Capti qui in ea bireme erant, et, quamvis vitam ſalvam pacti, in urbe damnati ac capitis ſupplicio affecti ſunt, adempto provocationis beneficio. Lichanius per inſulam aufugit cum [r] Perrerio; qui ambo tanquam contumaces ad mortem damnati ſunt, imaginibus ipſorum ignominioſe patibulo affixis. Diverſa parte Proteſtantibus per Delfinatum, Provinciam, Septimaniam et Aquitaniam faciebant animos pleraque loca quae tenebant. Monbrunius in Delfinatu [s] Nionium ad Provinciae confinia, et in comitatu Venaſcinenſi [t] Minerbium munitiſſimam arcem nuper occupaverat; unde retro pedem referens in agrum [u] Gratianopolitanum populabundus ingreditur, ac [w] Viriacum opulentum admodum coenobium obtruncatis praeſidiariis diripit, magno de ſe terrore ſparſo, ita ut [x] Carthuſiae majoris ſodales accepto praeſidio ſe muniverint. [y] Glandagius eodem tempore, vir militaris, quanquam Proteſtantium doctrinae minime addictus, [z] Arauſionem, oppido et arce in

INTERPR. [a] *de Daillon, comte du Lude.* [b] *de Rouhault, ſieur du Landereau.* [c] *de Puy-gaillard.* [d] *du Lion ſieur de Grandſief, natif de la Rochelle.* [e] *David, dit le capitaine la Plante.* [f] *Amanjou de la Zardoniere.* [g] *Vienne, dit le capitaine la Porte.* [h] *Turgier de Montargis.* [i] *Noaillé & S. Vivian.* [k] *le capitaine la Salle.* [l] *Guy, dit le Taillon, ſieur de la Bataille, natif de la Rochelle.* [m] *Dominique Lichani Lucquois.* [n] *la Garonne.* [o] *l'Hirondelle.* [p] *Iſle de Ré.* [q] *les capitaines Saujon & Normand.* [r] *la Perriere.* [s] *Nions.* [t] *Menerbe au comtat Venaiſſin.* [u] *de Grenoble.* [w] *Virieu.* [x] *de la Grande Chartreuſe.* [y] *Glandage.* [z] *Orange.*

CIↃIↃLXXIV. CAROLUS IX.

in poteſtatem redactis, capit, ejecto [a] Berchono ab Arauſionenſi impoſito, quod arcanis cum Avenionenſi praefecto induciis pactis a cardinali [b] Armeniaco pecunia corruptus rem ſegnius gerere diceretur: continuoque belli occaſionem quaerens in Avenionenſem agrum excurrit, praedas abigit, in mercatores ſaevit; religionem Proteſtantium ſe minime probare dictitans, ceterum enſis ſui mucronem religionem eſſe: quod magnam Proteſtantibus invidiam conflavit, quaſi eorum cauſa rapinis ac latrociniis pro velamento praetexeretur. Berchonus [c] Corteſonem Arauſionenſis ditionis oppidulum ſe receperat, injuriae vindicandae ad omneis occaſiones intentus; quod et tandem oppidanorum aliquot, violentiam Glandagii pertaeſorum, ope ei anno inſequenti ſucceſſit. In [d] Septimania praeterea, [e] Rutenis et Cadurcis multa oppida et arces validis praeſidiis firmatas tenebant. Univerſus item [f] Benearni pagus eorum partes ſequebatur, cui, in cuſtodiam dato [g] Antonio Grammontano, [h] Pontius Caſa praeerat, et inde in ſubjectam Vaſconiam continuis populationibus excurrebat. Quae omnia ſuſpicaces poſt tantam cladem animos, et nihil pacati aut ſecuri ab aulicis ſperanteis, rebus ad civilem adminiſtrationem et belli gerendi rationem per induciarum otium conſtitutis, facile ad belli conſilia rapiebant.

XI. INTEREA novus rex iter ſuſceptum, quamvis aegre, perſequebatur, magno comitatu. Cum eo erant [i] Nivernii et Meduanae duces et [k] Ellebovii marchio patruelis, Jacobus [l] Sillius Rupifortii comes, Eligius comes [m] Caunienſis in ſecunda Belgica, Joannes [n] Saulius Tavanius vicecomes Lugniorum, Ludovicus [o] Picus Mirandulanus, Renatus [p] Villoclarus aulae praefectus, Gaſpar Schombergius, Albertus [q] Gondius Radeſiarum comes equitum tribunus, Rogerius Bellogardius, Bellavilla, Jacobus [r] Levius Cailuſius, [ſ] Gordius, Balſacii Interamnates fratres, alii ſpectatae in bello virtutis adoleſcentes ex nobilitate Gallica amplius IↃC. Cum iis Pomponius Bellevreus, regis in Polonia orator futurus, et Vidus [t] Faber Pibracius loco [u] Alegrii Millialdi, Aegidius [w] Noallius, ac Vincentius [x] Laureus Montis-regalis epiſcopus pontificis legatus. Blamontium uſque proceſſerant obviam ex Germanis Chriſtophorus Friderici Palatini ſeptemviri filius, et ex eadem familia [y] Parvae-petrae princeps, et Ludovicus Naſſovius, cum regina in arcano de Belgica expeditione collocuti; per quos veluti itineris duces rex Poloniae [z] Tabernas, epiſcopi [aa] Argentinenſis hodie ſedem, deducitur, a quo perhumaniter exceptus eſt. Inde per [bb] Nemetes et Vangiones ad Rhenum ventum: quo trajecto, cum aliter commode aut honeſte non poſſet, Heidelbergam ad Palatinum ſeptemvirum ſtatuit divertere; ad quem cum inſperato veniſſet, ſolitudo in arce reperta primo ſuſpecta regi fuit, et, cum honorifice de cetero ſuſceptus eſſet, tamen noctu ex incendii metu forte orto tumultu trepidatum rurſus ab hoſpitibus. Id et moleſte accidit regi hoſpiti, quod eum per porticum imaginibus principum et virorum illuſtrium egregie pictis ornatam illum Palatinus antiquae ſeveritatis et ab omni fuco alienus deduceret, de induſtria a tabula, in qua Colinius depictus erat, velum removeri juſſit; ſtatimque ſubjecit, illum eſſe, quem ex omnibus Galliae proceribus cognoverit maxime omnium Gallici nominis ſtudioſiſſimum, et in quo proinde rex et univerſa Francia magnam et nuſquam ſarciendam jacturam fecerit. Quod quoties repetebat, toties immanitatem ſimul et imprudentiam regi abſenti et Poloniae regi exprobrare videbatur; eoque minus humane cum tanto hoſpite agere exiſtimatus eſt, cum rex interea non occultam injuriam ſilentio affectato

INTERPR. [a] *Berchon.* [b] *d'Armagnac.* [c] *Courtaiſon.* [d] *Languedoc.* [e] *Rouergue & Quercy.* [f] *Bearn.* [g] *Antoine d'Aure,* dit *de Gramont, vicomte d'Aſter.* [h] *Pons de la Caſe.* [i] *Nevers & Mayenne.* [k] *Elbœuf.* [l] *de Silly, comte de Rochefort.* [m] *de Chaunes en Picardie.* [n] *de Saulx de Tavannes, vicomte de Lugny.* [o] *Pic de la Mirandole.* [p] *de Villequier, chambellan du roy de Pologne.* [q] *de Gondi, mareſchal de Retz.* [r] *de Levi, ſieur de Quailus.* [ſ] *les ſieurs de Gordes, fils du gouverneur de Dauphiné; & les freres de Balſac d'Entragues.* [t] *du Faur, ſieur de Pibrac.* [u] *d'Alegre, ſieur de Millaud.* [w] *de Noailles.* [x] *Lauro, eveque de Mondovi.* [y] *le duc de la Petite Pierre.* [z] *Zaberne.* [aa] *de Strasbourg.* [bb] *Spire & Wormes.*

CIϽIϽLXXIV.
CAROLUS IX.

affectato diſſimularet. Ab Heidelberga tranſmiſſo Rheno in Vangiones iterum reverſus [a] Moguntiacum contendit, a Daniele [b] Brendelo Humburgo civitatis archiepiſcopo ſeptemviro cum IϽC equitibus obviam progreſſo detentus et honorifice exceptus. Rurſus ſuperato Rheno [c] Francofurtum venit ad Moenum ſitum, cui a Francis nomen, per quos in Gallia regnum Francorum poſt Valentiniani III mortem feliciſſime et auſpicatiſſime ſtabilitum eſt: itaque cives urbis regem veluti origine ſuum et ſibi cognatum omnis hoſpitalitatis genere honoraverunt. Inde Fuldam itum, coenobium tota Germania celeberrimum, ubi rex cum loci [d] praeſule Natali Domini ſacris interfuit; et apud eundem feſtis aliquot diebus tranſactis, Vahicum ſive [e] Facam petit, a Willelmo Heſſorum principe et noſtrarum partium ſemper ſtudioſiſſimo cum III CIϽ equitum occurrente exquiſitiſſimis honoribus eo loci affectus. Trajecto dein [f] Wiſurgi ad [g] Iſenacum prid. Kal. Jan. et [h] Albi ad [i] Torgam ſeptemviratus Saxonici oppidum, Saxonum campos emenſus eſt, ab Auguſto ſeptemviro inſalutatus, quod a via militari procul et aeger eſſet; haec enim excuſatio fuit: ſed a Joanne Caſimiro [k] Baioaro genero ſoceri mandatu ad ipſum cum II CIϽ equitum [l] Halam uſque veniente exceptus, qui ad ultimos Saxoniae fineis ipſum eum eo comitatu proſecutus eſt. Pari honore et [m] Locris a Caeſaris legato acceptus eſt, quem CIϽ IϽ equites ſeqnebantur. Demum Brandeburgicum limitem attigit, ex cujus familia Boruſſiae princeps Polonici regni beneficiarius regem Francofurtum ad Oderam ſeu Viadrum, qui Polonorum fineis hodie a Germania dividit, cum omni familia deduxit. Cum Miedzerico propinquaret, VIII Kal. Feb. obviam Polonorum ad id deſtinatorum turmam habuit; qui confeſtim ex equis deſcendentes regem curru regio et aperto, ſic ut ab omnibus conſpici poſſet, vectum more gentis conſalutarunt. Heic ſenatus et equeſtris ordinis nomine Staniſlaus [n] Carneovius epiſcopus Vladiſlavienſis gravi et ſane eleganti oratione, quae edita eſt, regem compellavit; gratias agens, quod eo tandem perveniſſet, ubi univerſorum votis diu exoptatus, gentis Polonicae fidem, obſequium et ſingularem erga ſuos reges obſervantiam experiretur. Tum ut oſtenderet, quam honorifice et ſumma conſenſione, Deo mentes Polonorum regente, rex electus eſſet, comitiorum aeſtus, caſus, ordinem ac ſeriem multis verbis perſequitur; et ad extremum rogat et optat, ut fauſtis ominibus ac ſelicibus auſpiciis ineat regnum, atque ad regiam urbem quamprimum ire pergat. Ad ea paucis interfatum regem excepit Vidus Faber Pibracius, qui pari elegantia ad Carneovii orationem reſpondit, et, pulcherrima viri ad ſponſam deducti comparatione, regem virum electum multis verbis appoſite commendavit, et Poloniae dotale regnum ſummis laudibus extulit; ac regem veniſſe dixit, quamvis aliunde ſatis inſtructum, ut ab ipſis ſenatoribus adminiſtrandi regni normam et rationem peteret, ab ea ne latum quidem unguem diſceſſurus, niſi aut temporum ratio aut publica utilitas aliter ſuaderet: cum vero ab infantia ita inſtitutus ſit, ut nihil pietate, cultu Dei antiquius habeat, optaſſe quidem in te longe omnium maxima et qua ſalus animarum vertitur, nullam ineſſe diſparitatem ac diſſimilitudinem ſententiarum; quod et Dei benignitate aliquando futurum ſperet; interea pacis et tranquillitatis amantem, calamitatum etiam et malorum, quae ex bellis civilibus oriuntur, alieno, imo proprio periculo non ignarum, hortari omneis, ut communibus et conjunctis ſecum ſtudiis in eam curam incumbant, ne ullo quaeſito colore ſecuritas, pax, tranquillitas, et amicitia mutua minuatur: alioqui fore, ut florentiſſimum hoc regnum, dum ſe ſuis viribus conficiet, ludibrio et praedae Moſcis, Tataris aut aliis barbaris exponatur. Tum, ut communis parentis affectu et animo veniſſe regem oſtenderet, et ſuſpicionem alieni a nonnullis, erga alios bene affecti animi tolleret,

electionis

INTERPR. [a] *Mentz ou Mayence.* [b] *Brendel de Homburg.* [c] *Francfort ſur Mein.* [d] *l'abbé de Fulde.* [e] *Vach.* [f] *Weſer r.* [g] *Eyſenach.* [h] *l'Elbe.* [i] *Torgau.* [k] *de Baviere, fils ainé du comte Palatin.* [l] *Halle.* [m] *Locre.* [n] *Karnkowski, evêque de Cujavie.*

CIƆIƆLXXIV.
CAROLUS IX.

electionis ſuae beneficium univerſis in ſolidum ipſum debere teſtatur, pro univerſorum ſalute, regni amplitudine, gloria non modo facultates ac fortunas omneis, ſed vitam etiam et ſanguinem profundere paratiſſimum. Quae a Pibracio, non ſolum ſummo verborum nitore, ſed exquiſita compoſiti geſtus et modulatae vocis gratia dicta ſunt; ut cum antea ſemper eloquentiſſimus habitus eſſet, tunc vero ſeipſum ſuperaſſe videretur. Nec mediocrem regi ea actio dignitatem conciliavit, quod talem virum ad latus ſuum haberet, in quo amabiles mores et humanitas cum facundia certabant.

XII. [a] MIEDZERICO [b] Poſnaniam itum; et inde per diſcuſſas nives Cracoviam, praemiſſo Radeſiarum comite, qui nomine regis exequiis Sigiſmundi Auguſti intereſſet. Sic enim apud Polonos inſtitutum eſt, ut, niſi prius rite conditis deceſſoris manibus, rex auſpicato inaugurari poſſe non credatur. Ea pompa magno apparatu celebrata. Corpus defuncti [c] Knichnia [d] Tikocinam arcem munitiſſimam a ſe exſtructam, et inde Warſoviam, ac Warſovia poſtremo Cracoviam deportatum fuerat, Anna ſorore infante funus cum magno ſenatorum atratorum comitatu proſequente, et in curia [e] Padnicenſi depoſitum eſt; ac demum XV Feb. viri, qui ad funus cohoneſtandum undique confluxerant, ac matronae illuſtres lugubri habitu in arcem ad infantem ſe contulerunt. Praecedebant legati ſingularum provinciarum cum propriis vexillis numero XXX: tum primarii miniſtri, armiger, enſifer, et hujuſmodi: dein pomum mundi figuram repraeſentans, ſceptrum, corona aurea a ſenatoribus, quibus id ex ratione muneris competebat, praeferebantur: ſequebatur corpus plumbeo loculo incluſum et ſerico velamine nigro obvolutum, octo equis vectum; et poſt corpus feretra XXXII cum inſignibus regiis, et equi XXX egregie inſtrati. Infans atrata hinc inde a legato pontificio et a Veneto deducebatur. Tum nobilitas incedebat; et poſt eam urbis ſenatus, et longo ordine plebes ad IV CIƆ atrati omnes, cum candelis et funalibus. Eo comitatu in arcem itum; ubi primaria aede cereis undique collucente ſacrum celebratum: quo peracto [f] Magilenſis abbas regem defunctum laudavit. Biduo ſequenti privatis ſacris in aliis urbis templis mortuo parentatum eſt.

XIII. TANDEM funeris triſtitiam laetitia adventus novi regis excepit. Dies dicta ad XVIII Feb. quo, rex cum ad [g] Balicias ſeſquimilliari ab urbe Cracovienſis Palatini villam pernoctaſſet, coelo maxime ſereno, ad eum venere ſenatores et equites juſti exercitus ſpecie; ſed, ut ad publicam laetitiam, ornatiores et omni generis cultu inſtructiſſimi. Primus incedebat cruce praelata archiepiſcopus [h] Gneſnenſis rheda vectus cum Poſnanienſi et Petro [i] Miſcovio Ploçenſi epiſcopis, qui CC haſtatos Hungarico habitu holoſerico auro intertexto fulgenteis ſecum habebant. Hos Leopolenſis archiepiſcopus Staniſlaus [k] Slomoviſcius cum [l] Camenecenſi epiſcopo, et Franciſcus Craſſinius Cracoviae epiſcopus cum CC equitibus Italico habitu inſtructis; et poſtremo Vladiſlavienſis ſive Cujavienſis epiſcopus, is qui ad ſalutandum regem Miedzericum miſſus fuerat, cum [m] Culmenſi epiſcopo, et Palatino Lancicienſi magno comitatu ſequebantur. Poſt hos Cracovienſis caſtellanus CC equites auro et argento intertextis palliis ſplendidos ducebat. Tum palatini ſequebantur magna pompa: et primus Cracovienſis cum Sandomirienſi praefecto fratre, qui CCC equites Hungarico et Scythico ornatu, Sandomirienſis palatinus cum enſifero fratre CCL ducebat: quibus ſeſe junxerant [n] Oſvyjecimenſis et [o] Breſtenſis caſtellani. Palatinus [p] Caliſſienſis Hunnorum comptu, cledoniis monilibuſque coruſcantem turmam ſecum habebat. Sed inter omneis eminebat Albertus Laſcus palatinus Siradienſis cum C Hungarico et Tatarico more inſtructis. Eum ſequebatur Podoliae palatinus cum CL equitibus; et cum eo

Lithuaniae

INTERPR. [a] *Miedzeriko.* [b] *Poſen.* [c] *Knichin.* [d] *Tikocin.* [e] *de Padnick.* [f] *l'abbé de Magiles.* [g] *Balice, maiſon du palatin de Cracau.* [h] *de Gneſne.* [i] *Miskowski, evêque de Ploczko.* [k] *Slomowski.* [l] *de Kaminieck.* [m] *l'evêque de Culm, & le palatin de Lenczitz.* [n] *Oſwiecimski.* [o] *de Brzeſty.* [p] *Kaliski.*

Lithuaniae et Ruſſiae proceres promiſcuo ordine: inter quos Nic. Georgius [a] Rade- CIƆIƆLXXIV.
villius Olicae dux Vilnenſis palatinus incedebat; et poſt eum caſtellanus [b] Trocenſis, CAROLUS IX.
et Samogitiae praefectus Joannes [c] Chodkievicius. Poſtea, mediis aliquot publicis Lithuaniae magiſtratibus, Nicol. Chriſtopborus Radevillius Italico habitu cinctus. Tandem aulici miniſtri ſequebantur. Tum Conſtantinus dux [d] Kioviae palatinus cum duobus filiis, altero Italorum, altero Moſcorum more amictis, et CCC equitibus; [e] Braſlavienſis palatinus cum [f] Volhinis ſuis CC more Tatarico inſtructis; Culmenſis [g] Marieburgenſis et Pomeraniae palatini cum ſuis Germanico veſtitu, et cum his [h] Dulſcius Prutenus cum XXXVI loricatis; et Lublinenſis palatinus cum CC diſpari et Hungarico apparatu; [i] Tencinii comes, Joannes [k] Voinicenſis et Andreas Belſenſis caſtellani cum CCL equitibus. Sequebantur eos [l] Herbertonus cum CC; [m] Camenecenſis et Savicoviſtenſis caſtellani cum CL; Andreas [n] Vapoſcius cum C; [o] Biecenſis et Radomicenſis cum XXC; ac demum Staniſlaus comes [p] Tarnovius [q] Cechovienſis caſtellanus cum CC: poſtremo poſt caſtellanos Hieronymus [r] Buzinkius regni cancellarius, et ſecundum eum Andreas [ſ] Opalinskius curiae tribunus cum LXXV equitibus Italico more ornatis, ſpectabantur. Ultimum agmen claudebant civitatum et officiorum regiorum praefecti, cum ſuis quiſque turmis. Tum confuſi proceres ibant: quos demum cives, cum plebe Germanico ritu armata, CXX equites et CCCC pedites ſequebantur. Copiis ita inſtructis, rex ſe infert, Vaſconibus et Helvetiis ſuis ſtipatus, cum magna procerum Gallorum turba: ad quem epiſcopus [t] Plocenſis orationem habuit; ad eamque breviter et appoſite Pibracius reſpondit. Ad urbem ſub veſperam proceditur; quam facibus ubique accenſis ſplendeſcentem in equo egregie inſtructo ingreſſus eſt per S. Floriani portam, uraniſcum praeferentibus conſulibus, tubis inde concinentibus et inde machinis continuo fragore diſploſis. Circa regem proxime incedebant [u] Nivernii et Meduanae duces; tum marchio [w] Ellebovius et alii Galli primores ſequebantur, ſinguli inter binos palatinos honoris cauſa diſpoſiti; et poſt eos regum et principum legati. Ita rex, circumfuſa non ſolum per vicos ſed per tecta ad novum ſpectaculum turba, per arcus triumphaleis ad arcem deducitur, aquila ubique alba obvia, affabre facta, ita ut ad conſpectum regis circumvolaret et alis applauderet. Ibi in B. Staniſlai templo majore a collegii ſodalibus ſalutatur; et ſtatim beatorum Ambroſii et Auguſtini hymnus a phonaſcis decantatur: atque inde in palatium ad coenam et quietem rex concedit. Poſtridie in ſenatum venit; et per Pibracium gratias ſenatui et equeſtri ordini agit, et, electio ut regno ſic toti orbi ſalutaris ſit, Deum optimum maximum precatur; daturumque operam ſe dicit, ut conceptae apud illos de ſe opinioni cumulate reſpondeat: tum eos rogat, ut inauguratio approperetur. Altero die Sandivonius [x] Carncovius regni referendarius regem nobilitatis nomine ſalutat: cui regio nomine poſtquam reſponſum eſt, ſub veſperam rex cum epiſcopis, qui aderant, compluribus, et pontificis legato in [y] Caſimiriae rupeculam B. Staniſlai Polonorum patroni aedem perrexit; ubi Deo ſacra de more deoſculatus ſupplicavit: quam ceremoniam reges ante coronationem obire inter Polonos priſcae religionis inſtituto receptum eſt.

XIV. UBI inaugurationis dies venit, cum ſenatus et proceres conveniſſent, Cracovienſis palatinus noſtris partibus ab initio ſemper adverſatus, et quo auctore conditiones illae in gratiam Polonorum Proteſtantium ac noſtratium a Monlucio extortae fuerant, ab ipſo Monlucio, Aegidio Noallio et Sangelaſio ante electionem Ploſcoviae IV Non.

INTERPR. [a] *de Ratziwil, duc d'Olika, palatin de Vilna.* [b] *Troki.* [c] *Chodkiewicz.* [d] *Kiow.* [e] *de Braſlaw,* [f] *ceux de la Volhinie.* [g] *de Marienburg.* [h] *Dulzki de Pruſſe.* [i] *Tenczin.* [k] *Voynizki, & And. Belzki.* [l] *Herberton.* [m] *Kaminienzki, & Zawichozki.* [n] *Vaposki.* [o] *Bieski, & Radomzki.* [p] *Tarnow.* [q] *de Cekowie.* [r] *Buzinki.* [ſ] *Opalinzki.* [t] *l'evêque de Plozko.* [u] *Nevers, & Mayenne.* [w] *Elbeuf.* [x] *Karncowzki.* [y] *Grotte de Caſimire.*

CIↃIↃLXXIV.
CAROLUS IX.

IV Non. Maias anno ſuperiore ſubſcriptae, cum eas, quae Polonos ſpectabant, in adventum regis dilatas ſciret, quo rex de iis adhibito ſenatu ſtatueret, conſilium repetit, veterem dolorem irriti conatus apud [a] Warſoviam injuriae magnitudine ulturus. Itaque inter ſuos fremere, ac parum libertati patriae contra Gallorum fraudes conſultum dicere: fortioribus vinculis hominem aſtutum, ſic regem appellabat, conſtringendum eſſe. Tum minas addere: non omnium dierum ſolem occidiſſe: multos deſignatos magiſtratum nequaquam iniiſſe. Cum igitur poſt rem divinam peractam in ſublime theatrum ad id in meditullio templi exſtructum rex aſcendiſſet, et in eo eſſet archiepiſcopus Gneſnenſis, ut preces de more conciperet, Cracovienſis palatinus, qui aderat, inopinato ſurgens, et ad ſuae factionis homines identidem reſpectans torvo vultu, Nequicquam, inquit, et ipſe et omnes hic praeſentes liberi ſumus, ſi flagitioſo ſilentio id agitur, ut deinceps ſerviamus; ac juſta tot procerum vota, tot aequa poſtulata rex fruſtretur. Conditiones propoſitae in adventum ejus remiſſae ſunt. Nunc ille advenit: et tamen, jam collatis fere omnibus regiae dignitatis in ipſum ornamentis ac firmamentis, de iis altum ſilentium. Non patiar ultra rem differri. Aut accipiendae ſunt conditiones, et in eas verbis conceptis jurandum, aut me huic inaugurationi intercedere aio ac palam profiteor. Quibus dictis murmur toto templo ac fremitus obortus. Dein audacia creſcente, minaces et confuſae ſeditioni propiores voces auditae; cum Pibracius, conſulto in aurem rege, qui patientiam ſuam non ſeditionis remedium ſed irritamentum fore animadverteret, ad archiepiſcopum conſtanti vultu converſus, ut pergeret, et, qua ratione huc ventum eſſet, ſine cunctatione id peragetur, regis nomine imperavit: regem de ceteris ex ordinum ſententia poſtea decreturum. Quibus verbis archiepiſcopus libentiſſime paruit, et coeptae inaugurationi inſtitit; quae, detumeſcente paulatim furore, et ſuccedente in ejus locum poenitentia ac pudore, ſpectantibus iis ipſis, qui contradicebant, magno cum applauſu peracta eſt; unctoque rege, corona capiti ejus de more impoſita. Cracovienſis vero haud multo poſt, firmata regis poteſtate, ex moerore an fato ſuo incertum, deceſſit. [α] Rurſus heic ſtrenuam navaſſe operam Vincentium Laureum pontificium oratorem, tradit is qui ipſius vitam ſcripſit; ejuſque tam apud regem quam apud Gneſnenſem aſſiduis hortatibus factum dicit, ut Evangelici declaratione a Pibracio facta contenti, Lithuaniae [b] tribuni conſilio, neque jurejurando praeterea a rege interpoſito alio, quam quod olim in aliorum regum ac praeſertim Sigiſmundi Auguſti nuper defuncti inauguratione promulgatum fuerat, in poſterum quieverint. Addit et, Vincentii opera, Andream [c] Lorichium natione Danum, qui a Joanne [d] Sueciae rege ad Henricum legatus fuerat, eccleſiae reconciliatum, et ex ejus conſilio ſaepius ad Joannem ipſum ſcripſiſſe, Staniſlao [e] Warſevicio e Jeſuitico ſodalitio cum ſanae doctrinae mandatis ac documentis clam ad ipſum miſſo; auctorem pontifici extitiſſe, ut Antonium Poſſevinum ex eodem ſodalitio virum tractandis negotiis apprime idoneum cum arcanis mandatis ad eundem regem legaret, ubi non exiguos progreſſus poſtea feciſſe a pleriſque creditus eſt.

XV. DUM feſtis, pompis, haſtiludiis et ceteris ad publicam laetitiam uſurpatis ſpectaculis in Polonia perſonarent omnia, longe alia rerum facies apud nos erat, poſt diſceſſum novi regis erectis complurium ad res novas animis. Quod malum regina, quo magis vitatum cupiebat, eo pernicioſiore imprudentia praecipitavit; irritato Alençonii ingenio per ſe turbulento, et qui, ſpretum ſe et ſuſpectum antea dolens, tunc occaſione data ultionem parabat, injuriae juxta vindicandae et ambitioni exſatiandae vel cum regni exitio intentus. Cum eo [f] Ludovicus Naſſovius [g] Blamontii in arcano egerat,

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Laureo et Poſſevino tredecim lineae uſque ad* Dum feſtis *deſunt* *D.* f. o. d.

INTERPR. [a] *Warſau.* [b] *le mareſchal de Lithuanie.* [c] *Lorich Danois.* [d] *de Suede.* [e] *Warſewicz.* [f] *le comte Ludovic de Naſſau.* [g] *Blamont.*

egerat, et eum bello Belgico ducem magis idoneum ratus, clam regina, quae huic expeditioni praefici Poloniae regem optabat, conſilia in occulto agitaverat; et de bello quidem ejuſque gerendi ratione et copiis ad id neceſſariis convenerat, de cetero foeminae vanitatem eludens diſſimulaverat, ſatis eſſe exiſtimans, ſi Gallorum opes ad [a] Arauſionenſis fratris conſilia ac vireis adjunxiſſet: nam Gallica auxilia non niſi de regis, cujus voluntatem regina moderabatur, conſenſu haberi poſſe: at in arbitrio Arauſionenſis et ſociorum poſtea fore, quem vellent ducem deligere. Is autem Alençonius multas ob cauſas deſignabatur: quod et Colinio, dum viveret, amicus; nam id ei poſt illius mortem exprobratum fuerat; et Proteſtantium rebus aequior eſſe crederetur. Sicque judicabat Naſſovius; regem, qui potentiam ſuam inter matrem ac fratres antea diviſam nunc ad ſe revocare vellet, facile paſſurum, ablegato jam in Poloniam uno ex fratribus, alterum bello externo, quo pacem domi haberet, et pacis beneficio amiſſam per bella civilia auctoriratem reciperaret, praefici. In eum ob eaſdem cauſas in Gallia intenti erant Proteſtantium oculi; et per emiſſarios de ſuſcipiendo patrocinio ſuo ſolicitabant, prolatis, quo magis cunctantem incitarent, veris ſeu confictis, quod magis credibile ſit, literis inter reginam ac Philippum ultro citroque commutatis, quibus exitium ei maturari ſignificabatur. Accedebant frequentes Momorantiorum adhortationes; qui, cum ſe ſcirent a regina, regis Poloniae Guiſianos praediligentis affectibus inſerviente, crebris delationibus apud regem in odium adduci, periculo ſuo territi, Alençonium in periculi partem adducere conabantur. Ii de quietis publicae perturbationibus, edictorum regiorum violatione et prava reipublicae adminiſtratione vulgo ac palam querebantur; eamque convocatis regni comitiis corrigi et emendari petebant: illorumque factio Politicorum et Male-contentorum ob id ſibi nomen ſumpſit. Praecipui factionis incentores erant Gulielmus Momorantius [b] Thoreus et Henricus [c] Turrius Turenae vicecomes Helionorae ſororis Thorei filius; qui aſſidui ad Alençonii aureis excubabant, ejuſque animum novis ſubinde ſuſpicionibus implebant, adhibito in conſilii ſecreti partem Joſepho Bonifacio [d] Mola, qui tunc maxime in Alençonii gratia florebat. Interdum et Franciſcus [e] Momorantius familiae princeps ab Alençonio conſulebatur, vir antiquae probitatis, et qui patriae charitate ſola tangebatur, a factionibus alienus et pacis ſtudioſiſſimus: quod aſtu Molae fiebat; ut, quoties Alençonius haerebat, viri tanti auctoritate confirmaretur: atque id ſedulo cavebat, ut, quod ſpeciem boni habebat, tantum coram Momorantio proponeretur, et, quod mali ſub ea latebat, ipſum lateret. Navarrum et Condaeum facti conſcientia alligatos tenebat, agitatis jam anno ſuperiore in Rupellae obſidione ea de re conſiliis: et Jo. Balſacus [f] Montacutus crebro pro Condaeo commeabat. Huic malo remedium paratum erat; ſi Alençonio regni ſumma praefectura, quam rex Poloniae frater obtinebat, a rege deferretur: nam nec Politici ducem nec Proteſtantes patronum in eo habuiſſent. Sed regina, quae metueret, ne, dubia regis valetudine, ſi armorum ſumma penes Alençonium eſſet, Momorantiorum et Proteſtantium regi Poloniae infeſtorum opibus fretus, ea ad fratrem regno excludendum abuteretur, apud regem interceſſit, et periculo rem non carituram oſtendit, ſi juveni ingenii contumacis et Momorantiorum atque adeo Proteſtantium, quorum cauſam Momorantios ſemper foviſſe aiebat, partibus addicto, ſumma rerum committeretur; conſultiuſque videri, ut eam rex aut abolitam retineret, aut, ſi cui credenda ſit, is, cui crederetur, ab omni turbarum et factionum in regno fovendarum ſuſpicione purus eſſet: quibus verbis Carolum Lotharingiae ducem deſignabat; qui et regi ſemper fidus, Polono amicus, et, cum a regni ſucceſſione lege excluderetur, nihil in eo turbaturus videbatur. Tunc et indictus [g] Compendium conventus, in quo de convocandis,

ſi

INTERPR. [a] *le prince d'Orange.* [b] *le ſieur de Thoré.* [c] *de la Tour vicomte de Turenne.* [d] *de la Mole.* [e] *le mareſchal de Montmorency.* [f] *le ſieur de Montaigu.* [g] *Compiegne.*

 ſi opus eſſet, regni comitiis ageretur. Id eo conſilio a regina factum, ut, cum de ſtatu publico conquerentes comitia crebris ſermonibus uſurparent, in ea ſponte non coacti rex et regina conſenſiſſe viderentur, et ea ſpe diu lactatos ad extremum praebita per novos motus occaſione fruſtrarentur. Quae omnia cum non ignoraret Alençonius, ſpetatae dignitatis repulſa exaſperatus, et his alioqui opibus, quas dixi, ſubnixus, ad res novas animum ſerio appulit: cumque ei duae conditiones proponerentur, aut Politicorum et Proteſtantium in regno patrocinium, aut ſumma belli Belgici extra Galliam praefectura, quae ſummam conjunctionem inter ſe habebant, conditionem priorem ut tutiorem accepit. Sic enim judicabat; potentia domi conſtitura, et certis ex ſuſcepto patrocinio viribus ſibi comparatis, poſtea belli externi fortunam commodius tentari poſſe, quam ſi protinus in Belgium incerto belli exitu, relicta Gallia et amicis, proficiſceretur. Quod cum placuiſſet, rurſus unde motus in Gallia excitandi principium duceretur, inter idem ſentienteis deliberatum fuit. Jam Proteſtantes arma ſumpſerant, ſcripto evulgaro, quo cauſae ſuae aequitatem multis ſpecioſis rationibus tuebantur: nam violata ſaepius, et nuper inſigni perfidia et crudelitate, edicta regia pravorum conſiliorum impulſu; et, quanquam quaeſito colore factum excuſaretur, prohibitam fuiſſe Proteſtantibus conſcientiarum libertatem et doctrinae ſuae publicam profeſſionem: edicto poſt obſidionem Rupellanam facto paucos comprehendi; neque milleſimae Proteſtantium per univerſum regnum ſparſae multitudini conſultum eſſe: qua de re cum nuper conquererentur, eorum libellum in [a] Septimaniam remiſſum, et variis ludificationibus juſtas eorum petitiones eluſas: ſic denique judices per provincias inſtitutos, ut non juri reddendo, ſed patientiae ipſorum exercendae praepoſitos eos eſſe appareat: quin et ad injuſtitiam acceſſiſſe ignominiam, qua paſſim tanquam jure infames et honoribus ac muneribus publicis indigni toto regno exagitantur: nec profuiſſe Germaniae principum preces et monita, quibus regem ad pacem conſtituendam hortabantur et fidem edictorum ſervandam: idem et fruſtra feciſſe nuper Polonos; quorum poſtulata pari ludificatione pravi illi moderatores fruſtrati ſunt: nunc vero, cum audiant per Germaniam et apud Helvetios novos delectus haberi, quid ſupereſſe, niſi ut eandem belli molem, quae in ipſos altero motu civili incubuit, cervicibus ad jugum paratis, aut potius jugulis apertis in ſe recaſuram expectent? His rationibus, ſeu potius neceſſitate ſe adductos, cum alia non eſſet ſalutis expediendae via, ut bellum renovarent; illud depoſituri, quamprimum juſtis eorum petitionibus ſatisfactum et ſecuritati publicae ac populi levamento conſultum fuerit. Addita his et alia ſcripta; quibus et publici ſtatus et adminiſtrationis emendationem, populi levamentum et libertatem conſcientiarum urgebant: quaeſtioque de obſequio magiſtratui debito denuo in circulis et locis publicis paſſim agitari coepta eſt. Proteſtantium querelis et ſuas junxerunt Politici ſive Male-contenti: nihilque jam ad novi belli materiam ſupererat; tantum dux bello quaerebatur. Is licet in occulto deſignaretur Alençonius, tamen ambigebatur, qua ratione declarari deberet. Et placebat pleriſque, ut libellum regi Politicorum et Proteſtantium nomine offerendum ipſe porrigeret. Cum haereret Alençonius, auctore Mola, Franciſci Momorantii ſententiam de ea re exquiri placuit; qui nequaquam id probavit: nam ipſum in gravem procul dubio regis offenſionem incurſurum, ſi ſe Colinii olim exemplo ultro tot hominum paſſim quiritantium querelis adminiſtrum praeberet: conſultius videri, ut ſummam armorum praefecturam petat; quam et ipſius nomine a rege ſe petiturum offert: ſic enim non factionum, quae in regno ſuboriantur, ducem, ſed communem arbitrum et pacificatorem regni bono futurum. Et ipſe quidem ita ſentiebat et optabat. Itaque et a rege praefecturam Alençonio petiit, quam frater ejus obtinuerat; neque eam citra injuriam ei denegari poſſe multis verbis apud regem pervicit: et tenuit,

INTERPR. [a] *Languedoc.*

tenuit, ut ei deferretur; ſive coactus id rex fecerit, vitandi majoris mali cauſa, ſeu CIƆIƆLXXIV.
quod honeſte eam fratri denegari non poſſe exiſtimaret. Sed multa ſtatim inciderunt, CAROLUS IX.
quae procedenti negotio impedimentum attulere. Leve id erat, quod nunc memorabo; ſed quod inchoatam et ſenſim coaleſcentem inter Guiſianos et Momorantianos reconciliationem ad tempus diſturbavit. Scaevola [a] Ventabrenus quidam in Momorantii familia aliquandiu fuerat; indeque in amicitiam Guiſii non ſatis honeſtis artibus venerat: et, ſuſpicione ex eo atque adeo ſimultate inter eos orta, jam ſemel atque iterum Guiſius Ventabreno praedixerat, ne ſe in conſpectum ejus daret, interminatus ei perniciem, ſi imperia ſeu monita ſua contemneret. Id neglexit Ventabrenus: et, cum ad Germani fanum, quo rex facto per [b] Cantiliam Momorantii arcem itinere venerat, ei obvius fuiſſet, ut ſe purgaret, Guiſius nihil loci inviolabilis reverentiam moratus gladium ſtringit, et continuo fugientem per arcis ſcalas inſecutus vix occurſu [c] Thorei prohibitus fuit, quo minus Ventabrenum ab inimicis, percutiendi ſui cauſa, ut aiebat, immiſſum conficeret. Rex Guiſii gladium in aedibus ſuis ſtringere auſi contumacia irritatus cum apud matrem conquereretur, illa factum excuſabat: et, ut filium placaret, Ventabrenum comprehendi jubet; quem in arcano confeſſum eſſe dicebat, ſe a Momorantio in Guiſii necem ſubornatum; mox revocaſſe confeſſionem. Cumque urgeret Momorantius, ut de facto amplius quaereretur, Guiſius, qui odii occulti cauſas latere vellet, apud reginam pervicit, ut Ventabrenus, omiſſa quaeſtione, dimitteretur, et aula in poſterum abſtineret. Inde miſſis a regina aliis ſuper alios nunciis Carolus Lotharingiae [d] dux accerſitur; qui itineribus quam potuit maximis cum cardinali Lotharingo in aulam advenit, facto per Dammartinam et Cantiliam Momorantii arces itinere; ubi obviam habuit Momorantium, qui poſt Ventabreni cum Guiſio occurſum calumnioſis de eo ſermonibus ſparſis offenſus aulam reliquerat. Ibi perhonorifice ambo accepti cum hoſpite ſuo ſecretum colloquium habuerunt, et magna in ſpeciem benevolentiae utrinque ſignificatione diſceſſum eſt; ut regina ex eo ſuſpicionem conceperit, rurſus coiiſſe inter Lotharingos et Momorantios amicitiam, quod unice verebatur; quippe quae ſic exiſtimaret, procerum concordiam et mutuam benevolentiam ad infringendam ſuam potentiam et anctoritatem magnum momentum habere. Itaque nihil non ab eo tempore per ſuos emiſſarios ſecit, ut ſartam concordiam impletis novo metu et ſuſpicione animis rurſus divideret. Quanquam alii ita cenſebant, Carolum Lotharingiae ducem, ad ſocrus voluntatem per omnia morigerum, non fuiſſe Cantiliam aditurum, niſi ex reginae conſilio; quae id eo aſtu agebat, ut per aemulorum blanditias adempta omnis periculi ſuſpicione virum innocentem et ſibi bene conſcium in aulicarum fraudum caſſeis, quos ei parabat, facilius induceret. [a] Interea, cum id unum ageret, ne armorum praefectura Alençonio attribueretur, eam in Lotharingiae ducem generum tranſlatam cupiens, quo majorem invidiam filio apud regem conflaret, a fratre Ventabrenum ad Guiſium de medio tollendum ſubornatum dixit; idque interventu Momorantii, cui ille aliquando inſervierat, factum: tum ipſum monet, ut ad fratris et Momorantiorum, qui ei regni praefecturam petant, conſilia reſpiciat: quid enim utrique moliantur, jam non occultum eſſe: nam compotes armorum, et ſublatis Guiſianis, qui ſoli eorum conatibus opponi poſſunt, quid non auſuros? Quae etſi ejuſmodi eſſent, ut animum regis permovere poſſent, tamen ille, qui matrem in Guiſianorum partes, quos aeque ac Momorantios oderat, toto affectu propendere ſciret, et haec non tam in horum odium, quam in illorum gratiam dici, adhuc haerebat, quid ageret, anxius, praefectum armorum fratrem, an bellum inteſtinum, a quo maxime abhorrebat, habere mallet.

Haerentem

VAR. LECT. [a] At regina, quae id unum agebat, ne *D. f.*
INTERPR. [a] *Ventabren.* [b] *Chantilly.* [c] *le ſieur de Thorſ.* [d] *le duc de Lorraine.*

CIↃIↃLXXIV.
CAROLUS IX.

Haerentem impulit Proteſtantium, ut vireis ſuas oſtentarent et Alençonium inſigni facinore obligarent, praecipitatum conſilium. Nam ſubito cc equites egregie armis inſtructi, duce Joanne [a] Calvimontio Guiterio, ſtrenuo juxta et antiquae diſciplinae viro, haud longe a Germani fano inopinato apparuerunt; ea fiducia, ut Alençonius, qui ob crebras dilationes regi ſuſpectus et matri inviſus eſſet, minime ſibi tutum in aula manere exiſtimans, protinus capto ex ſuarum rerum deſperatione conſilio ad eos transfugeret: idque urgebat Philippus [b] Laſinius Noeleus; et [c] Thoreus ac [d] Turenius Politicae factionis duces cunctantem, quantum in illis erat, incitabant. Verum intempeſtivus illorum conatus fuit; majore armatorum numero, quam ut fallere poſſet, minore, quam ut eo confiſus Alençonius vim facere aut relicto rege extrema conſilia ſequi vellet. Et repugnabat Mola; qui, cum Alençonium conditionem non accepturum ſciret, rem ad reginam detulerat, ut rei, quae tegi non poterat, revelatae gratiam demereretur; et eo facto ſibi fidem in poſterum apud ipſam concillaret. Regina ad rei famam, quo magis regem exaſperaret, omneis angulos et latebras arcis per fidos explorari jubet: mox et auctor regi fuit, ut locum mali ominis et ſuſpectum ſibi, nulla mora interjecta, deſereret; ſiquidem illi a mathematicis, quibus plurimum tribuebat, praedictum fuerat, ut ſibi a Sangermano caveret: quod cum illa de loco acciperet, multifariam decepta eſt, ut deinceps videbimus. Igitur ſumma trepidatione inde diſceſſum: et rex cum aulico comitatu per pontones tutius id ratus iter habuit, impedimentis, in quibus minus periculi erat, per aggerem praemiſſis: aliis per [e] Clodoaldi pontem iter fuit. Rex in Radeſiarum comitis [f] aedibus in S. [g] Honorii ſuburbio pernoctavit: et, cum ibi aliquot dies commoratus eſſet, ad [h] caſtrum Vicenarum, quo liberiore aëre frueretur, proximum urbi venit, adductis ſecum Alençonio, Navarro et Condaeo nondum omnino in cuſtodiam datis, ſed a ſtipatoribus obſervari juſſis. Tunc de novis motibus undique per regnum afferebatur. Nam poſt Sanſulpitii Rupellam miſſi ad oppidanos a belli conſiliis dehortandos reditum, illi, auctore Franciſco [i] Lanovio pacis alioqui ſtudioſiſſimo, ſed qui Proteſtantium ſalutem praecipuo loco haberet, nec niſi ſumptis armis eam defendi poſſe exiſtimaret, conſilia cum Septimanis conjungunt. Qua re, ut acceſſione maxima, firmati illi, protinus arma capiunt, multaque oppida et arces in poteſtatem redigunt. Lanovius ipſe in [k] Pictonibus [l] Luſinianum, et Melam per [m] Luchium et Baroncrium, et [n] Fontenaium per [o] Sanſtephanum et Beſſaeum nocte Carnis-privii occupavit, et munitionibus ac valido praeſidio firmavit: in [p] Santonibus et Engoliſmenſi agro ejuſdem auſpiciis [q] Pontius Caſa Mirambellus et Joannes [r] Plaſſacus ex illuſtri Pontiorum familia, quibus ſe adjunxere [ſ] Rupiſulcaudius Montiguidonius, Uſſo, [α] Bretovilla, Saujo, Pulevanius, eodem tempore [t] Pontium, Tonam ad Carantonum, Roianum in [u] Garumnae aeſtuario et [w] Talemontium, [x] fanum Joannis Angularis, Rupiſortium, Botavillam in poteſtatem redegerunt, citra magnum certamen. Quibus locis Lanovius, qua erat animi moderatione, nihil durius aut gravius in oppidanos ſtatuit, modico praeſidio, quod ſtipendio ex agris vicinis corraſo alebatur, ea firmaſſe contentus. Sed eos ſucceſſus mox ſecuta Caſae mors nonnihil turbavit; qui in ignobili municipio, dum ruſtici colloquium poſcunt, ictum ſcloppeti in capite accepit; vir fortitudine, rei militaris uſu, ac prudentia inter ſuos clariſſimus; ad haec literis ad elegantiam excultus, et magna conſiliorum et voluntatum conſenſione cum Lanovio conjunctus. Repertum eſt

VAR. LECT. [α] Bretauvilla *D. f. o. d.*

INTERPR. [a] *de Chaument, ſieur de Guitry.* [b] *de la Fin, ſieur de la Nocle.* [c] *le ſieur de Thoré.* [d] *le vicomte de Turenne.* [e] *S. Claud.* [f] *Hotel de Retz.* [g] *Fauxbourg S. Honoré.* [h] *Chateau du bois de Vincennes.* [i] *de la Nouë.* [k] *Poictou.* [l] *Luſignan & Melle.* [m] *Luche & Bareniere.* [n] *Fontenay le Comte.* [o] *S^t Eſtienne, & Beſſay.* [p] *Saintonge, & Angoûmois.* [q] *Pons de la Caſe, baron de Mirembeau.* [r] *de Plaſſac.* [ſ] *de la Rochefoucaud ſieur de Montguyon, d'Uſſou, Bretoville, Saujon, & Poulevain.* [t] *Pons, Tonnay-Charente, Royan.* [u] *la Garenne.* [w] *Talmond.* [x] *S. Jean d'Angle, Rochefort, & Bouteville.*

eſt in caligis defuncti hoc diſtichum manu ipſius exaratum, quo mortis ſuae praeſagus CIↃIↃLXXIV.
ſibi ipſe veluti patentaverat. CAROLUS IX.

DESINE MIGRANTEM LUGERE VIATOR ET HOSPES:
NON CAREO PATRIA; ME CARET ILLA MAGIS.

In [a] Velaunis [1] [b] Monjoius [c] Gondriuium [d] Valentiae primo bello civili interfeciſſe inſimulatus, pleraſque arces ceperat; et jam [e] Anicio imminebat, [f] Spalio arce munitiſſima ad urbis conſpectum occupata, cui cum valido praeſidio [g] Guiardum quendam praedae parandae quam religionis ſervandae cupidiorem impoſuerat. Is, dum rapinis et caedibus circum omnia infeſtat, corruptis aliquot praeſidiariis, ab Anicienſibus nocte opprimitur, et cum ſuis trucidatur: occiſi caput inſignis trophaei inſtar pro porta Anicii ſtatuitur. Nec multo poſt Monjoius, dum praedabundus huc illuc diſcurrit, inſidiis exceptus interficitur: atque ita Proteſtantes omni Velaunorum poſſeſſione deturbati ſunt. In Vivarienſi agro proximo feliciores ſucceſſus iis fuere. Nam [h] Villanovae praeſidiarii, aliquot regiis copiis obtruncatis, [i] Albenacum haud longe a Rhodani ripa capiunt; et praeſidium ex eorum numero, qui Lugdunenſem lanienam patraverant, conſtare creditum, nulli parcentes trucidarunt. [k] Peralda arx et in ripa Rhodani ſita a loci domino, qui huc uſque diſſimulaverat, etiam ejerata Proteſtantium religione, tunc capitur; et [l] Audancia haud longe hinc poſita, et in Seguſianis [m] Malavallium: quibus locis veluti cinctum Lugdunum cum in maximas anguſtias redactum eſſet, Franciſcus Mandelotus contractis quam citiſſime potuit copiis ad Peraldam ducit; quam per aliquot dies obſeſſam, cum a [n] Santomanio exſpectata auxilia tardius advenirent, poſtremo expugnat, et munitiones omneis ſubvertit, ne in poſterum vicinis incommodare poſſet. At [o] Arauſio, quem, a [p] Glandagio [q] Berchoni diſſimulationem et cum cardinali Armeniaco conſiliorum conjunctionem cauſante, anno ſuperiore captum diximus, cum inviſo ob praedas et latrocinia Glandagio illius imperium oppidani ipſi exhorreſcerent, a Berchono una cum arce per Glandagii abſentiam aſtu receptus eſt citra ſanguinem: haud tamen obſcuro Proteſtantium initio metu, quod Berchonus mutata religione cum Avenionenſibus conjuraſſe, et accepta a legato pontificio pecunia de oppido arbitrio ejus permittendo conveniſſe dicebatur. Quo metu mox liberati ſunt, Berchono locum Naſſoviorum nomine, ut antea, tenente, tantum ab incurſionibus abſtinente. Contra, regii eodem tempore [r] Nemauſum tentant [ſ] Sanjalio, qui [t] Margaritum oppidum Nemauſo proximum cum valido praeſidio tenebat, ductore. Is cum tribuno quodam nomine [u] Deronio agit, grandem pecuniae ſummam policitus, ſi ſibi ad urbem occupandam aditum praeberet. Id tribunus continuo ad [w] Sanromanium deſert, qui ei mandat, ut excurſionis ſpecie cum Sanjalio de tempore, loco et ratione exequendi conſilii, pecunia ante accepta, conveniat. Fide data, ad condictam diem porta patuit, ſummo oppidanorum ſtationum ſilentio: ſed Sanjalius, ad quem e Vivarienſi pago et Delfinatu proximo copiae undique confluxerant, fraudem ſuſpicatus minime comparuit: et ita utriuſque doli evanuere, pecunia tamen, quae jam numerata fuerat, penes Deronium remanente. Nec ceſſabat interea Monbrunius; qui exeunte Martio in ripenſem Delfinatus regionem deſcendens [x] Loriolum, Liberonem, Aletum, Granam, Roniacum ad Rhodanum ſita occupat, et diruta Lorioli ac Liberonis moenia inſtaurat. Inde ad Valentiae, [y] Creſti et Montelii Adaemari portas infeſtis populationibus excurrit, et Montelium ipſum tentat. Quod conſilium, cum irritum cecidiſſet, pleriſque in oppido Proteſtantibus exitium maturavit. Haec in remotioribus provinciis. Nec in [z] Neuſtria magis vicina loco meliore res

INTERPR. [a] *Velay.* [b] *le ſieur de Monjou.* [c] *la Motte Gondrin.* [d] *Valence.* [e] *le Puy.* [f] *Eſpaly.* [g] *le capitaine Guiard.* [h] *Villeneufve.* [i] *Aubenas.* [k] *Perauld.* [l] *Audance.* [m] *Malleval en Forez.* [n] *le ſieur de St Romain.* [o] *Orange.* [p] *Glandages.* [q] *Berchon.* [r] *Niſmes.* [ſ] *le ſieur de Ste Jale.* [t] *Margarite.* [u] *Deron.* [w] *de St Romain.* [x] *Lorion, Livron, Alet, Grane, & Reynac ſur Rhône.* [y] *Creſt & Montelimard.* [z] *Normandie.*

NOT. [1] De Monjoio et Guiardo auctor jampridem egerat, lib. LV. Vid. p. 233 hujuſce tom.

CIƆIƆLXXIV. CAROLUS IX.

res erat; ubi, dum [a] Mongomerius ex Anglia accerſitus cum claſſe adveniret, [b] Columbarius, Guiterius et Seius [c] Laudi ſanum occupaverant, et [d] Dunfronium in Aulercis. Poſtquam Mongomerius cum [e] Lorgeo filio et Refugio Galardonio genero in Provinciam appulit, ſano Laudi recta Carentanum ducit, quod et poſt tridui obſidionem cepit. Continuoque, ut commeatum in his locis conſervaret, [f] Valloniam tendit; et annonam Carentanum, quod munire inſtituerat, comportari ſumma diligentia curat. His nunciis perculſus rex treis exercitus conſcribendos curat; Jacobum [g] Gobionem Matignonum Bullionii ducis in Neuſtria legatum, adjuncto ei Gulielmo [h] Altamerio Fervacio, in Provinciam cum copiis, quae tumultuario contrahi potuere, convocata undique e [i] Cenomanis, Perticenſi agro et ex [k] Armoricana nobilitate, contra Mongomerium mittit: Ludovico Borbonio Monpenſerio exercitus in [l] Aquitaniam ducendus attribuitur: Franciſco [m] Delfino filio Delfinatus et Septimania demandantur, praemiſſo Jacobo [n] Cruſſolio Uticenſi duce. Cujus adventu, ut hominis ſibi infeſti, et literis a [o] Puſinii praeſidiariis interceptis conſiliorum adverſus ipſum initorum fidem facientibus, admonitus ut ſibi proſpiceret [p] Damvilla Septimaniae praeſes, nec eorum quae in aula agebantur ignarus, [q] Monpelium, Lunellum, Belloquadrum, et Pezenacum occupat, ab aperto bello initio abſtinens: qua cunctatione effectum eſt, ut Pezenacum proditione illius, cui locum et filiam bimulam commiſerat, amiſerit. Igitur ad eum a rege miſſus Jo. [r] Eberardus Sanſulpitius, ac deinde Nic. [ſ] Neovillus Villaregius a ſecretis epiſtolis, ut communicatis conſiliis de pace agerent: quorum colloquium ille ut ſuſpectum variis ludificationibus vitavit, donec Sarra Martinengus ad Sanſulpitium et Villaregium, qui interim Avenione ſubſtiterant, miſſus eſt cum regiis mandatis; quibus jubebatur Damvillam, apud quem eos eſſe rebatur regina, in poteſtatem redigere, et ei omnem per Septimaniam poteſtatem abrogare; praefectiſque, conſulibus et civitatum adminiſtratoribus, ac praecipue Corſorum per praeſidia diſtributorum ductoribus, ne ei parerent, injungere. Paſſim crebreſcente motuum fama, et conjurationis de rege ad fanum Germani intercipiendo, ita jactabatur, infamia; cum invidiam facti a ſe amoliri cuperent Alençonius et Navarrus, IX Kal. Apr. ſcripta edunt, eodem exemplo, ex reginae conſilio; qua formidinem ea re conjuratis tanquam a ducibus ſuis deſertis injici, et culpam in Momorantium et Coſſaeum, quos jam carceri deſtinabat, poſſe rejici putabat. Summa haec erat: Quoniam falſos de ſe rumores ubique ſparſos intellexiſſent, quaſi muneris et officii obliti Sangermanae conjurationis participes fuiſſent, oraſſe regem, ut cum bona ejus gratia voluntatis ac conſilii ſui rationem omnibus patefacere ſibi liceret: proinde cupere, ut amici intelligant, rem illam falſam et commentitiam eſſe, et a mente utriuſque alieniſſimam; qui contra parati ſint, prout naturae divinique et humani juris nexibus obligantur, vitam, facultates, clientium et amicorum rationes pro regis regnique ſalute profundere, et adverſus eorum conatus, qui regni quietem ac pacem conturbant, ſe opponere. Condaeus tunc aberat, praefecturae ſuae inviſendae ſpecie in [t] Ambianos profectus; eandem fortunam cum Alençonio et Navarro ſubiturus, niſi maturo diſceſſu poſtea ſibi conſuluiſſet.

XVI. Rex vero, cum ſumma hactenus patientia uſus eſſet, tum prae iracundia renudato animo, de conjuratione, ſic conſilia Alençonii cum Proteſtantibus et Politicis communicata appellabat, ſumma diligentia et ſeveritate inquiri voluit: idque negotii dedit Chriſtophoro Thuano primario praeſidi, cui plurimum tribuebat, viro ſumma

prudentia

INTERPR. [a] *le comte de Montgomery.* [b] *de Colombiers, de Guitry, & de Sey.* [c] *S. Lo.* [d] *Donfront,* [e] *le ſieur de Lorges, & Galardon, dit de Refuge.* [f] *Valongne.* [g] *de Goyon, ſieur de Matignon.* [h] *d'Hautemer, ſieur de Fervaques.* [i] *le Maine & le Perche.* [k] *de Bretagne.* [l] *Guienne.* [m] *le prince Dauphin d'Auvergne.* [n] *de Cruſſol, duc d'Uzez.* [o] *le Pouſin.* [p] *le mareſchal de Damville, gouverneur de Languedoc.* [q] *Montpellier, Lunel, Beaucaire, & Pezenas.* [r] *Ebrard de S. Sulpice.* [ſ] *de Neufville, ſieur de Villeroy.* [t] *Amiens.*

prudentia ac moderatione praedito, et Petro Hennequino ſenatus praeſidi. Igitur quaeſtio de conjuratione a delegatis inchoata, et Ivonis [a] Brinonis honeſtiſſima familia Lutetiae nati, ſed lapſi facultatibus et per famoſas accuſationes inopiae ſubſidium quaerentis, occulta delatione multi comprehenſi. In his Joſephus Boniſacius Mola, Hannibal [b] Coconaſſii comes Inſuber, Laurentius [c] Boſius Sammartinus, Petrus [d] Granrius regius dapifer, Petrus et Franciſcus [e] Turtraci; quorum hic Gulielmo [f] Grancampio Granrii fratri, dum ille Conſtantinopoli regis res procuraret, ab epiſtolis fuerat. Miſſi qui Gulielmum Momorantium [g] Thoreum, Henricum [h] Turrium Turenae vicecomitem, [i] Joannem Laſinium Bellovaſium et Grancampium ipſum comprehenderent: verum illi fuga periculo praevertetunt. Id actum IV Eid. Apr. qui dies in pervigilium Dominicae reſurrectionis incidebat. Poſtridie diverſi interrogati Mola et Coconaſſius: et ille quidem Lutetiae a delegatis, qui omnia pernegavit; hic coram rege, qui omnem rei ordinem, uti aut ipſe viderat aut ex aliis intellexerat, confeſſus eſt: ſe a Mola rogatum, ut [k] Alençonium abeuntem ſequeretur: fuiſſe autem condictum diem, cum rex fano [l] Germani diſcederet, qua die Alençonius cum fidis ad [m] Verniae unius ex domeſticis nobilibus aedeis ruſticas diverſurus eſſet, inde [n] Firmitatem Auculſi petiturus; quo ad eum Condaeus et ex compacto Thoreus venturi eſſent, ut eum eum delecto comitatu Sedanum deducerent, miſſo ad id a Bullionio viae indice uno ex nobilibus domeſticis: Navarrum vero cum Alençonio profecturum fuiſſe: ex Bellovaſio item et Mola intellexiſſe, Momorantium conſilio participare; idque eo conſilio fieri, ut inde ſe cum Ludovico Naſſovio conjungeret: ea de re jam ante Naſſovium cum Alençonio egiſſe, cum Blamontium ad reginam ac regem Poloniae veniſſet: ad eam rem Alençonium proprio periculo fuiſſe incitatum, cum ei, ſi diutius in aula maneret, periculum impendere ex interceptis literis perſuaſiſſent Thoreus, Turenius et Laſinius, qui parata Anglorum et Germanorum auxilia pollicebantur: Alençonium vero decreviſſe viribus in Belgio collectis inde in Aquitaniam contendere, quo ſe Proteſtantium vires aggregaturae eſſent; contra quem, ut vero ſimile illi fiebat, Coſſaeus cum regio exercitu mittendus erat, in ea expeditione proculdubio tergiverſaturus: [o] Thevallium etiam [p] Mediomatricum praefectum conſilio favere, ſummiſſis armis ad inſtruenda militum IV CIↃ. Biduo poſt auditus Alençonius; atque ultro confeſſus, ſe jam a multo tempore matrimonium ſereniſſimae Anglorum reginae expetiviſſe, et, cum ad eam rem ſibi utilem Colinii amicitiam exiſtimaret, cum eo de matrimonio illo ſimul et de bello Belgico ſaepius [q] Bloeſis collocutum eſſe; poſtea per Thoreum quaſi pararium inchoatam amicitiam Lutetiae in majus auctam uſque ad ejus mortem, quam aegerrime tulerit. Mortuo autem Colinio, Thoreum, qui [r] Gaſtium in gratia regis Poloniae florentem ideoque vix principibus ferendum inimicum haberet, ad ſe, qui et injuriam Gaſtium expertus eſſet, confugiſſe; et ex eo non deſtitiſſe precibus et periculo propoſito ipſum terrere et admonere, ut ex aula ſecederet, et conditionem dignitati ſuae convenientem amplecteretur, hoc eſt, regni indigne a pravis conſiliariis lacerati patrocinium ſumeret: idem et Tureuium apud ſe feciſſe: tum de libello regi offerendo actum fuiſſe; idque auctore Franciſco Lanovio, qui ea de re jam, dum in obſidione [ſ] Rupellae eſſet, ſuperiore anno ſermonem injecerit: deinde Blamontii cum Ludovico Naſſovio eadem de re colloquium habuiſſe: cum vero rex [t] Cantiliam veniſſet, a Mola Momorantium, Carolum

CIↃIↃLXXIV.
CAROLUS IX.

INTERPR. [a] *Brinon.* [b] *de Coconnas Milanois.* [c] *du Bois, ſieur de S. Martin.* [d] *de Grandry, maitre d'hotel ordinaire du Roy.* [e] *de Tourtray.* [f] *de Grandchamp.* [g] *le ſieur de Thoré.* [h] *de la Tour, vicomte de Turenne.* [i] *Jean de la Fin, ſieur de Beauvais la Nocle le jeune.* [k] *le duc d'Alençon.* [l] *S. Germain.* [m] *la Vergne.* [n] *la Ferté-au-Col.* [o] *de Thevalles.* [p] *Mets.* [q] *Blois.* [r] *le ſieur du Gaſt.* [ſ] *la Rochelle.* [t] *Chantilly.*

CIƆIƆLXXIV. Carolus IX. Carolum [a] Meruvium, Thorcum et Turenium in ſuum conclave introductos; ſeque a Mola monitum, ut non ab imberbibus et temerariis juvenibus, ſed a maturae prudentiae viro, Momorantium eo verbo innuente, conſilium ſumeret: tum de libello conſultatum fuiſſe; ſed Momorantium factum improbaſſe, ne in regis offenſionem incurreret: inde ſanum Germani regem veniſſe, ubi rurſus de ſeceſſu ab aula deliberatum fuit: cumque capiendis per regnum armis dies ad initium Martii dicta eſſet, ipſum rem diſtuliſſe; ſed reclamante Lanovio [b] Guiterium conſilium praecipitaſſe, et in armis praeter ipſius voluntatem apparuiſſe: locum autem ad [c] Monfortium Almerici deſignatum fuiſſe; eoque Navarrum et Condaeum, cujus nomine fidem obſtrinxerat, [α] venturum ſe recepiſſe: id cum Molae revelaſſet, Molam conſilium improbaſſe, et rem reginae ac poſtea regi detexiſſe: Turenium vero, cum Joannes [d] Bloſſetus Torcius ad Guiterium in armis venientem a rege miſſus eſſet, ſumma diſſimulatione petiiſſe, ut et ipſe ad eum mitteretur, quaſi conſilia ejus impediturus; ſed reverſum multa de copiis illis majora vero narraſſe, ac ſibi auctorem fuiſſe, ne tam pulchram occaſionem ab aula diſcedendi et ſignum bello tam juſto praeferendi praetermitteret; eaque de re multis verbis ſecum egiſſe, addito, ne Mola de hoc conſilio quidquam reſciret: tandem, poſt altercationes cum Mola acerbas, conveniſſe, ut ipſe x Apr. aula cum ſuis diſcederet, Muretum Condaei arcem petiturus; idque per [e] Caſtrobandellum Arvernum et Jo. [f] Balſacum Montacutum ultro citroque commeanteis actum fuiſſe; Molam vero diſceſſum ex aula multis verbis ut neceſſarium ſibi perſuaſiſſe, et Hannibalem Coconaſſii comitem in ſuam familiaritatem ad clientelam adduxiſſe. Poſt Alençonium auditus Navarrus: qui non quaſi reus verba fecit; et, tanquam non ad crimina diluenda vocaretur, orationem querimoniae plenam apud reginam habuit coram cancellario et delegatis, de injuriis ſibi ab ipſa illatis magna animi fiducia expoſtulans, et conſtantem jam a primis pueritiae annis fidem ſuam et erga regem obſequium exprobrans, in quo ad extremum ſit perſeveraturus; ſed contumeliis illis ob ſuſpicionem falſo de ſe conceptam inflictis factum dicit, ut victa patientia libello a Politicis et, quos odioſe vocant, Proteſtantibus offerendo ſubſcripturus fuerit, et ex aula diſceſſurus, in qua ſalva dignitate et certa ſalutis ſpe manere non poſſet. Quid enim ſperari poſſe, ubi capitales nominis Borbonii hoſtes rerum potiantur? ubi Lotharingi ſummum gratiae locum tenent? ubi Guiſius jam commendatione regis Poloniae a regina magiſter equitum dicitur? ubi dolis, fraudibus, calumniis, obtrectationibus, inſidiis aperta, innocentiae perfugium quaerentibus clauſa ſint omnia? ubi denique quotidie ab amicis, voce, literis, nunciis moneatur, ut ſaluti proſpiciat? ſe, Alençonium et Condaeum ad certam necem deſignari; eam famam ſparſam jam a multo tempore ne reginam quidem ignorare: et, ut periculum proprium contemnat, et id publicae tranquillitati condonet, at regis periculum ſalva fide contemnere non potuiſſe: quod vero ſub diſceſſum regis Poloniae jactatum ſit, ex iis qui adſunt, ignorare neminem, nimirum occultum conſilium initum de rege tollendo: ſic enim cupere et velle majorum religionis retinenteis, ut rex Poloniae in Gallia remaneat, et cauſam, quam tanta conſtantia et virtute alienis auſpiciis defendit, in regio faſtigio conſtitutus omnino aſſerat, exſtirpato Sectariorum veneno: quibus rumuſculis quanquam fidem minime habuerit, putaſſe tamen ſe crimini tanto affinem fore, ſi eos omnino negligeret: idque ipſum Poloniae regem non celaſſe, qui propterea ſibi inſenſus, cum Blamontio diſcederet, et praeſenteis reginae commendaret, abſenteis etiam honorifice appellaret, nullam ſui mentionem apud reginam fecerit: ab eo tempore ſemper averſum reginae animum et vultum expertum ſe fuiſſe, conſiliis et conclavis regii ingreſſu ignominioſe

VAR. LECT. [α] venturos *D. f.*

INTERPR. [a] *les ſieurs de Meru & de Thoré.* [b] *de Guitry.* [c] *Monfort l'Amaury.* [d] *de Bloſſet, ſieur de Torcy.* [e] *de Chateau Bandeau d'Auvergne.* [f] *de Balſac ſieur de Montaigu.*

ignominioſe excluſum, et non ſolum periculo ſed contumeliae expoſitum: his de CIↃIↃLXXIV. cauſis tanquam juſtiſſimis permotum de diſceſſu ab aula cogitaſſe; non ut quidquam CAROLUS IX. contra regem, cujus ſalutem et incolumitatem propria vita chariorem ſemper habuerit, regnive ſtatum moliatur; ſed ut privatae ſaluti ac dignitati conſuleret. Eandem expoſtulationem quinto poſt die coram regina cardinali Borbonio et delegatis, multis verbis amplificavit. Tandem commiſſi cum vinctis teſtes; ac poſtremo, convicti conjurationi et ſceleratis contra regem initis conſiliis participaſſe, tanquam laeſae majeſtatis peracti rei ad mortem damnantur: decerniturque, ut ad indicandos conſcios, antequam ad ſupplicium ducerentur, quaeſtioni exquiſitae ſubjicerentur. Tortus Mola, et interrogatus de imaguncula cerea, quam magicis praeſtigiis ab ipſo confictam, et acu in corde ictam conſtabat, quem in rei uſum id faceret, et cujus opera ad id uteretur, reſpondit, ut puellam quandam in [a] Provincia, quam efflictim deperibat, hac arte ad mutuo ſe redamandum accenderet, id feciſſe; eaque in re uſum opera Coſmi [b] Rugerii Florentini; qui mox comprehenſus et tanquam maleficus omnino raſus, reginae favore, quae illius et hujuſmodi hominum opera perfamiliariter utebatur, periculo exemptus eſt. Igitur Mola ſecuri percuſſus; et, corpore in quatuor partes ſecto, membra ſingulis urbis portis ad patibula ſuffixa ſunt. Eandem ſortem expertus eſt Coconaſſius; monito ſaepius rege, ut diligenter ab inſidiis, nec unis, ſibi caveret. [c] Turtraeus rotae impoſitus eſt. [d] Granrius vanitatis alchymiſticae, qua montes aureos in belli uſus Alençonio pollicebatur, ratione, in conſilium adhibitus, et ob id in periculum vocatus, [e] Lemovicenſis epiſcopi, cujus ſororis filius erat, commendatione liberatus eſt. Quibus actis, invaleſcente indies regis morbo, cum regina parens jam de morte ejus certa de novo rege cogitaret, verita, ne per illius abſentiam Momorantius et Coſſaeus quidquam molirentur, eos in poteſtate habere conſtituit; et, majora vero de iis apud regem lecto decumbentem, et ex morbi triſtitia ad calumnias proniorem, in horas confingens, eos in aulam accerſiri curat. Miſſus ad Momorantium Toreius; qui obvium jam in itinere, ut acceleraret, regis nomine rogavit. Utrique, ubi in aulam evocati venere, in interiore arce hoſpitium aſſignatum: et, quanquam ab amicis et uxore ipſa moneretur Momorantius, ut ſpecie venatorii aucupii, quo quotidie ſe exercebat, arce exiens fuga ſibi conſuleret, vir conſcientia ſua fretus, et qui exiſtimationem ſalute propria potiorem haberet, periculum contempſit. Tandem, [α] re cum intimis et obnoxiis deliberata, uterque ab Euſtochio [f] Confluentio Auxii vicecomite et ſtipatus regii praefecto ſub cuſtodia Lutetiam curru incluſi ducuntur, et magno plebis alienatae captivis etiam dicteriis illudentis applauſu in [g] Baſtiliam arcem conjiciuntur. Eodem tempore appoſiti Alençonio et Navarro cuſtodes. Quo cognito, Condaeus, qui [h] Samarobrigae in Ambianis erat, monitus, ut alieno periculo saperet, diſſimulato habitu profugit; et cum fidis, aſſumpto in itinere [i] Thoreo, in Germaniam contendit, atque aliquanto tempore [k] Argentinae conſedit. Jamque omnia per regnum armis apertis perſtrepebant: et Proteſtantes evulgata proteſtatione cauſam ſuam juſtae defenſionis et inevitabilis exitii neceſſitate tuebantur: ad quam contrario ſcripto ad plebem Pariſienſem directo [l] Lugduni publicato reſponſum eſt; quo acerbis verbis perſtricta Proteſtantium audacia, qui non precibus ac lachrimis, quae religioſorum arma ſunt, ſed ferro et flammis per totum regnum graſſati publicam pacem huc uſque conturbarint, urbes diripuerint, templa ſpoliarint, caedibus, rapinis, latrociniis cuncta miſcuerint; Pariſienſeis monet, ut in fide perſeverent, dolos inimicorum caveant, et conatibus eorum ſe generoſe, uti fecerint, opponant.

Hujus

VAR. LECT. [α] re cum Birago cancellario et P. Gondio Pariſienſi epiſcopo deliberata, uterque ab Euſtochio *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Provence.* [b] *Ruggiero.* [c] *Tourtray.* [d] *de Grandry.* [e] *l'evêque de Limoges.* [f] *de Confians, vicomte d'Auchy.* [g] *la Baſtille.* [h] *Amiens.* [i] *de Montmorency, ſieur de Thoré.* [k] *Straſbourg.* [l] *Lyon.*

CIↃIↃLXXIV. CAROLUS IX. Hujus ſcripti occaſione rurſus Proteſtantes inſurgunt; et quaeſtionem, An ſubdito ad defenſionem contra magiſtratum potentia abutentem arma ſumere liceat, toties agitatam refricant; et libello edito confirmant. Tunc in Neuſtria et [a] Pictonibus praecipue res calebant: et, antequam Monpenſerius cum exercitu in Pictones adveniret, in aula ad artes priſcas reditum eſt; et, cum in Lanovio uno totum paene hoſtile robur conſiſtere exiſtimaretur, de eo quavis ratione tollendo cogitatum fuit, Motevellio et Sammartino quodam percuſſoribus ad id ſubornatis, qui clam eo conſilio in Pictones profecti tamen fruſtra fuere. Joannes [b] Haius in illis regionibus erat Pictavii praefectus, loco nobili, ſed in tenui re natus: is animo ſupra ſortem elato praeditus, nobili quadam vidua locuplete, cujus negotia in foro Pariſienſi procurabat, uxore ducta, cum praefecturam illam ex uxoris dote ſibi comparaſſet, in obſidione urbis et praeſentiae animi et diligentiae ſummam laudem adeptus fuerat; meritorumque fiducia inter militareis duces et proceres apparere coeperat. Inde, cum in magiſtri ſupplicum libellorum dignitate petenda a regina repulſam tuliſſet, et poſtea cum praeſidis Pictavienſis dignitatem ambiret, ab eo quoque munere, P. [c] Rato ipſi praelato, excluſus fuiſſet, homo injuriae impatiens, et contemptum non ferens, res novas turbata in patria moliri inſtitit; quo et privatas inimicitias, quas implacabileis cum aliquot civibus, ac praecipuae cum Joſepho [d] Doinello Sanſolinio exercebat, ulciſceretur, et ſe a contemptu renovata meritorum ſuorum per inſigne aliquod facinus memoria vindicaret. Eo conſilio amicitiam cum Proteſtantibus contrahit, ac praecipue cum Franciſco Lanovio; cujus gratia ac commendatione fretus jam ſuperiori anno ad [e] Millialdi conventum miſerat, quaſi conſilia cum iis conjuncturus; re vera, ut eorum arcana, ſi poſſet, rimaretur, et ea reginae, cum qua in gratiam quavis ratione redire cupiebat, deinceps proderet. Eam illius mentem fuiſſe jam tum prudentiores et cautiores inter foederatos judicabant, et ipſe in commentariis de Aquitaniae ſtatu, qui poſt ejus mortem ab amicis evulgati ſunt, perſcripſit. Sed omnium maxime Rupellanis ſuſpectus erat, qui Lanovium ceteroqui prudentiſſimum virum ejus dictis auſcultantem aſſiduis expoſtulationibus monebant, ut ſibi ab vafro et fidei ambiguae homine caveret. Ille nihilominus ſic cum nobilitate verſabatur, ut ſibi ſimul et eorum benevolentiam et integrae fidei opinionem conciliaret; quam ut magis Lanovio approbaret, et eadem opera de inimicis vindictam ſumeret, etiam de [f] Pictavio capiendo audax et ſupra vireis conſilium cepit, eo eventu, quem poſtea dicemus.

XVII. EODEM tempore in Neuſtria Matignonus cum [g] Fervacio conjunctis viribus [h] Laudi ſuum ducit, quo paucis ante diebus venerat Mongomerius. Is, rebus in oppido ad obſidionem ſuſtinendam conſtitutis, cum equitatum inutilem provideret, ne nihil interea ageret, quinto poſt obſidionem die, nocte concubia cum delectis per [i] Doleam portam exit, et una et altera ſtatione hoſtium perruptis, et muro trium cubitorum ſuperato, amnem ſubjectum tranſmittit, nullo ex ſuis deſiderato; ac poſtridie [k] Adevillam haud longe a majore vado pervenit, ubi et aliquot dies commoratus eſt, ut [l] Carentani res ordinaret, et locum commeatu firmaret. [m] Pontem Dovetenſem etiam munivit: quo loco aliquot ex provinciae nobilitate ad eum venere. Inde III Non. Maias nocte proficiſcitur, ut ſe cum Franciſco Momorantio [n] Haloto, qui aliquot equites ex [o] Caletenſi agro, Armorica et Andibus adducebat, conjungeret, relicto Carentani [p] Guiterio, [q] Lorgeo ex vulnere infirmo et [r] Gallardonio. Triduo poſt [ſ] Danſronium venit; quo ad eum [t] Seius, [u] Calvinius, [w] Dubrolius et [x] Haius cum XL circiter equitibus feſſi et ipſi venerunt. Ibi, dum equitatum itinere fatigatum reficere

INTERPR. [a] *Poictou.* [b] *la Haye, lieutenant general de Poictou.* [c] *Rat.* [d] *Doineau de Ste Soulaine.* [e] *Millaud.* [f] *Poictiers.* [g] *le ſieur de Fervaques.* [h] *S. Lo.* [i] *porte Dolée.* [k] *Adeville, prés du Grand Vai.* [l] *Carentan.* [m] *le pont Douve.* [n] *le ſieur de Halot.* [o] *pays de Caux, Bretagne, & Anjou.* [p] *de Guitry.* [q] *de Lorges.* [r] *Gallardon.* [ſ] *Donfront.* [t] *de Sey.* [u] *de Chauvigny.* [w] *Du Breuil.* [x] *des Hayes.*

reficere cogitat, inter moras [a] Moius Riberpratus Moii [b] Millaregii gentilis ſui legatus CIↃIↃLXXIV. cum aliquot equitibus ad portas uſque oppidi progreditur; quo mox eum equitatus CAROLUS IX. regius inſecutus eſt, et in colle oppoſito in aciem inſtructus conſedit, uſque dum pedites advenere. Signifer cum regiis clam conſilia communicaſſe, ac de adventu Mongomerii certiores eos feciſſe creditus eſt. Eruptio facta a XXV equitibus, duce [c] Broſſaco, cum quo erant Seius, Dubrolius et Haius; perruptaque ſtatione aliquot ex noſtris interfecti: Riberpratus ipſe graviter vulneratus eſt: [d] Friaſius ex obſeſſis deſideratus eſt. Triduo exacto, rurſus eruptione pedeſtri certatum; in qua erant VIII loricati nobiles duce [e] Villanovano, et XX ſcloppetarii duce [f] Tuchio juniore: ii per poſticum egreſſi ſtationem in domo vicina aggrediuntur, et, majore parte obtruncata, ad ſuos ſine damno revertuntur. Inde res, ut inter nobileis et plerumque agnatione conjunctos, crebris colloquiis acta: eaque re ſegniores obſeſſi redditi; adeo ut [g] Mongomerius id gravi edicto prohibere coactus ſit. Interea Mongomerii [h] Danſronio incluſi nuncio in aulam perlato, regina, quae in mariti percuſſoris poena magnam gloriae partem ponebat, et ambitioſe id ſupra quam dici poteſt affectabat, literas regias ad vicinas provincias mitti curat, quibus nobilitas Matignono ſe conjungere jubebatur. Miſſae mox legiones Joannis [i] Coëmi Lucaei, Jo. Bellomanerii Lavardini, Sancolumbi et Luſſani, alae equitum Alençonii, ipſius Matignoni, Jo. Moii Millaregii, [k] Tanaquilli Venatoris Carrugii, Jo. Grongnetii Vaſſaci, Renati Tornaminii Hunaldaei, Jo. Surchii Malicornii, ac poſtremo [l] Longavillani, cum aliquot aliis; ita ut IV CIↃ peditum, CIↃ equites in exercitu eſſent: praeterea plerique ſpontanei e nobilitate, ducibus [m] Fervacio et [n] Sanleodegario. His numeroſis copiis in dies Danfronium confluentibus, Mongomerius vix habebat in oppido et arce L equites et XC ſcloppetarios quos opponeret; ex iiſque pleriqne quotidie ad regios transfugiebant. Locus in edito ſitus eſt et ſaxoſo podio impoſitus; ita tamen ut ex duobus collibus vicinis intra ſcloppeti jactum poſitis a ſeptentrione et occaſu in eum deſpectus ſit; de cetero debilibus muris cinctus ſubter labente [o] Meduana amne alluitur. Itaque et undique infeſtabantur praeſidiarii, et levi tormentorum pulſatione ſtrages magna murorum edebatur. X Kal. Jun. VI tormenta in oppidum et arcem directa: quorum continua verberatione cum turrem dejectam videret Mongomerius, nec plus C armatis apud ſe haberet, imparem oppido corona cingendo et arci tuendae numerum, de oppido deſerendo et in arcem confugiendo conſilium iniit; negotiumque dat Broſſaco, ut recipiendi ſe in arcem militi ſignum daret: ſed plerique ſua aſportandi ſpecie ſegniores ad noſtros perfugium habuerunt. Interea, XLV paſſuum ruina ad arcem facta, a regiis oppugnatio paratur: C ex nobilitate loricati ad id deſtinati, IↃC ſcloppetarii et C ſariſſophori; quibus praeibant Fervacius, [p] Villermoſius, Sancolumbus, Riberpratus, Lavardinus, alii duces. Contra Mongomerius cum XL circiter eam tuendam ſuſcipit; et ad dextram ipſe cum Broſſaco, [q] Calvinio, [r] Cornerio, Terio, Tuchio juniore, [s] Mabiliero, [t] Croſio, Ulſo, aliis; ad laevam [u] Seius, [w] Haius, Vaudoreus, Menilius, Salicetus, Villanovanus ſtabant; qui poſt conceptas de more preces, vim facientibus regiis, fortiter pugnam capeſſivere, certamine quinque horas extracto, et diſploſione interea nuſquam intermiſſa, qua multi ex praeſidiariis ſauciati ſaxorum refractorum ictibus in eos reſilientibus: Mongomerius ipſe vulneratus eſt: Broſſacus, Terius, Menilius

INTERPR. [a] *Mouy de Riberpré.* [b] *de la Meilleraie.* [c] *le ſieur du Broſſay St Graves.* [d] *le ſieur de Friaiſe.* [e] *de Villeneufve.* [f] *la Touche le jeune.* [g] *le comte de Montgomery.* [h] *Donfront.* [i] *de Coeſme ſieur de Lucé; de Beaumanoir, ſieur de Lavardin; de Ste Colombe, & de Luſſan.* [k] *Tanneguy le Veneur, ſieur de Carrouges; J. de Grongnet, ſieur de Vaſſey; R. de Tournemine, ſieur de la Hunauldaye; & J. de Chourſes, ſieur de Malicorne.* [l] *le duc de Longueville.* [m] *le ſieur de Fervaques.* [n] *de S. Leger.* [o] *la Mayenne.* [p] *de Villermois.* [q] *de Chauvigny.* [r] *de Cornieres, & de Teré.* [s] *la Mabillerie.* [t] *du Cros & Ouiſe.* [u] *de Sey.* [w] *des Hays, Vaudoré, du Menil, & la Sauſſaie.*

CIↃIↃLXXIV. CAROLUS IX.

Menilius paſtor, Vodoreus, Salicetus, [a] Lanous interfecti. Tandem ſub ſeptimam veſpertinam noſtri retroceſſere: ex quibus deſiderati Sancolumbus, [b] Dollius Millaregii ſignifer, et amplius LX; vulnerati Fervacius, Lavardinus, [c] Cotenantius. Nox inſecuta ſarciendae ruinae ab obſeſſis impenſa eſt. Poſtridie nihil actum: ſed rurſus tentata colloquia, multis in horas dilabentibus, neque intermiſſa interim verberatione. Tertio ab oppugnatione die [d] Vaſſaeus cum Mongomerio, cum quo arcta cognatione junctus erat, aliquoties collocutus eſt; qui poſtremo, diffugiente in horas milite, cum omni alia re deſtitueretur, eum Matignono pepigit, in has conditiones, Ut ipſe incolumis quidem dimitteretur, ceterum aliquot dies retineretur: [α] quanquam ei incolumitatem praeciſe promiſſam alii negent; quod et certius eſt: reliqui cum enſe tantum et pugione dimiſſi. Poſtridie Matignonus et Vaſſaeus in arcem ingreſſi ſunt, ut inde Mongomerium deducerent. Dum haec aguntur, milites quaſi vi capto loco per moenia in arcem irrumpunt, et obvios ſpoliant, quoſdam etiam interficiunt. Mongomerius per provinciam quaſi in triumphum tractus, et a Matignono deductus, ut ejus praeſentia [e] Lorgius et Gallardonius ad deditionem faciendam adigerentur: cum tamen illi imperia victoris detrectarent, [f] Laudi ſanum ventum eſt; ubi et [g] Columbarius eadem contumacia uſus eſt. Interea venere a regina literae, quibus nullam fidei a Matignono datae rationem haberi velle ſignificabat, et Mongomerium quamprimum Lutetiam adduci jubebat; quod haud retractanter a Matignono reginae gratiam aucupante factum eſt: datumque Vaſſaeo negotium, ut captivum coram ſenatu ſiſteret. In [h] Pictonibus [i] Monpenſerius rem, ſed ſegnius initio, gerebat; cum quo erant Vidus [k] Dallonius Ludae comes provinciae praefectus, Franc. [l] Regius Chavignius, Renatus Rupichuartius Mortemarius, Pigallarius, Philippus Caſtrobriandus Rupibaritonius, Renatus Sanzaeus delectuum praefectus, [m] Barbezerius Cemeraldus alae equitum regis Poloniae ductor, Ludovicus [n] Tiſonus Argentius, [β] Lud. [o] Monbronius Fontanus Chalandraeus. Bironus in [p] Santonibus erat, et ſe fano [q] Joannis continebat ad omneis occaſiones intentus: qui cum aliud non poſſet [r] Tonaeum ad Carantonum fruſtra tentavit; nam [s] Gonus loci tabellio proditionis accuſatus et convictus, cum capite luiſſet, conſciis dilapſis conatus evanuit; Bironi interim fide apud Proteſtanteis, qui illum in occulto rebus ſuis favere exiſtimabant, elevata. Monpenſerius [t] Parthenaei et Colongii aliquot dies commoratus [u] Herminiae ſanum venerat, ut Lanovium ad certamen eliceret. Cum ille detrectaret, parte exercitus ad [w] Talemontii obſidionem miſſa, duce Pigallario, cum XII peditum ſignis et tormentis nuper ex [x] Namnetibus a [y] Landereo advectis, ipſe Fontenaium, quod a [z] Sanſtephano, a quo et leve damnum nuper acceperat, tenebatur, obſidendum ſuſcepit, et primo impetu [aa] Logias, quod eſt oppidi ſuburbium, diſcedente [bb] Renolerio, cepit: eoque mox ad ipſum, recepto Talemontio, Pigallarius cum copiis, quas habebat, ſe contulit. In Septimania bellum periculoſius ardebat; ubi Proteſtantes multa loca tenebant, et auxiliorum externorum ſpe a Condaeo confirmati omneis pacis conditiones ut inſidioſas reſpuebant. Condaeus, ubi [cc] Argentinam venit, res tumultuarie et ab hominibus rerum ignaris a paſtoribus ſummiſſis agi indignatus [dd] Gaſcaim in Galliam remittit,

VAR. LECT. [α] *Deſunt* quanquam ei incolumitatem praeciſe promiſſam alii negent; quod et certius eſt *D.* ſ. o. *Sed hunc locum ita habet D.* d. quanquam alii incolumitatem ei omnino promiſſam negent: *omiſſis verbis* quod et certius eſt
[β] Honoratus Buelius Fontanus, Monbronius Chalandraeus *D.* ſ. o.

INTERPR. [a] *la Nobé.* [b] *Doilly.* [c] *Cotances.* [d] *de Vaſſey.* [e] *de Lorges, & de Gallardon.* [f] *St Lo.* [g] *de Colombiers.* [h] *Poictou.* [i] *le duc de Monpenſier.* [k] *de Daillon, comte du Lude.* [l] *le Roy, ſieur de Chavigny; R. de Rochechouart, ſieur de Mortemar; de Puy-gaillard; Phil. de Chateaubriand, ſieur des Rochesbaritaut; René de Sanzay.* [m] *de Barbezieres, ſieur de Chemeraud.* [n] *Tiſon, ſieur d'Argence.* [o] *de Montbrun, ſieur de Fontaines Chalandray.* [p] *Saintonge.* [q] *S. Jean.* [r] *Tonay-Charente.* [s] *Gone.* [t] *Parthenay & Coulonges.* [u] *St Hermine.* [w] *Talmond.* [x] *Nantes.* [y] *de Roubaut, ſieur du Landereau.* [z] *S. Eſtienne.* [aa] *les Loges.* [bb] *Renoliere.* [cc] *Strasbourg.* [dd] *Gaſques.*

remittit, datis IV Non. Maias ad ipſos et Sanromanium literis, quibus eos de adventu in Germaniam ſuo et Thorei certiores faciebat, et ſuam operam exemplo patris in tam juſta cauſa prolixe deſerebat, auxiliorumque a Germaniae principibus ſpe facta, hortabatur, in eam rem ut promiſſam pecuniam quamprimum mittendam curarent. Dederat et Thoreus ad Damvillam fratrem literas: quibus eum, Momorantii fratris ac familiae principis in carcerem perverſo juris ordine conjecti periculo, admonebat, ut mature ſibi conſuleret, et opes ac conſilia in communi cauſa conjungeret; ſi cunctaretur, eandem fortunam brevi experturus: quippe eo conſilio in [a] Septimaniam miſſos [b] Uticenſem ducem, Maugironum et [c] Sanſulpitium, et poſt eos [d] Villaregium, cum ſecretis mandatis, ut eum ludificent, et a communi bonorum et tranquillitati publicae ſtudentium cauſa ſeparent; nec dubium eſſe, quin et ejus vitae inſidiae ſtruantur: in hoc Sarram Martinengum hominem ſtrenuum et reginae emiſſarium in Septimaniam veniſſe: proinde cunctationem omnem regno perniciosſam, ſibi periculoſam, et univerſae familiae exitiabilem reſecet; neque committat, ut fratris calamitatem, cujus ſalus ex ipſius incolumitate pendeat, dum deliberat, tam neceſſario tempore neglexiſſe videatur. His monitis etſi aliquantum excitatus Damvilla, qui tum [e] Monpelii erat, tamen homo natura cunctator et qui aegre regio nomine oppugnari ſe pateretur, quo innocentiam ſuam magis approbaret, Fr. [f] Jugium Riuſium provinciae regulum ad regem delegat, qui de Septimaniae rebus et quid in ea actum ſit poſt Sanſulpitii, Uticenſis, Maugironi et Villaregii adventum plenius eum edoceret: tum ſe purgaret a rumoribus et calumniis inimicorum artibus contra familiam ſuam ſparſis; rogaretque, ne Momorantii fratris, de cujus innocentia olim conſtiturum ipſi ſperaret, calamitas ſibi fraudi eſſet; et, ſi quidem nocens ille comperietur, ne propterea ipſe in criminis partem vocaretur, aut ſuſpectam fidem ſuam rex haberet: quippe ſe paratum et tribunatum et praefecturam in manus ejus conſignare, poſtquam ipſi de ſua fide et innocentia abunde conſtiterit. Haec acta XV Kal. Jun. In eandem rem ad curiam [g] Toloſanam datae literae; quas et Riuſius illac pertranſiens tulit, et multis verbis ſenatui et conſulibus urbis perſuadere conatus eſt, ne ob Momorantii in carcerem regis mandatu conjecti calamitatem propterea Damvillae fratris fidem in dubium revocarent, aut ab eo communia de republica conſilia ſepararent.

XVIII. INDE in aulam pergit, ubi deſperata regis valetudine, regina, quo magis ſuam auctoritatem ac potentiam firmaret, regis nomine ad regni praefectos perferendas literas dat IV Kal. Jun. quibus rex aegritudinem ſuam cauſatus, qua fieret, ut rebus ſuis supereſſe non poſſet, curam negotiorum in matris manus ut digniſſimae reſignaſſe ſe dicebat; mandabatque, ut ei perinde ac ſibi omnem obedientiam praeſtarent, et, ſi quidem ita Deo placitum eſſet, ut ſe ad meliorem vitam evocaret, donec rex Poloniae in Galliam adveniret, ipſius imperiis ut plenam ad id poteſtatem habentis ad omnia obedientes eſſent. Poſtridie, qui dies in Pentecoſten incidebat, diploma, praeſentibus Alençonio, Navarro et Carolo Borbonio cardinali, conficitur, quo rex matri regentis titulum ac auctoritatem tribuebat, ut, ſi ſe mori contingeret, per regis fratris abſentiam ſupremam ac regiam poteſtatem toto regno obtineret: quod tamen non niſi quatriduo poſt ac III Non. Jun. propter nefaſtos dies, qui Pentecoſten conſequuntur, promulgari in ſenatu potuit. Inſertum actis, ad majorem dignitatem reginae conciliandam, promulgationem factam eſſe, poſtulante ac conſentiente regio cognitore: poſtquam regina regis parens, tam ab Alençonio, Navarro, quam a cardinale Borbonio, praeſidibus ac ſenatoribus curiae in eam rem a ſenatu ad eam legatis ſuppliciter rogata et exorata, regentis titulum et ſummam regni adminiſtrationem ſuſcepit.

CIϽIϽLXXIV.
CAROLUS IX.

XIX. REX

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *le duc d'Uzez.* [c] *de S. Sulpice.* [d] *de Villeroy.* [e] *Montpellier.* [f] *de Jugie, baron de Rieux.* [g] *parlement de Toulouſe.*

CIƆIƆLXXIV. CAROLUS IX.

XIX. Rex interim eo ipſo Pentecoſtes die, quo diploma confectum eſt, poſt graveis et longos dolores, ita ut ſe mori diu ante mortem ſenſerit, tandem animam Deo reddidit, cum annos XXIV, menſes X, dies XXX vixiſſet; regnum annos XIII, menſes V, dies XXV tenuiſſet. Princeps praeclara indole et magnis virtutibus praeditus, niſi quatenus eas prava educatione et matris indulgentia [α] corrupit. Fuit in eo elatus et fortunae par animus, ingenium juxta ſagax et acutum, maſcula facundia, prudentia ſupra aetatem, quae plerumque in vafritiem degenerabat, acre in aliorum ingeniis dignoſcendis judicium, magna in diſpenſandis beneficiis cura, et in penſitandis cujuſque meritis moroſitas; ut ab aulicis, virtutes ad inexhauſtas cupiditates ſuas metientibus, minus ob id liberalis haberetur: ceteroqui ad iracundiam praeceps fuit, quae violenta et aſſidua equitatione ac vigiliis alebatur; et, licet ſummus natura diſſimulator eſſet, nonnunquam per intervalla in furorem erumpebat. Statura fuit praegrandi, ſed paulum incurva, obſtipo capite, oculis torvis, naſo adunco, colore pallido et plumbeo; de cetero bene compoſitis membris et lacertoſa corporis mole; laboris et inediae patiens, ac fere abſtemius, ita ut mors ejus feſtinata credatur: cujus rei ſuſpicio ut purgaretur, mortui corpus a chirurgis et medicis apertum; in quo livores ex cauſa incognita reperti conceptam multorum opinionem auxerunt potiusquam minuerunt. Venationibus ad inſaniam indulgebat: et ferarum cruori manus intingere aſſuetus, inde ferocior redditus, ad crudelitatem paulatim ferebatur, incaleſcente per violenta exercitia ſanguine: nam cum a venationibus ceſſabat, aut aſcobolo, aut ſaltationibus immodicis, aut denique fabricandis armis, et ferro malleo ac forcipe verſando deſudabat; eo minus in venerem mollis, ut qui unicam [a] puellam Aurelianenſem adamaſſe toto vitae tempore compertus ſit, ex qua Carolum [b] Arvernorum comitem ſuſcepit: modicus ut cibi ſic et ſomni, quem etiam nocturni horrores poſt caſum Sanbartholomaeum plerumque interrumpebant, et rurſus adhibiti ſymphoniaci pueri expergefacto conciliabant. Inter eas ab humanitate abhorrenteis exercitationes, muſica et poëtica ſummopere delectabatur; Orlando Laſſo e Norico, ubi Alberto [c] Baioariae duci operam navabat, paulo ante mortem evocato. Verſus ipſe ſcite pangebat: poëtaſque ſummo in honore habuit, quos inſtar equorum generoſorum alendos non saginandos dicebat: in his Petrum Ronſardum virum natalibus, ſed ingenio longe nobiliſſimum, atque adeo cuivis ex antiquitate comparandum; quem crebris ſed modicis beneficiis cohoneſtavit, et ad quem verſus aliquoties, qui etiam editi ſunt, ſcripſit regia majeſtate non indignos. Extat et de cervi venatione liber a [d] Villaregio ex ejus ore exceptus, qui aliquando publico donabitur, et Friderici II Caeſaris et Phoebi Gaſtonis [e] Foxiae comitis eadem de re evulgatis libris accenſebitur. Regnum ejus bellis civilibus triſte, variis proeliis, urbium obſidionibus ac direptionibus et caedibus funeſtum, et Pariſienſi praecipue tumultu [β] infame: quamvis id potius aliena quam ſua culpa accidit, neceſſitate homini feroci et ad iram praecipiti rei exequendae artificioſe injecta, nec ſpatio ad deliberationem conceſſo. Id vero cum pacis et publicae ſecuritatis

VAR. LECT. [α] corrupit: mulier ſiquidem gentili ambitione ardens, dum imperium a filio proprio in ſe transferre parat, improbos fere moderatores ipſius inſtitutioni admovit: et, poſt Philibertum Marſilium Sipetram, commendatione ejus Albertus Gondius Radeſiarum comes praecipuum gratiae locum apud regem tenuit; a quo ille et Numen dejerare, atque aliud in ore aliud in pectore habere, didicit; ac poſtremo, ab homine novo et nullis meritis ad ſummos honores evecto, conſilia a coelo Gallico aliena, proceres et nobilitatem in ordinem cogendi et primarias regni familias evertendi, imprudenter hauſit: quae dum executioni demandare parat, de ipſo etiam conſultore, cujus tot dignitatibus aucti ipſum tacite ſuppudebat, ab aula et conſpectu ſuo amovendo cogitare coepit. Fuit in eo elatus. *MS. Samm. Put. & Rig.*

[β] infame: quod accidit culpa potius matris et Henrici fratris Poloniae regis (nam is ſe ejus auctorem perhibebat, idque in gloriae partem ponebat) ac miniſtrorum, quam ſponte ac conſilio ſuo; neceſſitate homini feroci et ad iram praecipiti rei exequendae artificioſe injecta, ut ſuo loco diximus, nec ſpatio *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Marie Touchet, fille de Jean Touchet lieutenant particulier au preſidial d'Orleans.* [b] *d'Auvergne.* [c] *Baviere.* [d] *de Villeroy.* [e] *Foix.*

ſecuritatis vinculum ſolviſſe, ſed ſerius, animadverteret; conſultoreſque potius ad privata odia et propriam ambitionem ſpectaſſe, quam fidei et quietis publicae, ſine qua ipſe majeſtatem regiam tueri non poterat, rationem habuiſſe indignaretur, moderatoribus illis non mediocriter ſuccenſuit; quos et ab eo tempore a conſiſtorio removere, et matrem ipſam honeſto regis Poloniae in regno novo inviſendi colore a ſe ad tempus ablegare conſtituerat; ſicque res ordinare, ut, quantum ad jus inter privatos reddendum, ſumma poteſtas penes regni curias eſſet; juris publici, quod ſtatum regni ſpectat, ſibi cognitionem ſervaret; tribunis equitum demandata ſuprema armorum cura. Et, eum bella civilia non tam ob religionis cauſam, quam ob regni factiones exarſiſſe in Gallia crederet, earumque praecipuos duces Lotharingos et Momorantios extitiſſe et eſſe ſibi perſuaderet, nulla cauſae aut juris ratione habita, utramque ſamiliam toto regno et opibus et clientibus potentiſſimam omnino evertere decreverat, non minus Guiſio, quam Momorantio, quem jam in poteſtate habebat, [α] infeſtus: itaque et de eo e medio tollendo aliquoties cogitaverat: cumque is aliquando quendam e ſtipatoribus injurioſe pulſaſſet, princeps imperioſus eo uſque exeanduit, ut vix univerſae familiae et Caroli ipſius Lotharingiae ducis pro gentili ſuo poenam ſuppliciter a ſe deprecantis interventu, ipſo Guiſio in genua tanquam reo procumbente, injuriam remiſerit, et eum in gratiam receperit. Paulo antequam moreretur, allatum de capto Mongomerio nuncium cum ad ipſum exultans mater perſerret, parum commoveri viſus eſt, certiſſimo proximae mortis ſigno, quae ei omnem pariter odii et laetitiae ſenſum ademerat. Suprema vox, et tanto principe digna, ſummaeque erga ſuos charitatis teſtis fuit, gaudere ſe, quod in ea aetate moriturus nullos liberos regni heredes relinqueret; quippe qui proprio exemplo abunde expertus eſſet, quam miſera regum puerorum conditio exiſteret, quamque deplorandus regni ſtatus foret, cui pueri turbata republica praeeſſent; ſic autem res eſſe, ut regno Galliae viro opus eſſet. Quibus dictis, reginae ut optimae ac de ſe egregie meritae parenti poſt arctiſſimos amplexus valedixit, commendata uxore, quam unice diligebat, et filiola ex ea ſuſcepta, ac poſtremo regni cura: in eo etiam ad extremum diſſimulatione uſus; quippe cum conſtaret, eum, ſi diutius vixiſſet, ingenio ſuo uti ac regnum per ſe adminiſtrare decreviſſe, matremque ab omni publica rerum procuratione ſummovere. Sic vero de fratre, qui ei in regnum ſucceſſit, exiſtimabat, cum ſavoris et gratiae omnium ordinum in ipſum concurſum non ſine occulto morſu cerneret, ſore ut is tantam de ſe conceptam non ſolum Gallorum ſed etiam externorum principum expectationem aliquando fruſtraretur, et magiſtratus virum in eo oſtenderet: quod livore dici ab ipſo tunc creditum, in parte verum poſtea eventus approbavit. Ei poſt quadrageſimale ſacrum ſolemni pompa parentatum eſt, effigie praegeſtata; et corpus [a] Dionyſii fanum deductum, et in monumento majorum conditum. [β] Exequiae, ut paſſim apud Chriſtianos principes, ſic et ab Eliſabetha Angliae regina Londini ad B. Pauli celebratae, regia pompa: cui primario loco interfuit [b] Wintoniae marchio, et poſt eum barones [c] Dacraeus, Cobhamus, Scropus, Darcius de Chich, Hunſdonius; Richardus [d] Sackvillus, Edvardus [e] Warnerus, Carolus [f] Howardus: Richardus a [g] Sancto Laudo regium Galliae vexillum praeſerebat: concionem in defuncti laudem habuit Nicolaus [h] Scorius Herefordienſis praeſul. Eo ipſo Pentecoſtes, quo Carolus deceſſit, die, rex Poloniae lautiſſimo convivio exceperat Annam Poloniae infantem et ejus fere gynaeceum;

VAR. LECT. [α] infeſtus; cujus ſuſpectam jam a multo tempore ambitionem et audaciam habebat: ſiquidem jam ſemel de Guiſio e medio tollendo ob eam quam diximus cauſam cogitaverat: cumque is *MS. Samm.*

[β] *Quae ſequuntur de Caroli exequiis ab Eliſabetha celebratis, uſque ad* Eo ipſo Pentecoſten *deſunt D.ſ.o.d.*

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *Wincheſter.* [c] *les barons de Dacres, Cobham, Scroop, Darcy de Chiche, & Hunſdon.* [d] *Sackville.* [e] *Warner.* [f] *Howard.* [g] *S^t Lo.* [h] *Scory, evêque d'Hereford.*

CIↃIↃLXXIV. CAROLUS IX.

gynaeceum; tum Georgium Fridericum inprimis marchionem Brandeburgicum Anſbachiae in Franconia prope [a] Norimbergam ſedem habentem, qui ad regem venerat, ut tutelam Alberti Friderici [b] Boruſſiae ducis et Polonicae coronae beneficiarii acciperet. Albertus is, cum vix primum et viceſimum annum ingreſſus eſſet, Mariam Helionoram filiam Willelmi [c] Clivenſium ducis, qui ſponſam ad maritum deduxit, ſuperiore autumno a patre in uxorem per procuratores acceperat: verum Albertus in ipſo nuptiarum apparatu, ex qua cauſa ignoratur, in mentis aegritudinem incidit, nequicquam omni opera ad morbi ſanationem adhibita; cum commodum Joannes Wierus magni nominis medicus adeſſet, qui Willelmo principi ſuo itidem mentis, ſed per intervalla remittente, alienatione laboranti, operam dabat. Eam ob cauſam Georgius in aulam venerat, ut tanquam proximus agnatus ejus curator a rege decernetur. [a]

XX. JAM ante Coſmus Florentinorum et [d] Senenſium dux, a nobis ſaepius memoratus, ex diuturno morbo, quo amiſſo vocis uſu laboraverat, XI Kal. Maias deceſſit, anno aetatis LV, cum XXXVIII annis imperium tenuiſſet. Princeps raris naturae et ingenii dotibus praeditus, et in quo ſumma felicitas cum rara prudentia certavit: nam imperium morte Alexandri nec opinato ſibi delatum adhuc paene puer generoſe capeſſiit, et majore conſtantia, matre quantumvis diſſuadente, retinuit; moxque raro fortunae beneficio oppreſſis libertatis vindicibus illud firmavit: et in gratiam Caroli V Caeſaris, ut ea dignus, ſe inſinuavit; cujus perpetuo ſigna contra nos ſecutus eſt, bello Senenſi et audacter ſuſcepto et pari felicitate confecto, Senenſique ditione vel ab invito Philippo extorta et imperio Florentino adjecta. In eo praecipue id mirandum fuit, quod, quicquid ab inimicis et aemulis in ejus perniciem machinatum eſt, in ipſius decus et fortunae amplificationem vertit. Sed ei poſtremo, quod fere maximis viris uſu venire ſolet, accidit; ut, quos adverſitates mergere non potuerant, eos proſperitates frangant. Igitur pace facta et conſtitutis novi imperii rebus, dum aetate hactenus temperanter et ſobrie acta laxamentum quaerit, firmam naturam ac valetudinem ſolvit, ac nimio voluptatum uſu corrupit, prudentiſſimoque ac moderatiſſimo alioqui viro quaedam reliqua vita indigna exciderunt. Nam et unum et alterum, ob cauſam quam ignorari voluit, ira impotenti abreptus propria manu occidit: et, poſt Helionorae [e] Toletanae uxoris, ex qua pulcherrimam ſobolem ſuſceperat, mortem, cum ad quietem domi ſtabiliendam in poſterum nuptiis aut omnino abſtinere deberet, aut, ſi novas appeteret, ad firmandum novum principatum illuſtri adfinitate opus haberet, Camillam [f] Martelliam in uxorem duxit; ex qua unicam filiam ſuſcepit, quae poſtea Caeſari [g] Ateſtino Alfonſi Ferrariae ducis gentili et heredi nupſit. Qua re pietatis et religionis opinionem apud Pium V pontificem aucupari voluiſſe, et ea magni Etruriae ducis titulum tantopere controverſum ac tandem a Caeſare confirmatum meruiſſe creditus, pro tempore paene exitiale incendium domi excitavit. Ceteroqui ſoliciti initio principatus acerbitatem multis egregie factis lenivit: nam et juſtitiae acerrimus vindex, et, dum in nobilitatis ſuis rebus ſuſpectae corruptos mores ac licentiam libidinoſam ſevere inquirit, plebis ab ea plerumque oppreſſae gratiam ſibi conciliavit. Literatos item tota Italia eximie fovit: et celeberrimam Academiam [h] Piſis inſtituit. Pictorum, architectorum et ſtatuariorum ſua aetate inſignium induſtriam juvit, in parvo imperio ampliſſimam Auguſti fortunam aemulatus; cujus et inſigne Capricorni ſibi ſumpſit, ac paſſim in aedificiis a ſe regia magnificentia inſtructis inſculpi curavit; ita ut de ſe dici voluerit, urbem, quam lapideam acceperat, marmoream reliquiſſe.

VAR. LECT. [a] *In editione priore Genevenſi narratio, paulum ſupra facta, de exequiis Caroli* IX *Londini celebratis, heic perperam iteratur his verbis;* Mortuo Carolo, Londini magno paratu exſequiae ab Eliſabetha regina in majore urbis templo Sextili proximo celebratae ſunt: *quae tamen verba in editione poſteriore Genevenſi expunguntur.*

INTERPR. [a] *Nuremberg.* [b] *la Pruſſe.* [c] *Cleves.* [d] *Sienne.* [e] *de Tolede.* [f] *Martelli.* [g] *da Eſte.* [h] *Piſe.*

reliquiſſe. Et, ne qua non in parte cum Auguſto conferretur, etiam perinde atque ille domeſticis, dum vixit, cladibus, poſt mortem etiam afflictatus eſt. Treis filios ex priore conjugio reliquit: Franciſcum imperii heredem, Joannae Auſtriacae Maximiliani ſororis matrimonio ſubnixum, et jam ante patris ultro publica adminiſtratione ſe abdicantis mortem principatus potentem; Ferdinandum cardinalem, qui Franciſco fratri poſtea ſucceſſit; et Petrum, qui Helionoram Garſiae [a] Toletani avunculi filiam in uxorem duxerat. Martio praecedenti, Abdala Mahumetis Scirifii filius, utriuſque [b] Mauritaniae in Africa princeps, diem extremum clauſit; homo neque animis, ingenio aut reliqua vita cum fratribus ſuis comparandus, neque imperio omnino dignus; quod tamen ad ultimum uſqne vitae ſpiritum pacate fere tenuit: nam ab anno hujus ſaeculi LVII, quo parens ejus Turcorum proditione occiſus eſt, cum poſt adeptum regnum inter treis filios provincias diviſiſſet, aſſignata unicuique earum praefectura, de Abele Mumene fratre, qui, exemplum patrui jam decrepita aetate nuper cum filiis immaniter jugulati veritus, [c] Caeſaream Juliam ad Aſſanem Hariadeni [d] Ahenobarbi filium et Tremeceni regni proſultanum confugerat, e medio tollendo etiam cogitare coepit: quanquam id machinationi alterius ex filiis aſſignant, qui per unum e domeſticis patruum, dum in templo, ubi nefas gladium ſtringere apud deteſtandae illi ſectae addictos habetur, preces funderet, Tremeceni interficiendum curavit. Ab eo tempore nihil turbarum in illo regno extitit: tantumque biennio ante mortem inopinata temeritate expeditionem contra Mazagamum ſuſcepit, ab Aſſane quodam [e] Curito perſuaſus, qui a ſacris Chriſtianorum deficiens inter crapulam et ſcortorum greges marceſcenti Abdalae auctor fuit, ut facinore aliquo ſeneſcentem gloriam renovaret, propoſita urbis expugnandae facilitate et commoditate. Qui conatus ejus variis caſibus utrinque memorabilis ad finem fruſtra fuit, magno accepto ab Abdala damno: ſeroque intempeſtivi conſilii poenituit. Marochum inde reverſus quod reliquum vitae fuit inglorius egit; et, cum XVII annos regnaſſet, hoc anno fatis conceſſit. Huic in regnum ſucceſſit Mahumetes, Feſſanae praefecturae antea a patre impoſitus; qui ſtatim duos fratres ſuos comprehendi juſſit, et grandiorem natu ſecuri percuſſit, alteri ob infirmam aetatem ad tempus pepercit, ſub cuſtodia habere eum contentus: ac poſtea a patruis regno expulſus eſt.

CIƆIƆLXXIV.
CAROLUS IX.

VAR. LECT. [a] *de Tolede.* [b] *le roy de Fez & Maroc.* [c] *Alger.* [d] *Barberoſſa.* [e] Marmol met *Corço,* qui eſt à dire *Corſe.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

NUNCIO mortis Caroli in Poloniam allato, Henricus Jacobum Faium Speſſaeum in Galliam ſubito remittit, cum mandatis, quibus adminiſtratio regni a deceſſore ſuo reginae matri attributa ei confirmabatur. II. *De regis diſceſſu, quem urgebat regina, Cracoviae inter ſuos conſultatum. Praecipitatus pudendo conſilio ejus diſceſſus, praemiſſo Pomp. Bellevreo, cujus mandata morte Caroli regis exſpiraverant. Prius monitus Danzaeus, ut poſt diſceſſum apud regni ſenatores ex neceſſitate eum excuſaret. Legati ad eum ſeu perſequendum ſive exorandum miſſi fruſtra fuere.* III. *Viennae a Caeſare excipitur rex. Inde per Caroli archiducis ditionem deductus ad Fori Julii limitem venit; ubi obvios habuit ſenatus Veneti oratores, qui adventum gratularentur.* IV. *Pompa in Venetiarum ingreſſu, et novem dierum ſpatio omni honoris ac cultus et ſpectaculorum genere effuſa in tanti hoſpitis gratiam civitas.* V. *Inde Ferrariam venit, et Mantuam et Auguſtam Taurinorum.* VI. *Apud nos capto Danſronio, Laudi fanum vi a Matignono expugnatum, et Carentanum a Guitrio deditum. Rex, qui a Caeſare rerum auſpiciis regni componendarum, et a ſenatu Veneto, admonitus fuerat, impulſu matris mutat. Regina cum Rupellanis bimeſtreis inducias pangit. Damvilla ſibi a regina metuit. Bellum in Allobrogibus a Delfino principe geritur.* VII. *Mongomerius damnatur et ſupplicio afficitur.* VIII. *Caroli* IX *exequiae ſolita pompa frequentatae.* IX. *Condaeus ſcripto abſentiam et innocentiam ſuam atteſtatur.* X. *In Pictonibus bellum redintegratur.* XI. *Caſtrum in Albigenſi agro a Seriniaco Terrida interceptum. Virulentus contra Catharinam Mediceam liber. Regens filio venienti obviam proficiſcitur.* XII. *Expeditio Tunetana a Sinane purpurato ſuſcepta. Guletae munimentum a Turcis obſeſſum ac captum; et arx interior, ac mox a fundamentis diruta. Auſtrius ob adſectatum Africae regnum hanc cladem importaſſe creditus magna apud omneis invidia laborat. Sinan inde triumphabundus Byzantium tendens in itinere Corcyram fruſtra tentat.* XIII. *Bellum in Dacia. Ejus et Moeſiae deſcriptio. Bogdanus Ivoniae criminationibus Walachiae principatu a Turcis exutus, ſuffecto ei Ivonia, qui ſtatim rebellavit. Felices primi contra Turcos Ivoniae ſucceſſus. Hieremias obviam venienti Capucio purpurato miſſus, a Petro Bogdani fratre perſuaſus, fidem ſeſellit. Caeſus Ivonia, ſupplex, accepta fide, ad Capucii tentorium pergit, et ſumma perfidia ab eo confoditur.* XIV. *Henricus in Taurinos venit, et de Subalpinis urbibus reſtituendis Sabaudo fidem obſtringit. Damvillae tentata reconciliatio.* XV. *Ubi Lugdunum venit rex, concepta de tanto principe expectatio ſtatim in primis regni auſpiciis jam tum laborare coepit. Symeonis Boſii de ea judicium.*

EX AUCTORIBUS,

Carolo Paſchalio, Relationibus Venetis, Sim. Schardio, Lud. Vicino P. P. Jo. Serrano, Uberto Folieta, Cl. Ptolemaeo, Leonardo Goraecio.

LIBER

LIBER QUINQUAGESIMUS OCTAVUS.

REGINA poſt Caroli IX obitum ſtatim Mericum [a] Barbezerium Chemeraldum ad novum regem mittit; qui eum certiorem de fratris morte faceret, et ad iter in Galliam omni mora poſthabita capeſſendum hortaretur. Altero poſt die et [b] Magdalenus Faiola Neovius in Poloniam mittitur; qui, ſi Chemeraldus morbo fontico aut alia re retardaretur, eadem mandata pari celeritate ad regem perferret. XIV dierum itinere [c] Cracoviam venit Chemeraldus; ex quo et parentis literis poſtquam de deceſſoris ſui morte cognovit rex, etſi caſus non omnino inopinatus eſſet, tamen, ut in novi regni ingreſſu confuſis adhuc rebus, aliquantum perculſus eſt; cum diſſiderent eorum, qui circa ipſum erant, ſententiae, an tantiſper in Polonia manendum ei eſſet, dum res in eo regno ordinaſſet, an nulla mora interjecta ad diſceſſum ſe compararet. Dum deliberatur, ante omnia placuit, ut Jacobus [d] Faius Speſſaeus ſenator Pariſienſis, vir magni ingenii et multiplicis doctrinae, quamprimum in Galliam ad reginam remitteretur, cum mandatis, quibus ei regentis dignitas et poteſtas a Carolo attributa confirmabatur. Diploma Cracoviae datum XVII Kal. Quintil. in Galliam allatum, et in regni curia promulgatum III Non. Jul. cum prius regina ad regni praefectos literas dediſſet, ſtatim poſt Caroli filii mortem, quibus de ejus obitu et extrema voluntate, qua ei ſumma rerum per regnum poteſtas demandata erat, certiores faciebat; hortabaturque ut cunctos in officio ac fide continerent, ſpe facta, ut edicta nuper promulgata ſervarentur. His et junxerat, quo majorem ſibi auctoritatem conciliaret, [e] Alençonii et Navarri ejuſdem fere exempli literas.

CIƆIƆLXXIV.
HENRICUS III.

II. INTEREA Cracoviae de regis diſceſſu ſententiis inter proceres, qui pauci erant, altercatum fuit. Qui prudentiores erant et regiae dignitatis magis ſtudioſi, ſic cenſebant; regnum Poloniae tam honorifice delatum omnino retinendum eſſe: id enim ad famam et pacem in Gallia conſtituendam pertinere; et, ſciſſo factionibus regno, et Alençonio a Proteſtantibus, ut tunc jactabatur, ducem et patronum rebus ſuis contra Guiſianos quaerentibus ſolicitato, regi omni ratione enitendum eſſe, ut regnum illud conſervet; ad quod fratrem amicorum et clientium, quos plurimos jam habeat et porro habiturus ſit, ſuffragiis ſuccenturiari poſſe ſpes ſit, et ita honeſta miſſione procul a ſe ac turbis ablegari: alioqui diſceſſum ſuum fugae adfinem non ſolum probroſum fore, ſed nec periculo cariturum, famaque ipſius per illum non mediocriter labefactata, majores quam antea in Gallia tumultus excitatum iri; qui nunc integra ea adhuc quaſi in ſuſpenſo ſint. Alii contra, ut principi inter delicias, licentiam et adulationes enutrito, et ab horrida legitimi regni diſciplina abhorrenti gratificarentur, reginae eum ſine mora et poſtpoſita omni decoris et alterius rei ratione in Galliam revocanti parendum ſuadebant; quae praeſentis ſtatus Gallici eam conditionem eſſe demonſtret, ut, ob magnatum factiones, diverſa populi ſtudia, et haerens jam diu in viſceribus malum inteſtinum, non aliunde petito remedio quam praeſentia regis curari poſſit: in eo regiam auctoritatem et patrii regni ſalutem verti, ſi Galli ſtatim ſciant, regem e Polonia exceſſiſſe, ubi eum attineri jam in Gallia ſeditioſi clamitant: neque vero ullam ſatis juſtam cauſam Poloniae Ordinibus probatum iri, propter quam ei in patrium regnum redeundi poteſtas ab ipſis fiat: contra, ſi Galli regem in itinere

INTERPR. [a] *de Barbezieres, ſieur de Chemerault.* [b] *Magdelon de Faiole, ſieur de Neuvy.* [c] *Cracau.* [d] *Faye, ſieur d'Eſpeſſes.* [e] *le duc d'Alençon, & le roy de Navarre.*

CIϽIϽLXXIV HENRICUS III. itinere eſſe intelligant, nullam rem aeque apud illos valituram ad diſturbandas, ſi quae uſquam coquantur, conjurationes: his rationibus et apud Polonos et apud externos principes clandeſtinae profectionis conſilium facile excuſatum iri: proinde, cum omnia in taciturnitate et celeritate poſita ſint, nullum cunctationi locum relinqui; quippe, quod agatur, ejuſmodi eſſe, ut non niſi peractum laudari poſſit. Hujus ſententiae auctor fuit Renatus [a] Villoclarus deliciarum regis arbiter, qui diſpar moribus Franciſco [b] Carnavenoio optimo regiae pueritiae olim moderatori ſucceſſerat, et ſoluto ad otium ingenio properantem principem incitabat: quae et ſententia vicit. Itaque dies profectioni dicta, praemiſſo Pomponio [c] Bellevreo, qui Caroli morte mandatum legationis exſpiraſſe cauſatus venia a ſenatu petita prius ſe in viam dedit, neceſſaria in itinere paraturus. Ipſe rex concubia nocte, ignaris neque tamen non aliquid ſuſpicantibus Polonis, Cracovia cum paucis XIV Kal. Quintil. egreditur; et poſtridie ad [d] Marcomannorum fineis pervenit. [e] Vidus Faber Pibracius ſecreti conſcius, qui praeiens ad ſacellum quoddam extra urbem dirutum praeſtolabatur, cum, equorum intellecto ſtrepitu, regem ratus, conſcenſo equo ſequi inſtitiſſet, ſecundo diluculo ad laevam, cum ad dextram deflectendum eſſet, infeliciter deerravit; et, in ſolitudines ac paludes delatus, jam re in urbe detecta, Polonis accurrentibus, et Gallos tanquam transfugas infeſtis animis proſequentibus, agreſtiumque manu ſe ad eos cum ſudibus, contis, haſtis, ligonibus conglobante, in loca impedita, qua denſiſſima erat ſilva, equo dimiſſo, abdit; diſſoniſque ruſticae plebis ſilvae nexus rimantis clamoribus territus in proximam paludem humeris tenus immittit, ubi ab arundineto circumſeptus, et caput ad incertos jaculantium ictus limoſa palude identidem mergens totis quindecim horis delituit. Tandem dilabente per tuguria plebe, ipſe relictis in coeno ocreis intecto capite prodit, et poſt vitatum hominum periculum comitibus amiſſis jam ferarum laniatibus expoſitus ſolo ſiderum fulgore duce occidentem verſus iter intendit, ac tandem via feſſus cum amne, cujus vadum neſciebat, ope divina trajecto, ad tugurium quoddam pane vili et cerviſia ſe refeciſſet, fortunatum iter perſequitur; et, cum vix ſe de via feſſus ſuſtineret, rheda procul conſpecta, quâ Staniſlaus [f] Karnicovius Pibracio ſumme amicus vehebatur, ad eam, cujus eſſet ignarus, vel cum certa pernicie accurrit; ab eoque rhedae imponitur. Is in magni regni Camerarii comitatu erat, qui regem abeuntem inſecutus, [g] Plezinae in regni et ditionis Auſtriacae confinibus vix tandem adſecutus, cum eum multis verbis, ut in regnum rediret, obteſtatus eſſet, rege minime exorato, poſt acceptum magni pretii ab ipſo annulum et viciſſim ſecto pugione brachio et exſucto ſanguine fidem magno ipſius regis ſtupore inviolabilem ipſi addixiſſet, Cracoviam redibat. Sed cum alii ſenatores, qui cum Karnicovio erant, Pibracium minis territarent, et tanquam fugae auctorem Cracoviam ad cauſam dicendam retrahere vellent, ille nihil turbato vultu ſumma ſe conſtantia defendit; neque inultas fore dixit, ſi quas ab ipſis accepiſſet injurias: et ita incredibili animi praeſentia periculum depulit, quod metus intendiſſet; commodataque a Karnicovio rheda, iter inceptum perrexit. Antequam rex diſcederet, hora nona pomeridiana Carolum [h] Danzaeum legatione Danica jam ſumma cum laude defunctum ad ſe accerſitum ſecreti participem fecit; juſſitque, ut in ſenatu ſuo nomine juſtas conſilii praecipitati cauſas exponeret, rogaretque proceres, ut, quod feciſſet, id tanquam neceſſitate factum excuſarent: nam ad eum literis perlatum, Condaeum cum numeroſo exercitu in eo eſſe, ut ex Germania in Galliam deſcendat: itaque periculo praevertendum exiſtimaſſe; quo diſcuſſo, in tempore rebus ipſorum conſulturus ſit: proinde ab ipſis petere, ut ex ſenatorio Ordine delectos ad ſe mittant in Italiam, aut Galliam, ſi jam ulterius ſit progreſſus, cum quibus de ipſorum republica ordinanda agat

INTERPR. [a] *de Villequier.* [b] *de Carnavalet.* [c] *de Bellievre.* [d] *Moravie.* [e] *Guy Du Faur, ſeur de Pibrac.* [f] *Karnkowski.* [g] *Plezin.* [h] *de Danzay.*

agat et decernat. In eam rem et literas ad ſenatum et regni Ordines eodem die rex CIƆIƆLXXIV.
dederat, et privatim ad epiſcopum [a] Poſnanienſem, ad [b] Sborovium Palatinum Cra- HENRICUS III.
covienſem, et [c] Wolkium procancellarium, ad Caſtellanum [d] Woinicenſem, et Nic. [e] Radevillium Olicae ducem et Lithuaniae tribunum. Secundum haec in ſenatu auditus [f] Danzaeus poſtquam regis mandata expoſuit, ſenatus ad ipſum dat literas; quibus, propter pericula regno imminentia et foedera cum vicinis principibus nondum renovata et indeciſa, cum ad revertendum in Poloniam enixe ac ſuppliciter hortabantur. Adhuc ac poſtridie ad Maximilianum Caeſarem ſcribunt; et, ne culpa clandeſtini diſceſſus in ſe, qui reges ac principes ſuos praecipua ſemper veneratione proſecuti eſſent, rejiceretur, eam a rege in eos, qui privato conſilio ad hoc factum impulerunt, derivant: Caeſaremque ad foederum et pactorum communionem, quae illi cum regno Poloniae intercedit, colendam invitant. Quas ad literas ſtatim Caeſar reſpondit, et adventum regis famam praevertiſſe dicit; de cetero foederum et pactorum fidem religioſe ſe ſervaturum pollicetur.

III. CUM rex Viennam veniret, Matthiam et Maximilianum Caeſaris filios cum magno ſtipatu obvios habuit, qui parentis nomine adventum gratulati ſunt; cumque jam urbi propinquaret, Caeſar ipſe duobus ab ea milliaribus cum LX curribus egregie inſtructis et CCC equitibus tumultuarie coactis obviam proceſſit, multaque benevolentiae ſignificatione inſperatum hoſpitem excepit, [g] Auguſta ipſa ad palatii limen procedente. Caeſarem prudentiſſimum juxta et optimum principem inter multa et egregia hoſpitalis magnificentiae ac benignitatis munera hoc regi conſilium dediſſe memorant, Ut pacem primis regni auſpiciis et in Galliae ingreſſu ſuis daret; ſic enim funeſtam praeteritorum memoriam ſepeliri poſſe, et eorum culpam in alium quemvis potius quam in ipſum rejectum iri: id vidiſſe Ferdinandum piae memoriae parentem ſuum, qui, poſt exhauſtos tot per ſe et ſub Carolo Caeſare fratre ad ſedandas Germaniae turbas et religionis diſſidia labores, cum armis irritatum potius quam curatum malum doleret, magno omnium Ordinum Imperii conſenſu et applauſu Germaniae eandem gratiam fecit; a quo tempore ſumma tranquillitas per univerſum Imperium fuerit. Injectus et per interpoſitas perſonas de conjugio Eliſabethae Caeſaris filiae et Caroli defuncti regis viduae cum novo rege in occulto ſermo; quem rex, qui cum bona Caeſaris gratia ab eo diſcedere cuperet, ita excepit, ut neque conditionem recuſare neque ejus ſpem certam facere videretur. Cumque rex convivio a Caeſare exceptus coram Vincentio [h] Trono reipublicae Venetae oratore ſe jam a multo tempore videndae tam famoſae urbis deſiderio teneri teſtatus eſſet, quod et explere ſperaret, id quam citiſſime per eum ſenatui renunciatum eſt; quod magnificis adeo apparatibus, quantum per temporis anguſtias liceret, ad tantum hoſpitem excipiendum faciendis occaſionem praebuit. Poſt aliquot dierum moram III Kal. Quintil. rex ad Poloniae ſenatum denuo dat literas; quibus et conſilium ſuum explicabat, et legatos ad ſe mitti, juxta mandata, quae Danzaeo dederat, petebat: ad quas ſenatores, qui Cracoviae erant, nono poſt die reſponderunt; et, excuſata paucitate eorum, qui tunc aderant, exempla literarum ad Ordines miſſuros ſe dicunt, ut ex eorum convocatione certius reſponſum ad ipſum dari poſſit: tum pro ejus incolumitate gratias Deo agunt, cumque rogant, ut omnia conſilia ejus et actiones fortunatiſſimis et glorioſiſſimis augeat ſucceſſibus. Rex Kal. Quintil. coeptum iter perſequi inſtitit, deducente eum Maximiliano cum Rodolfo Hungariae rege et Erneſto alteris filiis, qui Praga citatis equis ad eum ſalutandum venerant; et ad Caroli archiducis fratris fines perrexit, ab eo perinde honorifice ſuſceptus ac dimiſſus; et inde ad [i] Fori Julii limitem V Eid. Jul. venit,

INTERPR. [a] *de Poſen.* [b] *Zborowzki.* [c] *Wolzki.* [d] *le Caſtellan de Woiniez* al. *Woiniczki.* [e] *de Ratziwil, duc d'Olika, mareſchal de Lithuanie.* [f] *de Danzay.* [g] *l'Imperatrice.* [h] *Trono.* [i] *Frioul* al. *Frioli.*

CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III.

venit; obviumque habuit Hieronymum [a] Mocenicum provinciae praeſidem cum equitibus ꟾↄ ex nobilitate vicina egregie inſtructis; moxque ad eum venerunt Andreas [b] Badoarus, Joannes [c] Michaëlius, Joannes [d] Superantius et Jacobus [e] Foſcarinus, qui ſenatus nomine adventum gratularentur, et ei omnia prolixe deferrent. Rex, facto per [f] Oſopum munitiſſimam [g] Savornianorum arcem itinere, et [h] Danielis ſano pertranſito, ubi obvium Alſonſum Ferrariae ducem habuit, altero poſt die [i] Spilimbergum venit, tranſmiſſo [k] Taliamento per pontem ſeſtinato opere ſtratum, et ad [l] Sacilium poſtea hoſpitium habuit in Jacobi [m] Raggazoni aedibus; io quibus aliquot ante anoos [n] Bona Sfortia Poloniae regina in Apuliam tendens diverterat. Ibi ad eum venit Paulus [o] Foxius, nunquam mihi ſine honorifica praefatione dicendus, Romae, quo a Carolo rege oiiſſus fuerat, non ita digne habitus. Sacilio [p] Corneliaoum eodem die ventum; ubi mora biduum ſacta, ob pontem, qui [q] Timavo illic tranſmittendo impoſitus erat, ab imbribus intumeſcente fluvio disjectum; quo demum Valetii [r] Clericati Vicentini cura refecto, rex poſtridie [s] Tarviſium venit, a Bartholomaeo [t] Lipomano loci praeſide, qui duas equitum cataphractorum Alfonſi [u] Portii et Æneae [w] Pii Obicii turmas ducebat, ſuſceptus: et mox eques creatus ſuit. Inde [x] Margarum deductus; obi LX ſeoatores in togis purpuratis ſericis cum totidem cymbis purpureo ſerico item panno oroatis obvios habuit: quorum princeps erat Joanoes [y] Corarus, ouper legatiooe apud Caeſarem defunctus, et regi non ignotus, quod aliquando in Gallia reipublicae negotia procuraſſet. Ibi conſcenſo navigio inaurato et panno aureo inſtrato cum Alfonſo Ferrarienſi et Ludovico [z] Gonzaga Niveroii duce, qui nuper Polonia profectus, cum [aa] Paravii ad vulnus cruris curandum veniſſet, intellecta Caroli morte, ſtatim ante alios omneis ad oovum regem revolaverat, [bb] Muranum officinis vitrariis toto orbe celeberrimum veotum: quo loco paratae erant [cc] cymbae XL panno ſerico atro, ut luctui magis conveniret, velatae, ad Gallos deducendos, qui in dies ad regem undique coofluebaot. Dum Murani eſſet, Philippus Boocompagnus, cardinalis legatus ad id creatus, ad eum ſalutandum venit, et [dd] Vitus Dorimbergus Caeſaris apud Venetos orator.

IV. POST prandium ſereniſſimus reipublicae dux Aloiſius Mocenicus, nec non illuſtriſſimi ſenatores ad eum acceſſerunt, magno triremium et aliorum navigiorum inſolita magnificentia Inſtructorum comitatu; et deductum ad duo caſtella ſiſtunt, quae litus anguſtum, quod inter paludem maritimam, in quo civitas ſita eſt, et mare [ee] Hadriaticum praetenditur, dividunt. In eo arcus triumphales [ff] Palladii famoſiſſimi architecti induſtria erecti erant; ubi beatorum [gg] Ambroſii et Auguſtini hymoo a ſymphoniacis decantato, et uraniſcum regi VI S. Marci procuratoribus praeſerentibus, regem in [hh] Buceotaurum immanis magnitudiois uoo et altero tabulato diſtinctum navigium et inſolita magnificentia panoo ſerico aureo intertexto ornatum accipiunt. Inde, tormentorum iodeſioenti diſploſione et confuſis regem ſalutantium et advenienti bene precantium vocibus ac tympanorum buccinarumque ſonitu reboante paſſim aëre, ante B. Marci templum et palatium praetervectus rex magnum canalem ingreditur; et ad [ii] Foſcatioas aedeis admodum ſpatioſas, quae illius hoſpitio deſtinatae erant, exſtructo in canali ad faciliorem exſcenſionem ligneo pegmate, XVI Kal. Sextil. deducitur. Novem dierum ſpatio, tot enim in urbe commoratus eſt, nullum magnificentiae, laetitiae publicae, oblectamentorum ac ludorum genus non ei prolixe exhibitum, tanta tamque frequenti ſpectaculorum varietate, ut toto eo tempore vix

hora

INTERPR. [a] *Mocenigo.* [b] *Badouaro.* [c] *Micheli.* [d] *Soranzo.* [e] *Foſcarini.* [f] *Oſopo.* [g] *Signori Savorgnani.* [h] *San Daniele.* [i] *Spilimberga.* [k] *Tatamente* ou *Tagliamento.* [l] *Sacile.* [m] *Ragazzoni.* [n] *Bona Sforza regina di Polonia.* [o] *de Foix.* [p] *Conigliano.* [q] *fiume della Piave,* vulgo *la Brenta.* [r] *Chierigato.* [s] *Treviſo.* [t] *Lippomano Podeſta.* [u] *Porto.* [w] *Pio Enea degli Obizzi.* [x] *Merghera.* [y] *Corraro.* [z] *de Gonzague, duc de Nevers.* [aa] *Padoue.* [bb] *Murano.* [cc] *gondoles.* [dd] *Vito Dorimberghe.* [ee] *golfe de Veniſe.* [ff] *Palladio.* [gg] *le Te Deum.* [hh] *le Bucentaure.* [ii] *Palatio de Foſcarini.*

hora vel nocturna ab iis vacua praeterierit; collucentibus paſſim facibus ad feneſtras appoſitis. CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III. Praecipui honoris gratia a ſenatu delecti fuerant C e patritia nobilitate juvenes, qui regium latus tegerent, et, quod nobiles domeſtici apud nos faciunt, ad omnia miniſteria praeſto eſſent. Mirumque omnibus merito viſum fuit, homines principum maxime imperium exoſos, et nihil praeter communem reipublicae utilitatem reſpicienteis, tam cito muniis circa regem certatim et officioſe obeundis inſueviſſe, ut priſtinae, in qua educati fuerant, libertatis prorſus obliti, etiam eam in unius manus libenter conſignaturi viderentur. Sub id, cum Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux ad eum interim veniſſet, et poſtea Gulielmus Mantuae dux, cum iis, [1] legato pontificio, Ferrarienſi et Nivernienſi ducibus, publicis comitiis ante ſereniſſimum ducem ſedens rex interfuit; et ſumpto uno ex XXXVI [a] aureis ſuffragiis Jacobum [b] Contarenum ad [c] Rogatorum conſilium allegit, qui mox in magno concilio conſentientibus fere omnium ſuffragiis in eo munere confirmatus eſt: agentique gratias pro delato ſibi honore Contareno rex modeſte reſpondit, non ſibi ſed ſenatui agendas eſſe, qui dignitatem eam ipſius virtuti ac meritis, quae probe perſpecta habeat, detulerit. In eadem aula poſtea choreas ſpectavit; cum CC fere virgines ſeu florenti aetate matronae, patritia familia natae, et veſtibus ſericis albis indutae, inſuper gemmis et unionibus pretioſiſſimis ornatae, pavimento tapetibus [d] Aegyptiis ac Perſicis inſtrato, praeter oculos ejus numeroſis paſſibus, admiſta gravitati modeſtia ſimul et jucunditate, incederent. Sed alia omnia ſpectacula ſuperavit [e] navalis et armamentarii luſtratio; qui locus eſt in extrema urbis parte ortum verſus, muro praealto et turribus cinctus III milliarium ambitu, unica reipublicae toto orbe potentiſſimae et ſobrie per tot annos ſemper adminiſtratae arx et robur; ubi triremium et omnis apparatus belli armorumque ad inſtruendum quemlibet exercitum infinitum paene numerum, artificum inſuper et operariorum in fabricandis novis navibus, armis conficiendis, machinis conflandis et re omni ad rem militarem neceſſaria occupatorum cupidiſſime ſpectavit. Cumque in officina quadam ferraria parumper commoratus fabros galeam quatuor malleis in numerum et diſtincto temporum ſpatio tundenteis cum inſolita concentus ſuavitate et admiratione audiret, quidam ex procuratoribus non inſcite reſpondit, primam muſicam, auctore Pythagora, ex malleorum ictibus ortam ac perceptam eſſe. Totus dies ſingulis officinis viſendis inſumptus, cum ſummo mane rex navale, ubi et prandium ſumpſit, ingreſſus eſſet; cujus ſpatio ingens triremis, tabulis trabibus et aſſeribus ante praeparatis, ſubito conſtructa, et clavis ac pice coagmentata, omnique inſtrumento ita inſtructa eſt, ut ea conſcenſa rex, impoſitis in eam aliquot machinis ac diſploſis, ad aedeis ſuas deductus ſit. Tandem, repetito ſaepius colloquio, cum dux ſereniſſimus ſenatus nomine idem conſilium, quod Maximilianus, de pace in Gallia conſtituenda inſinuaſſet, rex urbe diſceſſit VI Kal. Sextil. et ad [f] Luciafucinam a principe, quem [2] adamante CIƆ CC aureis aeſtimato donavit, et univerſo ſenatu commeatum humaniſſime petiit: et inde [g] Patavium perrexit; ubi a Victore Bragadino pari magnificentia exceptus eſt, comitantibus ſemper eum quatuorviris, quos ad eum

Forum

INTERPR. [a] *ballottes dorées.* [b] *Contarini.* [c] *Pregadi.* [d] *Cairins.* [e] *l'Armamento e l'Arſenale.* [f] *Lizza fuſina.* [g] *Padoue.*

NOT. [1] De pontificio legato hoc addit ſingulare Andraeas Maurocenus, Hiſtoriae Venetae lib. 12. an. 1624. Bucentauro excellentis formae navigio, quod anniverſario tantum maris ſolemnibus priſco inſtituto adhibetur, excipi non modo cupiebat, verum etiam flagitabat (legatus pontificius:) ſed, ne honor regi debitus aliqua in parte minus illuſtris evaderet, floſque publicae liberalitatis decerperetur, id cardinali concedi minime potuit. *Put. L.*

[2] De hoc adamante hoc etiam peculiare ſcribit idem And. Maurocenus, eodem libro 12. Venetias principi redeunti, Henrici nomine praecellenti forma adamas delatus eſt: quem initio accipere abnuens, cum moleſtum id regi futurum cognoviſſet, acceptum ſenatui detulit; cujus decreto loculo aureo in candentia lilia aſſurgenti impoſitus, inter gemmas aliaque pretioſa, quae in aurea Baſilica ſecretiori loco aſſervantur, relatus eſt. *Put. L.*

CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III.

[a] Forum Julii praemiſſos diximus, donec [b] Rodiginum venit, ubi Alfonſi Ferrarienſis equitatum obvium habuit.

V. FERRARIAE ſumma item magnificentia exceptus; inde Romam Paulum [c] Foxium remiſit, qui pontifici ob tam honorificam legationem gratias ageret: quo munere ille defunctus, per Etruriam et Genuam iter fecit, ac maximis quam potuit itineribus regem jam progreſſum [d] Auguſtae Taurinorum aſſecutus eſt. Cum rex adhuc Ferrariae eſſet, ad eum [e] Guidus Ubaldus Urbini dux venit, Franciſci famoſi illius ducis filius, qui paulo poſt fatis conceſſit III Non. Octobris. Venit et Jacobus Boncompagnus, pontificis [α] naturalis filius, eccleſiae gubernator: Alexander item Farneſius; qui, Octavii patris morbo, quo minus ad ipſum ſalutandum acceſſiſſet, excuſato, eum, ut Parmam veniret, illius nomine plurimum rogavit. A [f] Joanne Auſtrio et venere legati, qui regem [g] Mediolanum invitarent. At ille navigio regie inſtructo Ferrària Mantuam proficiſcitur III Non. Sextil. ubi ſumma magnificentia a Gulielmo duce exceptus eſt, oblatis urbis clavibus, quas recuſavit, et praecipuis e nobilitate [h] uraniſcum incedenti praeſerentibus. Ibi, acceptis a regina literis, quibus ejus reditum urgebat, unum tantum diem inſumpſit; et omiſſis venatoriis ſpectaculis, quae Gulielmus tanto hoſpiti oblectando paraverat, [i] Eridano adverſo Auguſtam Taurinorum delatus eſt IX Kal. Sept.

VI. INTEREA apud nos, capto [k] Danfronii [l] Mongomerio, et nequicquam de deditione fani [m] Laudi ſolicitato [n] Columbario, [o] Matignonus occupatis ſuburbiis tormenta XXII admovet; quorum diſploſione ingenti ruina edita duobus locis, inter turrem [p] Roſae dictam et turrem Bellogardam, IV Eid. Jun. ad Roſae turrem cum parte copiarum fit impetus, a defenſoribus magna vi repulſus, cum damno regiorum: tum redintegrata verberatio; et, ruina magis complanata, recenteis in eam eniti jubet Matignouus: ibi obſtinatis animis utrinque diu pugnatum, repetito ter certamine; ſed quarto tandem et ultimo impetu, cum Columbarius ſariſſam tenens in primis ordinibus acriter diu certaſſet, accepto in oculo ſcloppeti, qui ad cerebrum uſque penetravit, ictu, enectus eſt. Quo caſu conſternati praeſidiaril, qui hactenus ducis ſui exemplo confirmati gnaviter pugnaverant, cum in eo eſſent regii ut ſe reciperent, amiſſis cum duce animis, ruinam deſerunt huc illuc dilapſi. Tum irrumpentes regii vacuum defenſoribus locum occupant: CC fere, qui obvii facti ſunt, occiſi; ceteri capti: quidam et ex noſtris deſiderati, plures ſauciati, quibus curandis cum aliquot dies inſumpſiſſet Matignonus, Joannem [q] Calvimontium Quitrium, qui [r] Carentanum oppidum ſitu et arte infirmum cum CCCC praeſidiariis tenebat, de deditione itidem ſolicitari jubet. Is vero, quamvis animi ingens, ſed prudentia non minor, cum nullam auxilii ſpem videret, et reliquias Proteſtantium eo loco contractas ad manifeſtam perniciem objicere nollet, honeſtis conditionibus, quas regina ratas habuit, cum Matignono tranſegit. Nobiles ac ordinum ductores cum equis et enſibus, milites cum ſcloppetis dimiſſi, data domum cuique ſuam concedendi facultate. [ſ] Lorgeus tantum Mongomerii filius retentus, parumque abfuit, Lutetiam cum patre miſſus: qui tamen ope quorundam ex noſtris aufugit, et [t] Crociliaci infra [u] Namnetes in Armorica conſcenſo navigio [w] Rupellam ſe ad Franciſcum [x] Lanovium contulit. In Pictonibus longe res pejore loco erant; ubi Joannes Baptiſta [y] Vadagnius, nuper e Polonia reverſus et a regina Armanno [z] Guntaldo Birono adminiſter datus, nihil non cum ipſo Birono agebat, ut, dum rex in Galliam adveniret, omnia ſuſpenderentur. Nam

ambitioſa

VAR. LECT. [α] nothus filius *D. f.*

INTERPR. [a] *Friuli.* [b] *Rovigo.* [c] *de Foix.* [d] *Turin.* [e] *Guidobaldo, duca d'Urbino.* [f] *Don Juan d'Auſtria.* [g] *Milan.* [h] *le Dais.* [i] *le Pe,* [k] *Donfront.* [l] *le comte de Montgomery.* [m] *S. Lo.* [n] *de Colombiers.* [o] *de Matignon.* [p] *tours de la Roſe & de Beauregard.* [q] *de Chaumont, ſieur de Quitry.* [r] *Carentan.* [ſ] *de Lorges.* [t] *le Croiſil.* [u] *Nantes en Bretagne.* [w] *la Rochelle.* [x] *la Noüe.* [y] *Gadaigne.* [z] *de Gontaut de Biron.*

ambitioſa foemina ab iis, qui circa eam erant, perſuaſa, belli cogitationem jam animo CIↃIↃLXXIV.
induerat. Id autem illi faciebant, non tam quod operae pretium inde in rem com- HENRICUS III.
munem aliquod ſpectarent, quam ut eorum, qui cum rege erant, eumque ad pacem hortari intelligebant, gratiam et auctoritatem contrariis conſiliis everterent. Itaque licet in ſpeciem conſilia ſe quietis amplecti ſimularent, re vera moram Proteſtantium conatibus tantiſper injici, dum rex adveniſſet, quam pacem fieri malebant. Nec fruſtra fuit, quam Vadagnius in eo negotio adhibuit, diligentia; quippe cui cum Lanovio, viro probo, et, quanquam belli ſtrenuo duce, tamen a bello civili maxime alieno, res eſſet; qui ſibi perſuaderi facile paſſus eſt, id ſerio agere reginam, ut pax novi regni auſpiciis conſtitueretur; quod cum propria auctoritate non poſſet, expectandum eſſe regis adventum, in quem ne interim animi exaſperarentur, omnia per inducias ſuſpendi deberent. Eam autem reginae voluntatem ex ſuo ingenio aeſtimabat vir optimus, et patriae ſalutis ſtudioſiſſimus, qui, quod et regiae auctoritati et publicae utilitati expedire ſciret, id reginam et qui circa eam erant unice expetere arbitrabatur. Itaque cum Bironus, Philippus Strozzius, Philippus [a] Frezeus Frezelerius et Vadagnius inde nomine regentis, inde Lanovius et Franciſcus [b] Pontius Mirambellus ad [c] Thereum III a Rupella leucis conveniſſent, VII Kal. Quintil. poſt rem ultro citroque agitatam, tandem inter eos placuit, modo id regenti placeret, ut induciae in duos menſeis proximos pangerentur, quae ineunte Quintili inciperent, et exeunte Sextili deſinerent; easque rex per totum Septembrem, ſi ita videretur, prorogare poſſet: quibus induciis comprehenderentur [d] Pictones, Engoliſmenſis ager, Alnetenſis pagus, Rupella et Santones; earumque beneficio etiam quae vellent aliae regni provinciae frui poſſent: et, ut vexationibus militum ad ſtipendia exigenda diſcurſantium temperaretur, pacta in ſingulos menſeis XII CIↃ aureorum, quibus Proteſtantium praeſidiarii alerentur, et ita a maleficio abſtineretur. Jam ante Henricus Momorantius [e] Damvilla Septimaniae praeſes, cum, poſt fratrem in carcerem conjectum, etiam de ſe capiendo aut quavis ratione e medio tollendo a regina initum conſilium per amicos reſciviſſet, ob idque [f] Sanſulpitium et Villaregium miſſos interpretaretur, poſtquam [g] Sarram Martinengum cum mandatis regis id diſerte jubentis [h] Avenionem ad illos veniſſe cognovit, nihil amplius cunctandum ratus, Proteſtantium ultro operam ſuam deferentium benevolentia tanquam ſibi neceſſaria uti ſtatuit, a [i 1] Sanromanio et Clauſonio viris ſummae inter Proteſtantes his in locis auctoritatis ad id eum ſolicitantibus: et tamen ſimulationem adhuc ſervans inducias cum iis paciſci ad praeſens ſatis habuit, IV Kal. Jun. promulgatas; quas mox ſenatus Toloſanus Damvillae ob ſuſpicionem de conſiliis cum Proteſtantibus communicatis infeſtus, ut ſine mandato factas, decreto abrogavit, easque promulgari aut ſervari prohibuit. Id actum XIII Kal. Julias: quo eodem die cum Damvilla tanquam provinciae praeſes Ordinum conventus [k] Monpelii, ubi degebat, ad VI Non. menſis inſequentis indixiſſet, ſenatus auctoritatem ſuam interpoſuit; et praefectis, conſulibus et civitatum adminiſtratoribus, ne ad mandatum citati convenirent, S. C. injunxit. Eodem tempore Sanſulpitius et Villaregius, acceptis mandatis a Martinengo allatis, cum Damvillam in poteſtate habere non poſſent, quod proximum erat, de ipſius auctoritate per provinciam abroganda cogitare coeperunt: quod illis perfacile fuit, infeſto ſenatu et annitentibus Gulielmo [l] Iouſa comite Damvillae legato, Jacobo [m] Cruſſolio Uticenſi duce, Georgio [n] Armeniaco cardinali, Franciſco

INTERPR. [a] *Freſeau, ſieur de la Freſeliere.* [b] *Pons, ſieur de Mirembeau.* [c] *Theré.* [d] *Poictou, l'Angoumois, pays d'Aunis, la Rochelle, & Saintonge.* [e] *le mareſchal de Damville, gouverneur de Languedoc.* [f] *de S. Sulpice, & de Villeroy.* [g] *le comte Sciarra Martinenge.* [h] *Avignon.* [i] *de S. Romain, & de Clauſonne.* [k] *Montpellier.* [l] *de Joyeuſe.* [m] *de Cruſſol, duc d'Uſez.* [n] *le cardinal d'Armagnac, F. de la Baume comte de Suze, de Maugiron, R. de Pavie ſieur de Fourquevaux, le baron de Rieux, & Ant. de Levis, ſieur de Quelus.*

NOT. [1] S. Romain avoit été archevêque d'Aix, ou il eut pour ſucceſſeur le cardinal Laurent Strozzi, qui fit ſon entrée le dimanche 9 Avril 1568. V. Gall. Chriſt. T. 1. p. 332, 333. S. Romain mourut l'an 1578.

Franciſco Balma Suſae comite, Maugirono, Raimundo a Papia Furcovallio, Riuſio et Antonio Levio Quelufio, aut inimicis, aut gratiam reginae inde captantibus. Nec longe hinc in Delfinatu bellum acerrime gerebatur Franciſci [a] Borbonii Arvernorum Delphini ductu; cujus ex prima acie per laxa hoſpitia ſecurius excurrente [b] Monbrunius cccc delectos ad internecionem ad [c] Roianum pontem paulo ante ceciderat. Verum is caſus clade Proteſtantium ad [d] Diam Vocontiorum, quam [e] Glandagius tenebat, ſtatim penſatus eſt. Nam, cum Monbrunius conſilium de intercipiendo oppido cepiſſet, conſcio Glandagii filio, qui tunc ejus partes ſequebatur, is rem patri, cui reconciliari eo facinore cupiebat, aperit. Admotis noctu ſcalis, hoſtis multis ex ſuis amiſſis ac ſauciatis depulſus eſt; et [f] Loriolum conceſſit. Statim et Delphinus, ut recentem adhuc injuriam ulciſceretur, [g] Aleſium exiguum oppidum obſidione cingit, et admotis tormentis pulſat: tum impetus a regiis fit, quem praeſidiarii ſumma virtute repulerunt: ſed redintegrato impetu, cum ſe impares viderent, in arcem confugiunt; qua aſtu intercepta, et incendio forte excitato, pars defenſorum e rupe praecipitati, pars flammis conſumpti ſunt. Inde ad [h] Oſtum ducit Delfinus, Dromae impoſitum oppidum, diſploſiſque tormentis murum aperit: ſed noctis ſuperventu cum oppugnatio in craſtinum dilata eſſet, interea praeſidiarii ad ſuſtinendum impetum impares noctis beneficio uſi per avia gnari locorum dilabuntur, nemine fere e ſuis amiſſo. Hi ſucceſſus cum regiis animos feciſſent, de [i] Liberone Valentinae dioeceſis oppido obſidendo etiam captum conſilium fuit; quo Delfinus IX Kal. Quintil. duxit, et poſt violentam pulſationem idonea ruina edita impetum magna vi fecit, majore a defenſoribus repulſum. Sed cum Monbrunio, qui Loriolum tenebat, inde crebro in [α] caſtra a tergo excurrente regii infeſtarentur, et inde a fronte proſperis obſeſſorum eruptionibus, ſigno uno forte capto et tormento clavis confixo, peteretur, Delfinus undique veluti ipſe obſeſſus, pulvere deficiente, obſidionem ſolvere coactus eſt, et in proxima praeſidia feſſum militem ad tempus dimittere. Diverſa parte in [k] Vivarienſi agro [l] Santhomaſius ſani Laurentii praefectus [m] Veſſalium, quod a Proteſtantibus tenebatur, inter [n] Privatum et Albenacum intercepit: mox praeſidiarii elapſi duce [o] Rupigudo locum amiſſum nulla interpoſita mora repetunt, et noſtros praedae intentos ac de hoſte ſecuros opprimunt, auxiliareiſque [p] Lavallo Petrocorio ductore eo accurrenteis caedunt. Eodem tempore [q] Petrogurdius [r] Chalanſonum et Sanromanius [ſ] Annoniacum occupant, et valido praeſidio, regiis dejectis, firmant; et inde [t] Nemauſum concedunt.

VII. DUM haec agerentur, Mongomerius exeunte Maio [β] Lutetiam ductus, cum cauſam in vinculis dixiſſet, ſenatus decreto tanquam perduellis ad mortem damnatur. Antequam ad ſupplicium duceretur, quaeſtioni violentae ſubjectus, ut conjurationis, quae obtendebatur, a Colinio poſt vulnus acceptum paulo ante mortem contra regem initae et poſtea ab Alençonio et Navarro repetitae conſcios detegeret, tormentorum cruciatus ſumma patientia tulit, nihilque quod indignum ſe eſſet confeſſus eſt: cumque plauſtro per urbem, circumfundente ſe turba, veheretur, ad circumſtanteis imperterrito vultu identidem reſpiciens, et, ut pro ſe ad Deum preces funderent ſubinde rogans, pari conſtantia mortem pertulit, ante urbanas aedeis in publica platea ſecuri percuſſus VI Kal. Quintileis: tantum, cum e cuſtodia ante judices interrogandus ſiſteretur, auguſtum illum conſeſſum veritus, ingenue confeſſus dicitur, ſe, qui tot hoſtium numeroſas

VAR. LECT. [α] regia caſtra. [β] praeter datam a Matignone fidem, Lutetiam *D.f. ſed verba hic addita in iſtius codicis erratis delentur.*

INTERPR. [a] *de Bourbon, Dauphin d'Auvergne.* [b] *de Montbrun.* [c] *pont de Royans.* [d] *Die.* [e] *Glandages.* [f] *Loriol.* [g] *Alex.* [h] *Hoſte* aſſiſe ſur la Riviere de Drome. [i] *Livron.* [k] *le Vivarais.* [l] *le ſieur de S. Thomé* (chateau à une lieue & demi à l'Oueſt de Viviers) *gouverneur de S. Laurent.* [m] *Veſſaux.* [n] *Privas & Aubenas.* [o] *Charles de Barjac, ſieur de Rochegude,* qui eſt un chateau à cinq lieues d'Uſés dans la paroiſſe de S. Privat de Riviere. [p] *le capitaine Laval di Perigort.* [q] *de la Marete, ſieur de Pierregourde.* [r] *Chalençon.* [ſ] *Annonay.* [t] *Niſmes.*

numeroſas acies intrepidus ſpectaſſet, ad inermium virorum conſpectum et animo et corpore toto cohorruiſſe. Hic exitus fuit Gabrielis comitis Mongomerii multis expeditionibus ſumma celeritate confectis clari, qui ante xv annos Henricum II in ludicro certamine imprudens lethali vulnere laeſerat, ob id calamitatis publicae invidia potius quàm proprio crimine onerati. Nam, quod illi perduellionis affictum eſt, aut ſuperioribus edictis aut data nuper fide remiſſum fuerat: ſed hoc impotenti regentis deſiderio condonatum, quae hominem regia morte piacularem quavis ratione poenae dedi poſtulabat: ut hoc inſigni exemplo omnes diſcant, ſolo caſu, non tantum conſilio, nocenteis effici, quicunque vel imprudentes perniciem principibus attulerint. CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III.

VIII. JAMQUE dies quadrageſimalis luctus praeterierat, quo corpore regis defuncti in arcam plumbeam recondito ejus effigies ritu recepto in caſtro [a] Vicenarum ad publicum ſpectaculum expoſita fuerat, quae deinde currui impoſita regali pompa ac comitatu ad fanum [b] Antonii primo ab urbe lapide ſiſtitur; ubi ſacris de more celebratis, poſtridie majori pompa, ſenatu ipſo in togis purpureis propius effigiem incedente, in urbem funus IV Eid. Quintil. introducitur; et poſt ſacrum ad B. [c] Mariae peractum Arnoldus [d] Sorbinus Santafidius, qui et vitam regis optime de ſe meriti peculiari libro deſcripſit, mortuum laudavit: eademque pompa fanum [e] Dionyſii, quod eſt auguſtiſſimum regum Galliae mauſoleum, eodem die deductum funus; ac poſtridie poſt habitam alteram a Sorbino orationem corpus humo mandatum, ſacra peragente cardinali Lotharingo opulentiſſimi coenobii illius praeſule.

IX. INTEREA a Condaeo ad ſocios per [f] Septimaniam ſparſos venere literae fiduciariae Heidelberga Kal. Jul. ſcriptae; quibus, laudata eorum conſtantia, pecuniam ad delectus habendos promiſſam petebat, facta ſpe de auxiliaribus copiis propediem e Germania ſuo ductu adventuris. Nec multo poſt ſcriptum edit IV Eid. ejuſdem menſis; quo de recta animi ſui ſententia coram Deo, angelis ac univerſi orbis principibus proteſtabatur, et conſilii ſui rationes explicabat; exaggeratiſque Alençonii et Navarri quieti ſtudentium injuriis, eam ſibi, ac ceteris etiam a ſua religione alienis, qui ſecum conſilia conjungerent, mentem eſſe dicit, ut ſecuritati publicae ac privatae conſulerent, et ſe violentorum hominum, qui regium nomen privatis affectibus praetexentes violatis edictis pacem publicam conturbant, conatibus opponerent. Nec multo poſt [g] Milialdi in Rutenis eccleſiarum Septimaniae, Aquitaniae ac Delfinatus delegati convenerunt, ut in commune conſulerent, et de conditionibus, quibus cum Damvilla foedus jungeretur, agerent. Ibi perſcripta capita XVII Kal. Sextil. et jacta unionis inter Catholicos qui [h] Politici dicti ſunt, et Proteſtanteis ineundae fundamenta. Inter capita hoc praecipuum erat; ut Condaeus, qui dux belli deligebatur, coram eorum delegatis, Palatino ſeptemviro et Joanne Caſimiro ejus filio praeſentibus, jurare teneretur, ſe in Proteſtantium publica de religione profeſſione perſeveraturum, regni Dei propagationem omni ope promoturum, omnium ordinum in florentiſſimo quondam regno per diſcordias civileis confuſorum, tam in privata juriſdictione quam publica adminiſtratione, inſtaurationem ac diſciplinam nullo utriuſque religionis diſcrimine procuraturum: operam inſuper daturum, ut ante omnia tam Alençonius ac Navarrus quam Momorantius ac Coſſaeus equitum tribuni libertati priſtinae reſtituerentur; et, ſi quidem conjurationis nuper adverſus regem initae conſcii fuiſſe arguerentur, a Condaeo coram non ſuſpectis judicibus ſiſterentur: tum ipſe regni adminiſtrationem, ut proximus regi agnatus, ſuſciperet; quam regi, cum primum in Galliam veniſſet, aut Alençonio, ſi quidem ille ante regis adventum liberaretur, reſtituere teneretur:

INTERPR. [a] *Vincennes.* [b] *S. Antoine.* [c] *Noſtre Dame.* [d] *Sorbin de Ste Foy.* [e] *S. Denis.* [f] *Languedoc.* [g] *Millaud en Rouergue.* [h] *les Politiques.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

teneretur: procuraturum item, ut primo quoque tempore regni libera comitia convocentur; ex quorum ſententia de ſumma decernatur. Additae quaedam leges ad civilem adminiſtrationem et militarem diſciplinam pertinentes. Haec quam citiſſime potuit ad Condaeum, qui tunc [a] Argentinae erat, tranſmiſſa ſunt; qui poſtea ad regem dedit literas, quibus proteſtationis ſuae exemplum ad ipſum mittebat; rogabatque, ut quod feciſſet in bonam partem acciperet: nam experientia comperturum eum, nullos ſe, et qui in eadem ſecum conditione ſunt, regii nominis ac quietis publicae ſtudioſiores eſſe. Quod rurſus alteri conventui Milialdi Sextili menſe habito occaſionem praebuit. Eo a Rupellanis [b] Ladiſlaus Vicinus Popelinerius, cui hiſtoriam harum rerum hactenus debemus, et N. [c] Faber Tillerolius miſſi; accepta a Birono publica cautione, quae illis non mediocrem apud ſuos invidiam creavit. Id autem ab illis factum, cum, ne ſe in communi cauſa a ceteris regni provinciis ſeparare viderentur, tum ut, ſi poſſent, eos ad pacis conditiones amplectendas hortarentur. In eam rem Popelinerius orationem apud eos habuit; et, ut legatos de pace ad regentem mitterent, poſtulavit: ceterum conventus diverſa ſententia fuit; qui veriti, ſi legatos mitterent, ne rebus jam ad bellum paratis conſilia ipſorum et animi ea mora refrigeſcerent, laudatis Rupellanorum legatis, ad id quod inſtabat attenderunt. Igitur ibi retractatae foederis cum Damvilla et ſociis a Proteſtantium religione alienis, ſed in pace regni procuranda conjunctis, conditiones, novis additis. In eodem conventu et publicatum v Eid. Sextil. ſcriptum proteſtationis inſtar; quo, invidiam rebellionis ac ſeditionis a ſe amoliri cupientes, in hoc ſumpta arma dicunt, ut conſcientiarum libertati, vitae ac fortunarum ſecuritati proſpicerent; primo quoque tempore deponenda, cum, ex comitiorum legitime auctoritate regia aut alterius ad id poteſtatem habentis per regis abſentiam juſſu convocatorum ſententia, pax publice ſancietur; quietis perturbatores caſtigabuntur, quae prave inter privatos in jure dicundo ac reliqua civili adminiſtratione invaluerunt, juxta regni leges et antiquas ac recentes principum noſtrorum conſtitutiones emendabuntur.

X. QUAE dum fiunt, res in [d] Pictonibus et locis vicinis ſubito turbavere, violatis induciis, quae in duos menſeis pactae vix totum menſem ſervatae ſunt. Nam ineunte Julio [e] Luſiniani praeſidiarii Pictonicos delectus, dum ad ſigna citati conveniebant, diſturbarunt; et eodem tempore, qui [f] Fontenaium-comitis tenebant, in [g] Namnetcis uſque excurſione facta cIↃ fere ſcloppetarios delectos, in queis plerique e nobilitate Armoricana erant, deleverunt, captis duobus ſignis. In [h] Petrocoriis [i] Monferrandus Langoranus, qui [k] Veſunam provinciae caput tenebat, duas peditum cohortes, quas [l] Montaltus ducebat, ad internecionem concidit. Igitur regens, quae bellum animo meditabatur, quamvis pacis ſpem per literas paſſim ad praefectos datas faceret, cum procellam majorem opinione in dies praeſagiret, aliquandiu impetum ſuſtinuerat, dum vireis colligeret: quibus coactis dum adverſam factionem praecipitata vi opprimere cupit, in bellum inextricabile ſe induit. Igitur exercitus [m] Salmuriae, loco propter [n] Ligeris et aliorum amnium tranſitum idoneo, convenire juſſus, duce Ludovico Borbonio Monpenſerio; ad quem ſe junxerunt Franciſcus [o] Regius Chavignius, Joannes Leomontius Pigallarius, Jac. Claromontius Buſſius Amboſianus, Franciſcus Pleſſius Richelius, et alii magno numero: luſtratoque exercitu numerata ſunt bellatorum x cIↃ et xviii machinae. Cum his copiis Monpenſerius Kal. Sextil. [p] Monſtrolium-Bellaii primis caſtris et alteris [q] Ervallium venit. Nec Proteſtantes ceſſabant; qui per inducias ad omneis caſus intenti, cognito Monpenſerii adventu,

INTERPR. [a] *Strasbourg.* [b] *Lancelot Voiſin, ſieur de la Popeliniere.* [c] *le Fevre,* dit *Tillerolles.* [d] *Poictou.* [e] *Luſignan.* [f] *Fontenay-le-Comte.* [g] *Nantes.* [h] *Perigort.* [i] *de Montferrand, baron de Langoiran.* [k] *Perigueux.* [l] *Montal.* [m] *Saumur.* [n] *la Loire.* [o] *le Roy ſieur de Chavigny, J. Leomont de Puy-gaillard, Jacques de Clermont de Buſſy d'Amboiſe, F. du Pleſſis ſieur de Richelieu.* [p] *Monſtreuil-Bellay.* [q] *Ervaux.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

adventu, primi ipſi arma intentant, et duce Ludovico [a] Sangelaſio [b] Maxentii fanum aſtu capiunt; in eoque collectum copioſum commeatum propere Luſinianum important. Quo facto Sangelaſius, jam propiore facto Monpenſerio, cui viribus impar erat, Maxentii fanum ſitu et arte debile oppidum deſerit: cui praeſidio impoſito, Monpenſerius Luſinianum verſus iter flectit; cumque [c] Volii eſſet, cum ducibus, quo ducendum cenſerent, deliberat: et placuit, omiſſo in praeſens Luſiniano, cujus obſidionis eventus et periculoſus et incertus eſſet, ut Fontenaium duceretur, oppidum Rupellae, cui incommodare in animo habebat, propinquius, nondum munitionibus firmatum, et hyeme propter paludes inacceſſum; quod, longiore mora conceſſa, ſi ab hoſtibus firmaretur, ingruentibus per hyemem pluviis inexpugnabile redderetur. Multa in eam rem a circumpoſiris oppidis collata et ingens promiſſa pecunia: et, quia non repraeſentabatur, fidejuſſores dati; quorum fidem ſecutus [d] Almericus Burgundio opulentus [e] Niortii mercator annonam exercitui ſubminiſtrandam ſuſcepit. Quae dum apparantur, ne nihil ageret interea Monpenſerius, [f] Foreſtum ad Seuram, [g] Cerveuſium et Aluetum arces in poteſtatem redegit. Inde [h] Melleum ducit, quod [i] Tornacupius cum exiguo numero tenebat; qui, quod tormenta admoveri paſſus eſſet, capta arce in furcam cum XII militibus actus temeritatis ſuae poenas luit. Miſſus dein Chavignius, qui cum IↃ equitibus medium ſe inter [k] Maranenſem inſulam et Rupellam poneret. Philippus [l] Caſtrobriandus Rupibaritonius cum Joannis [m] Bellomanerii Lavardini et Joannis [n] Coëmii Lucaci legionibus, [o] Ruſſerii, [p] Bruerii et Belliloci cohortibus in inſulam impetum facere jubetur: quo in conflictu [q] Palearius ordinum ductor interfectus eſt. Proteſtantes initio inſulam defendere decreviſſe videri volebant: ſed cum tuendo loco natura infirmo ſe impares viderent, cum melius conſulti deſerunt; et per [r] Beraldum canalem ſe Rupellam recipiunt. Inſulae ſervandae a Monpenſerio impoſitus Ruſſerius cum Bruerii et Belliloci cohortibus. Sub id inroductus Rupellam Petrus [s] Briſſonius Boſſerins Fontenaienſis, Barnabae, qui poſtea apud nos ſummas dignitates tenuit, ſed non plus dignitate quam ingenio et eruditione praeſtantis viri diſpar frater, homo vanus ac temerarius; qui reginae nomine multis verbis perſuadere oppidanis conatus eſt, ut conditiones antea a [t] Vadagnio oblatas acciperent, et quietis conſilia ſequerentur, nec relictis iis Galliam turbatam quam pacatam mallent: in eam rem additae preces, et tanquam de patria ſalute ſoliciti monita. Sed cum ea apud homines ſuſpicaces et jam ſaepius parum ſinceram illorum, qui cum ipſis egerant, fidem expertos parum valerent; majore fiducia an impudentia incertum, ipſum Lanovium aggreditur, a Joanne [u] Haio Pictonum praetore, de quo dixi, quique jam aliquot equitum globum penes ſe habebat, perſuaſus: qui, quod viro probo aliquoties ſua vafritie impoſuiſſet, tam facile eum corrumpi quam decipi poſſe exiſtimabat. Verum magnifica promiſſa ingerenti et magnam pecuniae vim regentis nomine offerenti modeſte Lanovius reſpondit; nihil ſibi praecipuum ac ſingulare a communi cauſa eſſe: ſe pro conſcientiarum libertate et regiorum edictorum auctoritate arma ſumpſiſſe, quae, quamprimum idonee ſibi ac ſociis cautum fuerit, ſine conditione depoſiturus ſit: porro ſcire illum debere viri nobilis et qui pudori ac decori vitam ſemper poſthabuerit fidem nullo pretio aeſtimari poſſe. Ita Boſſerii non ſolum irritus, ſed ridiculus conatus evanuit.

XI. EODEM tempore [w] Caſtra capra, id civitati in Albigenſi agro nomen eſt ad [x] Gudum ſitae; in cujus adverſa ripa eſt [y] Villa ad Gudum, quae hodie cum civitate conjungitur,

INTERPR. [a] *de S. Gelais.* [b] *S. Maixent.* [c] *Vouille.* [d] *Amaury Bourguignon.* [e] *Niort.* [f] *la Foreſt ſur Seure.* [g] *Cherveux & Aunay.* [h] *Melle.* [i] *Tournecoupe.* [k] *Marans & la Rochelle.* [l] *de Chateaubriand des Roches Baritaut.* [m] *de Beaumanoir, ſieur de Lavardin.* [n] *de Coëme, ſieur de Lucé.* [o] *la Rouſſiere.* [p] *des Bruieres, & de Beaulieu.* [q] *le capitaine Paillerie.* [r] *Beraud.* [s] *la Boiſſiere Briſſon de Fontenay-le-Comte.* [t] *l'abbé Gadaigne.* [u] *la Haye, lieutenant general de Poictou.* [w] *Caſtres en Albigeois.* [x] *riviere de Goud.* [y] *Ville-Godou.*

CIↃIↃLXXIV. conjungitur, amne medio et duabus molatrinis ad utramque ripam exſtructis; quarum
HENRICUS III. ea, quae villam reſpicit, cum munimento connectitur, muro intermedio: nec longe hinc XXX circiter paſſibus extra urbem [a] Rupicorbii Caſtrenſis civis aedes ſunt, ex lapide et opere latericio ſtructae; quae tamen nulla foſſa aut lateribus firmatae ſpeciem arcis urbi imminentis exhibent: de cetero locus haud admodum firmus erat, muro e terra fere, nam rari ibi lapides ſunt, cinctus, et turribus per intervalla diſpoſitis diſtincto, et foſſa haud admodum profunda vallato. In eo cum praeſidio CC Corſorum et duobus Gallorum ſignis ac totidem oppidanorum erat [b] Sanfelicius, qui [c] Cruceio ſucceſſerat, Proteſtantibus inde dejectis. [d] Seriniacus Terrida, cum [e] Milialdo poſt conventus, quibus interfuerat, ſolutos diſcederet, cum Aſtaraco [f] Fonterallio, Joanne Antonio [g] Levio Odoſio, [h] Verglaco, [i] Monbetonio, L. [k] Vicino Popelinerio; a foederatis, qui rari per ea loca ſparſi tantum [l] Podium Laurentii, Soreſium, fanum Pauli et Damiatam tenebant, rogatus, de urbe intercipienda conſilium capit, paulo ante fruſtra a [m] Paulini vicecomite tentata. Ex vicinis praeſidiis ad IↃCCC ſcloppetarii et CC equites evocati, ductoribus [n] Senega fani Pauli et [o] Demio Damiatae praefectis, cum quibus Seriniacus ante ortum ſolis horis urbi propinquat; diſpoſitiſque juxta foſſam, quae [p] Villae molatrinam cingit, copiis, ſcalas admovet; priorem ad munimentum, alteram qua miles in ſummam molatrinam eniteretur. Cum in ſummum munimentum evaſiſſet, muro illo intermedio, quo minus in urbem deſcenderet, prohibitus eſt: cumque pondere certatim ſuccedentium militum ſcala confracta eſſet, non tamen ab incepto hoſtes deſtitere, ſed appoſita confeſtim ad murum ſubſidiaria ſcala periculum alacritate et diligentia diſcutiunt; ſtationariiſque mox ad ſtrepitum excitatis, cum undique ſcloppetorum ictibus ex molatrina et Rupicorbii aedibus infeſtarentur, ante omnia molatrinam occupant, ope piſtrinarii, qui Sanfelicio ſuccenſens, quod juſtam ſuam de uxore a milite corrupta querelam neglexiſſet, acceſſum irrumpentibus praebuit; ubi aliquandiu delituere, dum ſocii jam in murum enixi et ſpeculam ingreſſi, fundo ejus disjectis aſſeribus aperto, pronis capitibus in imum deſcendunt, et ſtationem proximam, turribus vicinis occupatis, caedunt. Verglacus interea ferreis molatrinae clathris malleorum ictibus effractis viam ſibi ad urbem ſtraverat; qua poſt aliquod certamen tandem potiti ſunt. Interfecti fere CC ſeu praeſidiarii ſeu oppidani; inter quos fuere [q] Jaminus Sanfelicii, qui periculum evaſit, legatus, et Antonius ordinum ductor: ceteri et major pars fuga dilapſi: quidam Gudo amne hauſti ſunt. L fere Corſi, qui in aedeis Rupicorbii confugerant, vitam pacti bona fide dimiſſi ſunt, et in tutum a Seriniaco deducti. Rupicorbius captus ac retentus eſt. Urbs direpta: in qua ingens reperta omnis generis armorum copia. Inde Seriniacus, relicto CC militum praeſidio, cum CCC ſcloppetariis et CC equitibus, in [r] Laureacenſem agrum ad conventus regionis peragendos profectus eſt. Tunc evulgatus libellus famoſus odio regentis; quo vita ejus invidioſe non tam deſcribebatur quam proſcindebatur, et renudatis flagitiis ſeu veris ſive artificioſe confictis; et ad extremum ipſa cum Brunechilde Athanachildi Hiſpaniae regis filia et Sigisberti Franci [ſ] Mediomatricum regis uxore ominoſe comparabatur, funeſtuſque ei perinde ut illi exitus optabatur. Interea regens, rebus, ut ſibi videbatur, pro tempore ex animi ſententia compoſitis, Lutetia exit, et per [t] Tricaſſeis facto itinere [u] Divionem venit; unde XIV Kal. Sept. [w] Cabilonem, et Trenorchium opulento coenobio nobile oppidum ad [x] Ararim proficiſcitur; ubi luſtrata ſunt VI CIↃ Helvetiorum, quae ad futurum bellum conſcribi juſſerat, dato etiam Gaſpari Schombergio negotio, qui eam ob cauſam [y] Sacilium

uſque

INTERPR. [a] *Requecourbe.* [b] *de S. Felis.* [c] *la Cruſette.* [d] *de Terrides, ſieur de Serignac.* [e] *Millaud.* [f] *de Fontrailles.* [g] *de Levis, ſieur d'Odoux.* [h] *de Verglac.* [i] *de Monbeton.* [k] *Voiſin, ſieur de la Popeliniere.* [l] *Puy-Laurens, Sereſe, S. Paul, & Damiate.* [m] *le vicomte de Paullin.* [n] *Senegas.* [o] *Demiez.* [p] *le Moulin de Ville-Gedou.* [q] *Jamin.* [r] *le Lauraguais.* [ſ] *Mets.* [t] *Troyes.* [u] *Dijon.* [w] *Chalons & Tournus.* [x] *la Saone.* [y] *Sacile en Frioul.*

uſque in foro Julio ad regem excurrerat, imperia ejus accepturus, ut Germanorum eqnitum aliquot alas conſcriberet : quod et ille ſedulo fecit. Cum Helvetiis regens ᵃ Lugdunum, ubi Philippus ᵇ Croius Araſcoti dux ex Hiſpania rediens jamdudum regem opperiebatur, venit, atque inde regi venienti obviam proceſſit. CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

XII. HEIC dum propriis ac domeſticis malis levamentum quaero, non tam alienae et externae quam publicae clades occurrunt, hoc anno a Turcis Chriſtiano orbi importatae, duobus exercitibus, maritimo in ᶜ Africam, et terreſtri in ᵈ Moeſiam ſuperiorem miſſis: quibus rebus enarrandis, ſi non recreari animus, qui enim in communi luctu? ſaltem exemplo ſe ſolari poterit. Selimus, qui Hiſpanorum regem in Belgio occupatum non ignoraret, Africana proximi anni expeditione a Philippo facta ultra modum cum ſponte irritatus tum ᵉ Uluzalis aſſiduis adhortationibus inſtigatus, qui non ſolum funeſtam Philippicis audaciam ſuam ſe facturum, et munitionem juxta ᶠ Tunetem inchoatam impediturum, ſed etiam ᵍ Guletanam arcem expugnaturum pollicebatur, ʰ Tripolis et Algeriae proſultanis et ⁱ Carvennae ac vicinorum locorum regulis Imperii Othomanici beneficiariis jam tum per literas imperaverat, ut quantas poſſent copias hominum ac commeatum contraherent; et claſſi, quam ineunte aeſtate maximam Conſtantinopoli emiſſurus eſſet, cum in Africam appuliſſet, praeſto eſſent : quod et illi impigre fecere. Quo cognito, ᵏ Serbellonus, qni aegre ad munitionem ſuperiore anno inſtitutam cum imperio remanſerat, res ad iniqua inclinanteis cernens, animo angi coepit; quippe qui, quanquam omneis diligentiae ac vigilantiae partes in ea aedificanda adhibuiſſet, nondum tamen illam ad tantam altitudinem perducere potuerat, ut oppugnationi juſtae reſiſtere par eſſet, regiorum miniſtrorum gloriae Auſtrii obtrectantium ſive invidia ſeu ſegnitie, qui nihil fere eorum, quae Serbellono promiſſa fuerant, praeſtabant, aut adeo parce ſubminiſtrabant, ut in appulſu claſſis omnia imperfecta eſſent. Nam nec muri ad juſtam altitudinem erecti, alicubi decempeda, alibi eo humiliores; non munimenta pectus tegentia ſuper aedificata: foſſae partim non inchoatae, partim non in ſuam altitudinem aut latitudinem depreſſae ac dilatatae: viae tectae vix inceptae, ſolo tantum complanato ac forma veſtigii duntaxat deſcripta. Ad haec, quatuor munimenta majora ultra foſſas excitata ac viam tectam contingentia, ante muros arcis, qui campos deſpiciunt, inchoata, non altiora venabuli haſtili erant. Et quanquam moenia, quae urbem ab arce diſterminant, dejecta eſſent, non ita tamen protſus decuſſa erant, ut non illorum multis in locis altitudo extaret, areique immineret. Sed maxime omnium Serbellonum angebat, quod operae multipliciter partiendae eſſent; in cetera loca arci imminentia, quae plura fuerunt, diruenda, in duas imminenteis turreis exſtruendas in ſtationum receptaculo, domos militum aedificandas, cellas ad annonam ac commeatum bellicoſque apparatus et inſtrumenta receptanda parandas, in eaſque ipſas res a ſtagno in arcem ſubinde convehendas, in molas fabricandas, ciſternas defodiendas et aqua implendas; quae tanta ingeſta eſt, ut non ſolum toto obſidionis tempore non defecerit, ſed ſeptem ciſternae intactae ſuperfuerint. Ad quae tamen perficienda non pecunia in militum ſtipendia aut in operarum mercedem, non materia, non ferramenta, non clavi, non inſtrumenra fabrilia, non architecti ac fabri, non pactae ineunte vere triremes XL, quarum remigii multiplex opera ac varius uſus futurus erat, ſuppeditatae ſunt. Nec Bernardinus ˡ Velaſcus fabrorum praefectus dimidio Junio citius appulit: cui quanquam ſubjecta oculis neceſſitas omnem rei non creditae excuſationem adimeret, tamen neque rei praeſentis ſpectaculo aut Serbelloni obteſtationibus motus eſt; quaſi turpe ſibi duceret, ſi in officio ac munere ſuo negligendo ceterorum ſocordiae ceſſiſſe videretur. Qua in re non omnino culpa carere Joannes Auſtrius exiſtimatus

INTERPR. ᵃ *Lyon.* ᵇ *de Croy, duc d'Arſchot.* ᶜ *Barbarie.* ᵈ *Moldavie.* ᵉ *Uluccbiali.* ᶠ *Tunis.* ᵍ *la Goulette.* ʰ *les deys de Tripoli & d'Alger.* ⁱ *Carvan.* ᵏ *Serbellone.* ˡ *de Velaſco.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

exiſtimatus eſt: quanquam cum excuſet, quod in Mediolanenſem ditionem a Philippo ſub id tempus concedere juſſus, interea [a] Viglevani ſubſliterat, donec fama de claſſe Turcica crebreſcente Neapolim revocatus eſt. Sita eſt Tunetis urbs haud procul a vetere Carthagine, cujus ruinae et aquae ductus priſtinam adhuc majeſtatem ſpirantes hodie paſſim viſuntur, in eo [b] Africae orae ſinu, qui inter [c] Hermeam et Apollinis promontorium magno ambitu curvatur. Apollinis promontorio portus ſubeſt [d] Farinae hodie dictus, flexu interiori tutiſſimus; a quo haud longe Biſerta abeſt, Maurorum bellis famoſa, quam Cornelia caſtra fuiſſe plerique credunt, [e] Bagrada celebris nominis flumine intercedente. Urbs autem ipſa, de qua loquimur, a continuo oppoſiti litoris tractu ſeptem millibus paſſuum introrſum retracta vix a praetereuntibus cernitur, ut dubium ſit mediterranea an maritima appellari debeat, medio ſtagno, quod olim Carthaginienſium portus fuit omnium ingentium claſſium capaciſſimus, XX CIↃ paſſuum circiter ambitu, cum in longitudinem ac latitudinem VII tantum pateat. Sed vetuſtate omnia perimente et negligentia hominum factum eſt, ut purgamentis urbis atque humo et arena ab influentibus undique imbribus et torrentibus paulum aggeſta nobiliſſimus portus paene exſiccatus ſit, totuſque vadoſus factus, ac nullo in loco navigiorum patiens. Unus tantummodo a mari per anguſtas admodum fauces et inde per medium ſtagnum ad urbem tenuis euripus anguſto canali fluit, qui parva tantum navigia admittit, eaque plano fundo; nam propter aquae humilitatem carinarum alveum ferre non poteſt. In medio ſtagno parva inſula eſt, paulum a recto euripo, qui in urbem ducit, reflexa, quae et ipſa brevi tranſverſo euripo cum recto conjuncto navigiis aditur. In faucibus ſtagni, qua mare accipit, fuerat vetus arx in altera ripa, quam Carolus expugnatam nova munitione ad formam recentem ampliaverat: ceterum poſtea, monitus exiguum illum arcis modum magnae moli ferendae non ſatis eſſe, nova ac late patente munitione priorem auxit, etiam ulteriorem ripam amplexus VI prominentibus propugnaculis apta magnitudine additis; ut euripus, qui veteris arcis in altera ripa poſitae exteriora moenia attinebat, nunc arcem novam mediam interflueret, gulaeque formam exprimeret; unde illi Guletae nomen. Ad famam adventus Turcorum mandatum allatum eſt, ut Biſerta deſereretur, et [l] Franciſcus Auria cum CC Hiſpanis Guletam trajiceret, duobus Hiſpanorum CIↃ ac totidem Italorum in nova munitione retentis. Duo millia Hiſpanorum in arcem introduci juſſa, ducibus Martino [f] Benavida, [g] Conſalvo Barahona, Antonio Velaſco et Petro [h] Artieda, qui, ſi numerum non explerent, Italis ſupplerentur. Eorum duces fuere [i] Valacetca, Camillus Bartolus, Rodomontes Beccario, Ludovicus Belviſus et Jo. Baptiſta Macebius. Reliquae copiae tanquam ſupervacuae dimiſſae. Secundum haec [l] Franciſcus Aiala cum ſui ſigni militibus Hiſpanis Biſerta relicta Guletam conceſſit; in quam et IV Hiſpanorum ſigna totidemque Italorum a Serbellono ſummiſſa ſunt. Mox et literae Kal. Sextil. ab Antonio Perrenoto Granvellano cardinali Neapolitani regni vicario venerunt; quibus de ingenti Turcorum claſſe certior fiebat Serbellonus, et inſuper monebatur, ut arcem Guletae viſeret ac diligenter perluſtraret, et Petrum [k] Portocarrerum praefectum, quibus in rebus poſſet, ope et conſilio adjuvaret. Nec defuit officio Serbellonus; Guletamque profectus et locum accurate contemplatus, vitiorum, quae haud levia offendit, Portocarrerum monuit; quorum illud non minimum fuit, quod munitio pectus tegens, ut aptior ſtatuendis ac diſplodendis machinis eſſet, relicta conſueto humilior fuerat: quam ad duos pedes extollendam eſſe cenſebat Serbellonus, militum ſaluti, quam machinarum, quae plerumque inutiles ſunt,

INTERPR. [a] *Vigevano.* [b] *Barbarie.* [c] *Capo Buono, & Capo Zafran.* [d] *Porto Farina.* [e] *Megerada r.* [f] *de Benavides.* [g] *Gonçalo de Barahona.* [h] *d'Arteida.* [i] *Vallacerca, Camills Bartoll, Rodomonte Becario, L. Belviſo, & Gio. Battiſta Mancebio.* [k] *Puerto-carrero.*

NOT. [l] Franciſcus Auria *et* Franciſcus Aiala *ſex infra lineis eandem ſignare perſonam videntur, male tamen uterque convenit cum pagina 214. lib. LV. ubi conſtat cuſtodiam arcis* Biſertinae *commiſſam* Franciſco Aviliae.

ſunt, rationem potius habendam dicens; cumque praefectus penuriam terrae cauſa- CIↃIↃLXXIV. retur, ille aream tanto deprimendam monuit, ut quanto ſolum, in quo milites con- HENRICUS III. ſiſtunt, decreſceret, tanto munitionis altitudo aſſurgeret. Veteribus quoque interioris arcis muris munitionem ſuperpoſitam extollendam cenſuit Serbellonus: eaque de cauſa Tunetem reverſus duas ſabrorum centurias atque aſſeres ceteraque inſtrumenta ad opus neceſſaria Portocarrero ſubminiſtravit. Interea claſſis Turcica CCXC navium, quarum CCLX longae erant, et ex iis CCXXX majoris, XXX minoris formae, reliquae onerariae varii generis et nominis, III Eid. Quintil. in litore [a] Africae conſpecta eſt: et, cum uno die ad promontorium, quod [b] Carthaginis caput vulgo dicitur, in anchoris fuiſſet, donec ſine certamine copias in terram exponunt, quae XL armatorum CIↃ faciebant: in quibus erant VII CIↃ praetorianorum. Claſſi praeerat Uluzalis; terreſtribus copiis [c] Sinan purpuratus ex Illyrio, bello ſtrenuus et a Selimo ob eximiam virtutem in generum aſcitus, quem et ſumma imperii reſpiciebat: is igitur eodem tempore et urbem et Guletanam arcem oppugnandas ſuſcepit; et [d] Aidari Carvenoae profultano urbis obſidendae cura commiſſa: ei IV CIↃ ex iis, quos claſſis vexerat, ultra provinciae copias attribuit, et VIII majora ac totidem minora tormenta; cum quibus ille VI Kal. Sextil. in utroque urbis ſuburbio caſtra metatur, a Pagano [e] Auria primo impetu repulſus. Urbem Serbellonus, ut tantiſper hoſtium vireis diſtineret ac fatigaret, defendere initio ſtatuit; ſed, majore quam putaverat numero incumbente, poſt validam impreſſionem a noſtris factam, urbe, et veteri arce Turcis relicta, omneis copias per varias urbis partes diſtributas eodem die undique contractas nec uno quidem deſiderato in novam munitionem ad ſe retrahit; in quam et ſtatio [f] Morabiti turri ſervandae impoſita ſe recepit: et ipſe Aſſan Ametes, poſtquam a ſuis ad Turcos transfugientibus deſertus, excurſionibus, ſicuti receperat, circumjectam regionem pervagari et annonae ſubvectionem hoſtibus infeſtam facere non potuit. In ſermones varios incurrit, quod Serbellonus fidei, quam [g] Auſtrio munitionis novae tuendae dederat, memor, potius decoris, quod in hoc verſari exiſtimabat, rationem habuerit, quam momenta reputaverit, quae, ſi copias univerſas Guletam tranſtuliſſet, tanti nominis arce ſervata, non ſolum ad res Philippi, ſed etiam ad omnem Chriſtianum orbem, inde redundatura fuiſſent. Sed vir generoſus ſatis habuit locum fidei ſuae commiſſum tueri, invidia alterius arcis, ſi Hiſpanorum ignavia aut negligentia amitteretur, in eos rejecta. Igitur capta urbe in Guletam verſus impetus; et Turci, IV machinis in colle proximo ei loco, in quem exſcenſionem fecerant, ſtatutis, quae eos, qui in opere erant, tutarentur, munitiones excitare incipiunt, quas ſeptimo poſtquam coeptae ſunt die, non anguineo flexu continuatas, ſed deinceps aliam poſt aliam interruptas ad foſſam arcis perducunt; et, quanquam noſtrorum eruptionibus valida impreſſione expulſi, XIII die locis ad pulſanda moenia firmatis ac communitis, arcem bipartito a parte maritima, ab extrema ipſa foſſae ora et ſtagno, quatere incipiunt. Eodem tempore ad arcem novam juxta urbem cum foſſam ducerent, inter munitiones excitandas variis proeliis utrinque certatum fuit. Quibus de rebus certior factus Auſtrius, qui arcis novae exſtruendae auctor fuiſſet, quantas poteſt copias conſcribi curat, magniſque itineribus Genuam et inde Neapolim contendit; quo prid. Eid. Sextil. appulit. Ingens tum coorta et inſolita tempeſtas prodigii loco accepta eſt; qua praetoria triremis ac quotquot naves in Genuae et vicinis Liguriae locis fuerant, procella per aliquot dies ſaeviente, quaſſatae ac laceratae ſunt. Tandem Auſtrius, cum perexiguum ſperati ſubſidii apparatum videret, cum paucis triremibus [h] Panhormum venit; quo jam XV Kal. Oct. Marcellus Auria cum XXIII triremibus atque Italicis copiis nuper Auſtrii juſſu ſcriptis appulerat. Interea magnum de rebus Tunetanis

ſilentium

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *cap de Carthage.* [c] *Sinan, baſſa d'Eſclavenie.* [d] *Aydar, baſſa de Carvan.* [e] *Doria.* [f] *tour de Morabit.* [g] *Don Juan d'Auſtriche.* [h] *Palerme.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

ſilentium toto XL dierum ſpatio triſte futuri eventus omen praebuit; quamvis ante Auſtrii adventum Carolus [a] Arragonius Terranovae dux, Siciliae praeſes, duas expeditas triremeis cum CCC delectis Hiſpanis Tunetem miſiſſet, omni praeter milites onere, quod eas tardare poſſit, exarmatas, et libertate remigibus promiſſa, ſi in ſubſidio introducendo impigram et fidam operam navaſſent: verum eae tempeſtate retardatae, cum curſum tenere non potuiſſent, poſtea retro compulſae Panhormum redierunt; quas tum Auſtrius ſtatim remiſit, Aegidio Andrada cum IV triremibus, ut tutius navigarent, addito comite: de quibus rurſus cum nullum per multos dies nuncium acciperet, de earum caſibus et itinere ſolicitus Alfonſum [b] Baſſanum cum VIII triremibus [c] Favigianam uſque procedere jubet: verum et is nulla re certa comperta ad ipſum rediit. Jamque Turci Guletanam arcem indeſinenti pulſatione quaſſando magnam exterioris muri ſtragem ediderant, pluriumque dierum continua dimicatione enixi fuerant, ut tecta via ad mare ferente potirentur: ſed, cum noſtris acriter locum defendentibus conatus illorum in irritum hactenus ceſſiſſet, Portocarrerus, homo praeter nobilitatem nulla re commendabilis, et rei ſuſceptae impar, reclamantibus Italis et Hiſpanis ducibus illam ſe duos menſeis defenſuros recipientibus, viam ultro deſeruit, et occupandam Turcis reliquit; cum negaret, ejus ſe retinendae cauſa, quae nihil aut perexiguum ad ſummam rerum faceret, arcem defenſoribus exinaniturum, ſatis firmam futuram, ſi moenia defenderentur. Ad hoc incommodum acceſſit, ut cuniculus ad tentorium ipſius Sinanis purpurati actus, cum in eo eſſet, ut ad effectum perduceretur, transfugae Hiſpani proditione irritus fuerit; qui, magnis ob id praemiis ab Uluzali affectus, non ſatis habuit ingenti ſcelere fidem in Deum et homines violaſſe, niſi Chriſtianorum, quos deſeruiſſet, munimenta circumiens (quod Uluzalis aſtu fiebat, ut ſocios ad idem ſcelus inſtigaret) magna voce clamitaret, magnum ſibi pretium, magnum itidem ceteris, qui eandem conditionem amplecti vellent, apud Turcos honorem futurum. Interea dejecta magna muri pars, et Turci vallum uſque ad oram foſſae Carthaginem ſpectantis perduxerunt, crebris caſtellis excitatis diligentia Uluzalis, hominis impigri, et qui non exemplo ſolum et adhortationibus ſed effuſa liberalitate operariis animos faciebat, remigio triremibus educto, IↃ item camelis ad materiam comportandam adhibitis: jamque in eo erat, ut copia operarum et ſaccorum lana oppletorum et hujuſmodi rebus foſſam compleret: eodemque tempore pari diligentia in arcis Tunetanae oppugnatione ab Aidare laborabatur, quam obſeſſi crebris eruptionibus infeſtam hoſti faciebant. Septies inter haec pugnatum, et amplius IↃ in ſingulis proeliis ex Turcis abſumpti; quod illos coëgit tandem copias contrahere, ut ad reſiſtendum noſtris invadentibus firmiores eſſent. In his anguſtiis cum Portocarrerus, talium rerum inſolens, et deſerta tecta via ſero errorem agnoſcens, de ſubſidiis in horas Serbellonum ſolicitaret, et ille contra ſe multis ac juſtis de cauſis excuſaret, tamen, cum hoſtem foſſae imminere illamque mox replere aggreſſurum intellexiſſet, victus aſſiduis expoſtulationibus, ac metuens ne quid Portocarrerus per metum mollius conſuleret, delectam IↃC ſcloppetariorum manum ad illum miſit, ducibus Tiberio [d] Buccafuſca Calabro, Laelio [e] Cavalertana, Joanne [f] Figueroa et Petro [g] Manuelio; cum prius [h] Oſium Mandanam, Ferdinandum Gomeſium, et Fabritium Samminiatenſem muniendorum locorum peritiſſimum ad Portocarrerum miſiſſet: et tamen ipſe ad locum adhuc infirmum et late patentem defendendum ſubſidio, plus illud detrahente, egeret. Turci, qui operarum copia abundabant, jam vallum uſque ad oſtium canalis, qui in ſtagnum influit, produxerant, ſpe illius operibus obſtruendi et ejus uſum noſtris adimendi. Stagni tamen poſſeſſio toto obſidionis tempore penes Chriſtianos

INTERPR. [a] *d'Arragon, duc de Terra Nuova, viceroy de Sicile.* [b] *Baçan.* [c] *la Favigliana.* [d] *Becca-fuſca.* [e] *Cavalertana.* [f] *de Figueroa.* [g] *Manuele.* [h] *Oſio Mendana, Hernando Gomez, & Fabricio Sanminiati.*

Chriſtianos fuit; tantum ex collibus circumpoſitis infeſta machinarum diſploſione CIↃIↃLXXIV.
ſubſidia ex arce nova plerumque impediebantur. Tandem vallo producto, cum hoſtes HENRICUS III.
foſſae ſucceſſiſſent, foſſam Carthagini oppoſitam complere incipiunt immanibus arborum truncis, faceis lana refertis, cupis limo plenis, et hujuſmodi materia: tum aggeres exſtruunt, ut XXX bellatorum ordinem in fronte caperent; inter quos altitudo illius eminebat, quod adverſus B. Petri propugnaculum erexerant, in quo XIII muralibus tormentis diſpoſitis continenti totius diei verberatione fulminabant: et a curioſis ſervatum fuit, per menſis ſpatium ſingulis diebus ad CIↃ amplius ictus diſploſos. Neque tamen plus infeſta oppugnatione quam proditionibus angebantur obſeſſi, cum crebri ex Hiſpanis ad hoſtem in dies transfugerent. Unus etiam detectus eſt gregarius miles Hiſpanus, qui de pulvere incendendo occulta conſilia habuerat, ob id merito ſupplicio affectus. Paulo poſt venere a [a] Granvellano et Sueſſano duce ad Serbellonum literae, quibus monebatur, ut ad ſervandam arcem Guletanam, quam ex aſſiduis Portocarreri literis in ſummas anguſtias redactam intelligebant, omnia ſumma faceret, et, ſi opus eſſet, ipſemet ſe cum omnibus copiis, relicta arce Tunetana, in eam conferret. Quibus literis acceptis, Serbellonus duces in concilium vocat, in aedibus Andreae [b] Salazarii ex vulnere decumbentis; et ante omnia [c] Sinogerae ſtagno et commerciis praefecti ſententiam exquirit; qui cum non plus CCCCL uno commeatu tranſvehi poſſe reſponderet, tum Serbellonus, qui videret, non minus quam ſex commeatibus totas copias, ut literae ſuadebant, tranſportari poſſe, in quorum uno ſi offendatur, utramque arcem amitti, ſibi in animo eſſe dicit, cum CCCC delectorum manu in Guletanam arcem trajicere. Sed cum reclamarent duces, neque ſe paſſuros dicerent, ut arce Tunetana relicta in alteram concederet, ea cura Martino [d] Cugnio et Didaco Maldonato cum CC Hiſpanis ac totidem Italis duce [e] Hercule Piſano demandata eſt: monituſque per Cugnium et Petrum [f] Bovadillam Portocarrerus, ut fortiter rem gereret; neque enim tantam timoris cauſam ſubeſſe, quantam ipſe ſignificet; modo is ſit, qui eſſe debeat; cum nulla ex parte, natura loci ita ferente, hoſtes magno illam numero invadere poſſint, praeterquam ad S. Petri propugnaculum, cujus foſſam Turci exſiccaverant; ſed nec pluribus, quam quas habeat, viribus ad hoc opus eſſe, neque adeo pluribus, quam quantas viae latitudo caperet. His copiis ſine damno intromiſſis, poſtridie, qui in XII Kal. Sept. incidebat, Turci totis viribus arcem oppugnant; et poſt VII horarum obſtinatum utrinque certamen cum magna ipſorum caede ſub veſperam averſi ſunt. Sed nec incruenta noſtris victoria fuit, CC deſideratis ac CCC ſauciatis. Feſſos ſuperioris diei pugna excepit altera oppugnatio inſequenti die; ſed brevior, quippe duarum tantum horarum; in qua pauci occiſi, ſed multi laſſitudine debilitati ſunt. Itaque novum ſubſidium peditum a Serbellono non retractanter ſummiſſum, ducibus Garſia [g] Toletano, [h] Montano Salazario, Jo. [i] Quintana, Joanne Antonio [k] Strambone et Scipione Mazuca; et pari felicitate in arcem acceptum. Sed cum major virtus obſeſſorum ſperabatur, concidentibus animis, arx ſine certamine ullove ſtrepitu poſtridie capta eſt, Portocarrero ſtatim in arcem interiorem ſe recipiente, neque militibus, qui CIↃCC ſupererant, ullibi ad Turcorum invaſionem occurrentibus. Neque minore dedecore Portocarreri ſtatim arx interior amiſſa eſt, Turcis murum duodecim pedum altitudine ſine ſcalis, dum alii ſuper alios ſcandunt, ſuperantibus, et noſtris quaſi ignaviae veterno plane obtorpentibus, obvii obtruncati: tantum CCC ſuperſtites fuere, et imbellis ſexus et aetatis circiter CC capita. Portocarrerus, qui, ad omnia militaria munia rudis, etiam ad diſploſarum machinarum

INTERPR. [a] *le cardinal de Granvelle, & le duc de Seſſa.* [b] *de Salazar.* [c] *Zenoguera.* [d] *de Acunna.* [e] *Ercole da Piſa.* [f] *Bobadilla.* [g] *de Tolede.* [h] *Montano de Salazar.* [i] *Quintana.* [k] *Strambone, & Scip. Maçuca.*

machinarum fragorem aureis obturare et in ſubterraneas teſtudines ac loca concamerata confugere dicebatur; Machumetes item Amidae frater, ac filius is, quem minus patri dilectum fuiſſe ſupra diximus, in poteſtatem hoſtium venerunt. Capta ingens praeda et armorum ac bellicorum apparatuum vis; in quibus fuerunt IƆ machinae omnis generis; tum magna annonae copia ſublevando hoſtium exercitui, ſine qua Turci uſque ad Eid. Sept. quo die arce nova potiti ſunt, in obſidione manere nequaquam potuiſſent. Tum Guleta, ſicuti imperator juſſerat, cum omnibus aedificiis diruta, in cuniculos ſuffoſſos igne indito: naveſque in canalem ſubductae ſtatutis in iis verſus mare machinis, quibus Auſtrium, ſi eo cum claſſe veniſſet, ab acceſſu arcerent. Continuo ad Tunetanam arcem conjunctis copiis itum; in qua bellatorum numerus, qui fuerat IV CIƆ, ad CIƆCCCC redactus erat, reliquis partim Guletam miſſis, partim proeliis, eruptionibus, transfugiis aliiſque belli caſibus abſumptis. Tribus partibus oppugnatio inſtituta, ad [a] Serbelloni, Auriae et S. Joannis propugnacula; ductoque vallo ac praealta excitata munitione tranſverſa ad ſingulas propugnaculorum foſſas, qua ad ictus ceterorum propugnaculorum latera ipſorum inceſſentium defenderentur, tumulum multa congeſta materia in eam altitudinem excitant, ex quo in propugnaculum Auriae deſpectus eſſet; aggeremque, qui foſſam alterius S. Joannis tranſverſam ſecabat, ita exaltarunt, ut illius aream oculis ſubjectam haberent; vallo, et munitionibus multiplicatis, ut alicubi ſextuplices eſſent, alia ante aliam; nec a noſtris in opere prohiberi poſſent, ſcloppetariis ad loca idonea diſpoſitis, qui continenti grandine obſeſſos inceſſebant, ut eorum ictibus in die ad XL amplius ſine alio certamine exanimarentur, quae nihilominus incommoda virtute propugnatorum ſupplebantur. Dum in locis ruina patefactis obſtruendis et aliis muneribus obeundis nullam diligentiam praetermittit Serbellonius, et noctu, quae interdiu nimis periculoſa et exitioſa eſſe ſolent, indefeſſo labore exequitur, interea ad Auſtrium [b] Panhormi nuncios ſuſpenſo animo expectantem dat literas; quibus eum de anguſtiis, in quas redactus eſſet, certiorem faciebat, et auxiliareis ſummitti petebat, via introducendorum demonſtrata; exſcenſionem enim ad [c] Camaïtam pagum ultra ruinas Carthaginis faciendam. Qua in re ab ejus ſententia [d] Sinogera diſcrepabat, qui omne auxilium ſerum fore exiſtimabat, nullamque ejus in arcem introducendi viam aliam ſe videre dicebat, quam ſi Auſtrius cum tota claſſe adveniret, et cum hoſtibus, quorum vireis non parum terreſtria proelia imminuiſſent, de ſumma rerum decerneret. In his perferendis literis non minus laboris fuit, ſcapha, quae bajulum veheret, vix hominum humeris per tria millia paſſuum onus ſubeuntium geſtata. Tandem literae incolumes Panhormi Auſtrio redditae ſunt; quibus in concilio recitatis variae dictae ſententiae; cum non placeret Serbelloni conſilium per Camaïtam iter ſuadentis, et belli duces dicerent eum locum non minus a ſtagno VI paſſuum CIƆ abeſſe, atque intercedere puros ac patenteis campos, per quos iter facientes Chriſtianae copiae exiguae, vix erat, ut equeſtrem Maurorum equitum procellam vitare aut ſuſtinere poſſent. Itaque conſultius viſum, ut per Araxium ſubſidia obſeſſis eant; propeque a munitione Tunetana conſidant, ubi vallo excitato muniri in occaſionem arcis intrandae intenti ſint. Alii vel cum diſcrimine proelii aleam ſubeundam potius quam non opem obſeſſis ferendam cenſebant. Auſtrius, ut finem contentionibus imponeret, ſibi ſtare ſententiam dixit, cum LXX expeditis triremibus [e] Drepanum proficiſci, ibique conſilium, quod res et tempus aliquiſve caſus novus exortus dederit, capere; factaque dictis continuans Drepanum iter dirigit. Sed ſerum ejus ſubſidium fuit, Turcis interea, cum res uſque ad VIII Eid. Sept. in operibus ligonis et in quatienda arce fuiſſent, ad primum ſolis ortum ad oppugnationem ſe comparantibus; cujus exitus is fuit: cum tribus

locis

INTERPR. [a] *baſtions de Serbellone, Doria, & S. Jean.* [b] *Palerme.* [c] *Cam-mart.* [d] *Zenoguera.* [e] *Trapani.*

locis vis facta fuiſſet, etiam cuniculo ignem ad propugnaculum Serbellonum concipiente, ut Turci poſt acre certamen ab aurora ad meridiem continuatum poſtremo repulſi ſint; quo ſucceſſu confirmati obſeſſi pari virtute VIII ejuſdem menſis oppugnationem ſecundam eadem hora et ratione factam ſuſtinuerunt; at tertia, quae biduo poſt commiſſa eſt, alacritas illa priſtina remiſit, noſtris reputantibus ad quam exiguum numerum redacti eſſent, cum vix centeni milites tuendis tribus propugnaculis ſupereſſent, reliquis ad tria alia et murum ſingulis interjectum occupatis, et jam hoſtes quarta parte areae ſingulorum propugnaculorum potiri erant; tantumque medio aggere ex eadem terra egeſto a Turcis noſtri disjungebantur; extenuatoque operarum vi et machinarum ictibus aggere, lapidibus, ignibus et aliis miſſilibus indeſinenter inceſſebantur: tandem Eid. Sept. oriente ſole iiſdem locis tripartito fit impetus: ad Auriae propugnaculum initio acriter certatum, Serbellono non ducis tantum ſed fortiſſimi militis partes implente; qui, a tergo reſpiciens igne conjecto propugnaculum ſui nominis emicare, et mox tota fronte everſa et complanata ſubſediſſe, propere accurrit, et eadem virtute irrumpenteis hoſtes avertit, Didaco Oſorio et Antonio Taſſo cum aliquot Hiſpanis et Italis militibus egregiam operam navantibus: ſed interim ad Auriam repetito certamine hoſtes cum vim feciſſent, poſtremo defenſores ſuperatis aggeribus diſturbaverunt: cum ſerius auxilia advenirent, Serbellonus ab omnibus deſertus et ipſe captus eſt; qui propter eum eventum inter proſpera duxit filii caſum pridie ſcloppeti ictu occiſi, quem peropportuna mors imminenti cladi exemiſſet. Deſiderari eo die CCC ex noſtris; et in iis [a] Lupus Hurtadus Mendoza, [b] Fridericus Urias Valitegius. Tunetanae arcis expugnationem mox inſulae, cui Sinogera praeerat, deditio ſecuta eſt; quam ille, Serbellono per epiſtolam Sinanis juſſu conſcriptam ſuadente, fecit, vitam ac libertatem ſibi ac ſuis pactus. Sed homo vaſer pudenda cavillatione fidem datam eluſit, L tantum dimiſſis, ceteris, qui CC amplius erant ſub jugum actis; quos poſt captam arcem jam mancipia ſua effectos in inſulam confugiſſe neque pactis comprehenſos aiebat. Paganus [c] Auria [d] Melfitani principis frater, ſed diſpar moribus, cum ſontico morbo correptus huc conceſſiſſet, cognito de deditione agi, Maurorum quam Turcorum fidei ſalutem committere maluit; qui accepto pretio, et majore promiſſo, miſerrimum juvenem obtruncarunt, caputque a cervice reciſum purpurato ingentis inſtar muneris detulerunt. Ita Hiſpani poſſeſſione Africae dejecti intra XXXVI diem, amiſſa per ſummam ignaviam Guletana arce, quam Carolus Auguſtus optimo conſilio in Carthaginienſis portus faucibus olim exſtruxerat, ut ſecuritati Siciliae, regni Neapolitani totiuſque tum Italiae tum Hiſpaniae conſuleret. Portocarrerum a Turcis ſollicitatum quidam dixere; Cyprique regnum proditionis praemium promiſſum. Opinionem auxit, quod cIↃ veteranos milites Italos a Tiberio [e] Brancatio Neapolitano oblatos per inſcitiam ſeu ſuperbiam admittere noluit; cum minime commiſſurum ſe diceret, ut in ejus gloriae partem venirent Itali, quam Hiſpani Guleta defendenda conſecuturi eſſent. Poſtea tamen deditio minime pepercere Turci; ſed eo ad ludibrium pro vili mancipio uſi ſunt. Nec obtrectatione ob eum ſucceſſum apud Philippum caruit Auſtrius; quippe qui intempeſtiva hac expeditione potentiſſimum hoſtem irritaſſe diceretur, quieturum, neque Guletam oppugnaturum, ſi ab exſcenſione in Africam anno ſuperiore abſtinuiſſet. Hujus autem expeditionis ei auctorem fuiſſe ferunt [f] Joannem a Soto, quem [g] Roderici Gomezii Silvae, qui in gratia regis ſui praepollebat, commendatione, Auſtrio, ut ipſi a ſecretis epiſtolis eſſet in Granatenſi bello et poſtea foederis contra Turcos initi negotio, Philippus attribuerat. Is ingenti animo et ſupra conditionem elato, Auſtrii per ſe ſecuri ac negligentis ingenium excitatis alienae gloriae neque cum ipſo natae igniculis inflammabat,

CIↃIↃLXXIV.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Lope Hurtado de Mendoça.* [b] *Friderico Urias il Valitegio.* [c] *Doria.* [d] *de Melphi.* [e] *Brancaccio.* [f] *Juan de Soto.* [g] *Ruy Gomez de Silva.*

CIↃIↃLXXIV. inſlammabat, et ad ſumma quaeque, ad quae potius fortuna quam naturalis impetus HENRICUS III. eum rapiebat, capeſſenda incitabat. Itaque juveni perſuaſerat, ut ad Tunetanum regnum, quod regis fratris beneficio deteſtandae ſuperſtitioni addictus princeps tenebat, animum induceret, quod citra Hiſpanienſis imperii imminutionem tanquam ſuis meritis debitum jure ſperare poſſet: et tamen, ut res citra ambitionis ſuſpicionem tranſigeretur, ſic cenſebat conſiliarius ille; pontificem, cujus maxima apud Philippum auctoritas eſſet, allegari debere, qui, non tanquam ab Auſtrio rogatus, ſed ſola boni ad rem Chriſtianam redundaturi contemplatione eam gratiam a Philippo peteret. Idque ut pontifici perſuaderetur, ipſe in ſe onus ſuſceperat, et ea de cauſa Romam profectus clam cum pontifice egerat, pioque ſeni conquiſitis artificioſe rationibus, recenti adhuc victoriae apud [a] Echinadas partae memoria, facile perſuaſerat, ut Philippo regni illius beneficiarii Auſtrio fratri dandi auctor eſſet. Igitur bonus vir in pietatis exercitiis potius quam in regnorum civili adminiſtratione verſatus, qui ignoraret, quantum inſolitae iſtiuſmodi proximorum petitiones principibus ſuſpectae ſint, per Nicolaum [b] Ormanetum epiſcopum Patavinum et oratorem in Hiſpania ſuum officio defunctus eſt, cum jam expeditio in [c] Africam poſt ſolutum foedus a Philippo decreta eſſet, datis inſuper Auſtrio mandatis, ut Tunes urbs, ſi caperetur, protinus ob eaſdem, propter quas antea [d] Aphrodiſium, cauſas a fundamentis dirueretur. At Philippus animi anxius, qui et pontifici gratificari cuperet, neque fratrem intempeſtiva repulſa a ſe alienare vellet, laudato pontificis in fratrem ac ſe ſtudio, et gratiis pro tam propenſa in utrumque voluntate actis, ambiguo reſponſo et in tempus ſucceſſus ſuſpenſo, poſtulata ejus fruſtratus eſt: nec mediocriter ob id fratri ſuccenſuit. Sic enim interpretabatur; fratrem non in Tunetano regno immodicae ambitioni modum facturum; ſed id ei conſilium eſſe aut ab amicis dari, ut tentata per eam petitionem ipſius patientia ad majora deinceps audenda ſibi viam ſterneret: quem tamen juſtum dolorem ſumma in praeſens diſſimulatione preſſit. Auxit indignationem occultam, quod capta urbe non eam, ſicuti juſſus erat, diruerit; ſed novam munitionem ad illam ſervandam exſtrui juſſerit, conceſſa interim militi praeda, quae ipſius commodo cedere debebat, ſuſpecta prorſus liberalitate. Quod in cauſa fuit, ut ſtatim Joannes a Soto ſpecie amplioris dignitatis, nam annonae praefectus creatus eſt, ab Auſtrii latere removeretur, eique Joannes [e] Eſcovedus, Joannis a Soto aemulus, cujus delationibus conſilia occulta Auſtrii ac ejus conſiliariorum detecta fuerant, ſubſtituitur. Verum cum is poſtea ingenio perinde ad vanitatem elato non minores igniculos ad incendendam Auſtrii torpeſcentem ambitionem ſubjeciſſet, mutatam perſonam non conſilia interturbata apparuit; violentioraque remedia adverſus jam confirmatum malum adhiberi neceſſe fuit, ſicuti deinceps videbimus. Ubi de infelici ſucceſſu in Urbem allatum eſt, ſtatim dicterium Paſquilli nomine ſparſum, quo Guletae et regni Tunetani amiſſi culpa in podagram [f] Sueſſani ducis, in Auſtrii ſphaeriſterium, hoc eſt, negligentiam, in cardinalis Granvellani Neapolitani vicarii ſubligar, hoc eſt, libidines, rejiciebatur. Capta urbe et munitione Guletana deſtructa, Sinan cum claſſe victrice in orientem perrexit, Conſtantinopolim triumphanti ſimilis cum praeda et captivis ingreſſus. In itinere ad [g] Corcyram exſcenſionem fecit, inſulam etiam tentaturus: ubi inſulani, injuriis Turcorum non ſolum armenta et greges rapientium ſed capita humana in ſervitutem abducentium irritati, arma corripuere; quoſdam etiam male mulctarunt. Tum miſſa a praefecto Veneto de more munera; quae homo recenti victoria inflatus, et injuria, ut aiebat, popularium exacerbatus, omni excuſatione rejecta, ſuperbe repudiavit; ſuſpicione injecta, quaſi occaſionem belli quaereret, et aut

Corcyram

INTERPR. [a] *Curzolari.* [b] *Ormaneto.* [c] *Barbarie.* [d] *Africa.* [e] *d'Eſcovedo.* [f] *del duque di Seſſa la Gotta, de Don Juan la Paletta, del cardinal la Bragueta, han perdido Tunis y la Golleta.* [g] *Corfu.*

Corcyram ipſam aut [a] Cretam aggredi in animo haberet: itaque per oratores Ve- CIƆIƆLXXIV.
netos vix tandem Selimus placatus fuit, et ab eo impetrata mandata, ut controverſiis HENRICUS III.
de [b] Jaderenſi territorio, quod continuis praedis Turci uſque ad moenia urbis quotidie excurrentes infeſtabant, finis imponeretur. Miſſus ob id Sfortia Pallavicinus [c] Curtis-majoris marchio cum Julio [d] Savorniano et Moreto Calabro, qui praealtam Corcyrae arcem luſtrarent, et novis operibus contra vim hoſtilem munirent.

XIII. DAMNUM eo tempore in Africa a Chriſtianis acceptum fortuna longe diverſo in terrarum tractu nova clade cumulavit, cujus cauſas altius repetemus; de provincia etiam pauca praefati. De Pannoniis et regno Hungariae ſuperioribus libris diximus. Ubi [e] Taurunum veneris, atque adeo pilas pontis Danubio a Trajano olim impoſiti, quae XXXIII juxta [f] Severinum oppidum hodie ſuperſunt, trans nobiliſſimum Europae fluvium [1] Dacia utraque porrigitur, mediterranea et ripenſis, quae ambae pro limitibus habent [g] Tibiſcum et [h] [2] Jazyges ab occaſu, a ſeptentrione Sarmatias, Baſtarnas et [i] Carpatum montem, ab ortu [k] Roxolanos et [l] Hieraſum fluvium, a meridie Danubium. Hos enim terminos ponunt et Cl. Ptolemaeus et Jornandes his regionibus ipſe oriundus. In altera Danubii ripa Moeſia eſt; quam Savus ſupra Dalmatiam, Macedoniam et Thraciam in Danubium ipſum incidens a Pannoniis dirimit: habet a ſeptentrione Danubium, ab ortu Savum et Dalmatiam, [3] Haemum montem a meridie, qui in orientem flectens ad [m] Panyſi amnis in [n] Euxinum Pontum ſe exonerantis fauces juxta Sarpedoniam deſinit; qua parte mare ipſum pro limite ad ortum habet. Ea in inferiorem et ſuperiorem ab antiquis diviſa Triballos ac Dardanos ſub ſe amplectebatur; Dacia et poſtea dicta, poſtquam Aurelianus imperator, ut inquit Eutropius, provinciam Daciam in Moeſia collocavit, in dextra Danubio in mare fluenti, cum ante in laeva fuiſſet, eamque de ſuo nomine Aurelianam vocavit. Hodie in ea Bulgari ſunt. Sed de vera Dacia nunc nobis ſermo: et de mediterranea quidem, quae hodie Tranſilvania dicitur, et Tibiſco et [o] Aluta ab occaſu et ortu in theatri ſpeciem montibus et ſilvis undique eincta terminatur, abunde alias diximus. Trans illam Walachia ac proinde Tranſalpina dicta ortum verſus et ſeptentrionem excurrit; cujus regia hodie eſt [p] Tergoviſtia ſive Tarnoviſa, a Flacco quodam praetore Romano, ut indigenae volunt, ita appellata; fidemque opinioni vulgari adſtruunt, quod multis ex lingua Romana detortis vocibus uſque adhuc in ea regione utuntur. Hujus limites ſunt ab occaſu Aluta, a ſeptentrione et ortu Hieraſus, qui hodie Pruſtus, curvato flexu in Danubium influens inſulam faucibus ſuis efficit; ultra quam porrigitur ſeptentrionem verſus Moldavia LXIV milliarium longitudine, et ipſa antiquae Daciae pars, in qua [q] Getae erant, Ovidiani exilii ſedes, quam Tyras, qui hodie Neſter, infra Ruſſiae Poloniceae et Podoliae fineis ab ea parte claudit; ab ortu Pontus Euxinus; a meridie Hieraſus; ab occaſu Walachia ipſa. Mediam interſecat [r] Moldava, e Tranſilvaniae montibus paulo infra Hieraſi fontes ortus amnis, qui provinciae dat nomen, et [s] Soczaviam, quae eſt [t] Deſpotarum ſedes, praeterfluit, et inde rapido curſu [u] Hoinam, Dobeniſam Argiamque, parvos ſed perenneis amneis, ſecum trahens, in Alutam effunditur; qui poſtea Danubio juxta [w] Nicopolim excipitur. Hae provinciae, quae Chriſtiana ſacra, ſed ſecundum Graecorum ritus, colunt, olim Hungarici

INTERPR. [a] *Candie.* [b] *de Zara.* [c] *Corte Maggiore.* [d] *Savorgnano, & Morette Calabreſe.* [e] *Belgrade.* [f] *Zeurin.* [g] *le Tibiſque,* ou *la Teiſſe.* [h] *Jaz.* [i] *Crapac.* [k] *Ruſſes.* [l] *Pruth r.* [m] *Paniza.* [n] *la Mer noire.* [o] *Alt.* [p] *Tergowiſch.* [q] *les Getes.* [r] *Moldave fl.* Germ. *Moldau.* [s] *Soczavie.* [t] *Vaivodes.* [u] *Haina, Dobeniſa & Argiſch.* [w] *Nicopoli,* Turcis *Nigeboli.*

NOT. [1] La Tranſilvanie eſt la partie mediterrannée de l'ancienne Dacie, que les Romains nommoient *Ripenſem.* *Put.*

[2] Hungari decurtata voce *Jaz* vocant, *Jaziges* Galli. *Put.*

[3] Le Mont Haemus ſepare la Bulgarie de la Romanie: les Italiens l'appellent *Catena del Mondo.* *Put. L.*

CIƆIƆLXXIV.
HENRICUS III.

Hungatici imperii beneficiariae, atque adeo tributariae erant: nunc juris Turcici ſunt: poſtquam Mahumetes, qui [a] Byzantium ipſum Chriſtianorum in oriente imperatorum ſedem in poteſtatem redegerat, Caſimiro Hungariae et Poloniae rege bello [b] Marianorum equitum occupato, neque Petro tunc utriuſque [c] Walachiae deſpotae laboranti ſuppetias ferente, eas ſubegit anno CIƆCCCCLV, tributo etiam II CIƆ aureorum annuo tantum tunc impoſito. Poſtea Turcicis imperatoribus viciſſim Aſiatico ac Perſico bello occupatis, rurſus Walachi modo Hungaris modo Polonis paruere. Sed lacerato ac paene profligato Hungariae regno et icto cum Polonis foedere, Turcici imperatores eas provincias, atque adeo Tranſilvaniam tributarias fecere, impoſitis pro libidine ſeu palatinis ſeu vaivodis, ſic principes vocant; qui, ut ſunt ad omnem offenſionis aut gratiae auram mobilia horum populorum ingenia et infida, multoties etiam mutavere; ſicuti plenius in rebus anni LXIII oſtendimus; ubi et Alexandrum in Walachiam revocatum, et [d] Bogdanum filium ei in imperium ſucceſſiſſe diximus. Is ergo a Selimo in patrio principatu confirmatus ſtatim alieno ſe animo a Turcis eſſe oſtendit, ſuſcepta ſponte in Poloniam profectione, et icto cum Sigiſmundo Auguſto foedere, pactuſque XXIV CIƆ auxiliarium equitum, quae Polono expoſcenti ſummitteret, et viciſſim, cum opus eſſet, ab eo acciperet; etiam libere ex Walachia in Ruſſiam proximam commeandi et citra ſuſpicionem aut regiae majeſtatis offenſionem magnates inviſendi facultatem impetravit, ea mente, ſicuti ipſe aiebat, ut aliquam moribus et forma praeſtanrem virginem in uxorem ſibi deligeret: quoqne dictis majorem fidem faceret, unam ex ſororibus Gaſpari [e] Panievio ex primatia Ruſſiae nobilitate viro elocaverat, alteram Chriſtophoro [f] Sborovio Petri Cracovienſis palatini fratri conjugem date promiſerat; eaque ſpe Sborovius magno comitatu et damnoſis ſumptibus, ob quos grande aes alienum contraxit, profectionem ad Bogdanum adornaverat; a quo deluſus dignas, ut par erat, injuria iras concepit. Et cum Bogdanus per hyemis tempus [g] Neſtro glacie concreto cum ciſiis uno quoque et altero ex domeſticis in Ruſſiam iter faceret, praemiſſa majore comitum turba, Sborovius ex inſidiis cum delectis incogitantem occupar, et ictibus aliquot inflictis in cuſtodiam dat, non prius dedititium dimiſſurus, quam de impenſis ei ſatisfeciſſet. Id admodum gravate tulit Auguſtus rex; literiſque ad Sborovium datis dolorem minime diſſimulavit. Verum Bogdanus ad famam rei majora vero ſemper fingentem, cum mobilia ſuorum ingenia minime quietura, et ex abſentia ſua occaſionem proculdubio captura provideret, quam citiſſime potuit cum Sborovio tranſigit, depenſis praeſenti pecunia VI CIƆ aureorum, et de cetera fidejuſſoribus datis; inter quos Panievius fidem interpoſuit. Nec tamen tanta id celeritate fieri potuit, quin rumore non obſcuro de morte Bogdani ſparſo, et alioqui jam ſuſpecta illius apud Turcos fide, ob nimiam cum Polonis familiaritatem et foederis evulgati invidiam, novi motus in provincia exorti ſint. Turbarum cupidis ducem ſe praebuit Joannes ſive [h] Ivonia, ſic enim apud ſuos vocabatur, ſe Stephani olim Walachorum vaivodae filium ex concubina dictitans; quamvis alii cum Polonum, et in Maſſovia natum faciant; homo ingentis et varii ingenii; qui olim Joanni [i] Firleo palatino Lublinenſi et regni Polonici tribuno in domeſtico comitatu fuerat, Conſtantinopolim dein profectus per purpuratos ad Selimi gratiam ſibi gradum fecerat, et ejerata religione Chriſtiana etiam circumcidi ſe paſſus ampla ac nobili mercatura magnam ſibi inter Turcos, quorum religionem profitebatur, auctoritatem conciliaverat; ita ut, cum Bogdanus Alexandro patri a Selimo ſuffectus eſt, jam tum principatum Walachiae ambiverit: a quo tempore non deſiit

blanditiis

INTERPR. [a] *Conſtantinople.* [b] *les chevaliers de la Vierge Marie de l'Ordre Teutonique, qui faiſoient leur demeure à Marienburg.* [c] *Valachie & Moldavie.* [d] *Bogdan.* [e] *Panievicz.* [f] *Zborowski.* [g] *le Nieſter.* [h] Baudier le nomme *Ivon*, le vrai nom c'eſt *I-wan.* [i] *Firley palatin de Lublin, mareſchal de Pologne.*

CIↃIↃLXXIV.
HENRICUS III.

blanditiis et muneribus purpuratos prenſans Bogdanum apud imperatorem criminari, quaſi beneficiorum immemorem et fluxae fidei, qui Polonorum amicitiae Turcici nominis majeſtatem poſthabuiſſet; et per ejus ſeu captivitatem ſive abſentiam a Selimo impetraverat, ut collectis copiis Walachiam invaderet, ex eaque Bogdanum expelleret, mandatis ad provinciae ordines datis, ut in ejus verba jurarent. Id tamen initio ſimulate actum: nam ſpecie mercaturae [a] Ivonia in Walachiam venit: et, cum fama rei increbreſcente Auguſtus rex apud Selimum per Andream [b] Tarnovium expoſtularet, Selimus reſpondit, non contra Bogdanum, ſed negotiorum ſuorum cauſa eo Ivoniam profectum: verum mox, adventante Turcico equitatu cum doli jam paterent, Bogdanus, [c] Chocimo arce munitiſſima, quam ipſe ad inopinata ſepoſuerat, valido praeſidio firmata, in Poloniam propere ad amicos confugit, auxilia ex foedere ab Auguſto petiturus, qui clienti et amico minime defuit. Nam Nicolao [d] Mielicio Podoliae et Georgio [e] Jaſolovicio Ruſſiae palatinis negotium datum, ut Joannis [f] Tarlonis Leopolenſis filiam, quam Bogdanus uxorem ducere in animo habebat, ad ſponſum deducerent, et eum cum IV CIↃ equitum in regnum reducerent. Ii [g] Neſtro tranſmiſſo ad [h] Stepanoriam conſedere; ſed poſt levia certamina, quibus aliquot Croatas fuderunt, virtute praecipue Nicolai [i] Herburti, qui unus ex legatis in Galliam poſtea miſſis fuit, tunc vero acriter juxta Chocimum pugnando, quam arcem [k] Dobroſolovius Polonus Bogdano ſervabat, ipſe periculum mortis adiit, ejuſque ſocii quatuor [l] Dobruecius, Golinkius, Conarskius et Vodiraeius morte ſua Herburtum certae peſti eripuerunt. Tandem cum commeatus jam deficeret, et vix in pabulum equorum frondes et frutices ſupereſſent, copiae Turcicae in dies creſcerent, Mielicius cum Jaſolovicio ſuos reducit; qui in Neſtri tranſitu, [m] Bialogrodenſem praetorem aſtu adorti, cum ſe, ignaros a Selimo Bogdano datum ſucceſſorem, in Walachiam deſcendiſſe dicerent, pervicerunt, ut is auctoritate ſua Walachos et Turcos inſequenteis faeceſſere juberet; ſicque incolumes fluvium trajecerunt, exceptis quos undarum rapidiras hauſit. Bogdanus vero ad Ivoniam literis dedit, quibus eum ab alieno regno invadendo dehortabatur, et talionem a ſe aut ab alio minabatur. Verum et Ivonia aemuli monita neglexit, et futuri ſecurus contempto divinae ultionis metu ſucceſſus urgere pertexit. Nec multo poſt Dobroſolovius, qui Chocimenſem arcem tenebat, a Jaſolovicio per literas monitus, cum nullam auxiliorum ſpem videret, excedentibus e provincia Polonis, locum Ivoniae tradit, his conditionibus, ut fidem regi, ſucceſſoribus ejus ac ſenatui Poloniae obſtringeret. Ita ejecto Bogdano, qui rebus deſperatis in Moſcoviam profugit, et poſtea diu apud nos fuit opem nequicquam et gratiam regis Galliae apud Turcum implorans, Ivonia Walachiae principatu potitur, Turcorum beneficio; quorum cum jugum et ipſe excutere cuperet, jam Chriſtianam religionem profeſſus, et ipſe Turcis ſuſpectus eſſe coepit, etiam ſuis inviſus, quorum in pleroſque, quos ſibi adverſatos reſciverat, exquiſitis crudelitatis generibus ſaevierat. Odia ſuorum et purpuratorum, quibus jam Ivoniae tanquam transfugae fides in dubium vocabatur, accendebat alterius Walachiae, quae Tranſalpina dicitur, princeps, qui imperium Moldavicum vagum Petro fratri a Selimo impetrare ſe poſſe, Ivonia ejecto, ſperabat. Itaque eaſdem ob cauſas Ivoniam apud Selimum criminatus, ob quas Ivonia prius Bogdanum ſuſpectum reddiderat, muneribus poſtremo apud purpuratos efficit, oblata etiam imperatori dupla penſione, ut Moldaviae principatus Ivoniae adimeretur. Conditionem avide cum Turci, avara gens, accepiſſent, quaeſitus color ex dupla penſione, quam Selimus miſſo cubiculario ab Ivonia menſe Februario hujus anni petiit, cum mandatis, ut, ſi eam pendere recuſaret, Moldavia, quam

beneficio

INTERPR. [a] *I-wan.* [b] *Tarnow.* [c] *Choczin.* [d] *Mieleczki.* [e] *Jaſlowieczki.* [f] *Tarlon.* [g] *le Nieſter.* [h] *Stephânouſe.* [i] *Herbert de Fulztin.* [k] *Dobroſolowzki.* [l] *Dobruczki, Golinczki, Conarzki & Vodiraczki.* [m] *de Bialogrod.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III. beneficio imperatoris obtineret, confeſtim cederet; nam eſſe alios, qui eam depenſuri ſint. Ea erat LX aureorum CIↃ, quae duplicata ad CXX excreſcebat. Ivonia, nuncio etſi turbatus, tamen modeſte reſpondit, ſe quantum in ſe ſit imperata facere paratum: ſed rem eſſe hujuſmodi, ut niſi conſulto ſenatu nihil polliceri poſſit: ſuam fidem imperatori obligatam, quam et ei ad mortem uſque inviolatam ſit ſervaturus; ſed nullos ſibi theſauros eſſe, ex quibus tantam pecuniam quotannis depromere poſſit: onus hoc cum ad univerſos pertineat, omnium de ea re conſenſum exquirendum. Poſtea re in ſenatu deliberata, cum Ivonia, ſi quidem iis ſatis animi eſſet, ut ſe adverſus flagitioſam ſervitutem, quae ipſis ſub Selimo immodica avaritia aeſtuante ſervienda erat, vindicarent, paratum quoque ſe oſtendit cum ipſis extrema quaeque perpeti, potius quam committere, ut pudenda patientia ſua diutius foedam ſervitutem ſub ethnico cane ſervirent: proinde uxores, liberos, ac ſi quid pretioſioris ſupellectilis haberent, in arcem Chocimenſem importarent; quae ad bellum ſpectarent, ſibi curae fore. Heic primum ex moerore altum ſilentium; quod mox indignatio univerſorum ſecuta eſt, alta voce clamantium, quo vellet, duceret: ſe hoſti ad Danubium, ubicunque imperaret, occurſuros, et ſumptibus ſuis militaturos. Quorum alacritate et conſtantia cognita, Ivonia nuncium Turcicum, multa in excuſationem ſui praefatus et invidia denegati tributi in ſenatum rejecta, dimittit; et ſe ad bellum comparat. Magnam is ac praecipuam in Henrico novo Poloniae rege fiduciam poſuerat; quae tamen fruſtra fuit: nam miſſis ad eum legatis, cum foederis, quod Polonis cum Turco intercedit, reverentiam pro reſponſo accepiſſet, ea ſpe deceptus, et ab amicis monitus, eſſe in extremis Poloniae oris hominum genus ſemper armatum, qui Tatarorum incurſiones contrariis excurſionibus reprimant, et ad Boryſthenem ac [a] Ponti oſtia uſque praedas agant, quorum ope non mediocriter juvari poſſit, quippe qui locorum gnari aſſiduis cum Turcis proeliis ſe exerceant, eam conditionem ex neceſſitate accepit; et uno atque altero internunciis ad Coſacos, ita velites hujuſmodi vulgo appellantur, miſſis, cum iis tranſigit. [b] Suiercevius vir impiger CC ducebat, et ceteris praeerat; in quibus erant CC ductore [c] Barſano, [d] Braſlavienſes totidem: [e] Coſlovius item ducebat CC; Sleſenius totidem; [f] Jancius et Socolovius ſinguli C. Ii cum altero a caſtris Ivoniae lapide veniſſent, praecedens ipſe Ivonia cum delecto equitatu, aſſumptis aliquot ex ſenatu, occurrit, et duces ſecum in tabernaculum ducit, et cum ſenatoribus ad convivium adhibet, ceteris in hoſpitia per tabernacula diſtributis. Remotis menſis, patinae argenteae afferuntur, nummis aliquot aureis plenae: primaque haec ad demerendos Coſacorum duces Ivoniae largitio fuit. Poſtridie univerſos evocatos et humane appellatos lingua Polonica alloquitur. Quo cum lachrimis perorante, pro omnibus ſuis Suiercevius verba fecit, et non ſpe ſtipendii ſed virtutis contra communem hoſtem periclitandae gratia ſe veniſſe dicit, fidemque dat conſtantis et in utraque fortuna firmae voluntatis. Quibus hinc inde tranſactis, Ivonia Coſacos epulo excipit, ſecumque pranſos, condicta ad profectionem die, cum ſumma alacritate dimittit: id fuit ad XIII Kal. Apr. hujus anni; cum Selimus intellecta Ivoniae defectione XXX CIↃ Turcorum et II CIↃ Hungarorum ad Tranſalpinae Walachiae principem miſiſſet, datis mandatis, ut cum ſuis ad auxiliares copias adjunctis Moldavum invaderent, eoque dejecto Petrum fratrem provinciae principem imponerent. Is igitur coactis omnibus copiis, quae ad C bellatorum CIↃ excreverant, [g] Moldavam tranat, et numero confiſus cum ſecurius ageret, re per ſpeculatores hoſtium captos cognita, ab Ivonia, qui Suiercevium cum ſuis, attributis ei VI CIↃ Walachorum, praemiſerat, ita opprimitur, ut, cum Moldavi equos ad paſcua a ſe abactos ad manum non haberent, et nuſquam ſugae

INTERPR. [a] *l'embouchure de la Mer noire.* [b] *Swierczcowzki.* [c] *Barſan.* [d] *ceux de Braſlau.* [e] *Koſlowzki.* [f] *Jancowzki & Sokolowzki.* [g] *Moldau r.*

fugae locus eſſet, inſtantibus Coſacis omnes fere caeſi ſint. Soli ex caede ſuperfuere CIↃIↃLXXIV.
Walachiae princeps et Petrus frater, certa ſpe Moldaviae potiundae eo profectus; qui HENRICUS III.
conſcenſis pernicibus equis per lacum, qui ex Danubio illac oritur, elapſi, ad arcem [a] Brailovienſem praeſidio Turcico firmatam pervenere. Amplius L hominum CIↃ ea ſtrage periere, horrendo prorſus ſpectaculo, per patenteis campos ſagittis, pilis, ſcuris, gladiis horrenteis, et jacentium cruore paſſim undante ſolo. Caſtris hoſtes exuti; et praeda omnis [b] Ivoniae ceſſit, quam ille tempeſtiva maxime ac laudabili liberalitate inter milites diviſit, potiore parte Coſacis erogata. Inde in Walachiae principis aemuli, cujus ut et fratris fruſtra cadaver inter mortuos veſtigari curaverat, ditionem exercitum inducit, omnique crudelitatis genere in obvios quoſque graſſatur. Non foeminis, non ſenibus, non denique puberibus parcitum, ferro et igne ſaeviendi cunctis permiſſa licentia. Tum ad Brailoviam arcem tendit; qua Walachum et Petrum ejus fratrem ſe incluſiſſe intellexerat: et per literas a praefecto loci petit, ut ſibi uterque, nulla juſta de cauſa infeſtus hoſtis et juſto proelio nuper ſuperatus, dedatur; alioqui ſe ab obſidione non diſceſſurum. At Turcus ſuperba juxta et iniqua Ivoniae petitione irritatus per quatuor Turcici ſanguinis viros, quorum duo oppidani, duo praeſidiarii erant, miſſis decem globis grandioribus ac totidem minoribus cum duabus ſagittis, reſpondet et interminatur Ivoniae, niſi quamprimum obſidionem ſolvat, fore, ut hujuſmodi ferculis cum ſuis eum excipiat, quae demum ad ſatietatem plenus poſtmodo evomere cogatur. Quo reſponſo homo ſucceſſu inflatus ad animum revocato internuncios comprehendi narcisque illis cum labiis et auribus praecidi jubet; tum pedes ſingulorum ſurſum verſos longiſſimae trabi ferreis clavis affigi, et capitibus ſolum tangentibus ante oppidum a ſcloppetariis objici jubet: quo dirae crudelitatis exemplo et metum Turcis et neceſſitatem ſuis vim in oppidum faciendi impoſuit. Itaque nulla mora interpoſita ſcalae admoventur, et muro diruto oppidum capitur, per quatriduum continuata in reſiſtenteis obvios et latenteis Turcos caede. Pueri ipſi ab uberibus matrum rapti et interfecti, exundante paſſim per vicos in Danubium ſubjectum ſanguine. Ad praedam inde verſus miles, quae ingens ibi reperta fuit, magna vi auri, argenti, ſignatae pecuniae ac unionum, a multo tempore per pacis commoda in oppidum congeſta. Nec caede et direptione ſatiatus miles igne injecto ſaeviit, et, quae incendium abſumere non potuit, ad extremum evertit, arce ſola ſuperante; ad quam cum auxiliarium Turcorum XVI CIↃ adventare per ſpeculatores didiciſſet Ivonia, ſtatim [c] Suiercevium cum Coſacis ſuis, additis VIII CIↃ Walachorum, in eos mittit; qui inopinata celeritate incedenteis et de via feſſos aggreſſus, nec ſpatio ad colligendum ſpiritum dato, ad unum omneis caedit, praeter CIↃ equites, qui fuga elapſi ipſo Suiercevio inſequente huc illuc palantes disjecti ſunt. Qui periculum evaſere, ad arcem [d] Teinenſem Turcicae ditionis receptum habuere. Ivonia a Suiercevio poſt ſucceſſum monitus, pronam et in manibus de Turcis victoriam eſſe, modo ne cunctetur, Brailoviae arcis obſidionem ſolvit, et ad ipſum continuo cum omnibus copiis accurrit; et reliquias Turcici exercitus rurſus caedit. Ad Teinenſe dein oppidum ducit; quod et citra certamen expugnat, oppidanis omnis aetatis et ſexus crudeliter occiſis. Sic autem incedebat victor exercitus: Suiercevius ſemper in primis ordinibus ſtans cum Turcis haſtatis proelium inibat, collocatis in prima fronte equitibus cum tormentis manuariis, quorum horrenda diſploſione Turcicam aciem diſturbabat: ad dextrum cornu ſagittarii opponebantur, qui crebra telorum grandine Turcos infeſtabant; ad laevum loricati, qui brevibus lanceis eminus turbatos inceſſebant, et ad extremum Walachis jugulandos praebebant. Inde ad Bialogrodenſe oppidum Turcicae ditionis

INTERPR. [a] *Brajolovo.* Nos hiſtoriens l'appellent *Brailovie*; c'eſt ſur le Danube. [b] *I-wan.* [c] *Swierzcowzki.* [d] *Tehinie.*

CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III.

ditionis itum; quod direptum et incenſum eſt, praeda cuncta, quae nou exigua fuit, militi conceſſa. Dum ad Teinenſe oppidum militi refocillando ad aliquot dies Ivonia ſederet, cognito Turcos haud procul hinc cum Tataris ſecuros vagari, Suiercevio imperat, ut cum Coſacis ſuis et II CIƆ Walachorum in eos duceret; quos ille palanteis et mox ad noſtrorum conſpectum conglobatos tripartito agmine adortus, et eo ordine, quem dixi, pugnans, poſt anceps horae ſpatio proelium ope velitum poſtremo in fugam vertit, multis ex iis occiſis, ac paucis ex noſtris. Capta caſtra, et ex hoſtibus CC; qui Ivoniae juſſu a pedite victore ad unum omnes falcibus grandiotibus, quibus foenum ſecatur, in fruſta conciſi ſunt. Dux ipſe, cum ſe ingenti ſumma tedimere voluiſſet; quippe qui ſexies librati in ſtatera corporis pondus, bis auro, ter argento, ſemel margaritis, appenſum polliceretur; nibil Coſacos permovere potuit; qui fidei Ivoniae datae, magis quam praedae, qua in dies largiſſime ditabantur, memores, dedititium in ipſius manus tradiderunt. Is vero, plurium dierum colloquio cum de tebus Turcorum abunde, ut tebatur, ab eo cognoviſſet, tandem captivum membratim peditibus diſcerpendum praebuit; et inde ad [a] Uſſam ad reficiendum ex labore militem perrexit. Quibus rebus cognitis, Selimus, veritus ne, amiſſa per defectiones utraque Dacia, exemplo graſſante, victores etiam in Macedoniam deſcendentes vicinas regiones et Graeciam ipſam commoverent, quam maximum fieri potuit exercitum conſcribi jubet, duce [b] Capucio purpurato, qui et acceptas injurias ulciſceretur, et rebellanteis provincias ad obſequium reduceret. Nec Ivonia ceſſabat: et, cum provideret Turcos, quo majore detrimento affecti eſſent, eo majore opum vi, injuriam et damnum acceptum ut reſarcirent, enixuros, Hieremiam [c] Carnaviecium, cui [d] Chocimenſis primariae Moldavorum atcis cuſtodiam cum valido ptaeſidio crediderat, accerſit; hominem ſibi, cum inter Turcos degeret, ſemper fidum, et tunc blandiente fortuna magis obnoxium creditum: eique attributis XIII CIƆ Walachorum negotium dat, ut ad Danubii ripam profectus circa [e] Oblacienſe oppidum progrederetur, ſervaturus, ne qua vado fluvium Turci tranſmitterent, et de ipſorum conſiliis et adventu ſe in dies certiorem faceret. Cum his mandatis oſculo etiam arctioris amicitiae pignore obſignatis Hieremiam dimittit Ivonia, qui poplite flexo nec ſine lachrimis ingenui animi teſtibus, quem tamen non diu ſervavit, fidam operam ſuam hero pollicetur: continuoque ad Danubium profectus, ſtationibus diſpoſitis vorticoſa his locis fluvii vada diligenter obſervari curat, ita ut Turci, qui jam cum numeroſo exercitu in ripa tranſmiſſuri ſedebant, aditu diu prohibuerit. Tandem purpurati hominem avarum, quem aperta vi vincere periculoſum cenſebant, blanditiis ac promiſſis, et jam XXX CIƆ Hungaricorum ultro numeratis, aggrediuntur; et Petrus Walachi frater fide accepta clam ſuis ad eum jam pecunia accepta nutantem pergit; et, quam infelici loco tes Ivoniae ſint, demonſtrat, qui Selimum nulla re poſt violatam fidem et tot injurias nuper illatas placabilem, nec unquam ab armis deſiturum, donec expulſo eo alium fidum ac ſibi vectigalem provinciae impoſuerit, in ſe concitaverit: haec ut amicum illum monere: proinde ſi ſapiat, dum adhuc tes integrae ſunt, ſibi privatim conſulat, et pto ſua prudentia aeſtimet, turius florentem Selimi potentiſſimi tota non ſolum Europa ſed Aſia et Africa imperatoris fortunam, an Ivoniae hominis fidei ac pudoris proſtituti res acciſas ſequi utilius ſibi ſit: omne bellum quam facile inchoari, tam aegre deponi; nec in ejuſdem poteſtate initium ac finem eſſe: incipere cuivis vel ignavo licere; ſemel ſuſceptum telinqui non poſſe, niſi cum victores velint: in ejus poteſtate ſitum eſſe, et ſe periculo ac certae peſti eximere et patriae pacem dare, ſi copiis, quas habeat, paulum abſcedere juſſis tranſitum Turcorum non impediat, cumque tantiſper Ivoniam celet, donec tranſmiſſo cum univerſo exercitu Danubio Ivoniam

INTERPR. [a] *Uzezia.* [b] *le Baſcha Capuce.* [c] *Carnawicz.* Nos hiſtoriens le nomment *Zarnieviche.* [d] *Chotzim.* [e] *Oblucice.*

Ivoniam opprimere cladeiſque acceptas una hora ulciſci poſſint; quod ſi faciat, praeter jam acceptam pecuniam etiam et honores et opes majores a Selimo conſecuturum. His verbis et Petrus lachrimas miſcet; Hieremiaeque perſuadet, ut certa incertis anteponat, et deploratam Ivoniae fortunam certa ſpe opum et honorum a Turcis et novo Moldaviae domino accipiendorum deſerat. Itaque ille confeſtim ex occaſione copias a ripa fluminis paulum removet; et, dum Turcicus exercitus tranſiret, in quo erant CC omnis generis bellatorum CIↃ, ad Ivoniam, ut tranſitus certiorem cum faceret, revolat; atque, ut illum jam ſucceſſibus elatum in inſidias facilius praecipitaret, non plus XV CIↃ hominum tranſmiſiſſe confirmat: qua re audita exultans Ivonia, qui ad Teinenſis arcis obſidionem haerebat, de fide adhuc Hieremiae certus, nec explorata certius rei veritate, quaſi ad certam victoriam cum Coſacis properat; et V Eid. Jun. tertio ab hoſtium caſtris lapide caſtra metatur. Inde [a] Suiercevius cum ſuis, aſſumpto Hieremia cum VI CIↃ Walachorum, ut de rebus hoſtium cognoſceret, procurrit; nactuſque agmen Turcorum, commiſſa pugna, illos fugat, capto ex fugitivis uno, qui multis vulneribus affectus, cum ſe moriturum putaret, fraudulenter paucos hoſteis flumen tranſmiſiſſe affirmat, fidemque Hieremiae dictis aſtruit: qua re factum, ut Ivonia jam de confligendo certior omnem moram impatienter ferret: munitiſque juxta Danubium caſtris, quo aquationem liberam haberet, omneis copias, quae ad XXX bellatorum CIↃ conficiebant, in XXX agmina per intervalla diſtribuit, collocatis in fronte muralibus machinis numero XXC. Pedites paulum ſemoti erant, gens ruſtica, falcibus, arcubus, gladiis reflexis more Turcorum inſtructi, conſtanti erga Ivoniam fide; qui ipſum, ne aut caſu aut proditione in hoſtium manus deveniret, ſervabant, et ad eum Coſacos Polonos ſolos interdum commeare patiebantur. Huc uſque fraus latuerat; cum inſtructa acie Ivonia tumulum conſcendit, ex quo Turcorum caſtra contemplatus, majoremque credito numerum ac ſupra ſpem cernens, demum ſe ab Hieremia proditum ſed ſero animadvertit; illumque, qui cum iis, quas penes ſe habebat, copiis propius hoſtium caſtra proceſſerat, ad ſe accerſi jubet: verum Hieremias, jam dolum detectum ſuſpicatus, ſe excuſat, et jam cum hoſtibus congredi parato ſibi non liberum eſſe ad eum venire reſpondet: extemploque, cum ſigna canerent, ipſe, ut neceſſitatem pugnandi Ivoniae imponeret, procurrit; et, cum in eo eſſet, ut confligeret, ex compacto ſuos vexillum demittere et pileos haſtis enſibuſque impoſitos ſuſtollere ac capita flectere in deditionis ſignum jubet: quod conſpicati Turci haſtis in ſublime erectis ſtatim eos viciſſim ad ſe tranſire jubent. Tum qui circa Ivoniam erant animo conſternati primum, mox tamen ab Ivonia conſilium ex neceſſitate capiente confirmati arma expediunt: quibus a Turcis oppoſiti dedititii, Walachi dignum proditione ſua exitum ſortiti ſunt, utrinque et a Turcis et a noſtris caeſi; per quorum cadavera hoſtes incedentes a Walachis aliis et Coſacis fortiter pugnantibus repelluntur; et, ſeu timore ſeu data opera, ut noſtros in inſidias pertraherent, terga vertunt: ſed dolum praeſentiens Suiercevius ſuos revocat, qui ſe ad tormenta recipiunt. Tum Turci converſa fronte vim faciunt, et novis ſubinde viribus aucti Walachos aggrediuntur. Heic atrox pugna oritur, ad tormentorum diſploſionem et armorum et equitantium fragorem diſſoni clamoris accedente fremitu, ſagittarum et pulveris nube tanta excitata, ut lux pugnantium oculis eriperetur; quae obſcuritas proceelloſo ſtatim et inopinato imbre ſe effundente diſcuſſa eſt, pulvere et fumo compreſſis, magno tormentorum, in quibus noſtrorum praecipua vis erat, detrimento, quae aqua madefacta non perinde ad ejaculationes idonea fuere: Neque tamen ſibi Walachi defuere, mutuis ſeſe cohortationibus ad rem ſtrenue gerendam cohortantes: ſed incumbentes Tatari, cum nullo a tormentis detrimento affici ſe viderent, audacius e latebris, in quibus hactenus tecti ſederant, egreſſi, in certamen ruunt,

INTERPR. [a] *Swierczewzki.*

ruunt, ac diris ululatibus noſtros jam fatigatos perterrefaciunt. Turci ad ultimum nutantcis loco pellunt, et patenti loco in fugam effuſos quaſi totidem pecudes crudeliter mactant. Ex ſtrage cum vix CCL Coſaci ſupereſſent, et pedites illi, quos dixi, tamen Ivonia et Suiercevius minime animo linquuntur; et equis relictis in Turcica tormenta impetum faciunt, quae et cepere; et, cum adducere ſecum non poſſent, clavis injectis corrupere. Inde in pedes cuncti deſcendunt, et ad rudera incenſae domus ſe recipiunt, et caſtra loco incommodo ob aquationis defectum magno errore muniunt; quod citius dedendi ſe neceſſitatem Chriſtianis impoſuit. Cumque ab inſequendis Walachis Turci ſub veſperam rediiſſent, ſtatim caſtra noſtrorum circumvallant, tanto numero et tam diligenti cuſtodia, ut nemo elabi poſſet. Poſtridie diſploſa in obſeſſos ab hoſte tormenta; quibus tamen ob valli altitudinem leviter laedebantur: cumque Turci difficilem caſtrorum expugnationem cernerent, per internuncios Ivoniam tentant, et, quo maturius ſe dediturus ſit, eo miſericordiae a Turcis obtinendae majorem ſpem faciunt. Quare concilio vocato ducum ſententias exquirit; dedere ſe an generoſa morte victoriam hoſti funeſtam facere mallent: et ita Poloni ſentiebant; cum fortiter pugnando generoſe cadere potius, quam hoſti ſaeviſſimo per ludibrium, dedecus et diros cruciatus contumelioſe jugulandos ſe praebere optatius ducerent: ſed Walachi, quorum major numerus erat, quanquam ſe ad extrema quaeque paratos oſtenderent, tamen cum aliquam gratiae a Turcis ſpem Ivoniae et Polonis ingererent, poſtremo Ivoniam animi anxium et fluctuantem eo perpulerunt, ut tot animarum miſertus, habebat quippe in caſtris XX CIↃ bellatorum, quorum plerique in horas ſiti enecti exanimabantur, dedere ſe paratum oſtenderet; modo in aequas conditiones Turci conſentirent, quas purpurati et praefecti ſinguli ſepties adhibito jurejurando firment. Eae erant: ut univerſus equitatus Polonus cum equis et impedimentis ſalvus dimitteretur, libero [a] Neſtri tranſitu eis permiſſo: ipſe, qui paciſcebatur, vivus et incolumis coram Selimo ſiſteretur: additum, quod ad Walachos, curae eos Selimo fore; ut quorum pernicies et Turcorum imperatori et eis, quos ille Walachiae deinceps praefecturus ſit, magnum eſſet detrimentum latura. Quibus ad purpuratos perlatis, illi, ſive promiſſa minime ſervare certi, ſive rei ſecretum penes Capucium ſummum belli ducem eſſet, protinus omnia poſtulata ſinguli ſepties ſacramento militari tam ſuo quam militum nomine confirmant. Moxque ipſe caſtris quaſi omni metu ſolutus ad purpuratos contendit; et pro Polonis apud eos orationem habuit; quos multis verbis quam potuit honorificentiſſime commendavit, odium, quo apud Turcos laborabant, in ſe converti rogans. Tum porrecta Polonis ad oſculum more gentis manu, eos a ſe dimittit, oratos, ut ſui viciſſim memores eſſent: idem et Walachis ultimum vale dicens apud ipſos fecit. Tum recordatus auri et unionum, quos penes ſe habebat, Polonos revocat; et, virtute eorum ac fide erga ſe iterum laudata, pretio inter eos diſtributo, etiam ſpem facit, ſi quidem coram Selimo, cujus omneis ſenſus ſe callere aiebat, bona fide ſiſteretur, fore, ut Moldavia iterum potiretur: interea ſui memoriam ſervarent, fortunae olim ſuae melioris futurae participes. Ita lachrimis utrinque obortis ille [b] Oſmolio Polono ſecum aſſumpto ad caſtra hoſtium pergit, et cum purpuratis quatuor horarum colloquium habuit: ubi Capucius, occaſione ex ſuperbo Ivoniae reſponſo capta, ſtricto gladio ventrem faciemque dedititii diſcidit; moxque captivum praetoriani corripiunt, et ſemivivo caput a trunco dividunt; deinde corpus pedibus duorum camelorum alligatum belluis in diverſum concitatis diſcerpendum objiciunt: caput haſtae infixum; cadaver in fruſta conciſum; cujus ex cruore certatim milites gladios perungebant, ſanguinem etiam equis potandum porrigentes, ſive ultione an admiratione virtutis militaris, quam etiam in hoſte ſuſpiciebant. Inde verſus in Walachos ſupplices impetus; quos tanquam perduelleis, quippe

INTERPR. [a] *le Nieſter.* [b] *Oſmolzki.*

quippe [a] Oſmanicae ditionis ſubditos pecudum more jugulant. Quo viſo Coſaci, cum ad ſua caſtra jam a Turcis occupata reditus non eſſet, ſeſe mutuo cohortati in denſa Turcorum agmina magnis animis irruunt, et pauci a numeroſo hoſte obſtinate pugnando interfecti ſunt. Capti, cum mori non potuiſſent, [b] Suiercevius praecipuus belli dux, et cui uni rei bene geſtae eo bello decus debebatur, [c] Coſlovius, Sadorſcius, Zaleſcius, Reſcovius, Copiſcius, Jancius, Socolovius, Ciſovius, Boguſſius, Libiſovius, Sucinius; qui fruſtra ſolicitati, ut ejerata vera religione ad impiam Turcorum ſuperſtitionem deficerent, poſtremo ab heris ſuis grandi pecunia redempti ſunt. Ita Moldavia atque adeo utraque Walachia rurſus juris Turcici facta eſt, tributo grandi illo imperato, quod Petrus Tranſalpini Walachi frater, qui Ivoniae Bogdani expulſori ſucceſſit, a Selimo provinciae impoſitus pendere promiſerat: magno inconſtantiae rerum humanarum et divinae ultionis exemplo, ut omnes hinc diſcant ab omni maleficio et injuria temperare, memores, quod cuiquam fecerint, idem ſibi a quovis exſpectandum eſſe. CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III.

XIV. His de rebus in Africa et Dacia geſtis nuncio in Italiam allato, concepta ex Henrici Franciae et Poloniae regis ubique feſtis pompis excepti adventu laetitia haud mediocriter imminuta eſt. Rex, per Cremonam et Placentiam adverſo Pado navigans, tandem Vercellas et inde [d] Auguſtam Taurinorum deſcenderat: quo et Henricus Momorantius Damvilla accitu Sabaudi fide accepta venit; et interventu Margaritae regis amitae lectiſſimae foeminae, et innato patriae amore Gallici nominis ſtudioſiſſimae, nihil non actum eſt, ut rex Momorantiis reconciliaretur, et omnis ex animo Damvillae ſcrupulus et odii regii ſuſpicio tolleretur. Verum rex, inter factiones ſub Carolo fratre a parente regina, dum Guiſianorum et Momorantiorum partibus regnum diſtraheretur, educatus, in alterorum partes tranſierat, excuſando forte tunc errore, cum majorum religionis cauſam agi ratus, quam Guiſianos tueri, contra Momorantios in gratiam Coliniorum oppugnare credebat, in Guiſianorum ob id favorem [α] propenderet. Eodem tempore ad eum Lugduno venerant Philippus [e] Huraltus Cevernius praecipuus conſiliarius et ejus olim cancellarius, Bernardus [f] Fiza, et Nicolaus Neovillus Villaregius a ſecretis epiſtolis, a regina miſſi, quae de regis filii voluntate incerta animi diſcruciabatur. Eam quippe per literas monuerat Renatus [g] Villoclarus, efficacior, quam oportuit, herilis ingenii circumagendi artifex, regem a principibus, quos in itinere inviſerat, et ab iis, qui circa ipſum erant, (Rogerium [h] Sanlarium Bellogardium et [i] Vidum Fabrum Pibracium intelligebat) perſuaſum praemeditata de pace conſilia adſerre; eaque mente in regnum venire, ut, quae per ipſius abſentiam ab exceſſu fratris decreta et geſta eſſent, reſcinderet, novam adminiſtrationis formam, novos homines induceret. Id verita juxta levis et ambitioſa foemina, penes quam ſumma rerum ſub Carolo fuerat, cum majorem multo potentiam ſub dilectiſſimo filio ſe adepturam ſibi perſuaſiſſet, Cevernio mandata dederat, regem ſuo nomine rogaret, ut ultimam omnem de republica ſententiam ſuſpenderet, donec poſt ingreſſum in regnum certius edoctus de rerum ſumma coram decerneret. Quod et ille ſedulo fecit: et, ſicuti juſſus erat, multis rationibus e variis rumuſculis artificioſe collectis ſuſpectam Bellogardii et Pibracii, qui gratia apud regem vulgo plurimum poſſe

INTERPR. [a] *eſtat & pays du Grand Seigneur.* [b] *Swiereczcowzki.* [c] *Koſlowzki, Sardezki, Zalezki, Rzeſcowzki, Kopiczinzki, Jankowzki, Sokolowzki, Ciſowzki, Boguſz, Libiſcowzki, & Sucinzki.* [d] *Turin.* [e] *Hurault, ſieur de Chiverny.* [f] *de Fizes, & Nic. de Neufville de Villeroy.* [g] *de Villequier.* [h] *de S. Lary, ſieur de Bellegarde.* [i] *Guy Du Faur, ſieur de Pibrac.*

VAR. LECT. [α] propenderet. Sed poſtquam regnum adeptus eſt, inexcuſabilis error fuit partes in regno proprio fovere; quas melius conſultus, arbitrio rei ſumpto, potius diſſipare et omnino tollere debuit, aequabili jure inter partes conſtituto: cujus erroris ipſum poſtea ſed ſero poenituit. Eodem tempore *MS. Samm.*

CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III. poſſe credebantur, fidem reddidit; illius quidem, ut arcta cum Damvilla libidinum et aliorum ſcelerum conſcientia (ſic in mandatis ſecretis loqui jubebatur) conjuncti; hujus vero, ut Proteſtantium cauſae haud dubie faventis. Quae monita ab homine ſibi fido et gratioſo et a regente miſſo profecta tam alte in regis pectus deſcenderunt, ut repente poſt arcanum cum Cevernio colloquium omnino alius apparuerit; cum ſe alieniore animo ab iis, cum quibus tanta familiaritate antea utebatur, eſſe oſtenderet, raro eos alloqueretur, et alium vultum, aliam perſonam ſubito induiſſe videretur. Eaque re effectum creditur, ut rex, infeſto per ſe erga Momorantios animo, cum tamen a Bellogardio et Pibracio perſuaſus, et inſtigante Sabaudo, quem Momorantii adfinitate contingebant, aliquid eorum gratiae daturus crederetur, ſubito mutaverit, et Damvillam cum ambiguo reſponſo haud obſcura alienatae voluntatis ſignificatione dimiſerit; qui citatis equis eodem, quo venerat, itinere in [a] Septimaniam reverſus omni gratiae ſpe abjecta foedus cum Proteſtantibus et Catholicis unitis, ut vulgo vocabantur, juxta conditiones [b] Milialdi perſcriptas ſanxit; et, cum antea cunctabunde in eo negotio verſatus fuiſſet, ſe ad bellum ſerio ac ſedulo gerendum comparavit. Primum cum errorem in regni limite et auſpiciis admiſſum, quem tempus utcunque poſtea emendare potuit, rex alio non aeque corrigibili cumulavit, fide temere Sabaudo, affectatis officiis gratiam principis in omnem prodigendi et damnoſe ſpargendi licentiam effuſi promerito, data, de [c] Pinarolio et Savilliano Subalpinae regionis urbibus ac Peroſia valle ipſi reſtituendis. Eas poſt ultimam cum Philippo pacificationem et reſtitutam Sabaudo omnem fere ejus ditionem reges noſtri hactenus pignoris loco retinuerant, dum controverſiae de aliis urbibus, arcibus ac ditionibus, quas a Subaudo occupatas reſtitui debere contendebant, ultimo judicio decidebantur; easque cum [d] Saluciae principatu ſub eadem praefectura complexi fuerant. Praefecturam tunc obtinebat Ludovicus Gonzaga [e] Nivernenſium dux; qui, ſive ob veteres Mantuanorum principum cum Sabaudiae ducibus ſimultates et recentem de [f] Monſertatenſi marchionatu contentionem, ſive decoris et nominis Gallici ſtudio, cum [g] Aquis Statiliis in agro Monſerratenſi eſſet, quo ad valetudinem curandam commeatu [α] petito excurrerat, ſcripto prolixo poſtea ad regem, cum jam Lugdunum veniſſet, per Nicolaum [h] Conanum miſſo VII Kal. Oct. eum ab hoc juxta pudendo et damnoſo conſilio dehortari conatus eſt. Interea rex ſuperatis ad Ceniſium montem Alpibus [i] Joannis in Morienna fanum venit; ubi Friderici III Palatini ſeptemviri legatum de pace, Condaeo inſtigante, miſſum audivit. Inde per [k] Camberium provinciae ſenatus ſedem ad regni fineis pervenit, lectica geſtatoria clathris vitreis feneſtrata propter anguſtias et aſperitates locorum vectus, magna pompa et comitatu militari proſequente eum Sabaudo; et ad [l] Bellovacum pontem, qui ditionem utramque medio [m] Jartio amniculo dividit, Alençonium fratrem et Navarrum ſororium obvios ſub veſperam Non. Sept. habuit a regina praemiſſos, quos magna animi ſinceri ac benevoli ſignificatione excepit. Regina [n] Burgonium proceſſerat, panis coctura nobilem vicum, quod occultae fontium eo loco ſcaturientium virtuti tribuunt: quo poſtridie rex ad matrem venit; et, ut fidem in itinere datam, cujus jam poenitebat, liberaret, quamvis diſſuadente regina, Bellogardium tribunum equitum creavit; eo honore hominem antea ſibi gratum, tunc vero ſuſpectum, [β] dignatus.

XV. EODEM die rex Lugdunum magna pompa ingreſſus eſt, prodeunte Franciſco Mandeloto urbis praefecto cum armatis urbanis copiis; et ad [γ] archiepiſcopi aedeis divertit.

VAR. LECT. [α] a rege petito *D. f. d.* [β] dignatus: quo ſe ille poſtea indignum exhibuit, ingratitudine ſumma ac deteſtanda perfidia alienatam regis de ſe bene prius meriti voluntatem ultus. Eodem die rex *MS. Samm.* [γ] Petri Eſpinaci archiepiſcopi *D. f. d.*

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *Millaud.* [c] *Pignerol & Savillan en Piedmont.* [d] *marquiſat de Saluces.* [e] *Nevers.* [f] *Montſerrat.* [g] *Aqui.* [h] *Conan.* [i] *S. Jean de Maurienne.* [k] *Chambery.* [l] *Pont Beauvoiſin.* [m] *Guye r.* [n] *Bourgoin.*

divertit. Heic poſt regis in Galliam adventum magna animorum mutatio ſtatim ſecuta eſt; quique imperio, dum rex frater viveret, digniſſimus habebatur et omnium votis expetitus fuerat, converſa omnium voluntate, ſui faſtidium ſtatim excitavit, pleriſque de ejus regno male ominantibus. Ipſe eam opinionem non parum adjuvit, dum in militaribus expeditionibus educatus alieni a virtute militari animi ſigna publice daret; non in equo inſidens, et regio more ſe populo, ut deceſſores ſui conſueverant, oſtentans; ſed phaſelo picta clauſus per [a] Ararim eum paucis deveheretur; cibumque ſumens ſeptis ante menſam poſitis cunctos acceſſu prohiberet, ac poſt prandium audiendis ſupplicibus properanter defungeretur; interdiu intra privatum conclave ſe contineret; raros eoſque juvenes neque ullo digno operae pretio gratiam ejus promeritos ad colloquium admitteret; proceres et meritis ſubnixos excluderet, majeſtate regia ae vetere diſciplina paulatim in faſtum et mollitiem ſoluta. His accedebat imporens effundendi eunctaque perdendi libido, conſtituto dignitatibus primariis et praefecturis militaribus immodico pretio, quo eas a dignis, et qui virtutis ac fidei ergo illas a regibus meruerant, mercaretur, atque in indignos transferret. Ac memini ſane, eo ipſo die, quo rex Lugdunum ingreſſus eſt, cum in aedibus Joannis [b] Tornaeſii viri de re literaria optime meriti eſſem, Symeonem [c] Boſium praetorem Lemovieum, non ſolum in literis, quod ſcripta ejus teſtantur, ſed etiam in rebus gerendis acri judicio praeditum, mihi dicere ſolitum, complureis contrariam a praecepta vulgi de rege opinione ſententiam fovere, qui adfirmarent fore, ut is conceptam de ſe et apud ſuos externoſque principes ſpem longe diverſo ac fortaſſe miſerabili exitu fruſtraretur: eumque contra pertenderem, multaque in eam rem mihi blandiens e re praeſenti nata in medium afferrem, hominem modeſtum, qui altercari nollet, reſpondiſſe, id ſe aegre nec niſi cum acri doloris ſenſu coactum dicere, vulſaque aure monuiſſe, memor dictorum eſſem, et ab eventu olim de eorum fide judicarem. Quod ſive ex ſe, qua erat prudentia, et, ut multi credunt, ex aſtrorum decretoria, quam apprime callebat, ſcientia, ſive aliorum ea in re judicium ſecutus diceret, certe rem dignam exiſtimavi, cujus, ob eximiam quam in illo viro ſemper ſuſpexi doctrinam, heic honorificam mentionem facerem. His initiis maxime allenatae procerum voluntates, et alii poſt alios aut offenſione privata aut publica indignatione et aliorum exemplo ſenſim dilabi coepere. Principium diſceſſionis factum a Gaſpare [d] Caſtreo Nancaeo ſtipatus regli quaſi hereditario praefecto, qui in Caroli fratris gratia primarium gratiae locum et propriis et majorum meritis tenuerat; et ab [e] Angeneis Rambulietis fratribus, qui, cum indignam meritis ſuis gratiam rependi dolerent, inde cum multa nobilitate domum conceſſere: ita ut aula prius frequentiſſima ſubito ad ſolitudinem redacta videretur, quod unice peroptabant novi conſiliarii, qui omnia ex ſuo arbitrio negotia in poſterum pendere cupiebant.

CIↃIↃLXXIV.

HENRICUS III.

INTERPR. [a] *la Saone.* [b] *de Tournes.* [c] *Du Bois, lieutenant general de Limoges.* [d] *de la Chaſtre, ſieur de Nançay, capitaine des gardes du Corps.* [e] *d'Angennes, ſieurs de Rambouillet.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER QUINQUAGESIMUS NONUS.

EPITOME.

G*UISIANORUM et Momorantiorum in regno factiones; et in aula ſubſidiariae Hoſpitalianorum et Morvillianorum.* II. *Conſultatio de bello inter Paulum Foxium pacem et Villoclarum bellum ſuadentes. Villoclari ſententia obtinet.* III. *Diana Momorantii captivi uxor pro mariti libertate deprecatura Lugdunum venit.* IV. *Nivernius de reſtitutione urbium Subalpinarum ſcripto comprehenſam conſultationem regi offert.* V. *Margaritae Sabaudae ſub id deceſſus. Savillianum et Pinarolium Sabaudo reſtituuntur. Rex Eliſabetham Sueci filiam ambit. Cum Rupellanis fruſtra agitur, cum Condaeo item in Germania.* VI. *Rex Avenionem venit cum aulico comitatu. Rogerius Bellogardius tribunus equitum creatus Delfino principi ſufficitur, et per eum Damvilla denuo tentatur. Liberonis dubia obſidio.* VII. *Rex in Natali ſe flagellantium pompae ipſe perſonatus intereſt.* VIII. *Caroli cardinalis Lotharingi mors, ingenium, virtutes.* IX. *Aloiſia Lotharinga, ſpreta Eliſabetha Sueca, a rege ambitur.* X. *Fontenaium in Pictonibus a Monpenſerio obſeſſum et captum.* XI. *Ad Luſinianum poſita caſtra. Meluſinae turris et gentis toto orbe illuſtriſſimae fabula et vetuſtas. Tandem a Roano locus Monpenſerio deditur, et Meluſinae turris dejicitur.* XII. *Eliſabetha Angla a Carolo rege coepta pro Alençonio et Navarro officia apud novum regem per oratores ſuos perſequitur, et edictorum in Proteſtantium gratiam conditorum confirmationem urget. Ad haec, de nuptiis negotium repoſitum.* XIII. *Guiſiani in aula libertatem Mariae Scotae urgent. Prodigia: et cetus immani magnitudine recedente mari deſtitutus.* XIV. *In Belgio Mildeburgum poſt longam obſidionem a Mondragonio foederatis Ordinibus deditur. Inde Trajectum ad Moſam petitur.* XV. *Ingens ad Mocam parta a regiis victoria; quam ſolemnis Hiſpanorum ſeditio ſecuta eſt.* XVI. *Naves Hiſpanae in Scaldis aeſtuario a Zelandicis interceptae. Diploma gratioſum fruſtra Madrito miſſum. Ex reditu Germanorum dimiſſorum captata occaſione, Magnus Saxo Lauemburgicus bellum in paterna ditione excitat.* XVII. *Sueci in Livonia improſperi ſucceſſus. Dano venditae arces a Moſco occupantur.* XVIII. *Bellum totis viribus in Batavis geritur. Fr. Valdeſius ad Lugduni in Batavis obſidionem redit.* XIX. *Caſtra ad Lugdunum* VI *Kal. Jun. poſita. Tandem ſupervenientibus auxiliis obſidio ſolvitur.* XX. *Antuerpia fruſtra tentata.* XXI. *Jo. ab Hoia epiſcopi Monaſterienſis mors; cui ſuffectus Joannes Clivenſis. Henrici Roberti Marciani obitus:* XXII. *Virorum literis illuſtrium, Pauli Manutii, Joach. Camerarii, Amaltheorum fratrum, Jo. Guinterii, Benedicti Aretii, Joach. Weſtfali, Cypriani Leovitii, Hermanni Cruſerii, Enimundi Bonefidii, Reginaldi Clutinii Flaviniaci, Jo. Verſoſae, Georgii Vaſarii architecti ac pictoris excellentiſſimi:* XXIII. *Selimi* II, *Tecmaſis Perſarum imperatoris deceſſus.*

EX AUCTORIBUS,

Actis publicis, Nivernii adverſariis, L. Vicino P. P. Jo. Serrano, Obſidionis Luſinianae diario, Gul. Camdeni annalibus Elizabethae, Imm. Meterano, B. Mendoza, H. F. Conneſtaggio, Jo. Parvo, Dav. Chytraeo.

LIBER

LIBER QUINQUAGESIMUS NONUS.

CIƆIƆLXXIV.
HENRICUS III.

REX ubi Lugdunum venit, prima conſultatio fuit, an cum delegatis Proteſtantium et ſociorum unitorum, qui in aulam venturi propediem exſpectabantur, de pace agi placeret; an ſerio armis rem geri, ut perduelles vi in ordinem cogerentur. Res in conſiſtorio ſecretiore agitata coram regina, cardinali Lotharingo, Guiſio et aliis ejuſdem familiae proceribus, [a] Nemoroſio, [b] Engoliſmenſi notho, Alberto [c] Gondio Radeſiarum comite et aliis equitum, qui aderant, tribunis, ac delectis conſiliariis; excluſo inde [d] Pibracio ut ſuſpecto. Erant in aula atque adeo in conſiſtorio regio praeter Guiſianorum, qui, rege in eorum partes propendente, praepollebant, et Momorantiorum pnblica calamitate oppreſſorum et adhuc tamen validorum, factiones, aliae duae hominum de republica diverſe ſentientium, neque tamen alterutri illarum ſtudiis ant voluntatibus conjunctorum: nam utrique paci ſtudere et publicae regni tranquillitati videri volebant. Verum alii, dum majorum religionem de emendatione ejus ſecuri abſque temperamento quavis ratione retinere ſatagunt, facile ſe neceſſirate addnci patiebantur, ut in eorum gratiam, qui arma ejus tuendae praetextu ſumebant, fidem Proteſtantibus datam vel cavillatoria interpretatione eluderent, aut omnino violarent. Alii a majorum quidem religione diſcedere nolebant; ſed multa in ea tractn temporis per avaritiam et craſſam ignorantiam invecta, ad Dei contumeliam et multorum offenſionem pertinentia, corrigi cupiebant; eoque Proteſtantibus aequiores amice cum iis tranſigi, fidem illis publice datam bona fide ſervari, et qnavis ratione pacem, ſine qua emendationis negotium procedere non poterat, conſtitui debere contendebant. Et ita illi Guiſianis belli occaſiones undecunque captantibus, hi Momorantiis pacem ſuadentibus favebant; quamvis alioqui ab eorum partibus utrique alieni. Hujus poſtremae ſententiae princeps fuerat Michael [e] Hoſpitalius Franciae cancellarius, vir magnitudine animi, conſtantia, integritate et doctrina ſimul praeſtans; qui, inflammatis ob religionem populi odiis, magna invidia in aula et toto regno conflagraverat, ob id tandem aula pulſus, et anno ſuperiore domi ſuae extinctus: ſuaeque ſententiae adſtipulatores reliquit in aula Paulum Foxium, in ſenatu Chriſtophorum Thuanum curiae illius primarium praeſidem, [1] Chriſtophorum [f] Harlaeum praeſidem, Baptiſtam [g] Menilium et Pibracium fiſci advocatos. Alterius auctor fuit Joannes [h] Morvillerius, olim epiſcopus Aurelianenſis, vir miti et probo ingenio, cauta et temporibus accommodata prudentia Hoſpitalio major creditus, cum ceteris partibus longe eſſet inferior: cujus ſequaces ſemper in aula praevaluerunt; eoque factum, nt, graſſante turbas cupientium factione, tot edicta alia ſuper alia condita et toties violata ſint, toties renovato bello, et eadem levitate, qua ſuſceptum fuerat, depoſito; donec ad ultimum poſtremo hoc, quo totum regnum quaſſatum ac funditus paene everſum eſt, bello, prudentia conſiliariorum illorum omnino evanuir.

II. HEIC igitur Paulus [i] Foxius dicere juſſus orditur. De bello tibi conſulenti, Chriſtianiſſime rex, duo in primis videnda ſunt; utile aut neceſſatium illud ſit, quod gerendum proponitur: et utilitatem metiri debes ant ex re ipſa, aut etiam ex variis, habita

INTERPR. [a] *le duc de Nemours.* [b] *le chevalier d'Angouleſme, grand prieur de France.* [c] *de Gondy, mareſchal de Retz.* [d] *Du Faur, ſieur de Pibrac.* [e] *de l'Hoſpital.* [f] *de Harlay.* [g] *du Meſnil & de Pibrac, avocats du roy.* [h] *de Morvilliers, evique d'Orleans.* [i] *de Foix.*

NOT. [1] *Dele* Chriſtophorum, *lege* Achillem. *C.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

habita praeſentis rerum ſtatus ratione, circumſtantiis; quae ſi omnia deſunt, tamen, ſi citra regii faſtigii et publicae quietis, quae cum regia majeſtate ſemper periclitatur, diſpendium, inevitabilis alioqui injuria diſſimulari non poteſt, bellum neceſſitate excuſatur. Et externa quidem bella aliquando utilia ſunt; cum injuriam propulſamus, et veterem ulciſcendo novam prohibemus; cum ex damno hoſtium lucrum captamus, ex ſpoliis eorum diteſcimus, aut denique provincias bello partas imperio adjicimus. At quae belli civilis utilitas animo fingi poteſt? in quo pro laetitia, lucro et ſecuritate, luctus, poenitentia et deſolatio victoriam fere ſequitur: in quo irae, ultioni, odiis, proprio ſanguine parentatur, et victi victoriſque per publicam jacturam conditio aequatur, ac plerumque plus damni victor quam victus reportat. Itaque de cive debellato apud Romanos prudentiſſimos rerum aeſtimatores triumphare non licuit; quibus fineis propagare, ſocios defendete, decus tueri, praecipua cura ſemper ſuit. Ac belli civilis non decus, non laeta victoria, non ſpes ſpoliorum finis eſt: ſatis habet victor ſi pacem habeat, ſi concordiam ſarciat, ſi odia, ſimultates componat, et univerſos ad obſequium et mutuum amorem reducat. Qua in re diutius immorari ejus ſit, qui otio tuo et patientia abuti velit. Tantum quae de facilitate ejus gerendi aut neceſſitate contra afferuntur, diluenda ſunt: quibus, quia, praepoſtera de rebus ad rempublicam pertinentibus in angulis ac circulis diſputandi libertate, ea in ore omni populo ſunt, ſtatim initio occurrere decrevi. Belli hujus amice componendi, aiunt, perplexa et difficilis ratio eſt; propter ſuſpiciones, odia, injurias, duarum religionum inter ſe pugnantium fruſtra hactenus tentatam concordiam, quarundam familiarum aemulationes ac ſimultates: itaque, cum amice componi non poſſit, neceſſitate ad rem vi gerendam rex adigitur; cui et juſtior cauſa, et omnia affatim et ad manum ſuppetunt; quae ſeditioſis ac perduellibus fere deſunt. Verum anceps belli alea et incertus victotiae exitus; qui plerumque non ad juſtiorem cauſam inclinat: quinimo uſu venire cernimus, ut per ſimileis caſus Deus, qnem juſta in nos concitatum ira citra praefractam impudentiam diffiteri non poſſumus, ſuos puniat. Sic enim per Babylonios ſuorum peccata ultum eum, ex ſacra hiſtoria ſcimus: et quos Turcus in dies toto Chriſtiano orbe progreſſus faciat, magno noſtro cum dolore ac dedecore ſentimus. Id et in iis ipſis, quos armis petere deſtinamus, experientia didicimus; quorum Deus hactenus arma adverſus nos fortunavit. At enim iis pecunia praecipuus belli nervus deeſt. A re pecuniaria laborare illos haud nego: ſed, quam ſumma fide et frugaliter dum adminiſtrant, ejus expediendae ſemper novas rationes adinveniunt; et foederatos principes habent, qui ut in communi cauſa laboranteis minime deſerunt. Ipſi vero nihil reliqui faciunt, omnia ſua ac libertatem ipſam, pro qua bellum gerunt, oppignerare parati, ut eam tueantur: quippe non caſu et temere nec ad leveis rumuſculos excitati ſine ducibus et diſciplina coëunt; ſed homines bellicoſi, jam a longo tempore captis ex deſperatione conſiliis, et ad extrema quaeque animis obfirmatis, duces certos et militem eadem cauſae neceſſitate belli ſecum conjunctum habent; quibus opibus ſubnixi diu ante praemeditatas nec heri aut nudius tertius excogitatas expeditiones ſuſcipiunt, ordinem et diſciplinam intet ſe ſervant, a laſcivia et petulantia omni abſtinent; duces ſuos, praecepta virtutis eorum opinione, colunt, et periculo communi admoniti, quod eſt arctiſſimum concordiae vinculum, ſe iis morigeros praebent. Contra in caſtris regiis cuncta invidia, livore, avaritia et acri ambitione tranſiguntur: tum varii inter duces et nobilitatem animorum ſenſus; cum alii otium, alii turbas peroptent; alii ſuorum charitate aut aemulorum odio tangantur; ita ut diſciplina interea jaceat, bellum protelетur, et aerario exhauſto miſera plebs ad extremam inopiam redigatur. Etiam numerum militum, quo rex Chriſtianiſſime praepolles, proculdubio objici video. Sed plureis a minore numero de majore

reportatas

reportatas victorias novit, qui hiſtorias evolvit: et ab externis auxiliaribus, quos habere potes, fragile praeſidium eſt; quippe qui in ignota regione ſegnius bellum gerunt. Helvetii tantum ad defendendum valent. Italicorum potius oſtentatio quam robur commendatur. Belgarum exiguae opes. Germanorum merito ut in religione idem cum Proteſtantibus ſentientium ſuſpecta fides. At enim uno proelio debellabitur. Hoc vovere eſt, non rem ratione expendere. Nam quis det, ut loco et tempore condicto de ſumma rerum decernatur, et uno eodemque die omnino ad internecionem hoſtis deleatur? Quam olim obſtinate pugna ſtataria certabatur, tam hodie de receptu ingenioſe per tumultuaria proelia cogitatur; recepta inter hujus aevi duces ſententia, e pugna recedenteis denuo pugnare poſſe; ut bellum cauponari potius quam geri videatur. Rurſus objiciunt, V aut VI CIↃ ex iis interim interficientur. At quo profectu? ut in poſterum ad ultionem inflammatiores, in conſiliis explorandis adverſariorum ſagaciores, in capiendis prudentiores, in diſciplina ſervanda ducum imperii[a] obedientiores reddantur. Verum, ut uno et altero proelio non omnino deleantur, at iis debilitati et infracti ad aequiores conditiones accipiendas ſaltem inflectentur. Atenim, tormentis et extremis periculis plus apud eos valere ſervitutis conſcientiis impoſitae metum, et concivium ſuorum ſannas et opprobria, jam ſaepius experti ſumus. Si vero eos omnino deleri ſtat ſententia, quanto id tuorum ſanguine, quantis ſumptibus, quanto victoriae nutantis diſcrimine conſtiturum ſit, Chriſtianiſſime rex, qui periculis ipſis ſaepius participaſti, minime ignoras. Quod ut ſperari poſſit, tamen et filiis propter infirmitatem parcetur, et innocentiae eorum crimen condonabitur; qui olim et ultione ardentes et bona ſua ab aliis poſſideri impatienter ferentes conſilia paterna reſument, et novis motibus excitandis occaſionem quaerent. Nam nuſquam magnae et praepotentis factionis atque adeo conjurationis, qualis haec eſt, ita reſtingui incendium potuit, quin ex interfectorum aut exulum cineribus major ignis ſit accenſus. Et, ne futura cogitemus, ſi ad praeſentia attendimus, cui dubium eſſe poteſt, quin ii, qui hodie in armis ſunt, ſi ſe viribus inferiores poſt proelium ſentiant, extrema conſilia ex deſperatione capiant; et regnum hoc, in quo ſe tuto manere non poſſe cernent, ſi deſerere cogantur, ferro et incendio ultimo tanquam nunquam redituri vaſtent? In vitiis, ut in virtutibus, per gradus fit progreſſus. Si, quae ante oculos hactenus ſaevitiae, injuriarum et deſolationis publicae exempla obſervata ſunt, merito boni ac pii omnes abominantur; quid futurum cenſemus, cum ad extrema conſilia deventum fuerit? Horret animus ad harum rerum vel nudam cogitationem; de quibus coram te praecipue, de cujus imperio non niſi fauſta augurari licet, ſilere potius eſt, quam verba facere. Nec vero, caeſis aut captis eorum ducibus, meliora de belli exitu ſperare fas eſt. Nam in bellis civilibus nunquam duces deſunt; quos neceſſitas aut virtus rebellantibus imponit; quibuſque, periculo territi, qui ſubſunt, ultro obſequium deferunt. Et haec quidem rerum facies, ſi victoriam de defectoribus tibi Deus annuat. Quid ſi, qui vinci ſperantur, vincant? Abſit male ominari: illumque potius, qui mihi ultimus futurus eſt, quam hunc diem aſpiciam: uno hoc proelio amiſſo, una et regii faſtigii majeſtas nunquam reſurrectura concidet. In principibus, quo major caſus, eo periculoſior ruina eſt. Enimvero quis ſcit, an ii ipſi fidem, de qua hactenus tam ſpecioſis verbis proteſtati ſunt, ſi te fortuna deſerat, tibi poſt victoriam ſint ſervaturi? Vix enim eſt, ut victor ſe victi arbitrio ſubjiciat. Atqui martem communem noſti: et occulto Dei atque imperſcrutabili conſilio accidere videmus, ut victoria, quae parvis momentis conſtat, ad infirmiores plerumque inclinet, et potentiores, adde etiam cauſa potiores deſtituat, in victorum praecordia ex deſperatione aliquando redeunte virtute. Itaque ſic belli periti duces cenſuere, in deſperatione victis ſalutem collocatam eſſe; et prudenter facere victorem, qui victum

ad

CIϽIϽLXXIV. HENRICUS III.

ad deſperationem ooo adigit. Sed, ut victoria ſemper, quod ſpero et opto, penes te ſit; habent illi, quos hoſteis tibi belli neceſſitas facit, arces, oppida, urbes munitas, portus commodiſſimos, quibus ſe continebunt, quibuſque tuti non niſi paribus viribus ad certamen, cujus ſemper incerta alea fuit, cogi poterunt; et ita bellum in longum extrahetur: quod ſi contingat, bello ipſo pejus malum inde ſequetur; ut animis licentiae et effraeoatae libertati aſſuetis regis ac legum jugum paulatim excutiatur, vixque ullis poſtea conditionibus ad obſequium reduci poſſiot, qui tanto tempore parere dedidicerunt. Nec paulo melius tuis rebus erit, graſſante inter tuos per bellorum civilium licentiam avaritiae et ambitionis peſte; qui, cum vitam et bona tibi debeant, eaque in regni oeceſſitates tanquam ejus beneficiarii expendere teneantut, ſi diutius bellum alatur, et eorum opera indigeas, te ſibi debiturum exiſtimabunt; et ita ex rege legitimo, vitae neciſque in ſuos a Deo poteſtatem habente, uttiuſque partis vile ac miſerabile mancipium evades; et externis principibus contemptui atque etiam odio eris: cujus pervicacia effici credent, ut pernicioſum vicinis populis in principes ſuos rebellandi exemplum praebeatur. Quod ſi beneficiis, honoribus ac divitiis tibi remunerandi erunt, qui ad hoc bellum inſervient; noo, ſi Perſarum montes aut utraſque Indias cotonae Gallicae adjeceris, opes tuae ad eorum ingluviem explendam ſatis erunt: et interea, creſcente factionum veneno, earum duces evadent, quos bello adverſus perduelleis gerendo praeficies; tantumque plebis favorem et apud ceteros regni tui ordines auctoritatem ſibi cooiliabunt, ut, quorum opera ad Proteſtanteis debellandos nunc ſponte uteris, eos ipſos tandem hoſteis habere vel invitus cogaris. Generoſi eſt et ſibi bene conſtantis animi nolle cuiquam multum debere: quod, ſi in privatorum cooditione verum eſt, quanto magis inter principes locum habere oportet; quos a nemine pendere, ſed magis univerſos eis ſubeſſe publicae tranquillitatis intereſt? Valeant ergo, qui bellum et tibi et tuis adeo pernicioſum ſuadent, et ad arma contra ſupplices ſumenda hortantur. Verum aiunt illi, aliter te pacem in regno habere non poſſe, quam ſi bellum contra pacis perturbatores ſuſcipias; quamvis difficile, damnoſum ac denique periculoſum illud minime diffiteantur. Quod ſi verum eſt, oae periculoſe aegrotamus, qui neque mala noſtra neque remedia pati poſſumus. Sed boni medici eſt, prius omnia ſumma facere, et alia cuncta remedia tentare, quam urere aut ſecare. Igitur ante omnia tibi videndum eſt, an morbus iſte omnioo deploratus, et aeger, qui curandus proponitur, plane ſit depoſitus, ut, abjecta omni alia cura, ad extrema remedia neceſſario devenite oporteat. Certe nemo eorum, qui per tot annos ac toties reſumptis armis rebellarunt, non legitimo magiſtratui parendum fatentur, aut pendendum tributum negant: idque omnes agnoſcunt, et inter fidei ſuae articulos hoc praecipuum caput eſt. Sed in modo et ratiooe obſequii praeſtandi pernicioſiſſime erratur; dum plerique, conſcientias ſuas illaqueari non ferentes, ſumpta inde libertate ad licentiam abutuntut. Tamen ignoſcendum iis, nec gravius ſuccenſendum cenſuerim; quippe qui morbo animi vanis ſuſpicionibus ac terroribus aeſtuantis potius laborare quam deſtinato conſilio peccare deprehenduntur. At quid iniquius quidve injuſtius eum inſaois ac mente captis ſummo jure agere? Finge, tibi aut alicui ex tuis, duos filios eſſe odiis diſſidenteis; an boni ac prudentis parentis officium ducas, eos potius inter ſe committere, ut ad interneeionem depugnent, quam vias omneis inter ipſos conciliationis inire, ut amice in poſterum vivant? Sapientiſſime ex priſcis vatibus unus monuit, duas inter nos diſceptandi vias eſſe; alteram, quae amica ratione fit, hominibus conveniens; alteram, quae vi rem gerit, brutorum animalium propria, et qua non niſi ſubſidiaria, et cum alteri per adverſarii obſtinatam malitiam locus noo eſt, homines uti coguntur. Quid autem Proteſtantes ab initio petierunt? nempe ut conſcientiarum libertati proſpiceretur. Id edicto Januarii cum

primo

primo factum eſſet, mox eo, ex occaſione cujus memoriam oblivione ſempiterna ſepeliri quam refricari malo, violato, bellum cruentiſſimum ac funeſtiſſimum non ſolum hinc illuc in Gallia ſed in omnibus ejus angulis ac domibus ſingulis ubique exarſit; quod tandem ſublatis pacis impedimentis alterius edicti gratia facta compoſitum eſt. A quo tempore cum Gallia per quadriennium quieviſſet, rurſus exortis ſuſpicionibus, et injecto liberis mentibus dirae ſervitutis metu, ad arma conclamatum eſt; initio ab ipſis Proteſtantibus, dum periculo praevertere cupiunt, facto, et irritato ob id rege. Itaque, quamvis illud paulo poſt compoſitum, tamen exacerbatis odiis ſtatim recruduit: nec majore mole uſquam pugnatum eſt, cum, auſpiciis tuis, rex Chriſtianiſſime, victricia ſigna in [a] Pictones et provincias ab illis inſeſſas illata ſunt, et duo ingentia proelia commiſſa; in quorum altero dux ipſe Proteſtantium deſideratus eſt: cujus belli exitus quis fuerit, melius tute ipſe ſcis: certe is fuit, ut regem victoriarum ductu tuo partarum ad extremum poenituerit. Tandem tertio edicto pax ſancita eſt, ad eam firmandam additis quaſi pro vinculo Margaritae ſororis cum Henrico Navarrae principe nuptiis. Quae tempora deinde inciderint, etſi ſilentio praeterire malim, tamen, cum ex eorum jucunda, ut aiunt, memoria ab adverſariis pro bello argumenta ducantur, illorum quoque ſed ſobrie mentio mihi facienda eſt. Tumultu Pariſienſi non tam conſilio quam caſu et neceſſitate, ſic enim exiſtimare omneis par eſt, excitato, cum debellatum omnino crederetur, et, ſublatis primariis Proteſtantium ducibus ac flore nobilitatis extincto, nulli toto regno, qui bellum renovare poſſent, ſupereſſe crederentur, tamen unius et alterius urbis diuturna juxta et damnoſa obſidione praeceps ruentis fortunae impetus quaſi ſufflaminatus eſt, et ex illorum cineribus ac reliquiis homines novi nec opinato exorti, qui non ad vireis ſuas, ſed ad praeſentem neceſſitatem reſpicientes, contempto periculo, ex deſperatione conſilium ceperunt, et totum hoc regnum ſubitis motibus repleverunt; eo, ſociis horrenda illa ſtrage abſumptis, formidabiliores, quod deſperatione adacti bellum gererent, et, prater conſcientiarum libertatem, ob praeteritarum injuriarum ſenſum ac recens, ut aiebant, fidei infractae exemplum, amplius ſecuritati ſuae caveri peterent. Quid nunc illi poſſint, ex ingenti illo pavore collectis ſpiritibus et animis, rerum peritis aeſtimandum relinquo: ego certe tanquam fidus tibi conſiliarius nunquam ſuaſerim, ut periculo tuo experientiam facias. Habent et in regno et extra regnum duces; nec vires utrobique deſunt; quas ſi qui inferiores iis dicunt, quas olim habuerunt, quod tamen non admiſerim, hoc etiam cogitare debent, regni robur, cujus illi partem faciunt, domeſticis calamitatibus non mediocriter labefactatum eſſe, et ad extremum omnino debilitatum iri, ſi diutius bellum trahatur. Quid ergo facto opus eſt? Suſpicionum et terrorum nebulae tibi ex attonitis et irritatis mentibus diſcutiendae ſunt; et, libertate juxta priorum edictorum leges conceſſa, et ſecurioris ſtatus in poſterum facta ſpe, animi alienati ſenſim miti imperio ad obſequium reducendi. Et bene habet, quod adhuc tibi cum Proteſtantibus integra ſunt omnia, nulla laeſura, nulla privata offenſione aut injuria intercedente. Senſerunt illi hactenus virtutem tuam et in bello clementiam ac benignitatem; ut, ſi pacem cum illis facias, ſolidam tibi tanti beneficii gratiam ſint debituri, praeteritorum invidia in eos, qui vixerunt, rejecta. Quo magis prudentiſſimo tibi principi videndum eſt, ne in patrio regno adeundo, quaſi in limine, offendas; neque committas, ut ſuperiorum temporum errorem non ſolum non emendaſſe, ſed alio longe perniciosiore cumulaſſe videaris. Atenim, qui adverſantur, turpe et indignum eſſe principi dicunt, tot proeliis debellatis invicto, duobuſque nunc regnis potentiſſimis ſubnixo, cum ſuis tranſigere: et, ſi quidem id cum regiae majeſtatis et auctoritatis imminutione fiat, fortaſſe ambigi poſſit: quanquam et de jure ſuo aliquid remittere

INTERPR. [a] *Poictou.*

CIↃIↃLXXIV. et publicae tranquillitati illud condonare ſemper utile exiſtimatum eſt; et ſcitum eſt, HENRICUS III. ſemper utilitatem publicam vincere debere, et in republica bene ordinata ſalutem publicam pro lege ſuprema habendam. Atqui, cum illis tranſigens, neque de jure tuo quidquam remittis, neque eos tributis aut oneribus publicis levas, aut immunitates novas concedis; tantum libertatem conſcientiarum tribuis, ne potius mancipiorum ac ſervorum quam liberorum hominum, in quos tantum legitimum imperium eſt, princeps habearis. Neque vero tibi audiendi ſunt, qui libertatis nomine teterrimam licentiam, legum et omnium tam divinorum quam humanorum jurium confuſionem ſecum trahentem, invehi cauſantur. Nam hoc eſt, memoriam eorum accuſare, ex quorum conſilio, re toties in conſiſtorio hoc agitata, placuit, ut ad placandam Dei iram et turbas in regno componendas, mitigata legum ſeveritate, pax aequis conditionibus ſanciretur, edictaque ea de re conderentur: quorum aequitas et utilitas vel ex eo aeſtimanda venit, quod iis ſtatim factis quies Galliae parta eſt, violatis bellum per totum regnum repente exarſit. Atque utinam non incidant ea tempora olim, quibus tam ſalutaris conſilii auctores, rebus ad irreconciliabilem diſſenſionem adductis, deſiderare cogaris. Jampridem haec in fratrum tuorum felicis memoriae concilio et coram ipſis quaeſtio deciſa eſt, ab optimis et decoris Gallici ac tranquillitatis publicae ſtudioſis viris; qui et in eo convenerunt, non placere Deo, ut religionis cauſa ferro et flamma dirimatur. Sic igitur cenſeo; quando Proteſtantium delegati in dies exſpectentur, ut cum iis agatur: nullam quippe aequiorem, honeſtiorem aut utiliorem pacandi regni et auctoritatis tuae in eo conſtituendae rationem iniri poſſe, quam ſi in regni ingreſſu omiſſis armis et omni hoſtili conſilio abjecto, de populis, qui ob tumultus nuper exortos ab officio alienati ſunt, conciliandis ſerio cogites: quod nuper Maximilianus Caeſar prudentiſſimus princeps, quod ſenatus Venetus huic regno conjunctiſſimus, quod amici principes cuncti tibi ſuaſerunt: injuriaſque per defectiones majeſtati regiae tibique inprimis illatas publicae tranquillitati condones, ſancita praeteritorum oblivione, et aequabili jure inter omneis conſtituto; cujus patrocinio tuti illi, qui deſciverunt, melius de libertate et ſecuritate ſua in poſterum ſperent; clementiaque tua ac benignitate victi, hunc triumphum tam tibi citra ſanguinem victori quam ipſis fructuoſum et ſalutarem laeti gratulentur, et extinctis diſſenſionum ac pullulantium per eas factionum ignibus ſponte ac promptis animis deinceps ad omnia dicto ſint audientes. Viro gravitatis antiquae et publici boni ſtudioſo, qui ſciret jam in ſecreto aliud decretum eſſe, peroranti obortae lachrimae: quas riſu excepit Renatus [a] Villoclarus, regi poſt Franciſci [b] Carnevenoii mortem a regina parente, regni fato, admotus: et abrupta oratione ſic infit: Quae de bello ac pace tam ſpecioſe vulgo jactantur, ea nec refutare nec verbis amplificare mihi in animo eſt. Nec vero aliter convenit mihi, in faciendo non dicendo exercitato, et extra forum inter tubas et militaria ſigna enutrito. Etſi quidem declamatoria non gladiatoria agendum eſſet, ad argumenta, quae pro pace in medium adducta ſunt, reſpondere poſſem. Ea ab hominibus jampridem profecta parum rerum peritis, quod experientia docuit, et veram regnandi rationem prorſus ignorantibus; quorum fidem multa tunc ſuſpectam reddiderunt, et prudentiam tempora, quae poſtea inciderunt, vanitatis arguerunt, et nunc conſilium praeſens rerum ſtatus omnino repudiat. Enimvero, ut paucis, quae multis verbis dicta ſunt, abſolvam, quid eſt aliud pacem cum Sectariis facere, eoſque fidos ſubditos pronunciare, quae ſolemnis edictorum clauſula eſt, quam bellum Deo indicere, cujus illi cauſam oppugnant, et eos, qui in tam juſto bello vitam, opes, ſanguinem profuderunt, perduelleis declarare? Aut quae ſpes eſt concordiae inter diſſidenteis de religione, et non ſolum publica injuria ſed privatis offenſionibus toties repetitis exacerbatos? Pacem cum iis ſaepius habuit Carolus frater tuus felicis memoriae; ſed plenam

INTERPR. [a] *de Villequier.* [b] *de Carnavalet.*

pIenam inſidiarum, ſuſpicionum et ultionum, et quae proinde ſaepius ab utraque parte paribus animis violata eſt; et ab iis inprimis, qui ſe viribus inferiores ſentiebant, et ſic exiſtimabant, in bello occupantis potiorem cauſam eſſe. De ſtudiis vero in eo negotio ac voluntatibus tuorum, ex eo judicium facere potes, quod ſemper bellum ſumma alacritate contra perduelleis ſuſceptum eſt, idem aegre depoſitum; plebe, quamvis graviſſima incommoda ex illo ſentiret, ſemper fremente, quod provideret per pacem malum ſe in viſceribus habituram, quod vis belli foras ejecerat. Omnes in regno periculoſae ſunt factiones; nec niſi cum certa publicae quietis peſte coaleſcere poſſunt: iis ſi religionis diſſidium accedat, ſciſſuram et ex ea rerum omnium ſubverſionem ſequi neceſſe eſt. Cui malo validis remediis atque adeo violentis opus fuit, quae juſtius quam tempeſtivius fortaſſe admota morbum reliquerunt non plene curatum; ſed magna ex parte profligatum. Tuum eſt igitur tantos tamque felices ſucceſſus urgere; et Numinis injuriam ſuam ulciſcentis favori inſtare; ſpatio colligendi ſe ex ſtrage, fuga animique conſternatione hoſtibus minime conceſſo; ne majores vireis poſt caſum reſumant, neu, qui uno ictu deleri potuerunt, per intervalla petiti reſpirent. Eorum cuncti fere duces varia jam peſte abſumpti ſunt: qui ſuperſunt admodum pauci cum fortuna illorum partes deſeruerunt. Tantum in hanc curam animum ac nervos intende. Nam non deerunt vires, dummodo ſtrenue et ſerio bellum geras; neque per pacis colloquia et affectatas protelationes animos tuorum langueſcere, ac tibi poſtremo illudi patiaris. Praeteritorum autem invidia, ſi qua eſt, et tumultus Pariſienſis odium, quod artificioſo ſilentio per moderationem adeo exaggeratur, cum iis, qui jam deceſſerunt, nam hoc ita contra ſentientes volunt, et per me licet, ſepeliatur, dum victoriae decus et belli diuturni ac damnoſi tandem virtute tua confecti lucrum penes te ſit. Quod cum tibi nunc confectu facile ſit, tam praeclaram occaſionem a Deo oblatam, niſi ingratus et in Deum ipſum injurius eſſe velis, praetermittere non debes. Et vero, qui exſpectandos perduellium delegatos et omiſſis belli conſiliis ad quietem voluntates flectendas cenſent, quid aliud ſuadent, quam ut ſparſis huc illuc per regnum ac diſſipatis hoſtibus, rurſus conveniendi, et auxiliaribus copiis, quae propediem e Germania exſpectantur, ſe conjungendi ſpatium concedas; intereaque ipſe quaſi ſecurus ab illis circumveniaris, et, qui legem dicere debuiſti, victor a victis accipias. Valeant ergo viciſſim illi, qui nos valere jubent; et alios quaerant, quibus praepoſtera ſua prudentia deinceps imponant. Certe ego, quamdiu ad latus tuum haerebo, nunquam tibi ſervilis ſententiae auctor ero, aut majeſtatem regiam per ignava conſilia vileſcere patiar. Satis ſuperque deliberatum: nunc facto opus eſt: nunc tempus venit, quo fructum tot exantlatorum alienis auſpiciis laborum, quem properata fata fratri inviderunt, ipſe nunc regni legitimus heres percipias, et, poſt tot partas laureas et duas coronas legitime delatas, tertiam pro pace eccleſiae debellatis Dei hoſtibus conſtituta accipias. Quod ut facias, non ſolum auctor ſum, ſed etiam oro te et obteſtor: ſicque in animum inducas, praeter rei gerendae commoditatem et utilitatem ex ea manifeſtam, etiam tibi neceſſitatem impoſitam eſſe; eoque res deveniſſe, ſciſſo factionibus regno, ut niſi Proteſtantium ad internecionem deletorum peſte ſalus publica atque adeo tua expediri non poſſit. Ubi dixit Villoclarus, murmur exortum, adulatorie, ſive contra ſentientium odio ſententiam ejus laudantium: quibuſdam etiam indignantibus, in re tanti momenti dicendarum ordine ſententiarum libertatem ademptam. Continuoque rex ac regina ſurrexere, (nam ita convenerat) quaſi ſatis eſſet, rem, antequam proponeretur, in ſecreto jam deciſam, in conſiſtorium ad ſcenam deduxiſſe. Poſtridie tamen eodem convenitur: et, ne Foxii ſententia validis adeo et ſalutaribus rationibus nixa omnino exploſa videretur, ridiculo temperamento decernitur, ut Proteſtantium delegati, ſi quidem venirent, audirentur: interea cuncta

CIƆIƆLXXIV.
HENRICUS III.

ad

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

ad bellum pararentur, nullumque ejus gerendi momentum intermitteretur. Secundum haec rex ad Monpenſerium ſcribit, ut in Pictonibus bellum nulla mora interjecta acriter gereret, quaſi pace deſperata. Belli in Delfinatu gerendi cura Rogerio Bellogardio nuper equitum tribuno creato demandatur, non tam ſpe ſucceſſus, quam quod ſuſpectus eſſet, ut quaeſito eo colore aula amandaretur. Ipſe rex, ut conatus Damvillae in [a] Septimania infringeret, et inter [b] Bellogardium et Damvillam, ne conſilia conjungerent, medius eſſet, [c] Avenionem proficiſci ſtatuit. Venerat [d] Lugdunum [e] Blaſius Monlucius, ob praeteritorum meritorum memoriam tribunus equitum creatus; cui cum belli in [f] Aquitania gerendi cura itidem demandaretur, ille tantum onus, cui obeundo ob ingraveſcentem aetatem impar eſſet, deprecatus eſt. Cumque rex nihilominus urgeret, tandem capitis infirmitatem ob continuum ex vulnere ad [g] Rabaſtenium ante quadriennium accepto dolorem, et ad extremum ridicula impatientia herniam cauſatus ſe excuſavit. Is, licet Proteſtantibus infeſtiſſimus, in commentariis ſcribit, magno errore et pravo quorundam in occulto conſultantium, contemptis publicis conſiliis, impulſu, regem, cum regnum pacare poſſet, in bellum conſenſiſſe.

III. VENERAT et Lugdunum [h] Diana Henrici II filia legitima declarata, Fr. Momorantii, qui in carcere Lutetiae attinebatur, uxor, quae quanquam regi perchara ac perfamiliaris tamen in conſpectum ejus privatum primo venire noluit; ſed, cum rex in publicum prodiret, ex improviſo ei obviam atrata ipſa cum comitatu matronarum ac virginum lugubri, et genibus ipſius advoluta, ſupplex pro marito facta eſt; quem criminis adhuc nullius compertum aut poſtulatum tam diuturna cuſtodia magno valetudinis periculo vexari querebatur: petebatque, ut viro innocenti crimina, ſi quae objicerentur, diluendi in jure facultas concederetur. Rex inopinato ſpectaculo ſtupefactus ſupplicem ſororem, ſic Dianam vocabat, benigno vultu compellans ſublevavit, et bene de ſua gratia ſperare juſſit, promiſitque poſtulata ipſius ſibi curae fore. Tuncque cardinalis Lotharingus, qui aderat, ſive ut ſimulata benevolentia odium tegeret, ſive de rei exitu veritus, ultorem Momorantium, ſi libertati reſtitueretur, metueret, petitiones Dianae conjunctis precibus apud regem reginamque adjuvit; et aequum petere ipſam dixit, quae purgandi ſe marito facultatem dari poſceret. Certatim et exemplo ejus, ſive adulatorie ſive ex animo, fiducia ex eo ſumpta, multi e proceribus preces ſuas conjunxere: quas in bonam partem accipere ſe rex reſpondit, hoc addito, quod a Carolo fratre in ea re factum eſſet, indicta cauſa, non poſſe ſe improbare; et de Momorantio ipſo, an criminum, quorum inſimularetur, nocens eſſet, nolle pronunciare. Itaque cognitionem rei, de qua primo quoque tempore mature deliberaret, ſibi ſumpſit; et Dianam ſororem a ſe dimiſit.

IV. POSTEA de [i] Pinarolii et Savilliani reſtitutione temere promiſſa actum: et allatum ea de re a Nicolao [k] Connano Ludovici Gonzagae [l] Nivernenſium ducis ſcriptum in conſiſtorio coram rege recitatum eſt; cujus haec ſumma erat; Reges Galliae de ditionum ſuarum conſervatione ac regni amplificatione potius quam de vita ac libertate ſemper fuiſſe ſolicitos: eam ob cauſam Joannem regem in Anglia captivitatem diu toleraſſe, cum libertatem ditionum ſuarum decurtatione aliqua redimere potuiſſet: Franciſcum vero regis avum ſuam et liberorum captivitatem maluiſſe, quam de regno ſuo aliquid delibaretur: nec vero principes, ſi rogentur, quo titulo tot provincias poſſideant, aliud, quod reſpondeant, habere, quam eas ita a parentibus accepiſſe: Philippum repoſcentibus Neapolis et Siciliae regna, Mediolanenſem principatum, regnum Navarrae, [m] Placentinam arcem, [n] Cameracum, Brabantiae principatum, non

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *les mareſchaux de Bellegarde & Damville.* [c] *Avignon.* [d] *Lyon.* [e] *Blaiſe de Montluc.* [f] *Guienne.* [g] *Rabaſteins.* [h] *Diane, legitimée de France.* [i] *Pignerol & Savillan.* [k] *Connan.* [l] *Nevers.* [m] *de Piacenza.* [n] *Cambray.*

CIϽIϽLXXIV.
HENRICUS III.

non aliud reſpondere ſolitum, quam ea ita a patre accepiſſe: eodem titulo Venetos multas Auſtriacae domus ditiones, Mantuanorum principum, Ferrarienſium et [a] Carrariorum olim, [b] Brixiam denique epiſcopis ademptam, retinere: nec, ſi rogetur Etruriae dux, ut [c] Senenſium reipublicae libertatem antiquam reſtituat, ſi pontifex, cur [d] Bononiae et Anconae ſtatum antiquum immutaverit, aliud reſponſuros: et, ſi lex ſit, ut principes, quae a majoribus uſurpata poſſident, reſtituere teneantur, ad ſummas anguſtias pleroſque, qui nunc late regnant, redactum iri: ipſum Sabaudum non meliore jure Pinarolium et Savilianum repoſcere poſſe, quam rex [e] Nicaeam et Aſtenſem civitatem, xxx circiter Saluciani principatus oppida, et ipſam [f] Auguſtam Taurinorum repetere poſſit: ea de re Lugduni inter regis et Sabaudi delegatos ante xii annos actum eſſe; et ſententia lata eas ditiones omneis regi adjudicatas: et vero mali augurii eſſe, ut rex, tot palmarum imperator, tot rebus geſtis clarus, et nobilium Polonorum CIϽ ſuffragiis ad nobiliſſimum regnum vocatus, qui tantam de ſe omnium ſpem concitavit, auſpiciis novi regni, non de ejus amplificatione ſed de eo imminuendo cogitet, ab eaque re principium regnandi faciat: atqui ſama imperia conſtare; itaque videndum, quanto non ſolum exiſtimationis, ſed rerum noſtrarum periculo et detrimento id fiat: nam intercluſo ab omni parte in Italiam ingreſſu, et [g] Monte Meliano aditum in Sabaudiam, [h] Burgo et Inſula per Seguſianos, [i] Cunio et Monte-regali per Provinciam, Auguſta Taurinorum denique iter obſtruente, quid [k] Picos Mirandulanos, quid [l] Rhaetos ipſos cogitaturos? aut quam denique fiduciam ceteros Italiae principes ſemper fidam ac certam Gallorum opem expertos in nobis collocaturos? ſaltem Hiſpanorum exemplo regem excitari debere, qui Aſtam, et [m] Jacobi-ſanum valido praeſidio firmatum, retinent; qui [n] Fontem-Aragi in Pyrenaei faucibus et Aquitani limitis ingreſſu nunc feſtinatis operibus per Veſpaſianum Gonzagam muniunt; quod id exiſtiment ad amicos in officio continendos pertinere: quid vero non auſuros illos, cum viderint nos [o] Carmaniolam et Ravellium trans Alpeis tenere? nam utrumque per ſe debile eſſe, Pinarolio et Saviliano reſtitutis: et vero minime dubium eſſe, quin eodem exemplo incitatus Mantuae dux ix circiter caſtella, quae ex Monferratenſi ditione uſurpare regem conqueritur, nunc ab eo repoſcat: quorum tamen reſtitutionem ipſe Gonzaga, quamvis in fratris cauſa aequior eſſe debuerit, huc uſque impediverit, quod regiae dignitati ac regni amplificationi privatas charitates ſemper poſthabuerit. Quid ſi Hiſpani nos aggrediantur? Quam fidem ab amicis exſpectamus, quos primi ipſi deſeruerimus? Non ab Helvetiis, non ab Anglis, non denique a Germanis auxilia ſperanda eſſe. Nam Germanis, ſi [p] Tullum, Virodunum, et Diviodurum Mediomatricum repoſcant, quid honeſte reſponderi poterit? Atqui memores omneis eſſe debere, quod, cum ea de re ante xiv annos Franciſco II rege [q] Bloeſis, Ludovico [r] Madrucio Ferdinandi Caeſaris nomine reſtitutionem earum civitatum urgente, deliberaretur, a Franciſco [ſ] Olivario cancellario non minus generoſe quam prudenter reſponſum ſit; nam illum, antequam alii ſententiam dicerent, occupaſſe, et dignum capitali ſupplicio pronunciaſſe, qui regi tam foedi conſilii auctor eſſet. Nec vero ſperare regem debere, ut Sabaudum jam Hiſpanis obnoxium eo facto ſibi arctius devinciat; qui contra, captata inde occaſione, in regem, quem ob potentiam antea reformidabat, nunc concepto contemptu in eum majore fiducia cum Hiſpanis conſilia conjunget. His et prolixius diffuſis rationibus Gonzaga regem rogabat, ut ſententiam de reſtitutione ſuſpenderet; et rem omnem ad ſenatum Pariſienſem, cujus

de

INTERPR. [a] *Carrari.* [b] *Breſcia.* [c] *Siena.* [d] *Bologna.* [e] *Nizza & Aſti.* [f] *Turin.* [g] *Montmelian.* [h] *Bourg & l'Iſle en Breſſe.* [i] *Coni & Mondovi.* [k] *Pics de la Mirandole.* [l] *Griſons.* [m] *Santia.* [n] *Fontarabie.* [o] *Carmagnole & Revel.* [p] *Toul, Verdun, & Mets.* [q] *Blois.* [r] *Madruce.* [ſ] *Olivier.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

de patrimonio regio cognitio eſt, honeſtae excuſationis apud Sabaudum loco remitteret. Quod ſi de reſtitutione ſemel decreviſſet, poſtremo orabat, ut ſe praefectura ea prius idonee exoneraret: diplomatis, quod a rege petebat, exemplo miſſo, quo et de fide ſua apud cunctos conſtet; et poſteritas cognoſcat, ſe, quantum in ipſo fuerit, [α] intereeſſiſſe, ne tam detrimentoſa reſtitutio fieret. Recitato ſcripto, cum rex jam fidem de reſtitutione obligaſſet, Gonxagae ſtudium et erga ſe obſequium in ſpeciem laudavit; in occulto ambitioſe id ab eo, ut omnia, factum interpretatus: moxque exemplo diplomatis, quod Gonzaga expetebat, lecto, quibuſdam in eo immutatis, ipſum ea praefectura, quam ſpontanea ejeratione a ſe abdicaverat, exoneravit; ita ut nihil ex ea re deinceps Gonzagae imputari aut improperari poſſet. Id actum Lugduni XIII Kal. Oct. inſtrumentoque aſcripta reginae, Alençonii, Navarri, Lotharingi, Guiſiani, Aloiſii [a] Ateſtini cardinalium, Morvillerii, Lanſaci, [b] Lemovicum epiſcopi et [c] Cevernii nomina. Secundum haec Nivernius, libello ad ſupremum concilium [d] Pinarolii a rege ordinatum directo, [1] decretum V Eidus Novembreis ut diploma, quo de interceſſione Nivernii contra reſtitutionem fides fiebat, et ipſe a praefectura ea exonerabatur, in acta publica referretur. Idem et [e] Gratianopoli XII Kal. Dec. actum. Poſtea et ad Gulielmum Mantuae ducem fratrem, cum quo alioqui minime ipſi conveniebat, ejuſdem diplomatis exemplum miſit Gonzaga, et ut in archivis ejus ad perpetuam rei memoriam reponeretur rogavit. Quod et perinde rex in malam partem accepit.

V. JAM ante XVII Kal. Sept. Margarita regis amita et Sabaudi uxor, prudentiae, ſanctimoniae et virilis animi laude inſignis, fato conceſſerat [f] Auguſtae Taurinorum: qui nuncius Philibertum Emmanuelem maritum, qui in aula erat, domum revocavit. Haud multo poſt miſſus Henricus Engoliſmenſis nothus Franciae prior, qui gratiam Sabaudo [β] factam executioni demandaret; iſque Pinarolium profectus, deductis inde et Saviliano praeſidiis ac machinis bellicis, urbes in Sabaudi manus [γ] conſignavit. Ea reſtitutione elatior, quam erga regem, quem ab eo tempore contemnere coepit, amicior, ſicuti Gonzaga praedixerat, non deſiit Sabaudus voto, conſilio et facto ipſo in regem ipſum et nomen Gallicum, cui tantum debebat, conſilia occulta ſtruere; quae et variis modis ac temporibus compoſita, morte praeventus, filio tranſcripſit, ad effectum utcunque per eum tandem perducta, ut deinceps videbimus. Multa et a rege male conſulto ſtatim initio regni prave in negotiorum adminiſtratione et in quaeſtura innovata, profuſo natura principi per obliquas et ſoli ipſi non etiam rationalibus cognitas aſtutias porta, ad immodicas largitiones, quibus aerarium omne ac regni vireis exhauſit, aperta. De matrimonio quoque ejus cogitatum, et reginae parentis ſuaſu, quae ſe melius ſub nuru externis moribus et linguae Gallicae ignara rerum potituram ſperabat: miſſus ea de cauſa in Sueciam Claudius [g] Pinarius e quatuorviris a ſecretis epiſtolis, qui Eliſabetham praeſtanti forma virginem a Joanne rege fratre in uxorem regi peteret, et ejus effigiem, ducto in eam rem ſecum Nicolao [h] Belono pictore excellenti, ad filium afferret. Dum omnia ad bellum parantur, miſſae ad Rupellanos interim literae, quibus de ſe multa et egregia erga tranquillitatem publicam voluntate praefatus praeteritorum oblivionem ſanciebat, cunctos ad arma ponenda hortabatur; jubebatque, ut urbes occupatae quamprimum reſtituerentur, quiſque domum pacifice victurus concederet, facultate omnibus data, ut libere querelas ſuas ad ſe deferrent. Cum parum iis permoveri homines exacerbatos nec ſatis promiſſis fidenteis intellexiſſet, alteras III Eid. Oct. dat; quibus excuſato armorum apparatu prolixe item de ſua ad res pacandas propenſione praefatus, inſuper ſpem faciebat, ut nemini

VAR. LECT. [α] apud regem interceſſiſſe *D. f. d.* [β] a rege factam *D. f. d.* [γ] regis nomine conſignavit *D. f. d.*

INTERPR. [a] *da Eſte.* [b] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.* [c] *Hurault de Chiverny.* [d] *Pignerol.* [e] *Grenoble.* [f] *Turin.* [g] *Pinart.* [h] *Belon.*

NOT. [1] *Sic codices omnes; forte tamen legendum* decretum impetravit

nemini ob religionem periculum in poſterum etearetur. Sed, cum illis literis nulla libere conveniendi in teligionis negotio, ordinum regni convocandorum, aut concilii nationalis celebrandi, quod illi petebant, mentio fieret, veriti, ne indicta cauſa condemnarentur, juſſis regno faceſſere paſtoribus, eo diligentius ſe ad defenſionem parabant, omni pacis ſpe et conſilio abjecto. Itaque rex tertio ad Rupellanos ſcribit; et iis teligionis ſuae liberam profeſſionem indulget, quantum ad ceteros, ea ad aliquod tempus ſuſpenſa, nec omnino negata. Eodem tempore Petrus [a] Burdellius Brentolmiae abbas [b] Broagium à tege miſſus, qui cum [c] Lanovio, qui et eo venit, et Rupellanis de pacis conditionibus ageret. Brentolmio ſe comitem adjunxerat Joannes [d] Haius Pictonum praetor, qui ob ptivatam offenſionem ſe Proteſtantium partibus applicuerat; eorumque conſilia curioſe rimabatur, ac de iis reginam certiorem crebris nunciis faciebat, ejus gratiam ea ratione captans. Quae tamen monita, quod ab homine vario et ambitioſo et proinde ſuſpecto proficiſcerentur, non perinde in bonam partem accipiebantut. Dum [e] Angulini II a [f] Rupella leucis eſſent, venere Lugduno Rupellanorum legati, nihil praeter ea, quae ultimis regiis literis continebantur, afferentes. Nam, libertate conſcientiarum permiſſa, rex urbes reſtitui petebat; hoc addito, deſiderare, ut pacis per univerſum regnum ſtatuendae rationes ineantur; ea propter ipſis concedere, ut delegatos ad Condaeum in Germaniam mittant. In eam rem commeatus literae conceſſae, inſuper [g] Rogetio cubiculario regio viae duce attributo; qui, cum eos per Galliam deduceret, eorum quoque ſermones, conſilia, et cum quibus colloquerentur, exploraret; ac praecipue Lutetiae, cum illac tranſirent, diligenter obſervaret, an et a quibus literas acciperent, a quibus item pecuniae in Germania numerandae mandata haberent.

VI. INTEREA rex Avenionem profecturus, cum ab iis, qui [h] Liberonem, [i] Puſinum et vicinas Rhodano munitiones tenebant, circum omnia infeſtari indignaretur, fecialem ad eos mittit, qui deditionem facere imperaret. Locorum ſervandorum curam ſuſceperant [k] Rupigudus et [l] Petrogurdius; qui, de obſequio ſuo erga regem ſpecioſe praefati, nihilominus, cum de conſcientiarum libertate, vita et bonis agi praetexerent, ad defenſionem, et injurias, quae ipſis a quietis publicae, ut aiebant, hoſtibus inferebantur, propulſandas, ſe paratos oſtendebant. Itaque et ex Vivarienſi pago commeatus importari et novo milite arces firmari curabant. [m] Sanromanius quoque ad eos ex [n] Septimania advolavit cum aliquot equitum alis et III peditum ſignis; luſtratiſque locis, [o] Privati-fanum conceſſit, praeſto ad omneis caſus futurus. Nec multo poſt Liberonis praeſidiarii [p] Bellomontium intercipiunt; in eoque aliquot Helvetiorum ſigna, qui regi militabant, oppreſſos caedunt. Habebat tunc in exercitu Franciſcus Borbonius [q] Delfinus ad XII bellatorum CIↃ, cum quibus ille menſe Octobri, poſitis ad Puſinum caſtris, XIV machinis admotis, continua pulſatione locum verberavit; moxque totis viribus oppugnatio facta, quam fortiſſime obſeſſi cum damno regiorum ſuſtinuerunt ac repulerunt: cumque damno infracti noſtri de diſceſſu cogitarent, muri per ſe debiles et pomoerio intus ducto impulſi, adhuc recenti verberatione quaſſati quaſi ſponte corruerunt: quae ruina cum nulla obſeſſorum diligentia farciri poſſet, tandem ex Sanromanii conſilio, qui illuc ad caſum accurrerat, locus deſeritur; mileſque noctu profugiens ad Privati-fanum receptum habuit. Foeminae et pueri, aſportatis rebus ſuis, in tutum deducti, tanto ſilentio ac ſolertia, ut nihil de hoſtium conſilio noſtri reſcire potuerint; qui mane Puſinum vacuum ingreſſi in eoque rapinis ac flamma graſſati nihil integrum ab incendio praeter unicam domum reliquerunt.

Inde

INTERPR. [a] *de Bourdeilles, abbé de Brantôme.* [b] *Brouage.* [c] *de la Nouë.* [d] *la Haye, lieutenant general en Poictou.* [e] *Angoutin.* [f] *la Rochelle.* [g] *Roger, valet de chambre du roy.* [h] *Livron.* [i] *le Pouſſin.* [k] *Rochegude.* [l] *Pierregourde.* [m] *de S. Romain.* [n] *Languedoc.* [o] *S. Privat.* [p] *Beaumont.* [q] *le prince Dauphin d'Auvergne.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

Inde terrore per Vivarienſem pagum ſparſo, pleraque loca recepta, promotis etiam ad Privati-fanum caſtris, ſed irrito ſucceſſu. Nam, cum Sanromanius cum novis copiis auxilio ſuperveniſſet, Delfinus, qui ſibi ſucceſſorem miſſum Bellogardium haud ſatis aequo animo ferret, retro Puſinum cum ſuis conceſſit. Ibi Bellogardius exercitum tradente Delfino accepit; et [a] Granum ac mox Loriolum et Roinacum loca infirma dilapſis praeſidiariis occupat, in iiſque hoſpitia copiis ſuis aſſignat, jam appetente hyeme, quae illis locis ob montium viciniam et ventorum violentiam aſperrima eſt. Eodem tempore rex ad Monbrunium dat literas; quibus jubebat, armis poſitis, ut domum concederet. Verum ille eadem, quae alii, praefatus, et juſtam defenſionem cauſatus, minime paruit. Jamque rex [b] Avenionem venerat, unde mox [c] Belloium ad Damvillam, qui [d] Monpelii erat, cum literis prolixae benevolentiae plenis mittit. Eum, quod Caroli [e] Meruvii et Gulielmi [f] Thoraei fratrum, et Gilberti [g] Levii Ventadurii ſororii, qui copias per ditiones ſuas illis locis ampliſſimas nuper conſcripſerat, opibus ſubnixum viderent belli conſiliarii, qui circa regem erant, a Proteſtantium et ſociorum partibus abducere pretium rati, omni ope nitebantur, ut crebris miſſitationibus virum praepotentem ſuis ſuſpectum redderent. Verum ille aſtum praeſenſit; et in publico conſeſſu Belloium venire, ibique coram omnibus mandata, quae a rege habebat, exponere juſſit: quibus auditis, ille, de ſincera ſua ac ſociorum erga regis obſequium et quietem publicam voluntate proteſtatus, pacem Galliae, ſi regnum ſalvum vellet rex, neceſſariam aiebat; ſed eam pravis conſiliariorum quorundam artibus ſumma perfidia ante biennium violatam, et homines ea re ad deſperationem adactos ſalutem ſolam in armis, quae alioqui deteſtentur, ponere: itaque ante omnia opus eſſe, ut ſublatis ſuſpicionum cauſis idonee ipſis ad conſcientiarum libertatem et vitae ſecuritatem caveatur. Cum Belloius regis nomine precibus etiam minas, ni parerent, adderet, Sanromanius excelſi animi vir Proteſtantium nomine interfatur, et, moderationem ſupergreſſus magna fiducia Belloium compellans, ſibi cum tribus in Dei cauſa tuenda hactenus rem fuiſſe dicit; quorum primus, cum minus putabat, plena victoria, ut rebatur, vitae ereptus ſit; de ſecundo, [h] Alençonium intelligebat, ſperare, ut falſis inimicorum criminibus indigne petitus minus ipſis iniquus ſit, et in poſterum omnino concilietur: ſupereſſe tertium regem, quem honorifice et demiſſione, qua debet, appellet; qui, ſi in oppugnanda Dei cauſa pergar, neque fratris exemplo ſapiat, ultorem proculdubio Deum ipſum tandem ſit experturus. Hoc reſponſum, regina, etſi audax et ſuperbum, cum ad ipſam prolatum eſſet, ob Alençonii filii mentionem, regi ut rem in praeſens diſſimularet auctor fuit, nec coeptas ultro citroque itationes intermitteret; quibus fieri ſperabat, ut aut Damvillam Proteſtantibus ac ſociis ſuſpectum redderet, aut eorum conatus retardaret. Sed tum res incidit, quae conſilia per colloquia et moras procedentia interturbavit, et Damvillam adhuc nutantem ad bellum gerendum impulit. Nam captus quidam ex ſuſpicione, qui ſe a Renato [i] Villoclaro, qui tum forte petito commeatu aula domum conceſſerat, expreſſa per tormenta confeſſione, ſubornatum aiebat, ut Damvillam veneno interficeret. Is ad poenam raptus et profunda nocte ad facium lumina morte affectus eſt, Damvilla non tam de veritate exacte indaganda quam de terrore idem auſuris injiciendo ſolicito; cum Neovillus, ubi de re in aula cognitum eſt, contra urgeret, ut plenius de veritate cognoſceretur. Igitur dum rex Avenione ſederet, inde [k] Monbrunius in Delfinatu omnia excurſionibus infeſta faciebat, inde Proteſtantes et ſocii duce Damvilla [l] Aegidii-fanum in altera Rhodani ripa haud longe ab Avenione obſidione cingunt; admotiſque machinis tanto impetu verberant, ut diſploſorum tormentorum

fragor

INTERPR. [a] *Granes, Lauriol, & Roynac.* [b] *Avignon.* [c] *Belloy.* [d] *Montpellier.* [e] *de Meru.* [f] *de Thoré.* [g] *de Levi de Ventadour.* [h] *le duc d'Alençon.* [i] *de Villequier.* [k] *de Montbrun.* [l] *S. Gilles.*

fragor in aula exaudiretur : quod tanta celeritate factum, ut auxilia in tempore ſummitti non potuerint, exercitu regio in [a] Liberonis obſidione occupato. Locus a CCCC praeſidiariis tenebatut, duce [b] Roeſſio. [c] Bellogardius in exercitu habebat XIV [d] ſtipatorum regiorum, XI Helveticorum, XII [e] ſcloppetariorum in Delfinatu conſcriptorum, IX [f] Subalpinorum ſigna, CCC veteranos, IV [g] equitum cataphractorum turmas, VIII [h] Germanorum equitum vexilla, et XXII muraleis machinas. Eruptione una et altera noctu et interdiu facta Roeſſius initio regios gnaviter aggreſſus eſt : inde tribus locis verberatio inſtituta, et XII Kal. Jan. inchoata ; cum biduum continuata eſſet, diſploſis CIↃC ictibus ruina IↃC paſſuum lata edita eſt ; quam nec ad faciendum impetum idoneam ratus Bellogardius, biduo poſt tranſlatis tormentis, et CIↃCCCC diſploſis ictibus alteram priore majorem ruinam edit : foſſaque occupata pluteos erigit, quibus ab obſeſſorum ictibus tuti milites in ſummum eniti poſſent, defenſoribus nequicquam contra obnitentibus ; quippe qui tantum campeſtre tormentum haberent, quod huc illuc incredibili celeritate tranſlatum et non ſine damno noſtrorum diſploſum plurium ſpeciem praebebat. Ad fiduciae item faciendam fidem obſeſſi vocibus et dicteriis militari laſcivia noſtros laceſſebant ; ad majus ludibrium, ſolea ferrea calceandis equis conto ſuffixa cum cato et chirothecis, ne tribuno quidem equitum, quem per ſoleam ferream intelligebant, catum unguibus acutis ſe defendentem, id eſt, oppidum obſeſſum captu facile, deſignantes. Poſtridie totis viribus oppugnatio VII Kal. Jan. facta ; in qua poſt acre ac diuturnum certamen, praeter praeſidiarios foeminis, pueris et imbelli alioqui turba omnem operam gnaviter navantibus, tandem regii repulſi ſunt, deſideratis pleriſque ; ita ut per aliquot dies oppugnatio intermiſſa ſit, propugnatoribus in ſarcienda ruina occupatis, et Bellogardio redintegrata verberatione munitiones pulſante. Cum vero Roeſſius cum II ordinum ductoribus in eo certamine interfectus eſſet, ſummum armorum imperium [i] Haio juveni ſtrenuo, qui ex vulnere decumbebat, delatum eſt, magno obſeſſorum ad defenſionem bene animatorum conſenſu : quod ille, cum ſe primum modeſte ob aetatem excuſaſſet, poſtremo accepit ; et [k] Julerii locorum muniendorum apprime petiti induſtria uſus, veteres ruinas ſarcivit, ac novas munitiones inſtauravit.

CIↃIↃLXXIV.
HENRICUS III.

VII. DUM res armis utrinque gereretur, longe diverſa facies in aula erat ; ubi rex natura religioſus, et qui ſpectaculis, quae tamen fere neſcivit aut exhorruit antiquitas, maxime capiebatur, opportunam paſcendi animi harum rerum avidi in loco pontificiae ditioni ſubjecto occaſionem nactus, ſupplicationibus a perſonatis hominibus in natalis profeſtis celebrari ſolitis frequenter intererat. Ante C annos, invaleſcente religionis per voluntarios cultus luxuriantis laſcivia, exorta Secta eſt eorum, qui poenitentiam in interiore cordis morſu poſitam publice profeſſi, eam ut exterioribus ſignis oſtentarent, ſaccum in veteri lege in luctu uſurpari ſolitum induebant, et, detorto ex Pſalmiſta, qui ſe in flagella paratum dicit, loco, ita velati ſe flagellis caedebant ; ob idque ſe [l] Flagellantium nomine indigetabant : contra quos Joannes [m] Gerſo, Pariſienſis academiae cancellarius, et ſui aevi puriſſimus theologus, jam tum ſingulari libro ſcripſit. Deinceps ea Secta in religionem abiit pontificum favore, ſecus inſtitutum illud pietatis, quam ab initio factum fuerat, interpretantium ; ita ut hodie per omnem Italiam complures huic religioſae veluti militiae nomen dent, delictorum expiationem hac ratione ſe conſecututos ſperantes. Jamque diſtincti coloribus veneto, albo, et nigro, ut olim Romae Praſinae et Venetae factiones in re diſpari ſtudia hominum diſtrahebant, ſic in religione pleriſque locis magnas contentiones et aemulationes excitarunt.

INTERPR. [a] *Livron.* [b] *le ſieur de Roeſſes.* [c] *le mareſchal de Bellegarde.* [d] *compagnies des gardes.* [e] *arquebuſiers.* [f] *Piedmontois.* [g] *gens d'armes.* [h] *Reiſtres.* [i] *la Haye.* [k] *Julier ingenieur.* [l] *les Penitens.* [m] *Gerſon.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

excitarunt. Quae ſpectacula, ad hoc tempus coelo Gallico ac regiae ditioni fere incognita, ex eo apud nos recepta, non ſolum rerum novarum materiam ambitioſis ingeniis praebuere, ſed ſuperveniente contemptu regiam majeſtatem non mediocriter labefactarunt.

VIII. DUM igitur turbae Flagellantium ſe rex immiſcet, et ejus exemplo aulae proceres, Carolus cardinalis Lotharingus, qui ex eorum numero erat, ex frigore veſpertino in febrem violentam incidit, intentiſſimiſque capitis doloribus, quos et deliria conſecuta ſunt, et pervigiliae malo vexatus, tandem biduo ante Chriſti natalem fatis conceſſit: vir multis et raris animi ſimul ac corporis dotibus praeditus, ſed levitate inſita et omnem modum ſupergreſſa ambitione non ſolum Galliae ſed ſuis fatalis; ad haec ſumme tota vita inaequalis, et in proſperis inſolens, in adverſis infractus. Quod illi ſaepius exprobratum a Franciſco fratre heroicae virtutis viro, et qui Galliae ac ſuis initio magno ornamento fuit, et porro majori eſſe potuit, ſi in meliora tempora incidiſſet. Obſervatum eſt a curioſis, Carolum eo ipſo die B. Matthiae ſacro, quo Franciſcus infelici ad [a] Ticinum commiſſo proelio captus eſt, qui et Caroli V Caeſaris natalis erat, natum; quaſi inclinantis Gallici nominis fortunae, idem qui Caroli Lotharingi vitae rebus Gallicis exitioſae, initium eſſet. Poſtea literis operam dedit; in quibus non mediocriter profecit, et ſacris addictus in ſtudiis adolevit. Tum ad negotia animum gnaviter appulit; in quibus tractandis rara ſupra annos ſolertia, in explicandis naturali facundia excellebat, ad eam accedente oris majeſtate et compoſito geſtu, qui et orationi dignitatem et loquenti ſummam gratiam conciliabat. Verum ingenium otii impatiens et rerum novarum appetens in perpetua inconſtantia tanquam in ſalo fluctuabat; et, dum praeſentia faſtidit prae futurorum ac incertorum deſiderio, nunquam quieſcebat: cumque initio, ad pietatis ſive oſtentationem ſive ut partes in regno foveret, eccleſiae emendationem animo complexus eſſet, et ad Auguſtanam confeſſionem propendere videretur; quam et in colloquio Poſſiaceno propoſuerat, et de qua promovenda Chriſtophoro duci Wirtembergico ſpem dederat; appetente Tridentinae ſynodi celebratione, et ardente civili in Gallia bello, ſtatim mutavit, et poſt fratris mortem, ſynodo peracta, Proteſtantium partibus apud nos ſemper infeſtus, ſacri Ordinis veluti patrocinium ſuſcepit; cui poſtremo gravis, cum patrimonii eccleſiaſtici alienandi, quo bellum aleret, et reginae gratiam aucuparetur, et penſionum ex opulentis coenobiis ſolutae ſacris nobilitati attribuendarum auctor extitiſſe crederetur, utrique parti aeque inviſus in ſummo omnium odio e vita migravit, non ſine ſuſpicione veneni ex facis per noctem praelatae peſtifero odore cerebro corrupto. Auctor vitae [b] Claudii Cluniacenſis, ex marſupio infecto, quod illi Mathurinus [c] Garnerius Sanbartholomaeus plagiis ac veneficiis homo infamis porrexit, virus, cum aperiretur, exhalaſſe et introſpicientis cerebrum iciſſe ſcribit. Certe conſtat, eum [d] Lugduni, antequam [e] Avenionem proficiſceretur, gravedine capitis tentatum, ſaepiuſque ex eo auditum, ſive ſerio ſive ad oſtentationem loqueretur, cupere ſe diſſolvi et eſſe cum Chriſto. Cum vero Avenionem venit, literas ab amicis Lutetia miſſas accepit; quibus monebatur, ne in ſacri ordinis perniciem plus juſto ad aulae gratiam indulgeret: nam paſſim jactari, plus eccleſiam ab ipſo, qui ſe amicum dicat, quam a Colinio publico hoſte declarato, detrimenti accepiſſe. Qua ex re homo, qui famae multum tribuebat, et ex ea factionis ſuae vireis praecipue pendere exiſtimabat, moerorem et ex moerore morbum lethalem concepit; cum quo dum luctatur, ſaepius de rumoribus illis de ſe ſparſis conqueſtus eſt. Rex, regina, et ceteri aulae proceres, qui aegrotantem officioſe inviſerant, haud perinde morte ejus affecti ſunt.

IX. REX, certe, qui, et in aula Carolo rege fratre, et cum in Poloniam proficiſceretur, in

INTERPR. [a] *bataille de Pavie.* [b] *dom Claude, abbé de Clugny.* [c] *Garnier de St Barthelemi.* [d] *Lyon.* [e] *Avignon.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

in Lotharingia oculos in [a] Aloiſiam Nicolai [b] Lotharingi Valdemontii filiam praeſtanti forma virginem conjecerat, et occulto ejus amore capiebatur, cardinali ſublato, deſiderium ſuum parenti reginae aperire minime dubitavit, quod metum ex Franciſci filii temporum recordatione in animo ejus conceptum cum illius morte evanuiſſe crederet. Itaque miſſus ſtatim in Sueciam [c] Burriquius, qui [d] Pinarium eo miſſum revocaret, et in itinere Carolum Lotharingiae ducem de regis voluntate certiorem faceret. Aſfictis artificioſe rationibus cum Pinarius petito a Sueco commeatu ſe excuſaſſet, parum honeſte nec citra periculum dimiſſus eſt. Eliſabetha, regi tunc deſtinata, ſeptennio poſt Chriſtophoro [e] Megalopolenſi duci Alberti filio nupſit.

X. DUM haec in Delfinatu et Septimania agerentur, Ludovicus Borbonius [f] Monpenſerius in [g] Pictonibus minime ceſſabat; qui, ſicuti juſſus erat, [h] Pontio omiſſo, quo ducendum nonnulli ſuadebant, ad [i] Fontenaium-comitis caſtra metatur Kal. Sept. quod, a Franciſco [k] Lanovio poſt irritam priorem obſidionem tumultuariis operibus munitum, a [l] Sanſtephano CCCC militum et XX delectorum ex nobilitate praeſidio tenebatur, cum II colubrinis, I mediocri, et II campeſtribus tormentis. Primus ad [m] Logias oppidi ſuburbium factus impetus; quod obſeſſi poſt aliquod certamen deſeruerunt, et ſe in oppidum receperunt, deſiderato ex noſtris marchione [n] Saluciae [α] juniore. Inde ſemel atque iterum eruptione facta ab obſeſſis, [o] Montinio, Corcialdo, Sanſone et Petralongo ducibus, Jacobi [p] Claromontii Amboſiani Buſſii legio diſturbata, et machinae ipſae bellicae periclitatae ſunt, multique ex noſtris interfecti, et unum ſignum amiſſum. Tum admotis ad arcem et turrem [q] Lampredariam directis machinis, primum [r] Guineſolii et Dominarum munitionibus violenta pulſatione a Carolo [s] Roaldo Landereo verberatis, ac producto vallo, tandem XVII Kal. Oct. ſub quartam horam veſpertinam totis viribus in ruinam noſtri enituntur; quam et ſumma alacritate ſuperant, et ad foſſam uſque intus ductam progrediuntur: ſed ex tumulo intra excitato per latus petiti, et ſcloppetariis, quibus [t] Picus ordinum ductor praeerat, ex turre quadrata fulminantibus infeſtati, ſuperveniente [u] Bravio Lanovii ſtipatorum ductore cum XL delectis retro pedem referunt, non ſine damno. Buſſius in eo conflictu graviter in brachio vulneratus, [w] Tiraquellus item Bellebatus; [x] Molinius ordinum ductor interfectus. Cumque Philippus [y] Caſtrobriandus Rupibaritonius et Landereus auxilio laborantibus venirent, incumbente obſeſſorum globo, ac noſtrorum recedentium impellente multitudine, et ipſi impulſi ſunt: ne tamen omnino repulſi viderentur, ad inſequentem uſque diem ſaccis lana oppletis et pluteis tecti ſub ruina pernoctarunt, ac poſtridie paulo ante ſolis ortum vallum repetierunt. Eodem tempore, quo impetus ad arcem fiebat, ad Logiarum portam a [z] Pericardo [aa] Sarrianae legionis ex ductoribus uno ſcalae admotae; et ad Flumentanam a Joanne [bb] Cambio Monſorello; ut vires obſeſſorum pluribus locis diſtractae ad reſiſtendum minus validae eſſent: ſed eadem virtute ubique repulſi. Ad extremum, cum noſtri hoſpitium, quod XL ſcloppetarios caperet, in ruina occupare ac munire ſtatuiſſent, ex quo tanquam ex ſuperiore loco defenſores inſtarent, de deditione agi coepit. Petebat Sanſtephanus, ut nobilitati cum equo et armis, militi cum enſe accincto exire incolumi liceret. Et nobilitati quidem gratia a Monpenſerio facta, qui [cc] Beneti obſidionis tempore hoſpitium habebat; militi quod petebatur, negatum; aſtu, ut creditum eſt, quo ſeditione

ob

VAR. LECT. [α] juvene *MS Samm.*

INTERPR. [a] *Louiſe.* [b] *de Lorraine, comte de Vaudemont.* [c] *Bouricq.* [d] *Pinart.* [e] *le duc de Mecklenburg.* [f] *le duc de Montpenſier.* [g] *Poictou.* [h] *Pons.* [i] *Fontenay-le-Comte.* [k] *de la Nouë.* [l] *de St Eſtienne.* [m] *Fauxbourg des Loges.* [n] *Saluces.* [o] *Montigny, Corchicauld, Sanſon, & Pierrelongue.* [p] *de Clermont de Buſſy d'Amboiſe.* [q] *tour de la Lamproie.* [r] *de Guineſolle, & des Dames.* [s] *Roubaut, ſieur du Landereau.* [t] *le capitaine Pic.* [u] *le capitaine Brave.* [w] *Tiraqueau Bellebat.* [x] *le capitaine Du Moulin.* [y] *de Chateaubriand des Roches Baritaut.* [z] *Pericard.* [aa] *regiment de Sarrieu.* [bb] *de Chambret, ſieur de Monſoreau.* [cc] *Benet.*

ob id inter defenſores oborta oppidum interea vi expugnaretur. Et parum res ab armis internecinis abfuit, milite ſe a nobilitate deſertum indignante. Sed, cum ſub id tempus ad Lampredariam jam turrem verberatio ex tormentorum redintegrata eſſet, rurſus communis periculi neceſſitate admoniti praeſidiarii in gratiam rediere; neque propterea perniciem evaſere. Nam mox diverſis locis dum vis paratur, rurſus de deditionis conditionibus agi coepit, Guinefoliana munitione ſive ignavia ſive proditione [a] Maſſeruſſii capta, et inter colloquia noſtri ſenſim introducti tandem loco potiti ſunt. Sanſtephanus cum XL circiter ad Monpenſerium introducti ſunt. Miles armis exutus cum puro ſcipione dimittitur, humaniter a Sarrianis veteranis ſecus quam a novis et tironibus habitus. In ea obſidione ex noſtris periere CC; plures ſauciati: ex obſeſſis circiter XXX occiſi; ac in iis [b] Campanus et Petralongus. Rupibaritonius cum CCCC praeſidiariis loco impoſitus, et C levis armaturae equitibus. [c] Molinio paſtori capto, cum de cauſis rebellionis contra regem excitatae interrogatus, invidiam ejus in nobilitatem rejeciſſet, gula laqueo fracta eſt, jubente Monpenſerio, [d] Babeloti Franciſcani, qui ipſi a ſacris confeſſionibus erat, ſuperioribus bellis a Proteſtantibus itidem ſtrangulati, in dignam mortem ultum eunte.

XI. BENETO Monpenſerius per [e] Vovillam ineunte Octobri [f] Luſinianum venit cum exercitu; cum [g] Maranum interea Lanovius irrito conatu tentaſſet, Bravio in ea expeditione deſiderato, et inde re infecta [h] Pontium in Santonibus, quod a Joanne [i] Pontio Plaſſaco tenebatur, ſe recepiſſet. Luſinianum, unde nomen illuſtriſſimae genti, quae tot reges ac principes Chriſtiano orbi et Hieroſolymis ac Cypro denique dedit, in colle praecelſo ſitum anguſto ſed porrecto, duplici oppido diſtinguitur, inferiori et ſuperiori, inter quod et arcem, quae in ſummo eſt, lata planities jacet, per quam ad arcem tendentibus porta [k] Godofredi vulgo dicta munitionis inſtar duabus ingentibus turribus et foſſa praeterea lata ac profunda firmata inter meridiem et occaſum occurrit. Arcem ingreſſis per ſublicium pontem, in lata area turris horologii ſive ſpeculae dicta ingenti et firma ſtructura ad laevam apparet. A Godofredi porta ad [l] Meluſinae turrem exterius duplex murus praetenditur. In ima turre fons Meluſinae a poetis noſtratibus decantatae fabulis famoſus ſcatet; et juxta eum poſticum, per quod ad [m] Vulnam loco ſubjectum amnem deſcenditur; inde ad [n] Vaccariam munitionem per exterius foſſae labrum itur. Tertia porta [o] Scalaria vocatur. In arce pleraque erant aedificia olim regia magnificentia exſtructa, ſed poſtea neglecta ac ſemiruta; et porticus inprimis, quae in ſeptum viridarium et prata ſubjecta ſeptentrionem verſus deſpiciebat. Ex porta oppidi ad dextram ſeptum verſus tendentibus terrae tumulus objacet, munitio Dominarum vulgo dictus: in fronte arcis ingens turris prominebat [p] Pictonica appellata. Inferius oppidum, quod tanquam ſuperioris ſuburbium erat, amoenitate praecipuum, a praeſidiariis, ne uſui noſtris in obſidione eſſet, incendio conſumptum eſt; et una vici collibus vicinis circumpoſiti, qui in oppidum veluti deſpiciunt. Renatus [q] Roanus XL circiter ex nobilitate comitatus locum inſederat, cum IƆC delectis; et excitata munitione, cui [r] Leonis nomen fecit, ad [ſ] Cephei fontem, id erat pagi nomen, Roani juſſu incendio conſumpti, aditum ab ea parte, quod ſuperioris oppidi debilior frons eſſet, interclusit. Ad portam Godofredi III Eid. Oct. et ad ſpeculatoriam turrem diſploſi circiter CCC tormentorum ictus: inde tribus locis redintegrata poſtridie verberatio, et amplius IƆCCC ictus in oppidum, et ſequenti rurſus die CIƆ LXX ictus a XX machinis diſploſi, XL paſſuum ruina edita; quae dum oppidanorum diligentia ſarcitur, per colloquia ſolicitata fuit obſeſſorum fides, ſicuti

Fontenaii

INTERPR. [a] *Maſſerouſſe.* [b] *Champagne.* [c] *Du Moulin miniſtre.* [d] *Babelot Cordelier.* [e] *Vouille.* [f] *Luſignan.* [g] *Marans.* [h] *Pons en Saintonge.* [i] *Pons de Plaſſac.* [k] *de Geoffroy.* [l] *Meluſine.* [m] *Voune.* [n] *ravelin de la Vacherie.* [o] *Porte de l'Eſchelle.* [p] *la tour Poictevine.* [q] *de Rohan, baron de Frontenay.* [r] *fort du Lion.* [ſ] *la font de Cef.*

CIↃIↃLXXIV.
HENRICUS III.

rontenaii factum fuerat; et Monpenſerii nomine facta obſeſſis ſpes libere domum abeundi vita et rebus ſalvis, ubi et libertate conſcientiae frui illis et citra periculum ob praeterita aut religionem pacate et in tuto degere liceret. Sed ab obſeſſis reſponſum, non ſuam, ſed univerſorum, qui in regno ſunt, Proteſtantium cauſam agi: proinde petere, ut Lanovium ſuper ea re conſulere facultas eſſet, et nihil inconſultis ceteris univerſi regni ſecum ſentientibus eccleſiis in eo negotio facere cogerentur: ſe paratos ad Lanovium et in Septimaniam legatos mittere, modo Monpenſerius induciis pactis copias faceſſere jubeat, et ab obſidione ad aliquod tempus diſcedat. Quae conditiones cum a Monpenſerio rejicerentur, vetita in poſterum colloquia. Cum noſtri ſeptum, quod huc uſque vacuum remanſerat, inſediſſent, eruptione facta aliquoties pugnatum fuit; machiniſque aliquot in eo ſtatutis ad Vaccariam munitionem verberatio dirigitur, et x Kal. Nov. CIↃCCL amplius ictus diſploſi. Tum totis viribus oppugnatio facta ad veſperam uſque extracto certamine: tandem repulſi noſtri cum damno. Interfectorum corpora inſepulta inter ruinae rudera contumulata ſunt. Buſſius etiam ipſe, qui fortem admodum operam in eo navaverat, graviter ſauciatus. Sed major obſeſſorum jactura fuit, amiſſis VII ex primaria nobilitate; et in iis [a] Challoo ſtrenuo duce, vulnere ex tormenti pila in crure accepto, ac Renato [b] Sammarthano Caſtro-novio. Aliquot poſt diebus eruptione nocturna pugnatum fuit; in qua obſeſſi, pleriſque interfectis, magna praeda potiti ſunt, vallo in ſepto ſuperato, et confixis VII regiis tormentis; non ita tamen ut inutilia omnino reddita ſint, clavis ſtatim ſine rei jactura revulſis: pulvis item tormentarius inibi repertus incendio conſumptus. Ab eo tempore lentius res agi coepit, dilabente a ſignis in regio exercitu milite, et pulvere tormentario fere conſumpto: nulla alia re geſta totus November exactus, occupato interea in demoliendis vicinis locis munitis, quae hoſti perfugio erant, Monpenſerio; qui acceptis IↃC militibus recentibus, duce [c] Sammartino, et CIↃCC Germanis equitibus VIII Eid. Dec. Luſinianum arctius cingit, prohibito foeminarum aliquot nobilium praegnantium, quae domum redire ut ſibi liceret petebant, egreſſu, cum locum non vi, ſed commeatus penuria in poteſtatem redigere ſtatuiſſet. Commeabat interea Joannes [d] Haius, et a caſtris regiis crebro Rupellam itabat, parti utrique, dum operam ſuam venditat, merito ſuſpectus. Itaque et ad ejus copias, quae in [e] Santonibus circa [f] Pontium erant, delendas miſſus a Monpenſerio [g] Monſorellus cum turma equitum Germanorum; qui, communicato cum ſani [h] Joannis et Mediolani Santonum praefectis conſilio, ac conjunctis viribus, eorum ope C ex iis interfecit, ceteros inopinato oppreſſos in fugam vertit. Tentatus interim Roanus, miſſis ad eum Franciſcae [i] Roanae Garnaeiae ſororis literis; quibus eum, ut ſe reſpiceret, hortabatur, conditioneſque a Monpenſerio oblatas, de quibus Renatus [k] Tornamina Hunaldaeus Armoricae regulus et illuſtriſſimae Roanorum familiae affinis cum eo acturus eſſet, acciperet, neque in extremam perniciem ſuorum imprudentia et contumacia praecipitaret. Verum ille et literas ſororis contempſit, neque Hunaldaeum ſe quo vellet paratum venire ſignificantem ad colloquium admiſit. Contra eodem tempore Lanovius crebris literis obſeſſos ad conſtantiam incitabat, auxiliorum facta ſpe; Condaeique in Germania et Damvillae in Septimania res in dies proſperare et copias augeri oſtendebat. Jamque res obſeſſorum ad ſummas anguſtias redactae erant, aſpera admodum hyeme et nudo fere et diſcalceato milite. Creſcebat et in dies carnium penuria, ita ut miles catorum, murium et interdum equorum, quos noctu ſubreptos interficiebat et in fruſta ſecabat, carnibus veſceretur; noctu etiam graſſationibus oppidanorum

INTERPR. [a] *Chaillou.* [b] *de Ste Marthe, ſieur de Châteauneuf.* [c] *S. Martin.* [d] *la Haye.* [e] *Saintonge.* [f] *Pons.* [g] *de Monſoreau.* [h] *S. Jean d'Angely & Saintes.* [i] *de Rohan, dame de la Garnache.* [k] *de Tournemine, ſieur de la Hunauldaie.*

CIϽIϽLXXIV. HENRICUS III.

oppidanorum domos pervaderet, ut eſcam furaretur: quod et eum oppidanis inviſum et ducibus minus obedientem reddebar. Aucta et ex eo penuria, quod, molatrina aquaria, quae turri ſuberat, vi tormenrorum corrupta, molae truſatiles, quae in arce erant, farinae ad tantam multitudinem parandae minime ſufficerent. Magna quoque lignorum et materiae in arce inopia erat, ur calefaciendo militi et operibus ſtruendis non niſi ex privatatum domorum deſtructionibus is deſectus ſuppleri poſſet; quod irem cum oppidanorum injuria conjunctum erat. His tot tantiſque incommoditatibus conflictati diu obſeſſi cum tamen nullam dedendi ſe voluntatem oſtenderenr, Monpenſerius morae pertacſus vim adhibet ad Dominarum munitionem cuneis actis; qui tamen contrario obſeſſorum aſtu in regiorum perniciem verterunt. Dum in eo ſunt, Franciſcus [a] Berauderius Roëtus nomine regis ac reginae colloquium poſcit, literis prolatis ad ſe ſcriptis; quibus rex reginaque jubebant, ut ipſe de conditionibus a Monpenſerio oblatis fidem obligaret. Qua de re cum Petrus [b] Chuppius et Barronetius, qui cum Roëto collocuti fuerant, ad Roanum retuliſſent, idem quod prius ab iis reſponſum. Cumque noſtri jam ad munitionis Dominarum foſſam vallum produxiſſenr, eruptione a [c] Terrafortio et Pividalio ejus legato cum delectis facta, repulſi ſunr. Tandem x Kal. Dec. redintegrata verberatio vehementior, quam antea ad [d] Vaccariam munitionem, ad Dominarum propugnaculum et oppidi objecti murum, et cum XVIII tormentis majoribus et IV colubrinis diſploſi CIϽ IϽCXXXIV ictus: neque tamen eo die vis facta. Poſtridie ſummo mane repetita pulſatione omnia prominentia munimenta decuſſa, inſtructis tripartito in aciem regiis copiis; quae ſigno dato poſt meridiem tribus locis impetum fecere. Major impreſſio ad Vaccariam fuit, ducibus Joanne [e] Leomontio Pigallario, Renato [f] Rupichuartio Mortemario et Joanne [g] Coëmo Luçaeo; quam R. [h] Valaſergus Seraeus tuendam ſuſceperat: ibi fortiter ab uttaque parte pugnatum; noſtrique tandem in ruinam evaſerunt, et jam creſcente numero a tergo defenſores circumveniebant, haſtis portam arcis perfringere adorti, defenſoribus, qui tormentis infeſtati ad interiorem foſſam confugerant, ex lateribus noſtros viciſſim infeſtantibus, cum muri porticibus ſubjecti pars tormentorum fragore debilitata repente corruit, et multos ex noſtris ruina oppreſſit, atque ita conatum illorum irritum reddidit. Cum igitur ſaepius repetito impetu a meridie certatum eſſet, noſtri jam ſole inclinante vim ſuſtinuerunt, et ſenſim retrocedendo ad ſua reverſi ſunt, amiſſis compluribus aut graviter vulneratis; et in iis Lucaeo, qui ex plaga ſtatim deceſſit, relicta ampliſſimorum in [i] Cenomanis bonorum Joanna ſorore herede, quae paulo ante Ludovico [k] Montaferiae comiti Subalpinae regionis regulo elocata fuerat, et poſtea illuſtriſſimo principi [l] Contii Franciſco Borbonio nupſit. Terrafortius ex pleuritide poſtridie magno ſuorum deſiderio deceſſit. Ab ea die noſtri ſatis habuerunt hoſpitium ad munitionem et turris Pictonicae pedem ſibi deligere, cuneis et ſuffoſſionibus cum hominibus vigilia et laboribus paene enectis citra periculum rem deinceps geſturi. Tum redintegrata verberatione, cum nihilominus obſeſſi, ad CCCCL ſcloppetarios et XXC cataphractos redacti, ſe animis ad extrema quaeque patienda paratos [m] Roano oſtendiſſent; [n] Sarrius campiductor capita quaedam Pigallario antea porrecta, ad quae ob morbum ejus nihil reſponſum fuerat, repetit, et diem ac locum ad conveniendum condicit. Itaque [o] Hunaldaeo et Millio obſidibus datis delegati ab obſeſſis [p] Ragoneriam venerunt: tandemque in has conditiones conventum; ut Roanus cum nobilitate armis ac rebus ſalvis, milites cum armis ſed funibus extinctis et complicatis ſignis Rupellam in tutum deducerentur; paſtores item incolumes

INTERPR. [a] *de la Beraudiere, ſieur de l'Iſle-Rouhet.* [b] *de Chouppes & Baroniere.* [c] *les ſieurs de Terrefort & de Puy-Vidal.* [d] *ravelins de la Vacherie & des Dames.* [e] *Leomont de Puy-gaillard.* [f] *de Rochechouart, ſieur de Mortemar.* [g] *de Coëme Lucé.* [h] *Valzergues, ſieur de Seré.* [i] *au Mans.* [k] *de Montaſier en Piedmont.* [l] *de Conti.* [m] *de Rohan, baron de Frontenay.* [n] *Sarriou.* [o] *Tournemine de la Hunauldaie, & de Milly.* [p] *Rangoniere.*

incolumes dimitterehtur; machinas, apparatum bellicum et commeatum in arce et CIↃIↃLXXIV.
oppido relinquerent; bonorum, in quorum poſſeſſionem Monpenſerii juſſu rex miſ- HENRICUS III.
ſus eſſet, eis libera poſſeſſio concederetur; oppidani, qui in oppido remanere optarent, in gratiam a Monpenſerio reciperentur. His conditionibus Roanus arcem et oppidum tradere pollicetur. Capti utrinque obſides: a Roano Hunaldaeus et Millius; a Monpenſerio [a] Chuppius, Frapinerius, Tiffarderius, Boſſetus, qui rebus bona fide tranſactis ſine mora libertati reſtituerentur. Id actum VIII Kal. Feb. inſequentis anni. In ea obſidione milites cc ex praeſidiariis, XXV ex nobilitate; ex regiis amplius IↃCCC deſiderati ſunt. Mox et regis permiſſu ad provinciae poſtulata annuentis decretum, ut arx illa tota Gallia celeberrima et formoſiſſima omnino dirueretur: idque negotii datum [b] Barbezerio Chemeraldo; qui ruſticorum ope certatim eo accurrentium rem executus eſt, ut quidem relicta turre Meluſinae integra fabulis noſtris famoſiſſima; cui plerique tamen, reliqua arce deſtructa, ad conſervandam priſci aevi memoriam parcendum cenſebant.

XII. [a] INTEREA [c] Alençonius per literas amatorias coeptum matrimonii cum Eliſabetha negotium urgebat; et illa, jam ſerio de nuptiis cogitans, non aegre juvenem procum admiſſura videbatur: et, cum ante regis fratris mortem ipſum in ſuſpicionem rerum novarum veniſſe Navarrumque ſororium in idem crimen vocari intellexiſſet, per Valentinum [d] Dalum oratorem ſuum, qui Walſinghamo ſucceſſerat, cum regina parente egerat, ne temere delatoribus contra ſuos fidem adhiberet; et omne ſtudium et operam ſuam per Thomam [e] Wilkeſium, qui Dalo ab epiſtolis erat, Alençonio et Navarro ſimul in occulto detulerat; et Thomas [f] Randolphus in Galliam miſſus, ut Catharinae matris interventu Alençonium et Navarrum cum rege reconciliaret. Poſt mortem dein Caroli, Henrico fratre ex Polonia reverſo, miſſus eſt Rogerius [g] Northus, qui novo regi felicem in regnum reditum gratularetur, et belli inteſtini in Gallia toties renovati vicem Eliſabethae dolere oſtenderet, peteretque ejus nomine, ut edictorum in gratiam Proteſtantium conditorum obſervatio ſanciretur. Haec palam. In occulto ei negotium datum, ut pro [h] Momorantio et Coſſaeo equitum tribunis captivis apud regem intercederet, et Carlotae Borboniae, quae propter religionem in Germaniam profugerat, veniam ac gratiam apud Monpenſerium parentem impetraret. Sed nihil actum; fatali caecitate animis apud nos in bellum civile inflammatis. Tantum matrimonii cum Alençonio negotium repoſitum, annitente rege, qui poſt bellum oſtentatum pacem tutiorem ſperabat, ut fratre ex hac occaſione honorifice allegato, domi otio ſecurus frueretur.

XIII. GUISIANI tum maxime rerum in aula potiebantur; in quorum gratiam de Mariae Scotae cognatae cauſa conſultari coepit, ut ipſa priſtinae libertati atque adeo in regnum reſtitueretur: quod ut conficeret, et adverſae partis, quae Eliſabetham reſpiciebat, factio profligaretur, de rege puero intercipiendo, et in Galliam mittendo initum fuit conſilium, haud inſcia parente, quae non aliter factionem Anglicanam, quae regis pueri auctoritate nitebatur, in Scotia, atque adeo [i] Mortonii ipſius proregis potentiam ſubverti poſſe exiſtimabat, quam ſi filius inde deduceretur: ſic enim fore, ut Anglorum conſilia Mortonio dejecto labaſcerent, et Scoti Mariae infeſti, dum filius ejus extra regnum adoleſcit, ab ea timentes facilius ad officium eſſent redituri: interimque foedus antiquum, quod Eliſabetha cupide adeo diſſolvi exoptabat, arctiore vinculo nobiſcum firmaretur. Scrupulus et Eliſabethae injectus de agitatis inter

Carolum

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Alençonii literis amatoriis, rebuſque Anglicis et Scoticis uſque ad* Dum haec in Britannia, 41 *lineae, deſunt* D. f. d.

INTERPR. [a] *les ſieurs de Chouppes, Frappiniere, Tiffardiere, & Boiſſec.* [b] *de Barbezieres, ſieur de Chemerault.* [c] *le duc d'Alençon.* [d] *Dale.* [e] *Wilkes.* [f] *Randolph.* [g] *le lord North.* [h] *les mareſchaux de Montmorency & de Coſſé.* [i] *le comte de Morton.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III. Carolum regis patrunm, qui nuper [a] Leviniae comes creatus fuerat, et [1] M. [b] Candiſham comitis [c] Salopienſis filiam, non inconſulta Maria, nuptiis: qua de cauſa utriuſque matet et aliquot. conſeii ſub cuſtodiam miſſi. Renovatae et in Anglia leges ſumptuariae; quibus luxus in veſtibus, conviviis et aedificiis aliquantum coercitus. Prodigii loco aeceptum, ingeos ad [d] Taneti inſulam cetum mari recedente in litore deſtitutum; cujus longitudo XX ulnas Anglicanas, latitudo a ventre ad dorſi ſpinam XII pedes, ſpatium oculis interjectum XI excedebat: bis [e] Tameſis etiam intra horam aeſtu accedente refluxit: et Novembri menſe fumantes igne nubes meridiem verſus, ac coelum ardere viſum. His poſtremo adnumerata puella a maligno ſpiritu incitari credita, quae Londioenſibus paſtoribus nimis credulis diu illuſit.

XIV. DUM haec in Britaonia gererentur, in Belgio [f] Arnemuda et [g] Mildeburgum Mattiacorum praecipuae urbes, quas praeſidio tenebat Chriſtophorus Mondragonius, ad extremas anguſtias redactae erant. Ludovicus Requeſenes, qui nuper decedente e provincia [h] Albano a Philippo revocato exercitum traditum cum ſummo imperio acceperat, Bruxellis Antuerpiam et iode [i] Bergas ad Somam venit, ut ex propinquo commodius auxilia laborantibus per canaleis ſummittenda pararet. Heic XL circiter navibus egregie inſtructis aliquot carros portando commeatui imponit; quas naves planae et oblongae, quae importuoſis locis facilius ſubeunt, remulco tractae ſequebantor. Erant circiter in claſſe CIↃ armati; cui praeerat [k] Bellovaſius maris praefectus poſt captum [l] Boſſuvii comitem. Cum veto et is ex morbo tunc forte decumberet, [m] Glimaeus ejus legatus ſummum imperium gerebat. Dum in eo ſunt ut ſolvant, adventu proregis diſploſa ad eum ſaltandum de more tormenta; quorum vi una navis, quae cohortem Franciſci Bobadillae portabat, aperta mari ſtatim cum militibus hauſta eſt; paucique periculum evaſere, in quibus Bobadilla ductor et Andreas [n] Romanus ejus ſignifer. Nihilominus poſtridie ſolvunt, Juliano [o] Romero [p] Romerſvahalim praemiſſo: paulumque progreſſi ſociorum obviam claſſem habent, longe et numero navium et magnitudine atque altitudine alveorum potentiorem. Primam aciem docebat Glimaeus; qui vento adverſo cum litus legeret, incumbentibus hoſtibus et manu ferrea injecta egregie pugnam capeſſunt. Sed cum neque Romerus neque [q] Oſorius Angulus, qui ultimum agmen ducebat, auxilio ſupervenirent, artificioſis ignibus incenſa nave, qua vehebatur, ipſe lethalibus vulneribus ictus tandem paene exanimis in eorum manus devenit. Inde in Romerum converſus impetus; qui, nave jam aquam hauriente, in brevia inſilit, et natando ad aggerem vicinum cum X militibus incolumis pervenit. Amiſſae ex regiis IX naves, praeter eas, quae commeatum portabant, et eas, quae mari hauſtae ſunt. Romeri navis capta et ſervata: in qua mandata ſecreta erant. Perierunt in eo certamine IↃCC circiter Belgae et Hiſpani; et in iis [r] Didacus Carillus Acunea et Nietus Conſalvi Oualis ſignifer. Oſorius Angulus graviter vulneratus ſe in tutum ſubduxit. Nec felicior multo conatus fuit Sanctii Avilae a prorege eam jacturam diligentia ſarcire ſatagente, Antuerpia eodem tempore ſummiſſi; qui, cum e regione [s] Vliſſingae veniſſet, cum Alfonſo [t] Lupo Gallo et IV ipſius legionis ſignis totidemque ex Romeriana legione, cognito claſſis, cui ſe conjungere debebat, ſucceſſu retro Bergas verſus poſt exiguum certamen ſe recepit, amiſſo tantum Michaële [u] Crevilla et aliquot militibus. Tandem prorex [w] Mondragonium, qoi [x] Mildeburgum tenebat, monuit, ut ſibi conſuleret, neque in anguſtias inextricabileis

INTERPR. [a] *Lenox.* [b] *Cand'ſh.* [c] *de Shrewsbury.* [d] *Thanet.* [e] *la Thamiſe.* [f] *Arnemuyden.* [g] *Middelburg en Zelande.* [h] *le duc d'Albe.* [i] *Bergen-op-zoom.* [k] *de Lanoy, ſieur de Beauvois.* [l] *Boſſut.* [m] *le ſieur de Glimes.* [n] *Roman.* [o] *Romero.* [p] *Romerſwale.* [q] *Oſorio de Angulo.* [r] *Diego Carillo de Acunna, & Nieto Gonçalo de Oualle.* [s] *Fleſſingue.* [t] *Lopez Gallo.* [u] *Crevilla.* [w] *de Mondragon.* [x] *Middelburg.*

NOT. [1] *Dele* M. Candiſham comitis Salopienſis filiam: *lege* Eliſabetham Gulielmi Candiſhi equitis filiam ſecundogenitam, Mariae Gilberti comitis Salopienſis uxoris ſororem. *C.*

inextricabileis ſe compelli ſineret, nulla auxiliorum ſpe: ille, qui nihil reliqui ad ſummam virtutem et patientiam ſecerat, quippe conſumptis vaccis, equis, canibus, catis et animalium ipſorum pellibus, et ex XXIV panis unciis, quae dietim in ſingulos milites diſtribuebantur, delibatiooe ſenſim facta ad II uncias diurnas, cum nihil jam a longo tempore praeter paſtillos e lini ſemine coofectos obſeſſi ederent, oeque plus quam quatuor dierum exigui adeo demenſi commeatus ſuppeteret, conſilium init, antequam deditionem faceret, omnium mercium ac rerum, quae in opulentiſſima urbe erant et oſui hoſti eſſe poterant, perdendarum; quod cum militi ultionem ab Arauſiooeoſi, qui aequas conditiooes, modo ſalva omnia in urbe remanerent, proponebat, verito, non probaret, in has tandem leges cooventum; ut Mondragonius Mildeburgum et [a] Arnemudam cum machinis, apparatu bellico et mercibus integris traderet, neque quidquam ex munitionibus demoliretur; et ipſe cum ſuis, qui Arauſionenſi militare nollent, e [b] Walachria inſula cum armis, ſignis, tympanis ac rebus ſalvis, nemine ſecum ex oppidanis adducto, exire tenerentur; fidem inſuper obſtriogetet ſe dimiſſurum e cuſtodia Philippum [c] Maroixium Santaldegondanum equitem, Jacobum [d] Simoſium ordinum ductorem, et Italum quendam oomine [e] Citadellam; ni faciat, ipſe ſe captivum ſiſtat, aut ordinum ductores certo numero obſidum loco tradat; dimittantur viciſſim tormentarii, et exercitus annooarii; monachi item ac ſacerdotes cum amictibus ac rebus ſuis, iiſque de bonis ſuis idonee caveatur, et in tutum navibus io id commodatis deducantur. Haec acta in [f] Rammekenenſi arce XVI Febr. Octiduo poſt Arauſiooenſis, qui Vliſſingae erat, in urbem venit, et oppidanis C aureorum CIↃ imperavit, abſentium bona occupavit, mercibuſque divenditis magnam pecuniae ſummam confecit, toto eo tractu praeter [g] Tergoëſam inſulam in Hollandiam uſque potitus. Quod ei animum ad majora aodenda fecit, Ludovico Naſſovio fratre, quia Carolo rege etiam poſt tumultum Pariſieoſem ſive vana ſpe ſive ſerio ſublevabatur, et nuper clam cum Alençonio Nancii, cum Henricus frater io Poloniam proficiſceretur, collocutus ea de re fuerat, ipſum confirmante. Is ſiquidem in Germania novis copiis conſcriptis [h] Trajectum uſque Moſae venerat, urbem teotaturus. In ejus exercitu VI peditum CIↃ, [i] Vaſcones, Belgae majorem partem, quos ipſe ducebat; III equitum CIↃ, qoibus praeerat Chriſtophorus [k] Baioarus Friderici Palatini ſeptemviri filius. Trajecto Franciſcus [l] Montedoca praeerat; adveotuque Naſſovii territo ſupervenit Bernardinus Mendoza cum ſua equitum ala et V aliis, una inſuper ſcloppetariorum Mondragonii, a prorege propere ſummiſſis; quo et ipſum ſubſequi juſſus Sanctius Avila militari ſcientia et locorum ootitia tunc inter Hiſpanos praecipuus, cum magna ſcloppetariorum peditum manu. Prorex in Germania VIII equitum CIↃ conſcripſerat, et legionem peditum, duce Hannibale [m] Altempſio, IV [n] Helvetiorum Quinquepagicorum CIↃ, et XLII ſigna Belgarum. Mandatum inſuper Cooſalvo [o] Bracamontio, ut II Hiſpanorum CIↃ, et Jo. Baptiſtae [p] Mootio, ot III equitum turmas ex Batavia adducerent, ubi [q] Capreolus in [r] Aquenſi regione ad [ſ] Aſſendelſum et [s] [t] Armeoeducum paulo ante rem feliciter geſſerat, munimentis aliquot captis et ſociorum viribus diſſipatis. Cum igitur Mendoza exeunte Februar. veniſſet, praedura ubique adhuc glacie, prima cura fuit urbis contra vim externam muniendae, non oeglecto interim internorum motuum periculo; nam pleroſque in oppido cum ſociis conſpirare ſuſpicio erat. Demum V Non. Mart. Avila venit cum III ſignis ex legione Sicula,

CIↃIↃLXXIV.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Arnemuyden.* [b] *Walcheren.* [c] *Marnix de Ste Aldegonde.* [d] *Simonſen.* [e] *Cittadella.* [f] *Rammekens.* [g] *Tergoes.* [h] *Maeſtricht.* [i] *Gaſcons.* [k] *de Baviere.* [l] *de Monteſdoca.* [m] *Altemps.* [n] *Suiſſes des cinq Cantons.* [o] *de Bracamonte.* [p] *del Monte.* [q] *Henri de Vienne, baron des Chevreaux.* [r] *Waterland.* [ſ] *Aſſendelf.* [t] *Crommenierige.*

NOT. [s] *Dele* Armeneducum: *lege* aggerem Crommeniae: *ſuivant Grotius. Mendoça met* Armenedick. *Put.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III. Sicula, ducibus [a] Damiano Morale, Alfonſo Galeacio et Joanne Aquila Petri Conſalvi Mendozae, qui aberat, ſignifero; praeterea IↃCC ſcloppetariis Belgis, quos [b] Lupus Gallus ducebat. Inter eos tam vicinos aliquoties levibus procliis certatum, donec Avila, cognito hoſteis laxioribus hoſpitiis uti, XV Kal. April. aliquot cohortes, quae [c] Bomelae IV a [d] Trajecto milliaribus ſecurius agebant, noctu aggreditur, et ad IↃCC caedit; et, cum equitatus e vicinis hoſpitiis auxilio adveniret, a Petro [e] Buſto et Mutio Pagano levis armaturae ducibus pariter caeſi ac diſturbati ſunt; accenſis interim ignibus, ad quorum conſpectum tanquam ad ſignum univerſae copiae in armis accurrere. Naſſovius ipſe cum CIↃ circiter equitibus, nam Baioarus falſum rumorem tatus hoſpitio non ſe movit, tam praecipiti celeritate advenit, ut anhelis equis, licet ſereno coelo, aër circum vapore ſpiſſo nebuloſus appareret. Ubi in conſpectum Hiſpanorum venit, in V agmina copias diſtribuit, levibus proeliis utrinque conſertis, cum Hiſpani numero inferiores ſe continerent: tandem diverſi hinc inde abierunt. Naſſovius in Limburgenſem agrum deſcendit; et ad [f] Falcamontium et Vulpeum vicos caſtra biduo poſt metatur: quos Avila Trajecto egreſſus cum IↃ Hiſpanis et Belgis ſcloppetariis et VIII equitum turmis inſecutus eſt: ultimumque agmen carpens, nec tamen recedenteis magno damno afficere potuit. Jamque Bracamontius ex Batavia cum XXV ſignis et [g] Montius cum equitatu Ruremundam venerant, cum [h] prorex, qui videret hoſtium in dies copias creſcere, et vereretur, ne tranſmiſſo [i] Moſa in Atuatico, ubi pleraque oppida nutare intelligebat, periculoſa impreſſione incumberent, praevertendum ratus, ipſe eos adoriri ſtatuit, et, antequam Arauſionenſis cum Ludovico Naſſovio fratre conjungeretur, cum hoſtibus confligere. Itaque Avila cum delecta manu, propius admotis copiis, quo de hoſtium rebus cognoſceret, eos levibus proeliis laceſſit; nullo alio initio profectu, quam quod illi de tranſmittendo ea parte Moſa deſperantes conſilio mutato retro [k] Neomagum iter flexere, et inter Moſam et [l] Wahalim caſtra metati ſunt; quo Arauſionenſis, qui copias in Bomela inſula cogebat, jamque ad VI CIↃ peditum habebat, cum ipſis ſe conjuncturus erat. Suſpicio fuit, ſocios eo conſilio Falcamontio caſtra moviſſe, quod de Ruremonda aſtu ſive quorundam proditione intercipienda in ſpem veniſſent. Miſſus, qui abeunteis inſequeretur, Joannes [m] Alconeta cum delectis cataphractis et ſcloppetariis equitibus; quem Avila cum toto exercitu per alteram ripam incedens ſecutus eſt; et, miſſis ad Aegidium [n] Barlaimontium Hiergium, qui Neomagi erat, CCC ex legione Sicula ſcloppetariis, et [o] Capreolo cum ſua [p] Sequanorum equitum ala, qui Wahalis aggerem ſervarent, [q] Cucum venit; ac poſtridie Moſam ad [r] Graviam tranſmittit, ponte aedificato illius inſtar, quem Albanus in eodem flumine ſtraverat, cum Trajecto itidem ad Zutfaniae obſidionem contenderet. Nec multo poſt obvios habuit hoſteis, levique conſerto certamine, et aliquot ex Antonii [ſ] Davali turma a Germanorum equitum globo oppreſſis, cum hoſtes in planitie ante [t] Mocam vicum Clivenſis ditionis in Moſae aggere ſitum aciem inſtruxiſſent, Avila pariter ſuos inſtruit; et ita uterque exercitus in armis conſtitere uſque ad ſolis occaſum.

XV. POSTRIDIE, qui fuit XVIII Kal. Maias, rurſus omnes in armis comparuere: ſed ſecurius Naſſoviani agebant; quippe qui praecurſores a prorege ad laceſſendum miſſos, neque dum omneis copias Moſam tranſmiſiſſe crederent, et heſterno ſucceſſu inflati, hoſtem contemnerent. Mocam, quae a meridie Moſam ſubjectum habet, a ſeptentrione alto monte cingitur, qui a vico tormenti jactu medio interjacet: quo in ſpatio hoſtes equitatum in IV agmina tributum et in ſummo monte praeterea C circiter equites

INTERPR. [a] *D. Morales, Al. Galeas, & Juan d'Aquila.* [b] *Lopez Gallo.* [c] *Bommel.* [d] *Maeſtricht.* [e] *Buſtos & Mutio Pagan.* [f] *Fauquemont & Welpen.* [g] *del Monte.* [h] *Don Luis de Requeſens.* [i] *la Meuſe.* [k] *Nimegue.* [l] *le Wahal.* [m] *de Alconeta.* [n] *de Berlaimont, ſieur de Hierges.* [o] *le baron des Chevreaux.* [p] *Bourguignons du Comtat.* [q] *Cuyk.* [r] *Grave.* [ſ] *Davalos,* [t] *Mocken, ou Mouick.*

equites collocaverunt, qui omnes ſimul CIↃIↃ equites efficiebant; pone, neque hinc longe, peditatus agmine quadrato ſuberat, in quo XXV ſigna erant, ſcloppetariorum fere; nam rari inter eos ſariſſophori: juxta vicum X alia peditum ſigna ſtabant, ducto ante eum vallo ſervando deſtinata: quae omnia ſigna circiter VIII peditum CIↃ conſtabant. Avila autem eum ordinem tenuit, ut omnem peditatum Hiſpanum, in quo XXV ſigna ſariſſophororum et ſcloppetariorum erant, in IV agmina diſtribueret; et, quia loco anguſto premebatur, alterum poſt alterum ſtaret: quibus praeerat Ferdinandus [a] Toletanus, qui quanquam aeger proelio intereſſe voluit. Bracamontius et Mondragonius Belgas ſecum ducebant; qui ſimul omnes ad IV peditum CIↃ efficiebant. Ad laevam equitatus in tot agmina, quot hoſtilis, diſtributus ſtabat; quibus ſingulis ſcloppetariorum globos attribuerat, qui eorum latera tegerent. Ad dextram alterum agmen equitum, quod ex Ferdinandi Toletani, Jo. Baptiſtae [b] Montii et Camilli Montii alis conflatum erat; quos ſequebantur [c] Curtii Martinengi, Bernardini Mendozae et [d] Lupi Sapatae alae; quam ultimam [e] Hiergius ducebat. Tum ex conſilio Mendozae, qui ſic ab Albano didicerat, optimum factu viſum eſt, cum de ſumma rerum agitur, ut venientibus ad manus hoſtibus delecta equitum et peditum manus ſeponatur, quae ſolutis ordinibus ad omneis caſus praeſto ſit, et extra ordines poſita in latus incumbat. Ita inſtructa utrinque acie ſub decimam diei horam Mondragonius in vallum hoſtium, quo ſe continebant, impetum facit cum CCCC ſcloppetariis, partim Hiſpanis, duce [f] Didaco Montedoca, partim Belgis Joanne [g] Rolino et Hugeno ducibus; ac tandem poſt acerrimum certamen vallum ſuperat, expulſis X ſignis, quae locum ſervabant. Quo conſpecto, XXV ſigna in planitie collocata frontem eo vertunt; rurſuſque heic acrius, quam antea, certatur, ſummiſſis ab Avila CC ſcloppetariis majoribus Hiſpanis, quos ducebant Petrus [h] Benavida, et [i] Laurençava, C Belgis, duce Octavio [k] Picichello, et totidem ſariſſophoris, duce Franciſco [l] Salaaario, qui repulſis ſuis a majore numero certamen reſtituerent. Tum, Montedoca primo in vallum inſiliente, alii magna virtute ſtatim inſiliunt et rurſus vallo potiuntur, deſiderato in eo conflictu Montedoca. Mox peditatus hoſtilis ſolutus huc illuc dilabitur. Neque tamen Hiſpani fugientibus tunc inſtitere, equitatu adhuc eorum integro; ex quo [m] Baioarus et Naſſovius, qui in ſummo monte erant, aſſumptis ſecum IↃC delectis denſato agmine in planum deſcendunt, et ſcloppetarios equites obvios, qui ante regiam aciem ſtabant, praetervecti in Germanos impetum faciunt; quibus inclinatis in tempore ſupervenit Jo. Baptiſta Montius, et eum ſecutus Bernardinus Mendoza, qui hoſtium vim ſuſtinuerunt, et eos retro impulerunt, ita ut bipartito agmine recederent; alii Bomelam verſus, alii ad ſummum montem; ubi collectis ex fuga viribus rurſus in planitiem deſcendunt, et certamen reſtituunt; in quo poſtremo undique circumfuſi, cum nullum non ſtrenui ducis ac militis munus impleviſſent, Naſſovius et Baioarus equis dejecti aut palude abſorpti perierunt, et cum iis Henricus Naſſovii frater junior: moxque in fugam verſo equitatu, peditatus, qui ſupererat, victoris arbitrio caeditur ac trucidatur. Pars in ſylvam vicinam abjectis armis aufugerunt, et, dum tergo fugientium regii haerent, in paludes praecipitarunt; in quibus amplius bis mille interfecti, praeter eos qui in ipſo proelio perierunt: ex equitibus amplius IↃC. Conſilium fuiſſe Naſſovii creditur, ſi Hiſpani diffugiente initio peditatu eum, ut fit, ſolutis ordinibus inſecuti eſſent, eum integris victores palanteis aggredi, quibus ita facile victoriam extorſiſſet: verum, illis primum impetum ſuſtinentibus, aſtus fruſtra fuit. Capta XXX ſigna et omnia impedimenta ac pecunia, quae fere regis Galliae nota ſignata erat. Ita rem enarrat Mendoza. Naſſoviorum et Baioari corpora, quantumvis diligenter inter caeſorum cadavera veſtigata,

CIↃIↃLXXIV.

HENRICUS III.

INTERPR. [a] *de Toledo.* [b] *del Monte.* [c] *il conte Curtio Martinengo.* [d] *Lope Capata.* [e] *le ſieur de Hierges.* [f] *Diego de Monteſdoca.* [g] *Rolin & Hugen.* [h] *de Benavides.* [i] *el capitan Lorençava.* [k] *Pichechelo.* [l] *de Salazar.* [m] *le duc Chriſtofle de Baviere, & le comte Ludovic de Naſſau.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III. veſtigata, nuſquam reperiri potuere. Inde ſparſi varii ea de re rumores, quaſi capti illi et in occulto carcere aſſervarentur; qui diuturnitate temporis tandem evanuerunt. Fuit Ludovicus magni et pugnacis animi, cui plura audacter tentanti pauca feliciter ſucceſſerunt; de cetero liberalis, comis, militari more facundus, et qui, licet non mediocribus ingenii dotibus ornatus, plus fortunae quam prudentiae tribueret; in ea re Willelmo Arauſionenſi fratri, qui raro unquam quicquam eventuum aleae commiſit, quam ſtudiis concors tam judicio diſpar. Totum rei bene geſtae decus Belgae Hiergio tribuunt; quem Mendoza ſuis Hiſpanis favens tantum proelio ſuperveniſſe dicit, neque aliud praeterea operae pretium ab eo factum tradit. Galli, qui Naſſovio militabant, in prima acie ſtantes, poſt rem fortiter geſtam periculum evaſere; Hiſpanis in exercitum, a quo plus ſibi metuebant, totum impetum vertentibus. Inde illi juxta Rhenum ſe colligentes, aliquot ex nobilitate ad eos ſe aggregantibus, [a] Kerpenſem arcem Arauſionenſis auſpiciis occupant, et contra [b] Trajecti praeſidiarios aſtu intercipere illam aggreſſos retinuerunt; quos et egreſſos juxta [c] Viti-fanum caedunt, CXXX amplius ex iis captis. Alii et Galli in [d] Treviris ſub XVI ſignis huc uſque haeſerunt, Naſſovio conjungere ſe cupientes: qui, ubi de clade hac acceperunt, [e] Argentinam verſus iter flectunt; ubi obviam facti [f] Hannibali Altempſio, qui binas peditum legiones illis locis conſcripſerat, improviſo illum cum omnibus ducibus oppreſſum caedunt, et in fugam vertunt, armis adhuc in plauſtris jacentibus, antequam militi diſtribuerentur, ereptis: quod Altempſii in Belgium adventum aliquantum retardavit. Tantae victoriae Hiſpanorum praecipue virtute partae fructum eorundem inſolentia corrupit, dum complurium menſium ſtipendia per ſeditionem repoſcunt; quod illis poſt pugnam, ut Germanis ante pugnam, ſolemne eſt, exitioſo pariter exemplo et exitu; cum et alteri rei bene gerendae occaſionem adimant, alteri, re bene geſta, ut ſucceſſu careat, efficiant. Illi ergo tumultuantes, nequaquam increpante eos Avila, ſignis raptis Antuerpiam verſus tendunt, et per poſticum in arcem admittuntur a praeſidiariis, qui et ipſi abrogato ducibus imperio tumultuari coeperunt, ducibus inter eos creatis, quos [g] Electos vulgo vocant. Quod ubi prorex, qui Bruxellis erat, cognovit, continuo in urbem advolat cum Chapino [h] Vitellio; ubi Fridericus [i] Perrenotus Campaniacus gubernator, Germanis, quos penes ſe habebat, haud ſatis fidens, quippe itidem multorum menſium ſtipendia repoſcentibus, omnia ad defenſionem comparabat. Cumque aream inter arcem et urbem occupare et foſſa ducta munire inſtaret, prorex interceſſit, et cunctatione ſua animos ſeditioſis fecit, qui poſtremo eam occupant, et inde turmatim per domos diſcurrentes ſine metatore hoſpitia ſibi deſignant, Campaniaco in [k] aedeis Hanſeaticas ſe recipiente; qui poſtremo urbe faceſſere cum Belgis ſuis, et juſſu proregis, plus nimio Hiſpanis ſuis morigerantis, [l] Ekeram et Wilmeredoneam ſecedere coactus eſt: ſeditioſorum Electus, qui curiam urbis inſederat, diribitorium, ubi ſtipendium ſuis numeraretur, deſignare juſſus. Poſtea Vitellii, Avilae et Mondragonii et concionatorum quorundam Jeſuitarum interventu convenit, ut decem menſium ſolutionem praeſenti pecunia, pro quinque aliis pannos laneos, lineos ac ſericos acciperent. Tandem acceptis CCCC CIↃ florenorum, quam pecuniam cives contulerunt, et pannis, quos diximus, juſto pretio aeſtimatis placati, et venia a prorege data reconciliati ſunt, ipſo Pentecoſtes die, qui in III Kal. Jun. hoc anno incidebat. Veniae diplomate in baſilica majore recitato et ſolemni ſacro confirmato, Hiſpani [m] pompas in ponte Merano egere. Poſtea Electus ultimus, nam unus et alter antea munere moti fuerant, ac praecipui ſeditionis incentores comprehenſi, opportunitate data, poenas luerunt. Inde Hiſpani in [n] Bataviam miſſi, ut ſeptentrionalem

INTERPR. [a] *Kerpen.* [b] *Maeſtricht.* [c] *St Veit.* [d] *eveſché de Treves.* [e] *Strasbourg.* [f] *le comte Annibal d'Altemps.* [g] *Electo*, Efleu ou Chef. [h] *Vitelli.* [i] *Perrenot, ſieur de Champigny.* [k] *la Maiſon des Oſtrelins.* [l] *Eckeren & Wilmerdonk.* [m] *triomſe fait ſur le Meerbrugghe ou pont de Meer.* [n] *Hollande.*

ſeptentrionalem partem, quae fere defecerat, in poteſtatem redigerent, Franciſco Valdeſio, qui inde nuper venerat, eodem redire juſſo, ſed diverſo itinere. CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III.

XVI. VERUM inter hos triumphos et licentiae publicae pompas, dum ſtationarii, qui naveis circiter XXX inter [a] Saſtingam et Lilloam ſervabant, tanquam loco tuto ſecurius agunt, ſupervenientibus ex [b] Vliſſinga et Ziricſea inſulanis circunfunduntur, et fere omnes poſt aliquod certamen in hoſtium poteſtatem veniunt. Qui ſuperfuere, ferro ant flammis perierunt, ant aquis hauſti ſunt, aut in luto et limo diu luctati inter arundineta latuerunt. Captae XV naves, V violenta tormentorum diſploſione depreſſae, III flammis abſumptae ſunt; plus C aeneae ſeu ferreae item machinae captae, necnon et ipſe Adolfus [c] Hamſtedius maris praefecti vicarius; in quem tanquam ſolutiore cura munus ſuum adminiſtrantem cladis acceptae culpam rejicit Bernardinus Mendoza. Eodem tempore nova veniae, a Philippo Belgis VIII Eid. Mart. [d] Mantuae Carpetanorum conceſſae, convocatis Ordinibus VIII Eid. Jun. Bruxellis, concepta formula, ac mox Antuerpiae ſolemni promulgatione a prorege publicatur. Diplomate regio omnium delictorum ab anno LXVI admiſſorum gratia fiebat, nemine ab ea excepto, niſi qui ob atrocitatem ſceleris ab ea ut indigni excludi debent; quorum et nomina ſimul cum promulgatione edebantur; lege appoſita, ut, qui beneficio hoc frui velint, vera poenitentia, ſincero corde ac conſtanti propoſito errores agnoſcere, et in ſinum ſanctae matris eccleſiae Romanae deponere, ab eaque delictorum et cenſurarum, in quas inciderant, veniam impetrare teneantur. Sub id intervenit caſus, qui malo augurio publicam laetitiam conturbavit, turre, in qua L vaſa pulveris tormentarii repoſita erant, forte incendio correpta; cujus vi et ipſa turris a fundamentis everſa, ſaxis longe cum pernicie obviorum diſſilientibus, et magna pars vicini muri diruta; complurium item aedium culmina dejecta. Id IX Kal. Jun. accidit. Secundum haec dimiſſi Germani, qui Philippo ſub Erico Brunſvico militabant, grandi pecunia proregis vix tandem juſſu diſſoluta. Qua ex occaſione Magnus [e] Saxoniae dux Laoburgicus, adjunctis ſibi aliquot peditum et equitum ex illis copiis e Belgio dimiſſis, Franciſco fratri, cui adminiſtrationem provinciae Franciſcus pater ceſſerat, ſuperſtite adhuc patre, bellum infert, magnumque ſui late terrorem inopinato caſu incutit. Primus ad arcem [f] Raceburgenſem factus impetus ineunte Octobri; ubi praeter opinionem plus animi in defenſoribus expertus eſt, quam ut prima oppugnatione locus capi poſſet, ſtipendio interim procedente; quod promiſſum exſolvere cum non poſſet, pecuniae defectum direptione oppidi ſupplere in animum induxit. Quo facto, cum nunciaretur Saxonici circuli ducem ad vim publicam arcendam jam in procinctu eſſe, milite poſt direptum oppidum et ſacrorum ſodalium collegium praeda onuſto et ad imperia minus obediente, Magnus copias tumultuanteis deſerere et in Sueciam aufugere coactus eſt. Eo diffugiente mox et copiae diſſipatae ſunt.

XVII. JOANNI Suecorum regi hoc anno res parum feliciter ceſſere. Nam in Livonia cum Nicolaus Achazius et [g] Pontius Gardius Gallus cum Germanis et Scotis circiter V CIƆ, qui ſuperiore anno [h] Revaliam venerant, ad recipiendam [i] Weſenbergam medio inter Revaliam et Narvam itinere poſitam profecti eſſent, trimeſtri obſidione, tempore per deſidiam tranſacto, tandem poſt aliquot irritas oppugnationes exitioſa inter Germanos et Scotos rixa exorta eſt, quae et ad juſtum proelium devenit, in quo ex Scotis CIƆIƆ perierunt; ceteri cum vexillis ſuis ad Ruſſos, qui Weſenbergam tenebant, transfugerunt. Itaque obſidione ſoluta Aprili menſe Suecici duces re infecta

INTERPR. [a] *Saeſtingen & Lillo.* [b] *Fleſſingue & Ziriczee.* [c] *de Hamſtede, vice-amiral.* [d] *Madrid.* [e] *le duc de Saxe-Lawenbourg.* [f] *Ratzeburg.* [g] *Pontus de la Gardie, François.* [h] *Revel.* [i] *Weſenberg.*

CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III. infecta ad ſua redierunt. Ruſſi ſucceſſu elati ad rapinas effuſi totam [a] Harigiam ad Revaliae uſque portas excurrentes vaſtant. Nec melior fuit popularium ac ruſticorum conditio ſub Livonis equitibus; qui et ipſi rapinis et licentiae aſſueti, nec ſuis quidem parcentes, ſummaque immanitate cuncta diripientes tota ea aeſtate bacchati ſunt, et ad extremum, ut ſaevitiam perfidia cumularent, [b] Hapſelam, Lodem et Lealem arces, quas pro ſtipendiis exactis ab Joanne traditas acceperant, Daniae regi, paciſcente Nicolao [c] Ungerno [d] Oſiliae vicario, vendunt XXC aureorum CIƆ, ſolutione in VIII Kal. Quintil. ſequentis anni dilata. Quod provinciae ſumme detrimentoſum, Livonis propudioſum et emptori infructuoſum fuit. Nam paulo poſt Ruſſi duce [e] Kneſio Mikita, licet illi pacem cum Dano haberent, Lodem, Lealem, [f] Wikelam et ipſam tractus illius metropolim Hapſelam praeſidio et commeatu inſtructiſſimam flagitioſa praefectorum ſive ignavia ſive perfidia deditione capiunt, et expoſtulantem de injuria Danum ambiguo reſponſo ludificati ſunt.

XVIII. INTEREA in Belgio omnis cura in bellum Batavicum revoluta; et, cum quatuor partibus in provinciam exercitus immitti poſſet, prima [g] Harlemo per aggeres mari oppoſitos, qua parte Julianus Romerus prius ingreſſus fuerat; altera per canaleis, qui ad [h] Warmontii et Saſſemi munitiones et [i] Leidendorpium pontem ducunt; tertia ſecundo Rheno per [k] Schonoviam, Crimpenam et paulo inferius per Roterodami inſulam; quarta denique per [l] Godanam cataractam et Alfenum, quae [m] Iſala alluuntur; placuit, ut [n] Liquius per aggeres Hagam peteret, Franciſcus Valdeſius [o] Harlemenſe interius mare ingreſſus per Leidendorpium et Alfenum copias introduceret. Itaque partitae inter duces copiae: Ludovico [p] Cajetano III Hiſpanorum ſigna, C item Hiſpani ex cohorte Joannis [q] Vargae, II Germanorum ſigna attribuuntur; cum quibus ille per Harlemenſe mare [r] Nortvicum et Valkenburgum ducit: quae loca et alia circum munimenta ab Edvardo [s] Cheſtero tenebantur: moxque reflexo itinere Leidendorpium occupat, et cohorte Germanorum firmat: et inde ad dextram per canalem, qui [t] Lugdunum Batavorum ducit, iter ingreditur; et, cum aliquantum viae emenſus eſſet, ad laevam [u] Soëtervodam vicum divertit, cui et Vargam imponit. Dein, cognito Hagam indiligentius cuſtodiri, occupato in itinere [w] Rotae munimento, eo, antequam de Valdeſii, cum quo ſe conjungere debebat, ingreſſu quidquam accepiſſet, audaci conſilio ducit, et hoſtem jam in aciem inſtructum nactus loco pellit, qui ſe inde Delfium recipit. Heic Cajetanus cum arcem pro tempore muniviſſet, triduo poſt ad eum affertur, Liquium, ſicuti convenerat, Harlemo cum equitatu et peditatu Belgico Valkenburgum ducere. In eo ingreſſu Germani, ab [x] Ecmunda per aggeres prope [y] Aſſendelfum palantes, dum in varias turmas diviſi ad praedas errarent, juxta [z] Ulpendamum ab agricolis locorum gnaris petiti varia peſte perierunt. Juxta Ruremundam IƆC occiſi, et CCC captivi Hornam abducti. Ulpendami amplius CCCC caeſi ſunt, et in foſſas ſubjectas praecipitati ac ſepulti. Liquio Valkenburgum ducenti ſe Cajetanus conjunxit: verum Angli, cognito Liquii adventu, mox locum deſeruere, et ad vallum a Lugduni praeſidiariis ſub moenibus exſtructum ſe receperunt: unde cum intra urbem recipi peterent, et propter annonae penuriam oppidani recuſarent, et illos ad praeſens tuto in vallo remanere poſſe oſtenderent, Angli periculum veriti ultro ſe Liquio dedunt. Quos, cum jure belli necari poſſe pletique contenderent, quippe nullo inter Philippum et Eliſabetham bello intercedente, tamen cum ſub id tempus claſſi ex Hiſpania, duce [aa] Petro Melanda, venturae receptus in

INTERPR. [a] *Harnlandt.* [b] *Hapſel, Lode, & Leal.* [c] *de Ungern.* [d] *Oſel.* [e] *le Knez Mikitha.* [f] *Wickel.* [g] *Haerlem.* [h] *Waermont, & Saſſem.* [i] *Leyderdorp.* [k] *Schoonhoven, & Crimpen.* [l] *Peſcluſe de Goude, & Alſen.* [m] *Iſſel r.* [n] *de Liques.* [o] *Haerlemmer meer.* [p] *Gaetano.* [q] *de Vargas.* [r] *Noortwijck & Walkenburg.* [s] *Cheſter.* [t] *Leyde.* [u] *Soeterwoude.* [w] *fort de la Roue.* [x] *Egmond.* [y] *Aſſendelf.* [z] *Ulpendam.* [aa] *Pedro Melendez.*

CIƆIƆLXXIV.
HENRICUS III.

in portubus Britanniae, et commeatus ab Eliſabetha petendus eſſet, B. Mendoza huic legationi deſtinatus a prorege impetravit, ut vitae gratia illis fieret; quo beneficio obſtricta regina facilius et receptum et commeatum claſſi Hiſpanae daret. Nec ſucceſſu conſilium caruit. Nam regina, excuſata ſuorum temeritate, tamen pro gratia eis a prorege facta gratias habuit; et prolixe omnia, quae petebantur, Philippo detulit. Interea Valdeſius Ultrajectum venit; et, copiis circa Schonoviam diſtributis, poſt xv dierum moram Monſortium progreditur, miſſo Martino Aiala cum II Hiſpanorum ſignis et equitum manu, ut [a] Alſenenſe munimentum aggrederetur, quod in via, qua exercitui incedendum erat, primum occurrebat. Vicus eſt in aggere Rheno impoſito, qui undique fluvio in pluréis canaléis ſe ſcindente alluitur, inſulae ſpecie, et ponte lapideo Godana cataracta vulgo dicto clauditur; in cujus fronte praeſidiarii domum feneſtratam ad ejaculandos ictus muniverant: in imo tumulus excitatus erat, foſſa et ſepto firmatus: templum item vici tumultuariis operibus muniverant praeſidiarii: quae loca ab Edvardo Cheſtero et [b] Gainsfordo tenebantur. Loco explorato, Valdeſius ſcalas per [c] Petri Paſſi, [d] Manuelis Capovaccae, [e] Lodovici Carrerae et [f] Vaſci Acuneae milites comportari, et ad pontem et cetera loca admoveri jubet. Ibi poſt acerrimum certamen, cum Angli regios magna virtute repuliſſent, in ulteriorem ripam, qua parte minus obſeſſi putabant, Hiſpani natatu, nam naves non ſuppetebant, tranſeunt; inopinatoque hoſtéis a tergo adorti, ab utraque parte vi facta tandem praeſidiarios ex munitione deturbant, et Alſenum ſe recipientéis inſecuti ac fugientibus immiſti Alſenum et templum ipſum vi capiunt, occiſis cc Anglis, et III ſignis captis, atque ex ſuis paucis admodum amiſſis. Quo facto, et [g] Lud. Villa loco cum II Belgarum ſignis impoſito, Valdeſiani [h] Soëtervodam verſus tendunt; cui et Aiala cum II Hiſpanorum ſignis impoſitus. Inde Valdeſius [i] Hagam uſque ad [k] Cajetanum contendit, nuper eo poſt Anglorum deditionem reverſum: dein [l] Macſlanſluſam ducit, locum in aggere munitum, quod tribus partibus a Ludovico Cajetano, Hortenſio [m] Armengolio, Martino Aiala et Lud. Carrera oppugnare conſtituerat. Heic Cajetanus ante alios progreſſus, cum incenſa pugna ſuos inde retracturus propius acceſſiſſet, ſcloppeti ictum in ilibus accepit, ex quo paulo poſt Hagae deceſſit. Nihil, ſive eo caſu conſternato milite, ſive inclinata jam die, tunc actum, neque poſtera item luce: ſed, praeſidiariis nocte inſequenti per navigia ad id parata [n] Brielam ſe recipientibus, Valdeſius mane loco vacuo potitur, quem praeſidio Hiſpanorum firmat; et nulla mora interpoſita [o] Vlardingam tendit, locum item munitum in aggere haud longe a [p] Schiedamo oppido ad Moſam ſito, ubi licet imperatoris injuſſu [q] Aurelius Panhormitanus ſtructis inſidiis cum erumpentibus praeſidiariis feliciter pugnavit, occiſis amplius cc: quo caſu territi illi locum deſeruerunt. Vlardinga praeſidio firmata, Valdeſius Panhormitano, quamvis re bene geſta, acerbe ſuccenſuit, exemplum veritus; et inde Hagam copias reduxit, ut res ad [r] Lugduni obſidionem neceſſarias compararet. Interea Vitellius toto eo tempore in putandis ſtipendiorum Hiſpanis veteranis debitorum rationibus occupatus, cum iis jam placatis, et xv Helvetiorum, quos Walterus [ſ] Roldus ducebat, ſignis per [t] Goricum oppidum [u] Lingae impoſitum Bataviam ingreſſus eſt; quod II tormentis in aggere diſpoſitis pulſatum mox impetu facto cepit, deſenſoribus ruina deſerta per navigia parata diffugientibus. Tum loco praeſidio firmato [w] Lerodamum eidem fluvio impoſitum recta ducit, foſſa profunda et pratis undique cinctum oppidum, ita ut nulla ex parte in illud deſpectus eſſet. Igitur interſecto aggeri v machinae impoſitae; factaque verberatione, cum Hiſpani in foſſam animoſe inſilientes muro ſubiiſſent,

INTERPR. [a] *fort d'Alſen.* [b] *Gainsford.* [c] *Pedro de Paz.* [d] *Don Manuel Cabeça de Vaca.* [e] *Luys Carrera.* [f] *Vaſco de Acunna.* [g] *Luys de Villar.* [h] *Soeterwoude.* [i] *la Haye.* [k] *Gaetano.* [l] *Maeſlantſluys.* [m] *de Armengol.* [n] *la Brille.* [o] *Vlaerdinghen.* [p] *Schiedam.* [q] *Aurelio de Palermo.* [r] *Leyde.* [ſ] *Rolde.* [t] *Gorcum.* [u] *Lingen.* [w] *Leerdam.*

CIƆIƆLXXIV. ſubiiſſent, quem et perfodere aggrediebantur, praefecto loci ſorte ictu tormenti inter-
HENRICUS III. fecto, praeſidiarii certis conditionibus deditionem faciunt. Horum exemplum, qui [a] Aſperam et [b] Huckelam in orbem ad Lingam item ſita oppidula tenebant, ſecuti ſunt. Quibus confectis, Vitellius Antuerpiam revertitur, diſtributis [c] Ultrajecti, [d] Vianae, Gorici et per loca vicina copiis. Juſſus et [e] Hiergius in Bomelenſem inſulam excurrere et agrum vaſtare, et ad omneis caſus praeſto eſſe, ſi quidem aſtus de Bomelio oppido, quod a [f] Balſurio Scoto tenebatur, intercipiendo ſuccederet. Nec omiſſa interim rerum amice componendarum ratio, miſſo a prorege Friderico [g] Perrenoto Campiniaco [h] Ultrajectum cum diplomate Bruxellis VIII Eid. promulgato; quo gratia eadem, quae ceteris, etiam Batavis fiebat: iſque cum [i] Santalgondano, qui Ultrajecti captivus adhuc attinebatur, egit. Sed nullum aliud ab Ordinibus provinciae reſponſum haberi potuit, quam ut ante omnia externae omnes copiae e Belgio dimitterentur; et tum ipſos de conſcientiarum libertate, vita, fortunis, rationibus, quibus idonee ſibi caveretur, ad Belgii Ordines, ut decernerent, relaturos.

XIX. JAMQUE obſidio Lugduni inchoata fuerat; cujus initium factum a VI Kal. Jun. Urbi praeerat [k] Joannes Douza Nordovicus, vir et natalibus et propter raram eruditionem clariſſimus, et cum eo Andreas [l] Schottus, Jo. Duivenvordaeus, Bartholomaeus [m] Havikus, Nic. [n] Theodorus Monfortius, et [o] Theodoricus Bronkorſtus urbis curator: qui, cum nullos praeſidiarios haberent, ſingulas cohortes ex oppidanis conſcribunt. Tum conſilium de munienda urbe et annona admetienda ineunt, ab Arauſionenſi ſegnitiem eorum increpante moniti, ut ſibi proſpicerent, mendicis et inutilibus capitibus quam primum ejectis, et ad trimeſtrem obſidionem ſuſtinendam animos obfirmarent; nam intra id tempus ſe ipſis ſuppetias laturum. In urbe non plus ex menſurae frumenti repertae: initaque ratione ſemilibra panis in ſingulos per bimeſtre aſſignatur. XIV CIƆ capitum in urbe recenſita. Conſtitutae item leges de pomis, ſtuctibus, ac lacte non vendendo, niſi prius butyro inde coacto. Numerata ſunt et CIƆ CC pecora; et praeterea XC equi ſepoſiti, qui in publicis ſtabulis ad uſus belli alerentur. Initio levibus proeliis certatum, [p] Liquio Harlemi praefecto et Ferdinando [q] Lanoio Rupis comite interim oppidanos per literas et internuncios ad accipiendas conditiones a rege oblatas ſolicitantibus. Quibus ex moenibus alta voce reſpondebatur, ſcire ſe conſilium Hiſpanorum eſſe, fame oppidanos ad deditionem compellere: ſed fruſtra eos fore, quamdiu caneis latranteis et vaccas intus mugienteis audirent; quae et cetera ad eſum ubi defecerint, ſupereſſe ipſis brachium ſiniſtrum, cujus eſu victum ad extremum tolerent, dum dextra ſe adverſus crudeleis tyrannos defendent: quae omnia ſi tandem deficiant, quod minime ſperent, ſtare ipſis ad extremum inedia potius vitam finire, quam in hoſtium truculentorum manus devenire; id ſe caedium nuper Harlemi, [r] Nardae, Zutphaniae et Mechliniae patratarum memores apud ſe decreviſſe; potiuſque uxores, liberos et urbem ipſam communi incendio abſumpturos, quam conſenſuros ut urbs ullis conditionibus hoſti tradatur. Secundum haec cuſa chartacea moneta, ut ſuperiore obſidione factum fuerat, cum inſcriptione, HAEC LIBERTATIS ERGO; quam obſidione ſoluta in argenteam bona fide mutaverunt. Cum interea obſeſſi Arauſionenſem crebris nunciis de auxiliis interpellarent, tandem conſilium ſpecie inhumanum, ſed admodum ſuis rebus utile Lugdunenſes capiunt, de cataractis aperiendis et aqua, perfoſſis [ſ] Moſae et Iſalae aggeribus, in ſubjectam planitiem, in qua urbs ſita eſt, immittenda. Idque Arauſionenſi ipſi et Ordinum conſiliariis placuit; cum dicerent, jacturam IƆC florenorum CIƆ,

quae

INTERPR. [a] *Aſperen.* [b] *Huckelen ſur la riviere de Lingen.* [c] *Utrecht.* [d] *Vianen & Gorcum.* [e] *le ſieur de Hierges.* [f] *Balfour.* [g] *Perrenot, ſieur de Champigny.* [h] *Utrecht.* [i] *Philippe de Marnix, ſieur de Ste Aldegonde.* [k] *de Does, ſieur de Noortwick.* [l] *Schot, & J. Duyvenvoorde.* [m] *Haavixzoon.* [n] *Dirickſen de Montfort.* [o] *Thierry de Bronckhorſt.* [p] *le baron de Liques, gouverneur de Haerlem.* [q] *de Lannoy, comte de la Roche.* [r] *Naerden.* [ſ] *digues de la Meuſe & de l'Iſſel.*

quae illa inundatione acciperetur, parvi faciendam, contra libertatis, vitae ac fortu- CIϽIϽLXXIV.
narum amiſſionem, et, quod morte exhorreſcant magis, diram conſcientiarum ſer- HENRICUS III.
vitutem. Itaque delegati ex Ordinum decreto, qui id publica auctoritate ſuſciperent, evocatis ex [a] Mattiacorum inſulis Ludovico [b] Boiſoto per [c] Walaerenam, Hadriano [d] Willelmo per Ziricæsem maris praefectis; qui cum ꟾϽCCC nautis continuo venere plus quam C omnis generis machinis aheneis et ferreis onuſtis. In eam rem juxta Roterodamum circiter [e] CC naviculae planis carinis inſtar actuariarum inſtructae erant, quae X, XII, XIV et XVI tonſis remigabant. Advexerant et frumentarias naveis commeatui importando, muralibus tormentis itidem onuſtas; quarum una erat ſtructura inſignis, arca [f] Delfica vulgo appellata, quae e navibus duabus ſimul junctis compacta, neque velis neque remis, ſed intus conſtructis rotis, quas XII epibatae torquebant, impellebatur, de cetero undique clauſa et contra machinae minoris ictus tuta; tantumque ſtructurae novae robur erat, ut L praeſidiarii hac machina tanquam propugnaculo defenſi quocunque tuto commeare et hoſtium oppugnationi reſiſtere poſſent. Hoc apparatu ad aggerem veniunt, inchoata a [g] Rota flumine navigatione; munimentiſque ſumma celeritate conſtructis, multis partibus aggerem perfodiunt; atque inde [h] Soëtermeram, quam M. Aiala tenebat, petunt, Hiſpanis, qui eos inceſſebant, poſt levia proelia poſtremo repulſis. Valdeſius, qui lenta oppugnatione obſeſſos ad deditionem cogere in animum induxiſſet, munimenta ad urbem exſtruxerat, idoneis locis; quibus aditus ad eam omni ex parte intercludebatur, et praecipue in canali, qui [i] Delfis [k] Lugdunum ducit. Medio quidem itinere unum ampliſſimum Fr. Aldana tuebatur, et, ſeſquimilliari ab urbe, alterum ad [l] Lamae pontem, quod [m] Carrio cum ſua cohorte tenebat, et ex adverſo haud hinc longe tertium ad [n] Leidendorpium, quartum ad molatrinam in lacu [o] Norda, et ultimum denique ad [p] Soëtervodam. Quae munimenta aut ſuperfuſis aquis mergere, aut inde praeſidiarios, quo urbs obſidione ſolveretur, pellĕre neceſſe erat. Ibi crebro certatum ad foſſas, quas Hiſpani juxta urbem duxerant, ne oppidani ad legumina ſecanda et betas praecipue, quae immani craſſitudine et altitudine iis locis naſcuntur, egrederentur. Eas ſervabant [q] Manuel Capovaca et Jo. Varga. Cumque XV Kal. Sextil. magna vi oppidani erupiſſent, poſt acre certamen, teſtudine facta ac pluteis, quos adduxerant, tecti, [r] vallum a Carrione ad [s] Blocoſenam ductum ſuperant, et Hiſpanos pellunt. Triremem et oppidani ſtruxerunt et ad canalis fauceis poſuerant, undique tectam et tormentis ac ſcloppetariis egregie munitam; qua pecora et armenta ad paſcua emiſſa a continuis regiorum excurſionibus defenderent. Ibi et ſaepius pugnatum aequato plerumque damno. Secreta et a Valdeſio de Lugduno intercipiendo et Delfis habita conſilia; quae tamen eventu caruerunt. Tandem perfoſſis aggeribus III Non. Auguſti et ſequentibus diebus, cum exeunte menſe jam aqua ad eam altitudinem excreviſſet, ut navigia ſtramine onuſta commeare poſſent, tamen, aqua ad aggeres haerente eum commeatus ad urbem uſque comportari non poſſet, [t] Hildamenſis agger aperiendus fuit. Itaque [u] Goudani praeſidiarii magno numero egreſſi ad opus ſe accingunt III Non. Sept. ſed ab Hiſpanis interturbati, rurſus juxta Soëtermeram aggerem rumpunt; quo facto tanta inundatio ſecuta eſt, ut claſſis auxiliaris, quae CLX navibus conſtabat, in quibus XXX triremes erant, III Eid. ejuſdem menſis aequor illud nuper fructiferum nunc ſubita forma novum mare ingreſſa ſit; relictis, qui aggerem, qua ingreſſi fuerant, ducta foſſa et praeſidio valido firmata ſervarent. Tunc mira rerum facies apparuit, ruſticis, quo fugerent cum

INTERPR. [a] *Zelande.* [b] *l'amiral L. Boyſot.* [c] *Walcheren.* [d] *Willemſen.* [e] *200 bateaux à fond plat en forme de galeres à 10, 12, 14 & 16 rames.* [f] *l'arche de Delft.* [g] *l'eau appellée la Rote.* [h] *Soetermeer.* [i] *Delft.* [k] *Leyde.* [l] *pont de Lammen.* [m] *Carrion.* [n] *Leyderdorp.* [o] *lac de Noort.* [p] *Soeterwoude.* [q] *Don Manuel Cabeça de Vaca.* [r] *trenchée.* [s] *Boſchuyſen.* [t] *digue de Hildam.* [u] *de Goude.*

CIↃIↃLXXIV. HENRICUS III.

cum gregibus, armentis ac familia, incertis; et Hiſpanis, qui modo tam arcta obſidione Lugdunum cinctum tenebant, nunc vice verſa intra munimenta ſua aquarum vi obſeſſis. Valdeſius ad Soëtermeram cum ſuis ſe contraxerat, ut in caſu inopinato non mediocriter perculſus. Igitur ad Soëtermeranum pontem, qua tranſeundum ſibi putabant auxiliares, primo pugnatum. Ibi ex praefectis navium perierunt [a] Catevilla et Gilereſus tribuni Galli, cymba inverſa ſubmerſi: [b] Durandus, qui cum illis erat, ad claſſem enatavit. Magna etiam frumentaria navis diſcerpta eſt. Sed [c] Cauro commodum flante cum aqua multum creviſſet, [d] Vaſterius conſul, qua erat induſtria, a popularibus etiam edoctus perſpexit, nequaquam opus eſſe ſub pontem tranſire, ſed inter Soëtermeram et [e] Bentuſas mediam viam [f] Seguartenſem vulgo dictam petere; et aſſumptis elam L actuariis navibus, ac delecta ſtipendiariorum manu eo tendit, [g] Boiſoto in pontis obſidione, quem Ludovicus [h] Pimentellus Carrerae ſignifer tuebatur, relicto. Quo cognito Germani, qui Bentuſis erant, ſtatim locum deſerunt, et Soëtermeram confugiunt. Locum vacuum mox [i] Landrierus tribunus cum L delectis occupat. Eadem via [k] Creitus cum arca [l] Delfenſi incolumis ad Soëtermeram appulit; quem maris praefecti cum reliquis navibus ſubſecuti, in itinere cum Hiſpanis aliquoties conſerta pugna; poſtremo, patentibus locis expoſita claſſe, ſe obſeſſis ſpectandos praebent, eoſque viribus et animis propter extremam famem paene deficienteis ad conſtantiam ſpe proximae libertatis confirmant. Jam ab initio annonae curatores parce admodum panem admetiebantur. Cumque a XVIII Kal. Oct. nemo XL ante diebus panem guſtaſſet, et carnium eſu vitam obſeſſi toleraſſent, tantum pro omni viatico ſingulis diebus ſelibra macilentae carnis vaccinae et equinae immani pretio diſtribuebatur. Eo tempore felium, catellorum, murium jam carnes defecerant; et tenuiores pampinis vitium et aliarum arborum foliis ſale et amylo conditis victitabant: corticibus item, putaminibus et piſcium ſquamis inter fimenta corraſis, ex oſſibus denique vaccarum, equorum, canum coctis, et aqua ſubactis ſucco expreſſo. Cerviſiam etiam ex braſſicae ſiliquis coquebant, abſinthium et rutam loco lupuli adhibentes. His anguſtiis cum conflictarentur obſeſſi, ad VI CIↃ morbis potius ex vigilia et fame contractis quam ictibus perierunt; et inter eos pleraeque puerperae prae anguſtiore cibo abortum fecerunt, quippe quibus tantum quadrans librae buccellati diſtribuebatur: qui ſuperfuerant, eos videre erat, diffutis genis, ore pallido, cadaveroſa facie, macilento corpore, tremulis genibus ac fere lapſantibus veſtigiis incedere: inde ſive horrore ſpectaculi ſive venturi metu pleriſque nutare fidem; alios ad turbas coire; paſſim inter civeis murmura audiri, oblatas a [m] Perrenoto et Lanoio conditiones accipiendas: nam ad quae reſervari, niſi ut, cum extremae patientiae periculum fecerint, gratiae regiae a viris auctoritate et charitate erga patriam praecipuis promiſſae beneficio defraudentur, et pro pervicaciae ſuae praemio juſtae Hiſpanorum ultioni exponantur? Contra has voces, cum res ſeditioni propior eſſet, valuere preces [n] Douzae Nordovici praefecti, auctoritate et humanitate inter civeis conſpicui, certa auxiliorum, quae ante oculos obverſabatur, ſpe ſuos ſolantis. Sed praecipua fuit Petri [o] Andrienſii conſtantia, qui ſe tumultuantium multitudini inferens ultro caput obtulit, fidem, quam ſemel dederit, vitae periculo ſe ad extremum vitae ſpiritum integram ſervaturum dictitans; nec valde curare, cum ſemel moriendum ſit, ſi concivium aut hoſtium gladio cadat: quippe qui bona conſcientia nixus nullius reprehenſionem timeret. Quo reſponſo territi ſeu placati, qui coierant, domum quiſque ſuam taciti conceſſere. Cum aliquot diebus auxiliares veluti in anchoris ſtetiſſent, adverſo aquilone, tandem Cauro a meridie et occaſu incumbente, non ſolum aqua aucta, ſed etiam

INTERPR. [a] *Catevilla & Guilereſſe.* [b] *Durand.* [c] *Nord-Oüeſt.* [d] *Waſteel.* [e] *Bentuyſen.* [f] *Seguaert.* [g] *Boyſot.* [h] *Piementel.* [i] *le capitaine Ladriere.* [k] *le capitaine Creyt.* [l] *l'arche de Delſt.* [m] *Perrenot & Launoy.* [n] *de Does, ſieur de Noortwyck.* [o] *Adrienſen.*

CIƆIƆLXXIV.
HENRICUS III.

etiam Lugdunum verſus compulſa eſt; ita ut claſſis jam ad [a] Soëtervodam et inde Leidendorpium proceſſerit: qoae loca Valdeſius, qua poterat diligentia muniebat. Sed creſcente in horas aqua, cum jam IX pollicum eſſet, ad XXVIII pollices aeſtu ſubeunte intumuerat, ita ut nulla ſpes eſſet [b] Lameni munimenti adverſus claſſem tuendi; itaque Valdeſius Soëtervoda relicta, quam ſtarim auxillares inſederunt, ad Leideudorpium ſe recipit, mandato dato Borgiae, qui Lamae erat, ut, quando ſpes oulla auxiliorum eſſet, ſibi mature conſuleret: idem et mandatum [c] Alfonſo Lupo Gallo. Jamque auxiliares in eo erant, ut Lamenum propognaculum in alveo canalis et ante moenia urbis poſitum, quod ingreſſum prohibebat, vi expugnarent, monitis jam ante per columbam in urbem cum literis miſſam, quod in hac ut in ſuperiore Harlemi obſidione uſurpatum fuerat, oppidanis, ut eodem tempore, quo Lamam oppugnarent, ipſi eruptione facta ſcalas a tergo admovetent: neque parvae molis oegotium videbatur: et auxiliares, qoi obſeſſos ad extremas anguſtias redactos ſcirent, cum columba ſerius evolaſſet, deditionem factam rebantur, cum v Non. Oct. praeter ſpem miſſo ex urbe puero et ab alia parte per exploratores a Boiſoto praemiſſos utrinque conſtitit, Hiſpanos Lamam noctu deſeruiſſe. Quo cognito auxiliares ſtatim recedeotibus inſtitere, qui pectore tenus aqua extantes in ſiccum quanra celeritate poterant evadebant. Gallus et Borgia cum [α] VIII cohortibus per [d] Worſcotam iter habuere; ſed ita confuſis ordinibus, ut multi aut aqua hauſti aut palantes contis ferreis ab inſequentibus tracti miſere perierint. Petrus [e] Ciaconus Borgiae centurio, cum et ipſe conto tractus et graviter ſauciatus ſemianimis in cymba inter manus hoſtium jaceret, ut mortuus crederetur, dum ii, qui in cymba erant, aliis unco trahendis occupantur, ipſe in pedes repente erigitur, et, lucogitanteis ſumma virtute aggreſſus, haſta praepilata, quam adhuc gerebat, treis ex iis interficit, alios ſaltu in aquam ſe demittere coëgit; et ita cymba commeatu onuſta potitus ad ſuos victor revertitur; ob id a Valdeſio multum laudatus: et certe mihi dignus viſus, qui ſilentio minime praetermitteretur. Amiſſa ab Hiſpanis v tormenta in limo defoſſa; quae Gaſpar [f] Oartiſius in tempore ſubducere non potuit. Obſtinata Valdeſii pertinacia factum dicunt, ut obſeſſi ad conditiones non devenerint; qui colloquia a [g] Campiniaco et Lanoio inchoata, quaſi illuſionis plena, ſaepius interturbavit, quod fiducia ſemel de expugnando Lugduno capta decus illud ſibi eripi noller. Idque illi a Juliano Romero, cum ad eum ad recenſendas Hiſpanorum legiones a prorege miſſus eſſet, exprobratum ſcribit Mendoza. Sane cum ſuos ab obſidione aegre deduceret, ſubinde oculos per munimenta a ſe undique extructa circumferens alto ſuſpirio ducto caſtellis illis vale dixiſſe fertur; quae, non hoſtium virtute pulſus, ſed aquarum vi victus relinqoere cogeretur. Magna et incredibili laetitia Boiſotus in urbem acceptus. Poſt mutuam tormentorum feſtam diſploſionem, commeatu importato, cum plerique famelici avidius ôblatis cibis uterentur, ſibi perniciem attulerunt. Plus CIƆ ex Hiſpanis periiſſe memorant, qui res illas ſcripſere; adduntque, quod et Mendoza ſcribit, eadem nocte, qua Hiſpani Lamenum propugnaculum deſeruerunt, partem murorum urbis inter [h] Vaccariam portam et [i] Burgundicam turrim XXVI decempedarum latitudine corruiſſe cum pomoerio: ita ut Lugdunenſes proplus exitio fuerint, cum vitarunt; quippe cum miles in urbem apertam, tantum oppidanis inedia paene enectis, nullo praeterea praeſidio firmatam, per eam ruinam irrumpere nullo negotio poſſet. Urbe praeſenti Numinis gratia praeter omnem opinionem periculo erepta, oppidani ante omnia Deo gratias egerunt; tum, eleemoſynis in egenos large diſtributis, Boiſotum ac [k] Willelmum maris praefectos

VAR. LECT. [α] VII *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Soeterwoude & Leyderdorp.* [b] *fort de Lammen.* [c] *Alonſo Lopez Gallo.* [d] *Woerſchoten.* [e] *Chacon, ſergent du capitaine Borgia.* [f] *Ortiz.* [g] *Perrenot, ſieur de Champigny.* [h] *la Koeypoorte,* al. *la porte Vachere.* [i] *la tour de Bourgogne.* [k] *Willemſen.*

CIↃIↃLXXIV. praefectos ac ceteros duces honorifice laudatos torquibus aureis ac nummis ad rei HENRICUS III. memoriam cuſis donarunt. Poſtridie Arauſionenſis ex morbo, quo eo tempore decubuerat, paulum recreatus Lugdunum venit; et, laudata oppidanorum conſtantia et pietate, res in urbe pro tempore ordinavit. Valdeſius, diſpoſitis per vicina loca copiis cum fruſtra [a] Delfos tentaſſet, [b] Worcomium e regione [c] Goreomii trans [d] Moſam tormentis pulſat, et pulſatum, a v cohortium praeſidio, quod in oppido erat, non ſine damno deſertum, amiſſis CL ex ſuis, in fidem accipit. [e] Wateringa etiam, qui vicus eſt medio inter Hagam et vicina Hiſpanorum praeſidia itinere, antea a foederatis capta, mox recepta eſt; ſed in ea deſiderato Lud. Pimentello Carrerae ſignifero. Quibus actis cum ſpem ſtipendii a Valdeſio ſuis factam eventus fruſtraretur, Hiſpani denuo tumultuari coeperunt; et [f] Electum ſibi creant Joannem Blancum, capto ipſo Valdeſio. Tumque petito a prorege ſtipendio; cum non intra tempus repraeſentaretur, ſubito ex locis Moſae vicinis [g] Sluiſa, Leitſendamo, Vorſcotena, Valkenburgo, quae tenebant, partim equitum partim peditum ad VII CIↃ coeunt, et ex [1] Suithollandia Harlemum et Amſterodamum verſus profecti, cum excluderentur, ad urbem Ultrajectenſem deflectunt VI Eid. Dec. ubi cum moniti ſaepius non reſipiſcerent, poſtremo ab [h] Hiergio, Floiono, et Valdeſio qui interea ope amicorum e manibus eorum evaſerat, perduelles proclamantur; eoſque tanquam hoſteis ubique locorum impune occidere plebi permittitur. At illi, nihil edictis territi, arcem, cui Franciſcus Ferdinandus Avila praeerat, fruſtra tentant, et urbem ipſam infeſtis animis ingreſſi cum damno repelluntur, amiſſis C amplius ex ſuis; et jam ante Electo ab ipſis interfecto, quod inſciis ſociis ad Hiergium ſcripſiſſet. Tandem ad eos a prorege miſſus Jo. [i] Oſorius Ulloa, qui [k] Trajectum deductis quatuor aureos viritim numerari juſſit; et ita placatos [l] Teneramundae et aliis Brabantiae locis in hyberna diſtribuit.

XX. PAULO ante occultum conſilium de Antuerpia ope civium clam conſpirantium intercipienda ab Hadriano Willelmo initum detegitur: et prorex eodem, quem rei patrandae condictum reſciverat, die, is erat VI Eid. Nov. Mondragonium cum ſua legione et VI aliorum Hiſpanorum ſignis evocat. Nocte autem illa, tanta in mari procella excitata eſt, ut claſſis, quae militum ſupplementum vehebat, nulla nautarum induſtria aut vi Antuerpiam appellere potuerit: qui vero eam in urbem introducti erant milites huc illuc dilapſi ſunt: capti ex conſciis in urbe complures, ſed, cum probationes deeſſent, quamvis ſuſpicio violenta ſuppeteret, leviter a prorege mulctati ſunt, cum firmando imperio lenitatem eo rerum ſtatu commodiorem eſſe judicaret.

XXI. EODEM hoc anno deceſſit magni nominis in Germania antiſtes Joannes ex illuſtri comitum [m] Hoienſium familia, Joannis et Margaritae Guſtavi regis Succiae ſororis filius; qui Lutetiae Pariſiorum, deinde in Italia literis operam dederat, et poſtea camerae imperialis praeſes, diu magna cum laude prudentiae et aequitatis munus hoc adminiſtravit; vir excellenti ingenio et multarum linguarum cognitione ornatus; ob id Paterbornenſis, dein Oſnaburgenſis, ac poſtremo [n] Monaſterienſis epiſcopus, illorum collegiorum ſuffragiis electus; ex vitae intemperie, quam alienatio mentis per intervalla recurrens comitabatur, tandem mortuus, cum vix annum XLIV attigiſſet. In Monaſterienſi epiſcopatu ei ſuffectus eſt Joannes Willelmi Cliviae ducis filius, annos tunc tantum XII natus; Oſnaburgenſem Henricus Saxoniae dux archiepiſcopus Bremenſis; Paterbornenſem [o] Salentinus Iſenburgenſis Colonienſis archiepiſcopus, poſſeſſum iverunt. Anno exeunte Henricus Robertus [p] Marcianus Bullionii dux

INTERPR. [a] *Delft.* [b] *Worcum.* [c] *Gorcum.* [d] *la Meuſe.* [e] *Wateringen.* [f] *l'Electo, nommé Juan Blance.* [g] *Maeſlandtſluys, Leidſendam, Voorſchoten, & Walkenburg.* [h] *de Hierges, de Floien, & de Valdes.* [i] *Oſorio de Ulloa.* [k] *Maeſtricht.* [l] *Dendermonde.* [m] *de Hoyen.* [n] *de Munſter.* [o] *Salentin, comte d'Iſenburg.* [p] *de la Marck, duc de Bouillon.*

NOT. [1] Suithollandia, i. e. Hollandia Auſtralis.

dux et Sedani princeps, et [a] Neuſtriae apud nos praeſes, Roberti equitum tribuni filius, CIↃIↃLXXIV.
Roberti, qui ob terrorem de ſe ſparſum Diabolus vulgo appellabatur, nepos, Sedani HENRICUS III.
ex morbo IV Non. Dec. deceſſit, cum XLV aetatis annum ageret; in modico imperio vel cum praeſtantiſſimis ſui ſaeculi principibus comparandus; qui Franciſcam Borboniam Ludovici Monpenſerii filiam, Franciſci Delfini principis ſororem, in uxorem duxerat; ex qua Gulielmum Robertum, Carolum Robertum et Carlotam ſuſceperat. Paulo ante mortem Kal. Sept. teſtamentum condidit, quo filios ordine inſtituebat: quos ſi ſine liberis decedere contingeret, eis [α] in terris ſupremi dominii excluſo Carolo Roberto [b] Molevriae comite fratre, cui [c] Paucuriam tantum eo caſu legavit, alios ſubſtituebat; ea conditione, ut illi certam penſionem Carlotae filiae exſolverent. Inſuper et mandata ad uxorem eo die dedit; quibus ei quo cultu et obſequio erga regem et imperium, quibus officiis erga vicinos principes, moderatione erga ſuos, uti deberet, ſummo prudentiae et aequitatis temperamento praeſcribebat.

XXII. HIC annus praeterea nobis eripuit duo magna Italiae et Germaniae lumina; Paulum [d] Manutium, et Joachimum Camerarium [e] Papebergae in Franconia anno CIↃIↃ, et eodem ipſo menſe, quo mortuus eſt, natum. Et in Paulo quidem, praeter exactam puritatis Latinae et antiquitatis Romanae cognitionem, quam ad Ciceronem ſuum illuſtrandum attulit, pleriſque ſcriptis, dum vixit, publicatis et poſt mortem a filio Aldo virtutum paternarum herede editis, praecipua ad juvandos aliorum labores cura ac per manus hereditario veluti jure a patre et avo tradita induſtria fuit; inſignî illa et omnibus ſaeculis depraedicanda artis typographicae officina, ex qua omnium fere veterum tam Graecorum quam Latinorum et aliorum auctorum ſcripta diligenter, ut tempora ferebant, certe elegantiſſime excuſa ad publicam utilitatem olim prodierunt; ut omnium confeſſione conſtet, literas renaſcenteis ortum ſuum Manutianae familiae debere; quae adultiores in Germania a [f] Frobeniis, ſed maxime omnium in Gallia a Stephanis per C annorum ſpatium eadem induſtria propagatae, et ad ſummum diligentiae ſimul et elegantiae faſtigium perductae ſunt. Paulus autem ante aliquot annos Venetiis Romam evocatus, ut ſacrorum librorum editioni praeeſſet, attenuato aſſiduis ſtudiis corpore, cum diu prae macie in lecto decubuiſſet, ubi eum paucis ante mortem diebus ſedulo, cum Romae eſſem, cum M. Antonio [g] Mureto vetere amico ſaepius inviſi, tandem optime meritam de re literaria animam Deo reddidit VIII Eid. Apr. ad Minervae ſepultus. Camerarius loco nobili ſed in modicis opibus natus, ad haec ſpecie ingenua praeditus nobilitatem generis, quantum per conditionem et aetatem licuit, nobilibus exercitiis retinuit, equitandi peritia inſignis; de qua ad Xenophontis librum quem de re equeſtri ſcripſit, a ſe Latine verſum ac notationibus explicatum, et peculiarem commentarium ſubjecit. De cetero, cum vitam otio literario conſecraſſet, poſt perceptam utriuſque linguae exactam notitiam, quas et variis ſcriptis illuſtravit, non ſolum ad bonos auctores in utraque lingua interpretandos tam poëtas quam oratores et hiſtoricos, ſed etiam in ſolidioribus philoſophiae, mathematicarum artium et poſtremo theologiae ſtudiis multa commentatus eſt. Ad quae omnia, quod pauci ante illum fecerant, politioris literaturae ornamenta ſemper attulit, variis in omni doctrinae genere lucubrationibus aut dum vixit editis, aut poſt ejus mortem a tanto parte dignis filiis publicatis; quae ſparſim et diverſis temporibus ac locis per particulas edita, cum ejuſmodi ſint, ut iis ad rem literariam plurimum emolumenti ſit redundaturum, ſimul omnia aliquando edi reipublicae maxime intereſt. Conſtans ac perpetuus Philippi Melanchthonis amicus fuit, ejus ſtudiorum, voluntatum

VAR. LECT. [α] in terris ſupremi dominii *deſunt* D. f. d.

INTERPR. [a] *le gouverneur de Normandie.* [b] *Maulevrier.* [c] *Raucour.* [d] *Manucci.* [e] *Bamberg.* [f] *Froben.* [g] *Muret.*

CIↃIↃLXXIV.
HENRICUS III.

voluntatum ac conſiliorum particeps; et, cum ipſe [a] Lipſiae larem fixiſſet, et ille [b] Witembergae profiteretur, per literas amicitiam eam toto XXX annorum tempore coluerunt. Et Melanchthonis quidem literas ipſe Camerarius poſt mortem ejus ſtudioſe collectas ac digeſtas publicavit, ſuis non inſertis; quarum partem filii poſt patris obitum, tum alias ad diverſos duobus voluminibus diſtinctas ad utilitatem publicam ediderunt. Tandem vir optimus et de republica tot exantlatis laboribus bene meritus ex hac vita migravit XV Kal. Maias. Abſtulit et hic annus nobile par fratrum, Hieronymum et Jo. Baptiſtam [c] Amaltheos, [d] Opitergii in Tarviſino limite natos; quorum ille philoſophus ac medicus praeſtantiſſimus ea morum ſuavitate fuit, ut vel ſolo aſpectu omnium in ſe benevolentiam alliceret: in verſibus pangendis praeterea ita excelluit, ut M. Antonius Muretus, acerrimus harum rerum judex, ei inter Italos palmam detulerit: obiit in patria XIII Kal. Oct. annos natus LXVII, ad S. Martini ſepultus. Hic pariter Graece Latineque eruditiſſimus, in aula Romana toto vitae curriculo verſatus, ac tribus ordine pontificibus chariſſimus, cardinalibus Tridentinae ſynodi interpretibus a ſecretis fuit, ac multa vernacula lingua luſit; et fratre junior, nam tantum XLVII annum attigerat, ad meliorem vitam Romae migravit XIV Kal. Mart. ad S. [e] Salvatoris in Lauro ab Altilio fratris fillo conditus. Hos ſecutus eſt Joannes [f] Guinterius [g] Andernaci [h] Ubiorum oppido natus; qui, cum [i] Daventriae et Marpurgi literas didiciſſet, primum [k] Goſlatiae ludi moderator, ac dein linguae Graecae [l] Lovanii profeſſor fuit; inde Lutetiam profectus cum Gulielmo [m] Budaeo et Joanne Laſcare, quos juvenis jam ſenes coluit, magna conjunctione vixit; et Franciſci I liberalitate, commendante eum Joanne [n] Bellaio cardinali eximio literatorum omnium ac praecipue Germanorum fautore, medicinae lauream adeptus ac medicus regis ſalutatus eſt. Poſtremo, cum [o] Divioduri Mediomatricum, exardeſcente per Galliam civili bello, aliquandiu medicinam feciſſet, [p] Argentinam tandem conceſſit; ubi, relictis compluribus ingenii ſui monumentis, octogenario major hoc anno VI Non. Oct. in vivis eſſe deſiit. [α] Benedictus Aretius inter ſuos pleriſque ſcriptis editis elatus Bernae in patria XI Kal. Maias haud ita ſenex deceſſit: et ante eum ineunte anno Joachimus Weſtphalus Hamburgi; contra quem Beza tam animoſe ſtylum exercuit. Cyprianus [q] Leovitius, tabulis aſtronomicis diligenter putatis et eclipſium deſcriptionibus inſuper editis, quas ad annum uſque CIↃ IↃCVI perduxit, hoc etiam anno admodum ſenex [r] Auguſtae Vindelicorum deceſſit XII Kal. Junias. [β] Extremo demum anno pridie Eid. Dec. jam affecta aetate [ſ] Regiomontii in Boruſſia ultimum diem clauſit Hermannus Cruſerius [t] Campenſis; qui conſiliarii primarii officio diu apud Clivenſem ducem defunctus, cum Helionora filia Alberto Friderico Boruſſiae duci deſponſata ad maritum proficiſceretur, ei comes a patre attributus fuerat. Medicae ſcientiae cum initio operam dediſſet, multa Galeni latinitate donavit: et poſtea juri civili omnino ſe addixit: et, aegritudine ex filiae obitu contracta, quo ſe ſolaretur, novam Plutarchi tranſlationem, dum Xylander in eadem laboraret, fecit; quae magno in pretio habetur. Mortuo perhonorifice in majore urbis templo, ubi conditus fuit, Helionorae juſſu juſta perſoluta ſunt. Ante eos omneis eodem anno VI Eid. Febr. Genevae, cum tantum XXXVIII annos exegiſſet, fato functus eſt [u] Enimundus Bonefidius [w] Chabovii ignobili vico in Valentino agro [γ] apud nos natus; homo probus et ſimplex; qui, cum pedem patria nunquam extuliſſet, tamen Hebraicis, Graecis et Latinis

literis

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Aretio et Joachimo Weſtphalo uſque ad* Cyprianus Leovitius *3 lineae deſunt* *D.* f. d. [β] *hoc Cruſerii elogium deeſt* *D.* f. d. [γ] apud nos *deſunt* *D.* f. d.

INTERPR. [a] *Leipſick.* [b] *Wittenberg.* [c] *Amalthei.* [d] *Oderzo au territorie de Treviſe.* [e] *l'eſgliſe de S. Salvatore in Lauro.* [f] *Guintier.* [g] *Andernach.* [h] *ceux de Cologne.* [i] *Deventer & Marpurg.* [k] *Goſlar.* [l] *Louvain.* [m] *Budée.* [n] *Du Bellay.* [o] *Mets.* [p] *Strasbourg.* [q] *Leowitz.* [r] *Augsburg.* [ſ] *Konigsberg en Pruſſe.* [t] *de Campen.* [u] *Ennemond de Bounefoy.* [w] *Chabeuil prés de Valence.*

literis ita egregie inſtructus erat, ut in celeberrimis orbis academiis operam ſtudiis dediſſe ſub praeſtantiſſimis magiſtris crederetur: in juris autem ſcientia, quam Valentiae profitebatur, adeo excelluit, ut Jacobus [a] Cujacius, qui principatum illius tenebat, alicubi ſcripſerit, ſi moriens rogetur, ut olim Theophraſtus, non alium habere ſe, quem diſcipulis ſuis poſſet oſtendere. Poſt tumultum [b] Pariſienſem a Franciſco Hotomano invitatus Genevam conceſſerat; ubi jus orientale, cujus jam ſpecimen aliquod ediderat, majore opere illuſtrare aggreſſus, morte poſt biennium ſuperveniente, ſpem de ſe, tanto viro auctore, conceptam feſellit. Cui me nunc, tanquam praeceptori de me ſecundum ipſum Cujacium et Franciſcum [c] Roaldeſium, quibus ſimul eodem tempore operam [d] Valentiae navavi, optime merito, hoc monumento parentare aequum juſtumque duxi. [α] Nec ſilentio praeteriri debet, vel poëticae, in qua excelluit, reſpectu, Reginaldus [e] Clutinius Flaviniacus nobili familia ac ſenatoria Lutetiae natus; qui fratrem habuit Henricum [f] Oiſellium, legatione Scotica militari virum inſignem, qui et Romae jura regis per pueritiam ejus admodum labefactata animi praeſentia et imperterrito atque obfirmato ad conſtantiam adſectu reſtituit, ſicuti ſuo loco demonſtravimus; et poſtremo ibidem deceſſit, ad S. Ludovici honorifice ſepultus, a Joanna [g] Caſtanea Rupipozaea uxore erecto ei inſigni monumento. Reginaldus autem diverſo a fratre inſtituto vitam ſolitariam fere amplexus eſt; et unum et alterum elegantiſſimum carmen reliquit e multis quae perierunt, quae qualis quantuſque in eo ſcribendi genere eſſe potuerit abunde apud doctos fidem faciunt: Novembri menſe [h] Lugduni tum ſenex ad Deum migravit. His merito ſuo accenſebitur Joannes [i] Verſoſa, [k] Caeſareae Auguſtae in Hiſpania Tarraconenſi honeſtis parentibus natus; qui Lutetiae Pariſiorum admodum juvenis literas Graecas, dein et accenſo inter reges bello Lovanii magna auditorum frequentia docuit; et, Ratiſponam in aulam Caeſaream profectus, inde Didaco Hurtado Mendozae ad concilium Tridentinum Caeſaris legato in contentione de ſynodo [l] Bononiam transferenda egregiam operam navavit; et, cum ille [m] Senenſium reipublicae praepoſitus eſſet, ſub eodem civibus minus grato ad componendos diſſidentium animos plurimum ſolertia ſua contulit; et unus effeciſſe creditur, ne citius Senenſes moroſam praepoſiti ſeveritatem peroſi ad extrema conſilia deſcenderint. Inde in Angliam ſub id tempus venit, quo Philippus Mariam in uxorem duxit; et poſtea Romam miſſus eſt, in urbe morari juſſus, ut teſtimonia ad jura regnorum Philippi ſpectantia undique conquireret ac deſcriberet: totque rerum ac negotiorum tractatione cum innatam natura prudentiam admodum exacuiſſet, ejus quoque non vulgaria praecepta verſibus, quibus inter occupationes ſerias pangendis plurimum ſemper delectatus eſt, paſſim inſperſit, qui Panhormi in Sicilia epiſtolarum titulo publicati ſunt. Tandem, cum LI aetatis annum attigiſſet, exeunte Februario deceſſit. Diſpar ſtudio, tamen ob excellentiam artis, quam hiſtoria accurate et eleganter ſcripta illuſtravit, Georgius [n] Vaſarius meruit, ut inter viros ingenio et literis praeſtantibus accenſeretur. Is, [o] Aretii in Etruria natus, pictor et architectus noſtra aetate excellentiſſimus, diu magno Etruriae duci Coſmo omnium liberalium artium, inter quas pictura et architectura ut referretur, obtinuit, ſautori eximio navavit; editis paſſim ingenii ſui ad ſtupendum omnium ſpectaculum monumentis, et tandem hoc anno climacterico ſuo V Kal. Quintil. vivis exemptus eſt; exinde, ſicuti teſtamento caverat, Florentia, ubi deceſſit, Aretium in patriam tranſlatus; quo loco in principali ſecundum ſedem epiſcopalem templo in ſacello ab ipſo juxta ſumptuoſo et admirando artificio extructo ſepultus.

CIƆIƆLXXIV.
HENRICUS III.

XXIII. ANNUM

VAR. LECT. [α] *hoc Clutinii Flaviniaci elogium, 11 lineis, deeſt D. ſ. d.*

INTERPR. [a] *Cujas.* [b] *la St Barthelemi.* [c] *Roaldes.* [d] *Valence.* [e] *Clutin, abbé de Flavigny.* [f] *d'Oiſel.* [g] *Chaſtaigner, dame de la Rochepozay.* [h] *Lyon.* [i] *Verſoſa.* [k] *Saragoza en Arragon.* [l] *Bologne.* [m] *Siene.* [n] *Vaſari.* [o] *Arezzo.*

CIƆIƆLXXIV.
HENRICUS III.

XXIII. ANNUM clauſit mors Selimi II Turcorum imperatoris Eidibus Dec. apoplexia extincti; qui, patri Solimano virtute, moribus et diuturnitate imperii diſpar, tamen toto ſeptennio, quo regnavit, [a] Chion perfidioſe Genuenſibus ademptam, et Cyprum, violatis eadem perfidia induciis, a ſenatu Veneto repetitam per vim juris Othomanici fecit, exiguo ſacri foederis contra ipſum initi atque adeo inſignis ad [b] Echinadas partae victoriae fructu; per quam tamen retardatis tantiſper ejus conatibus egregio exemplo Chriſtianis conſtitit, Turcos, ſi nobis invicem conveniret, vinci poſſe. Vino praeter gentis morem et legis ſuae inſtitutum contraque patris exemplum uſus eſt; quo et inebriari gaudebat, in ebrietate, quam cum jejunus eſſet, placatior: exemplumque de formoſiſſimo puero, quem in deliciis habebat, affertur, qui, jejuno ptocacitate vernili, quod ebrio hero impune facere conſueverat, illudens, ab ipſo, arcu ad pulvinar dependente protinus ſumpto, ſagitta lethali tranſverberatus eſt. Qua re ille, poſtquam ad ſe rediit, tantum moerorem concepit, ut vix Mophti revocante ſumptum de ſe interficiendo conſilium omiſerit. Selimo ſucceſſit Amurathes, grandior natu filius, qui, imperium truculentum a quatuor fratrum ſe praeſente ſtrangulatorum neſando paricidio auſpicatus, ad ultimi adhuc in cunis ad fratrem homicidam riſu pueri blandientis conſpectum lachrimas non tenuit; cum tamen Deum teſtem appellans ſe excuſaret, quaſi non livore aut odio, ſed concordiae in familia Othomanica conſervandae, qua ſalus imperii Turcici contineretur, neceſſitate extrema coactus et ex antiſtitum ſuae legis conſilio id faceret. Nec multo poſt Tecmaſes magnus Perſarum rex et imperatoris Turcici aemulus fatis conceſſit, relicta ſucceſſione vaga et incerta; quod diuturno aeque ac Perſis detrimentoſo inter ipſos et Turcos bello occaſionem praebuit, ſicuti deinceps plenius dicemus.

INTERPR. [a] *Scio.* [b] *Curzolari.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEXAGESIMUS.

EPITOME.

RURSUS in Belgio interventu Caeſaris pacis via inita. Bredanus in id conventus; ubi diſceptatae utrinque rationes, et ſcripta publicata. II. *Arauſionenſis mox Carlotam Borboniam Monpenſerii filiam in uxorem ducit.* III. *Bellum inter haec vario eventu recrudeſcit.* IV. *Zelandicarum inſularum deſcriptio. Zirixea urbs in Scaldi praecipua; ejus origo et incrementa. Zelandorum mores, ingenium; in eos impetus a regiis factus, Oſtovelandia ab Ordinibus deſeritur, et mox Viana capitur. Inde ad Bomeneum ducunt. Ejus deſcriptio. Summa virtute locus a Lilio Gallo defenſus ac tandem vi expugnatus. Zirixea obſeſſa.* V. *Eliſabetha et Philippus in ſpeciem reconciliantur, conditionibus mutuis appoſitis.* VI. *Inter Ordines de patrocinio alicujus principis externi implorando jam tum conſultatum et diſceptatum. Eliſabetha patrocinium ſibi delatum accipere recuſat: et in Hiſpaniam pro pace mittit.* VII. *Academia Lugdunenſis in Batavis felici augurio inſtauratur.* VIII. *In limite Anglicano ex rixa inter utriuſque regni praefectos ſive cuſtodes certatum.* IX. *Eſſexii in Hibernia e provincia revocati geſta: et Henricus Sidneius rurſus eo cum ſummo imperio miſſus.* X. *In Livonia res turbant.* XI. *Comitia Ratiſponenſia. Caeſar titulum magni Etruriae Ducis poſt adfinitatem contractam Francisco confirmat.* XII. *Apud nos Liberonis obſidio a Bellogardio urgetur. Aquae-mortuae in Septimania interceptae. Tandem ab obſidione Liberonis diſceditur. Proteſtantium per Septimaniam ſucceſſus.* XIII. *Foedus Politicorum ſive Male-contentorum, cui nomen Damvilla dedit, initum. Joan. Haius res novas in Pictonibus molitur.* XIV. *Rex Avenione diſcedens Durocortorum Remorum venit; ubi inauguratur, et Aloiſiam Lotharingam in uxorem ducit.* XV. *Legati a Condaeo, qui Baſileae erat, ad regem veniunt. De pace colloquium inſtitutum, et conditiones propoſitae. Eliſabetha Caroli vidua in Germaniam redit.* XVI. *Jo. Haii, qui res adeo in Pictonibus turbaverat, caedes et poſt caedem ſupplicium.* XVII. *Conditiones coram rege propoſitae in conſeſſu foederatorum Rupellae diſcutiuntur. Res in Pictonibus et Santonibus geſtae. Michaëlis fanum in Periculo Maris in Neuſtria a Toceto captum et mox receptum.* XVIII. *In Pictonibus Caroli Roaldi Landerei ad Retenſem et Oleronenſem inſulas invadendas conatus.* XIX. *Bemii Colinii percuſſoris caedes.* XX. *Maſſiliae tumultus, et factiones Carſiſtarum et Raſorum in Provincia exortae.* XXI. *Monbrunii in Allobrogibus res geſtae: qui poſtremo captus in bello, et Gratianopolim deductus ſupplicio afficitur. Monbrunii morte armorum praefectura in Fr. Bonam Diguierium tunc confertur.* XXII. *Rex in ſenatum venit, et in Lotharingiae ducis ſororii gratiam annitente matre jura regia in principatu Ambarenſi cedit.*

EX AUCTORIBUS,

Imm. Meterano, B. Mendoza, H. E. Conneſtaggio, Jo. Parvo, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae, D. Chytraeo, L. Vicino P. P. Jo. Serrano, Actis publicis, Actis curiae Pariſienſis.

LIBER SEXAGESIMUS.

CIƆIƆLXXIV.
HENRICUS III.

SEQUENTI anno rurſus tentata in Belgio concordiae via, prorege in id intento, ut contraria omnino ab Albano ratione, cujus ſeveritatem nimiam crebris ſermonibus ſugillabat, res amice componeret. In eam rem miſſus a Maximiliano Caeſare [a] Guntherus Schuartſemburgius, unus ex quatuor Romani Imperii comitibus, [b] Dordracum XIII Kal. Febr. appulit; quo et Arauſionenſis Vliſſinga venit cum Bataviae et Zelandiae ordinum delegatis. Concilio dato Schuartſemburgius Caeſaris nomine medium ſe inter Philippum et Belgii Ordines interponens legationis ſuae mandata expoſuit; quae et ſcripto complexus mox publicavit. Eorum ſumma erat; Caeſarem malorum, quae Belgium divexarent, et porro ex eo diſſidio in provincias illas et Germaniam emanatura ſunt, pertaeſum, expetere, ut ratio ineatur, qua Philippus cum iis, qui ab obſequio receſſerunt, in gratiam redeat, et pax in Belgio firma juſtis et aequis conditionibus conſtituatur: ob id ſe, qui affinitate et amicitia cum Arauſionenſi conjunctus ſit, et conjunctis cum eo Ordinibus bene velit, a Caeſare ad illos miſſum; qui eodem tempore Wolfangum [c] Rumſium, Rodolfi Hungariae regis filii primarium cubicularium, in Hiſpaniam ad Philippum miſerit, ut eodem officio apud illum defungatur. Ad quae poſtridie Arauſionenſis et delegati reſponderunt; et ſupplici libello anno ſuperiore a [d] Santaldegondano ad Campiniacum miſſo inſtiterunt, ut ante omnia externi e Belgio deducerentur; dein Ordinum Belgii concilium generale convocaretur, quorum decretis ſuper petitionibus ſuis de religione et conſcientiarum libertate ſe ſummiſſuri ſint. Inde Schuartſemburgius ad [e] proregem, qui Antuerpiae erat, redit; et ab eo impetrat, ut colloquium Bredae inſtitueretur, quo delegati menſe proximo convenirent. In eam rem etiam a prorege dati obſides, [1] Julianus Romerus, Chriſtophorus Mondragonius, qui paulo ante Santaldegondanum, ut fidem in deditione Mildeburgi datam liberaret, libertati reſtituerat, [f] Dauſſius. Inſuper delegati regis nomine, Ferdinandus [g] Lanoius Rupis comes, [h] Raſſingemus, Arnoldus [i] Sasbutus, [k] [2] Carolus Suſius, [l] Elbertus Leoninus: ab Arauſionenſi, ordine equeſtri nobilibus, civitatibus Hollandiae, Zelandiae, atque foederatis, nempe [m] Bomela et Bura, Jacobus [n] Douza, Philippus Marnixius Santaldegondanus, de quo modo diximus, Carolus Boiſotus, Arnoldus [o] Dorpius, Joannes [p] Junius, Paulus [q] Buſius. Heic Sasbutus regis nomine ad Ordinum petitiones reſpondet; regem non poſſe ferre, ut Hiſpani, qui ſuae ditionis ſint, et quorum fideli opera in magnis expeditionibus hactenus ſemper uſus ſit, exterorum nomine cenſeantur; potius Gallos, Germanos, Anglos, et eos qui Arauſionenſi militent, hac denominatione dignos: regiae vero majeſtati multum detractum iri, ſi ad ſubditorum praeſcriptum res bello et pace adminiſtrare teneatur: neque tamen eam regis mentem eſſe, ut, pace in Belgio conſtituta, diutius Hiſpanos in his provinciis retinere velit, niſi aliud neceſſitas ſuadeat: neque recuſare, quin ab Ordinibus provinciarum conſilium ſibi ſubminiſtretur in cauſis, quarum cognitio ad illos

INTERPR. [a] *le comte Gontier de Schwartzenburg.* [b] *Dort.* [c] *Rumpff.* [d] *Philippes de Marnix, ſieur de Ste Aldegonde.* [e] *le grand commandeur, gouverneur des Pays-bas.* [f] *D'Auſſy.* [g] *de Lannoy, comte de la Roche.* [h] *le ſieur de Raſſinghem, gouverneur de Lille, Douay, & Orchies.* [i] *Sasbout, chancelier de Gueldres.* [k] *Cornelis Suys, preſident de Hollande.* [l] *Elbert Leonin.* [m] *Bommel & Buren.* [n] *Vander Does.* [o] *de Dorp.* [p] *Junius.* [q] *Buys.*

NOT. [1] Les noms des oſtages donnez par les Eſpagnols ſont, le colonel Mondragon, Julian Romero, Don Miguel d'Alentor, & Don Miguel de Cruyllas. De Meteren y ajoute Don Guillaume de S. Clement: il n'y a que Conneſtaggio, qui nomme ce Dauſſius. *Put.*

[2] *Dele* Carolus: *lege* Cornelius. V. Met. fol. 96.

illos pertinet, et, in quibus ſemper uſitatum fuit ut cum ipſis conſilia communicaret, ſententias eorum rogaret, atque aſſenſionem reciperet; ita tamen, ut ne in illorum arbitrium conferatur, quod a regia poteſtate, placitis ac decretis, arctioris conſiſtorii viris, aut ejus vices gerente ſummo Belgii praefecto et provinciali ſenatu dependent: quod ad generalem Ordinum conventum attinet, quoniam longo temporis intervallo opus ſit, et negotium hujuſmodi ſit, ut citra magnas difficultates explicari non poſſit, conſultum videri, ut armis poſitis ante omnia Hollandia, Zelandia ac ceterae foederatae civitates ſe regis obedientiae ſubjiciant, et cum reliquis Belgii provinciis conjungant; quo facto, regem in ceteris ipſorum petitionibus plene ſatisfacturum. Secundum haec, propoſita ab eodem Sasbuto capita, ut, ſancita praeteritorum ab anno LXVI oblivione, utrinque erepta, quae exſtarent, reſtituantur; urbes, arces, munitiones, naves, machinae bellicae regi bona fide tradantur; captivi et [a] Boſſuvius comes in primis ſine pretio dimittantur; religio Catholica Romana ubique conſtituatur ſine ullo impedimento, perinde atque cum Philippus in provinciis iis inauguratus fuit, permiſſo iis, qui majorum religionem profiteri nollent, ſemel tantum et hac vice, ut extra Belgium concedant, et bona ſua intra praefinitum tempus aliis vendant: his conditionibus fidem regem interpoſiturum, quae ſufficere debeat: quod ſi quid ultra requiratur, etiam amplius eorum ſecuritati et cautionibus, quibus aequum videbitur, conſulturum. Ad ea ſcripto ab Arauſionenſi, comite [b] Culemburgio, [c] Othone Ecmondano et aliis Ordinum foederatorum delegatis ſubſcripto reſponſum eſt XI Kal. Apr. Quo cum inſtarent, ut duobus capitibus de externo milite dimittendo, et conventu generali Ordinum, quorum decreto ſua de religione poſtulata ſummitterent, convocando ſatisfieret; hoc etiam addebant, quod ad prius, jam anno hujus ſaeculi LIX Gandavi tranſactum eſſe, paulo ante regis e Belgio diſceſſum; ad haec, eam eſſe Hiſpanorum, quos regi minime ſubditos inficientur, crudelitatem et inhumanitatem, atque etiam in Belgas odium, quod [d] Gandavi, Tornaci, Antuerpiae, Mechliniae, Lirae, ad [e] Silvam ducis, Daventriam, Ultrajectum patrata ſatis arguant, ut eorum dominationem provinciarum proceres et Ordines amplius ferre non poſſint: ſua ut Hiſpanorum apud principes ſuos Belgis merita conſtare; quorum illi fideli nuper in bellis Belgicis opera et antea in Italia et Africa feliciter uſi ſunt: neque vero Germanos, qui Ordinibus militent, externos cenſendos; quippe cum complures Belgii provinciae Imperio accenſeantur: quod ad Gallos, Anglos et Scotos attinet, neceſſitate compulſos provincialeis ipſorum opem imploraſſe; quos a ſe libenter dimiſſuri ſint, cum primum Hiſpani dimiſſi fuerint. Tum multa pro Ordinum generalium conventu et ejus auctoritate ſubjiciuntur. Inſuper exagitata Hiſpanorum vitae et fortunis Belgarum inſidiantium truculenta conſilia, quae ex interceptis Franciſci [f] Dalavae ex Galliis ad Parmenſem olim ſcribentis literis pateant; nimirum ut proceres provinciarum e medio tollerentur, et, contractis privilegiis ac libertatibus, imperatiſque vectigalibus novis, provinciales ex opulentia priſtina ad tenuitatem ac miſeriam redigerentur. Poſtremo perduellionis crimen a ſe amoliebantur, qui ſalva conſcientia et libertate ſemper morigeros ad omnia ſe regi exhibuiſſent, modo excuſſo crudelis jugi metu ſibi idonee caveretur, et indignae mortis periculum, quod perpetuo renovata Ecmondani [g] Hornani et Montinii indigniſſime peremptorum memoria ante oculos obverſetur, a cervicibus ſuis removeatur. His de rebus ſi ſibi idonee caveatur, paratos ſe aequis conditionibus tranſigere demonſtrant, et urbes, arces ac cetera ex neceſſitate juſtae defenſioni quaeſita munimenta tradere; alioqui fabellae Aeſopicae memores, quae oveis cum lupis, imprudenter traditis canibus defenſoribus, tranſegiſſe memorat, quod tutum videbitur, id facturos. Hoc ſcripto perlecto, rurſus regii inſurgunt; et Kal. Apr.

CIↃIↃLXXIV.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Boſſut.* [b] *de Culemburg.* [c] *Otho d'Egmond.* [d] *Gand, Tournay, Anvers, Malines, Liere.* [e] *Boiſleduc, Deventer, Utrecht.* [f] *de Alava.* [g] *le comte de Hoorne, & le baron de Montigny.*

Digitized by Google

CIƆIƆLXXIV. HENRICUS III.

Apr. alio ſcripto objecta multis verbis diluunt; et in primis, quod de ovium et luporum fabella adductum erat, quaſi regis fides in dubium revocaretur, praecipue exagitant. Tum caput de religione urgent, excluſa omni alterius religionis libertate; quippe cum experientia conſtiterit, concionum et conſiſtoriorum ac ſynodorum colore occulta conſilia contra regiam majeſtatem et publicam tranquillitatem agitari, nec prius quieturum Belgium, quam paſtores externi et externae doctrinae praecones omnino exacti fuerint. Cum hoc regiorum reſponſum non multum delegatis placeret, et foederati regios legatos rogaſſent, num alia mandata haberent, et haec, quae ab ipſis proponerentur, ex abſoluta regii mandati formula recenſerentur, reſpondentibus illis, aliud ſe non habere, foederati amplius deliberandi ſpatium et ad civitates foederatas referendi poſcunt, redditis interim obſidibus. Arauſionenſis ſeorſim cum Schuartſemburgio per ſuos agit; et, ut res ad Caeſarem deferatur, ſe expetere oſtendit: effecturumque dicit, ut Ordines foederati aequis ſe conditionibus illius arbitrio ſummittant. Ita re infecta utrinque diſceditur, intermiſſo pacis negotio in annum uſque inſequentem: quo Gandavi poſtremo conventum fuit. Schuartſemburgius, cum ſecuritatis literas a prorege de legatis ab Arauſionenſi mittendis fruſtra petiiſſet, et interea, dum de pace apud Caeſarem ageretur, inducias paciſcendas ſuaſiſſet, ad Caeſarem, a quo legatus fuerat, cum de re omni certiorem facturus revertitur. Poſt diſceſſum Schuartſemburgii rurſus foederati, ut fidem ſuam et ſtudium erga patriam ceteris Ordinibus probarent, et ſe a calumniis, ut aiebant, purgarent, prolixo ſcripto prid. Eid. Quintil. evulgato aequitatem ſuae cauſae explicant: et, repetita ab initio actione jam a tempore libelli ad [a] Campiniacum miſſi uſque ad hunc diem, regios diſceptatores non bona fide ſecum egiſſe demonſtrant; et ambiguis reſponſis et affectatis procraſtinationibus, cùm nihil minus quam pacem cogitarent, tempus extraxiſſe, ut ipſos interim imparatos opprimerent. Ad extremum petunt, ut delegatos non ſuſpectos rurſus de pace mittant; idque Arauſionenſi quamprimum, antequam ad arma deveniatur, ſignificent. Quo ſcripto accepto, regii non mediocriter, ut par erat, irritati, quod multa arroganter et contumelioſe in ſe dicta cernerent, multis verbis ſe purgant; nec alias dilationes petitas demonſtrant, quam ut interea, quid in tanti momenti negotio actum eſſet, regiae majeſtati ſignificari et ejus reſponſum haberi poſſet: quo accepto, regis voluntatem ipſis declaraturos et ad poſtulata diſerte, ut aequum videbitur, reſponſuros. Interea Deum et homines obteſtantur, ſe promptos facileisque ſemper fuiſſe, neque nllam diſceſſus aut ſiſtendi colloquii occaſionem praebuiſſe: Arauſionenſem contra et foederatos Ordines hujus culpae reos eſſe; et nunc maxime, ſi, quamprimum certiores de regis voluntate redditi fuerint, ad perficiendum pacificationis inchoatae negotium non compareant. Ita ſolutum Bredanum colloquium, non ſine occulta regiorum invidia: ex quo contra Arauſionenſis ſummam gratiam a ceteris Belgii Ordinibus meruit; quippe qui idem, quod illi tacite deſiderarent, palam peteret; nimirum libertatum, immunitatum et privilegiorum antiquorum confirmationem, externi militis miſſionem et comitiorum in antiquam auctoritatem reſtitutionem; quibus et religionis cauſam cum ſummittebat, aequum ipſis petere videbatur. Eodem tempore Fridericus [b] Furius Coriolanus formulam, ex qua ratio pacis inter Philippum et Hollandiae ac Zelandiae Ordines iiſque confoederatos iniri poſſe videbatur, emittit; et, ne tanquam frivola rejiceretur, idem eas pacis conditiones a rege ratas habitum iri conteſtabatur. Capita formulae haec erant: ut omnes recte ad pacem animati non magis privatis rebus quam publicis ſtudeant; ſicque apud ſe ſtatuant, dum inter ſe principes Chriſtiani cum populis ſuis digladiantur, ipſos principes ac populos una cum religione et fortunis plane interire: idem periculum pro foribus inſtare, quale Africam, Palaeſtinam, Aſiam, Graeciam ac Pannoniam vaſtavit: neutra

itaque

INTERPR. [a] *le ſieur de Champigny.* [b] *Furio Coriolano di Valenza.*

itaque pars ſummum jus conſectetur: rex omneis in gratiam reſtituat, non in bona ſolum, ſed etiam in nomen et honores: hi vero reſtituti viciſſim regem et in poſſeſſiooem veterem et in ſolitam reverentiam et obedieotiam debitam reſtituant: promiſſa et pacta conventa utrinque ſincera fide ſerventur: quod ſi regem arctius pactis aſtringi neceſſe ſit, iis Hiſpani proceres tam ſacri quam profani ordinis una cum rege ex vetere gentis cum Africanis inſtituto ſubſcribant; idem et volente rege Germaniae principes faciant; aliquot denique oppida ex primoribus Belgii ſub certis legibus ac conditionibus una quoque cum rege ſubſcribant: cumque tres ſint praecipue in his provinciis motuum cauſae; ſuſpicio de Inquiſitione inſtituenda; regium mandatum de ſevera placitorum Caroli V et Philippi executione ſuper religione ab anno hujus ſaeculi XXI ad annum LXVI; ac poſtremo de imperata decima; Inquiſitio, quae necdum inſtituta eſt, pariter et decima nulla ſit; quantum ad edicta ſpectat, excogitetur moderatio, quae de communi omoium conſenſu conſilio et ſeoteotia fiat; iis vero, qui hujuſmodi de religione conditionibus cootenti ooo erunt, optio detur, ut ſe Catholicae religioni reconcilient, vel alio, quemadmodum in ſubjectis Imperio provinciis lege de pace in religione data praeſcribitur, habitatum extra regiam ditionem concedant, ſalva re familiari, quam ad fructus percipiendos aliis locare aut etiam vendere poſſint: externus miles, licet nullum damnum Belgis inferat, tamen, ſi volent, exauctoretur, et Belgio dimittatur, cautione regi firma et omni exceptiooe majore prius data, provincialeis nihil molituros aut contra regiam majeſtatem tentaturos; quod ut fiat, ipſi demiſſe et ſuppliciter, uti decet, cum rege agant, et [a] Arauſiooenſis imprimis literas de pace ad eum modeſtiae plenas exaret; magni enim momenti eas ad reconciliationem fore: aliae et literae ſcribantur ad [b] Meliti principem et comitem [c] Chinconium, primarios regis cooſiliarios, quibus et arcta adfinitate Arauſionenſis coojunctus eſt; (nam Meliti princeps Menciae Meodozae, quae Henrici Naſſovii conjux fuit, patruelis erat; et Chincooius in uxorem Arauſionenſis ſororem duxerat:) haec ſi placeant, Furlum per veredarios equos quamprimum in Hiſpaniam perrecturum, et optatum ipſis reſponſum cum plenis mandatis, quibus ipſis de religiooe et externo milite idonee caveatur, propediem allaturum. Ad ea Arauſionenſis, quoniam jam cooventus delegatorum diſſolutus erat, pridie Nonas Maias reſpondet; quae in pacis ſormula proponantur de promiſſis ſervandis cautiooes, qua in re totius negotii cardo vertitur, eas noo ita prudenti viro tutas videri, quin pontifices Romani, ſi oon ſerventur, diſpenſare poſſint et violatores abſolvere: ea diffidentia fieri, et quoniam formula haec ſerius tranſmiſſa ſit, ut ipſe, abjecta omni meliori ſpe, certum licet dubii eventus bellum incertae atque adeo inſidioſae paci praeferendum duxerit.

II. NEC multo poſt, in mediis belli apparatibus, pridie Eid. Jun. Arauſionenſis [d] Brielae Carlotam Borboniam [e] Monpenſerii filiam, quae, olim in [f] Jouarienſi coenobio ante aetatem ſacris legibus definitam profeſſa, ante triennium ad Fridericum Palatinum ſeptemvirum ejerato voto ſe contulerat, praeſtanti ſorma et ingenio virginem uxorem duxit; abdicata a ſe ob mores altera uxore Anna Mauritii Saxonis ſeptemviri filia, quae anno ſequenti [g] Dreſenae, ubi in cuſtodiam ab Auguſto ſeptemviro patruo tradita erat, admodum pie deceſſit.

III. SECUNDUM haec prorex omnia ad bellum comparat; et ante omnia duas munitiones, alteram in [h] Pleumoſiis ad [i] Scaldis aeſtuarium, alteram juxta [k] Silvamducis, extrui mandat, impoſitis III ex legiooe Valdeſiana ſignis: et Aegidio [l] Barlemontio Hiergio Hollandiae praefecto oegotium dat, ut captis munitionibus viam ſibi ad exercitum in provinciam introduceodum aperiret; quem et ſubſequi juſſa IX ſigna ex

INTERPR. [a] *le prince d'Orange.* [b] *Melito.* [c] *de Chincon.* [d] *la Brille.* [e] *le duc de Monpenſier.* [f] *Jouarre.* [g] *Dreſden.* [h] *Flandre.* [i] *l'Eſcault.* [k] *Boiſleduc.* [l] *de Berlaimont, ſieur de Hierges.*

ex Ferdinandi Toletani et totidem ex Franciſci Valdeſii legione cum aliquot Germanorum et Belgarum peditum cohortibus; quae ad [a] Beverwicum xxv dies ſubſtiterunt in [b] Aquenſis regionis faucibus, ut terrorem ſui viciniae incuterent: inde Ultrajectum verſus progrediuntur; cumque ſe Hiergio conjunxiſſent, XIII Kal. Quintil. [c] Buram corona cingunt, oppidum muris, turribus, licet ad priſcum morem tamen ex firmiſſima materia ſtructis, et foſſa profunda aqua plena admodum munitum; in quo et arx eſt IV magnis turribus et triplici foſſa vallata, ac praeterea lato aggere ab ea parte, quae oppidum ſpectat. Locus a IV praeſidiariorum ſignis tenebatur, inde in Geldriam, inde ad Amſterodamum uſque portas continuo excurrentium. Hiergius habebat in exercitu VII peditum CIƆ; et in iis [d] Ladiſlai Barlaimontii fratris Megae comitis et [e] Flori Floioni alterius fratris legiones, et IV alas equitum ſervandis aggeribus deſtinatas. Promoto vallo, cujus cura [f] Manueli Capovaccae et Salazario obvenerat, navigia duo grandia in humeros ab Hiſpanis ſublata in foſſam demittuntur, quibus ponte ſuperſtructo machinae XIV impoſitae ſunt, et verberatio duabus partibus inſtituta a Loiſio [g] Bloſio Trelonio tormentorum praefecto. Exiguum in ea obſidione negotium fuit, praefecto loci, ſicut ſuſpicio fuit, corrupto; qui, deditionem facere juſſus, cum recuſaſſet, poſt duorum dierum pulſationem ruina edita et regiis vim facientibus, ſtatim ruinam citra certamen deſerit, et in arcem confugit, magno Hiſpanorum bono, qui, ponte forte ingruentium pondere fracto, per foſſam aqua plenam, quamvis nemine reſiſtente, vix tandem in murum evaſerunt. Capto ac direpto oppido, arx, in qua XXIV machinae aeneae repertae ſunt, ſtatim deditur, dimiſſo milite ſine armis, ſignis et tympanis. Loci praefectus proditionis inſimulatus, Ordinum decreto in [h] Goudanam arcem ſub cuſtodia traditus, cum ſe purgaſſet, poſtea dimiſſus eſt. Nec multo poſt Zelandi prope [i] Roſendalum XIII Kal. Sextil. naveis bellicas duodecim nuper exſtructas litori legendo et amnibus circumnavigandis accommodatas, a CC ſtationariis ex Mondragonii legione indiligentius cuſtoditas, intercipiunt, et magno regiorum damno incendunt. Sub id tempus prorex, ut ſibi aditum ad inſulas, in quibus belli arcem foederati collocaverant, aperiret, opportunum ratus [k] Finaërdam in Brabantiae limite ad ſeptentrionem oppoſitam in poteſtatem redigere, id negotii Mondragonio [l] Gandavenſis arcis praefecto dat, attributis ei duobus ſignis, altero [m] Alfonſi a Soto, altero [n] Damiani Moralis, et CIƆ Belgis ex ſua ipſius legione: et, ex adverſo aggere recedente mari, prius tentato vado, ſuos diſcalceatos, ſcloppeto, enſe ac pera, in qua trium dierum viaticum ac pulverem quiſque portabat, ſumptis, ipſo Mondragonio viam praeeunte, in alteram inſulae ripam tranſire jubet; quod illi ſumma alacritate fecere, vitatis ſilentio IX hoſtium navibus, quae alveum medium inſidebant; quod ubi praeſidiarii cognovere, vitam et res ſalvas pacti naveis conſcenderunt, et locum vacuum Mondragonio tradiderunt. Interea poſt Buram captam Hiergius unaque Megae comes Bomelam cum aliquot tormentis ducunt; et, ſupplemento trium millium peditum accepto, ducibus Carolo [o] Fukato, Verdugo ac Galio, et CCCC equitibus, inſuper XV foſſorum cohortibus, copias tripartito dividunt, ut, quid tentaturi eſſent, hoſti incertum relinquerent. Verdugus et Galius [p] Worcum et Schonoviam verſus iter habuere, tandem omnes ex compacto ad [q] Veteres aquas deflexerunt; quo prima acies, duce Hiergio, XIV Kal. Sextil. venit; adventuque ſuo, proelio conſerto, munitionem cataractae ſervandae a praeſidiariis exſtructam capit; ſic diſpoſitis copiis, ut Valdeſius cum legione ſua Schonovienſem aggerem, cujus cataractam ſubjectam teneret, et cum, qui [r] Monfortium ducit, et rurſus Schonovienſi conjungitur, teneret;

INTERPR. [a] *Beverwick.* [b] *Waterland.* [c] *Buren.* [d] *Lancelot de Berlaimont, comte de Meghem.* [e] *Floris, ſieur de Floion.* [f] *Manuel Cabeça de Vaca, & le ſieur de Salazar.* [g] *de Blois, ſieur de Treſlon.* [h] *Goude.* [i] *Roſendal.* [k] *Iſle de Finard.* [l] *Caſtellan de Gand.* [m] *Alonſo de Soto Mayor.* [n] *Damian Moralez.* [o] *Fucker, Verdugo, & Gallo.* [p] *Worcum & Schoonhoven.* [q] *Oudewater.* [r] *Montfort.*

teneret; Germana legio aggerem, qui [a] Wordenam ducit, cum legione Belgica inſideret; quibus et adjuncta XVI Hiſpanorum ſigna. Paulo inferius Hiergii, Megae comitis et [b] Floioni legiones hoſpitium habebant. Oppidum aggeri impoſitum forma quadrata ſed porrecta tumulo aſſurgit, turribus terra oppletis et foſſa profunda et aqua plena vallatum; compluribus item canalibus manu factis et paludibus cinctum, quibus pontes ſubſternere opus fuit, ut inde per hoſpitia libere commeare liceret. Locum tenebat [c] Sammarianus Gallus cum IV Gallorum, Germanorum, Scotorum, et IV Batavorum ſignis; qui cuncta ad defenſionem neceſſaria comparaverat, conflatis tormentis, et cratibus, trabibus et aſſeribus, quos muricibus et rotarum clavis confixerat, ad ruinam ſervandam cum regii vim facerent, paratis. Tum cuneos duos excavari, qua parte vim facturos Hiſpanos putabat, et turrem templi ſuffodi juſſerat, trabibus ſubjectis, ne, cum decideret, ruina ſua foſſam compleret. Diverſa parte Hiergius fluvium obſtructa terra et lignorum faſcibus alveo ab oppido avertit; quod obſeſſis admodum incommodavit: productoque vallo et doliis vimineis in aggere ſtatutis, duo tormenta contra turrem templi dirigi jubet. Inde in aggere cataractae diſpoſita XXIII tormenta, quae tranſverſa verberatione murum pulſabant, et V alia in Monfortenſi aggere. Quo facto, tubicen ab Hiergio in oppidum miſſus, qui deditionem imperaret: ſed, Sammariano tempus petente, quo Arauſionenſem certiorem faceret, VII Eid. Quintil. verberatio inchoata eſt; qua per quatriduum repetita, poſt ruinam a Franciſco [d] Aquilari Alvarado et Sanctio [e] Beltramo Penna exploratam, quam fruſtra terra comportata, ligno, materia, linea ſtrue, cannabe, plumeis ſaccis, culcitis, doliis farcire obſeſſi moliebantur, oppugnatio imperatur; in qua Franciſci [f] Valdeſii, Gaſparis [g] Oartiſii, Ferdinandi Toletani et Juliani Romeri legiones, et Megae comes cum Germanis licet injuſſus, certatim totis viribus plus hora integra cum quadrante depugnarunt, praeſidiariis cum ſacerdotum amictibus, ſic enim ad ludibrium comparere voluerant, pro ruina ſumma ſe fiducia oſtentantibus, et ſaxis, pavimento jam ab obſidionis initio Sammariani juſſu in hunc uſum detracto, plumbo fuſili, pice, artificioſis ignibus ac circulis ardentibus Hiſpanos infeſtantibus. Tandem numero victi ceſſerunt, ad unum omnes fere occiſi: nam tantum ex omni multitudine XX ſuperfuiſſe dicuntur. Non militi, non oppidanis parcitum, nullo ſexus aut aetatis reſpectu; poſt direptionem etiam incendio immiſſo. Ex Hiſpanis ad C deſiderati; et in his Franciſcus Beltramus, qui primus in murum dirutum inſiliit: plures ſauciati; in quorum numero fuit Sanctius Beltramus Penna. Praeſidio impoſito, ut hoſteis falleret, Hiergius Fukarum et Oartiſium cum legionibus ſuis Germanorum et Hiſpanorum ſine ſignis [h] Leredamum verſus iter capere jubet, tormentis [i] Ultrajectum verſus remiſſis cum [k] Trelonio et Megae comite fratre: quibus omnibus in occulto mandatum, ut poſtridie [l] Schonoviam verſus iter flecterent. Ea urbs III ab [m] Aquis leucis, exiguo ambitu brachio Rheni impoſita, ([n] Lecam vulgo vocant) et aeſtuario maris alluitur; quo recedente in ſicco deſtituitur plus LX paſſuum ſpatio, ab ea parte, quae aggerem [o] Crimpenenſem reſpicit; munitiſſima turribus, muro firmo et foſſa profunda vallata: qua parte mare influit debilior. Oppidani fere majorum ſacris addicti erant: ſed ſuperioribus annis metu potius quam ſponte in Arauſionenſis poteſtatem ſe tradiderant. Locum tenebat [p] Garda Gallus, ab Arauſionenſi impoſitus, homo ſtrenuus et moderatus, cum IↃ Gallorum, Batavorum et Scotorum praeſidio; qui et munitionem ante urbem excitaverat, quam tamen primo Hiſpanorum adventu praeſidiarii deſeruere. In Monfortenſi et Crimpenenſi collocatae Valdeſii et veteranorum legiones; quae poſt biduum, juſſu Arauſionenſis, apertis aggeribus, cum multum damni acciperent,

INTERPR. [a] *Woerden.* [b] *de Floion.* [c] *le ſieur de Ste Marie.* [d] *d'Aguilar Alvarado.* [e] *Beltran de la Penna.* *de Valdes.* [g] *Ortiz.* [h] *Leerdam.* [i] *Utrecht.* [k] *de Blois, ſieur de Treſlon.* [l] *Schoonhoven.* [m] *Oudewater.* [n] *Leck.* [o] *de Crimpen.* [p] *la Garde.*

CIↃIↃLXXV. HENRICUS III.

acciperent, non tamen ab obſidione deſtiterunt, Hiergio a popularibus certiore facto, intra x dies nullum ſubeſſe ab inundatione periculum; qui, ne tempus ſibi periret, mox Borgiam in ulteriorem amnis ripam cum III cohortibus tranſmittere jubet, et munitionem olim ab Hiſpanis extructam occupare; ex qua diſpoſitis tormentis in oppidum, quamvis medio flumine, verberatio inſtituta eſt, magno regiorum commodo, quippe cum murus ab ea parte debilior eſſet. Stratus et pons ex navigiis a [a] Megae comite adductis, malis et antennis tranſverſis triangulari ſpecie firmatus, ita ut anguli impetum aquarum frangerent, et auxiliares quamlibet vento et aeſtuario adjuti inde arcerentur. Mendoza ſcribit, nondum Gardam, cum obſeſſa eſt Schonovia, hoc eſt, prid. Eid. Quintil. in urbe fuiſſe; ſed poſtea cum auxiliaribus veniſſe, et artificioſum illum pontem, non bene junctis antennis compactum, perrupiſſe, et, poſtquam auxilia introduxit, urbis imperium accepiſſe. Mox advecta per canalem Ultrajecto tormenta; et verberatione ex adverſa ripa facta, ingens ruina edita: et, cum nocte interjecta nullam in ea ſervanda oppidanos operam poſuiſſe cerneret Garda, eorum ſuſpectam merito fidem habens, ac veritus, ne, cum vis fieret, plus ab illis a tergo quam ab Hiſpanis frontem petentibus periculi eſſet, ex ducum conſilio de deditione agere coepit, vitamque ac res ſalvas pactus, et ut cum tympanis ac ſignis dimitterentur, locum Hiergio tradidit IX Kal. Sept. qui nulla mora interjecta inde Crimpenam ducit, II a Schonovia leucis Roterodamum verſus; qui locus eſt in confluenti [b] Leeae, Wahalis et Moſae, magni momenti creditus, quod Iſſelmondae inſulae et Roterodamenſi immineat; ideoque duabus munitionibus, quae CCC circiter militum praeſidio ſervabantur, firmatus: quarum praecipua erat forma triangulari in ipſo concurſu fluviorum poſita, altera in adverſa brachii Rhenani ripa, quae mox veniente exercitu relictae ſunt, ab Hiergio ſtatim valido praeſidio firmatae; qui et tertiam munitionem in ipſo confluente extrui curavit, dato negotio Megae comiti fratri et Carolo [c] Fukaro, ut [d] Leredamum corona cingerent; extructis circum aliquot munitionibus, quibus mediis [e] Ultrajectum et Amſterodamum ab hoſtium incurſionibus defenderentur. His confectis, prorex copias ex Batavia revocat, et, cum videret, totum fere continentem in poteſtatem redactum, inſulas, quibus ſe foederati continerent, tantum ſupereſſe, ad eas ſubjugandas animum adjecit. Id autem haud factu difficile judicabat, ſi pediti, quo optimo abundabat, in inſulas pedem ponere liceret. Id maritimis opibus, quibus hoſtes praepollebant, cum nec commode nec tuto fieri poſſe videretur, ex quorundam relatione comperit, poſſe vado in inſulas tranſmitti: quod ut certius exploraret, eo delectos mittit, qui, coelo quamvis ſereno, tamen ſuborta nubecula obtecto, claſſem hoſtilem, quae in excubiis erat, fefellerunt.

IV. Inter Scaldis et Moſae aeſtuaria ſeptentrionem et occaſum verſus, inſulae complures jacent, Mattiacorum ſive Toxandrorum populorum nomine a veteribus appellatae; nunc [f] Zelandiae, quaſi regiones maritimas dicas, ad diſtinctionem [g] Pleumoſiorum, Atuaticorum et Batavorum, quibus in continenti poſitis illae praetenduntur, et XV omnino numerantur: quae tamen aliquot abhinc annis magna damna a ſuperfundente ſe oceano acceperunt, ut magna earum pars revulſis ac dejectis aggeribus ſalo merſa ſit. Earum hodie tres praecipuae ſunt, quae cum oceani aeſtu continenter luctantur, et inſanis ac immenſis ſumptibus adverſus hoc immane elementum aegre ſe tuentur. Princeps [h] Walacria ex alto in portum delatis ſe offert, a Gallis, ut creditur, qui [i] Walli apud Belgas appellantur, aut a Wallis Britannis, qui et a noſtratibus Gallis, quorum linguam priſcam retinuerunt, denominantur, appellata; [k] Mildeburgo, et Arnhmida ei ſubjecta quae tutiſſimum portum et ſtationem navibus praebet; Vliſſinga

INTERPR. [a] *Meghem.* [b] *Leck, Wahal, & Meuſe r.* [c] *Focker.* [d] *Leerdam.* [e] *Utrecht.* [f] *Zelande.* [g] *Flandre.* [h] *Walcheren.* [i] *Wallons.* [k] *Middelburg, & Arnemuyden.*

[a] Vliſſinga praeterea, et [b] Veria inſignis. Secundum hanc [c] Scaldia receoſetur, a prae- CIϽIϽLXXV.
terlabente [d] Scaldi ſic dicta, ſeptentrionem verſus, et ab ortu ſolſtitiali Walacriae op- HENRICUS III.
poſita; in qua praecipua civitas eſt [e] Ziriczea, quae, anno Chriſti CIϽCCCXLIX a Lothario Caeſare in civitatis formam aedificari coepta, io hanc, quam videmus, magnitudinem excrevit, a Flandrorum principibus ob loci opportunitatem ambitioſe ſaepius bello petita; et a [f] Guidone Dampetra in primis inſeliciter olim tentata, cum Ziriczeani Philippl Pulchri opibus ſuboixi, qui eorum auxilio Joannem [g] Pederoſum et Renerium Grimaldum Genuenſem cum triremibus tunc primum io illo mari conſpectis ſummiſerat, ingentem victoriam reportavit, capto ipſo Dampetra et pleriſque ex proceribus anoo Chriſti CIϽCCCIII Eid. Sextil. Propior contioenti et veluti ioter [h] Walacriam et Scaldiam [i] Suitvelandia exporrigitur, a ſolo ad auſtrum oppoſito ſic denominata, quae maximam jacturam paucis abhinc annis ab aeſtu paſſa eſt, ita ut dimidio jam ſit anguſtior: nam ab hac avulſa eſt [k] Romerſvahalis, undique mari cincta, multis vallata pomoeriis, quae ſalis oegotiatiooe ſola ſubſiſtit. In occidentali ioſulae parte ſita eſt [l] Goëſa, civitas exigua, ſed ſplendide extructa. Supra hanc [m] Atuaticis fere contermina, et exiguo tantum freto diſcreta inſula jacet, in qua [n] Telonium oppidum a vectigali et portoriis ita appellatum, quod et inſulae nomen dat; cui rurſus alia annexa eſt occaſum verſus haud majore ſpatio diſcreta, io qua [o] Annelandia eſt, et [p] Martinianus agger, Arauſionenſis ditionis civitas, loco amoeno et arboribus ardearum nidulatiooe frequentibus conſito poſita: cui ad ortum objacet [q] Philippolandia, ab aeſtu maris ante paucos annos obruta, et in arenarias redacta: ex qua in [r] Duvelandiam, a columbarum frequentia ita denominatam, brevis trajectus eſt; quae rurſus Scaldiae brevi interjecto freto fere conjungitur. Supra aquilonem verſus [s] Goereda eſt a fida navium ſtatione; et in Moſae ſeu Wahalis aut potius alterius Rheni brachii aeſtuario [t] Briela et Iſſelmooda, quae veluti Batavorum appendices ſunt. Ingenia iis populis, quanquam coelo oebuloſo et ſolo fere paluſtri, magis quam mediterraneis vicinis, ſunt induſtria; et cum Brabanti hilarés, feſtivi, ridiculi, in ludicris immodici; Flandri mulieroſi et intemperantes; Batavi ſimplices, incauti, inertes, ſegnes, ac ſtolidi vulgari dicterio appellantur; Zelandi callidi, vafri, ſubdoli, dicaces et captioſi, omnium conſenſu exiſtimantur, quaſi natura, quod illis a oatali ſolo deeſt, per induſtriam rependente: ſiquidem apud eos omnia fere iocerta, nullaque regio magis rerum humanarum vices experitur; nt cujus proſpera et adverſa a vento, mari et arena dependeant, et fluxu denique ac refluxu, lunae incrementis ac decrementis volvantur ac regantur. Itaque ex avorum apud eos memoria conſtat, plus C jugerum CIϽ, diſſipatis aggeribus, mari hauſta; ac rurſus ejuſdem maris beoeficio et indigeoarum induſtria alias inſulas enatas et excultas, ita ut, quae ab una parte abraduntur, alteri alluvione adjiciantur, nunquam deficieote novis inſulis extruendis materia. Eas inſulas, quae foederatis cootineoti excluſis perfugium erant, cum in poteſtatem redigere decreviſſet prorex, paratis ante XXX triremibus XVI aut XVII tranſtrorum, et aliis minoribus navigiis, quod majora navigia illis locis maris alveus non capiat, [u] Aotuerpia [a] Bergas, et inde per Telonium, de quo dixi, Annelandiam venit; quo jam VI Hiſpanorum ſigna ex Romeriana legiooe et V ex Valdeſiana e Batavis evocata venerant. Ipſe ſecum duxerat Belgicas comitis [w] Rutii, [x] Mondragonii et Franciſci Verdugi cohortes, cum ſingulis Iſidori [y] Paceci et Hannibalis Altempſii ſignis, ac CIϽ CC circiter foſſores,

INTERPR. [a] *Fleſſingue.* [b] *la Vere,* al. *Terveer* ou *Camp Veer.* [c] *Schouwen.* [d] *l'Eſcault.* [e] *Ziriczee.* [f] *le comte Guy de Dampierre.* [g] *Pederoſo, & Renier Grimaldi.* [h] *iſles de Walcheren & de Schouwen.* [i] *Sud Beveland.* [k] *Romerſwale.* [l] *Ter Goes.* [m] *Brabant.* [n] *Ter Tollen* ou *Tolen.* [o] *Annenland.* [p] *la digue de S. Martin,* vulgo *Martinſdyck.* [q] *Philipſland.* [r] *Duyveland.* [s] *Goeree.* [t] *la Brille & Iſſelmonde.* [u] *Anvers, Berg-op-zoom, Tolen, & le fort d'Annenland.* [w] *de Reux.* [x] *Mondragon & Verdugo.* [y] *Pacheco & Hannibal Altemps.*

CIƆIƆLXXV. foſſores, et IV equitum turmas, quas Telonio ſervando deſtinat. Cum ex iis, quos HENRICUS III. ad explorandum vadum miſerat, quamvis non omnino certa tradentibus, cognoviſſet, recedente mari, poſſe in inſulas tranſmitti, contradicentibus multis, rem periculi plenam aggreditur. Et, prenſatis ducibus, etiam milites alloquitur, iiſque ad rem tentandam confirmatis, IV Kal. Oct. in S. Michaëlis profeſto media jam nocte, juſſis militibus ſingulis par calceorum et peram, qua pulverem et trium dierum viaticum portarent, cum armis ſumere, proficiſcendi ſignum dat; qui triremibus impoſiti in Philippolandiam feliciter tranſmiſerunt; ubi mox vado ſuperando deſtinati ſe veſtibus et caligis exuunt, et in primis Jo. Oſorius Ulloa, Iſidorus Paceeus, Ludovicus [a] Querallus, Hieron. [b] Senroskerka [a] Bergarum praefectus locorum gnarus, et Jo. [c] Aranda Arnhmidae; armiſque ſumptis cum ſuis, qui CIƆIƆ erant, mare intrant, dato negotio Sanctio Avilae, ut cum triremibus, quibus Mondragonius cum ſuis portabatur, ſtatim ſubſequeretur, caveretque, ne in hoſtilem claſſem, quae haud longe excubabat, incideret: nam procul dubio eſſe, ſi regias triremeis humileis ipſa magnis navibus conſtans nacta eſſet, quin eas vento ſecundo flante fuiſſet demerſura. Quamvis profunda nocte, coelum tamen paſſim coruſcantibus ignibus illuſtre fuit, quod ominis felicis loco ab Hiſpanis acceptum eſt, quaſi luce illa inſolita Deo per undarum incerta viam praemonſtrante. Eo autem ordine incedebant: Ulloa primum agmen ducebat cum Hiſpanis, Germanis et Belgis; ultimum claudebat Gabriel [d] Peraltus marchionis Falacani frater, qui a via deerravit, nec in tempore jam albeſcente die ſuos adſequi potuit. Itaque a prorege, qui ex aggere circumſpiciens eventum opperiebatur, revocatus poſtea cum Sanctio Avila in [e] Duvelandiam tranſivit. Ulloa, quamvis a claſſe hoſtili, ſed e longinquo, quippe humiliori alveo, quam ut propinquare poſſet, crebra tormentorum et ſcloppetorum e navibus diſploſione infeſtaretur, tamen maris, antequam intumeſceret, beneficio uſus iter perſequitur, amiſſo tantum Iſidoro Paceco et fere CC foſſoribus, qui per tenebras, cum effugium quaererent, ad claſſis hoſtilis ſtrepitum huc illuc palantes undis hauſti ſunt. Cum Germani et Belgae pertranſitent, eoſque claſſiarii contis et uncis per funeis demiſſis nequicquam eminus laedere et in naveis attrahere tentaſſent, voces etiam quaſi commiſerationis addebant: Quo miſeri tenditis, quibus tanquam canibus aquaticis, qui vobis imperant, abutuntur? Quae vos cepit dementia, ut corpora pro vallo et pluteis expoſita ad ictus objiciatis? Quibus nihil commoti, qui Ulloam ſequebantur, milliare et ſeſqui emenſi, tandem ad latus inſulae, in quo [e] Oſtovelandia eſt, pervenerunt; ubi, quanquam aqua madefactis et reciprocantium fluctuum jactatione feſſis, protinus cum hoſte, qui aggerem ſervabant, confligendum fuit; quem non ſolum ſuſtinuerunt, ſed in [f] Vianam uſque compulerunt, in conflictu deſiderato ex hoſtibus Carolo [g] Boiſoto Zelandiae praefecto, qui a ſuis per imprudentiam nocte obſcura ſcloppeti ictu interemptus creditur. Mox Avila cum claſſe advenit, et cum eo Mondragonius: miſſi et Franciſcus [h] Aquilaris Alvaradus et Hortenſius [i] Armengolius cum recenti milite: ad quorum adventum, qui Oſtovelandiam et vicinas munitiones tenebant, loca vacua deſerunt, et Vianam ſe recipiunt; quam cum dedere praeſidiarii recuſarent, relictis in inſula, qui locum corona cingerent, cum reliquis Mondragonius canalem ſeſquimilliari ſpatio, qui [k] Duvelandiam a [l] Scaldia dividit, eadem ratione, qua ſuperiore die factum fuerat, vado tranſmittendum ſuſcipit, ſed majore difficultate, quod vadum limo impeditum vaſtis voraginibus incedenteis remoraretur. Tandem Mondragonio praeeunte, et Avila ipſo et Ulloa Mondragonii, qui primum agmen ducebat, aemulatione ultimum claudentibus, poſt aliquod in inſulae ingreſſu certamen repulſis hoſtibus, regii

Dreiſcheram

INTERPR. [a] *de Guiralta.* [b] *Seroskerke, gouverneur de Berg-op-zoom.* [c] *de Aranda.* [d] *de Peralta, marquis de Falces.* [e] *Oost-Duyveland.* [f] *Vianen.* [g] *Boiſot.* [h] *de Aguilar Alvarado.* [i] *de Armengol.* [k] *l'iſle de Duyveland.* [l] *l'iſle de Schouwen.*

[a] Dreiſcheram contendunt, ut ſe ibi reficerent: et inde ſine mora [b] Brouerſavenum pe- CIↃIↃLXXV.
tunr, municipium Aquilouem verſus expoſitum in ſuperiore iuſulae parte, cui portus HENRICUS III.
multarum uavium capax ſubeſt, trabibus et paiis ingentibus ſumma induſtria munitus. Antea Joannes [c] Caſtellus, qui in Vianae obſidione remanſerat, loco capto et praeſidio firmato, in Scaldiam venerat: quo reverſo, miſſus Alvaradus cum III cohortibus, qui [d] Bomeocum, quod praeſidio vacuum credebant, occuparet: in quo tamen plus negotii fuit, loeo munito et milite firmato. Interea per [e] Bornedamenſem aggcrem ad munimentum, cui capiti a promineotia nomen, infra [f] Ziriczeam civitatem itur: et juſſi, inde Gabriel [g] Peraltus cum ſua et Borgiae et Alvaradi cohortibus, inde Joannes Caſtellus eum ccc peditibus, diverſis itineribus incedentes, ſigno dato, munimentum eodem tempore aggredi; ſed Peraltus, cum non explorato loco, oeque ſigno, ſicuti praedictum erat, dato vim feciſſet, a praeſidlariis et claſſe, quae canalem inſidebat, crebra ſcloppetorum graudine petitus, ipſe cum L amplius ex ſuis interfectus eſt. Nihilominus Avila, qui laborantibus ſed ſero ſupervenerat, cum poſtridie in eo eſſet, ut rurſus locum oppugnaret, ſigno dato, ut Caſtellus cum ſuis adeſſet, locum vacuum et a praeſidiariis, qui ſe inde per prata ſubjecta in civitatem receperant, igne injecto, deſertum nactus, incendio reſtincto, eum firmavit, magno ad futuram obſidionem uſu: inde ſumpta fiducia naveis hoſtileis, quae recedente aeſtu in ſicco diſtinebantur, poſſe incendi. Id negotii a Jo. Oſorio Ulloa, qui peditatui praeerat, datum Joanni Arandae; qui tameo ab Alvarado et [h] Hortenſio Armingolio retardatus rem exequi minime valuit, claſſe interim e canali in altum provecta. Dum in eo ſunt, tres civitate egreſſi aſtu Hiſpaoos aggrediuntur, et ſpe facta dedendae urbis et claſſis tradendae, accepto a prorege aliquo operae pretio, ab iis impetraverunt, ut ad claſſem cum navarchis acturi tranſire poſſent. Ad quos ubi pervenerunt, longe alia couſilia cum illis agitarunt; nimirum de cataracta in aggere [i] Driskerienſi, et alia in aggere, qui ad ſalinas ducit, rumpendis, et aqua in ſubjectam planitiem immittenda; item de ſignis, per quae obſeſſi, et qui aggeres ſervarent, ſe mutuo commonefacere poſſent. Inde reverſi, cum rem confectam promitterent, rurſus tempus, quo cum praeſidiariis agerent, poſcunt, et ita in civitatem remittuntur; ſero ab Hiſpanis errore cognito: qui interim cum conſultarent, quid primo tentandum eſſet, Mondragonio ſalinas, quae civitati imminent, et idoneo praeſidio firmatae neceſſitatem obſeſſis dedendi ſe intra paucos dies imponerent, ante omnia occupandas contendente; Ulloa contra Bomeneum in poteſtatem redigeudum cenſente, quod ſi omitteretur, fore, ut claſſis per illum portum II auxiliatium CIↃ in inſulam expouere poſſet: quae ſententia tenuit, prorege et Chapino Vitellio eam probantibus. Itaque totis viribus Bomeneum oppugnari placuit. Locus eſt in confinio trium aggerum in eo ſe coutingentium ſitus, profunda foſſa et aquae plena undique cinctus, niſi qua mari alluitur; quo recedente, area in ſicco remanebat. Loco praeerat [k] Lilius Gallus, veteranus ordinum ductor, cum IↃ circiter Gallis, Anglis et Scotis. Admotis machinis duodecim, cum triduum continuata verberatio fuiſſet, Lilio colloqoium poſcenti ſuperbe reſponſum eſt ab Hiſpanis, non alia conditione perduelleis, quos Gallinas injurioſe vocabant, auditum iri, quam ſi abjectis armis ſe pronis capitibus e muro in foſſam praecipitarent. Quo audito, Lilius ſtatim colloquium abrumpit. Sed Mondragonius, id factum per militum petulantiam excuſans, honeſtis conditionibus deditionem ſe accipere paratum oſtendit: quod dum dicit et ſancte affirmar, rurſus caſus incidit, qui omnem rei amice tranſigendae ſpem praecidit. Nam Iſidori Paceci ſignifer, notato iuter colloquendum quodam loco debili, per quem cum ſola cohorte ſua eniti poſſe ſibi videbatur, injuſſus,

INTERPR. [a] *Dreiſcher.* [b] *Brouwerſhaven.* [c] *de Caſtilia.* [d] *Bommenė.* [e] *digue de Borndam.* [f] *Zirickſe.* [g] *de Peraltä.* [h] *Hortenſio de Armengol.* [i] *digue de Dreiſcher.* [k] *le capitaine Lis François.*

CIↃIↃLXXV. HENRICUS III.

injuſſus, ut ſcribit Mendoza, vim facit: ſed temeritatis ſuae mox poenas luit, fortiter a praeſidiariis repulſus, et ipſe cum xxx ex ſuis interfectus. Quod cum videret Lilius, ad Alvaradum cnnverſo ſermnne, Ecquam fidei promiſſae cautionem datis, quam jam bis violaſtis? Atqui, quos Gallinas contumelioſe appellatis, cum jam Gallos vere mares periculn veſtro experti ſitis, reliquum eſt, ut, quandn nulla ſecuritatis ratio vobiſcum iniri poteſt, ad ſummam certaminis aleam nos extrema neceſſitare compulſi comparemus. Quibus dictis, utrinque a colloquio diſceſſum eſt. Itaque poſtridie, qui in x Kal. Nov. incidebat, cum ɪↄ circiter Hiſpanis, quos totidem Germani ſequebantur, vis facta ad eam partem, quae mari recedente in ſicco remanebat: ſed, defenſoribus generoſe vim repelleotibus, cum multi ex regiis cecidiſſent, jamque Germani mari intumeſcente pedem referrent, revocantibus ducibus, Hiſpani pariter ad ſua diſcedunt, deſideratis in certamine circiter cc, et ccc amplius ſauciatis; quorum pleriqne, dum vulneribus tardius incedunt, mari refluente ſubmerſi ſunt. Quo caſu irritati magis quam infracti duces, biduo poſt totis viribus locum oppugnant; et, ut metu novorum auxiliorum iojecto obſeſſis animos frangerent, lixis, caculis et cetero famulitio imperant, ut, cum ad manus deventum fuerit, ipſi procul io aggere armis inſtructi tympana more Hiſpanorum pulſantes appareant. Imperu facto, cum quatuor amplius horas obſtinatis animis utrinque pugnatum eſſet, poſtremo lixae ac calones, uti juſſi erant, comparuerunt, et ipſi laborantibus regiis ſubvenientes magnum momentum ad rem conficiendam attulerunt: nam et ope ſua noo mediocriter ſuos juverunt, et obſeſſis oova auxilia adveniſſe ratis omnino animos ademerunt. Itaque impreſſiooe illa tandem locus captus, obviis quibuſque occiſis. Quo facto, duces ad Ziriczeae obſidionem rediere: quam mox deditionem facturam cum putarent, longe opiniooe ſua falſi ſuot, ruptis interea aggeribus, et aqua ubique ſupernatante, ac poſtremo munitionibus ad cataractas a foederatis exſtructis. Itaque, cum vi expugnari urbs non poſſet, aditus ubique obſtructi ingeotibus palis in fundum adactis: tum ſublicis et trabibus fretum inter [a] Scaldiam et Duvelandiam clauſum, navibus ubique idoneis locis collocatis, et aditu unico relicto, quo per pootones hinc inde milites commeare pnſſent. Id oegotii datum Mondragonio Zelandiae praefecto, qui terra rem gereret, cura rei navalis Sanctio Avilae attributa. Ulloa, qui cum Mondragooio non bene conveniebat, a prorege revocatur: qui ſtatim e [b] Telonio, ubi intentus ad omneis caſus ſedebat, Antuerpiam ſub exitum anni reverſus eſt.

V. INTEREA claſſis Hiſpana, quae ob mortem Petri [c] Melandae ad eam ducendam deſtinati aliquandiu retardata fuerat, tandem appulit; cui ut receptum in Anglia daret, miſſum a prorege ad Eliſabetham Bernardinum Mendnzam ſuperiore anoo diximus. Tunc vero et alia legatio decreta eſt; miſſuſque Joannes Boiſotus fiſci patronus, qui inter alia a regina petiit, ut rebelleis Belgas ex Anglia expelleret: qood illa durum et inhumanum cauſata, tamen eum, foedere ſalvo, recuſare oon poſſet, legatum prius monuit, videret prorex, quam iniquum eſſet, homines conſcieotiae et libertati perfugium quaerenteis hoſpitio excludi; recordareturqoe, cum ante qoinquennium idem ab Albano Philippi oomine peteretur, quam pernicioſe id acciderit; quippe hinc capta occaſinne [d] Marcianum comitem et alios e Belgica oobilitate navibus conſcenſis Brielam occupaſſe, et res in Belgio pacatas denuo turbaſſe: itaque vereodum eſſe, ſi nunc eadem ſeveritate contra Belgas in Anglia ob religionem exulanteis agatur, ne illi ex deſperatione aeque pernicioſa Belgio conſilia capiant. Nihilominus regina, ut oſtenderet ſtare ſe antiquo foederi velle, miſſis ad maritimorum limitum praefectos literis, exulibus Belgis tranſitum prohibuit, regnique ingreſſum cunctis contra Hiſpaniarum regem arma gerentibus interdixit: quo in numero nominatim

INTERPR. [a] *iſles de Schouwen & de Duyveland.* [b] *Tolen.* [c] *Melendez.* [d] *de la Marck.*

nominatim comprehenſi [a] Arauſionenſis, Culemburgius, Bergenſis et Marcianus comi- CIƆIƆLXXV.
tes, [b] Noiellus, Boiſotus, Carneſecus, et alii plerique uſque ad L e nobilitate et ut- HENRICUS III.
bium primariis civibus: quod a regina factum, quo viciſſim a Philippo obtineret, ut Angli rebelles, et in iis [c] [α] Weſtmorlandiae comes e Philippi provinciis ejicerentur, [β] et Anglorum [d] Duaci ſeminarium diſſolveretur; cujus loco alterum [e] Durocortori Rhemorum, curante Gregorio Romano pontifice, apud nos inſtitutum fuit. Impetratum et fuerat a Thoma [f] Wilſono res reginae in Belgio procurante, ut quatuor naves Anglicae, etiam Zelandiae Ordinum permiſſu, per Scaldim Antuerpiam uſque navigarent: quibus beneficiis haec a regina repenſa eſt gratia.

VI. EODEM tempore in publico Ordinum ſoederatorum conventu conſultatum fuit, de patrocinio potentiſſimi alicujus principis vicini implorando, quando nulla ſpes pacis aut ſecuritatis a Philippo affulgeret, et ipſi a pecunia, praecipuo belli nervo, et a milite per ſe debiles et imparati eſſent. Et altercatum eſt aliquandiu ſententiis; cum alii ad Imperium et Imperii principes ac civitates, alii ad regem Gallorum, alii denique ad reginam Angliae inclinarent. Vicit tandem ea, quae pro Anglis erat. Nam quoad Germaniae principes, ſi ad univerſos reſpicias, ad tutelam ſuam Imperii opibus potenreis, eorum quam firmum robur; tam debileis opes eſſe, ſi ſinguli ſingillatim aliquid aggrediantur: ſiquidem in Imperio principes ſere res ſuas curare, de alienis parum ſolicitos; quibus ii tantum ſe interpouere debent, qui bello gerendo vel contra potentiſſimos reges pares ſunt: ad haec, ſciſſura ob religionem fieri, ut alter alteri non ſatis bene fidat; et procul dubio eſſe, nunquam eos paſſuros, ut unus inter ipſos Belgio potitus ceteros poteſtate ſuperet; et, ut quidam ex iis in id conſpirent, tamen Caeſarem Philippi ſororium ſemper interceſſurum, et auctoritate ſua impediturum, ne Belgii a Philippo deficientis patrocinium ab Imperio aut Imperii principibus ſuſcipiatur: nam hoc et ad Caeſaream ſuam majeſtatem, et privatim ad potentiſſimae toto orbe familiae dignitatem pertinere; et, ut aliquid ab Imperii comitiis ſperari poſſit, longum nimis eſſe hoc rerum ſtatu exſpectare, quae a Germanis praeſtari poſſint, auxilia. Neque vero majorem in Gallis ſpem reponendam; quorum opes et ob inveteratas inimicitias et regni praefectorum perfidiam et avaritiam et portuum diſtantias, quae res in negotiatione, qua ſere Belgium conſtat, maximi momenti ſemper fuit, minus utiles et condncibiles futurae ſunt; et periculum ſubeſſe, ſi foederati patrocinium Gallicae coronae implorent, ne perpetuo bellum illis cum Brabantis, Flandris, [g] Atrebatibus et Hannoniis, quibuſcum alioqui convenire poſſint, in poſterum gerendum ſit; quos quamvis conditionem potius optaturos appareat, quam commiſſuros, ut in foedus cum Francis initum conſentiant: et, ut detur, Belgas ſe regi Galliae ſponte ſubjecturos, quis dubitat, quin Philippus ultionis ſumendae avidus ſtatim permutationem cum rege faciat; et, pro Hollandia, Zelandia ac foederatis provinciis, Mediolanum et Neopolitanum regnum tradat, pontifice ac ſanguinariis conſiliariis inſtigantibus, ne tam praeclara Sectariorum ſanguinis effundendi, quem adeo ſitiunt, occaſio praetermittatur? quam vero, ut haec ceſſent, ſpem auxiliorum eſſe a regno bellis civilibus exhauſto, et cujus novus princeps tam a Proteſtantibus alienus nunquam juſtas rationes, quibus Belgae cauſam ſuam tuentur, ſit probaturus? In Anglis diverſiratem linguae quidem deſiderari: ſed hanc difficultatem penſari religionis conſenſione, negotiationis ob portuum opportunitatem commoditate, quae magna reginae terra marique potentia adjuvetur, et aequa citra graveis exactiones

VAR. LECT. [α] Veſtmerlandiae *D.* f. d. Veſtumbriae *Ed. Gen.* [β] *Hinc ad* impetratum et fuerat, *duae lineae, deſunt D.* f. d.

INTERPR. [a] *le prince d'Orange, le comte de Culemburg, les comtes Vanden Berghe & de la March.* [b] *les ſieurs de Noyelles, Boyſot, & Carneſſe.* [c] *Weſtmorland.* [d] *Douay.* [e] *Reims.* [f] *Wilſon.* [g] *Artois & Hainaut.*

CIↃIↃLXXV. HENRICUS III.

exactiones adminiſtratione. Quod ſi aequis conditionibus a regina, ſalvis libertatibus, privilegiis et immunitatibus, obtineant, mox Brabantos et Flandros, negotiatione prohibita et vitae neceſſariis denegatis, tumultuaturos, ſuccurrendi invicem et vireis tam exiguo locorum et temporis ſpatio per mare conferendi opportunitate ablata, et ſpe maris potiundi per hoc foedus omnino adempta: [a] Daniam vero, [b] Sueciam, [c] Emdam in Friſia orientali, et [d] maritimas ac Vandalicas Germaniae civitates, ac denique Franciam ipſam foedere hoc jungi expetituras: nec dubium relinqui, ubi ceterae Belgii provinciae ſibi omnem quaeſtum et negotiandi libertatem hac ratione ereptam ſentiant, quin huic ſe ſocietati ſint applicaturae. Itaque decreta in Angliam legatio; et miſſi Philippus [e] Marnixius Santalgondanus, Joannes [f] Douza Nordovicus, Gulielmus [g] Nivellus, Paulus [h] Buſius et Franciſcus [i] Maelſenus, qui certis conditionibus, repetito, ut reginae magis blandirentur, a Gulielmo III Hannoniae, Hollandiae et Zelandiae comite ipſius genere, ſe ipſius patrocinio ſubjicerent. Verum illa, Hiſpanorum inimicitias, Gallorum invidiam, et maximos bello gerendo ſumptus cauſata, ſe excuſavit; praeſentia Friderici [k] Perrenoti Campiniaci ad ipſam ſub id tempus a prorege miſſi, ut creditur, territa: neque tamen omnino recuſavit; quippe quae Campiniacum monuerit, ut mature conſilia componendis Belgii motibus idonea inirentur, antequam foederati ad extremam deſperationem adigantur; hoc addito, ſi haec monita Philippus et ejus conſiliarii negligerent, ne moleſte ferat, ſi ipſa ſecuritatis ſuae cauſa Hollandiae et Zelandiae patrocinium ſuſcipiat, antequam Galli perpetui Anglorum hoſtes eis potiantur. Ita dimiſſi Campiniacus, et foederatorum legati; quibus et permiſſum, ut arma, machinas, commeatum in Anglia comparatum ſecum avehere et libere conſcribere militem poſſent. [α] Eodemque tempore Danielem [l] Rogerſium ad Arauſionenſem mittit, ut a foederatione cum Gallis pro Belgio ineunda, ad quam annitente Jo. [m] Villerio noſtrate, cujus prudentiae et aequitati multum tribuebat, quodammodo jam tum ferebatur, ipſum dehortaretur. Miſſus et in Hiſpaniam [n] Henricus Cobhamus, ut pacis conſilia Philippo inſinuaret: ad eamque rem Eliſabetha operam ſuam cum prolixa animi benevoli ſignificatione per eum detulit. Idem actum et cum Requeſenio per Robertum [o] Corbetum. Interea magna Hiſpanicae claſſis pars in Angliam navigaverat, ex foedere amice excepta. Erant fere naves ex eo genere, quas vulgo Aſſabras vocant; in id fabricatae, ut iis Hiſpani anguſta et vadoſa fluminum commodius trajicerent. Cumque ad [p] Vectim inſulam appuliſſent, inde, Eliſabethae juſſu deducentibus Anglis, Dunkerkam pervenerunt, expoſito in terram milite et pecunia. Dum per hyemem in eo portu morantur naves, horrenda et foeda tempeſtate ſuborta colliſae et quaſſatae ſunt: maritimis Hiſpanorum conatibus ſemper, ſicuti tunc, ita et fere deinceps, in Belgio illudente fortuna.

VII. QUAE dum aguntur, quaſi pacatis rebus Ordines, mente bene in poſterum praeſaga, ac in medio quidem bello literarum cultum et puerilem inſtitutionem negligere viderentur, ex Arauſionenſis conſilio academiam [q] Lugduni Batavorum inſtituunt, amplis ex ſacro patrimonio vectigalibus pro tempore attributis: quae ex eo et juventutis concurſu et virorum doctorum frequentia in hanc, quam videmus, cum quovis orbis Chriſtiani gymnaſio comparandam celebritatem excrevit.

VIII. [β] IN Anglia, ceteroqui hoc anno quieta, nonnihil turbatum ex levi et fortuito caſu fuit. Joannes [r] Forſterus, limitis et pro tempore Berwici praefectus, intempeſtive

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Rogerſio ad Arauſionenſem, Cobhamo in Hiſpaniam, et Corbeto ad Requeſenium* miſſis, *deſunt D.* ſ. d. [β] *Pagina ſequens de rebus Anglicis, Scoticis et Hibernicis, uſque ad* In Germania, *deeſt D.* ſ. d.

INTERPR. [a] *Dannemark.* [b] *la Suede.* [c] *Embden.* [d] *Villes Hanſeatiques.* [e] *de Marnix, ſieur de St Aldegonde.* [f] *Vander Does, ſieur de Noortwyck.* [g] *Niwelt.* [h] *Buys.* [i] *Maelſen.* [k] *Perrenot, ſieur de Champigny.* [l] *Rogers.* [m] *Villiers.* [n] *Henry Brooke, frere du lord Cobham.* [o] *Corbet.* [p] *l'iſle de Wight.* [q] *Leyde.* [r] *Forſter, gouverneur de Berwick.*

intempeſtive ac praeter dignitatem cum J. [a] Carmichello Lidiſdaliae in Scotia cuſtode CIↃIↃLXXV.
in colloquium ad [b] Redſquirum montem venit, magno utrinque praedonum ac male- HENRICUS III.
ficorum comitatu, qui capitalibus inter ſe odiis ardentes, cum ultionis occaſionem quaererent, altercantibus et in verba aſperiora prorumpentibus hinc praefecto hinc cuſtode, excitata etiam de ſubrepto calcari inter lixas rixa, tumultuario arma corripiunt; pars in peculiarem inimicum invadit, pars in equos huc illuc diſperſos ad praedam diſcurſans involat. Quis principium certamini dederit, tunc in incerto fuit. Primo congreſſu Scoti ab Anglis pulſi, et Carmichellus captus: verum, victore ad rapinas effuſo, auxiliares Scoti Jedburgo advenere, quorum ope Carmichellus evaſit, et viciſſim Angli in fugam conjecti, Georgio [c] Herono ex equeſtri ordine [d] Tindaliae et Redeſdaliae cuſtode aliiſque occiſis. Ipſe Forſterus, Franciſcus Ruſſellus [e] Bedfordiae comitis filius et Forſteri gener, [f] Cuthbertus Collinwoodus, Jac. [g] Oglus, Henricus [h] Fenwicus, alii, capti, et [i] Dalkeitham, ubi [k] Mortonius prorex erat, deducti: ut comiter ac perhumane ab eo habiti, ſed tantiſper detenti, dum recenti adhuc receptae injuriae ſenſu ultionis ardor deferveſceret. Tandem dimiſſi hac lege, ut, ſe in Scotiam reverſuros, ſi prorex juberet, obſignatis chirographis reciperent; interea tanquam captivi ab armis abſtinerent. Id indigniſſime tulit Eliſabetha, virilis animi foemina, ad Anglici nominis decus id ſpectare exiſtimans; et, quanquam culpam penes Forſterum, dum inſigni maleficio obſtinatius patrocinaretur, reſediſſe comperiſſet, non tamen prius placari potuit, quam prorex [l] Eboraci cum Huntingdonio comite inermis ad colloquium venit, et, ad reſarciendam nomini Anglicano inuſtam hoc facto ignominiam, et poſt honorificas ea de re excuſationes, Carmichellum quaſi dedititium in Angliam miſit, qui Eboraci aliquandiu in libera cuſtodia manſit, et poſtea domi non ſine donis remiſſus eſt, ſarta hoc pacto inter Eliſabetham et proregem amicitia; in qua ille conſtantiſſime et ad exitum uſque perſeveravit. Sub id fatis conceſſit Jac. Hamiltonius [m] Caſtri Eraldi dux et Araniae comes, vir toto regno nobiliſſimus, et Jacobi II ex filia pronepos, miti ingenio et probo, qui, reginae Mariae et regni tutor, poſtea captivae cauſam conſtantiſſime tutatus eſt; tota vita ab adverſae partis proceribus clam et aperte exagitatus.

IX. IN [n] Hibernia proxima [o] Eſſexius tot difficultatibus et anguſtiis heſterno anno conflictatus, cum, ut e provincia revocaretur, in Anglia decretum eſſe intellexiſſet, conditione ſua apud reginam deplorata, aegre impetravit, quo honeſtius revocaretur, ut belli cum [p] Turlogho reliquias ſibi perſequi liceret. Itaque in [q] Ultoniam profecto eo, cum initia arridere viderentur, literae aemulorum ac [r] Leiceſtrii in primis ſuggeſtione venere; quibus jubebatur, ut ab armis quamprimum deſiſteret et cum Turlogho amice tranſigeret. Quo facto, contra Hebridianos Scotos, qui [s] Clandeboiam inſidebant, ducit: quibus in latebras compulſis, [t] Norriſium mittit, qui [u] Rachlinam inſulam adortus munitionem in ea capit, CCCC inſulanis caeſis, et praeſidium loco impoſuit: et, ut omnis gratiae et melioris ſucceſſus ſpes praecideretur, Henricus [w] Sidneius proregis titulo denuo in Hiberniam mittitur, peſte per eam immaniter graſſante; qui nihilominus in Ultoniam profectus, multos provinciae regulos tumultuanteis, in iiſque [x] Mac-Mahonum, [y] Mac-Guirum, Turloghum ipſum jam rebellantem in fidem accepit: [z] O-Conoros item et O-Moros ſeditionibus ciendis in [aa] Lagenia natas familias, quae bona avita in [bb] Leiſa et Ophalia judicis auctoritate ſibi adempta vi occupaverant, ad quietis conſilia adegit. Inde in [cc] Momoniam deſcendit,

et

INTERPR. [a] *Carmichael, gardien de Liddiſdale.* [b] *Redſquire.* [c] *Heron.* [d] *Tindale & Rhedeſdale.* [e] *Ruſſel, fils du comte de Bedford.* [f] *Cuthbert Collinwood.* [g] *Ogle.* [h] *Fenwick.* [i] *Dalkeith.* [k] *le comte de Morton.* [l] *York.* [m] *duc de Chatelleraut, & comte d'Arran.* [n] *Irlande.* [o] *Walter D'Evreux, comte d'Eſſex.* [p] *Turlogh.* [q] *Ulſter.* [r] *le comte de Leiceſter.* [s] *Clandeboye.* [t] *Norris.* [u] *Rachlin.* [w] *Sidney.* [x] *Mac-Mahon.* [y] *Mac-Guire.* [z] *O-Connors & O-Mores.* [aa] *Lempſter.* [bb] *Leiſe & Ophalie.* [cc] *Munſter.*

CIↃIↃLXXV. HENRICUS III. et triſti in exſequiis Petri [a] Carewi equitis, patrimonii ampliſſimi in inſula illa heredis, de quo ad annum LIV et LVI diximus, officio defunctus eſt; et [b] Coreagii [c] Deſmonium comitem obvium habuit, qui omne obſequium ei prolixe detulit; atque inde in [d] Conachtiam poſtremo profectus, ſive nominis ſui terrore ſparſo ſive humanitatis fiducia [e] Clan-Richardi filios ſupplices in [f] Gallwaiae templo condonata praeteritorum venia in fidem accepit, recteque adminiſtratae provinciae laudem maximam eo anno ſicuti ſuperioribus meruit.

X. IN Germania hoc anno res fere quietae fuere, injecta tamen Daniae et Sueciae regibus inter ſe tunc diſſidentibus ſuſpicione, ex novis Erici Brunſvici nuptiis, qui, Sidonia priore conjuge Auguſti Saxonis ſeptemviri ſorore paulo ante mortua, Dorotheam Caroli Lotharingiae ducis ſororem et Chriſtiernae Danicae, jus in illa regna multos jam annos vindicantis, filiam uxorem duxit XIII Kal. Nov. Danus tunc in [g] Oſilia Livoniae res gerebat, quam Moſci incurſionibus infeſtabant. Sed controverſia ſuborta inter vicarium regis et Magnum Saxonem Sueciae regis ſororium de [h] Mona inſula, quam uterque ſibi vindicabat, et Saxo quidem [i] Sonneburgenſis arcis, Danus [k] Areſburgenſis appendicem eſſe contendebat, capto interim a Saxone Dani vicario, [l] Parnovienſes [1] omni auxilio deſtituti deditionem Moſco ad extremum fecere VII Eid. Quintil. qui ſumma praeter morem moderatione erga deditos uſus eſt, oppidanis in urbe ſub Moſcorum imperio manendi, vel cum uxoribus, liberis, et quae ſecum abſportare poſſent, diſcedendi gratia facta: qua tamen per Magni ſive avaritiam ſive immanitatem minime frui potuere: nam a Moſco dimiſſi, ab illo ſtatim ſpoliati ſunt. Quo facto, cum in Sueciam revertiſſet, Dani vicarius, tunc carcere emiſſus, arcem Sonneburgam, cujus cauſa tot turbas Magnus excitaverat, obſidet, et fortuitum ea concipiente incendium, diffugientibus praeſidiariis, potitus eſt, Sueco eadem facilitate, qua Oſiliae partem occupaverat, ejus poſſeſſione dejecto. Metus autem novarum rerum ex Erici et Dorotheae nuptiis paulo poſt conquievit, cum Petrus [1] Oxus praecipuae inter Danos auctoritatis eques, qui annos fere X apud Chriſtiernam Dorotheae parentem exulaverat, eamque adverſus Fridericum Daniae regem incitare credebatur, belli Suecici occaſione Dano reconciliatus, paucis a nuptiis illis diebus [m] Frideriburgi aqua intercute extinctus eſt VIII Kal. Dec.

XI. COMITIA Imperii Ratiſponam creandi novi regis cauſa paulo ante indicta et celebrata fuerant; quibus interfuerunt ſeptemviri, et frequens principum ac legatorum civitatum ſenatus. In iis Rudolfus Maximiliani Caeſaris natu grandior filius, a Rudolfo Habſpurgenſi, qui primus imperatorii faſtigii decus meritis ſuis in familiam intulit, decimus, in regem Romanorum electus eſt; et inſignia tantae dignitatis more majorum magno principum et omnium ordinum conſenſu et applauſu ſumpſit VI Kal. Nov. [α] Poſtea Jo. Baptiſta [n] Concinus jam multoties ad Maximilianum Caeſarem ob conceſſum a Pio V magni Etruriae ducis titulum Coſmo et Franciſco, qui ſororem ipſius in matrimonio habebat, ſuccenſentem, miſſus, tandem obtinuit, ut hi Franciſco tituli tanquam Imperii beneficiario confirmarentur; eaque de re ampliſſimum a Caeſare diploma impetravit.

XII. DUM haec in Belgio et Germania agerentur, apud nos Kal. Jan. redintegrata ad Liberonem verberatio, et ad VII Eid. continuatur, dum regii ſub turrem [o] Fontanam cuneos agerent, quos obſeſſi contrariis cuneis actis eluſerunt. Poſtridie noſtri altera oppugnatione locum tribus partibus aggrediuntur; et Helvetii praeter morem a Bellogardio

VAR. LECT. [α] In his comitiis Jo. *D. f.*

INTERPR. [a] *Carew.* [b] *Cork.* [c] *de Deſmond.* [d] *Connaught.* [e] *Clanricard.* [f] *Galway.* [g] *Oſel.* [h] *Mone.* [i] *Sonnenburg.* [k] *Arensburg.* [l] *Pernau.* [m] *Frederickſburg.* [n] *Concini.* [o] *tour de la Fontaine.*

NOT. [1] un Ecrivan Allemand met *Faxus*, qui eſt une famille Danoiſe, viz. *Faſſy.* Chytraeus met *Oxus.* *Put.*

[a] Bellogardio perſuaſi etiam vim fecerunt, dum veteranae et Subalpinae copiae eodem tempore locis deſtinatis depugnabant. Ibi acriter utrinque certatum: tandem repulſi nostri iniquitate loci ab obſeſſis ex ſuperiori loco pro vita et libertate ſtrenue pugnantibus; inter quos praecipua foeminarum virtus fuit, quae pro ruina ſtantes ſaxis, contis, ſcloppetis Helvetios in altum enitenteis poſtremo deturbavere. Pulſis noſtris, totum biduum verberatio ceſſavit: quo tempore obſeſſi nihil reliqui fecerunt quo ruinam omni opera et diligentia munirent; ex ſucceſſibus jam noſtrorum contemptu concepto, quem excogitato ad ludibrium ſpectaculo teſtati ſunt, in ſumma ruina conſtituta foemina, quae tanquam ſecura colo accincta nebat. Demum nocte, quae III Eid. praeceſſit, c auxiliares intra oppidum accepti ſunt: ac poſtridie Antonius Sigiſmundus Sanſeverinus [b] Gajacii comes, qui Helvetiis praeerat, dum longius a caſtris vagaretur, a Monbrunianis illac excurrentibus interceptus et occiſus eſt. Eodem tempore rex, qui [c] Avenione erat, de [d] Aquis-mortuis aſtu a Proteſtantibus interceptis nuncium accepit. Id autem in hunc modum accidit. Quidam oppido ob religionem pulſi, qui ad [e] Lodevam, quam Damvilla praeſidio tenebat, ſe receperant, accepti a Joanne [f] Sancaumontio Sanromanio, qui [g] Nemauſi cum delecta manu erat, noctu ſummo ſilentio ad Aquas-mortuas accedunt, et intra duas portas excavata terra ſaccos pulveris tormentarii plenos demittunt, ignemque in pulverem injiciunt; qui vi ſua utramque portam disjecit, et aditum irrumpentibus ſociis fecit. Ita captum momento ac direptum oppidum, praeſidiariis vix dato ſpatio, quo ſe ad [h] Conſtantiam turrem toto illo tractu famoſiſſimam reciperent; quam tamen biduo poſt vitam et res ſalvas pacti hoſti dediderunt. Mox et [i] Carbonaria haud ita longe ab Aquis-mortuis, et altera munitio in inſula [k] Pecaienſi ſalinis nobili extructa, a ſociis receptae ſunt. Rex, qui nihilo melius res praeſentia ſua in [l] Septimania ſuccedere non ſine moerore animi videret, et poſt cardinalis Lotharingi mortem de [m] Aloiſia Lotharinga in uxorem ducenda impatienter cogitaret, in caſtra venit; poſt ſuorum laetas ritu militari ſalutationes, longe diverſa a cultu et reverentia, quae principibus a Gallis deferri ſolet, ratione, ab obſeſſis exceptus; quorum contumelioſae voces hae tunc auditae: Quid fruſtra percuſſores huc veniſtis? Non, ut nuper Colinium, ſic nos in lectis incogitanteis jugulabitis. Non vobis res cum inermibus, ſed cum armatis, et perfidia veſtra, ut ſibi caveant, edoctis. Tantum huc veſtros cincinnatulos, calamiſtratos et unguentatos ſiſtite; qui, quantae molis ſit rem cum noſtris uxoribus habere, periculo ſuo experientur. Quae ſaepius ab inſolenti milite repetita, nequicquam repugnantibus ducibus, non mediocriter regis animum pupugerunt; qui ſingulis ſuis militibus quadrantem aurei numerari juſſit; et, cum praeter adverſos ſucceſſus etiam lue graſſante Subalpinas copias in dies minui cognoviſſet, quaſi [n] Durocortorum Rhemorum ad inaugurationem ſuam proficiſcens, obſidionem ſolvit. Dum noſtri diſcedunt, eruptione ab obſeſſis ſemel atque iterum facta pleriquc Helvetii interfecti: ſaevitum et in aegros milites, qui remanſerant. Tum diviſae copiae: et Subalpinae quidem multum imminutae in Italiam remiſſae: Albertus [o] Gondius Radeſiarum comes in Provinciam deſtinatus Germanorum aliquot vexilla ſecum ducere juſſus eſt: veterani et XXII ſigna Helvetiorum attributa ſunt Jacobo [p] Cruſſolio Uticenſium duci, qui, licet nondum ejerata Proteſtantium religione, quam hactenus profeſſus fuerat, odio [q] Damvillae ſe regiis partibus addixerat. Is tunc commodum in Septimaniam venit, cum jam vicina caſtella ſucceſſu ſociorum territa in eo eſſent, ut Damvillae portas aperirent;

CIƆIƆLXXV.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *le mareſchal de Bellegarde.* [b] *Caſazzo.* [c] *Avignon.* [d] *Aigues-mortes.* [e] *Lodeve.* [f] *de St Chaumont, ſieur de S. Romain.* [g] *Niſmes.* [h] *tour de Conſtance.* [i] *tour de la Charboniere.* [k] *Salines de Pequais.* [l] *Languedoc.* [m] *Louiſe de Lorraine.* [n] *Reims.* [o] *de Gondy, mareſchal de Retz.* [p] *de Cruſſol, duc d'Uſez.* [q] *le mareſchal de Damville.*

CIↃIↃLXXV. HENRICUS III. aperirent; adventuque ſuo impetum hoſtium aliquantum retardavit: exiguo tamen profectu, quaedam tantum caſtella circa [a] Uticam ab eo recepta, et [b] Sanferreolium in primis, quod urbi non medioctiter incommodabat. Sed mox aſtu intercepta a Damvilla [c] Aleſia eſt, [d] Gardoni amni, qui et Uticam alluit, impoſitum oppidum. Occiſi qui reſiſtere auſi ſunt: ceteri in arcem confugerunt, a vicino Uticenſi auxilia expectantes: verum Uticenſis, qui auxiliorum obſeſſis ſpem fecerat, Helvetiis ob non repraeſentata ſtipendia imperium detrectantibus, cum in tempore non adveniſſet, praeſidiariis omni re neceſſaria laborantibus neceſſitatem dedendi ſe impoſuit. Itaque arx Damvillae tradita eſt: quam ille cum diu poſtea tenuiſſet, tandem Joannes [e] Belloſortius Aleſiae vicecomes cum ipſo tranſegit, et permutationis titulo [f] Sergii fanum in Arvernis, ab [g] Auſtremonio Boiero homine vanitatis inſulſae olim Momorantio patri donatum, pro Aleſia accepit. Poſt Aleſiam captam, et [h] Puſini arx in Rhodani ripa a [i] Delfino paulo ante capta in ſociorum manus devenit, tradentibus praeſidiariis; qui praefectum ſtipendii interverſi incuſatum interfecerant. Mox et [k] Beſſum in Vivarienſi pago incuria praefecti neglectum a foederatis occupatum fuit, et munitiones circumpoſitae; quas, cum Uticenſis poſtea oppidum vi expugnaſſet, Proteſtantes tamen retinuerunt. Nec multo poſt a [l] Mealſio Annoniaci praefecto [m] Andaia capta, paucis ab hinc diebus a Lugdunenſibus recepta, capto ipſo Mealſio, et [n] Lugdunum ſub cuſtodia ducto.

XIII. DUM haec agerentur, foederis inter Catholicos, qui vulgo Male-contenti atque alio nomine Politici dicebantur, et Proteſtanteis, Damvillae vix tandem et aegre conſentientis auſpiciis, Unionis titulo initi leges perſcriptae ſunt, in conventu [o] Nemauſum indicto IV Eid. Februarias: quo novae reipublicae omnibus ſuis numeris abſolutae atque a reliquo regni corpore omnino ſeparatae forma, quantum ad religionem, juriſdictionem civilem, publicos magiſtratus, militiae diſciplinam, commercii libertatem, vectigalium impoſitionem, rei pecuniariae diſpenſationem, conſtituebatur: quod etſi tumultus Pariſienſis recens et horrenda memoria excuſabat, ejuſque rei culpam in pravos regis conſiliarios rem recte aeſtimantibus rejiciebat; peſſimo tamen exemplo et factum et publicatum tunc conſtat; nec proinde longior in ea explicanda ero; cum illam non ſolum tranquillitatis publicae, ſed ipſorum etiam, quibus foederis ſanciendi neceſſitatem publica calamitas impoſuit, perire interſit. Subſcripſere Damvilla Catholicorum, et [p] Paulinus vicecomes ac [q] Lomanius Terrida Proteſtantium nomine. Eodem tempore in Pictonibus poſt captum [r] Luſinianum Joannes [ſ] Haius, de quo ſaepius locuti ſumus, homo varius, et modo harum modo illarum partium, clandeſtinum et ipſe foedus contra Proteſtanteis icere voluit; cum ipſe, qui interim in armis erat, nunc ad Monpenſerium, nunc ad Lanovium crebro commearet, et vireis ſuas utrique parti oſtentans, gratiamque reginae, quam obſequio promereri non potuerat, metu ſui incuſſo adepturum ſe ſperans: qua re cum utriſque et ipſi reginae magis in dies ſuſpectus redderetur, tandem ex deſperatione ad extrema et ſuam conditionem excedentia conſilia poſtremo ipſi exitioſa devenit.

XIV. JAMQUE rex per [t] Matiſconem et inde per [u] Heduos in [w] Campaniam deſcendens [x] Durocortorum Rhemorum venerat, praemiſſo Ludovico [y] Berengario Gaſtio, qui in ejus gratia amoto Bellogardio aemulo principem locum tenebat, qui Lotharingiae ducem adiret, et de Aloiſiae nuptiis cum eo et Nic. [z] Valdemontio parente ageret. Miſſus et ſtatim [aa] Nancium Philippus [bb] Huraltus Cevernius, regis, antequam

INTERPR. [a] *Uſez.* [b] *St Ferreol.* [c] *Alais.* [d] *le Gardon.* [e] *de Beaufort, vicomte d'Alais.* [f] *S. Cierge en Auvergne.* [g] *Autremoine Bobier.* [h] *le Pouſin.* [i] *le Prince Dauphin d'Auvergne.* [k] *Bais ſur Bais, ou Bez en Vivarais.* [l] *la Meaulſe, gouverneur d'Annonay.* [m] *Andance.* [n] *Lyon.* [o] *Niſmes.* [p] *le vicomte de Paullin.* [q] *de Lomaigne, baron de Terride.* [r] *Luſignan.* [ſ] *la Haye.* [t] *Maſcon.* [u] *Bourgogne.* [w] *Champagne.* [x] *Reims.* [y] *Berenger du Gaſt.* [z] *le comte de Vaudemont.* [aa] *Nancy.* [bb] *Hurault de Chiverny.*

antequam regnum Franciae adeptus eſſet, cancellarius; cujus fidei multum tribuebat: eique negotium datum, ut pacta firmaret, et munus, hoc eſt, gemmas ingentis pretii ad futuram ſponſam perferret. Haud multo poſt Durocortori, quo interea Carolus Lotharingiae dux, Claudia regis ſoror et Caroli uxor, Valdemontius cum Aloiſia filia, Antonia Borbonia Lotharingorum parens paulo minor octogenaria, ac ceteri regni proceres undique convenerunt die XV Febr. quae carnis privium proxime anteceſſit, ſolemni ritu inauguratur, ſacra faciente Ludovico cardinali Guiſio: nam tum ſedes Caroli cardinalis fratris morte vacabat. In ceremoniis peragendis a curioſis obſervatum memini, nam et ipſe aderam, quod canticum [a] beatorum Ambroſii et Auguſtini, quod ad ſymphoniacorum modos recitari moris eſt, omiſſum fuit; augurio inde capto, non ſolidae ex inauguratione ad rempublicam futurae laetitiae. Poſtridie celebratae nuptiae. Totoque illo inaugurationis et nuptiarum biduo ſolemne ſacrum vix ſub veſpertinam horam peragi potuit, contra quam in eccleſia receptum eſt, rege in concinnandis gemmarum ordinibus et ſuae et uxoriae veſtis muliebriter occupato; et frementibus jam tum pleriſque, quod hoc ad religionis, cujus ille alioqui anxium ad ſuperſtitionem uſque ſtudium prae ſe ferebat, contemptum pertineret, et otio ac luxu diffluentis ingenii ſpecimen daret. Tum inter ludos et nuptialeis pompas affertur, [b] Divioduri Mediomatricum praeſidiarios et oppidanos parum a mutua pernicie abeſſe, quod illi, quibus multorum menſium ſtipendia debebantur, hoſpitibus graves ac poſtremo injurioſi, diutius ferri non poſſent. Id tamen ſumma ſecuritate in aula tranſactum, multum indignante Chriſtophoro Thuano ſenatus Pariſienſis primario praeſide, qui iſtic erat, et ex ſumptibus inutilibus ac ſuperfluis, qui in ludicra ſpectacula ſine modo quotidie fiebant, aliquid reſecari, quod in rem tam neceſſariam impenderetur, debere, magna et aſſidua contentione clamabat: qua re aulicis rempublicam privatis rebus ſuis, quas jam tum quiſque ſub ſoluto et profuſo principe ſectabatur, poſthabentibus, homo moris antiqui riſum movit; qui tamen poſtmodo in fletum, ſed ſero, vertit. CIƆIƆLXXV. HENRICUS III.

XV. INDE rex, poſtquam [c] Maclovii fanum et alia priſcae religionis loca luſtravit, Lutetiam Pariſiorum venit: quo paulo poſt a Condaeo venere delegati Joannes [d] Lafinius Bellovaſius, Gul. Douetus Arenius, Chelarius; a Damvilla [e] Clauſonius; [f] Aquitaniae provinciae nomine Fr. [g] Pontius Mirambellus, Beſſonius, Paludanus, Priſius et Rupellae praetor; qui omnes regis permiſſu [h] Baſileam ad Condaeum profecti fuerant, ut de conditionibus pacis cum eo communicatis conſiliis agerent. Ii igitur, acceptis a Condaeo mandatis, XIII Kal. Apr. Baſilea profecti, in aulam VIII Eid. Apr. venerunt; et a rege coram regina, Franciſco Alençonio, Henrico Navarrae rege, Carolo cardinali Borbonio, Monpenſerio, [i] Delfino, [k] Renato Birago cancellario, [l] Radeſiarum comite, qui nondum in Provinciam profectus fuerat, Joanne [m] Morvillerio, Paulo Foxio, Sebaſt. Albaſpineo Lemovicum epiſcopo, Huralto Cevernio, Pomponio Bellevreo et Renato Villaclaro quatriduo poſt auditi ſunt. Prolatis petitionibus, cum Arenius prolixa oratione Condaei ac ſociorum paratum ad omnia obſequium regi officioſe detuliſſet, tantumque, ut conſcientiarum libertati, ipſorum dignitati et publicae tranquillitati idonee caveretur, demiſſe petiiſſet, rex ad ea perbenigne reſpondit, et ſuam jam ab initio, ex quo regnum adiit, mentem fuiſſe teſtatus eſt, ut omnes apertis ulnis obvia humanitate complecteretur, et, modo ſibi non tantum lingua ſed re fidi eſſent, aequitatis ſuae beneficium cunctis ſuae ditioni ſubditis populis impertiretur. Tum in procoetona paulum concedere juſſos, poſtquam petitiones a Bernardo

Fiza

INTERPR. [a] *le Te Deum.* [b] *Mets.* [c] *S. Marcou.* [d] *de la Fin ſieur de Beauvoir la Nocle, Guil. Douet ſieur d'Arenes, & Duchelar.* [e] *de Clauſonne.* [f] *Guienne.* [g] *de Pons de Mirembeau, des Beſſens, des Mareſts, des Priſes, & le preſident de la Rochelle.* [h] *Baſle.* [i] *le prince Dauphin.* [k] *René de Biragus chancelier.* [l] *le mareſchal de Retz.* [m] *de Morvilliers, Paul de Foix, Seb. de l'Aubeſpine evêque de Limoges, Hurault de Chiverny, Pompone de Bellievre, & René de Villequier.*

CIƆIƆLXXV. HENRICUS III.

[a] Fiza uno ex quatuorviris ab epiſtolis recitatae ſunt, et multa in iis capita, quae ad religiooem ac liberam ejus profeſſionem, juriſdictionem promiſcuam, ad munera publica admiſſioocm, ac cauriooes alias ſpectabant, iniquiora viderentur, quam ut concedi poſſent, mox revocatos io conſiſtorium rex acerbe increpat, ac facta dictis non reſpondere dicit; et primum praecipue petitioonm caput exagitat, quo Proteſtanres petebant, liberam omnibus locis ubicunque toto regno ſine ulla exceptione, et ſpeciarim [b] Divioduri in Mediomatricibus, Viroduni, Tulli, in [c] Salucienſi principatu, [d] Dumbaribus et [e] Ambaris, etiam ad tintinnabuli pulſum conveniendi, Pſalmos vernaculos cantandi per tabernas, et in cuſtodiis publicis, ſacramenta ritu inrer eos recepto adminiſtrandi, mortuos media luce effereodi, conſiſtoria, colloquia ad diſciplioam cooſervandam, ac ſyoodos celebrandi facultatem. Quod cum excuſaſſet Arenius, tum concilio in diem ſequentem dilato, coram Joanne Morvillerio ac ceteris ſacri conſiſtorii ſenatoribus, nam Biragus cancellarius et Radeſiarum comes tanquam ſuſpecti a delegatis Coodaei et ſociorum nomine rejecti fuerant, primum illud caput et reliqua, quae numero xc erant, ooo citra altercationes et acreis contentiones agitata et excuſſa ſunt. Petebatur et a delegatis, ut de tumultus Pariſieoſis auctoribus et qui id conſilii regi defuncto reginaeque dediſſe comperirentur (nam illi a deteſtandi, ur aiebant, facti invidia, verbis renus eximebaotur) diligeoter anquireretur, io eoſque ſevero et in poſterum profuturo exemplo animadverteretur: quod non mediocriter aulicorum animos exacerbavit, et ab omni pacis ratione alienavit. Dum in eo ſunt, veoere a Quinquepagicis et ceteris Helvetiorum pagis legati regi nuper inaugurato fauſta regni auſpicia gratulaturi, qui et eum ad pacis conſilia multis rationibus hortati ſunt. Eliſabetha item Anglorum regina crebris literis et pet oratorem ſuom de pace regem interpellabat. Eodem officio et per legatos defunctus eſt Sabaudiae dux, recenti ob reſtitutum [f] Pinarolium et Savilianum beneficio obſtrictus; qui tamen mutante fortuna pariter quoque mutavit. Tandem, elapſis ioter altercationes xv amplius diebus, rex per Bernardum Fizam Proteſtantium delegatis ſignificat, velle ſe ipſorum petitionibus ſatisfacere aequis rationibus, ſed quas fidei ſuae committi cupiat; et ſatis iis eſſe debere, quod ita velle ſe declaret. Cum nihilominus illi urgerent, ut expreſſior egregiae regis voluntatis declaratio fieret, Fiza, charta explicata, ſtatuiſſe regem dicit, Proteſtantibus VIII urbes io [g] Septimania, VI io [h] Aquitania, in iis comprehenſis [i] Rupella et Montalbano, II in [k] Allobrogibus, publicae profeſſionis et ſecuritatis cauſa concedere; modo ceteras, quas nunc tenent, reſtituant eo ſtatu, quo ante ultimum bellum erant: IV item novos ſenatores ex Proteſtantiom numero creatos ad XVI jam conſtitutos judices adjicere, qui de cauſis ipſorum cognoſcant; [l] Monpelii item parem judicum numerum cooſtituere, facultate ipſis data, ut in quibuſcunque regni curiis quatuor conſiliarios rejicere poſſint, non expreſſis rejectionum cauſis. Cum ſcripto, quae ore Fizae recitata fuerant, ſibi tradi poſcerent delegati, ut inter ſe amplius deliberarent, id denegatum. Cum ea, quae propoſita meminerant, hujuſmodi eſſe dicerent, ut iis haudquaquam plene ſatisfieri Condaeo et foederaris poſſet, poſtridie alterum ſcriptum prolatum eſt; quo rex declarabat, velle ſe ac jubere, ut Proteſtantibus ubique locorum in regno libere et ſecure eſſe ac degere liceret; nulla vis ipſorum cooſcientiis afferri aut periculum creari ob religiooem poſſet, modo pacate ac modeſte juxta edictorum leges ſe contineant; libere conveniendi in omnibus locis, quae teneot, poteſtate facta, exceptis Monpelio, [m] Caſtris, Aquis-mortuis et Belloquadro: item ut idem juris ſit nobilibus, qui ſummum imperium in ſuis juriſdictionibus habent; qui vero tantum mediam vel infimam juriſdictionem habent, cum familia

INTERPR. [a] *de Fizes.* [b] *Mets, Verdun, & Toul.* [c] *marquiſat de Saluces.* [d] *Dombes.* [e] *le Barrois.* [f] *Pignerol & Savillan.* [g] *Languedoc.* [h] *Guienne.* [i] *la Rochelle & Montauban.* [k] *Dauphiné.* [l] *Montpellier.* [m] *Caſtres, Aigues-mortes, & Beaucaire.*

familia ſola convenire poſſint, modo id non intra urbes aut in urbium ſuburbiis, aut decem a Lutetia, duabuſve ab aula leucis. Cum ne ſic quidem delegatis ſatisfieret, amplius deliberandi et ad ſuos referendi tempus petentibus permiſſum, ut cum bona regis venia ad eos, a quibus miſſi fuerant, reverti poſſent. [a] Arenius et Bellovaſius in aula manere juſſi, ne colloquium prorſus abruptum aut pacis ſpes omnino praeciſa videretur. Haec medio Maio acta. Paulo poſt Eliſabetha Caroli uxor vidua, priſci moris vel in juvenili aetate foemina et tamen familiareis ſpiritus retinens, cum luxum aulae noſtrae pertaeſa Germanicos mores ſuos mallet, et defuncto viro in ordinem ſe cogi impatienter ferret, petito a rege commeatu in Germaniam ad Maximilianum patrem ſe contulit; relicto in Gallia, qui res ſuas procuraret, [b] Angerio Giſlenio Buſbequio, cujus jam ſaepe nec tamen ſatis pro merito dignam mentionem fecimus; qui toto vitae Eliſabethae tempore in Gallia manſit, et poſt mortem ejus ſive loci commoditate ſive ingeniorum amoenitate captus comparatis apud nos praediis larem fixit, donec his calamitoſis ultimis temporibus, cum novam patriam deſerere cogeretur, eum aegre ſe itineri accingentem mors oppreſſit. Filiam et bimulam Eliſabetha diſcedens reliquerat, quae aliquanto poſt deceſſit: et donationis propter nuptias, quae ampliſſima ei in [c] Boiis et Seguſianis attributa erat, adminiſtrationem Petro Gondio Pariſienſium epiſcopo, (hoc memoriae mariti, qui eam familiam in immenſum evexit, datum) et aliis viris probitatis perſpectae commiſerat; quibus et hoc inſuper mandatum, ut munera publica, ac eorum in primis, qui jus dicunt, viris idoneis, de quorum integritate ipſis conſtaret, nullo accepto pretio attribuerent: quod et religioſe ab ipſis obſervatum eſt, laudando potius quam imitando nobis exemplo, apud quos per aulicorum avaritiam peſſimo more invaluit, ut hujuſmodi res nunc paſſim turpiſſima nundinatione proſtent. Interea res in Aquitania minime quietae erant. Nam eodem tempore Henrico [d] Turrio Turenae regulo Helionorae ſororis Damvillae filio ad Proteſtantium partes deficiente, [e] Veſuna Petrocoriorum ad Inſulam, id amni nomen, ſita, et in [f] Lemovicibus [g] Brivatae et Uzarchium aſtu intercepta ſunt. Veſunae res geſta a Monferrando [h] Langorano, qui [i] Bergeraco cum delectis profectus exeunte Junio, deſtinatos ad id ruſticorum habitu milites nundinarum die per conſcios in urbem introducit: tum, occupata porta, ſocii, qui ad ſignum convenerant, intra urbem accipiuntur, et obviis reſiſtere auſis fere trucidatis urbem capiunt, ac crudeliter diripiunt, templis expilatis et ſacerdotibus male mulctatis.

CIƆIƆLXXV.
Henricus III.

XVI. In [k] Pictonibus et Joannes [l] Haius, qui paulo ante literas a rege impetraverat, quibus praeteritorum gratia ei fiebat, ad nova conſilia animum adjecit; et de intercipiendis eodem tempore [m] Pictavio, Fontenaio et Parthenaeo conſilium ſecretum inivit. Sic autem res compoſita erat. Milites peregrinantium ob religionem habitu Pictavium introduci, et die paſſionis Dominicae, dum concio ad Dominicanorum haberetur, principium tumultus per illos et conſcios in urbe fieri, et Catholicos in Proteſtantium perniciem concitari placuerat: dumque plebs ad praedam diſcurreret, urbis porta interim capta, ſocii admitti debebant, qui e veſtigio arcem occuparent; quod facile erat, plebe direptionibus intenta. Fontenaium vero per cellas ſubterraneas, quae occulto et manu facto meatu ad foſſam urbis pertingebant, milites immitti debebant; qui confeſtim adjuti a conſciis contubernalibus, qui ex praeſidiariis erant, praeſidiarios ſocios obtruncarent, et locum in poteſtatem redigerent. Sed, re forte detecta, conatus fruſtra fuere. Fontenaii aliquot capti, cum rem confeſſi eſſent, triduo

INTERPR. [a] *les ſieurs d'Arenes, & de Beauvoir la Nocle.* [b] *Auger de Ghiſlin, ſieur de Busbecq.* [c] *le Bourbonnois & le Forez.* [d] *de la Tour, vicomte de Turenne.* [e] *Perigueux ſur l'iſle.* [f] *le Limouſin.* [g] *Brive la Gaillarde & Uſerche.* [h] *le baron de Langoiran.* [i] *Bergerac.* [k] *Poictou.* [l] *la Haye.* [m] *Poictiers, Fontenaye-le-comte, & Parthenay.*

CIↃIↃLXXV.
HENRICUS III.

triduo poſt extremo ſupplicio affecti ſunt. Nec propterea Haius animum deſpondit, aut conſilia priſtina omiſit: ſed primo datis ad Joannem [a] Gracchum Boſſeguinium Pictavii, et Philippum [b] Caſtrobriandum Rupibaritonium Fontenaii praefectos, et provinciae ipſius praeſidem [c] Vidum Dallonium Ludae comitem literis ſe purgat; et inimicorum calumniis factum dicit, ut ob falſas criminationes male apud ipſos audiat, cum praeteritorum benefactorum memoria contra recentium injuriarum ſenſum praevalere debeat. Itaque eos rogat, ne inimicis in ſuum praejudicium fidem tribuant, ſed bene de ſe tanquam de fido regis miniſtro et cive erga communem patriam egregie affecto ſentiant. Inde, nulla mora interjecta, fide ab amicis accepta, fraudi minime futurum, ſi ad regem veniret, in aulam evolat: et, a regina de criminibus objectis in ſecreto interrogatus, de Pictavio a ſe tentato fatetur, conſilio de Fontenaio intercipiendo in alium rejecto. Sic autem factum excuſabat: ea ſe mente Pictavium tentaſſe, ut magiſtratus in urbe Proteſtantibus faventeis in ordinem cogeret, re tamen ita in ſpeciem compoſita, quaſi a rege alienus Proteſtantium gratiam et ex ea familiaritatem ſibi conciliaret; cujus beneficio tractu temporis Rupellae eadem conſilia agitare, et urbem poſtremo in poteſtatem redigere poſſet: quae etſi ejuſmodi erant, ut ab aequis et prudentibus rerum aeſtimatoribus merito tanquam pernicioſa et abſurda rejici deberent, tamen apud vaſti ingenii foeminam tantum valuerunt, ut illa, quantumvis de hominis fide dubitaret, tamen eum tanquam idoneum et dignum turbidis et impotentibus ſuis conſiliis miniſtrum exiſtimaret. Itaque Haius a regina, quem in ſecreto multis promiſſis oneraverat, honorifice remiſſus ad conſilia antiqua revolvitur: et gratia ſibi a rege facta fretus eamque verbis in majus augens, hinc terrore inimicis injecto, inde ſuis fiducia data, quaſi quae ageret occulto regis juſſu faceret, rurſus Pictavium tentat; ad quod praeter innatam ambitionem ultionis privatae deſiderio incendebatur. Igitur carros certo numero ſtramine onuſtos in urbem introducere, et in plateis ac firmioribus locis diſponere decreverat, in quibus ſcloppetarii et haſtati laterent: eos ſubſequi CC delecti et ad [d] S. Saturnini ſuburbium ſubſiſtere debebant, per portam [e] Sancyprianam tunc forte, ponte [f] Joberti rupto, apertam ingreſſuri; et, ne porta ad tumultum occluderetur, convenerat, ut duo carri ſub raſtro ruptis axibus deſtituerentur; tum ſigno dato VI in urbe conſcii diverſis et longe diſſitis regionibus ignem in domos, materia et luto acerato conſtructas, eoque citius incendium concepturas, immittere juſſi; ad quod reſtinguendum diſcurrente et occupata plebe, interea delecti, qui in carris ac ſuburbio latebant, cum conſciis in urbe conjuncti in armis comparentes disjectis obviis rem conficerent. In conſilii ſecretum [g] Baſtardinus veteranae legionis Timoleonis Coſſaei primarius centurio admiſſus fuerat, fidemque et operam obſtrinxerat; ac direptionis periculum veritus amicum quendam praepoſtera humanitate monuerat, ut, ſi quid pretioſae ſupellectilis domi haberet, eam caute occuleret. Verum amicus ille non parem gratiam Baſtardino reddidit; qui, ex ea occaſione poſt crebras obteſtationes ſecretum ab ipſo expiſcatus, patriae periculo hominis ſalutem poſthabuit. Nam, per eum re ad magiſtratum delata, ſtatim capitur Baſtardinus; qui, poſtquam conſilii ordinem expoſuit, ſeque a Joanne Haio ad id ſubornatum confeſſus eſt, merito ſupplicio deteſtandae conjurationis poenas luit. Tum in Haium abſentem tanquam perduellionis reum ſententia lata XVII Kal. Sextil. qua tamen nihil ille territus, ſive affectata innocentia ſive ut inimicorum contemptum prae ſe ferret, non ſe [h] Begauderia, quod erat privatum praedium leucam a Pictavio tantum diſſitum, nulla foſſa aut turribus munitum, moliri voluit; quanquam ab amicis, quos in urbe non paucos habebat, crebro moneretur, ut ſibi

ſuga

INTERPR. [a] *le Jay Boiſſeguin.* [b] *de Chateau-Briand, ſieur des Roches Baritaut.* [c] *Guy de Daillon, comte du Lude.* [d] *fauxbourg S. Sornin.* [e] *porte de S. Cyprien.* [f] *Pont Joubert.* [g] *le capitaine Baſtardin, ſergent-maior du regiment des vieilles bandes de feu Briſſac Coſsé.* [h] *maiſon de la Begaudiere.*

ſuga conſuleret. Erat in urbe Joſephus [a] Doincllus Sanſolinius, quicum illi capitales inimicitiae intercedebant; qui omnia ſumma faciens, ut oppidanos ad illum invadendum accenderet, cum nihil proficere ſe doleret, aliis metu, aliis anxietate, ne quid contra eum auderent, retardatis, quippe qui crederent, quae [b] Haius faceret, non omnino ignaris rege et regina facere, tandem ad reginam ſcribit, et, ſi urbem ſalvam cupiat, periculum ei imminens non alia ratione quam Haii pernicie depelli poſſe oſtendit: quod ut fiat, opus eſſe, ut aliquem fidum regis nomine mittat, qui ſcrupulum animis multorum inhaerentem praeſentia ſua eximat: nam artificioſa Haii audacia perſuaſos pleroſque credere, ſecreta illum a rege et ipſa habere mandata. Itaque miſſus [c] Burrichius homo ſtrenuus, nec rebus gerendis impar, qui olim Briſſaco bellis [d] Subalpinis militaverat, et tunc hoſpitii regii diſpenſator erat. Is cum literas fiduciarias ad [e] Boſſeguinium majorem urbis, et aedileis attuliſſet, re cum iis communicata, ſummo ſilentio Sanſolinius aſſumptis CCC et LX equitibus noctu profectus Begauderiam cingit; ubi Haius, ſero errorem in quem temeraria ſua contumacia ſe induerat agnoſcens, tamen ut erat omnis contumeliae impatiens, periculum injuriae ab inimicis accipiendae ſumma animi praeſentia diſcuſſit, expoſito ad ictus generoſe corpore, ne vivus in ipſorum manus deveniret. Interſecto Haio et direpta domo, corpus ejus Pictavium relatum eſt, quod mox ad ſupplicium productum fuit; et, corpore ſecto juxta ſententiam, caput ante S. Cypriani portam ſuſpenſum, cetera membra aliis locis extra urbem patibulo affixa ſunt. Interea, cum Germani equites, quos poſt captum initio anni Luſinianum Monpenſerius e provincia decedens Joanni [f] Scarſio Valliguidonio et Lud. [g] Genulliaco Valliaco attribuerat, in Santones deſcendiſſent, in magnas anguſtias res Proteſtantium redactae, intercluſo urbium et oppidorum quae illi tenebant commercio. Inter [h] Pontium et Rupellam caſtrum eſt ſitu firmum, cui fano [i] Joannis in Angulo nomen, quod Philippus [k] Voluitius Ruffecus paulo ante in poteſtatem redegerat, ex eoque continuis excurſionibus vicinas regiones infeſtabat. Id metu potius deſertum, quam vi captum eſt; ſparſo rumore, quaſi [l] Lanovius impoſitis in naveis [m] Broagii machinis illo ducturus eſſet, et capto loco nulli ex praeſidiariis gratiam facturus: quod is, qui arci a Ruffeco impoſitus fuerat, conſcientia tot licenter contra belli leges a militibus ſuis patratorum territus, facile ſibi ab exploratoribus deceptus perſuaſit, et ita citra certamen vacuum locum deſeruit. Quo ſucceſſu confirmatus Lanovius jam copias educere ſtatuit, Pontiumque profectus IↃCCC pedites et CC equites recenſuit, atque inde, praemiſſo [n] Ladiſlao Vicino Popelinerio, ſe in armis oſtentare coepit. [o] Tonaeum ad Botonam non muro ſed foſſa firmum municipium, ingruente vehementi imbre cum excubiae dilapſae eſſent, a Popelinerio interceptum eſt, et ſtatim metu regiorum relictum. Jamque res in eo erant, ut hinc inde inimicis copiis incedentibus de certamine cogitaretur, cum rex, ſumptuum inutilium et vaſtationum, quae ab externis copiis illis locis fiebant, pertaeſus, Germanos revocat, et poſtea omnino dimittit.

XVII. SUB id fere tempus delegati de pace ad regem miſſi Rupellam reverſi ſunt: quibus coacto ad B. [p] Ivonis concilio auditis, et mandatis quae a rege habebant expoſitis, magna animorum ſciſſura facta eſt; cum alii ad quietis conſilia inclinarent et quamvis pacem vel juſtiſſimo bello praeferendam ducerent; alii, et eorum major erat numerus, diſſentiebant, et pacem quidem expetendam fatebantur, quae nihil inſidiarum haberet: nam quid aliud agi his non pacis actionibus ſed potius ludificationibus, niſi ut ipſi ex eo ſecurius degentes, omiſſis belli neceſſarii conſiliis, inopinati opprimantur?

INTERPR. [a] *Doineau, ſieur de Ste Souline.* [b] *la Haye.* [c] *Bourricq.* [d] *guerre de Piedmont.* [e] *Boiſſeguin.* [f] *d'Eſcars, ſieur de la Vauguyon.* [g] *de Genouillac, ſieur de Vaillac.* [h] *Pons & la Rochelle.* [i] *S. Jean de l'Angle.* [k] *de Voluire, ſieur de Ruffec.* [l] *de la Noue.* [m] *Brouage.* [n] *Lancelot Voiſin, ſieur de la Popeliniere.* [o] *Tonnay-Boutanne.* [p] *St Ivon.*

opprimantur? id jam ſaepius ſuo periculo expertos; et, regem male perſuaſum a paeis conſiliis alienum eſſe, ex eo manifeſtum fieri, quod in regni limine bellum malle ſe quam ignominioſam pacem, ſicuti praeclari illi conſiliarii ſui loquuntur, non verbis ſed re teſtatus ſit: nam edicta Lugduni ſuperiore anno promulgata eo pertinuiſſe, et miſſos mox in [a] Allobroges et Septimaniam exercitus, ipſamque Avenionis profectionem ſatis declarare, quid ejus voluntatis fuerit: itaque potius eſſe, ut ſemel ſumpta arma non prius deponant, quam non tantum ſpecioſis ad praeſens conſiliis ſed etiam in poſterum tutis ſibi idonee caverint; alioqui ſibi merito etiam cum dedecore olim exprobratum iri, quod toties icti non ſapiant, totieſque decepti nihilominus ſe eadem credulitate decipi patiantur. Diſſidentibus in urbe ſententiis, commodum ſupervenit Franciſcus Lanovius cum Renato [b] Roano Frontenaeo; qui, laudata in conſeſſu publico regis ad pacem inclinantis voluntate, et quieta conſilia turbidis ſe anteponere praefatus, Rupellanos monuit, ut in eo negotio nihil praecipitarent; nam, toties violatis edictis, opus eſſe, ut idonee in poſterum Proteſtantibus caveretur: ſe quidem antea perhumanis regis literis in aulam evocatum, tamen excuſaſſe, quod alieno tempore provinciam rectore vacuam relinquere ſibi religio eſſet: cum vero totum hoc negotium ad univerſos et ſingulos pertineat, e re videri, ut nihil ſeorſim agant, ſed cum omnium provinciarum delegatis in commune conſulant, neque cauſam ſuam ab aliorum rebus ſeparent: interim de pace ſobrie loquantur, ne nimio pacis ſtudio in belli, ex quo extricare ſe poſtea nequeant, neceſſitatem imprudenter induant. Ita compreſſi in praeſens animorum aeſtus; et ex eo jam manifeſta inter idem alioqui ſentienteis ſtudiorum diſſidia. Fama tamen de iis in aulam perlata, miſſus ex reginae conſilio Renatus [c] Tornamina Hunaldaeus Armoricae regulus, qui egregiae erga ipſos regis voluntatis ſpeciatim fidem faceret, peteretque, ut illi conditiones ſeorſim a ſociis atque adeo ab iis, qui non religionis ſed rerum ſuarum cauſa arma ſumpſiſſent, acciperent, et ceteris exemplo ſuo ad quietem amplectendam praeirent. Hunaldaeo a Rupellanis reſponſum; gratias regi quas poſſint habere, qui tantae dignitatis virum ad ſe miſerit, nec mediocri beneficio ſe ipſi obnoxios fateri, cujus et ſemper antea propenſam voluntatem experti ſint, et nunc benevolentiam eximiam ſentiant: ceterum in communi cauſa non poſſe ſe ſeorſim a ſociis in ullas conditiones conſentire; ſed omni ratione et officio enixuros, ut rex intelligat, non in ingratos collatam ab ipſo gratiam fuiſſe; ſeque non tantum ejus imperiis obſequi paratos, verum etiam, ut alii idem praeſtent, conſilio, hortatibus et exemplo effecturos. Ita dimiſſus Hunaldaeus. Ipſi vero, ad rem conficiendam petito ſpatio, delegatos ad Damvillam mittunt, qui XVII Kal. Quintil. in [d] Septimaniam profecti ſunt. Dum Hunaldaeus adhuc Rupellae eſſet, Lanovius [e] Niortium aſtu tentat, ſed irrito ſucceſſu, relictis etiam ſcalis, quas jam moenibus admoverat: quod non mediocriter Hunaldaeum commovit, qui inter pacis colloquia conatus hujuſmodi ut ſumme pernicioſos damnabat: tamen ante diſceſſum ejus injecta de trimeſtribus induciis mentio, quae in [f] Santonibus, Engoliſmenſi agro et Pictonibus locum haberent. Id occaſione factum [g] Benoniae Tremolliorum arcis IV a Rupella leucis ſemidirutae, ſed pro tempore a noſtris munitae; quam [h] Perrerius cum L praeſidiariis tenebat, et inde continuis excurſionibus infeſtum iter et commeatum Rupellanis reddebat. Eo, cum de induciis convenire non poſſet, Lanovius ducit, praemiſſo [i] Popelinerio cum L praeſidiariis: captoque ſuburbio et II machinis admotis, cum munitiones terra exſtructas dejeciſſet, Perrerius vitam et res ſalvas ſibi et ſuis pactus locum dedere coactus eſt; cui [k] Menius cum praeſidio impoſitus. Verum is cum abeſſet, corruptis aliquot militibus

et

INRTERPR. [a] *Dauphiné & Languedoc.* [b] *de Rohan, baron de Frontenay.* [c] *de Tournemine, ſieur de la Hunauldaie, ſeigneur Breton.* [d] *Languedoc.* [e] *Niort.* [f] *la Saintonge, l'Angoulmois & le Poictou.* [g] *Benon, chateau des ſieurs de la Tremoille.* [h] *la Perriere.* [i] *la Popeliniere.* [k] *le capitaine Meſny.*

et introducto [a] Bruerio Maranii praefecto, reliqui reſiſtere auſi trucidati ſunt; et ita CIƆIƆLXXV.
Menio excluſo Rupellani commoditate ex eo parta haud diu frui potuere. Eodem HENRICUS III.
tempore longe hinc in extrema [b] Neuſtria [c] Michaëlis fanum, quod vulgo in [d] Periculo maris dicitur, ut ab eo diſtinguatur, quod in [e] Eremo appellatur, Rupellae vicino, a [f] Toceto ex nobilitate vicina tentatum ac paene captum fuit, introductis in oppidum et ex oppido in arcem, in qua coenobium eſt, ſpecie peregrinantium religionis cauſa, militibus; occiſoque ſacerdote, qui ſacrum coram iis peregerat, et capto [g] Percontaldo arcis praefecto, cum in eo eſſent, ut auxiliareis majore numero acciperent, intercluſi, pars intra arcem, pars intra ſubjectum municipium, ſuperveniente [h] Vico Matignoni legato ſe poſtremo dedere coacti ſunt, vitam et res ſalvas pacti. Jamque Matignonus ad rei famam [i] Abrincas venerat; ubi, cognito locum fuiſſe receptum, ſubſtitit, et captos ex Tocetianis aliquot in furcam agi juſſit.

XVIII. JAMQUE Vidus [k] Dallonius Ludae comes et Pictonum ſub Navarro Aquitaniae praeſide praefectus copias undique contraxerat, ut, Proteſtantibus in munitiones, quas tenebant, compulſis, meſſem colligi et quae colligi non poſſet corrumpi curaret, vindemiam interciperet, et ſalinarum, quae ampliſſimae illis locis ſunt, uſum prohiberet, penuriaque commeatus rebellanteis urbes ad deditionem compelleret. Erant penes eum VII equitum turmae et XXII peditum ſigna: quibus fretus Carolo [l] Roaldo Landereo duci ſtrenuo negotium dat, ut conſilium de [m] Retenſi inſula occupanda repeteret, neque occaſionem, quae ſe tunc in manus dabat, elabi ſineret. Conſilium Landerei erat, de quo et ipſe antea cum rege in aulam profectus egerat, non ſolum Retenſem inſulam Rupellae oppoſitam, ſed etiam [n] Oleronenſem, quae [o] Alvertenſi proxima eſt, juris ſui facere; iiſque captis, [p] Broagium, quod eſt veluti ſalinarum emporium et arx, in poteſtatem redigere. Igitur contractis inde ex [q] Armorica vicina inde e [r] Burdigala et Baiona navibus et [s] Polinii Gardae triremibus, Rupellae portum inſidere, et oppidanorum naveis armatas toto illo mari volitanteis, quae fere ſingulae ad praedas excurrebant, ſingulas carpere: quo ſucceſſu non ſolum urbem, ſed res Proteſtantium in arctiſſimas anguſtias devocabat. Multa eum ad ſuſcipiendam expeditionem invitabant: ſolitudo toto illo tractu, nec bene convenientes inter ſe duces. Nam Lanovius paulo ante copias dimiſerat, et [t] Veſunam Petrocoriorum nuper a [u] Langorano interceptam profectus fuerat, ut res in illis locis paulum confuſas ordinaret. Cumque per ejus abſentiam [w] Roanus Broagium, cui metuebat, veniſſet, et Ludovicum [x] Sangelaſium cum ſigno peditum praepoſuiſſet, [y] Cimenderio, quem Franciſcus [z] Pontius Mirambellus loci dominus impoſuerat, ejecto, oppidani ſive onus praeſidii ſive novi praefecti imperium gravati Jo. [aa] Pontium Plaſſacum Mirambelli fratrem virum ſtrenuum ingentis animi evocant; qui ſubito illuc cum delectis viribus advolat, ſub id fere tempus, quo Sangelaſius copias luſtrabat: qui inopinato Plaſſaci adventu conjectans quod erat, ſtatim munitionem exiguo muro ab oppido ſeparatam occupat: quo cognito, Plaſſacus oppidanos et Cimenderii copias ſecum conſentienreis in aciem inſtruxit, et contra munitionem ducit; parumque res a mutua pernicie abfuere, interventu communium amicorum vix tandem compoſitae: nec tamen ſine occulto injuriae ſenſu Sangelaſii: nam praeſidium ab eo impoſitum inde eductum eſt, et munitio diruto muro oppido conjuncta eſt. Ille vero Rupellam ſtatim ad Roanum profectus, cum de injuria expoſtularet, et vereretur Roanus, ne

INTERPR. [a] *des Bruieres, gouverneur de Marans.* [b] *Normandie.* [c] *Mont S. Michel.* [d] *S. Michel au peril de la mer.* [e] *S. Michel en l'Herm.* [f] *du Touchet.* [g] *de Percontaut.* [h] *Vic.* [i] *Avranches.* [k] *de Daillon, comte du Lude, lieutenant general de Poictou ſous le roy de Navarre, gouverneur de Guienne.* [l] *de Roubaut, ſieur du Landereau.* [m] *iſle de Ré.* [n] *Oleron.* [o] *Alvert.* [p] *Brouage.* [q] *Bretagne.* [r] *Bourdeaux & Bayone.* [s] *le baron de la Garde,* dit *le capitaine Polin.* [t] *Perigueux.* [u] *le baron de Langoiran.* [w] *de Rohan.* [x] *de S. Gelais.* [y] *Cimendiere.* [z] *Pons de Mirembeau.* [aa] *Pons de Plaſſac.*

CIƆIƆLXXV. HENRICUS III.

ne ex rixa inter viros ex primaria nobilitate res Proteſtantium ſcinderentur, Plaſſaco auctor fuit, ut Sangelaſio honeſtis verbis ſatisfaceret: quod et ille ſine dedecoris laeſura fecit; et, ut neuter eorum facto illo in alterius praejudicium quidquam ſibi arrogare poſſet, locus in Veraci tanquam ſequeſtri manus a [a] Roano conſignatus eſt. Id actum IV Non. Sept. Ex iis diſſidiis et [b] Lanovii abſentia occaſione captata, [c] Landereus, non expectatis Polinii triremibus, ad arenas [d] Olonenſeis cum XL circiter ex nobilitate et CCC delectis ex [e] Sarrii legione ſcloppetariis, II naveis et XX circiter minora navigia armata ſummo ſilentio conſcendit; et poſtridie mane in [f] Retae conſpectum venit, trepidis ad inopinatum ejus adventum inſulanis. Reta a continenti unius, a Rupella duarum leucarum ſpatio diſſita, per V in longum exporrigitur; leucam et ſeſqui, qua latior; aliis locis multo minor; ſalis et vini abundans et aliarum rerum ad vitam neceſſariarum: portum et ſtationes tutas habet qua parte ſeptentrionem ſpectat; ad meridiem, qua [g] mari inhoſpitali alluitur, penitus inaceeſſa; populo ob commercium et vicis frequens, ſub praefectura Rupellae comprehenſa; a qua et ultimis bellis ſemper praefectos accepit; quos, et inter eos Mongomerium, peroſi indigenae jam res per ſe adminiſtrabant; de cetero Proteſtantium doctrinae addicti, ob idque ſemper Rupellanorum fortunam ſecuti. Inſula ad [h] S. Michaëlis coenobium pertinet; unde coenobium ipſum Retenſe etiam cognominatur. Landereus ad [i] Loxiam et Portas, ea vicorum nomina, IV Non. Sept. exeenſionem fecit; et III leucas progreſſus ad [k] Martini-fanum primarium et maxime populoſum tota inſula municipium venit ſub meridiem, ſuis de via feſſis; ubi poſt aliquod certamen, cum initio municipes animoſe ſe defenderent, tamen, XL loricatis et XXX clypeatis incumbentibus, territi ſuorum ſtrage, ad extremum ceſſere, et huc illuc dilapſi ſunt: pars navigiis ad id paratis ſumma celeritate conſcenſis vento ſecundo uſi Rupellam nuncium triſtem pertulere. Penes Roanum tunc per Lanovii abſentiam ſumma rerum erat; qui, convocato concilio, quid facto opus eſſet, in commune conſultat. Univerſis tam vicinam urbi peſtem quavis ratione depellere certis placuit, ut quamprimum eo, antequam regii ſe in inſula munire poſſent, duceretur: delectuſque populi ſuffragiis Ladiſlaus [l] Vicinius Popelinerius Charronio [m] Caſtello a Lanovio ad Maranenſium excurſiones fraenandas impoſitus; quod ſumma virtute cum huc uſque defendiſſet, ſtatim poſt ejus diſceſſum a noſtris incenſum et funditus deſtructum eſt. Is cum delecta manu ex cunctis cohortibus ſelecta confeſtim ſolvit, et ad [n] Sanblanceum Rupellae objectum portum vela dimittit; quem annis ſuperioribus a [o] Polinio muniri coeptum denuo firmavit: tum, diviſis copiis, quarum partem in navigiis reliquit, partem ſibi ſumpſit, recta ad Landereum ducit. Sed cum jam nox inſtaret, et pleriſque [p] Fromentetium a Roano brevi venturum exſpectari placeret, aliquot horae reficiendo interea militi extractae. Demum media jam nocte Martini-fanum verſus promotae copiae; ita inſtructa acie, ut in fronte tribuni, legati et ſigniferi cum delectis ſtarent; quos duae volonum manus praecederent, qui bipartito agmine a fronte et a tergo praeſidiarios, diſtrictis eorum viribus, aggrederentur. Tum ordo compoſitus; ut gradu accelerato ſilentium ſervarent, et dictis ducum audientes a direptionibus niſi poſt partam victoriam abſtinerent. Eodemque tempore, cum volones a fronte et a tergo, ubi [q] Carbillacus e nobilitate Armoricana homo ſtrenuus pugnabat, vim feciſſent, dejectis primum ſtationibus ad plateam, et Carbillacus, qui a tergo venerat, quique primam aciem ducebat, ſe conjunxiſſent, praeſidiarii huc illuc diffugientes poſtremo ſe ad munitionem in portu et molatrinam vicinam recipiunt; ubi a victore

expugnati

INTERPR. [a] *le vicomte de Rohan.* [b] *de la Nouë.* [c] *le ſieur du Landereau.* [d] *les Sables d'Olonne.* [e] *Sarrieu.* [f] *iſle de Ré.* [g] *Mer Sauvage.* [h] *S. Michel en l'Herm.* [i] *à Loix & aux Portes.* [k] *S. Martin de Ré.* [l] *Voſin de la Popeliniere.* [m] *Charron.* [n] *de Sanblanceau.* [o] *le baron de la Garde.* [p] *Fromentiniere.* [q] *Carbillac, Breton.*

expugnati partim caeſi ſunt, partim mari proximo hauſti petierunt: qui navigia con- CIƆIƆLXXV.
ſcendere potuerunt, praegravante pondere plerique merſi; pleraque etiam navigia HENRICUS III.
nautarum culpa, quod non bene ſaburrata eſſent, in illo tumultu depreſſa ſunt. Deſiderati ex regiis et inſulanis, qui eos ſequebantur, CCC: capti aliquot duces. Landereus, qui in portu hoſpitium habebat, conſcenſo ſtatim navigio cum paucis in [a] Pictones evaſit, infelicem expeditionis Monpenſerio et regi tam magnifice venditatae exitum moerens. Dein ad praedas verſus miles; et Catholici in inſula male mulctati, quorum conſilio et ductu factum dicebant Proteſtantes, ut Landereus eam expeditionem ſuſcepiſſet: itaque eorum bona deſcripta et in cauſae ſumptus Rupellani magiſtratus auctoritate divendita ſunt. Ita capta, et intra XXIV horarum ſpatium recepta inſula; cui Fromenterius cum praeſidio impoſitus. Sub id Lanovius ex [b] Petracoriis, adducta ſecum peditum et equitum manu, Rupellam redit; qui, ne ulterius in Catholicos ob recentis caſus memoriam ſaeviretur, qua erat animi moderatione, inhibuit.

XIX. PAULO ante [c] Bemius ex Hiſpania rediens, quo cum Henricus Lotharingus Guiſius poſt Caroli cardinalis patrui mortem, ſpecie equorum emendorum, ut vero aemuli aiebant, quo conſilia antiqua atque adeo ſecretum patrui foedus cum Philippo renovaret, miſerat, juxta [d] Botavillam in Engoliſmenſi agro haud longe a [e] Jarnacio captus fuerat. Hic ille eſt, qui Colinium in tumultu Pariſienſi interfecerat; ob idque cum ſe maxime inviſum Proteſtantibus ſciret, grandi et ſupra conditionem, atque adeo ipſorum, qui illum ceperant, votum, aere promiſſo vitam redimere voluerat; facta etiam initio ſpe, ut, ſi ſibi vitae gratia fieret, daret operam, ut Monbrunius, qui ſub tempus illud, licet bello captus a regiis ad ſupplicium deſtinabatur, incolumis dimitteretur. Verum praeſidiarii nullas conditiones acceperunt; et tamen, ut aliquod ex eo pretium exigerent, Rupellanos ſolicitant, ut depenſis CIↃ aureis captivum acciperent, et eum merito ſupplicio ob deteſtandam, ut aiebant, Colinii necem afficerent: verum illi exemplum veriti et a Lanovio moniti ſe excuſarunt. [f] Bretovilla, qui Botavillae praeerat, cum nec, ut pretio a Guiſio accepto Bemius impune dimitteretur, pati poſſet, et, ſi quidem ſupplicio afficeretur, exemplum ac talionem vereretur, mediam rationem iniit; et militem ſubornat, qui Bemio perſuadet, ut fugam capeſſat, operam ad id ſuam pollicitus. Cum igitur ambo noctu ex compoſito aufugiſſent, paulum progreſſi in inſidias a Bretovilla paratas praecipitant, ubi Bemius multis pugionum ictibus confoditur; ita utcunque de Colinii percuſſore, quae publice non poterat, in occulto ultione ſumpta. Nec multo poſt Rupellanorum naves magna praeda onuſtae appulerunt, capta ad Caſſiteridas ſive Aſoras inſulas poſt longum et utrinque cruentum certamen Luſitana nave, in qua CIↃ auri infecti pondo fuiſſe nonnulli ſcripſere.

XX. NEC res interea in Provincia et Allobrogibus quietiores erant. Siquidem [g] Maſſiliae tumultuatum fuit ob telonium nuper inſtitutum a Ludovico [h] Digiaceto patritio Florentino, qui foedere inter principes Chriſtianos contra Turcum ſtante commercium orientis ad Gallos transferre ſatagebat. Tunc igitur ſoluto foedere oppidani, qui ex [i] Corſis et Liguribus et externis fere conſtant, conſulum juſſu facto impetu ad aedeis publicas convenerunt, commentaria publicanorum diripiunt, pondera ac menſuras confractas in mare abjiciunt, ac telonii aedeis diligenter obſerant, et cuſtodias ad portas urbis ſtatuunt. Eadem licentia aliis in [k] Provincia locis oppidani plerique uſi in coactores regios, qui vix latebris ſaluti conſuluerunt. Urbium exemplo et nobilitas factionibus ſciſſa longe periculoſiores motus excitavit. Ponteveſius [l] Carſii comes, illa regione potens et Proteſtantibus maxime infeſtus, a Joanne [m] Garda

Vinelo

INTERPR. [a] *Poictou.* [b] *Perigort.* [c] *Beſme.* [d] *Bouteville en Angoumois.* [e] *Jarnac.* [f] *Berteville.* [g] *Marſeille.* [h] *du Diacete.* [i] *Corſes & Genois.* [k] *Provence.* [l] *de Pontevez, comte de Carces.* [m] *la Garde, ſieur de Vins.*

CIↃIↃLXXV. Vincio ſororis filio elati ſupra fortunam animi homine incitatus, eo colore privatas
HENRICUS III. ultiones exercebat: cui ſe contraria factio aemulorum oppoſuit, qui aut quod barbam raderent, cum illi eandem promitterent, ſive ut eo nomine oppreſſionem inimicorum denotarent, [a] Raſi vulgo indigitabantur. Iis propter cauſae conjunctionem ſe miſcuerunt Proteſtantes: quorum praecipui ex nobilitate duces erant in Provincia [b] Alemanii regulus, [c] Oraſonus, [1] et qui Srablonum, [d] Lormarinum, Regium et Senam praeſidio tenebant, quam et diu poſtea tenuerunt; amiſſis interim Regio et Lormarino. Maſſilienſis motus dein per delegatos a rege miſſos compoſitus; atque ab eo tempore res in Provincia inter [e] Carſiſtas, ſic enim illi vocabantur, et Raſos, conventibus armatis actae; majore regiae auctoritatis detrimento et ruſticorum, qui hujuſmodi excurſionibus ultra modum vexabantur, damno, quam periculoſiore motu, quieverunt.

XXI. AT in Allobrogibus majore belli mole res gerebatur a [f] Monbrunio; qui poſt ſolutam [g] Liberonis obſidionem multa vi, multa deditione loca in poteſtatem acceperat. Cumque [h] Caſtellionaeum exiguum haud longe a [i] Dia Vocontiorum municipium, quod arce valida defendebatur, multum rebus ejus incommodaret, Franciſcus [k] Bona Diguierius illis regionibus a Monbrunio impoſitus, de quo deinceps plura dicenda erunt, eo ducit; et expeditione illa Bertrandum [l] Simienam Gordium, regium in Provincia legatum, qui poſt ſuum e [m] Vivarienſi pago diſceſſum Helvetios [n] Uticenſi militanteis ad ſe tranſtulerat, in ſe concitavit. Cum igitur is cum omnibus copiis veniſſet, ut Caſtellionaei caſtri obſidionem ſolveret, Diguierius Gordii adventus Monbrunium certiorem facit, et auxilia depoſcit. Iſque ex montanis ſtatim deſcendens, ut ſe cum Diguierio ad [o] Menglonem conjungeret, conſpecto in planitie interjacente Gordiano exercitu, Diguierium monet, gradum acceleraret, ut medios Gordianos hinc inde ſimul aggrederentur. Nec ſegniter imperia capeſſit Diguierius, cohortibus, quae cibi ſumendi cauſa [p] Barnanae ſubſtiterant, apparere juſſis: conſertoque proelio, cum Helvetii denſatis ordinibus diu impetum hoſtium ter repetito a Monbrunianis certamine ſuſtinuiſſent, ſuperveniente nocte utrinque diſceſſum eſt. Deſiderati ex Gordianis XXVI, ex Monbrunianis tantum VIII. Poſtridie, qui in Eid. Junias incidebat, Monbrunius, confluentibus ad eum copiis auctior, Gordium poſt Caſtellionaeam arcem milite et commeatu firmatam ſe intempeſta nocte Diam verſus recipientem inſequitur; et, ubi in conſpectum Gordianorum venit, tripartito equitatum dividit, ac partem Abeli [q] Berengario Morgiano et Champoleono, partem [r] Vercoirano, Poëro et Barrio attribuit: ipſe, [ſ] Blacone, Compſio et aliis e nobilitate aſſumptis, expeditam ſcloppetariorum manum praemittit, quae ultima Helvetiorum agmina demoraretur; et ultimum agmen carpens loco iniquo juxta [t] Dromam fluvium equitatum hoſtilem ad proelium cogit; quo fuſo, in Helvetios repetitis vicibus invehitur; quos ad extremum, poſtquam diu ſumma virtute reſtiterunt, magna clade affligit, occiſis ad IↃCCC, et ſummo eorum tribuno, ac XVIII ſignis captis, cum ex ſuis vix ſex deſideraſſet. Gordius cum paucis ad Diam perfugium habuit; ubi auxiliareis copias opperiri ſtatuit. Dum illae conveniunt, ipſe rurſus aliam cladem accepit.
Nam

INTERPR. [a] *les Raſats.* [b] *le baron d'Alemagne.* [c] *Oraiſon.* [d] *Lourmarin, Riez, & Seyne.* [e] *les Carciſtes.* [f] *de Montbrun.* [g] *Livron.* [h] *Chaſtillon.* [i] *Die.* [k] *de Bonne, ſieur de Lesdiguieres.* [l] *de Simiane de Gordes.* [m] *le Vivarais.* [n] *le duc d'Uſez.* [o] *Menglon.* [p] *Barne.* [q] *Berenger de Morges & de Champoleon.* [r] *Vercoiran, du Poët, & du Bar.* [ſ] *de Blacons & du Comps.* [t] *la Drome.*

NOT. [1] *Lege* et Stablonus qui Lormarinum. Thadée de Baſchi, ſieur de Stoblon paroiſſe à 3 lieues au Nord de Riez, etoit un des principaux chefs des Proteſtans & des Razas. Il ſe fit connoitre dans ſon parti par la victoire qu'il remporta proche d'Oppede, ſur le comte de Carces & Claude de Berton ſieur de Crillon le 6 Juillet 1574. Stoblon ſurprit la ville de Riez, & s'empara enſuite de Puymiſſon, d'Eſpinouſa, de Digne & de Seyne. Etant allé aſſieger le chateau de Trans en Mai 1579, Hubert la Garde ſieur de Vins vint au ſecours. Stoblon lui etant allé au devant le mit en fuite, retourna attaquer le chateau & l'emporta par aſſaut, mais il y receut un coup d'arquebuze le 23 Mai 1579, dont il mourut 7 jours aprés. *C.*

Nam [a] Coſtae Benae comitis ala equitum, quae [b] Stellae oppidulo juxta [c] Liberonem CIƆIƆLXXV.
in praeſidio erat, a Barrio et [d] Turrio pecudum inſtar caeſa. Quibus ſucceſſibus elatus HENRICUS III.
[e] Monbrunius, cognito per exploratores copias novas, in queis erant equitum cataphractorum IV alae et totidem ſclopperariorum cohortes, cum aliquot levis armaturae alis, [f] Urchio et Eſtano ducibus ad Gordium contendere, mox ſuos educit. [g] Creſto, ubi copiae regiae ſubſtiterant, Diam tendentibus itinera duo occurrunt; unum planum juxta Dromam exporrectum, cui circumpoſita oppidula a Proteſtantium praeſidiis tenebantur; alterum per montana et abrupta loca. Urchiani, quod montana a regiis tenerentur, hac iter capeſſunt, inſequente Monbrunio. Cum duces conſultarent, Diguierio periculoſum videbatur, equitatum, quo abundabant, per impedita et anguſta loca duci; tutiuſque judicabat, ſi regios in montium declivi aggrederentur: contra veritus Monbrunius, ne regii elaberentur, ardore pugnandi montanum iter ingrediendum cenſuit; eoque conſilio cum longius provectus eſſet, Urchianos eminus conſpicatur, [h] Gervana fluvio, qui in Dromam exoneratur, tranſmiſſo, jam editiora loca ſuperanteis: ſtatimque Diguierio hoſtibus propiori mandat, ut pugnam capeſſat; nam ſe continuo ſubſecuturum. At Diguierius, qui a pugna initio abhorrebat, rurſus ultimum peditum agmen cataphractorum equitum auxilio nudatum invadendum cenſebat, neque cum omnibus copiis confligendum. Sed cum Monbrunius id conſilii non probaret, pontem Gervanae impoſitum tranſit, et accelerato gradu ad Urchianos vadit, ita diſpoſitos, ut gravioris armaturae equites praecederent, levis cum peditatu ſubſequeretur. In ultimum agmen impetu facto, Monbrunius obvios fundit; ſed, mox palante et, quaſi debellatum eſſet, ad praedas diſcurrente milite, regii, qui in primo agmine ſtabant, converſa fronte ad ſuorum clamorem accurrentes in ſubjectam convallem ſe conferunt, ut Gervanae pontem occuparent: quo conſpecto ex edito colle, Monbrunius ſtatim et ipſe accurrit, et magna vocis contentione et concurſatione ſuos nihil jam de pugna cogitanteis, ut ad ſigna redeant, hortatur; pauciſque e nobilitate comitatus certamen magna virtute reſtituit, et regios primo proturbat: ad extremum valido levis armaturae globo incumbente circumfuſus glandium procella obruitur, paucis tamen e ſuis interfectis: plures vulnerati et fuga elapſi: pars per pontem, pars fluvio vadato evaſit. Monbrunius a ſuis deſertus, dum ad pontem tendens foſſam obviam ſaltu ſuperare nititur, concidente equo, et ipſe collabitur, crure fracto ex equi incumbentis pondere, ſeque [i] Rupiſortio noto ſibi et cognatione proxima conjuncto nec non et Urchio dedidit, poſtquam ille fidem obſtrinxit, vitam ipſi ſalvam fore. Creſtum inde delatus, ut curaretur, tamen ex vulnere vix ante mortem convaleſcere potuit. Occiſus in eo conflictu [k] Barrius, magnae jam tum in juvenili aetate virtutis dux, et XXVI ex Monbrunianis; ex regiis amplius CC: ſed capto Monbrunio victoria penes noſtros remanſiſſe credita eſt. Id accidit VII Eid. Quintil. de quo fama ſparſa, immane quantum ex eo cuncti in aula gaviſi ſunt, capto illo in medio victoriarum curſu, qui primus olim Proteſtantium ſigna in regno extuliſſet, et recenti injuria regem affeciſſet. Itaque ſtatim mandatum, ut is diligenter curaretur et aſſervaretur, nec quidquam de eo niſi explorata regis voluntate ſtatueretur. Et quanquam Condaeus interim, Damvilla et foederati per delegatos inſtarent, ut cum Monbrunio belli jure ageretur, et Guiſius, qui in aula nihil non poterat, pro redimendo [l] Bemio eum ſibi dedi poſceret, nihil impetrari potuit; et ad extremum Gordio injunctum, ut captivum coram provinciae ſenatu ſiſteret. Igitur Monbrunius [m] Gratianopolim deductus a judicibus interrogatur, tandemque perduellionis reus peractus ad mortem damnatur. Praecipitatum judicium, quod ex cruris fractura attenuatus haud diu

INTERPR. [a] *de Coſte, comte de Bene.* [b] *l'Eſtoille.* [c] *Livron.* [d] *la Tour.* [e] *de Montbrun.* [f] *d'Ourche, & d'Eſtan.* [g] *Creſt.* [h] *Gervane.* [i] *de Rochefort.* [k] *du Bar.* [l] *Beſme.* [m] *Grenoble.*

diu victurus crederetur. Cum tamen ad ſupplicium ſemivivus in ſella duceretur, miram animi, ſupra quam corporis vires ferre poterant, conſtantiam exhibuit; et, licet populum alloqui prohibitus eſſet, tamen non ſe tanquam latronem, ſed quod arma pro religione et regni libertate contra publicos graſſatores ſumpſiſſet, ad mortem damnatum dixit; quam ſe libenter tanquam unicam tot laborum et miſeriarum metam adire aiebat: Deumque comprecatus, ut bene ſibi et regno eveniret, eadem animi praeſentia cervicem ſecuri praebuit, pleriſque vicem primarii viri miſerantibus; qui, quod bello injuſto per ſe, ſi primam originem ſpectes, ſed poſt toties repetita edicta in ſpeciem legitimo ſe implicuiſſet, capite lueret, cum inter alios bello captos jus gentium paſſim ab omnibus ſervaretur. Nec Gordius, ſummae moderationis alioqui et aequitatis plenus, facti invidia caruit; cujus occulto livoris ſenſu, quod toties caeſus et fuſus a Monbrunio fuiſſet, factum dicebant, ut regina inſtigante ſeverius in Monbrunium et juris via animadverſum eſſet. Summo armorum duce ſublato, diu inter Proteſtanteis in [a] Allobrogibus altercatum fuit, ſciſſis factionibus animis, quis ſummae rerum praeficeretur. Nam [b] Cugius ex Bernatum ditione, qui larem in Allobrogibus fixerat, magnae exiſtimationis inter ſuos dux et jam matura aetate, eam provinciam ambiebat, et primariae nobilitatis in ea petitione ſuffragiis adjuvabatur. Contra Franciſcus [c] Bona Diguierius, quamvis adhuc juvenis, cum tamen jam in illa aetate magnum prudentiae ac virtutis ſpecimen dediſſet, complurium et paſtorum in primis, qui nimium quam multum inter Proteſtanteis poſſunt, favore ſublevabatur. Eaque contentione effectum eſt, ut longo tempore praefectura illa in incerto fuerit; ſingulis ducibus eam privatim ad ſe trahentibus, et milite ſub Monbrunio licentiae aſſueto, quaſi ducis ſui indignam mortem ulciſceretur, caedibus, latrociniis, incendiis paſſim ſaeviente; donec Diguierius ſolutam diſciplinam inter eos, quos penes ſe habebat, paulatim reſtituit; eoque facto, ceterorum ducum, qui Monbrunii exemplo nihil non militi permittebant, comparatione, ſe ſumma praefectura digniorem approbavit: quam poſtremo ab ordinibus primum delatam et a Navarrae rege, poſtquam relicta aula Proteſtantium patrocinium ſuſcepit, confirmatam accepit, et ſumma laude ac fide atque adeo periculoſiſſimis temporibus magno Gallici nominis ornamento adminiſtravit, ut in ſequentibus plenius videbimus.

XXII. Hoc anno rex in ſenatum venit VI Kal. Sept. et in [d] juſtitiae lectiſternio ſedens diploma recitari juſſit, quo gratiam Carolo Lotharingiae duci ſororio ſuo a Carolo fratre ante triennium XIV Kal. Dec. et Eid. Febr. factam denuo confirmavit; et, [e] excepto ſupremi dominii et appellationis ad Senonenſem praefectum et ſenatum Pariſienſem jure, alia omnia jura ac praecipue monetae cudendae in [f] Ambarenſi principatu ceſſit ac remiſit. Negotio jam antea multoties, etiam Carolo ſuperſtite, agitato ſemper interceſſerat ſenatus: tunc vero praeſentiae regis id datum, ut in acta referretur diploma. Itaque, cum poſtea in [g] rationalium et vectigalium curiis idem publicaretur, promulgationi adjectum eſt, eam factam fuiſſe in conſequentiam promulgationis in ſenatu rege praeſente factae.

INTERPR. [a] *Dauphiné.* [b] *de Cuges du pays de Berne.* [c] *de Bonne, ſieur de Leſdiguieres.* [d] *lict de juſtice.* [e] *excepté la ſouveraineté & reſſort au bailli de Sens.* [f] *Duché de Bar.* [g] *chambre des comptes, & cour des aides.*

Digitized by Google

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER SEXAGESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

CUM Poloni per literas urgerent, ut rex in Poloniam rediret, decreta ampliſſima ad eos legatio. II. *Henrico regnum Poloniae decreto Ordinum abrogatur.* III. *Tatarorum per interregnum in Ruſſiam Polonicam excurſio. Controverſia de Jaderae finibus in Dalmatia inter Venetos et Turcos.* IV. *In electione novi regis diſcordantia Polonorum ſuffragia. Stephanus tandem electus.* V. *Alençonius apud nos aulam relinquens ſcripto proteſtationem vulgat. Literae ejuſdem ad pontificem et eodem tempore ad Imperii principes Proteſtanteis. Condaeus copias in Germania cogit.* VI. *Regina parens ad Alençonium pro concordia proficiſcitur.* VII. *Gul. Momorautius Thoraeus juxta Theodorici caſtrum a Guiſio, qui regium exercitum penes ſe habebat, caeſus; et ipſe Guiſius graviter in facie vulneratus.* VIII. *Induciae ſemeſtres a regina cum Alençonio pactae.* IX. *Pro pecunia a Pariſienſibus in delectus habendos petita verba reponuntur; et exagitata aulicorum avaritia. Urbes et ſecuritatis ergo loca promiſſa cum non traderentur, res in longum extracta.* X. *Lud. Berengarii Gaſtii caedes a Gul. Pratenſi Vitelliano patrata.* XI. *Interea promulgatae poſt longas tergiverſationes Rupellae induciae.* XII. *Jubilaei Romani celebratio. Caroli Friderici Cliviae ducis obitus.* XIII. *Henrici Roani, M. Antonii Bobae cardinalis, Bernardini Rotae, Franc. Maurolyci, Friderici Commandini, Matthiae Flaccii, Henrici Bullingeri, Hadriani Junii, Gul. Canteri obitus.* XIV. *Motus Genuenſium, et eorum origo et cauſae ex ultima antiquitate repetitae, et antiquorum ac novorum diſtinctio. Scripta utrinque publicata. Novis numero potioribus antiqui inferiores in urbe loco cedunt.* XV. *Pontifex partes ſuas interponit.* XVI. *Philippi, qui antiquis favebat, juſſu Jo. Auſtrius claſſem inſtruit.* XVII. *A Caeſare legati Genuam veniunt: a rege Marius Biragus.* XVIII. *Jo. Andr. Auriae apud novos literae minarum plenae; poſt quas ad bellum vis verſa.* XIX. *Auſtrius antiquis praeſto eſt.* XX. *Novorum auxiliares copiae; et magni Etruriae ducis in occulto iis faventis ad Auriam literae. Induciae inter partes factae.* XXI. *Caroli* V *aſtus in compedibus reipublicae Genuenſium injiciendis. Revocatae a Philippo penſiones; et ingens ex eo per orbem univerſum argentariorum clades.* XXII. *Proſper Fatinnantius Genuenſium dux; ejus rara prudentia et animi moderatio.* XXIII. *Libri utrinque pro cauſae defenſione publicati. Uberti Folietae dialogi.* XXIV. *Caſalis S. Evaſii conveniunt arbitri, et ſententiam pronunciant* VI *Eid. Mart. Imputatio ac moderatio uſurarum.*

EX AUCTORIBUS,

Carolo Paſcalio, S. Schardio, Petro Juſtiniano, Leonardo Gorecio, D. Chytraeo, L. Vicino P. P. Joanne Serrano, Stephano Pighio, Caeſare Campana, Uberto Folieta.

LIBER SEXAGESIMUS PRIMUS.

CIↃIↃLXXV.
Henricus III

RES in Polonia inter haec per regis abſentiam mutavere; quod ejus animum ad vitam ſolutam vergentis et jam externorum pertaeſi non tam perturbavit, quam exiſtimationem et praeceptam de ipſo omnium ſpem labeſactavit, ex famae contemptu mox ſecuto exitiali ſuorum odio. Superiore anno, poſt clandeſtinum e Polonia diſceſſum, in publico Warſaviae conſeſſu ſenatus et regni ordines XIV Kal. Oct. ad regem literas dederant; quae ad ipſum, cum jam Lugduni eſſet, redditae ſunt. Iis, poſt honorificam praefationem et meritorum ſuorum erga regem commemorationem, ſpeique adeo de felicitate ſub ejus regno conceptae et intempeſtivo diſceſſu ſuo veluti interſectae deplorationem et gravem exprobrationique propiorem de ea re querelam, ſe Warſaviae coovenisſe aiebant, ut orbitati patriae, paci ac ſecuritati publicae conſulerent, ut regem denique in Polonia haberent, ejuſque auctoritate quies interna et externa tranquillitas retineretur: deſideraſſe quidem omneis et optaſſe ipſum regem habere; nec defuiſſe animos ad eligendum novum regem, quo ſpretae patriae igoominiam ſimul detergerent, et periculis per ioterregnum imminentibus praeverterent: ſed inſitam Polonis erga principes fidem et conſtantiam viciſſe neceſſitatem, tantumque apud eos valuiſſe, ut ignominiae ſenſu depoſito et ſpretis periculis de uovo rege eligendo deliberare diſtulerint, donec ab ipſo ſcirent, an ipſis ſemper imperare et Poloniae ſceptra geſtare vellet: nec vero dubitare, quin id velit; quippe virtutem et ingenium ejus ad imperia natum ſibi perſpectum eſſe, ut non ſolum ſeptentrionis verum etiam univerſi orbis regna animi magoitudine complectatur: ſed noo ferre adflicti regni ſtatum, ut diutius incerta expectatione ſuſpendi, aut rege, magno ſuatum rerum diſpendio, carere poſſint. Igitur mature veniat, et regni tam hoorifice delati reſumptis quamprimum habenis ab hoſtibus ex Walachia, [a] Scythia et Moſcovia ingruentibus, quorum arma in auribus perſonant, micant in oculis, Polonos defendat; injuriaſque, caedeis, audaciam perditorum hominum, quae, abſeote rege ac ſilente lege, converſis omnium ad externa pericula oculis, impune ſunt, prohibeat. Redeat ergo in Poloniam, et IV Eid. Maias, ut comitiis regni ad illum diem [b] Stekziſiae indictis interſit, et conditiones ab oratoribus ipſius in electionis conventu receptas, a Carolo rege olim Lutetiae Pariſiorum promiſſas, ſacramento ſolemni firmet, ac in poſterum rempublicam Polonam praeſens ſemper gubernet: quod ſi in tempore venire non potuerit, ipſi licet ſummo cum ſuo dolore dictum denunciatumque velle, Polonos non poſſe amplius ſine rege ac lege vivere: proinde, ab eo tempore, cum bona regis gratia, et ſalvo ſuo ipſorum honore, obedientiam et fidem datam ei renunciare, et de novi regis electiooe conventum indicere decreviſſe; idque firma adeo et matura deliberatione ſtatuiſſe, ut nullis excuſationibus oulliſque ad extremum rationibus a propoſito abduci poſſint. His multa addita; ut ſe aegre, nec ſponte, extremaque adeo neceſſitate coactos de novo rege eligendo cogitare oſtenderent. Quibus literis etſi ſatis intelligebat rex occaſionem a Polonis quaeri, ut novum ſibi regem deligerent; quam enim aut rationem aut ſpem eſſe, ut neceſſitate in externo regno manendi impoſita rex patrium regnum tunc temporis novis motibus turbarum relinqueret? tamen, ne videretur tantum regnum parvi facere, ad Polonorum poſtulata reſpondit; ſe Gallicis bellis illaqueatum de reditu in Poloniam ſuo nihil habere quod affirmet; ceterum ad ordines regni miſſurum legatos viros ampliſſimos praeſeotia ſpectaturos, qui regis abſentiam

INTERPR. [a] *Tartarie.* [b] *Stezicza.*

CIƆIƆLXXV.
HENRICUS III.

abſentiam prudentia ſua ſuppleant; et ex communi Ordinum ſententia proſpiciant, qua ratione publica mala, quae in dies ingraveſcant, pelli, et imminentia vitari poſſint; ac denique reipublicae Polonicae ita propere ſatisfaciant, ac ſi ipſe adeſſet. Secundum haec, poſtquam rex poſt inaugurationem ſuam et nuptias [a] Durocortori Remorum celebratas Lutetiam venit, legatos in Poloniam delegit Rogerium [b] Sanlarium Bellogardium, nuper equitum tribunum creatum, et infelici Liberonis obſidione inviſum, et Vidum [c] Fabrum Pibracium, qui aulicorum regis ingenium moderantium factione in ingreſſu regni gratia exciderant; utriuſque pertaeſus, et de regno illo jam actum credens ac parum ſolicitus: quod tamen aut conſervare aut Alençonio fratri conciliare potuerat, ſi plus decoris et famae, qua fere imperia conſtant, ratio, quam ſolutioris vitae impotens deſiderium apud principem alioqui minime malum, ſed a pravis miniſtris depravatum, valuiſſet. Bellogardius, [α] homo quidvis audendi promptus, qui perpetuum ab aula exilium legationis honorificae colore indictum ſibi videret, negotia in [d] Subalpina regione cauſatus, quaſi inde in Poloniam profecturus, ad Sabaudiae ducem ſe contulit; cujus antea conſilio et auctoritate Margaritam [e] Saluciam, Pauli [f] Thermi avunculi viduam [β] novo exemplo in uxorem [γ] duxerat. At Pibracius, in cujus prudentia plus momenti erat, cum ſe Aprili ineunte in viam dediſſet, et [g] Montem-Pelicardi incolumis veniſſet, fama ſparſa, quaſi ille CC aureorum CIƆ ad perſolvendum Lithuanicis militibus promiſſa ſtipendia et alias reipublicae neceſſitates ſecum veheret, latrones, qui plerique in illo limite erant, quaſi ob religionem, quae tunc in Gallia exagitabatur, extorres, eum, cum vix ab oppido milliare proceſſiſſet, in rheda circumſiſtunt, et intentato mortis metu ex rheda deſcendere et equo inſcenſo ſe ſequi jubent. Ille initio redemptionis pretium, tanquam potentiſſimum mitigandi latronum furoris remedium, obtulerat. Verum illi, audito eo, ſtatim literarum faſciculos poſcunt; quos et traditos reſignant, quod illas ſpecie in Poloniam, re vera in Germaniam ad ſcribendum militem ferri dicerent. Tum rhedas veſtigant; et pecuniam omnem in viaticum ſepoſitam, nam alia non ſuppetebat, et ſupellectilem argenteam diripiunt, ac vilioribus abjectis ſaccos et bulgas ut in tumultu pugionibus exenterant. Famuli et duo primo impetu occiſi. Dux latronum erat Briſacus nomine, qui inde Pibracium in propinquam ſilvam abductum a meridie ad mediam noctem obliquis tramitibus inter diros praeſentis mortis terrores circumducit. Ad rei famam accurrentibus ex oppido vicino, qui latrones perſequerentur, majore in diſcrimine verſatus eſt Pibracius, cum illi non ultra a caede ejus temperaturos minitarentur, ſi quiſquam ipſorum vel tantillum laeſus foret. Verum ſermonis ſuavitate et ingenita ori tanti viri majeſtate effectum eſt, ut, mollito Briſaci animo, et praeda contentis ſuis, incolumis ſit dimiſſus: qui inde [h] Baſileam ad apparatum inſtruendum profectus, mox ſuperato [i] Jura, [k] Soloturnum venit; unde datis ad Ordines Poloniae, nam tempus comitiorum inſtabat, literis, adventum ſuum caſu illo, quem dixi, et Bellogardii diverſo itinere per Italiam eodem tendentis, retardatum ſignificat. Quo facto per [l] Sueviam, Vindelicos ac Boios, [m] Pragam regni Bohemiae metropolim venit; ubi tunc Maximilianus Caeſar erat, ab ipſo peramanter exceptus: progreſſuſque per [n] Quados [o] Poſnaniam in Polonici regni limite perrexit; unde rurſus ad proceres per diſpoſitos equos literas

VAR. LECT. [α] homo ambitioſus quidvis— *MS. Samm.*

[β] novo exemplo *deſunt D. f. d.*

[γ] duxerat; indignam optimo viro et bene de ſe merito gratiam referens: quam tamen, cum prius impotenter deperiret, poſtquam nupſit, deſpectui habuit, et novis amoribus aeque probroſis ſe porro inquinare non deſiit; ut deinceps videbimus. At Pibracius *MS. Samm. Put. & Rig.*

INRTERPR. [a] *Reims.* [b] *de S. Lary de Bellegarde, mareſchal de France.* [c] *Du Faur, ſieur de Pibrac.* [d] *Piedmont.* [e] *de Saluces.* [f] *de Thermes.* [g] *Montbeliard.* [h] *Baſle.* [i] *le Mont Jura.* [k] *Soleurre.* [l] *la Souabe & la Baviere.* [m] *Prague.* [n] *Sileſie.* [o] *Poſnanie,* vulgo *Poſnq* ou *Poſen.*

CIƆIƆLXXV. literas mittit, quibus, quando prope adeſſet, enixe rogabat, ne prius a comitiis diſce-
HENRICUS III. deretur, quam ipſe in ampliſſimo illo conventu mandata regia expoſuiſſet: quae ſi univerſi intellexerint, non dubitare, quin ipſi de qualibet re potius quam de rege mutando ſint deliberaturi.

II. HAE literae, quae exeunte comitiorum tempore redditae fuere, in ſenatu quidem recitatae ſunt: ceterum iis minime obtemperatum fuit, praevalentibus [a] Auſtriatorum et Piaſtorum factionibus; quae, quanquam diverſis ſtudiis regerentur, in eo conveniebant, ut Henrico dignitas abrogaretur, et novus rex eligetetur. Caeſar, a petitione antea exeluſus, tunc praecipitatum regis diſceſſum ſuam ſucceſſionem interpretabatur: et id ſibi aut Erneſto uni ex filiis ambiebat, eaque in re Andreae [b] Dudithii Pannonii, non ſolum literis inſigniter exculti, ſed et rerum Polonicarum uſu probati, opera utebatur; qui nihil non agebat verbis, promiſſis, prenſationibus aſſiduis, ut Caeſaris ratio haberetur. Et praecipui ex nobilitate in eam partem inclinabant, regis, a quo ſe contemni arbitrabantur, pertaeſi. Contra erat aliud inter nobileis hominum genus, qui, ſive privato affectu ducti, ſive quod e ſuo numero quoſdam non indignos regno judicabant, nulla ratione adduci potuerunt, ut Caeſari ſuffragarentur: iique, ut in priore electione, non ab exteris nationibus petendum regem, ſed indigenam et Polonum eligendum cenſebant, repetito ex priſcis annalibus exemplo, in quibus reperitur, Piaſtum quendam infimae ſortis hominem regem aſcitum; et, quanquam nondum in unnm aliquem prono favore ferrentur, tamen, quod Polonum hominem regem deſignarent, inde Piaſti partium eſſe dicebantur. Qui regem jam electum retinere mallent, pauci erant: inter quos primarii recenſebantur Jacobus [c] Uchanſchius archiepiſcopus Gneſnenſis, Joannes [d] Tencinii comes Voinicienſis Caſtellanus, et [e] Cecignovius, viri praecipuae auctoritatis et ingenio acri ac militari virtute clari; verum ii numero vincebantur: et, annitente utraque factione, tandem tenuit, ut, cum die dicta Ordines [f] Steziciam conveniſſent, ante omnia imperium regi abrogaretur, decreto ea de re Eid. Quintilibus facto, quo ſenatus et equeſtris ordo declarabat, quando rex ad diem Warſavienſibus ſuperioris anni comitiis praefinitum in Poloniam non veniſſet, ſe omne fidei et obſequii jus ei renunciare; ipſum vero regno excidiſſe, jamque interregnum eſſe, perinde ac ſi rex defunctus eſſet: quod tunc per regni et aulae tribunos palam et in ipſis comitiis et poſtea Cracoviae, ut cunctis innoteſceret, nec quenquam exauguratio latere poſſet, a publico praecone proclamatum eſt, paulo ante ultimas literas Pibracii a ſenatu acceptas. Quod in cauſa fuit, ut, cum jam facta infecta fieri non poſſent, Jacobus [g] Faius Speſſeus, vir magno animo nec minori ſolertia et eloquentia praeditus, et poſtea ſummis honoribus geſtis in patria clarus, qui tunc temporis regis nuncium in Polonia agebat, cum fruſtra enixus eſſet, ut Pibracius exſpectaretur, eo non impetrato, e duobus malis eligens ad extremum perfecerit, ut qui Gallicas partes tuebantur cum Piaſtis conſilia ſociarent; qui conjuncti impedirent, ne Caeſar aut ejus filiorum quiſquam rex deſignaretur; eo conſilio, ut negotio in alia comitia dilato Polonis poenitentiae ſpatium concederetur, et Henrico tempus prorogaretur. Ita comitiis eo feſtinantius dimiſſis, quod Pibracium tridui itinere a Stezicia abeſſe cognitum eſſet. Quam primum Pibracius in regnum venit, occupandum ratus, antequam rurſus ad regem novum creandum convenirent, ad proceres dat literas; quibus graviter conquerebatur, quod regis ab ipſis electi legatus pacem ac ſecuritatem ſola mortalium bona ad illos ferens non Steziciae eſſet expectatus ab iis, qui quotidie legatos Moſcorum et Tatarorum excipiunt, admittunt, audiunt: quod tamen non prudentioribus imputet, quorum abundat Polonia, ſed iis, qui ex publicis malis quaeſtum aucupantur, quorum conaribus niſi mature obviam eatur, rem Polonam brevi

INTERPR. [a] *faction de la Maiſon d'Auſtriche, & des Piaſtes.* [b] *Dudith Hongrois.* [c] *Uchanzki.* [d] *Tenczin, Caſtellan de Voinicz.* [e] *Cecignowicz.* [f] *Stezicza.* [g] *de Faye, ſieur d'Eſpeſſes.*

brevi in ſummas anguſtias, unde exitus oon reperiatur, conjectum iri. Videant ergo CIↃIↃLXXV.
quonam res progredi patiantur: nam cujuſvis eſſe, quae deliqueris, reprehendere; Henricus III.
ſed ea corrigere magnae virtutis, adde difficultatis ingentis, et rarae felicitatis eſſe: ſe vero a rege inſtructum conditiooes ad ipſos regni adminiſtrandi attuliſſe; quas ſi accipiant, levitatis infamiam non ſolum vitent, ſed maximis damnis praevertant: quas non eſſe audiras, ſe non tam regis et ſua quam ipſorum cauſa dolere, quorum maxime interſit; non aliena ambitione trahi, ſed tuta ac ſalutaria conſilia capeſſere, et morbis ineuntibus, antequam adoleſcant, idonea remedia quaerere. Proinde rurſus videant, noo tam quid velint, quam quid efficere poſſint; neque tam quid poſſint, quam quid debeant. Quae eo dicta ab ipſis intelligi velit, ut regem non vitio ſed legitimis comitiis creatom, eodem conſenſu retineant quo aſcitus eſt; et, quam huc uſque judicii laudem ea electione conſecuti ſunt, eam fide et conſtantia tueantur: minori quippe diſcrimine retineri regem, quam quaeri. Summam vero, quae afferat, mandatorum hanc eſſe; regis praecipuam erga Polooos charitatem, ut ad eorum ſalutem et decus ea omnia collaturus ſit, quae in poteſtate habeat, auctoritatem, foedera, clientelas, pecuniam, claſſeis, exercitus: et jam antea ſecuritati eorum proſpexiſſe, ac per oratorem ſuum ſedulo cum Turco egiſſe, ut, quo ſociali foedere cum Polonis junctus eſt, id perpetuo ſanctum et inviolabile eſſe velit; neqoe metuendum, ne Caeſar et Suecus Poloniae contermini principes aliquid contra antiqua foedera moliantur: oam ad eos diligenter ſcripſiſſe regem, et, quae ſperaverit, reſpooſa retuliſſe; qui et contra Moſcum, ſi porro inſanire pergat, ea arma ſit oppoſiturus, quibus ille ſentiat, ſibi cum duobus potentiſſimis regnis iniquam ſore concertationem: Tataris autem, ut ab incurſionibus abſtineant, ſtipendia itidem ſit ſoluturus: unum ſupereſſe, ut pacato foris regno interna concordia conſtituatur: id vero regi ſore ratum, quicquid Ordines legitime coacti communi conſenſu decreverint. Tantum deliberent: nam pluris apud ſe eſſe eligi regem quam naſci; quippe hoc ſortunae deberi; illud propriis meritis et hominum benevolentiae tribui: proinde ſie ſtatuiſſe, quorum judicio ſit hooeſtatus, eos ut homines de ſe optime meritos remunerari, parcere ut alienis, amare ut ſuos; poſtremo utrumque regnum mutuis charitatibus connectere ita velle, ut, ſociatis ac permiſtis eorum bonis, ſingulorum mala ad neutrum, bona ad utrumque pertineant: quae ſi a rege, quem habeant, certo ſibi polliceri poſſunt, oon videre ſe, cur anxie ſoris quaerant, quod domi partum habeant: quin conſiderare ipſos debere, levitati comitem ire poenitentiam; quam plerumque non melior ſtatus, ſed damna, clades et ad extremum infamia ſequi amant, et ea mala denique, quae vitare tantum poſſunt, quibus bonam meotem Deus dederit: bonae autem meotis haec eſſe ſigna, ſua bona poſſe pati, morbos ſuos noſſe, et iis ſanandis remedia diligenter quaerere, quaeſitis conſtanter uti. His et aliis rationibus eum et per literas et apud eos, quos convenire illi datum, ſenatores et equeſtris ordinis viros ſaepius egiſſet Pibracius, et ſurdis ſe fabulam narrare cerneret, ubi jam praecipitante autumno comitia oovi regis creandi cauſa indicta vidit, odioſo jam Gallico nomine et ex odio paulatim vileſcente, rem indignam arbitratus, ſi ſe praeſente et quaſi arbitro rex alius diceretur, rebus deſperatis, in Galliam remeare decrevit; quo ſub id tempus venit, cum jam novis motibus res turbari inciperent.

III. Post Pibracii diſceſſum Poloni jam de novo rege creando certi eo maturius rebus ſuis conſolendum exiſtimabant, quod de novi Sultani conſiliis injurias ſuperiore anno Koſacorum incurſionibus acceptas primis regni auſpiciis ulturi inaudiverant. Is erat Amurathes, qui, exeunte anno proximo Selimo parente vivis exempto, hoc ineunte majorum more inauguratus eſt, tanto ſilentio et celeritate a purpurato Mechemeto ſummae prudentiae viro, qui imperium eodem aſtu Selimo conſervaverat,

accitus,

CIↃIↃLXXV. Henricus III. accitus, ut prius in urbem veniret, quam de Selimi morte a [a] praetorianis cognitum eſſet; quos ut placatiores haberet, ſingulis L Sultaninos pro donativo ſtatim numerari juſſit, eorumque ſtipendia in poſterum auxit. Praeterea hoc illis indulſit, ut filii eorum, quamprimum adoleviſſent, albo praetorianorum aſcriberentur, II CIↃ aucto ipſorum numero, ſic ut jam ſint XVI CIↃ: poſtremo, ut in bello mutilati a militia vacationem habeant, et de publico alantur. Haec utcunque moderati principatus initia, foedavit quinque fratrum ac duarum patris concubinarum, quarum una praegnans erat, imperata caedes; a quo, tanquam ſolemni jam nunc inter Othomanos, qui et in religionem tranſiit, more imperium inchoavit. Mox de controverſia ob [b] Jaderae fineis in Dalmatia poſt ultimum bellum a Turcicis praetoribus nihil non in vicinos molientibus excitata, cum Veneto ſenatu aequis conditionibus tranſegit, Jacobi [c] Superantii interventu illuc a republica miſſi; qui ſumma cum ſolertiae laude legatione defunctus eſt, ob id a ſenatu, antequam in urbem rediiſſet, procurator S. Marci creatus. Sed quam gratum tunc et munem erga ſe ſenatum tam poſtea ſeverum expertus eſt, cum ipſe ingenii in republica educati modum, innata animi magnitudine, ſupergreſſus, moderationem a legibus praeſcriptam tenere non potuiſſet. Proxima cura Amurathis fuit, alioqui ad propulſandam potius quam inferendam injuriam, ſi ei ingenio ſuo uti licuiſſet, nati, ut excurſiones Koſacorum in Moldaviam inſtigantibus Polonis factas ulciſceretur: quod alienis veluti opibus fecit, ad exiſtimationem pertinere judicans, ne auſpiciis propriis rem levis adeo momenti et tanto faſtigio indignam tentaret. Itaque [d] Tataris Precopenſibus id negotii a purpuraris datum; qui menſe Octobri Ruſſiam Polonicam quaquaverſus amplius XL milliarium ſpatio vaſtarunt, et domos equeſtris ordinis virorum ac pagos pleroſque incenderunt, ſenibus e plebe ac puerulis inter ejulatus crudeliter trucidatis, et gregibus armentiſque paſſim abactis. Qua praeda onuſti cum ad Nieperi ſive Boryſthenis ripam eo tranſmiſſuri veniſſent, ingens vinctorum planctus auditus eſt in ſaevam captivitatem abduci gementium; ad quem Poloni ſerius accurrerunt, circa Kioviam aliquanto tempore morati, qua immaneis barbaros iter facturos putabant, et Petri [e] Walachiae Palatini vanitate decepti, qui ſe reditum [f] Scythis per fineis ſuos conceſſurum negabat, in idque jurejurando fidem obſtrinxerat. Cum tamen copiae aliquot tumultuariae ad [g] Mielicum fere inermes conveniſſent, ultimum agmen in fluvii tranſitu interceperunt, et ex tanto numero (nam CXI fuiſſe CIↃ memorant) ad IↃCC interfecerunt; inter quos unum repertum prodigioſae magnitudinis a Jacobo [h] Niezabilovio occiſum ſcribit Leonardus Gotecius, cujus frons XXIV digitos lata erat, ac reliquum corpus tantae magnitudinis, ut jacens humi cadaver umbilicum viri ſtantis attingeret. Nec ceſſabant Koſaci, qui ductore [i] Bogdano Roſinchio rem ſuam agi exiſtimantes, et ipſi Boryſthenem tranant, et vacua Scytharum mapalia perrumpentes cuncta ferro et flamma miſcent, ne foeminis quidem parcentes, quarum aliis ubera abſcindunt, aliis oculos eruunt, liberis illarum colliſis, et ad extremum captivos ibi repertos ſolvunt.

IV. Interea indictis ad Kal. Dec. Warſaviae comitiis, ſciſſo factionibus ſenatorio et equeſtri ordine, poſt acres contentiones archiepiſcopus Gneſnenſis regni archicancellarius, et maxima ſenatorum Poloniae et Lithuaniae pars, Maximilianum Caeſarem in regem eligunt XVIII Kal. Jan. Contra, [k] Sborovius Palatinus Cracovienſis, [l] Gorka Sandomirienſis, [m] Tencinii comes et alii proceres cum maxima nobilitatis parte a ſenatu diſſidentes, cum regem ex ſanguine Polono, hoc eſt, Piaſtum creandum cenſerent, neque de eo inter ſe ob aemulationes convenirent, mediam viam ineunt, et, Jagellonum meritis ac memoriae hoc dantes, Annam Sigiſmundi Auguſti

INTERPR. [a] *Janiſſaires.* [b] *Contado di Zara.* [c] *Soranzo.* [d] *petits Tartares,* hodie *Precopzka.* [e] *vayvode de Walachie.* [f] *Tartares.* [g] *Mieliecz.* [h] *Niezabilowski,* ou *Nizzabilowicz.* [i] *Bogdan Roſinzki.* [k] *Zborowzki, Palatin de Cracow.* [l] *le comte de Gorka, Palatin de Sandomir.* [m] *Tenczin.*

Auguſti ultimi ex ea gente regis ſororem, virginem tunc quinquagenariam, reginam CIↃIↃLXXV.
conſtituunt; eique Stephanum Bathorium Tranſilvaniae principem, natione Hunga- HENRICUS III.
rum maritum deſtinant, ac regem eodem decreto renunciant: ſtatimque literis ad Caeſarem datis eum, ne ſenatorum et paucorum ex nobilitate ſuffragiis fretus novum regnum ſibi adeundum putet, hortantur. Viciſſim [a] Gneſnenſis et ſenatores ad Bathorium ſcribunt IV poſt electionem die; eumque a ſuſcipiendo Poloniae regno, cujus rex legitimus conſentientibus ſenatus Poloniae, Lithuaniae ac [b] Boruſſiae calculis Caeſar creatus eſſet, dehortantur; his additis rationibus, quod ipſe per [c] Blandratam ac ceteros oratores ſuos nuper in comitiis publice profeſſus eſſet, ſe ea lege regnum ambire, ut primus locus ac dignitas Caeſareae et illuſtriſſimae Auſtriacae familiae a ſenatu et equeſtri Poloniae ordine deferretur; neque enim in animo habuiſſe, curſum deſideriumve sereniſſimi Caeſaris remorari, ſed potius omni ope ac ſtudio promovere et amplificare: igitur petere, ut quod verbo promiſerit facto comprobet, et egregiam adeo erga Caeſarem voluntatem re ipſa nunc declaret. Verum Stephanus, qui haec honeſtius quam verius a ſuis oratoribus dicta, incerto adhuc comitiorum exitu, interpretaretur, cum primum ſe regem a majore parte renunciatum intellexit, mutavit, et Caeſarianorum preces ambiguis reſponſis eluſit, omnique mora poſthabita regnum raro fortunae beneficio delatum ſibi adeundum cenſuit.

V. NUNCIO, de Polonicis comitiis novo creando regi indictis, rex, etſi amiſſum regnum quod contemnebat, minus doleret, tamen haud mediocriter animi angebatur, quod eam exaugurationem ad ignominiam ſuam pertinere exiſtimaret. Verum hujus injuriae ſenſum acerbior caſus omnino obliteravit, in animo praeſentia fere ſectante, et de fama et praeteritis aeque ac futuris ſecuro. Franciſcus Alençonius regis frater, qui ſuperiore anno paulo ante Caroli regis mortem quaſi ſub cuſtodia habitus, et poſt novi regis in Galliam reditum quaſi libertati, dignitatibus et honoribus reſtitutus fuerat, tamen, ſeu recentis injuriae memor, ſive rebus novis materiam quaerens, clam ſub id tempus Lutetia profugit. Sic autem rem compoſuit ad XVI Kal. Oct. paucis comitatus in ſuburbium [d] ſani-Marcelli jam inclinante die divertit, quaſi foeminae cujuſdam inviſendae cauſa; aedeiſque amici ingreſſus, dum ſui ad januam exiturum exſpectant, per poſticum, quod in campos patebat, egreditur, et equo ad id parato cum fidis conſcenſo feſtinanter abit; nec longe progreſſus turbam nobilium ipſum praeſtolantium nactus, totam noctem continuato itinere tandem [e] Drocum in Carnutibus ditionis ſuae oppidum pervenit; unde poſtridie ſcriptum evulgat, quo proteſtabatur de ſua egregia erga rempublicam Gallicam et ejus univerſos ordines, ac ſacrum in primis, voluntate; et invidioſe perſtricta iniquorum conſiliariorum, qui circa regem ſunt, et Carolum fratrem nuper contra ſe et optimos viros concitarint, pravitate, qua et factum ſit, ut ipſe periculum vitae adierit, et indigne hactenus ſit habitus, ob id ſe ex aula diſceſſiſſe dicit, ut cum pleriſque ex ſacro ordine et nobilitate, qui ad ſe confluxerint, in commune conſulat, nihil in regiae auctoritatis, quam potius amplificatam cupiat, praejudicium acturus: verum in eo laboraturus, ut legibus antiquus vigor, regno ſplendor ubique reſtituatur, remotis a rerum clavo iis, qui pacem publicam conturbant; de latrociniis, graſſationibus, caedibus et immanibus homicidiis vi publica patratis quaeſtio habeatur; proceres in carcerem indignum in modum ſine ullo juris ordine conjecti ſolvantur, priſtinaeque dignitati et honoribus reſtituantur; ſubſidiis gravibus ac oneribus novis, avaritia aulicorum et externorum hominum ſuggeſtione invectis, plebs levetur; jura antiqua omnium ordinum, libertates, immunitates ac privilegia ſerventur; majorum religio integra et inviolata retineatur, ſalva libertate

INTERPR. [a] *l'archevêque de Gneſne.* [b] *la Pruſſe.* [c] *le comte de Biandrata.* [d] *fauxbourg S. Marceau.* [e] *Dreux au pays Chartrain.*

CIↃIↃLXXV. Henricus III.

libertate Proteſtaotibus edictorum beneficio cooceſſa; et ad extremum firma et aequa pax in regno conſtituatur: quod ut fieri poſſit, non vi aut coitiooibus factioſis uti decreviſſe, ſed uſurpato ſemper per regni leges in talibus rebus ſalutari remedio, quod in univerſorum ordinum comitiis majores noſtri prudentiſſime poſuerunt: proinde, quam demiſſe poteſt, a tege ſtatre et domino ſuo petere, ut hanc ſuam ſupplicem petitiooem beoigne accipiat; et in bonam partem, ut a mente candida, et quae nihil antiquius, quam Dei gloriam, regiam dignitatem et publicam tranquillitatem habeat, profectam interpretetur. Hoc publicato ſcripto varie animi affecti ſunt, et, prout quiſque ptivatis affectionibus rapiebatur, aut odio praeſentium futura ſectabatur, varie quoque de iis differebant. Nam vulgo plerique ſerio hoc agi putabant, ut ſoluti aulae mores corrigerentur, pravi conſiliarii a regis latere excludeteotur, et libertas ſingulis, quies univerſis redderetur. Contra alii ſagaciores Alençonium ultione privata ob recentem injuriam ardentem et oatura ambitioſum ex bello jam incenſo cauſam quaerere interpretabantur, et alteri parti ſe ducem oſtentare, ut ejus opibus fretus privatam potentiam ad praeſens contra regem firmaret, et eorum eauſam ad extremum proderer. Quidam etiam ex compacto et ex reginae conſilio id agi putabant; quae ſimulata Alençonii ſeceſſione res Proteſtantium ſub Condaeo fido partium duee validas, novo impoſito duce labefactare er in poteſtate habere cuperet. Haec ita paſſim jactabantur. Sed plures ex Proteſtantibus praeſentium pertaeſi novos motus in bonam partem accipiebant, nondum perſpecto Alençonii ingenio. Itaque [a] Rupellae, Montalbani, Nemauſi et aliis locis gratiae publicae actae, quaſi Hercule novo, id erat olim Alençonio nomen, ad ipſorum mala pellenda et monſtra Galliae debellanda e coelo in terras demiſſo. Conſtat certe recenti injuria irritatum Alençonium, et Guiſianis in primis, quorum conſilio factum putabat, nt in cuſtodiam veluti datus fuiſſet, infeſtum, rege reginaque ignaris, et clam ipſo Navarro adverſae fortunae ſocio, conſilium de fuga cum paucis et in primis cum Ludovico [b] Claromontio Buſſio Amboſiano et Joanne [c] Simieo cepiſſe; ea ſpe, ut exercitus e Germania propediem venturi ſummam praefecturam adeptus, quam ſibi ceſſurum Condaeum perſuaſerat, publicae quietis conſtituendae colore res ſuas gereret, et opimiores cooditiones firmaodae in poſterum in regno poteotiae a fratre impetraret. Interea ejus diſceſſu in aula non mediocriter res turbatae: ſtatimque Ludovicus Gonzaga Nivernii dux cum copiis, quas rex penes ſe habebat, miſſus, qui abeuntem inſequeretur; qui ſubito a regina revocatur. Tum de locis circa urbem firmandis cogitatum; et in primis [d] Dionyſii-fano, quod et operibus muniendum Armanus [e] Guntaldus Bironus ſuſcepit. Exinde diſtributae circa urbem arces et oppida inter procetes ac praecipue Guiſianos, Navarro, quaſi ſuſpecto, praeterito; quod animum generoſi principis alioqui jam placati adeo exulceravit, ut, quo ſe a contemptu vindicaret, ſtatim de ſeceſſu quoque ex aola cogitare coeperit, conſultore et impulſore praecipuo Gulielmo [f] Altamerio Fervacio Grancei comite, qui tunc in ejus gratia primum locum tenebat. Jam ante Condaeus, miſſis Ratiſponam ad Imperii comitia legatis, et cauſae ſuae coram Caeſare et Imperii principibus ac ordinibus expoſita aequitate, petierat, ut cum bona ipſorum veoia ſibi copias per Germaniam conſcribere liceret, oon contra regem, de cujus obſequio et cultu praecipuo magnifice ſemper proteſtabatur, ſed potius pro ejus auctoritate contra inſidiatores et publicae quietis perturbatores aſſerenda: quod Condaeus Jo. Caſimiri Friderici Palatini ſeptemviri filii, qui Germanicis copiis dux deſtinabatur, ſuaſu fecit, honeſto magis, et ut gratiam principum et otdioum Imperii aucuparetur, quam oeceſſario conſilio; quippe cum liberum ſit Imperii principibus et aliis proceribus per Imperii libertatem ac leges in Germania delectus habere, ut externis

INTERPR. [a] *la Rochelle, Montauban, & Niſmes.* [b] *de Clermont d'Amboiſe, ſieur de Buſſy.* [c] *de Simié.* [d] *S. Denis.* [e] *de Gontaut, ſieur de Biron.* [f] *de Hautemer, ſieur de Fervaques, comte de Grancé.*

externis principibus militent, modo ne illis contra Caeſarem et Imperium bellum geratur; quod ab Imperii Francici ac tandem Germanici conditoribus majore prudentia quam juſtitia decretum eſt; ne videlicet populoſae aeque ac bellicoſae gentis virtus aut pigritia marceſceret, aut otii impatiens inter tot principes ac civitates permiſtis finibus, cum hoſtem extra non haberet, intus ſibi faceret; libertatem eam interim pleriſque incuſantibus, qui, homines fortiſſimos et juſtitiae laude cum primis claros externis principibus, ad animi libidinem plerumque bellum gerentibus, operam ſuam foeda nundinatione addicere, et, ſicuti olim gladiatores, quaſi ad necem turpi pretio auctorari, non ſolum indignum, ſed et injuſtum exiſtimant. In has vero conditiones Condaeus cum Jo. Caſimiro Palatino convenerat; ut ipſe precibus Condaei exoratus cum exercitu laborantibus in Gallia ob religionis cauſam Proteſtantibus ſuccurreret; operamque daret, ut regnum a pravorum conſiliariorum impotenti dominatu liberatum in antiquam libertatem et ſplendorem priſtinum reſtitueretur; copiarum dux ſupremus eſſet Condaeus, ejuſque legatus Caſimirus, qui Condaei nomine VI CIƆ equitum, ſuo proprio nomine duo millia conſcriberet; ſex item millia Helvetiorum Condaei ſumptibus legeret, et IV majora tormenta, XII campeſtria cum omni bellico apparatu inſtrueret: Condaeus viciſſim Gallicas copias, quae Germanicas exciperent, conſcriberet, et ad minus XII CIƆ peditum e [a] Septimania et II CIƆ equitum conſcripta in itinere obvia haberet: Germani non niſi perſolutis ſtipendiis dimitti poſſent; nec quidquam Condaeus, quod ad bellum aut pacem pertineret, cum rege aut aliis niſi conſcio et conſulto Jo. Caſimiro ageret. Additum; ut foedus initum inter Damvillam et reformatos, ſic Proteſtanteis vocabat, ratum habeat; et a rege impetraret, ut libertas edictis conceſſa integra maneat: Damvilla fidem obſtringat, non prius ab armis univerſos diſceſſuros, quam rex libertatem eam per univerſum regnum ſtabiliverit: Jo. Caſimiro toto expeditionis tempore in ſingulos menſeis XII aureorum CIƆ numerari curet Condaeus; qui non aliter pacem facere poſſit, quam impetrata ipſi a rege [b] Divioduri in Mediomatricibus, Viroduni et Tulli in Leucis praefectura, quam regis nomine adminiſtraturus ſit, libertate Proteſtantibus in iis civitatibus conveniendi permiſſa: ad extremum cavetur, ut pace facta CC aureorum CIƆ promiſſa ſine mora Divioduri aut [c] Argentinae Joanni Caſimiro numerentur. Quas conditiones etſi duras et explicatu difficileis, tamen Condaeus in illa neceſſitate, qua et ipſe ac ſocii urgebantur, perſcribi paſſus eſt. Inde feſtinati per Germaniam delectus, eo ferventiore cunctorum deſiderio, quod et noſtri ſciſſa aula proſperiorem rerum ſucceſſum, Germani promiſſa ſtipendia ex eo facilius proceſſura ſperarent. Interim Alençonius in Pictones proceſſerat: ad quem mox evocati venerunt Franciſcus Lanovius, Gilbertus [d] Levius Ventadurius clientelis et opibus in [e] Lemovicibus potens Damvillae ſororius; is CCC equites et CIƆCC pedites ſecum adduxit; Henricus [f] Turrius Turenae vicecomes juvenis impiger Helionorae alterius Damvillae ſororis filius; magno omnes comitatu; operamque ſuam et opes paci, ut aiebant, in regno conſtituendae deferunt. Et ipſe Alençonius Proteſtantium cauſae pro tempore favere videri volebat; crebriſque literis peramanter ſcriptis et Rupellanos et Montalbanenſeis in ea opinione confirmabat. Verum, ut erat ſubdolo et verſuto ingenio, ne ſibi id aliis in negotiis ad praeſens et in poſterum fraudi eſſet, veritus, eodem tempore ad pontificem legat Nicolaum [g] Hennequinum Faium ab epiſtolis, cum mandatis, ut conjunctionem cum Proteſtantibus ac foederatis ſuam excuſaret: nam ſe vitae periculo monitum et extrema neceſſitate coactum conſilia cum Damvilla ſociaſſe, qui eadem neceſſitate victus, cum ſe adverſus regni perturbatores aliter tueri non poſſet, cum Proteſtantibus vireis conjunxerit; non tam ut eorum cauſam promoveat, quam

ut

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *Mets, Verdun, & Toul.* [c] *Strasbourg.* [d] *de Levi, ſieur de Ventadour.* [e] *le Limouſin.* [f] *de la Tour, vicomte de Turenne.* [g] *Hennequin Du Fay.*

CIϽIϽLXXV. HENRICUS III. ut eorum ope pace conſtituta tam in religione quam civili adminiſtratione, quas aeque pravi regis conſiliarii miſcEant, ratio ineatur, qua utrique ad Dei gloriam et regni tranquillitatem juxta ipſius votum et ſententiam proſpiciatur. Ad quae pontifex perbenigne reſpondit; et, utrumque ut commendatum haberet, enixe rogavit: monuitque, etiam atque etiam videret, ne acriore injuriae ſi non ulciſcendae ſaltem devitandae ſenſu committeret, ut potius privatarum affectionum quam majorum ſuorum gloriae atque adeo religionis antiquae rationem habuiſſe videretur.

VI. REGINA interea, quae neque pacem tutam vellet; et tamen vereretur, ſi odium inter fratres inveteraſcere pateretur, ne utrique ſuſpecta apud eos paulatim vileſceret, auctor regi filio fuit, ut ad Alençonium fratrem mitteret: et ipſa poſtea onus cum ipſo de pace agendi ſuſcepit: cumque ſciret, Alençonium arcta cum [a] Momorantio et Coſſaeo equitum tribunis neceſſitudine conſiliorum et voluntatum conjunctum eſſe, ut qui ipſius cauſa carcere adtinerentur, idque Alençonium proteſtatione ſua, cum captivos dimitti petierat, innuiſſe, ante omnia uterque ut liberaretur cenſuit; praemiſſis, qui ſpecie amicitiae Momorantium, injurioſo carcere irritatum, ſpe libertatis facta, antequam id ab Alençonio diſerte peteretur, placarent; ut ſolida inexpectati beneficii gratia penes regem reginamque eſſet, et hominis quam generoſi tam ſinceri ac veracis deinceps fideli opera ad ſarciendam inter fratres concordiam uteretur. Jam ante Coſſaeus, valetudinem cauſatus, Baſtilia emiſſus fuerat, in aedeis ſuas Baſtiliae proximas ſub laxa cuſtodia habitus. Contra Momorantius, a quo magis rex reginaque ſibi metuebant, in Baſtilia arcte cuſtoditus fuerat; et, cum paulo ante ab inimicis clariſſimae toto regno familiae rumor ſparſus fuiſſet, quaſi [b] Damvilla frater Septimaniae praeſes Monpelii ex febre violenta ſubito deceſſiſſet, ſubornatis etiam hominibus, qui atratam familiam et funus per urbem circumductum ſe vidiſſe affirmarent, conſilium occultum in aula initum fuerat de Momorantio ipſo noctu faſcia injecta praefocando. Ad majus ſecretum et evulgata per Marcum [c] Myronem archiatrum regium fama, quaſi Momorantius ictu ſanguinis aliquoties tentatus eſſet, ut inopinata mors ejus ſuperveniens morbo ſontico potius quam violentiae attribueretur. Sed, cum rei exequendae negotium [d] Aegidio Sovreo regii cubiculi praefecto datum eſſet, homo probus et ab omnis injuriae conſilio alienus moras tantiſper artificioſe nexuit, dum odio deferveſcente poenitentia ſuccederet, et de morte Damvillae falſo nunciata certius cognoſci poſſet. Ita Sovrei beneficio vita optimo viro praeter regis a parente male perſuaſi voluntatem ſervata eſt; quo tamen uterque nullum magis fidum, rebus diſceſſu Alençonii turbatis, miniſtrum expertus eſt: is ſiquidem, qua erat animi magnitudine, privatas injurias ſtatim reipublicae condonavit: neque tam ipſius Damvillae nec non [e] Meruvii et Thoraei fratrum, qui ſe tumultuantium partibus adjunxerant, rationem habuit; quam omni ope enixus eſt, ut regis obſequio et patriae charitate, quae per bella civilia laceratur, nihil ſibi propius eſſe et verbis et facto ipſo comprobaret. Igitur Momorantio et Coſſaeo comitata regina in [f] Turones proficiſcitur, de pace cum Alençonio filio actura.

VII. ERAT tum in Germania cum Condaeo Thoraeus, et familiae et conſiliorum neceſſitudine cum eo et ipſo Alençonio conjunctus, ut qui jam ſuperſtite Carolo rege ex aula, tanquam conſilii ſecreto initi conſcius, mature profugiſſet. Is, intellecto Alençonii ex aula diſceſſu, Condaeo auctor fuit, ut praefecturam ſuam Alençonio ultro deferret, et in propenſi animi indicium delatam manum auxiliarem, antequam cum toto exercitus Germanici robore in Galliam penetraret, ad ipſum mitteret: ejuſque ducendae ipſe onus ſuſcepit. Igitur cum II CIϽ equitum Germanorum, IϽ ſcloppetariis

INTERPR. [a] *les mareſchaux de Montmorency & de Coſſé.* [b] *le mareſchal de Damville, gouverneur de Languedoc.* [c] *Miron, premier medecin.* [d] *Gilles de Souvré, maitre de la garderobe.* [e] *les ſieurs de Meru & de Thoré.* [f] *Touraine.*

ſcloppetariis Gallis et c cataphractis equitibus ex nobilitare Gallica profectus, tranſmiſſo Rheno, ad Lothariogiae fioeis acceſſit: et in [a] Campaniam per [b] Lingonas ingreſſus, cum [c] Ligerim juxta [d] Charitaeum tranſmittere decreviſſet, interimque novas copias ſuis firmandis proxima circumiens colligeret, [e] Attiniacum ad Axonam venit; ubi complurium dierum moram placandis Germanorum ob non ſoluta ſtipendia tumultuantium animis facere coactus, cum inde [f] Matrona ſine incommodo tranſmiſſo iter perſequeretur, a regiis undique cingitur, ita ut elabi citra certamen non poſſet. Jam ante rex Kal. Oct. publicato diplomate edixerat, ut delectus regni et copiae, quae ſuis ſtipendiis merebant, ad diem condictam convenirent; gravique poena propoſita vetuerat, ne quis ad Aleoçonii fratris a ſeditioſis hominibus ſolicitati ſe partes adjungeret. Itaque ad famam adventus Germanorum, Henricus Lotharingus Guiſius io Campaniam, cujus praeſes erat, cum CIƆ equitibus cataphractis miſſus fuerat, ut Germanis ingreſſum prohiberet; cui mox ſummiſſa x peditum CIƆ, duce Philippo Strozzio peditatus Gallici praefecto, et adjunctae Jacobi [g] Cruſſolii Uticenſium dncis ex Septimania reducec copiae, et eae, quas Monpenſerius io [h] Pictonibus habebat. Cum Guiſio erant Carolus frater [i] Meduanae marchio, Armanus Guntaldus Bironus caſtrorum praefectus et Gul. [k] Altamerus Fervacius. Ii Thoracum arctius juxta [l] Theodorici caſtrum ad Matronam urgent, et alioqui numero imparem domeſtica ſeditione inter Germanos recrudeſcente animi anxium ad proelii neceſſitatem compellunt: quod et ille non ſegniter capeſſiit, annitentibus [m] Hafeſteinio et Claudio Antonio [n] Viconenſi Clervantio viro genere et virtute illuſtri, ne potius culpa propria quam hoſtium virtute vincerentur. Itaque, ut in tumultu, inſtructa eo ordine acies, ut Galli in primo agmine ante Germanos locati ſtarent; Thoraeus cum nobilitate Gallica ſecundam aciem duceret; ſcloppetarii pedites utrinque equitum alas ſtiparent. Primom velitationibus res acta, citra utriuſqne partis grave diſpendium. Tum Meduanius cuneo facto magna vi in Gallicum peditatum incumbit; quem mox Guiſius fratri ſubſidio veniens ſecutus eſt, acri impreſſione facta; quam nihilominus Clervantius et Hafeſteinius fortiter ſuſtinuere: ſed tandem poſt egregie navatam in ſubito certamine operam ad extremum fuſi ſunt. Hafeſteinius ipſe cum legato et paucis occiſus: Clervantius cum aliquot captus: Thoracus cum expeditioribus, et in iis Antonio [o] Sillio Rupipotio, ſe periculo ſubduxit. Germanorum agmen, quod IƆ efficiebat, in proelio immotum, poſt ſtragem aliorum ad Guiſium transfugit; qui palanteis ardentius inſecutus cum in militem obſtinato animo ſe dedere recuſantem incidiſſet, dum per vepreta ſenſim cedentis veſtigiis inſiſtit, ſcloppeti ictu in mala ſiniſtra accepto gravirer ſauciatus paene ex equo concidit, continuoque a ſuis ſupervenientibus io hoſpitium relatus eſt; elapſo interea, dum ceteri duces ad ſummi ducis caſum ſtuperent, Thoraeo, qui praecipirati conſilii inſimulatus, ob id per totam vitam minore deinceps in pretio habitus eſt. Tamen pro rempore, cum ad Alençonium cum paucis perveniſſet, factum oeceſſitate excuſavit; et culpam in Germanos tumultuanteis rejecit: et Alençonius, ſive familiae ſplendori ſive Damvillae amicitiae hoc dederit, excuſationem in bonam partem accepiſſe videri voluit; et Thoracum praecipuo loco uſque ad pacificationem proximam penes ſe habuit.

VIII. INTEREA regina, in [p] Turones profecta, cum filio, qui [q] Campiniacum uſque primariam Moopenſeril arcem ad ipſam venit, Momorantii praecipue interventu agit: et poſt multas hinc inde altercationes et ſecreta colloquia, quibus totom Octobrem

INRTERPR. [a] *Champagne.* [b] *Langres.* [c] *la Loire.* [d] *la Charité.* [e] *Attigny ſur Aiſne.* [f] *Marne r.* [g] *de Cruſſol, duc d'Uſez.* [h] *Poictou.* [i] *Mayenne.* [k] *de Hautemer, ſieur de Fervaques.* [l] *Chateau Thierry ſur Marne.* [m] *de Haffenſtein.* [n] *de Vienne, ſieur de Clervant.* [o] *de Silly, ſieur de Rochepot.* [p] *Touraine.* [q] *Champigny.*

Octobrem et majorem ſequentis menſis partem extraxerunt, tandem, cum de pacis conditionibus convenire non poſſet, in inducias ſemeſtreis conſenſerunt, quae a x Kal. Dec. inciperent, et in VII Kal. Quintil. anni ſequentis exirent; quarum tempore utrinque ab armis, incurſinnibus et nmni maleficio per univerſum regnum abſtineretur. Adjectae hae leges; ut rex CLX aureorum CIↃ Germanis a Condaeo conductis numerari jubeat, modo ne ipſi Rhenum tranſeant, nec in regnum deſcendant. Interim ſecuritatis cauſa Proteſtantibus et Catholicis foederatis hae urbes attributae; [a] Engoliſma, Ninrtium, Salmuria, Avaricum Biturigum, Charitaeum ad Ligerim, et Mezeria ad Moſam, quae in Condaei manus conſignaretur, data fide ab Alençonio ac foederatis, quamprimum induciae expiraverinr, ſive pax ſive bellum ſequatur, ut urbes illae reſtituantur; ad quarum cuſtodiam rex II CIↃ praeſidiarios ab Alençonio deligendos, C item nobileis, turmam C cataphractorum equitum ipſius Alençonii, et L Helvetios et C ſcloppetarios ad ejus corporis ſtipatum, ſuis ſumptibus alat: rex viciſſim copias nmneis externas praeter [b] Helvetios et Scotos cuſtodiae corporis inſervienteis dimittat, et utrinque arma, ſimul ac urbes promiſſae traditae fuerint, deponantur. Et, quia hoc novo motu inchoatum Lutetiae nnper de pace negotium intermiſſum fuerat, poſtremo conventum, ut principes, proceres, provinciae et urbes foederatae, Januario prnximo delegatos cum plenis mandatis mittant, cum quibus de pace aequis rationibus conſtituenda agatur.

IX. CONDITIONIBUS perſcriptis, et Catharinae ac Franciſci mann ſubſignatis, quod ortis utrinqne ſuſpicionibus neutri ſatis bona fide eas implerenr, induciae non ita cito pnmulgatae ſunt. Nam rex interea VI CIↃ Helvetinrum conſcribit, et delectus per Germaniam haberi curat, Carolo Mansfeldio comite, Gaſpare [c] Schombergio et Chriſtophoro [d] Baſſompetra ob id Lutetiam accitis; qni C aureorum millia praeſenti pecunia numerari petebant, et CCCCL CIↃ, cum primum VIII CIↃ equitum, quos adducturi erant, ad fineis regni perveniſſent. In eam rem conventus in urbe nmnium ordinum indictus, et in publicis aedibus celebratus magna frequentia; ubi, cum per delegatos rex ab iis CC librarum millia mutuo peteret, ad IV menſium ſtipendium Helvetiis deſtinatum, immane quam omnium animi commoti ſunt; demumque apparuit, in populoſiſſima et npulentiſſima hactenus credita urbe verba pluris quam pecuniam conſtare. Nam, pnſt lnngam et exquiſito verborum ornatu agitatam deliberationem, tandem ſupplex libellus invidioſe perſcriptus eſt, ampliſſimi ordinis, curiarum rationalium ac vectigalium, eccleſiaſticorum et ceterorum civium Pariſienſium nomine, et ad regem menſe Decembri perlatus; quo miſerabilis non ſolum urbis ſed univerſi regni, cujus in urbe veluti matrice ſalus publica vertebatur, ſtatus, et plebis tot bellis et oneribus tam diu vexatae et exhauſtae calamitas, oculis ſubjiciebatur: nam XV abhinc annis per bella civilia trigeſies ſexies centena millia librarum ab urbe ex univerſi regni opibus ſubminiſtrata eſſe, et duplo fere majnrem ſummam a ſacro ordine; quae prodigioſa et fidem ſuperans ſumma miſere regi regnoque univerſn ac ſingulis perierit, nulln alio profectu, quam nt Gallia in ſe commiſſa laceraretur, et propriis viribus labefactata exteris ad praedam et ludibrium pateret: eam a juſta Dei ira invectam Galliae calamitatem; quippe cunctis ordinibus corruptis, perverſo jure, et aerarin ſecus quam oportuit adminiſtratn: nam, ut a ſacrn ordine initia ducantur, ſordeis, avaritiam, et ex ea foedas nundinationes propagatas, luxum praeterea et impudicos mores non parvam nffenſionum cauſam cunctis praebere: in judiciario etiam ordine non leviter a magiſtratibus peccari, quorum munera palam venalia cum proſtent, haud mirum debere eſſe, ſi de priſtina innocentiae, prudentiae et integritatis laude, quae tot principes externos ad jus a ſenatu regin petendum nlim invitavit, temporis

INTERPR. [a] *Angouleſme, Niort, Saumur, Bourges, la Charité ſur Loire, & Mezieres ſur Meuſe.* [b] *les Suiſſes & Ecoſſois de la garde du corps.* [c] *de Schomberg.* [d] *de Baſſompierre.*

temporis tractu multum deceſſerit: tantam porro eſſe militum licentiam, et regii corporis cuſtodum in primis, ut plebs ruſtica, per agros ſpoliata, et non ſolum avare ſed injurioſe habita, cultum agrorum omittere cogatur; eaque re fieri, ut omnium ordinum vectigalia, quae fere e cultura terrae apud nos proveniunt, quotidie minuantur, et ad nihilum tandem redigaotur: ipſa etiam ptochotrophia egenis alendis vix hodie ſufficere; eoque neceſſitatis poſtremo deventum eſſe, ut, cum vectigalia aonua non ſufficerent, fundos ipſos publica auctoritate diſtrahi oeceſſe fuerit: nec rei pecuniariae adminiſtratiooem et diſpenſationem vitio ſuo carere; quippe cum conſtet pleroſque avare in ea verſari, et inutilibus ſumptibus ac largitionibus aote triennium, cum Rupella obſideretur, et res ubique io arcto eſſent, oongenta millia aureorum, anno ſequenti ſeptingenta, et ita deioceps; hoc vero, vix ſex menſium ſpatio, amplius CCC aureorum CIƆ abſumpta eſſe: praeterea, in penſiooes et ſupervacuas iſtiuſmodi res quotannis plus CC aureorum CIƆ impendi; eoque onere non mediocriter aerarium gravari, quod exhauſtum plebis miſerae ſpoliis atque adeo ſanguine ſarciatur neceſſe eſt: ad haec, quotidie nova tributa ab exteris exeogirara in publicam perniciem invehi; quorum ooo Franci, ſicuti regni legibus cautum eſt, ſed exteri ipſi vere regni hirudines ac vomicae ſint redemptores: interea, plebe ad extremam inopiam redacta, commercium ubique oh exactiones immodicas intermitti; et ſingulorum inopia fieri, ut reſpublica egeat: his accedere deteſtandas in Deum ejetantium cootumelias, et foenerandi jam liberam licentiam: quibus rebus accenſam ſemel in nos Dei iram noo prius placabilem fore, quam pietati ante omnia proſpiciatur, judiciorum ordo perverſus corrigatur, et ad plebis et univerſorom levamentum majore fide ac parſimonia io poſterum aerariom adminiſtretur: proinde e re videri, ut non tam in belli gerendi ratione et ſumptibus in illud faciendis laboretur, quam ratio ineatur, qua pace in regno conſtituta, pietati, juſtitiae, et plebis levamenro, quod bello civili ardente ſperari non poteſt, idoneis remediis quamprimum conſulatur. Supplici libello addita Ludovici IX, qui inter Divos referri meruir, ad Philippum filium monita, ex archivis publicis venerandae antiquitatis prolata; quibus illi religionis cultum, egenorum curam ante omnia commendabat, praecipiebatque, ne plebem novis tributis, niſi oeceſſitas urgeret, et ex ipſius conſenſu, ad tempus tantum, oneraret; pravos conſiliarios a latere ſuo removeret; judices ſuos moneret, ur nullo perſonarum ac ne principis ipſius reſpectu habito jus aequabile inter partes dicereot. At rex ioter adulationes educatus, qui hoc oon ſupplicationis ſed praeceptionis loco acciperet, non mediocriter intra ſe ſucceoſuit. Certe [a] Villoclarus regi blandiens, cum urbis oomine loqueutem interfatus eſſet, et cur tam praefracte regem compellare auſus eſſet rogaret, delegatus ſcriptum mox e ſinu protulit, quo eadem, quae recitaverat, comprehenſa erant. Quo conſpecto, rex, qui vereretur, ne coorenrione cootumaciam delegati alieno tempore irritaret, Villoclaro innuit, ut ah injurioſo ſermone, quod illi praeſentia regis freto ſolemne erat, temperaret. Ipſe moderata oratione Pariſienſeis increpuit, et celeritate periculo praevertendum monuit, quod ex nimia cunctarione et praepoſtero libertatis et immunitatum tuendarum ſtudio non ſolum regno ſed etiam privatorum fortunis impenderet: oeque tamen ſe commune periculum propterea neglecturum dixit, ſed curaturum, ut ope melius erga ſe et patriam animatorum civium adjutus belli neceſſiratibus ſubveniret. Commodumque tunc accidit, ut Ludovicus Goozaga [b] Nivernii dux opimas diriones extra regnum in Flandria, nec non Carolus [c] Halvioius Pienna illuſtri familia ex [d] Pleumoſiis oriundus avitum patrimonium, quod io illis locis poſſidebant, grandi pecunia divenderent; quam uterque regi officioſe commodavit, acceptis in [e] Armorica ex fundis regiis pignoris loco amplis vectigalibus.

INTERPR. [a] *de Villequier.* [b] *Nevers.* [c] *de Hallwin, ſieur de Pienne.* [d] *Flandre.* [e] *Bretagne.*

vectigalibus. Multa praeterea contra inducias a regiis facta; quarum praecipuum caput erat de urbibus ſecuritatis loco tradendis; quod et ad cetera ab Alençonio et Proteſtantibus impetranda viam ſtraverat: verum id magna ex parte regina eluſit. Nam neque Mezeria in Condaei manus conſignata eſt; et [a] Engoliſmam Monpenſerio profecto, ut urbem Alençonio traderet, Philippus [b] Voluirius Ruffecus provinciae praeſes portas aperire recuſavit; excuſans ſe, quod, cum ob fidelem regi contra perduelleis navatam operam multorum odia in ſe concitaſſet, nullum ſibi, Engoliſma in Proteſtantium manus tradita, tutum receptum toto regno videret; ſe Ludovici [c] Berengarii Gaſtii nuper Lutetiae ſub regis oculos perfidioſe interfecti exemplo terreri. Proinde Alençonium rogabat, etiam atque etiam videret, ne et ipſe fluxam illorum, qui cum ipſo nunc eſſent, aliquando fidem experiretur. [α] Quod vero de Gaſtio Ruffecus addebat, id ad injuriam Alençonii pertinebat, quippe cum eo non inſcio caedes patrata crederetur. Res autem in hunc modum accidit.

X. GASTIUS, elato ſupra fortunam animo et eleganti inſuper ingenio praeditus, ad haec favore regis fretus, eo veſaniae venerat, ut principibus viris dignatione ſe aequalem putaret, multos prae ſe contemneret, procacitate etiam verborum erga nobiles aulae foeminas contumelioſus; quarum pudorem mordacibus dictis palam et apud regem ſugillabat. Ne [β] [d] principi quidem foeminae ab ipſo parcitum: quae et privata injuria, et aliarum, quas ille itidem offenderat, querelis incenſa, ut eſt ultionum genus foeminarum avidum, Gulielmum [e] Pratenſem Vitellianum, qui Antonium [f] Alegrium Milialdum a rege Poloniae in novum regnum profecturo ex [g] Arvernis accitum ante biennium interfecerat, ſicuti ſuo loco diximus, tunc forte in Auguſtinianorum coenobio Lutetiae latentem noctu convenit, et blanditiis hominem fundendo inimicorum ſanguini aſſuetum et ex felici ſucceſſu ad caedeis efferatum, ut et ſuae et ſimul ipſius injuriae ultor eſſe vellet, perpulit: non eum latere, poſt Milialdum occiſum, cum plerique ut jure factum excuſarent, Gaſtium ſolum longo tempore interceſſiſſe, quo minus gratia ei fieret, vixque interventu Polonorum tandem Carolum regem placatum; nunc vero crebris criminationibus apud regem, qui nunc eſt, traducere ipſum non ceſſare, et tanquam proditionibus infamem, et eadem olim contra ipſum regem, niſi Deus avertat, auſurum in periculum vocare: quinetiam adeo regi gravem et ob intolerandam ſuperbiam moleſtum eſſe, ut non multum de ipſo, ſi e medio tollatur, laboraturus videatur; tutum vero ad [γ] Alençonium poſt caedem patratam percuſſoribus receptum fore, qui magni beneficii loco accepturus ſit, ſi de homine erga ſe etiam injurioſo, et quem regis odium contra ſe exacerbare ſciat, poenae ſumantur. His vocibus foemina dignatione potens et perſuadendi efficax, blanditiis etiam additis, hominem periculo proprio admonitum ad caedem patrandam facile impellit; quippe qui potentem inimicum e medio tolli privatae ſalutis ſuae intereſſe crederet. Gaſtius magna ducum militarium et centurionum manu ſtipatus ſemper incedebat; quos et quotidie menſae adhibebat, immodicis ſumptibus munificentiſſimi erga ſe principis liberalitatem exhauriens. Verum, cum matronam quandam aulicam deperiret, modicas aedeis illius aedibus contiguas haud longe a [h] Lupara conduxerat, ex quibus aperto muro per poſticum hinc inde ſecreto commeabatur. Itaque, ut conſuetudine dilectae foeminae frueretur, temporius amicos et reliquam familiam, quae in hoſpitio vicino aliquot interjectis aedibus longiuſcule divertebat, poſt coenam dimittere ſolebat, ac paucos tantum cubicularios penes ſe retinebat.

VAR. LECT. [α] *Haec de Gaſtio et Gul. Pratenſi Vitelliano narratio, ultra paginam totam excurrens, uſque ad* qui ad extremum, *deeſt D.* f. d.

[β] Margaritae quidem Navarri uxori ab ipſo parcitum *MS. Samm. Put. et Rig.*

[γ] Alençonium fratrem *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Angouleſme.* [b] *de Voluire, ſieur de Ruffec.* [c] *Berenger du Gaſt.* [d] *la reine Marguerite.* [e] *du Prat, baron de Viteaux.* [f] *d'Alegre, ſieur de Millaud.* [g] *Auvergne.* [h] *le Louvre.*

retinebat. Quo obſervato, [a] Vitellianus Kal. Novembris ut caedi patrandae opportunas deſtinat; quippe cum illa die, qua pervigilium defunctorum celebratur, ob horrendam tintinnabulorum tota urbe pulſationem, clamores, ſtrepitus et fragores vix exaudiri poſſint, et feſſi cuncti diurna per ſana diſcurſatione maturius ſe domum ad quietem recipiant. Igitur ille ſub veſperam cum percuſſoribus, quos longo ante tempore ad id fidos circa ſe habebat, aedeis [b] Gaſtii ingreditur; et turbae ſamulorum in area heros ſuos expectantium immiſtus, cunctis egreſſis, ſolus cum ſuis remanſit, commoditatem opperiens: ubi paulum moratus per ſcalam ad vicini conclavis, ex quo in cubiculum, in quo Gaſtius dormire conſueverat, intrabatur, oſtium tendit: quo forte per puerum aperto, ipſe cum ſuis irrumpit, relictis, qui oſtium ſervarent, et ad lectum jam jacentis et librum manu tenentis, nam ſe nocturna lectione plerumque oblectare conſueverat, recta tendit, ac funalibus extinctis, et per ſuos occiſis, qui circa eum erant, cubiculariis, ipſum occupat; et crebris ictibus, antequam venabulo, quod ad pulvinar habebat, rapto ſe defendere poſſet, confoſſum in pavimento reliquit, ceteris, qui in cubiculo et proximo conclavi pauci erant, et exitum non habebant, mutire non auſis; quorum unus in caminum ſe ſurſum ejecerat, alii ſub tectis latebant. Ita re confecta, Vitellianus cum ſuis loco ante notato per funem ſe ſtatim e muris urbis demittit, antequam fama ad regem emanaſſet; equiſque pernicibus conſcenſis ad id paratis fugam capeſſit, et ſe ad Alençonium recipit. Factum ut audaciae plenum, et cujus exemplum timebatur, rex indigne tulit: ceterum hominis morte haud ita doluit, cujus animi magnitudinem ſuſpectam habebat, et quem tanquam aſperum monitorem et a ſoluta vita, ad quam totis deſideriis impotenter ferebatur, ad cogitationes principe dignas ipſum imperioſe revocantem metuebat. Mortuo magna pompa parentatum eſt, funus deducentibus primoribus e nobilitate, qui vivum dilexerant, et regi gratum facturos ſe putabant, militaribus praeterea magno numero viris ac centurionibus. De caede etiam quaeſitum: ſed mox, quaſi incertis auctoribus, quaeſtio omiſſa eſt. Et hoc eſt, quod juxta maligne et artificioſe [c] Ruffecus Alençonio exprobrabat, exemplo ſe Gaſtii terreri dictitans: qui ad extremum, ut invidiam repulſae molliret, Alençonium rogavit, ſi quidem omnino [d] Engoliſmam a rege promiſſam in poteſtate habere vellet, ejus cuſtodiam fidei ſuae potius quam alterius cujuſdam ex foederatis aut Proteſtantibus crederet. Cum nihilominus crebris reginae literis interpellatus obnixe, an ex compacto incertum, recuſaret, nec magis Franciſcus [e] Grangius Montinius, qui [f] Avaricum Biturigum tenebat, imperio regio pareret, regina conſulto rege, utriuſque loco, fanum [g] Joannis [α] Angeriaci in Santonibus et [h] Cognacum in Engoliſmenſi agro Alençonio conceſſit. Lanovius fanum Joannis, [i] Bateresſius Cognacum, eodemque tempore [k] Buſſius Amboſius [l] Salmuriam et Charitaeum miſſi, qui ea oppida Alençonii nomine poſſeſſum irent, cum Non. Decembribus Ludovicus [m] Sangelaſius [n] Niortium a Vido Dallonio Ludae comite, regis juſſu traditum, cum tribus peditum cohortibus ingreſſus eſſet.

XI. QUIBUS actis, Alençonius, ubi [o] Ruffecum rediit, regina inſtante, quae eo uſque ad eum venerat, inducias ante menſem pactas in caſtris x Kal. Jan. promulgari mandat; et interim tamen omnia ad bellum comparat, Antonio [p] Sillio Rupipotio prius Rupellam cum literis fiduciariis miſſo, qui et cauſas coram explicaret, cur in inducias conſenſiſſet, neque adhuc auxiliarem Germanorum exercitum in regnum introduxiſſet: nam eas fere copias ſine pecunia inutileis eſſe, pluſque periculi a ſeditione,

Germanis

VAR. LECT. [α] Angeriaci *deeſt D. f. d.*

INTERPR. [a] *le baron de Viteaux.* [b] *du Gaſt.* [c] *de Ruffec.* [d] *Angouleſme.* [e] *de la Grange, ſieur de Montigny.* [f] *Beurges.* [g] *S. Jean d'Angely en Saintonge.* [h] *Cognac en Angoûmois.* [i] *la Battereſſe.* [k] *de Buſſy d'Amboiſe.* [l] *Saumur & la Charité.* [m] *de S. Gelais, ſieur de Lanſac.* [n] *Niort.* [o] *Ruffech, place à ſix lieuës d'Angouleſme.* [p] *de Silly, ſieur de Rochepot.*

CIↃIↃLXXV. HENRICUS III.

Germanis ob non ſoluta ſtipendia tumultuantibus, impendere, quam opis in eorum viribus repoſitum eſſe: id [a] Thoraei caſu, cum quo ipſe Rupipotius erat, ſatis perſpectum: itaque tantiſper, dum res pecuniaria expediri poſſit, eorum adventum retardari conſultum duxiſſe: tantum a rege CL aureorum CIↃ per inducias in menſem ſuppeditari potuiſſe, cum exercitus a Condaeo adducendi ſtipendia menſtrua ad CCL excurrant: proinde orare, ut in tam neceſſarii belli ſumptus pecuniam pro viribus conſerant, et ceteris ad idem faciendum exemplo ſuo praeeant. Prolatae et in eam rem Condaei literae [b] Argentina x Kal. Dec. datae, et alterae Theodori Bezae poſtridie ſcriptae; quibus ſpes de numeroſo exercitu a Condaeo adducendo fiebat. Ipſe valetudinis incommodum cauſatus, quo minus eum ſequeretur, ſe excuſabat; monebatque, ne toties decepti ſe aulicorum artibus rurſus circumſcribi paterentur; ſed cautius, oblatis a Deo remediis, in poſterum ſibi conſulerent. Adhaec, Rupellani, laudata Alençonii, quem et ſummi armorum pro regni tranquillitate ſuſceptorum ducis titulo ornant, prudentia et egregia erga ipſos voluntate, ut in ea conſtanter perſeveret, quam poſſunt enixe rogant. De cetero ſe excuſant, quod, praeteritarum calamitatum, quarum ſpectator et pars ipſe fuerit, occaſione, non quantum velint et dignum ac juſtum ducant, exhauſtis in bello hoc privatorum facultatibus, conſerre poſſint. Interim exiguam ſummam, ut boni conſulat, orant; inſtantque, a regina impetret, ut [c] Marano et Benone proximis urbi locis praeſidia deducantur: quippe horum ſeu continuis excurſionibus ſeu metu fieri, ut vicini induciarum beneficio frui non poſſint. Ita honorifice dimiſſus Rupipotius: et miſſi cum eo urbis delegati, qui pecuniam ad Alençonium deſerrent; quos peramanter ille exceptos verbis benevolentiae plenis oneratos domum remittit; brevi ſe delegatos miſſurum pollicitus, qui de negotiis ad rempublicam pertinentibus cum ipſis capita conferant. [a] Ii fuere Joannes [d] Laſinius Bellovaſius, Digoinius, et Rancherius Fulcauderius, homo pertinax et vehemens, qui Alençonio auctor fuerat, quo regiam auctoritatem labefactaret ac ſuam eveheret, ut in omnibus urbibus, quae cauſae communis, ipſius auſpiciis, partes ſequerentur, aliquem e nobilitate haberet, rerum, quae iſtic agerentur, inſpectorem; qui et conciliis omnibus veluti praeeſſet, et rem pecuniariam curaret: item, ut judiciarius ordo belli tempore ſic inſtitueretur, ut appellationes ab inferioribus judicibus ad concilium penes Alençonium inſtitutum devolutae ab eo deciderentur; quod ſi obtineretur, homo vanus in Alençonii concilio, dum alii ferro decertarent, ſe regnaturum ſperabat. Verum has excogitationes, ſcripto ſe excuſantes, poſtremo rejecere Rupellani, cum dicerent, nullum ſe alium praeter urbis [e] Majorem unquam praefectum admittere conſueviſſe; in eoque omnia fere jura ſua ac libertates conſiſtere, quas inviolatas ſervaturum ſe Alençonius receperit: quod ad appellationes, ſic a majoribus ſuis uſum eſſe, ut eae ad ſenatum Pariſienſem devolvantur; et, brevi cum pacis conſtituendae ſpes ſit, non videre, cur in ordine hactenus recepto quicquam innovari debeat. Fulcauderius, qui, refutati conſilii initio a Rupellanis facto, ceteras urbes exemplo eorum ſe excuſaturas provideret, acriter inſtabat, ut non ſcripto ad oblatas petitiones reſponderetur, ſed ipſi in concilio audirentur; hoc enim ad Alençonii, cujus nomine veniant, dignitatem pertinere, quam indigne habitam gravi querimonia inſtituta cauſabatur. Itaque, ut hominis petulantis et Alençonii nomen ubique inclamantis ſatis deſiderio fieret, illi ſenatus ad [f] Ivonis-fanum datur; ubi auditus, cum fruſtra inſolenteis petitiones interpretatione mollire conatus eſſet, non aliud tamen ab eo, quod ſcripto comprehendebatur, reſponſum tulit, conſilio temerario pariter refutato, et ejus auctore deriſo. Fama interim, quaſi induciae ruptae eſſent, et de clandeſtinis ad urbem intercipiendam

initis

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur uſque ad* Fama interim, *deſunt*, 23 *lineis omiſſis* D. f. d.

INTERPR. [a] *de Montmorency, ſieur de Thoré.* [b] *Strasbourg.* [c] *Marans & Benon.* [d] *de la Fin ſieur de Beauvoir la Nocle, de Digoines, & Rancher de la Foucaudiere.* [e] *le Maire.* [f] *St Ivon.*

initis conſiliis maligne a quibuſdam ſparſa: quae cum evanuiſſet, induciae, poſt longas altercationes, cujus juſſu et auctoritate promulgarentur, cum id juris ſibi Alençonius vindicaret, oppidani, contra, ſi alium quam Majorem agnoſcerent, magnum libertati ac privilegiis ſuis praejudicium inde fieri contenderent, tandem Majoris juſſu et auctoritate in urbe publicatae ſunt Januario inſequenti. Quo eodem tempore, rebus, ut ſibi videbatur, ex voto pro tempore compoſitis, regina, relictis io Alençonii comitatu Monpenſerio et Momorantio, in aulam rediit. Exinde, cum Ruffeco Alençonius in [a] Biturigas rediiſſet, rumor ſpargitur, quaſi ipſi et Thoraco venenum propinatum eſſet: quod ſive verum, ſive artificioſe, nt propius vero ſit, confictum fuit, certe ea de re diligenter ad Rupellanos et foederatas urbes perſcripſit Alençonius, et, ut de ſalute ſibi raro Dei beneficio cooſervata gratias ſecum Deo agerent, rogavit; co officio, ſicuti prudentiotes ſentiebant, ſecretae cum fratre aut parente conſenſionis ſuſpicionem ſe purgare poſſe exiſtimans, ita ut omni diffidentia ſublata arctiore in poſterum cum ipſis voluntatum et ſtudiorum vinculo conſtringeretur. CIƆIƆLXXV. HENRICUS III.

XII. HIC annus Romae memorandus fuir Jubilaei celebratione; quo eum ex omnibus orbis Chriſtiani partibus quamplurimi religionis ac votorum cauſa proficiſcerentur, et Carolus Fridericus Cliviae princeps venit, cum paulo ante ex Maximiliani Caeſaris avunculi aula, ubi totum triennium conſumpſerat, diſceſſiſſet, et perhonorifice a Gregorio XIII exceptus in Vaticano hoſpitium habuit. Verum mox inde Neapolim viſendarum antiquitatum cupiditate excurrens, comite viae Stephano Pighio, harum rerum ſumme perito, qui et ejus iter atque adeo vitam prolixo opere Herculis Prodici nomine inſcripto explicavit, cum Romam rediiſſet, ſebre correptus, fruſtra tentatis a medicis remediis, et ab Alexandro [b] Petronio in primis, qui aegrotanti ſemper adſedit, tandem V Eid. Febr. animam Deo reddidit, cum vix XX annos exegiſſet; princeps rara indole et virtutibus, quae brevis aevi curriculo concluſae fructus tanta exſpectatione dignos non tulerunt. Pontifex id aegre admodum tuliſſe dicitur; et literas conſolationis plenas ad Willelmum patrem ſcripſit, quae illi per Gaſparem [c] Gropperum, qui res pontificis [d] Coloniae pro tempore procurabat, redditae ſunt. Dolorem et inde conceptum publico moerore declaravit pontifex, prohibita, ſive ob anni ſancti religionem, ſive ob inopinatum principis obitum, [e] Bacchanalium temulenta per illos dies agitari ſolitorum laſcivia. Funus mortuo ſumma magnificentia factum; et corpus ex patris voluntate in aede B. [f] Mariae, quae Teutonicorum dicitur, ex adverſo monumenti in dextro pariete Hadriano VI Ultrajectino erecti, depoſitum eſt poſtridie Kal. Mart. ubi altero poſt anno parens Willelmus magnificentiſſimum ex pretioſis marmoribus ſepulchrum in ſiniſtro cellae pariete exſtrui curavit. Eo mortuo, illuſtriſſimae familiae ſpes cum in Joannem Willelmum alterum ex filiis ſuperiore anno [g] Monaſterienſem epiſcopum electum recumberet, ille dignitatem ea conditione ejeravit, ut in Erneſtum [h] Baioarum epiſcopum [i] Friſingenſem conſobrinum ſuum conferretur: ſed, diffidente ſacrorum ſodalium collegio, et ad Henricum Saxonem archiepiſcopum Bremenſem majore eorum parte inclinante, pontifex, apud quem tunc Erneſtus erat, ut impetum ſodalium frangeret, et, tempore mollitis eorum animis, Erneſto, cui gratificari cupiebat, eam aliquando dignitatem conciliaret, ejerationem Joannis Willelmi irritam pronunciavit; et ita decennio amplius poſtea Joannes Willelmus Monaſterienſem epiſcopatum retinuit; tandem in Erneſtum, ſicuti ipſius et pontificis votum erat, prenſatis ſodalium ſuffragiis tranſlatum.

XIII. POST Clivenſem principem memorandus venit Henricus [k] Roanus Leonii in Armorica princeps, ob ſplendorem familiae, quae cum tot regibus ac toties adfinitate

INTERPR. [a] *Berry.* [b] *Petronio.* [c] *Gropper.* [d] *Cologne.* [e] *le Carnaval.* [f] *Noſtre Dame des Allemans.* [g] *de Munſter.* [h] *de Baviere.* [i] *de Friſingen.* [k] *de Rohan, prince de Leon en Bretagne.*

CIƆIƆLXXV.
HENRICUS III.

adfinitate olim contracta clara, et nuper [a] Eliſabetha Labretana Joannae Navarrae reginae Henrici, qui nunc eſt et regnum Franciae tenet, parentis amita, in Roanam domum deducta, merito inter illuſtreis recenſeri debet. Nam ex eo matrimonio Henricus prognatus erat, qui Junio menſe hoc eodem anno arthritide diu ante vexatus in [b] Belini arce ſtupendi operis ac regia magnificentia exſtructa fatis conceſſit, relicta tanti nominis et ampliſſimarum poſſeſſionum herede unica filiola XI annorum, quae paulo poſt et ipſa deceſſit, et [c] Renatum patruum heredem habuit, Proteſtantium primarium ducem; qui mox Catharinam [d] Parthenaeam, Joannis Subizae toties memorati filiam et heredem, uxorem duxit, nuptiis ſumma laetitia, quantum per calamitoſa tempora licebat, [e] Rupellae celebratis. Eodem hoc anno Romae ad Deum migravit XV Kal. April. M. Antonius [f] Boba Caſalenſis, ob fidam Philiberto Emmanueli Sabaudiae duci navatam operam in cauſa Montisferrati principatus, qua tamen Caroli V Caeſaris judicio cecidit, ejuſdem Philiberti commendatione in collegium cardinalium ante decennium cooptatus: qui poëtica felicitate et eleganter ſcribendi ac loquendi facultate inter alias animi dotes, nec non arcta, quae mihi licet admodum juveni cum illo, dum Romae eſſem, interceſſit, neceſſitudine meruit, ut ejus heic honorificam mentionem faceremus. Nec praeteriri debet [g] Bernardinus Rota, non plus generis quam ingenii nobilitate illuſtris, quod ille in poëtica Latina et Etruſca non exigua cum laude exercuit; et, cum tota vita literatos coluiſſet, exeunte hoc anno Neapoli, ubi natus erat, VII Kal. Jan. non ita ſenex fatis conceſſit. Majore cura dicendi, ſi ad alia properanti liceret, duo hac aetate mathematicis ſtudiis inſignes viri, Franciſcus [h] Maurolycus Syracuſanus [i] Meſſanae abbas, qui ſcriptis ſuis praeclaras has artes plurimum illuſtravit, et Fridericus [k] Commandinus nobili familia [l] Urbini in Umbria natus, qui, ad eaſdem illuſtrandas cum exquiſitam utriuſque linguae peritiam attuliſſet, multa Graecorum primus in lucem protulit ac interpretatus eſt; gratia et favore Franciſci Mariae Urbini ducis excellenti harum ſcientiarum, quod in principali faſtigio rarum eſt, cognitione praediti ſublevatus; quibus in ſtudiis aſſiduus dum in Pappi Alexandrini interpretationem adornat, anno aetatis LXVI vivis exemptus eſt, in patria urbe ad B. Franciſci in monumento majorum conditus, et ab Antonio [m] Toronaco oratione funebri laudatus. [α] Eodem fere tempore et Matthias Flaccius [n] Illyricus, ſummus inter Proteſtanteis pontificiae auctoritatis oppugnator, et ob eandem vehementiam Philippo Melanchthoni praeceptori olim ſuo non ſatis aequus, poſt acerbas et ſaepius repetitas inter Auguſtanae confeſſionis ſocios contentiones, potius laboribus quam ſenio confectus fatis conceſſit. Hunc ſecutus eſt Henricus Bullingerus, [o] Bremogarti Helvetiorum oppido natus anno hujus ſaeculi quarto, Helveticae confeſſionis poſt Zuinglium et Oecolampadium ſummus propugnator, et, illo mortuo, ad [p] Tigurinae eccleſiae curam vocatus, ſed mitiore quam doctor ſuus ingenio praeditus; in qua cum XLIII annos exegiſſet, variis ac prope infinitis ſcriptis editis, tandem ſenio gravis deceſſit XV Kal. Oct. a Joſia [q] Simlero Tigurino viro doctiſſimo, qui non diu ipſi ſupervixit, laudatus, et variis variorum carminibus epitaphiis celebratus. Fuit et hic annus climactericus et fatalis Hadriano [r] Junio Hornano, rara utriuſque linguae, antiquitatis et humaniorum literarum cognitione, philoſophiae praeterea ac medicinae ſtudiis praeſtanti; quod complura multiplicis doctrinae ab eo elucubrata monumenta abunde teſtantur: qui, cum [ſ] Harlemi in Batavis ſuis larem poſtremo fixiſſet, obſidione illa ante biennium memorabili cum familia expulſus,

VAR. LECT. [α] *Hic ſequitur in D. ſ. et D. d. Xylandri elogium: quod in Ed. Gen. atque adeo in hac noſtra,* lib. LXII. *ponitur.*

INTERPR. [a] *Iſabelle d'Albret.* [b] *Bellin.* [c] *René de Rohan, baron de Frontenay.* [d] *de Parthenay, ſieur de Soubize.* [e] *la Rochelle.* [f] *Bobba de Caſal.* [g] *Bernardino Rota.* [h] *Maurolyco de Siragoſa, ou Siracuſe, en Sicile.* [i] *Meſſine.* [k] *Commandino.* [l] *Urbino nella Romagna.* [m] *Toronei.* [n] *de Sclavonie.* [o] *Bremgarten.* [p] *de Zurich.* [q] *Simler.* [r] *Junius de Horn.* [ſ] *Haerlem.*

expulſus, ad [a] Armoidam juxta [b] Mildeburgum in Mattiacis ſe contulerat; ubi, cum CIϽIϽLXXV.
fruſtra conſilio ac diligentia ſua concivibus laborantibus opem ferre conatus eſſet, ex HENRICUS III.
coeli mutatione, quod illis craſſius valetudinem ejus non mediocriter afflictavit, inſuper taedio acciſarum rerum et bibliothecae inſtructiſſimae in primis in Harlemi expugnatione deceptae deſiderio in lethalem morbum incidit, et XVI Kal. Quintil. animam de republica literaria optime meritam Deo reddidit, Mildeburgi curante Petro filio honorifice ſepultus. Junium praeceſſit Gulielmus [c] Canterus, [d] Ultrajecti in Batavis patritia familia natus, ut patria ſic ſtudiorum ſimilitudine conjunctiſſimus. Nam, primis utriuſque linguae rudimentis ſub Joanne [e] Aurato optimo juventutis praeceptore Lutetiae factis, induſtria propria tantum poſtea profecit, ut editis quamplurimis ſcriptis inter eruditiſſimos ſui ſaeculi numerari meruerit; plura utique praeſtiturus, niſi eum ex rerum Belgicarum infauſto augurio moeror conceptus et ex moerore mors immatura eripuiſſet; nam nondum XXXIII aetatis annum expleverat, anno hujus ſaeculi XLII, IX Kal. Quintil. natus, et V Kal. Junias hoc anno denatus.

XIV. INTEREA, dum frequenti peregrinantium concurſu cuncta Romae perſtreperent, longe diverſi reipublicae Genuenſium motus erant, paene inteſtinis diſſidiis hoc anno everſae: quorum originem altius repeti ad rem facere videtur. Ante CCC annos, cum hinc Spinolarum et [f] Auriarum, inde [g] Fliſcorum et Grimaldorum, quae principes Genuae familiae erant, odiis privatis ac ſimultatibus crudeliter et avare LXX amplius annorum ſpatio lacerata fuiſſet reſpublica, ad extremum, qui patrias leges et jugum domeſticum ferre non poterant, ad alienas opes confugere et externorum principum dominationem experiri coacti ſunt, ſub Henrici VI Caeſaris, Roberti [h] Andini regis Neapolitani, deinde ſub regum noſtrorum et [i] Vicecomitum Mediolanenſium imperio, per annos complures haud melius habiti, tandem Simonis [k] Boccanigri virtute priſtinam libertatem recuperarunt. Is anno [1] CIϽCCCCXLIV, excuſſo Vicecomitum jugo, rempublicam conſtituit; et dux creatus, ut diſſidiorum cauſas impoſito ambitioni patriciorum fraeno praecideret, legem condidit, qua nobiles, ſic vocabantur illi qui in republica ab anno CIϽC (neque enim altius reipublicae ſuae originem repetunt Genuenſes) honoribus et muneribus publicis participaſſent, a principatu et ceteris fere magiſtratibus arcebantur; quos ſolis popularibus gerere jus eſſet. Populares autem ii dicebantur, qui tunc novi, hoc eſt, nondum munerum publicorum participes; qui exinde ſoli fere ſummos magiſtratus in republica geſſerunt, excluſis Spinolis et Auriis, qui tunc ejectis Grimaldis et Fliſcis rerum in patria potiebantur; aſtu tamen illorum, quod jam vi aperta non audebant, tandem effectum eſt, ut, ſubortis inter popolareis factionibus, et praecipue inter Fulgoſios et Adornios, dum hi ad has, illi ad alteras partes ſe applicant, cuncta rurſus in urbe et civili adminiſtratione miſcerentur, principatu tamen ſummo ſemper penes populareis manente; donec Octavianus [l] Fulgoſius, vir magni animi, ſed majore erga patriam charitate, a Raphaële [m] Ponſono perſuaſus, cum rerum potiretur et de Adorniis ultionem ſumere poſſet, arce, quae a noſtris tenebatur, recepta, cum eam ad privatam potentiam firmandam retinere poſſet, deſtructa, inimicitias reipublicae condonavit, et XII viros reipublicae ordinandae creavit; qui, ſopitis diſſenſionibus et factioſis nobilium et popularium nominibus extinctis, concordiam

INTERPR. [a] *Arnemuyden.* [b] *Middelburg en Zelande.* [c] *Canter.* [d] *Utrecht.* [e] *Dorat.* [f] *Doria.* [g] *de' Fieſchi & Grimaldi.* [h] *d'Anjou.* [i] *Viſconti di Milan.* [k] *Boccanegra.* [l] *Fregoſe.* [m] *Ponſone.*

NOT. [1] Simo Buccaniger dux creatus fuit A. D. CIϽCCCLVI, expulſis Vicecomitibus. Paucis quidem ante annis rerum in urbe arbiter fuit, nondum tamen Vicecomitibus rerum in Genua potitis; ſed poſtea exul, dum Joannis Vicecomitis archiepiſcopi Mediolanenſis ejuſque nepotum jugo ſubeſſet urbs, non ante annum ſalutis CIϽCCCLVI civitati reſtitutus fuit: et tunc dux creatus, rempublicam, excluſis nobilibus, honoribuſque ſummis popularibus ſolis addictis, conſtituit. Lege ergo CIϽCCCLVI. *C.*

CIↃIↃLXXV. HENRICUS III.

concordiam inter civeis et unionem reſtituerent. Verum enm Adornii rurſus, ejectis Gallis, ſummam rerum ad ſe traxiſſent, tam ſanctum ac laudabile Fulgoſii propoſitum ſucceſſu caruit; quanquam Auguſtinus [a] Folieta omnem operam daret, etiam Clementis VII auctoritate interpoſita, ut Adornii ſimultatibus depoſitis procedentia tam feliciter aemulorum conſilia perſequerentur, et hoc decus, quod illis fortuna inviderat, ejuſdem fortunae beneficio ſuum facerent. Tandem Andreas Auria, cum alieno maxime tempore partes noſtras deſeruiſſet, et hoc operae pretium a Carolo V Caeſare obtinuiſſet, ut patriae libertas reſtitueretur, pacis in civitate conſtituendae jactis ab Octaviano fundamentis ſuperſtruere voluit, et novam reipublicae formam anno hujus ſaeculi XXVIII inſtituit, qua nobiles et populares, abolitis factionum nominibus, in unum veluti corpus conjungerentur, et utrique ſummis honoribus, a quibus nobiles qui antea dicebantur per [1] XCIV excluſi fuerant, aequabili jure participarent. Ea autem ratio inita eſt; ut recenſitis omnibus familiis, excepta vili plebe, ex toto illo numero ampliores ſeligerentur, quae ſex domos ſive alias familias ex ſe profectas, ſed diſtinctas, tanquam propagines a ſe deductas haberent, in quas reliquae omnes, quae ad minorem numerum redactae erant, veluti adoptione aſſumptis eorum nominibus insererentur. Cenſu diligenter habito, hujuſmodi conditionis tantum XXVIII familiae repertae; et ex iis XXIII ex nobilium ordine; V tantum ex populari; eae fuerunt [b] Juſtinianeorum, Furnariorum, Francorum, Sauliorum, et Promontoriorum; Fulgoſiis et Adorniis, ob crebras ſibi invicem clades inflictas, exilia ac proſcriptiones, ad minorem numerum redactis, quam ut per eam legem familias in urbe conſtituere poſſent. Tum, ut diſſidiorum, quae per factioſa illa nobilium et popularium nomina renovabantur, ~~memoria ſepeliretur~~, deliberatum, quo nomine univerſi ita veluti in unum corpus conjuncti deinceps appellarentur: et quibuſdam placebat, ut odioſum nobilium nomen omnino aboleretur, novo, quod utriſque commune eſſet, puta optimatum aut reipublicae conſiliariorum, in ejus locum ſubſtituto. Sed tandem poſt longas et acerbas contentiones obtinuit, ut nobilium nomen, quod et dignius et honeſtius eſſet, quodque aliae fere reſpublicae uſurparent, retineretur; quod cum utrique ordini jam confuſo communicaretur, invidia et odio, quod ordinum diſtinctio olim pepererat, in poſterum cariturum eſſet, honoribus ac dignitatibus, qui prius uni ordini attributi erant, jam cum utroque communibus. Quod prudenti ſane et aequitatis pleno conſilio ab Auria factum, qui, cum ordini ſuo, in quo Auriae principem locum ſemper tenuerant, priſtinos honores et antiquam dignitatem reſtitui cuperet, aequabile ſe jus inter ſuos conciveis dicere exiſtimavit, ſi inſertis populatium, quae dicebantur, in nobilium domos familiis, et, ſublata illa invidioſa nominum differentia, principatum urbis et ceteros magiſtratus, ad quos ſoli populares a tempore Buccanigri fere admittebantur, utriſque deinceps communeis faceret. Sic enim ſperabat fore, ut ſarta in praeſens optime, ut rebatur, per confuſionem illam concordia, tractu temporis ſtudia quoque ac voluntates coaleſcerent. Sed contra accidit. Nam nobiles, qui ſe illa rerum ordinatione in antiquam dignitatem reſtitutos viderent, priſtinis animis reſumptis, cum popularibus, quamvis in ſuas familias adopſatis, non eo, quo par fuit, animi candore ac fide uti pleriſque viſi ſunt: nam neque propterea eos affinitatibus inter ſe contractis aut conſiliorum de republica communicatione dignati ſunt; ſed, quantumvis utrique nomine in ſpeciem conjuncti viderentur, alteri tamen ab alteris ſemper ſeparatas rationes habuerunt; ſicque nobiles illi primarii res ſuas inſtituerunt, ut, cum ipſi familiarum, alteri capitum numero vincerent, in adipiſcendis tamen honoribus his illi aut ſuperiores eſſent aut eos ſemper aequarent: quod in

tanto

INTERPR. [a] *Foglietto.* [b] *Giuſtiniani, Fornari, Franchi, Sauli, Promontori, Fregoſi, & Adorni.*

NOT. [1] *Lege* CLXXII annos. Tot enim a CIↃCCCLVI, Democratiae conſtitutae anno, ad CIↃIↃXXVIII numerantur. *C.*

tanto popularium quotidie creſcente numero contra tam exiguum nobilium ordinem ſumme iniquum videbatur. Tamen; quamdiu [a] Auria in vivis fuit, hoc ejus meritis et auctoritati, quamvis extrema aetate ob decrepitum ſenium vileſcenti, datum fuit, ut populares quieſcerent. Tantum anno XLVII, poſt conjurationem Fliſcorum diſſipatam, ex Auriae, ex cujus nutu tota reſpublica tunc temporis pendebat, conſilio creati octoviri reipublicae ordinandae; IV ex [b] Antiquis, IV ex Novis: jam enim illa nova in locum nobilium et popularium invaluerat, peſſimo, ut poſtea apparuit, exemplo. Ii legem in Antiquorum gratiam condiderunt, qua concilium majus, in quod CCCC quotannis ex omni numero ſorte legebantur, ad CCC redigebatur; quibus C ſuffragio electi adjungerentur. XX ex primariis civibus delecti; VIII videlicet, qui S. Georgii magiſtratum, VII qui magiſtratum extraordinarium conſtituunt, et V ſyndici. Additum poſtremo in favorem item Antiquorum, ut C illi ſuffragio lecti XXVIII viros, ſic tamen ut duas tertias votorum partes vincere opus eſſet, eligerent, qui prius a V ſorte lectis nominabantur. Porro in illorum XXVIII poteſtate erat, Ducem et ceteros magiſtratus eligere. Quae quanquam in Antiquorum gratiam fierent, Novi tamen patienter utcunque pertulere, uſque ad annum LXX, quo Jacobus [c] Baſadona, ob repulſam in alicujus muneris petitione irritatus, multorum annorum intermiſſas Novorum querimonias renovavit; et jam palam domi et in circulis de republica in meliorem ſtatum reducenda conſilia habere coepit, accenſis partium utrinque ſtudiis; quibus acceſſit et recens injuria a Janoto [d] Lomellino Genuae principe, Matthaeo [e] Senaregae multa doctrina et prudentia inter ſuos claro facta; qua eum hereditarium ſecretarii reipublicae munus a majoribus ſuis poſſeſſum ejerare compulit, quod publicas literas contra principis conſenſum et alterius ex gubernatoribus obſignare ac reſignare jus ſibi eſſe contenderet. Deinde et alia inciderunt, quae acerbatis ſemel animis paene exitiabileis in urbe motus excitarunt. Nam Pallavicini ob privatas cauſas a ſenatu petierunt, ut [f] Rotuli non ex antiqua Pallavicinorum familia gentis ducere ſed in eam per legem inſerti fuiſſe declararentur; et Lomellini poſtea alieni aeris onus cauſati itidem a ſenatu petierunt, ut gentilitia familiae ſuae ſeries ex publicis inſtrumentis deſcripta in acta referretur, et ad eam aggregati anno XXVIII diſtinguerentur, ne confuſione illa rebus domeſticis praejudicium fieret: quod tamen a ſenatu obtineri non potuit. Haec Lomellino principe acta: in cujus locum praeter ordinem a ſenatu ſubſtitutus Jacobus [g] Grimaldus Duracius, qui quo majore moderatione rempublicam adminiſtravit, eo res quietiores fuere toto magiſtratus illius tempore, miſſo a Philippo interim Joanne [h] Idiaco, qui, vocato Sanctio [i] Padilia res Philippi Genuae procurante, cum utraque parte ageret, et diſſidiorum ſemina jam in apertam perniciem erumpentia amice inter eos componeret. Sed ſubortis rurſus ſuſpicionibus, quaſi homines externi cum armis ab Antiquis, qui numero impares erant, contra Novos introducti eſſent, rurſus tumultuari coepit: et cum Antiqui delegatos creaſſent, Hectorem Fliſcum, Franciſcum Spinolam, Baptiſtam Grimaldum, Stephanum [k] Marium, Georgium Auriam et Balthaſarem Lomellinum, Novi in Bartholomaei [l] Saulii aedibus congregati totidem e ſuo numero delegatos creant. Jamque res ad apertam ſeditionem ſpectabat, cum, tabernis clauſis, pretioſam quiſque ſupellectilem in tutum aſportaret, et, quamvis magiſtratu prohibente, cuncti huc illuc diſcurſarent, omnia denique in urbe ſuſque deque ferebantur, cum IV ex ordine populari a plebe delegati in ſenatum venerunt; qui compoſita oratione, ſed audaciae plena, petierunt, ut CCC ex plebe, qui oneribus ac tributis reipublicae gravabantur, ad honores pariter et magiſtratus cum ceteris civibus admitterentur, et, quod illis intermiſſa tam diu praeſcripta

CIↃIↃLXXV.
HENRICUS III.

a

INTERPR. [a] *Doria.* [b] *Nobili Vecchi e Nuovi.* [c] *Baſadonne.* [d] *Lomellino, doge' de Genes.* [e] *Senarega.* [f] *famiglia Rotula.* [g] *Grimaldo de Durazzo.* [h] *de Idiaquez.* [i] *de Padilla.* [k] *di Mari.* [l] *Sauli.*

CIƆIƆLXXV. HENRICUS III. a lege cooptatione tories injuſte denegatum erat, hac vice juris via rependeretur. Additae ad acerba verba etiam minae; ut, ſi id ſenatus per ſe non poſſet, id per ccc concilium fieri pateretur. Quod durum et inſolens non ſolum Antiquis ſed etiam Novis viſum, qui ea ratione hominibus ex plebis faece viam ad honores magno reipublicae diſpendio et omnium ordinum confuſione aperiri indignabantur. Tamen contra incitatam plebem opus diſſimulatione fuit, ne, ſi pro merito temeritas delegatorum plecteretur, majus ex eo periculum reipublicae crearetur. Impunita tamen illorum audacia fecit, ut non jam duae, ſicuti ab initio, ſed, veluti ſubſortitione quadam ſcindente ſe populari ordine, tres factiones ex illo exortae ſint, jam palam Antiquis ad [a] S. Lucae porticum, Novis ad B. Petri, plebeiis denique loco deſtinato convenientibus. Haec initia fuere ſeditionis longe pernicioſiſſimae, quae rempublicam paene hoc anno evertit. Nam, cum Novi urgerent, ut ordinatio reipublicae ultima anni XLVII aboleretur, et prior anni XXVIII in uſum revocaretur, plebs, quae tertiam factionem conſtituebat, viciſſim petebat, ut juxta priorem legem VII quotannis in ordinem nobilium ex plebe urbana cooptarent, ex III ex Liguſtico litore: quod non tam illis ab Antiquis negatum, quippe qui illis ſatisfieri debere, ſive aequum ſive neceſſarium, ut periculo ex ſeditione impendenti praeverteretur, exiſtimarent, quam Antiquis cum Novis in rei exequendae ratione diſſidentibus dilatum: quod cum plebs ad eludendam juſtam petitionem ſuam fieri interpretaretur, ex eo magis exacerbata eſt, per urbem licentioſe cum armis diſcurrens, et libertatem inclamans, ſi qui forte ex primoribus ad dulce libertatis nomen privatam ambitionem conſociaret, et ſe ducem incenſae plebi praeberet. Itaque Cypriani Pallavicini civitatis archiepiſcopi, et Philippi oratorum, M. Antonii Auriae [b] Carrecti Melfiae principis, et Jo. Andreae Auriae interventu edictum propoſitum eſt; quo praeſidium urbis augeri mandabatur; externi, qui ad tumultus famam undique advolaverant, urbe faceſſere jubebantur, addito, ut poſt duas noctis horas nemo cum armis per urbem incedere auderet; quod locum haberet uſque ad mediam Quadrageſimam; intra quod tempus delegati ab utraque parte convenirent, et de republica capita conferrent. Verum id exiguo profectu tentatum. Nam, cum utrique pari numero delegati inter ſe diſſiderent, (alii quippe ordinationem anni XXVIII, alii XLVII mordicus retinendam cenſebant) tandem Antiqui ſcriptum edunt VII Eid. Mart. ſummo temperamento; quo, deplorato reipublicae inter ſe diſſidentis ſtatu, quando ipſi cives ſibi per ſe conſulere non poſſunt, e re communi cenſent, antequam animi magis in mutuam perniciem exacerbentur, ut arbiter ab utraque parte eligatur, ea probitate, auctoritate et potentia, cujus judicio utrique ſtare teneantur. Ad quod ſcriptum Novi alio ſcripto reſpondent; quo, notata ſubinde adverſariorum ambitione, qui ccc aut judicium aut utilitatem privatam contra univerſae civitatis illorum legem damnantis et priorem obſervari petentis ſententiam ac commodum praevalere debere contendebant, non alium judicem deligi poſſe aiunt, quam aut magnum concilium Palatinum, aut univerſae civitatis conventum, penes quem turbaris temporibus ſumma rerum ſemper fuit. Inde res non verbis aut ſcriptis agi coepit. Nam, cum Jo. Andreas ab Antiquis rogatus, ut cauſae communis patrocinium ſuſciperet, et auctoritate ſua erga plebem efficeret, ut neutri parti operam ſuam addiceret, ille modo conſules artificum, modo ſerici panni textores prenſans et ſingulos benigne appellans a ſeditione dehortatur: non charitate patriae aut ipſorum levamento haec diſſidia excitari; ſed quo privatam utilitatem ex publico diſpendio captent, et vana libertatis ſeu potius licentiae ſpe oſtentata eos in commune bene meritorum de ſe civium exitium arment. Tum revocat in memoriam Andreae Auriae pro ſalute publica exantlatos labores, cui reſpublica libertatem ſuam

INTERPR. [a] *à l'egliſe de S. Luc & de S. Pierre dans les cloiſtres qui ſont voultez & en portique.* [b] *del Carretto, prince de Melphi.*

ſuam debeat; quod et publico elogio conſtet, et tot beneficiorum ab eo acceptorum ut memor ſit potius, quam aures temere pernicioſa ſuadentibus praebeat, quantum enixe poteſt, obteſtatur. Verum, alienatis ſemel animis, plebs, quae a praecipuae dignitatis viro dicerentur, non ea reipublicae bono dici, ſed aut ab infirmitatis conſcientia proficiſci, aut denique id aſtu fieri interpretata eſt, ut interea nobiles comparatis viribus imprudenteis nec opinato opprimerent. Itaque ſtatim ſparſo rumore, quaſi nobiles militem in urbem introducerent, cujus ope eam diriperent et ſubjugarent, arma per tumultum capiunt: vixque tandem Idiacus pervicit, ut intra triduum nobiles externum militem dimitterent; plebs viciſſim arma deponeret. Verum, dum ante tempus a Joanne Auria CCC triremibus ſervandis deſtinati tanquam jam dimiſſi per urbem incederent, feſtinationem illam ſecus interpretata plebs, quaſi ad portam S. Stephani occupatam amandarentur, ut ibi ſe cum Jo. Baptiſtae Auriae copiis conjungerent, vim in eos facit. In eo tumultu aliquot occiſi; vixque, occurrente ipſo Jo. Andrea habitu pacato, ſedata plebe, diſceſſum eſt. Inde nocte, quae XV Martii anteceſſit, magno numero in platea [a] Molis plebeii conveniunt, et Germanos ſtationarios inde citra ſanguinem dejiciunt, ac tormenta in poteſtatem redigunt: quibus dum palatium ipſum oppugnare ſe paratos paſſim jactitant, periculo territi nobilium delegati in ſenatum veniunt, et, ut efferatae plebis audaciae mature obviam eatur, inſtant; alioqui fore, ut ipſa ſibi e numero ſuo ducem conſtituat, ſicuti anno hujus ſaeculi ſexto fecit, caſdemque calamitates, quas tunc reſpublica perpeſſa eſt, invehat. Et placebat pleriſque, ut in publicum pacato habitu prodirent, et praeſentia ſua licentiam refraenarent, cunctoſque arma deponere juberent. Sed res aliis periculi plena videbatur. Itaque Jo. Bapt. Lercarus, ſenator gravis et multo rerum uſu clarus, cum aſtu id a Novis dici putaret, ut metu injecto lex anni XLVII abrogaretur, contrario aſtu eorum conſilium eludendum ratus, orationem in ſenatu habuit; qua cum veris in ſpeciem lachrimis deplorato rerum praeſenti ſtatu auctor fuit, ut plena poteſtas et rerum arbitrium in plebem conferretur: cujus ſuae ſententiae aſtipulatorem habuit Georgium Auriam; qui inſuper cenſuit, ut nemo eorum, quorum nomina ſenatus albo inſcripta eſſent, civium deinceps honoribus ac magiſtratibus in urbe participaret: quod ad invidiam adjectum, et ut Novi cum plebe committerentur: non enim, quem putarant illi, exitum habuit. Statimque habita deliberatione lex odioſa illa abrogatur, contradicentibus Januſio [b] Mario, Franciſco Lercaro, Nicolao Cataneo et Lazaro Grimaldo, qui et de abrogatione, ut vitio facta, proteſtati ſunt. Ipſe Jo. Bapt. Lercarus continuo inde ad [c] Idiaci et poſtea archiepiſcopi aedeis tendit, et coram ſecretario et vicario utriuſque itidem proteſtatus eſt, ſuaeque proteſtationis teſtimonium, quando a notario publico habere hoc rerum ſtatu non poſſet, ſibi dari poſtulavit. Lege abrogata, amplius plebs petiit, ut CCC e ſuo numero in album adſcriberentur; quod et obtinuerunt, Idiaco ad omnia prudenter diſſimulante, qui Alexandriae praefectum a marchione [d] Aimontano Mediolanenſis principatus prorege cum auxiliaribus miſſum faceſſere juſſit; et nobilibus, quibus alioqui in occulto favebat, auctor fuit, ut majoris motus evitandi cauſa Baptiſtam Spinolam Serravalle cum copiis advenientem, ut retro cederet, monerent. His et privata in Philippum injuria acceſſit, quam aeque prudenter Idiacus diſſimulavit, reſeratis a Novorum delegatis proregis ad Idiacum literis, et captis armis, quae ab illo, tanquam in Sardiniam portanda, Genuam mittebantur. Igitur rebus deſperatis nobiles, quid facto opus eſſet, conſultant; et multis, quorum ambitio ultionem admiſtam habebat, placebat, ut urbem, in qua cum dignitate ac ſecuritate manere non poſſent, quamprimum deſererent, ne

CIↃIↃLXXV.
Henricus III.

INTERPR. [a] *piazza del Molo, ou place de la Mole.* [b] *de' Mari, Fr. Lercaro, N. Cataneo, & L. Grimaldo.* [c] *de Idiaquez.* [d] *de Ayamonte, gouverneur de Milan.*

CIƆIƆLXXV. HENRICUS III. ne pernicioſis et ſeditioni propioribus ſua mota deliberationibus conſenſum praebere viderentur: et, ne interea huc illuc vagi et eventus incerti dilaberentur, de [a] Saona intercipienda rationem ineundam proponunt; cujus ope redacta ad anguſtias urbe rerum potentes in patriam tanquam victores brevi redire; et legem iis, a quibus eam indigne nunc accipere cogerentur, impoſituri eſſent. Contra alii, quibus major tranquillitatis publicae cura, differebant; nihil adhuc cauſae eſſe, cur patriam desererent, in qua mollita aequitatis temperamento lege anni XLVII, cum dignitate ac tuto degere poſſent; alioqui, ſi urbem deſerant, jure ſuccenſurum Philippum, qui reipublicae patrocinio ſuo commiſſae periculum minime ſit neglecturus, et per ſuos oratores curaturus, ſi quidem domi maneant, ut res citra armorum vim componantur: quod ſi diſcedant, belli in Italia gerendi Philippo, a quo maxime ille abhorret, neceſſitatem imponi: nam plebem tanti regis opes et ultionem veritam alterius principis aeque potentis auxilium imploraturam; ſicque non ſolum rempublicam ſed univerſae Italiae quietem in ſummum diſcrimen devocari: capta vero Saona, quid in rem communem profici? immo periculum ſubeſſe, eum, ut eam armis tueantur, opibus externis opus habeant, ne ea in externi principis manus deveniat: quod ſi contingat, ipſos culpae, quam in aliis accuſant, magis affineis fore: eam, ut Gallis eriperet, et patriae eum ea libertatem reſtitueret, Auriam olim Franciſci ſtipendiis renunciaſſe; idque ab ipſis Gallis, quorum res ea defectione in Italia evertit, in eo excuſatum, quem legis, quae nunc oppugnatur, conditorem laudant: quam eandem urbem ſi, dum audacia magis quam tuta conſilia ſequi malunt, pervicaci temeritate ſua externis hoſtibus prodant, non ſolum merita Auriae, quibus maxime nobiles antiqui nitantur, ſed univerſum ordinem nobilium invidia apud ſuos et nunquam interitura infamia in poſterum onerari: itaque ſatius videri, ut in urbe, quam diu tuto et honeſte licebit, maneant. Quod ſi neceſſario diſcedendum ſit et deſerenda patria, quae jam patria non ſit, conferto agmine diſcedant, ut coacti non ſponte eam deſerere videantur: ſic enim fore, ut brevi nobileis ipſos, qui remanſerint, plebis inſaniae ac furoris pertaeſos poeniteat, et, ſi quidem aequae conditiones proponantur, quod facturus ſit procul dubio Philippus, cives quam injuſte expulſi tam honorifice ab aemulis ſuis in patriam revocentur. His rationibus victi contrariae ſententiae auctores conſilium de Saona intercipienda omiſerunt. Sed cum ſibi a plebe metuerent, ſenſim huc illuc aſportatis quae pretioſiora habebant, dilapſi ſunt. Quidam ex iis remanſere, et in iis Franciſcus Lercarus; qui tamen, cum videret plebem nullum modum furendi facere, Finalium cum antiqua fere nobilitate conceſſit.

XV. An hujus motus famam pontifex et pro munere ſuo et a Philippo etiam rogatus partes ſuas interponendas cenſuit, deſtinato ad id Joanne [b] Morono cardinalium decano, praecipuae auctoritatis et prudentiae viro; quem aliquot diebus anteceſſit Jo. Franciſcus [c] Canobius a pontifice praemiſſus, ut civium ingenia ſalutarium Moroni monitorum capacia redderet: eum mox ſecutus eſt ipſe Moronus, a principe, ſenatu et univerſis, qui in urbe erant, honorificentiſſime exceptus. Tum ab utroque ordine delegati VI: et cum Jo. Antonius [d] Odiſcalcus occultis prenſationibus in eo laboraret, ut nobileis controverſiarum ſuarum judicium arbitrio Moroni pontificii legati permitterent; illi recuſarunt, cum dicerent, neque juſtum neque honeſtum eſſe, ut, cum duo Philippi reipublicae Genuenſis defenſoris oratores adeſſent, hoc negotium, iis inconſultis, agitaretur: ſolique ex eo ordine Silveſter [e] Cataneus et Nicoroſius [f] Palavicinus delegati in urbe cum Morono manſerunt; auctis interim ſuſpicionibus, quaſi Saonae praefecti occulta de arcibus prodendis cum nobilibus, qui Finalii erant, conſilia iniiſſent; ſtatimque decreto ſenatus comprehenſi et in urbem ignominioſe adducti,

INTERPR. [a] *Savona.* [b] *Morone.* [c] *Canobio.* [d] *Odeſcalco.* [e] *Catanee.* [f] *Pallavicino.*

adducti, cum nullo non contumeliae genere a plebe affecti eſſent, poſtea tanquam innocentes dimiſſi ſunt. Quae dum a Novis fiunt, ut plebem magis contra nobileis incenderent, nobiles viciſſim minime ceſſabant, omni arte annitentes, ut plebem cum nobilibus, qui in urbe erant, committerent: itaque reperti quidam a plebe, a Georgio Auria, Jo. Bapt. [a] Spinola Maſone et Ambroſio [b] Silvagio ſive perſuaſi ſive corrupti, ſicuti poſtea in tormentis confeſſi ſunt, qui libello Morono porrecto VII Eid. Maii decretum contra legem anni XLVII factum revocari peterent: itaque in auctores tanquam contumaces lata ſententia, proſcriptis illorum bonis. Inde renovata et magna ſeveritate executioni demandata decreta contra exteros, quos Antiqui nobiles, qui numero inferiores erant, tanquam auxiliareis advocaverant, ut, cum illi nullam in urbe ſecuritatem reperirent, ad alios, qui jam Finalii erant, ſe conferre neceſſe haberent. Cum omnia ad arma inclinarent, Moronus Odiſcalcum mittit, qui [c] Aquas Statilias uſque excurrit ad Jo. Andream, qui eo valetudinis cauſa profectus fuerat, ut eum ab armorum conſilio dehortaretur, efficeretque, ut Antiqui rurſus delegatos ad ſe mitterent: ii fuere Jo. Bapt. Lercarus et Stephanus [d] Marius; qui cum literis venerunt, quibus Antiqui controverſiae componendae liberam poteſtatem Morono et Philippi oratoribus conjunctim faciebant, et ei ſe reipublicae ordinationi parituros oſtendebant, quaecunque ab ipſis decreta eſſet, ſive de facto ſive de jure, addita clauſula, ſalva ſemper reipublicae libertate. Verum, irritatis animis, delegati ab ipſo Morono, qui eorum adventum tantopere expetiverat, moniti, ut periculo certo praeverterent, ſtatim urbe exceſſerunt. Ita deſperatis rebus, Antiqui conſilio habito Joannem Andream ſummum armorum tam terreſtrium quam maritimorum ducem creant: quod onus ille non gravate accepit; conditione tamen addita, ut prius rei gerendae copiam a Philippo, cui ſacramento addictus erat, peteret. Itaque ab Antiquis in eam rem datae ad Philippum literae; qui mox eo Carolum [e] Borgiam Candiae ducem legavit; qui podraga retardatus ſerius, quam oportuit, Genuam venit.

CIƆIƆLXXV.
HENRICUS III.

XVI. INTEREA Joanni [f] Auſtrio, qui Neapoli erat, datum negotium, ut copias conſcriberet, et eas Genuae admoveret, quaeſito belli Africani, quod nuſquam geſtum eſt, et portus Farinae in eo litore muniendi, colore. Ea per urbem ſparſa fama minime tamen impediri potuit, quo minus propinquante Auſtrio plebs, cui de urbis occupandae conſilio illo capto ſuboluerat, ad arma concurreret. Miſſi nihilominus honoris cauſa ad eum Lucas [g] Fornarius, Ambroſius [h] Niger et Silveſter [i] Ivrea, qui prolixe omnia ſenatus nomine deferrent; paratoſque civeis eum intra urbem accipere dicerent, modo cum tribus aut quatuor triremibus tantum accederet, ne, ſi cum pluribus veniret, tumultuandi occaſio plebi irritatae praeberetur. Ea re eum Auſtrio injuriam atque adeo Philippo ipſi fieri animadverteret Idiacus, legatos occupat, et Auſtrium nequaquam ad urbem venire decreviſſe affirmat: itaque eam mandatorum ſuorum partem omitterent, quae et ſupervacanea eſſet, et Auſtrium offendere poſſet. Ipſe Auſtrius ad [k] Spetiam deflexit: ibi cum [l] Aimontano marchione Mediolano evocato et Jo. Andrea colloquium habitum; convenitque, ut, ſi res interventu legatorum componi non poſſet, armorum via tentaretur: et, nobilibus ſumptus in bellum ſe facturos ſpondentibus, modo Philippi triremes auxiliares accederent, placuit, ut Petrus [m] Eſcovedus, homo turbarum cupidus et praecipuus Auſtrii conſiliarius, qui aderat, in Hiſpaniam mitteretur, et a Philippo de re omni edocto mandata plena acciperet. Interim, ut ſuſpicionum cauſae praeciderentur, juſſi amici et clientes nobilium, qui Pozzeveram locum intercludendis ad urbem aditibus opportunum inſederant, vacuum relinquere: et Bartholomaeus [n] Coronatus primariae inter plebeios auctoritatis

INTERPR. [a] *Spinola*, detto *Maſone*. [b] *Salvago*. [c] *Acqui*. [d] *de' Mari*. [e] *de Borgia, duc de Gandia*. [f] *d'Auſtria*. [g] *Fernari*. [h] *de Negro*. [i] *Ivrea*. [k] *la Spezzia*. [l] *d'Ayamonte*. [m] *d'Eſcovedo*. [n] *Coronato*.

Digitized by Google

CIƆIƆLXXV. HENRICUS III.

auctoritatis omnem operam dabat, ut, quam minimo cum reipublicae dehoneſtamento fieri poſſet, decretum de ccc in ordinem nobilium allegendis executioni demandaretur; magnamque ea in re gratiam ab utraque parte inivit, quae illi ad res poſtea componendas magoum momentum attulit: quanquam caſus intervenit, occiſo ſorte fratre ab Andronico Garbarino homine plebeio, qui illam gratiam oeceſſitate inimicitiarum cum Garbarinis ex illa occaſione impoſita non parum apud plebem imminuit. Accidit et ſub id tempus quiddam, quod bene procedentia adverſariae partis conſilia paene evertit, ſuborta ſorte inrer Jo. Baptiſtam Auriam er Davidem Imperialem ſubita rixa, quae poſtremo exitium ipſi Davidi et Caeſari Auriae attulit, qui, dum Jo. Baptiſtae fratri auxilio accurrit, in inimici gladium imprudenter incubuit, etiam Joanne Jacobo Davidis fratre in eo conflictu graviter vulnerato. Id nobilium ſtudia in duas fere partes ſcidit; parumque res a mutua pernicie abſuit, niſi Jo. Baptiſta ab amicis perſuaſus rapta ſubito trireme ſe invidiae et periculo ſubduxiſſet. Compoſitis utcunque ſeniorum interventu animis, nobiles intermiſſa conſilia repetunt.

XVII. JAMQUE ſe ad res proptiis auſpiciis gerendas comparabant, cum venete a Caeſare oratores, his de rebus ex fama certiore facto, noo etiam a republica per oratores ſuos, ut par erat, edocto, Petrus [a] Faunus Coſtoclarus epiſcopus Aquenſis et [b] Vitus Dorinbergus ipſius apud Venetos orator; quibus ſenatus mox datus eſt. Ii gravi oratiooe habita ſe a Caeſare miſſos aiunt, cum is ſaodo de eorum motibus accepiſſet, ad eoſque componendos pootificis et Philippi oratores ioterveniſſe: et ejus rei omnis arbitrium in ipſum tanquam ſupremum intet Chriſtianos principes magiſtratum conſerri petunt: id ſno jure Caeſarem a ſeoatu petere, quippe cum reſpublica Genuenſis Imperio ſnbſit; eamque ob cauſam ſe delegaſſe, qui de cauſa cognoſcant, et aequo jure diſſidentium cootroverſias decidaot. Ad haec princeps ſenatus, quod cum pontificis et Philippi legatis egerint, ſe excuſare; id enim factum, quod illi veniſſent, nec ullus Caeſaris nomine intereſſet: ceterum ſcire, quid Imperio, quid ſereniſſimae Auſtriacae familiae debeant, neque commiſſuram unquam rempublicam, ut Caeſar hae in re officium ſuum merito deſiderare poſſit; interim gratias agere, quod ſe ſolicitum de rebus ſuis oſtendat. Haec ira palam acta. Deinde, dimiſſis legatis, murmur repente exortum, quod oon illi tanquam oratores ſed tanquam judices a Caeſare delegati veniſſent, qui de republica tanquam Imperii beneficiaria et Caeſaris elientelae ſubjecta ſtatuerent: quod et in cauſa fuit, ut honorifice in ſpeciem ceterum frigidiuſcule reſpublica deinceps cum legatis Caeſareis egerit, ne libertati ſcilicet ſuae per jus illud, quod ſibi Caeſar in ipſos arrogabat, praejudicii aliquid faceret. Venere et mox a rege, reginae parentis inſtigatu, [c] Marius Biragus II triremibus, quas Galeacius [d] Fulgoſius, Caeſaris olim in [e] Pado tempore induciarum interfecti filius, ducebat, Genuam portatus, et inſolita plebis in ſpes novas ejus adventu erectae laetitia exceptus; qui in ſenatum introductus, regem, quamvis regno aliquantum turbato occupatum, tamen inter has occupatiooes de republica vicina et amica ſolicitum, cum eam turbis agitari cognoviſſet, eo ſe legaſſe dicit, ut amicitiam ſuam et reginae parentis ipſis deferret; paratumque regem, pro republica ejuſque tuenda libertate, ſi opus eſſet, ipſum ad eos venire oſteoderet. Inter haec, cum Fulgoſium cum Bartholomaeo Coronato aliquoties deambulaſſe et ſecreta colloquia habuiſſe ab exploratoribus notatum eſſet, Hiſpaois inde injecta ſuſpicio, quaſi Novi cum rege occulta conſilia agitarent. Quapropter per Saulium, ſuum apud Philippum prius oratorem, deio et Franciſcum [f] Taliacarnem juriſconſultum in Hiſpaniam ob id miſſum, ſe purgant; et ab amico ac vicino rege officium delatum non honeſte ooo potuiſſe accipere demonſtrant: ceterum ſe in patrocinio ejus perſeverare velle; ac petere, ne

INTERPR. [a] *Fauno Coſtacciaro, evêque d'Acqui.* [b] *Vito Dorimberg.* [c] *Mario Birago.* [d] *Fregoſe.* [e] *le Po.* [f] *Tagliacarne.*

ne plus paucorum ambitionis, quod factum cum confidant, quam univerſae rei- CIↃIↃLXXV.
publicae rationem habeat. Eodem tempore Stephanus [a] Marius et Bartholomaeus HENRICUS III.
[b] Lomellinus ex nobilium ordine ad Philippum miſſi, ut, quando cum Novis convenire oon poſſet, et interim ipſi injuſte urbe pulſi eſſent, ipſis et Joanni Andreae ad civitatem reciperandam bellum gerere, triremibus regiis, quas Genuae haberet, uti, et militem per ditiones regias conſcribere, liceret. Verum intercesſit [c] Taliacarnes, homines privatos, qui ſponte, non coacti, urbem deſeruiſſent, quique oratores mittere noo poſſent, et nullam in republica partem facereot, minime audiendos dicens: rempublicam vero ſemper Philippo fidam fore, et, accepta ſemel ab eo libertate, nunquam tanti beneficii memoriam ex animo depoſituram. Ad quae rex cum reſponderet, neutri parti obnoxius videri volebat; addito, brevi Borgiam Genuam ſuo nomioe profecturum, qui coram de re omni cognoſceret, ac pleoioris ſuae voluntatis fidem faceret; interea pacem colerent, neque ſe temere bello implicarent: nam ſe ab eorum partibus ſtaturum, quos aequas conditiones paratos accipere et a turbarum conſiliis abhorrere comperiet. Ita cum ſe medium Philippus gereret, ab utraque parte legati, et apud ipſum inde per Saulium et Marium, apud Caeſarem inde per Auguſtinum Spinolam ac [d] Georgium Georgianum, Romae denique per Vincentium [e] Juſtinianum et Benedictum Lomellinum diverſae partis cardioaleis cauſae ſuae gratiam conciliabant: nec Antiqui patria pulſi moram, quae ab Hiſpanis io eo negotio nectebatur, ſatis aequo animo ferebant. Itaque, dum Eſcovedus ex Hiſpania rediret, ad Joannem Auſtrium Jo. Andreas Neapolim, quo conceſſerat, excurrit: dein Finalii habito conſilio de re pecuniaria expedienda ratio ioitur; treſque huic muneri e ſuo numero delegati, Auguſtinus Grimaldus, Aotoniotus [f] Cataneus et Philippus Lomellinus, dato ioterim negotio Scipiooi [g] Camporae, et Ambroſio Lomellino, qui ambo per contumaciam a ſeoatu ad mortem damnati erant, ut ipſi privata auctoritate cum CCCC [h] Pozzeveram et eodem tempore Fraociſcus [i] Vivaldus vallem [k] Lunigianam inſiderent. Verum eorum conatus Borgiae adventu evanuerunt, cum prudentiores id Philippi reverentiae dandum ducerent, ne ejus legatus ulla hoſtilis animi ſigna in ingreſſu ſuo offenderet. Is auditus: et, cum aegre tuliſſe regem diceret, quod Galli legatus in ſenatu admiſſus eſſet, princeps iiſdem, quibus Taliacarnes coram Philippo uſus erat, rationibus factum excuſavit; et pro tanta Philippi ſuae reipublicae deſenſoris beoevolentia demiſſas gratias egit, adverſariae partis iniquitate pluribus verbis notata, quorum ambitione fieret, ut hactenus coovenire non potuerit. Inde Borgia cum Morono et cum Caeſareis legatis de communi negotio agere coepit, Antiquorum cauſae in occulto, ſic enim in mandatis habebat, favens, et occaſionem opperiens, quo citra belli neceſſitatem eorum res promovere poſſet.

XVIII. INTEREA Joannes Andreas, quo cauſam ſuam magis approbaret, in urbem veniendi impetum cepit, ſenatum ac populum coram compellare certus. A quo conſilio periculo deterritus XIII Kal. Sept. ad ſenatum dedit literas; quibus, rei ſtatu expoſito, et officiis tot principum de ſalute reipublicae ſolicitorum laudatis, poſtremo conciveis ſuos ad aequitatem hortatur; miſereantur ſociorum, et patriae charitate tangantur, a qua ipſi ſponte exulare maluerunt, quam committere, ut, dum civitatem retinere quavis ratione voluot, res ad internecini belli neceſſitatem devocaſſe dicantur. Igitur conditiooes aequas accipiant; et, ſi inter delegatos ab utraque parte convenire non poſſit, in principum delegatos comptomittant, quorum ſententiae utrique ſtare teneantur: ſi recuſent, Deum tot miſeriarum, quas ipſi patria praeter jus pulſi ſuſtineant, ultorem fore, et eos ipſos principes arma cootra jus detrectanteis procul

INTERPR. [a] *de' Mari.* [b] *Lomellino.* [c] *Tagliacarne.* [d] *Giorgio Giorgi.* [e] *Giuſtiniano.* [f] *Cataneo.* [g] *Campora.* [h] *Pozzevera.* [i] *Vivaldo.* [k] *Valle di la Lunigiana.*

CIƆIƆLXXV. procul dubio verſuros ; ſe vero ex deſperatione conſilium capturos : cui periculo ut
HENRICUS III. prudentia matura praevertant, ad extremum orat. In eandem ſententiam et datae ad plebem literae ; quarum et pleraque exempla per urbem ſparſa, ſed mox a contraria factione ſuppreſſa ſunt. Cum ad eas literas nihil reſponderet ſenatus, Jo. Andreas, ad ſuos converſus, eos vehementi oratione ad bellum hortatur ; quod et juſtum eſſe multis verbis oſtendit, ac praecipue ex eo, quod neceſſarium ſit : fruſtra alia tentata remedia ; morbi eam vim et malignitatem eſſe, ut ferro et igne opus ſit ; eas a ſe poenas ob innumera ſua peccata a divina providentia repoſci : itaque fruſtra laboraſſe tot principes, dum amice res componi cupiunt ; aliter Deum ſtatuiſſe, quo duce, in tam juſta cauſa arma expedire oporteat : quapropter huic ſe ducem, ante ab ipſis rogatum, nunc ſponte offerre, et operam ſuam ultro polliceri : in id opes, vireis et amicos unanimi conſenſo conſerant, et, cum vitae non parcant, pecuniae parci abſurdum ducant : quid enim amiſſa civitate ſupereſſe ? igitur ſtrenue ad extrema cuncta ſe parent, pro libertate, fortunis, uxoribus, liberis depugnaturi, et re bene geſta aut civitatem recuperaturi, aut, ſi ſecus accidat, ſine conſcientiae morſu pro patriae ſalute fortiter occubituri. Eam orationem alia acriore proſecutus eſt Joan. Bapt. Leccarus. Tandem bellum decretum eſt : eodemque tempore miſſi ad Caeſarem e ſuo ordine Dominicus Grimaldus ; ad pontificem Nic. Auria ; ad ſenatum Venetum, Ferrariae et Mantuae duces Ambroſius Spinola ; ad Sabaudum et Parmenſem Franciſcus [a] Fliſcus ; ad magnum Etruriae ducem, [b] Lucenſem rempublicam et Urbini principem Joan. Bapt. Auria Dominici filius. Interea univerſi, qui Finalii convenerant, ad ſenatum dant literas VII Eid. Sept. ſummo temperamento ſcriptas ; quibus, repetita ſuperiorum temporum memoria, quam demiſſe ſimul et enixe poterant, a republica petebant, ut tot civium de ipſa bene meritorum ratio haberetur, neque obſtinatis ad contentiones animis ſalus publica in periculum vocaretur : adeſſe principum legatos, quibus rerum ſuarum arbitrium deferri non ſolum honorificum ſed utile et neceſſarium ſit : in eos igitur compromittant, ſalva reipublicae libertate ; et, depoſitis ſemel ſimultatibus, in communi conſulant : ni faciant, ſe coram Deo et hominibus de calamitatibus, non ſua ſed obfirmatorum contra aequitatem civium culpa, reipublicae obventuris proteſtari. Verum nihil plus illis literis profectum, quamvis univerſorum nomine ſcriptis, quam ſi a privato quopiam miſſae eſſent : itaque utrinque omnia ad bellum comparata. Et in urbe quidem novum magiſtratum creant cum ampliſſima poteſtate : iſque in Bartholomaeum Coronatum collatus : nobiles vero de republica ordinanda [c] Finalii conſilium cepere, creando novo principe ac magiſtratibus : ſed ſeniores interceſſerunt, qui ſciſſuram illam apertam ſibi exitioſam veriti, de concordia nondum deſperantes, ſatis eſſe in praeſentiarum cenſuerunt, ſi juſta arma contra violentiam et injuſtam vim opponerent. Ante omnia [d] Caſtrum-Francum in litore vicino ab ipſis munitum, impoſitis tormentis cum CC Italis et C Germanis, ut eos, qui in urbe erant, excurſionibus prohiberent.

XIX. JOANNES Auſtrius a Jo. Andrea perſuaſus, diſſimulatione tamen rem agendam cenſens, ad Mediolani proregem ſcripſerat, ut dimiſſis duabus Germanorum legionibus ad bellum Africanum deſtinatis, quarum duces erant Felix [e] Lodronius et Joannes [f] Manrices, curaret, ut eae a nobilibus Genuenſibus conducerentur ; peditatus item Italus, cui Sigiſmundus Gonzaga et Hector Spinola praeerant, dimitteretur ; quorum tamen partem ſpecie trajiciendi in Sardiniam ad excurſiones Turcorum impediendas Genuae propius admoveret. Ita ad X CIƆ peditum conſcribunt : cumque Jo. Andreae ſummum imperium detuliſſent, ejus legatum Baptiſtam Spinolam creant. Mox Italae copiae a prorege Mediolani miſſae, ſpecie in Sardiniam trajiciendi

INTERPR. [a] *dal Fieſco.* [b] *Lucques.* [c] *Finale.* [d] *Caſtel Franco.* [e] *le comte de Lodron.* [f] *Manrique.*

trajiciendi, advenere; quae [a] Idiaci interventu, a ſenatu copia impetrata, cum propius CIↃIↃLXXV.
citra periculum ſe admoviſſent, loca vicina inſederunt, magno poſtea urbanorum in- HENRICUS III.
commodo: qua de re cum apud Idiacum expoſtularent, et fidem ejus appellarent, ille ſe excuſavit; et de Auſtrii conſilio, cujus juſſu, tanquam in Sardiniam portandi, mittebantur, nihil ſe reſciviſſe religioſe affirmavit. Senatus et cum [b] Aquenſi epiſcopo expoſtulavit, quod Germani, ad bellum contra Turcos gerendum a Caeſare Philippo conceſſi, nunc exulum contra rempublicam ſtipendiis mererent: ſed, quantumvis ille Caeſaris auctoritatem interponeret, ut Germani ſe reciperent, nihil a Manrice et Lodronio impetrari potuit.

XX. INTEREA in urbe ſe ad defenſionem parabant, cum de concordia ante ſpes facta, ſcripto a ſenatu Finalium miſſo, detrectantibus jam conditiones nobilibus tot opibus ſubnixis, omnino evanuiſſet. Thomas Spinola ſub id in Corſicam miſſus, ut militem conſcriberet; qui vix periculum a Franciſco Grimaldo inſequente evaſit. Datum item negotium Hieronymo Adornio equiti et Auguſtino [c] Satisſantio, ut III CIↃ peditum conſciberent, praeter ſtipendiarios reipublicae et IↃC Germanos et IↃCCC Italos, qui urbis cuſtodiae inſerviebant; idoneum, ut rebantur, contra exulum vim praeſidium. Nec exigua fuere, quae a magno Etruriae duce impetraverunt, auxilia; qui, cum Jo. Andreae ſummi armorum ducis potentiam ſuſpectam haberet, et popularem ordinem, quam nobilitatem antiquam fere Hiſpanis addictam, rerum Genuae tam vicinae potiri mallet, Othonem [d] Montacutum ad ſenatum miſit, qui in urbe praeſidiariis praeeſſet, et [e] Julio Salae copiam fecit, ut CIↃ pedites in agro Piſano conſcriberet. Ipſe arces in Tyrrheno litore Senenſis ditionis ſolito majoribus praeſidiis firmavit: et, cum Auſtrius eum moneret, ut in his turbis ſpectator ſederet, neutrique parti ſe addiceret, ille ſe excuſavit, et amicae reipublicae periculum neque honeſte neque tuto negligere ſe poſſe oſtendit; et, cum omnia circum armis ſtrepere audiat, neque de conſiliis Philippi ab ejus procuratoribus in tempore monitus ſit, non debuiſſe non ſuis rebus proſpicere, et ex occaſione conſilium capere. Jamque Jo. Andreas, rebus ad bellum paratis, ad [f] Spetiae ſinum claſſem contraxerat, miſſo inde Philippo [g] Paſſano cum III triremibus et CCC peditibus, qui portum Veneris occuparet: nec ſucceſſu conatus caruit. Expoſiti eodem tempore IↃ pedites, duce Jo. Bapt. Auria Antonii filio, qui eadem facilitate Spetiae portum occupavit, et impoſito cum CCCC peditibus Andrea centurione firmavit: quem locum poſtea cum Petrus [h] Cabella a ſenatu miſſus ope ruſticae militiae et [i] Cerezanae praeſidiariorum ſaepius tentaſſet, gnaviter ſe centurione defendente, fruſtra fuit: fruſtra et fuit Jo. Baptiſta, [k] Mariae-fano et Lericio portu in eodem ſinu de deditione ſolicitatis. Omiſſus et [l] portus Finus, quod ad locum expugnandum tormentis opus eſſet; quae cum non haberet, et ea in dies a Marcello Auria, quem cum Auſtrio Neapoli reliquerat Joannes Andreas, expectarentur, aliquot dies inutiliter in illo ſinu conſumpti ſunt. Inde Jo. Baptiſta ad imperâtorem rediit; qui, ad [m] Clavarium univerſarum copiarum exſcenſione facta, poſt diſploſionem in domos ſubjectas ex editiore loco cum ſe ad impetum faciendum paratum oſtenderet, ſcalis etiam allatis, poſtremo praeſidiarios ad deditionem compulit; quanquam Hieronymus [n] Juſtinianus cum CIↃIↃ peditibus paucis ante diebus ſe loco incluſiſſet. Impoſitus Clavario Jo. Bapt. Auria cum IↃC praeſidiariis. Deditione dein receptum [o] Rapallum et Seſtrinum. Quo facto, Joan. Andreas Finalium conceſſit, ut cum ſociis in commune conſuleret, miſſo Andrea Lercaro cum VI triremibus, qui Spetianum ſinum ſervaret, cincta hinc inde urbe, ut citra certamen commeatus in eam importari non poſſet. Haec belli principia cum

aegre

INTERPR. [a] *de Idiaquez.* [b] *l'evêque d'Acqui.* [c] *Satisfanti.* [d] *Montauto.* [e] *Giulio Sale.* [f] *golfo della Spezzia.* [g] *da Paſſano.* [h] *Cabella.* [i] *Serezana.* [k] *Santa Maria & Lerité.* [l] *Porto Fino.* [m] *Chiavari.* [n] *Giuſtiniano, il Greghetto.* [o] *Rapallo & Seſtri.*

CIↃIↃLXXV. HENRICUS III.

aegre ferret ſenatus, legatos decernit Matthaeum [a] Senaregam ad pontificem, ad Caeſarem Chriſtophorum [b] Fornarium, ad Philippum Joannem [c] Squamam, et Gregorium [d] Garbarinum ad Auſtrium. Pontifex, Caeſar, ac Philippus dolere ſibi rem ad arma deveniſſe dicebant, ſenatu interim mónito, ut mature compromitteret. Philippus in eadem diſſimulatione perſeverans, etiam, ut ex Sicilia frumentum in urbis uſum importare poſſent, permiſit. At Auſtrius renudato animo in bellum ſe conſenſiſſe ingenue faſſus eſt; maluiſſe quippe ſe, cum videret eos, qui in urbe erant, aequas conditiones recuſare, ut, antequam ad alterius principis Philippo minime amici patrocinium confugerent, inter ſe confligerent, quo feſſi et infracti facilius poſtea ad concordiam animos appellerent: ceterum in eorum gratiam duas naveis frumento onuſtas e Sicilia venienteis, quas Neapoli retinuerat, dimiſit; quae magno uſui jam propemodum obſeſſis fuere. Ad [e] Serravallem copiae in dies Joannis Andreae juſſu conveniebant; quarum ope Baptiſta Spinola caſtelli illius dominus molatrinam haud hinc longe juxta [f] Novium occupat, Novioque a quibuſdam ex oppidanis invitatus copias admovet; quo mox [g] Gavio advolavit Baptiſta [h] Ferrarius a ſenatu miſſus, et poſt eum Stephanus [i] Ficatella cum CCCC peditibus, ita ut Spinola inde ſe recipere coactus ſit: cujus diſceſſu cum Ficarella molatrinae recipiendae multum Novio incommodantis conſilium cepiſſet, eoque cum expeditis veniſſet, Galeotus Spinola, qui [k] Caſſani erat, mox vadato [l] Scrivia amne, eo accurrit ſociis laborantibus praeſto futurus; qui Ficarellam retro cedere compulit. Ab eo tempore inter Serravallis et Novii praeſidiarios, qui fere Corſi erant, crebris velitationibus certatum, principum legatis fruſtra utroſque ab armis dehortantibus. Et cum ſenatus, ſive periculo propiore territus, ſive mitigatis plebis ferocientis animis aequior, in ſententiam a principum legatis ferendam certis legibus conſenſiſſet; nobiles, qui, dum ad arma adhuc imparati erant, pacis ſe rationes expetere demonſtrabant, jam rebus neceſſariis comparatis, conditiones propoſitas recuſabant; et ante omnia ſibi caveri et ſecuritatis cauſa [m] Saonae arcem in ſuas manus conſignari petebant. Id male habebat pontificem, qui et graviter ea de re apud Jo. Andream expoſtulavit. Ipſe etiam magnus [n] Etruriae dux, ad quem belli tam vicini propius periculum ſpectabat, ad eum dedit literas VI Kal. Oct. quibus ſibi tranquillitatis Italiae ſtudioſo de excitato in republica amiciſſima pernicioſiſſimo bello dolere teſtabatur; eoque magis, quod de ea re ſecum nihil communicatum fuiſſet; quanquam ejus periculum ad nullum magis quam ad ſe ob limitem vicinum pertineret: cum vero videat arbitrii conditiones recuſari, et patria pulſos bellum malle quam pacis propoſitae conſilia ſectari, neceſſitatem ſibi imponi rebus ſuis conſulendi, ſi forte aut Galli aut alii ex illius motus occaſione aliquid in publicae pacis et Philippi ipſius rerum praejudicium moliantur; quod antequam faciat, hortari ipſum, ut, quando pro ſalute communi arma ſe ſumpſiſſe dicat, conditionibus oblatis acquieſcat, neque libertatem, qua patriae ſalus continetur, per arma in diſcrimen vocet. Ad has literas Kal. Octobribus reſcripſit Jo. Andreas: et multis verbis injurias et ſibi et patriae illatas exaggerat, in primiſque memoriae Andreae Auriae domini ſui, cui libertatem Genuenſis reſpublica debeat: proinde rogat, ne de ſe, cujus majores ſemper illuſtriſſimae Mediceae familiae addicti fuerunt, aliam quam meritis ſuis dignam opinionem concipiat; ſicque exiſtimet, nunquam ſe, quam diu vita et vires ſuppetent, paſſurum, ut avi ſui memoria et cum ejus memoria patriae ſalus perditorum ac nihili hominum temeritate violetur, et externorum hoſtium ludibrio exponatur. Poſtea, cum nobiles jam ſe magna invidia laborare ſentirent, conditiones proponunt; quas ſi ſenatus accipiat, ſe in compromiſſum conſenſuros demonſtrant. Eae erant; ut quam diu compromiſſum duraret, ſibi ad Saonam receptus eſſet,

INTERPR. [a] *Senarega.* [b] *Fornari.* [c] *Scaglia.* [d] *Garbarino.* [e] *Serravalle.* [f] *Novi.* [g] *Gavi.* [h] *Ferrari.* [i] *Figarella.* [k] *Caſſano.* [l] *la Scrivia.* [m] *Savone.* [n] *la Toſcane.*

eſſet, et arx in ejus, de quo partes convenirent, manus interea traderetur; ut praeſidium externum in urbe principum legatis obedientiam praeſtaret, fide data tuendae libertatis; poſtremo, ut toto eo tempore legati principum jus in urbe dicerent. Quibus ultra modum irritata plebs, et patientiam ſuam tentari rata, quatenus ſervitutem pati poſſent, in furorem ſtatim vertuntur, tabernis paſſim clauſis; vixque Philippi oratores, concurſante ad arma vulgo, a periculo abfuerunt. Ipſe Moronus, quanquam omnem operam daret, ut blandis verbis plebem leniret, tam indignis modis habitus fuit, in aedibus etiam ſuis a furente vulgo obſeſſus, ut potius de honeſto et tuto diſceſſu quam de componendis rebus cogitaret. Tandem edictum a ſenatu proponitur; quo plebi fides fiebat, recuſatas omnino conditiones. Cum ne ſic quidem plebs placaretur, nobiles ſucceſſum urgent; et Baptiſta Spinola caſtra ad [a] Novium, in quo [b] Ficarella erat, ponit pridie Kal. Octobreis. In exercitu erant ad x CIↃ peditum et CL equites: tormenta [c] Alexandria advecta, Georgii Auriae cura, qui ea venditionis titulo ab Hiſpano praefecto putida diſſimulatione accepit. Capti interea juxta [d] Campos, locum Spinolarum ditionis, quem et diripuerunt, Silveſter [e] Ivrea, cum [f] Mediolano rediret, eo ad proregem miſſus, [g] Onufrius Ceba, Carolus Pallavicinus, et Auguſtinus Spinola: ſed Ivrea ſtatim dimiſſus, quod prorex Mediolani jus gentium eo capto violari diceret. Diverſa parte CCC a ſenatu auxilio obſeſſis ſummiſſi ab Ambroſio Lomellino in anguſtiis obvio facto in fugam verſi ſunt. Id damni mox ſartum, CL, duce Jacobo [h] Blanco, cum totidem pulveris ſulfurei plenis ſaccis, in urbem introductis. Cum vero [i] Gavio et Pozzevera longe majore numero ſubſidia advenirent, rei certiores facti nobiles ad certamen ſe parant: impetuque ab auxiliaribus ad eam partem, quam Germani tuebantur, facto, poſt aliquod certamen, in quo damnum initio accepere Germani, [k] Felix Lodronius, relictis tormentis, ad quorum cuſtodiam ſtabat, accurrens pugnam reſtituit. Eodem tempore oppidani, eruptione acri facta, cum damno repulſi ſunt, amiſſis tantum ex nobilibus Galeoto Spinola et Jacobo Lomellino: et auxiliares magnam partem tirones, [l] Taſſi caſtrorum praefecti, ut frontem verterent a tergo imperantis, vocem male interpretati, terga vertunt; neque a fuga revocari potuerunt, quouſque ad Pozzeveram venerunt, pleriſque in itinere aeſtu exanimatis, quos Manrices et Baptiſta Spinola diu inſecuti ſunt. Tum admotis tormentis ruina ingens edita: quo conſpecto, obſeſſi, cum nullam auxiliorum ſpem viderent, Michaëlem Angelum [m] Ornanum Corſum cum aliquot oppidanis mittunt, qui deditionem in has leges paciſceretur: Ut Ficarella cum praeſidiariis armatis dimitteretur, vita et rebus oppidanorum ſalvis, quibus et privilegia antiqua ſervarentur; tormenta et CL muli frumento onuſti penes Spinolam remanerent. Novio Carolus Spinola impoſitus cum CCCC praeſidio. Mox [n] Vadum miſſo Jo. Bapt. [o] Gentili receptum; et loco impoſitus Stephanus [p] Centurio cum CL ſcloppetariis. Deditum et Gavium, [q] Ferrario in arcem ſitu munitiſſimam ſe recipiente. Contra ſenatus, miſſo Hieronymo [r] Peletano, [ſ] Spetiam fruſtra tentat: nec felicior fuit marchionis [t] Madriliani ſucceſſus; qui, cum CCCC [u] Pignonem aggreſſus, inde cum damno repulſus eſt: at [w] Viſanum, quod ab Andrea Centurione tenebatur, a Petro Cabella, quamvis ultro dedentibus ſe oppidanis, crudeliter direptum eſt. Tandem, dum Marcellus Auria cum novis delectibus, machinis, et bellico apparatu Neapoli venturis expectaretur, et cum iis de caſtris juxta urbem muniendis Finalii conſultaretur, legatorum interventu induciae in XV dies pactae ſunt, ſub finem Octobris exiturae;

CIƆIƆLXXV.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Novi.* [b] *Figarella.* [c] *Aleſſandria della paglia.* [d] *Campo.* [e] *Intrea.* [f] *Milan.* [g] *Andreano Ceba.* [h] *Bianco.* [i] *Gavi.* [k] *il conte Felice de Lodron.* [l] *il capitan Taſſo, maeſtro di campo.* [m] *Ornano Corſo.* [n] *Vado.* [o] *Gentile.* [p] *Centurione.* [q] *Ferrari.* [r] *Palerano.* [ſ] *la Spezzia.* [t] *Madrigliano.* [u] *il Pignone.* [w] *Veſano.*

CIↃIↃLXXV. HENRICUS III. exiturae: quibus ſubſcripſere Jo. Bapt. [a] Lercarus, Benedictus [b] Spinola, Jacobus [c] Niger, Stephanus [d] Pinellus, Bartholomaeus Lomellinus, Jo. Bapt. Spinola, Antonius [e] Serra, et Lucas [f] Grimaldus: eae dein ſenatus decreto confirmatae; in quo cum Philippi, tanquam praecipui reipublicae deſenſoris, mentio facta eſſet, initio legati Caeſarei ſubſcribere recuſabant: verum id interpretatione mollitum, ita ut nullum ea re Imperio praejudicium factum intelligeretur.

XXI. DUM in eo ſunt, et Moronus, ne tempus ſibi periret, per inducias de compromiſſi conditionibus deliberaret, caſus intervenit, qui rempublicam et nobilium ordinem, quorum res in eo negotio praecipue agebatur, paene ad deſperationem adegit. Carolus V Caeſar, cum de Genua, ut rebus ſuis cum multas ob cauſas tum in primis ad tranſportandas ex Hiſpania in Italiam copias opportuna, in poſterum firmanda et arce in ea inſtauranda cogitaret, nullis rationibus, nec proprio quidem periculo territo, Auriae perſuadere potuit, ut arcem urbi, hoc eſt, jugum patriae imponi pateretur. Itaque aliam ſibi civitatis fraenandae incundam rationem exiſtimavit prudentiſſimus princeps; eamque optimam judicavit, ſi Genuenſium pecuniam, qua fere illorum opes conſtant, grandi ſoenore paſceret: ſic enim brevi fore, ut hominum quaeſtus dulcedine illectorum opes ſenſim ad ſe contraheret, et ita urbem in aere ſuo, hoc eſt, civium ſtudia in poteſtate haberet. Ea arte cum erga Genuenſeis uſus eſſet Carolus, patris veſtigiis inſiſtens Philippus, et Belgico bello, ad quod damnoſis ſumptibus opus erat, implicatus, ex ea occaſione ingenteis ſummas a nobilium praecipue ordine emunxit; pro quibus ingenteis pariter uſuras penſitabat, deſtinatis ad eas exſolvendas praecipuis Indiarum et Hiſpaniae vectigalibus. Cum vero in putandis uſurarum rationibus erratum eſſe et calculi errorem corrigi debere contenderet, ut, ſi majores, quam deberentur, uſurae perſolutae eſſent, eae in ſortem imputarentur, interim penſiones eis aſſignatas, decreto ſub id tempus in Hiſpania publicato, ubique revocavit. Qua re non ſolum Genuae, ſed Romae, [g] Venetiis, Mediolani, Lugduni, Rotomagi, Antuerpiae, et pleriſque in Germania locis, omnes argentariam exercentium rationes labeſactatae ſunt; parumque abfuit, quin menſarii paſſim creditoribus ſuis decoxerint. Quod a Philippo factum, ſive ut nobiles, quibus alioqui in occulto favebat, arridentibus belli domeſtici initiis exultanteis, et jam aequas conditiones recuſanteis, in ordinem cogeret, ſive ut captata occaſione ex publica calamitate privatum commodum faceret; quippe cum ſciſſa factionibus republica, quam quietis rebus, aequiores ſe a creditoribus ſuis conditiones laturum ſperaret. Nobiles ergo, qui jam ulterius provecti erant, quam ut, ſi res amice componi non poſſent, poenitentiae locus eſſet, ſummopere animi angebantur: quos tamen Jo. Andreas quantum poterat auctoritate ſua confirmabat; et poſt eum omnia ſumma faciebat Jo. Bapt. Lercarus, ut in laudabili tuendae libertatis propoſito perſeverarent, nec difficultatibus ullis deterrerentur, quo minus in tam juſta cauſa defendenda pergerent: non defuturas opes, modo ne animis deficerent, neque ſibi ipſis in tempore tam neceſſario deeſſent. In eam rem multa proviſa. Miſſi ſtarim in Hiſpaniam, qui CCC aureorum CIↃ a Philippo, dum calculus rationum iniretur, mutuo ſumerent: verum ſera ea ſubſidia fuere ab alieno arbitrio pendentia; et ab eis denique, qui jam ſuum repoſcentibus denegabant. Jo. Baptiſtae Spinolae, et Franciſci Lercari, qui res ſuas ab Hiſpanorum rebus ſeparatas habebant, utilior conatus fuit; qui Mediolanum profecti L aureorum CIↃ inde retulerunt: nec minorem ſummam eodem tempore [h] Lucae et Florentiae corraſit [i] Spinola Valentinus: magnoſque animos fecit nobilibus matronarum nobilium, quae Finalium maritos proſecutae fuerant, alacritas;

quae

INTERPR. [a] *Lercaro.* [b] *Spinola.* [c] *di Negro.* [d] *Pinello.* [e] *Serra.* [f] *Grimaldo.* [g] *Veniſe, Milan, Lyon, Rouen, & Anvers.* [h] *Lucques.* [i] *Spinola,* cognominato *Valenza* o *di Valenza.*

quae gemmas et omnem mundum muliebrem pretioſum ultro in belli ſumptus CIƆIƆLXXV. obtulerunt. Interea Moronus compromiſſum urgebat: eamque ob cauſam ad Jo. HENRICUS III. Andream uſque ad [a] Petri-ſanum proceſſerat, ut cum ipſo, Jo. Bapt. Lercaro, Silveſtro Cataneo, Philippo Spinola et Ant. Serra delegatis de republica capita conferret.

XXII. DUM in eo ſunt, appetente comitiorum tempore, res quietiores, quam ſperabatur, fuere: et maguo conſenſu citra tumultum creatur dux Proſper [b] Fatinnantius; quo in viro rara prudentia cum animi moderatione certabat. In ejus inauguratione, ut fit, longe elegantiſſimam orationem habnit [c] Medicus Facius: qua cum ad fortiter capeſſendam rempublicam, leges patriae tuendas, libertatem conſervandam, et jus aequabile inter civeis conſtituendum, hortabatur; multis verbis ambitionem paucorum deteſtatus, quorum inſatiabili cupiditate fiat, ut publica quies in republica conſtitui non poſſit: idque maxime urget, ut de belli et pacis negotiis, quae univerſos reſpiciunt, non in privatis conſeſſibus ſed in magno concilio decernatur; in quibus liberum ſit ſenatoribus uſu et prudentia claris res utrinque agitare, et ſententiam libere dicere; ceterum earum deciſio univerſorum ſuffragiis permittatur. Quae oratio cum privatis literis inter plebeios ſparſa cum novos motus in vulgi animis accendiſſet, parum res a novo tumultu abſuit, Morono de concordia deſperante, et honeſtam diſcedendi occaſionem quaerenre. Inde etiam Jo. Andreas conſilium cepit de [d] Portufino occupando, quo receptum tutum claſſi haberet, negotio dato Baptiſtae Spinolae, ut cum II Germanorum CIƆ Gavianam arcem, quam ſenatus adhuc tenebat, expugnaret. Verum, novi principis paci admodum ſtudentis interventu placatis plebis animis, tandem, IX Kal. Novembris, in maguo concilio conditiones perſcribuntur; quibus plena poteſtas principum legatis fiebat confirmandi, corrigendi, temperandi, mutandi, addendi, detrahendi, ac denique omnia faciendi, quae ex uſu reipublicae fieri aequum juſtumque exiſtimarent; hac tamen adjuncta clauſula, ſalva in omnibus reipublicae libertate; et aliis cunctis, quae antea ſcrupuloſe appoſita fuerant, reſectis. Conditionibus cautum erat, ut legati locum, quem vellent, extra reipublicae territorium ad conveniendum deligerent; XX obſides ab utraque parte darentur; totidem delegati, qui legatis aſſiderent: cautumque, ut intra Novembrem arbitri ſententiam unam ſeu plures ferrent; quod tempus prorogari ex partium conſenſu poſſet: nihil interim hoſtile tentaretur, et utrinque copiae dimitterentur: interventu legatorum gratia ob graviſſima etiam crimina patria pulſis civibus impetraretur, putato tempore a Kal. anni LXXIII uſque in hodiernum diem: quae nobiles loca tenerent, ea uſque ad ſententiam latam reipublicae nomine tenerent: ſumptus utrinque in bellum factos ipſi, qui eos feciſſent, luerent; nec altera pars alterius oneribus gravaretur: ſententiae a legatis ferendae ſtare utraque pars teneretur; et, ſi qui inter eos impedimento eſſent, quo minus ſententiae pareretur, eorum nomina utrinque ederentur. Iis mox a nobilium, qui [e] Finalii erant, collegio confirmatis, legati [f] Caſalium in Monferratenſi principatu Gulielmi Gonzagae Mantuae ducis, cujus illud eſt, locum ad conveniendum deligunt: quo et delegati ab utraque parte venerunt. Tum dimiſſae a ſenatu Etruſcae copiae, quibus Otho [g] Montacutus praeerat: Corſicae viciſſim, quas Baptiſta Spinola et Georgius Auria habebant, Joannis Andreae juſſu dimiſſae ſunt; Germanis retentis, qui loca, quae ſecuritatis cauſa nobilibus per conditiones retinere jus erat, tuerentur. De obſidibus aliquandiu altercatum fuit. Tandem dati; et [h] Mediolani, [i] Alexandriae, et Finalii, uſque ad ſententiae pronunciationem manere juſſi.

XXIII. HIC exitus fuit longe periculoſiſſimi Genuae motus; cujus excitati cauſae, prout

INTERPR. [a] *S. Pietro di Arena.* [b] *Fattinanti.* [c] *Medico Faccio.* [d] *Porto Fino.* [e] *Finale.* [f] *Caſale.* [g] *de Montauto.* [h] *Milan.* [i] *Aleſſandria della paglia.*

prout diverſa erant partium ſtudia, diverſae quoque afferebantur; dum alteri alteros culpa ejus onerant, neutri de jure ſuo remittere volunt. In eam rem publicati libri ſunt Mediolani utrinque: pro nobilium cauſa Leonardi Lomellini, pro altera parte M. Ant. Saulii reipublicae apud Philippum oratoris, nomine. Et nobiles quidem, qui et Antiqui vocabantur, meritorum erga rempublicam praerogativa et antiquitate ipſa nitebantur; qua et fieri dicebant, ut ad minorem numerum redacti eſſent; et carere invidia, ſi decora, quae a majoribus acceperint, ea in commune reipublicae bonum et ornamentum retinere cupiant: et proinde iniquum eſſe, ut aequo jure omnino cum Novis cenſeantur; non quod plus ſibi in republica quam illi arrogent, ſed quod majorum meritis hoc debeatur, ut, antiquitatis ſuae cum aliorum multitudine, quae vincat, habita ratione, in adipiſcendis honoribus inter ſe aequentur: itaque ſumma aequitate ad legem anni XXVIII alteram anni XLVII a prudentiſſimo utriuſque conditore et nunquam ſatis laudato cive Andrea Auria additam fuiſſe; non ut primam antiquaret, ſed ut eam juris benignitate interpretaretur, et in poſterum non ſorte magis quam conſilio res in republica geri, aut ſententiae in deliberationibus potius numerari quam ponderari viderentur. Contra adverſarii differebant; et legem anni XXVIII urgebant, ut aequitatis plenam: inducique legem anni XLVII petebant, ut quae ad alteram evertendam lata eſſet: id quippe aſtu nobilium factum, ut per gradus ad iniquum urbis principatum pervenirent: nam, cum priore lege ex omnium conſenſu ad honores et dignitates, a quibus antea excluſi fuerant, certis conditionibus admiſſi eſſent, poſtea nova lege id moliti ſunt, ut ipſos, a quibus obvio favore et tanto animi candore admiſſi fuerant, veluti a republica excluderent: et vero falſa eſſe nomina, quae illi obtendant, merita ſua et antiquitatem adeo exaggerantes: ſic enim inter ipſos conſtare debere, rempublicam ab initio per conſules adminiſtratam, nullo nobilium et popularium uſque ad annum CIↃCXC diſcrimine: dein, qui ad magiſtratus evehebantur, ut dignitate inter ceteros ſuperiores, paulatim nobilium ſibi nomen ſumpſiſſe; ſed mox illos potentia ad libidinem et ſaevitiam ita abuſos, ut merita ſua facile obſcuraverint: ex eoque in tantum odium nomen nobilium incurriſſe, ut plerique aeque meritis et antiquitate clari, ſed ab illorum factione alieni, quo invidiam declinarent, in popularium ordine cenſeri maluerint: inde ortam nobilium et popularium primam denominationem; quae nomina ad factiones potius referri, quam meritorum et antiquitatis praerogativa cenſeri, debeant: id ex annalium diligenter repetita memoria manifeſtum fieri; quibus appareat, pleroſque aeque meritis in rempublicam et antiquitate illuſtreis, atque adeo ea re Spinolis, Auriis, Grimaldis denique et Fliſeis comparandos, puta Aegidium [a] Buccanigrum, Simonem [b] Vignoſum, Petrum et Joannem [c] Fulgoſios, [d] Blaſium Aſſaretum, atque alios denique reperiri, quorum nunc familiae inter populareis recenſentur: itaque aequiſſime et prudentiſſime decretum eſſe priore lege, ut nomina illa factionum extinguerentur, cuncti in poſterum pari jure cenſerentur: jus autem illud aequabile everti poſteriore lege, quae potentiam, benigne nobilibus, qui pauci ſunt, a popularibus, qui permulti ſunt, communicatam, in paucos illos transfert, et non tanquam ejuſdem civitatis civeis ſed tanquam ſaevos dominos concivium ſuorum libertate oppreſſa patriae cervicibus imponit. Praeter libellos illos, in eandem rem Ubertus [e] Folieta, a me ſaepius antea laudatus, duos dialogos ſcripſit, eodem tempore evulgatos; quibus, confecto veluti indice ac breviculo et temporibus notatis, nobilium, quos vocant, et popularium merita inter ſe comparat; et cauſam multitudinis contra procerum ambitionem, ſicuti loquitur, multis rationibus tuetur: neque aliam aequiorem rerum componendarum rationem eſſe oſtendit, quam ſi res ad majus concilium, ſublatis legis anni XLVII fraudulentis

INTERPR. [a] *Boccanegra.* [b] *Vignoſo.* [c] *Fregoſe.* [d] *Biagio d'Aſſereto.* [e] *Foglietta.*

fraudulentis et invidioſis conditionibus, tevocetur, plena decernendi, ordinandi et ſtatuendi ei poteſtate facta; et potentia quorundam civium, quae formidabilis ceterorum libertati eſſe coeperit, in ordinem cogatut; atque adeo, quam ſi ipſe Auria, cujus et ipſius avi egregie de republica meriti magna decora non mediocriter eo nepotis facto illuſtrari poſſint, triremeis proprias dimittat, et reipublicae, egregio charitatis erga patriam exemplo, donet. Quod nltimum cum ad invidiam adjectum eſſet, et impetrari non poſſe minime dubitaretur, tamen, ne de ea re inter arbitros controverti poſſet, compromiſſi conditionibus cautum fuerat, ut Jo. Andreae et familiae ſuae ejuſqne ſucceſſoribus gratiae, immunitates, et privilegia a reipublicae ordinatoribus olim conceſſa, ſicuti iis olim et nunc uteretur fruetetur, ſalva et integra mancrent. CIↃIↃLXXV. HENRICUS III.

XXIV. IGITUR, re ab arbitris Caſalii diu agitata, cum compromiſſi tempus ex partium conſenſu bue nſqne prorogatum eſſet, tandem concordiae leges perſcriptae ſunt; et, prius a ſenatu revocatis exulibus, et viciſſim arcibus ac munitionibus, quae belli tempore occupatae fuerant, a nobilibus reſtitutis, VI Eid. Mart. poſt ſacrum celebratum, ante majus urbis templum, pegmate ad id exſtructo, recitatae ſunt. Idem Genuae ſeptimo poſt die factum magno utriuſque partis in ſpeciem applauſu, jam belli et periculorum impendentium pertaeſis cunctorum animis: legeſque poſtea publicatae ſunt LXI capitibus comprehenſae; quibus alia de Rota conſtituenda addita ſunt. Iis ante omnia abrogantur nomina nobilium veterum et novorum, ſive cooptatorum aut popularium, eorumve qui in urbe vel extra urbem ſunt: porticuum item ſanctorum [a] Petri et Lucae nomina, et aliae tam perſonarum quam colorum aut factionum et familiarum appellationes, earum omnino memoria ſepulta; additaque in eos, qui eas renovaverint, poena, ut omnibus honoribus et nobilitatis commodis ipſo jure et facto privati cenſeantur. Tum decernitur, ut omnes, qui in cenſu civitatis deſcripti ſunt, et qui in poſterum juxta novae conſtitutionis formam deſcribentur, in reipublicae adminiſtratione pares et aequales babeantur, ita ut unus nunc et deinceps ſit ſolus et ſingularis nulliſque terminis aut numeris diviſus nobilitatis et civium rempublicam adminiſtrantium ordo: et, ut ſimultatum cauſae radicitus evellantur, qui juxta legem anni XXVIII alicujus familiae nomen et inſignia aſſumpſerunt, iis dimiſſis, in futurum ipſi ac ex iis prognati propriae et avitae familiae inſignia, cognomina, in voce et ſcriptis uſurpent; quod et in iis, qui poſtea in nobilitatis cenſum referentur, locum habere intelligatur: qui artes mechanicas exercent, antequam in eum ordinem cooptentur, eas omittere teneantur: collegia II inſtituantur: et CCCC ab arbitris, qui majori, et ex eo numero quaſi ſubſortitione quadam C, qui minori concilio praeſint, aliique reipublicae magiſtratus hac vice nominentur; forma praeſcripta, qua in iis creandis deinceps utantur. Quibus actis, legati hinc inde diverſi abierunt. Reſpublica jam concors mox legatos ad principes, gratiarum agendarum cauſa pro tam ingenti beneficio ab iis accepto, miſit; ad pontificem Lucam [b] Fornarium, Nic. Spinolam ad Caeſarem, Jo. Bapt. Lercarum ad Pbilippum, qui et cum eo de revocatis penſionibus ſedulo egit; qua re, ſecundum tumultum jam ſopitum, non mediocriter turbatae res Genuenſium fuere. Toto quadriennio cum penſiones revocatae fuiſſent, eo exacto, cum praepotenti principe, cujus ex arbitrio ac nutu res Genuenſium pendebant, tandem conventum, ut rationes novae quidem denuo non inirentur, quod ab initio urgebant Hiſpani; quo caſu pecuniarum omnium praeſenti numeratione Carolo olim patri et Philippo filio creditarum dextantes uſuras offerebant: ſed ita ſortis principalis nſurae deinceps contraherentur, ut, quae prius quaſi ſeptunces erant, hoc

INTERPR. [a] *Portico di S. Pietro, & di S. Luca.* [b] *Fornari.*

hoc eſt, pro c unciis, VII cum tertia paulo minus pariebant, in poſterum quaſi trientes eſſent, hoc eſt, IV unciae tantum cum tertia parte quotannis exſolverentur: quod ob immanitatem ſummae fortaſſe Genuenſibus tolerabile fuit. Verum amplius illis a Philippo conceſſum, ut creditoribus ſuis, qui cum Philippo minime contraxiſſent, in diſſolvendo aere alieno, quod ab ipſis, ut Philippo crederent, ſumpſiſſe ſe aiebant, eadem ratione ſatisfacerent. Quod iniquiſſimum per ſe decretum non ſolum Genuenſium, ſed aliorum Italorum, atque adeo ſparſim toto orbe, inſtitorum rationes conturbavit, ac multos ex iis omnino bonis evertit.

JACOBI

Digitized by Google

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEXAGESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

INGENS in Italia peſtilentia. II. Caeſar in Poloniae regno capeſſendo cunctatur. III. Stephanus citatis equis in Poloniam venit, et rex inauguratur. Moſcus contra Stephanum Caeſari auxilia defert. Jo. Vincentius Laureus pontificis orator in Quados ſecedit, et inde conditiones proponit. Pontifex Joannem Moronum cardinalem in Poloniam mittit, quem re infecta et rejectis ſtomachoſe conditionibus Stephanus dimiſit. IV. Ratiſponenſia comitia; et in iis Proteſtantium de religionis libertate poſtulata. V. Maximiliani Caeſaris obitus, ingenium, virtutes, liberi: Friderici item Palatini ſeptemviri: Jo. Alberti Megalopolenſis ducis; et ejus in academiam Roſtochienſem munificentia. Helmſtadii ſchola a Julio Brunſvico inſtituta. Bornholmia inſula bona fide a Lubecenſibus Friderico Dano reſtituitur. Gul. Xylandri, Joſiae Simleri, Conr. Heresbachii, Georg. Joachimi Rhaetici, Hier. Cardani deceſſus. VI. In Belgio irritus Bredae conventus. Crimpenia inſula ab Arauſionenſi capta. VII. Ludovicus Requeſenes prorex moritur; et ante eum ex caſu Chapinus Vitellius. VIII. Belgii proceres antea regi addicti, creſcente in dies Hiſpanorum intemperie, cum Proteſtantibus atque adeo cum Arauſionenſi conſpirare incipiunt. Seditio plebis Bruxellis. Inde foedus Belgicum contra Hiſpanos a Belgii Ordinibus initum; cui et ſacer ordo ſubſcripſit: et interim ſolicitata Eliſabetha, et Alençonius, ut provinciarum patrocinium ſuſciperent, in partes aſcito Arauſionenſi. IX. Ad Thenas Ordinum copiae ab Hiſpanis caeſae. X. Trajectum ab Hiſpanis captum ac crudeliter direptum. XI. Antuerpiae dum timent Ordines, ei perniciem maturaverunt, Hiſpanis ex arce vim facientibus et per urbem, quo opulentiorem, eo exquiſitiore avaritia graſſantibus. XII. Jo. Auſtrii in Belgium adventus: qua re et caſu Antuerpienſi minime territi ſed irritatiores Ordines ad Gandenſem arcem caſtra ponunt, et tandem capiunt. XIII. Gandenſis pacificatio. Valentianae in Ordinum poteſtatem veniunt; et eodem tempore Teneramunda et Cameracum. XIV. Friſia per Martinum Stellam ſolicitatur; qui, male a Gaſpare Robleſio provinciae praeſide habitus, praeſidiarios in eum Groeningae concitat. XV. Auſtrius Ordinibus ſuſpectus. Hier. Rodae ad eum praecepta, et Arauſionenſis ſuper eo ad Ordines monita. Induciae pactae, et ad Marcheſaminam conventus. XVI. Apud nos Alençonius ad ſenatum Pariſienſem dat literas. XVII. Exercitus auxiliaris e Germania, duce Caſimiro, venit. XVIII. Navarri ab aula diſceſſus. XIX. Tranſmiſſo ad Ligerim exercitu, Alençonio a Condaeo et Caſimiro exercitus traditur. XX. Molinis in Boiis de pace conventus. Alençonii, Caſimiri, et Navarri poſtulata. XXI. Tandem in Turones ventum, et Belli-loci juxta Lochias tranſigitur, edicto condito, quod rex in lectiſternio ſedens, ne qua mora interponeretur, ipſe promulgavit. XXII. Franciſci Momorantii innocentiae declaratio regio diplomate in ſenatu promulgatur. XXIII. Gaſparis Caſtrei Nancaei mors.

EX AUCTORIBUS,

Antonio Ricobono, Alexandro Canobio, Aſcanio Hortenſio Centorio, Thoma Coſto, Rogerio Tritonio, Imm. Meterano, Jo. Parvo, Bern. Mendoza, H. F. Conneſtagio, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae, L. Vicino P. P. Jo. Serrano, Jac. Cujacio.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEXAGESIMUS SECUNDUS.

CIↃIↃLXXVI.
HENRICUS III.

TUMULTUM Genuenſem et Philippi de revocandis penſionibus interdictum ſecuta eſt ingens peſtis; quae praecedenti anno ob externorum ad Jubilaei celebritatem undique confluentium frequentiam cum coepiſſet, hoc demum et ſequenti immaniter tota Italia graſſata eſt; qua majorem non meminerant homines poſt illam, quae anno CIↃIↃXXVIII Italiam afflixit, et Gallicum exercitum duce [a] Lautreco Neapolim miſſum ad internecionem delevit, a Franciſco [b] Guicciardino et Paulo Jovio deſcriptam: cujus etiam cauſas Hieronymus [c] Fracaſtorius, celeberrimus noſtra aetate philoſophus, et Georgius Agricola diligenter indagarunt. Hujus morbi contagia a [d] Tridenti urbe caſu Veronam primum illata, et poſtea Venetias, ferunt: et haec vulgi conſtans opinio fuit. Quanquam, qui harum rerum periti cauſas veſtigare voluerunt, morbum in urbibus ipſis natum ex immunditie privatarum aedium, non a ſtellarum poſitu aut aëris maligna conſtitutione prognatum, ſcribunt; et in iis Andreas [e] Gratiolus Salonenſis, excellens medicus, et, qui eum ſecuti ſunt, Alexander [f] Canobius Patavinae peſtis ſcriptor, et Antonius [g] Gliſcens Brixianus. Utut ſit, nam harum rerum diſceptationem iis, qui in naturae ſecretis verſantur, relinquo, ad magis inſtituto noſtro convenientia properans, cum ea lues, qua Tridentum ad ſolitudinem paene redactum eſt, ſuperiore anno Veronae in Italia coepiſſet et multos mortaleis abſumpſiſſet, contage etiam per reliquam ditionem Venetam ſerpente, hoc anno, cum vis morbi reſediſſe crederetur, ſtatim Venetiis recruduit; ita ut a Decembri proximo ad Maium uſque ingraveſcente malo numerus quotidie morientium ad XVIII, XX, et XXX excurreret, et menſe ſequenti etiam ad C uſque exereverit: totoque illo anno in urbe ad LXX CIↃ hominum abſumpta memorant, qui rem vero majorem non fingunt. Malo, ut latius ſerperet, cauſam in parte praebuiſſe dicuntur Hieronymus [h] Mercurialis Forolivienſis et Hieronymus [i] Capivacca Patavinus, ambo praeſtantiſſimi medicinae profeſſores; qui a ſenatu accerſiti, et, controverſantibus in urbe de morbi natura medicis, ſententiam rogati, cum talem morbum peſtilentem non eſſe aſſeveraſſent, profeſſique poſſe ſe eum curare, in eam curam ſenatus permiſſu incubuiſſent, ex eo aegrotanteis vel leviter ſuſpectos, antea in locum hac lue contaminatis aſſignatum exportari ſolitos, in urbe retinuerunt; qui, graſſante jamque ſe clarius prodente morbo, alios facile corruperunt: et inde malum in majus auctum; ita ut, cum adminiſtri eorum aliquot et praeterea excellentes medici ſeu chirurgi LVIII periiſſent, ipſi, petita a ſenatu venia, dimiſſi ſint; ob tam pium conatum nihilominus laudati, quod tot hominum ſaluti periculum proprium poſthabuiſſent. [k] Mediolani, Cremonae, Papiae innumeri et eo morbo perierunt, Carolo Borromaeo, Nicolao Sfondrato, Hippolyto [l] Roſſio cardinalibus harum urbium epiſcopis, nullam non diligentiam, nullum non pietatis et humanitatis officium, adhibentibus, ut aegris ſolatio et rebus contra tam ſaevum malum neceſſariis in tempore ſubveniretur. Borromaeus in primis aegros inviſere, et, quaſi de contagione ſecurus, praeſens alloqui et aliquando tangere, toto eo tempore non deſiit: quod et idem ab Auguſtino Valerio, ſummo ſanctimoniae Borromaei imitatore, Veronae, cujus epiſcopus erat, factitatum eſt. Nec Patavii minor edita mortalium ſtrages,

INTERPR. [a] *le ſieur de Lautrec.* [b] *Guicciardini & Paolo Giovio.* [c] *Fracaſtorio.* [d] *Trente.* [e] *Gratiolo di Salo.* [f] *Canobbio.* [g] *Gliſſente Breſciano.* [h] *Mercuriale de Forli.* [i] *Capivacca de Padoue.* [k] *Milan, Cremone, & Pavie.* [l] *De' Roſſi.*

ſtrages, cujus ſpectatores [a] Vicentini, qui [b] Veronam et Patavium interjacent, cum hoc anno fuiſſent, ſeqnenti ita ab ea lue infeſtati ſunt, ut non habuerint Patavini quod illis invidere poſſent. Jam ante pet totum orientem, ex quo Venetias contagio importari potuit, eo morbo laboratum fuerat; et Amurathes principatus initia peſte infeſta habuit, eaque re bellici conatus illius retardati ſunt. [c] Meſſanae vero in Sicilia ad XL animarum CIↃ ea lues abſumpſit, ita ut urbs paene ad ſolitudinem ſit redacta: quo ex caſu major metus inceſſit, ne Turci piratae occaſione captata in inſulam et vicinam oram exſcenſionem facerent: cui malo ut praeverteretur, Philippus, miſſo Marco Ant. Columna, qui Siciliae cum ſummo imperio praeeſſet, novos delectus haberi mandavit, et Alvarum [d] Baſſanum ſanctae crucis marchionem cum claſſe XXXVI triremium in [e] Africam deſcendere juſſit, ut terrore ſui circum ſparſo Turcos ab excurſionibus averteret. Is vero [f] Cercinitidem inſulam in illo litore ingreſſus, abductis in captivitatem aliquot Mauris, nullo praeterea opere facto, Neapolim rediit: quo mox appulit juvenis quidam Albericus [1] Dioſa nomine cum bireme Turcica, qui quadriennio ante a Turcis captus, ejeratis ſacris Chriſtianis, Mahumetanae pravitati nomen dederat, et tunc ad nos erroris ſui pertaeſus transfugit, commoditatem nactus, dum [g] Raiſius biremium praefectus, a quo minus honeſte diligebatur, ab [h] Uluzali, qui adhuc in [i] Aegeo haerebat, exploratum miſſus longe a reliqua claſſe excurreret. Tunc enim, conſilio cum captivis Chriſtianis communicato, Raiſium ſomno ſepultum occupat, et occiſo eo remiges ſolvit, ac ceteros Turcos, qui in bireme erant, facile in poteſtatem redegit. Nihil tamen certi is de hoſtium conſiliis attulit; ſed tantum vulgata inter eos, quaſi Uluzalis ad [k] Melitam exſcenſionem facturus eſſet: verum, amiſſae biremis caſu cum Uluzalis Chriſtianos adventus ſui certiores factos et in armis ubique eſſe ſibi perſuaderet, nihil eo anno tentavit, quod ad vim apertam faciendam ſatis virium penes ſe non haberet, et ob Dioſae transfugium merito dubitaret, ut conſilia aſtu procederent, noſtroſque imparatos opprimere poſſet. Tantum quidam Turci a claſſe deerrantes, cum in Calabria juxta [l] Trebifaciam exſcenſione facta diſcurrerent, a Nicolao Bernardino Sanſeverino [m] Biſiniani principe, qui LX equites et totidem ſcloppetarios ab equitibus in equos aſſumptos ſecum habebat, intercepti ac caeſi ſunt ad CL, capti circiter XL. Is nuncius et fecit, cum incertum eſſet quo Uluzalis renderet, ut Veneti, etſi conſtante cum Turcis pace, [n] Cretam novo praeſidio ſibi muniendam exiſtimarent, negotio dato Sforciae Pallavicino, ut III CIↃ peditum conſcriberet, quorum duces deſignati Thomas [o] Conſtantius, Germanicus [p] Savornianus, [q] Sbarra eques, Jacobus Malateſta et marchio [r] Rangonius, et univerſo peditatui impoſitus [ſ] Moretus Calaber.

II. HIS curis anxiam Romam non minus ſolicitam habebat de regis Poloniae electione coepta ſuperiori anno controverſia. Nam pontifex Auſtriacae familiae multis nominibus addictus, et qui ad bellum in [t] Pannonia contra Turcos gerendum non parvi momenti exiſtimabat, ſi Auſtriacis Pannoniae regibus tam potens ac late patens regnum accederet, haud mediocriter de electionis hujus eventu animi diſcruciabatur; quippe qui per oratores ſuos crebris literis certior fieret, res tarditate Caeſaris minus ex voto procedere. Senatores regni, qui ejus partibus favebant, ſplendidiſſimam legationem ad eum decreverant, orantes, ut capita ab Henrico nuper jurejurando firmata, de quibus inter regni ordines et Caeſareae majeſtatis legatum nuper in Warſaviae comitiis convenerat, ipſe confirmaret, et, antequam Stephanus Bathorius ab

INTERPR. [a] *ceux de Vicenze.* [b] *Verone & Padoue.* [c] *Meſſine.* [d] *de Baçan, marquis de Santa Crux.* [e] *Barbarie.* [f] *Querquene,* al. *Cherchene.* [g] *Rais.* [h] *Ulucciali.* [i] *l'Archipel.* [k] *Malte.* [l] *Trebifaccia.* [m] *Biſignano.* [n] *Candie.* [o] *Coſtanzo.* [p] *Savorgnano.* [q] *il cavalier della Sbarra.* [r] *Rangone.* [ſ] *Moretto Calabreſe.* [t] *Hongrie.*

NOT. [1] *Roſa.* .Coſto le nomme *Roſe*; & Campagna *Dioſa,* que M. de Thou ſuit. *Put.*

CIϽIϽLXXVI. HENRICUS III. ab adverſa factione in regni poſſeſſionem mitteretur, ad regnum capeſſendum veniret. Verum ille, ſive proximae mortis praeſagus, et Imperii negotiis occupatus, ſive ingenita cunctatione, moras nectebat, de capitibus illis ampliorem deliberationem inſtitui petens, et moderationem quandam adhiberi, vel ſaltem clauſulam, quantum in ipſo eſſet, adjungi: tum, quid in durioribus, ut ſibi videbatur, capitibus ab Henrico et aliis regibus ſacramento firmatis, deſideraret, prolixo ſcripto expoſuit, eaque de re in conventu [a]Leovitii indicto, ut ageretur, inſtabat. Sed contradicebant legati, et periculum in mora eſſe demonſtrabant, urgebantque, ut diem adventus in Poloniam ſui certum conſtitueret, eumque proceribus Leovitii congregatis per oratores ſuos ſignificaret. Heic rurſus tergiverſari Caeſar, et, quo moram profectioni injiceret, novas conditiones proponere. Cum enim intelligeret Jagellonum ſacroſanctae inter Polonos memoriae hoc datum, ut in gratiam Annae infantis, quae ſola ex illa ſtirpe ſupererat, Bathorius electus eſſet, qua electione proceres non plus Poloniae regem quam Annae virum quaeſiviſſe videbantur, rurſus ſcripto declarat, ſatius e communi re videri, ut Erneſtus filius in ſuum locum aſciſceretur, et, Anna uxore ducta, in regem inauguraretur. Inter has altercationes et moroſas ſcriptorum mutitationes dum tempus inutiliter teritur, a ſenatoribus et equitibus Leovitii congregatis venere literae III Non. Mart. quibus de Caeſaris mora, ut rebus ſuis ſumme pernicioſa, graviter conquerebantur, et, ni quam primum veniret, regnum prius occupanti cedere oportere oſtendebant. Itaque ille, datis ad ordines Warſaviae conventuros literis, denuo conditiones de Erneſto cum Anna matrimonio conjungendo proponit; interim petens, ne in comitiis quidquam decernatur, quod legitimae electioni ſuae praejudicare poſſit. Tum capita a legatis propoſita jurejurando ſancit, accepto ab iis electionis decreto, quod IX Kal. Apr. typis evulgatum Poloniae et Lithuaniae ordinibus ſignificandum curavit.

III. SED, dum in eo eſt, Stephanus a ſuae factionis proceribus e [b]Dacia, in qua Chriſtophorum fratrem principatus ſucceſſorem reliquit, evocatus, in Poloniam citatis itineribus exiguo comitatu advolavit; et, Anna, quae illum maritum expetebat, uxore ducta, Cracoviae Kal. Maii proximis cum ipſa, regni inſignibus ſumptis, inauguratur, juramento prius interpoſito de religioſe ſervandis juribus, libertatibus, privilegiis a regibus deceſſoribus, et a Caſimiro praecipue, Ludovico magno, Uladiſlao I, Jagellone, Joanne Alberto, Alexandro, Sigiſmundo I, Sigiſmundo II Auguſto, Henrico ſacramento firmatis; addito, ſi quidem ea ulla in parte violaret, ut ab omni jure, quod in regno habebat, excideret, et proceres a fide et obedientia, quam ei ut legitimo regi debent, ſolverentur. Id actum magna omnium laetitia ac frequentia, Staniſlao [c]Carnicovio epiſcopo Uladiſlavienſi ſacra peragente: nam [d]Gneſnenſis, cujus id munus erat, cum Alberto [e]Laſco et aliis adverſae factionis proceribus aberat; quos ille poſt adeptum regnum benigno propoſito edicto, ſancita praeteritorum oblivione domum revocavit. Dein quarto ab inauguratione die privilegiorum ſpeciatim enumeratorum confirmationem ſolemni diplomate ſancit, et diplomatis exempla ſigillo regio firmata ſingulis ordinibus impartiendi cancellario et vicecancellario poteſtatem facit. Eam vero injuriam cum ad animum, ut par erat, revocaret Maximilianus, nihil non agebat, ut ſuis et foederatorum principum viribus regnum electione delatum tueretur: cumque ad eum ſub id tempus Moſcorum legati veniſſent, magna pompa, literas panno aureo gentis ſuperbae more involutas a Joanne magno Ruſſorum duce afferentes, quibus opes ſuas contra Bathorium, Amurathis communis Chriſtianorum hoſtis commendatione in alienum regnum invadentem, deferebant, non mediocriter gaviſus eſt Caeſar, et pro tam benevolo erga ſe animo gratias legatis egit; nec recuſare ſe dixit, quo

INTERPR. [a] *Lowicz.* [b] *Tranſilvanie.* [c] *Karnkowski, evêque de Cujavie.* [d] *l'archevêque de Gneſne.* [e] *Laski.*

quo minus amici principis, cum occaſio ferret, opibus et auxiliis uteretur, ſuas viciſſim CIƆIƆLXXVI.
pari gratitudine deferens. Conſilium Moſcorum erat, bello inter contendenteis de le- HENRICUS III.
gitima electione accenſo, Livoniam tam diu controverſam invadere, et ſui juris facere. Caeſar autem ſic judicabat; dum cum valido exercitn tegnum ingrederetur, ſi Moſci a tergo incumberent, fore, ut proceres ſibi adverſanteis temeritatis ſuae poeniteret, et Bathorius regno tuendo contra tam potenteis principes impar in [a] Daciam ſuam ſe reciperet. [a] Erat tunc in Polonia [b] Vincentius Laureus pontificius orator, qui poſt Henrici diſceſſum cum videret res ad interregnum atqne adeo novam electionem ſpectare, omnem operam dabat, ut Auſtriacae domus ratio in ea haberetur. Ubi autem, ſciſſo factionibus regno, ſciſſa quoque ſuffragia vidit, et ſuis et crebris per Gneſnenſem archiepiſcopum et Laſcum factionis Caeſarianae principes literis apud Maximilianum inſtabat, ut quam ptimum ad capeſſendum regnum novum legitima electione ſibi delatum feſtinaret: cum vero, ſive cautiore prudentia, ſive innata Maximiliani cunctatione fructum ejus amiſſum, moereret, Stephano a contraria factione electo jam in regem inaugurato, et contractis interim cum Anna infante nuptiis; ad tempus extra Poloniae fines conceſſit, et [c] Wratiſlaviae aliquandin in Quadis haeſit, cum Stephanum regem ſalutare nollet, et, ſi id faceret, magnum ea re Maximiliano, cujus cauſae ſavebat, praejudicium fieri exiſtimaret. Inde cum ab internecino bello metus eſſet, propoſitae a Laureo pontificis nomine conditiones, ut ſibi videbatur, neque Stephano jam regnum adepto detrimentoſae, neque Maximiliano et Auſtriacae familiae regno dejectae indecorae; Ur, cum prolis ex Stephano et Anna naſciturae per aetatem alterius ſpes non eſſet, ad ſarciendam inter partes concordiam Matthias archidux, quando et Erneſtus et Maximilianus fratres Polonis ſuſpecti eſſent, Joannis Succiae regis filiam in uxorem duceret, ea lege, ut jam tum puella regia reginae Sueciae parentis et Annae mareterae in bonis omnibus, qnae in regno Neapolitano ex ſucceſſione [d] Bonae Sſortiae aviae competebant, er [1] Brinſeuci principatu heres declararetur, et Caeſar auctoritatem ſuam interponeret, ut Anna quoad viveret, fructum ex iis perciperet: interea Matthias magna indole princeps apud Annam cum uxore educaretur, ubi er linguam Polonicam addiſceret et gentis moribus ac inſtitutis paulatim inſueſceret: ſic enim futurum, nt ipſe Jagellonum ſanguine oriundus, et Caſimiri III Poloni abnepos, vetuſtiſſimae ſtirpis jam bene de Polonis meritae intermortuam ſpem renovaret: in eam ſpem uterque jam corona regia, ex Stephani et Annae conſenſu, inſigniretur. Neque enim tem exemplis domeſticis carere: ſic a Poloniae ordinibus ſub Ludovico [e] Hedvigim, ſub Jagellone Uladiſlaum, heredes regni pronunciatos; et ſub Sigiſmundo nuper Sigiſmundum Auguſtum non modo regem conſtitutum, ſed etiam ſuperſtite parente inauguratum fuiſſe. Praeterea ad omnia in poſterum impedimenta tollenda caveretur, ne, ſi Anna ſupremum diem obiiſſet, Stephanus aliam uxorem duceret; nec viciſſim, ſi is vivis prior exceſſiſſet, illa alteri nuberet: quantum ad Matthiam et Suecam conjugem ſpectat, ſi haec maritum morte antevertiſſet, ille alteri quam e reginae Annae voluntate, ne matrimonio jungeretur: ſi contra Matthiam ante uxorem decedere contingeret, Sueca Maximiliano et ipſi Caeſaris filio nuptui [β] traderetur. Haec, ſalvis privilegiis et immunitatibus, accedente pontificis auctoritate, jure ac prudenter religionis bono, et ad firmandam inter potentiſſimos principes amicitiam conſtitui poſſe, minime dubitabat Laureus: itaque, eo urgente, miſſus a pontifice Joannes [f] Moronus collegii cardinalium princeps, qni cum Maximiliano et Stephano eade re ageret. Is ubi Wratiſlaviam venit, communicatis cum

Laureo

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de conditionibus a Laureo ad concordiam inter Maximilianum et Stephanum ſarciendam propoſitis, uſque ad* Dimiſſis interim Moſcorum *deſunt* D. f. d. [β] traderetur. Haec ſalvis *deſunt* Ed. Gen. 1620.

INTERPR. [a] *Tranſilvanie.* [b] *Vincenzo Lauro.* [c] *Breſlau en Sileſie.* [d] *Bona Sforza.* [e] *Hedwige.* [f] *Morone.*

NOT. [1] *Lege* Brunſvicenſi. V. lib. 76 ad calcem.

CIↃIↃLXXVI. Laureo conſiliis, averſum prorſus a conditionibus Stephani animum reperit, cum di-
HENRICUS III. ceret, leges tam duras et inſolenteis, quibus nuptiarum libertas divino et humano jure ſancita tollitur, non a victo, et eo qui nullum jus in regno haberet, ſed a victore ferri debere. Itaque re infecta Moronus ſtatim in Italiam rediit, relicto Laureo, qui poſtea cum Stephano collocutus nihil plus ab eo impetrare potuit.

IV. DIMISSIS interim Moſcorum legatis, Caeſar Ratiſponam ad comitia venit; ubi occultis prenſationibus de auxiliis pro tuenda ſua in regem legitima electione ſollicitati principes Imperii et Ordines. Miſſi et in eam rem ad Daniae et Sueciae reges legati, arma adverſus principem Turcorum beneficiarium et de Imperio et ei foederatis principibus quaſi triumphantem conjungi petentes. Quae dum fiunt in comitiis, [a] Buchaviae nobilitas [b] Fuldenſi praeſuli ſubjecta, cujus ditio inter [c] Cattos, [d] Saxones et [e] Franconiam poſita eſt, et Buchavienſium exemplo [f] Eisfeldenſes, [g] Moguntino item archiepiſcopo ſubjecti, liberam Auguſtanae confeſſionis profeſſionem ſibi permitti; Harcinii item [h] Veterani, aliique ad Rhenum comites, filiis ſuis Auguſtanae confeſſionis doctrinam amplexis liberum ad beneficia in ſacris collegiis aditum; et collegiorum ſodaleis, qui eandem religionem profiterentur, dignitate et penſionibus ſuis minime privari, magna contentione III Kal. Quintil. petierunt. Idem anno praecedenti jam petierant: ſed Caeſar rem ad horna comitia rejecerat. Tunc vero rem maxime urgebant; et, niſi poſtulatis ſatisfieret, de collatione in bellum contra Turcos facienda non aſſenſuros ſe comminabantur: et ſociorum Auguſtanae confeſſionis legati cauſam ut communem ſuffragiis ſuis adjuvabant. Sed interceſſit ſumma prudentia et aequitate Auguſtus Saxo ſeptemvir, cum diceret, in Caeſaris poteſtate non eſſe poſitum ſacrum ordinem cogere, ut contra expreſſas pacis religioni datae conditiones ſubditis ſuis aliam religionem, quam ipſe non probet, invitus concedat: alioqui fore, ut Auguſtanae confeſſionis principes ac ſocii liberum pontificiae religionis uſum, ſi qui eum expeterent, permittere cogerentur: quod ad beneficia ac dignitates ſacras attinet, proteſtationem tunc fuiſſe a Proteſtantibus interpoſitam in comitiis Ratiſponenſibus anno hujus ſaeculi LVI, et ſequenti Ferdinandum Caeſarem teſtimonio publico dato declaraſſe, ſe ipſorum conſcientias exonerare: itaque nihil temere in eo negotio, neque plus quam in oculi pupilla, movendum, aut peregrinis interpretationibus, quod conſtanter hactenus ſervatum ſit, in dubium revocandum fuiſſe.

V. INTER haec, dum tantae molis bellum in Polonia gerendum anxios omnium animos teneret, res incidit, quae et ea ſollicitudine Auſtriacos et Bathorium novum regem omni armorum motu ab illa parte liberavit. Nam Maximilianus Caeſar, ſive curis confectus, ſive longa corporis aegritudine debilitatus, IV Eid. Oct. optime meritam de republica Chriſtiana animam, in comitiis et quaſi inter ordinum Imperii manus [α] ac complexus, Deo reddidit, cum XLIX annos exegiſſet, et Imperium XII tenuiſſet; princeps aequitate animi, prudentia et juſtitia inſignis, et in quo ad ſummam fortunam nihil merito deſiderares, niſi ipſam fortunam et firmiorem valetudinem. In negotio autem religionis, quod in Germania multis abhinc annis agitatum eſt, eam rationem ſervavit, ut, cum a ſacris majorum nuſquam recederet, non propterea Proteſtantibus ſuſpectus fuerit, mediam emendationis viam tota vita conſectatus: cui etiam poſt concilium Tridentinum ad finem perductum inſtitit, impetrato ſuis calicis uſu a pontifice: quem et pro ſacerdotum conjugio ſaepius interpellavit, ſed nullo [β] exitu. Huic ex Maria Philippi patruelis ſorore numeroſa nata ſoboles: ex qua ſuperſtites patri fuere Rodolfus, qui imperium poſt eum tenuit, Erneſtus, qui in Belgio poſtea

VAR. LECT. [α] ac complexus *deſunt* D. f. d. [β] exitu; in eodem propoſito tandem, ſeu diſſimulatione, in qua vixerat, mortuus. Huic—*MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Buchau.* [b] *l'Abbé de Fulde.* [c] *Landgraviat de Heſſe.* [d] *pays de l'Electeur de Saxe, qui eſt la Turinge.* [e] *la Franconie.* [f] *d'Eisfeld.* [g] *de Mentz* ou *Mayence.* [h] *ceux du Weſterwaldt.*

poſtea deceſſit, Matthias, Maximilianus, Albertus cardinalis, Wenceſlaus: Anna grandior natu filia Philippo, Eliſabetha Carolo Francorum regi nupſit. Maximilianum paucis poſt diebus ſecutus eſt Fridericus [a] Baioarus Palatinus ſeptemvir, qui Heidelbergae fatis conceſſit VII Kal. Nov. cum aetatis annum LX ageret; princeps integritate, liberalitate, humanitate, beneficentia nulli ſuorum temporum [α] inferior, de cetero confeſſionis, quam probabat, conſtantiſſimus aſſertor; ob id principibus et ceteris Imperii ordinibus, apud quos tantum Auguſtanae confeſſioni locus eſt, minus gratus: ſiquidem is confeſſionem [b] Helveticam primus in Germaniam intulit, quam et Gallicani Proteſtantes amplectuntur; eamque ob cauſam, nec aliam ſibi quis fingat, conſtantiſſime et magno ſuarum rerum diſpendio cauſam Proteſtantium noſtratium conſilio et auxiliis juvit, deſtinato etiam nuper Jo. Caſimiro altero ex filiis, qui cum auxiliari exercitu rebus eorum praeſto futurus hoc anno in Galliam venit. Huic decedenti Ludovicus grandior natu filius in ſeptemviratu ſucceſſit; qui confeſſionem Auguſtanam reſtituit, magno Imperii ordinum plauſu, Helveticae confeſſionis paſtoribus ditione ſua expulſis, qui [c] Neapolim Nemetum in Jo. Caſimiri ditione receptum habuerunt. Ante Fridericum ſeptemvirum prid. Eid. Febr. fatis conceſſerat Jo. Albertus dux [d] Megalopolenſis, Alberti filius, Magni nepos; qui aemulatione fratris Ulrici potius quam propria voluntate, cum Roſtochienſeis ſuperioribus annis et ipſe vexaſſet, facti invidiam inſigni liberalitate poſtea eluit, reſtituta academiae urbis omnino collapſa diſciplina, eaque coenobiorum vectigalibus, quae alii principes in privatos uſus vertunt, ampliſſime dotata. Huic ex Sophia Alberti [e] Boruſſiae ducis filia nati Joannes et Sigiſmundus Auguſtus patri ſuperſtites; quorum tutelam Ulricus patruus et Auguſtus Saxo et Joannes Georgius Brandeburgicus ſeptemviri conſobrini ſuſceperunt. Scholae Roſtochienſis a Jo. Alberto inſtauratae mentio admonet me, ne academiae novae in Saxonia [f] Helmſtadii hoc anno a Julio Brunſvico principe inſtitutae memoriam obliterari patiar, quam ille ex Martini [g] Chemnitii conſilio ordinatam, etiam idoneis vectigalibus ad alendos profeſſores locupletavit; rectore primo ejus deſignato Julio Henrico filio, qui Eid. Octobribus, quae ipſi natales erant, ludum aperuit. In Dania, cum L anni exiiſſent, quibus Fridericus I rex Bornholmiam inſulam in mari Baltico poſitam, Lubecenſibus pro belli ſumptibus, ab iis in regno a Chriſtierni II Joannis fratris filii tyrannide vindicando adjutus, fruendam conceſſerat, inſula Friderico II nepoti bona fide reſtituta eſt. [β] In Germania et eodem anno obiit Gul. Xylander Auguſtanus, utriuſque linguae apprime peritus et omnis antiquitatis ac literaturae cum paucis hujus aevi comparandus; ad haec, philoſophicis et mathematicis ſtudiis clarus; dum vixit cum ſumma egeſtate luctatus, atque ob id fami non famae ſcribere exiſtimatus: multa ille magno rei literariae bono vivus edidit; plura, quae promiſit, et qua erat eruditione et ingenio praeſtare potuit, publico daturus, niſi immatura mors eum, quippe tantum XL annos exegerat, Heidelbergae, ubi profitebatur, intemperantia vitae accelerata oppreſſiſſet. Poſt Xylandrum VI Non. Quintil. Joſias [h] Simlerus [i] Capellae in Helvetiis natus ultimum vitae diem [k] Tiguri clauſit, cum tantum XLV annos exegiſſet, animi candore et omnijuga eruditione praeſtans; qui, Petro Martyri [l] Vermilio ſucceſſor in ſchola Tigurina datus, ſtylum praecipue in Samoſatenos, Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, Macedonianos, et nuper veluti ab inferis hoc aevo in Polonia excitatos Tritheitas ſtrinxit; aliis ſcientiis egregie inſtructus, ac praecipue mathematicis, quas et per ſe percepit, et ſumma cum laude diu profeſſus eſt, et inſtrumentis ingenioſiſſime a ſe excogitatis illuſtravit. In bonis literis et excelluit, et de

CIↃIↃLXXVI.
HENRICUS III.

VAR. LECT. [α] inferior, et ad omnem poſteritatem depraedicandus; de cetero *MS. Samm.* [β] *Hoc Xylandri elogium in medio lib.* LXI *inſeritur D.* f. d.

INTERPR. [a] *de Baviere, Electeur Palatin.* [b] *Confeſſion de Foy des Suiſſes.* [c] *Spire.* [d] *le duc de Meklenburg.* [e] *de Pruſſe.* [f] *Helmſtadt.* [g] *Chemnitz.* [h] *Simler.* [i] *Cappel.* [k] *Zurich.* [l] *Vermiglio.*

CIↃIↃLXXVI. de republica Helvetiorum commentarium magna prudentia ſcripſit; ac praeterea de HENRICUS III. Alpibus et [a] Valeſia commentarium edidit; patriam etiam hiſtoriam ab Aegidio [b] Tſchudo viro doctiſſimo vernacula lingua olim inchoatam publico daturus, niſi, eo in literis aſſiduo, et arthritide ac calcnli intolerandis doloribus in horas afflicto, properata mors et praeclarum rei literariae juvandae deſiderium et conceptam de optimi viri labotibus ſpem abrupiſſet. Mortuum laudavit Jo. Gulielmus [c] Stukius. In Germania proxima Conradus [d] Heresbachins, vir dignitate et doctrina praeſtans, in majorum ſuorum Heresbachiano caſtro in Clivenſi ditione natus, hoc anno in ſuo [e] Lorinſulano pridie Eid. Oct. ad Deum migravit, cum LXVII annnm exegiſſet: commentarium in Pſalmos eruditiſſimum edidit, et de te ruſtica in illo otio poſt alios ſcripſit, non minus mornm ſuavitate de ſuis quam eruditione de republica bene meritus. Annum clanſit Georgii Joachimi a natali ſolo Rhaetici vulgo cognominati mors; mathematicarum artium ac rei praecipue aſtronomicae praeſtantiſſimi, quas ſecundum [f] Regiomontannm, Copernicum, Reinoldum maxime illuſtravit: [g] Caſſoviae in ſuperiore [h] Pannonia pridie Non. Decembreis catharro praeſocatus anno aetatis ſexageſimo obiit; enm praeter pauca, quae publico edidit, plura ab admirabili ejua ingenio, quorum indlcem ln ſuam bibliothecam Simlerus tranſcripſit, ſtudioſi exſpectarent. Romae magni nominis ſive mathematicus ſive medicus Hieronymus Cardanus, Mediolano natus, hoc anno itidem obiit. Varia ejus vita, ut mores; pluraque ipſe de ſe, inandita in viro literas profeſſo ſimplicitate ſeu libertate, ſcripſit, quam curioſus quiſquam a me exigat. Romae cum diverſo ab aliis cultu incedenrem paucis ante obitum annis conſpicati et adlocuti ac ſaepius admirati ſumus, cum celeberrimi tot ſcriptis hominis recordatio ſubitet, neque tamen qnidquam in eo, quod tantae famae reſponderet, animadverteremus; eoque magis Julii Caeſaris Scaligeri acerrimum judicium ſuſpeximus, qui divinum ingenium ſuum in opere de ſubtilitate exagitando praecipue exercuit, lnaequalitate illius ubiqne diligentet notata, qui in quibuſdam interdum plus homine ſapere, in pluribus minus pneris intelligere videatut. In arithmeticis muira conatus eſt et invenit. Jndiciariae, quam vocant, fidem apud multos adſtruxit, dum certiora pet eam, quam ex arte poſſint, plerumque promeret. Verum extremae amentiae fuit, imo impiae andaciae, aſtrorum commentitiis legibus verum aſtrorum Dominum vellc ſnbjicere: quod ille ramen, exarata Servatoris noſtri genitura, fecit. Tandem, cum tribus diebus minus ſeptuageſimum quintum annum impleviſſet, eodem quo praedixerat anno et die, videlicet XI Kal. Oct. defecit; ob id, ne falleret, mortem ſuam inedia acceleraſſe creditus. Corpus ad D. Andreae depoſitum; dein Mediolanum tranſlatum, et ad D. Marcl in majorum monumento conditum eſt.

VI. RES in Belgio hoc anno alrernanre vices fortuna multum mutavere, dum legati de pace, qui Bredae convenerant, ſcriptis hinc inde et ad illa reſponſis tempus terunt. Arauſionenſis [i] Crimpeniam munitionem, in aggere haud longe a [k] Schonovia quinquangulari forma ab Aegidio [l] Barlaimontio Hiergio exſtructam, magni momenti ad exſcenſionem in ſuperiorem Bataviam faciendam, et [m] Brielam adeo reciperandam, aggreditur, claſſe inſuper inſtructa ad prohibenda auxilia; quae Ferdinandus [n] Toletanus cum per aggerem fruſtra introdncere tentaſſet, et copias diu ſub ſignis aſpera admodum hyeme tenuiſſet, tandem omni ſpe ſubſidii lmmittendi praeciſa, obſeſſos, ut ſibi honeſtis conditionibus conſulerent, monuit; qui, jam a commeatu laborantes, poſtremo deditionem fecere III Non. Febt. Interea ad [o] Zirixeam in Mattiacis ſuperiori anno ineunte obſeſſam res a Chriſtophoro Mondragonio gerebatur: urbi praeerat Arnoldus [p] Dorpius magnam inter ſuos prudentiae et probitatis laudem multis

egregie

INTERPR. [a] *Valois.* [b] *Tſchud.* [c] *Stuck.* [d] *Heresbach.* [e] *Lorinſaulen.* [f] *Regiomontan.* [g] *Caſchau.* [h] *Hongrie.* [i] *Crimpen.* [k] *Schoonhoven.* [l] *de Berlaimont, ſieur de Hierges.* [m] *la Brille.* [n] *de Tolede.* [o] *Ziriczee en Zelande.* [p] *de Dorp.*

egregie factis promeritus; ſub quo militabant Juſtus [a] Eindanus, Joannes [b] Crommus, CIƆIƆLXXVI.
Nic. [c] Bernardus, Ambroſius [d] Hertzogus, Ant. [e] Bommelios, Nic. [f] Porta, Eligius [g] Ru- HENRICUS III.
damus, Nic. [h] Pluketus, alii belli duces: ex eorum conſilio extra urbem collis, ex ſalinarum cineribus temporis tractu aggeſtus, verſus meridiem ſumma diligentia munitur, ad ſeptentrionalem plagam c tertae jugera circiter vallo amplexus, perfoſſis de cetero aggeribus, ita ut reſtagnante paſſim aqua regiis lo aggeribus conſiſtendi nullum idoneum ſpatium relinqueretur. Zirixeani moras nectendi occaſiones aucupabantur, quaſi de deditiooe cogitarent; eoque diſſimulatio illa evaſit, ut, cum Hiſpani id ſerio agi crederent, foederati in Batavia et aliis provinciis ejus rei ſama oon parum commoverentur. Itaque, poſtquam diu obſeſſi Hiſpanos ludificati ſunt, et quantas ex illa mora potuerunt commoditates rebus ſuis paraverunt, ut eam opinionem ex ſociorum animis demerent, ſcripto apologiae titulo purgare ſe coacti ſunt. Crebris interim eruptionibus certatum; et v Kal. Febr. cum claſſis ex urbe exiiſſet, acri pugna conſerta obſeſſi cum damoo intra portum repulſi ſunt: quam cladem tertio poſt die ultum iverunt, depreſſis duabus Hiſpanorum navibus; et VIII Eid. Febr. XXII naves commeatu onuſtae intra urbem, quantumvis reſiſtentibus Hiſpanis, acceptae ſunt. Quod ne ſaepius contingeret, Mondragonius triremeis et navigia plana ſummitti petierat, quae mox praeſidis juſſu inſtructa ad Sanctium [i] Avilam miſſa ſunt; et cum iis canalis, qui Zirixeam ducit, inſeſſus, deſtitutis in ſaucibus portus VI carinis, et conſtructa in aggere munitione, eique impoſitis duabus machinis, quae ingreſſum auxiliaribus prohiberent: quod ut magis impedirent, de palis et ſublicis ac trabibus ad aditum obſtruendom in mare jaciendis jam tum cogitatum, et neceſſaria ad id parari coeperunt.

VII. DUM in eo eſſent, Reqoeſenes, andito equites Hiſpanos per praeſidia diſtributos ob non ſoluta ſtipendia tumultuare, Antuerpia, quo, ut ſuis Zirixeam obſidentibus praeſto eſſet, profectus fuerat, per [k] Mechliniam Bruxellas rediit: ubi acuto ac peſtilenti morbo correptus ultimum diem clauſit III Non. Mart. Vir ſumma animi moderatione, et prudentia longo rerum uſu confirmata praeditus, a Philippo ad id delectus, qui contraria prorſus ab Albano ratione provincias illas ad obedientiam reduceret; et, quae ille ſummi juris rigore et inexorabili ſeveritate peccaverat, aequitate et benignitate emendaret: ſicque bellum in Belgio gereret, ut, quamprimum populi illi ad obſequium rediiſſeot, arma ſe depooere et praeteritorum oblivione ſancita cunctos in gratiam citra fraudem recipere paratum oſtenderet: verum, exaſperatis ad ſeditiooem animis, et recenti adhuc injurioſae Albani dominationis ſenſu, cum Requeſenes in provinciae ingreſſu bellum a deceſſore ſuo inchoatum perſequi ad tuendam regiam majeſtatem oeceſſe haberet, populi illi bellum potius ſecum a Requeſene continuatum quam praeſidem mutatum ſenſerunt; nec proinde fructum inde a Philippo ſperatum percipere potuerunt. In Belgium proficiſcenti Requeſeni Philippus per ſyngrapham poteſtatem fecerat, ſi quid humanitus contingeret, ſucceſſorem nominandi, qui Belgio cum ſummo imperio praeeſſet, donec alius a rege ſufficeretur; et arcana ipſi mandata dediſſe putabatur, ut Petrus Erneſtus Manſfeldius comes rei bellicae, Carolus Barlemontii comes aerario et ceteris negotiis, praeficeretur: ſed tanta vis morbi praeſidis ac praecipitatio fuit, ut proceres alloqui et ſecreta Philippi mandata explicare non potuerit. Itaque [1] ſenatus ordinum ſummum imperium, praeſidis morte incertum et vagum, continuo arripoit, et penes ſe retinere ſtatuit, donec de regis voluntate plenios ipſi conſtaret. Quo cognito, Philippus, qui praeter ſpem accidiſſe cerneret, ut Requeſenes non nominato ſucceſſore deceſſiſſet, et interea ſenatus

INTERPR. [a] *Vanden Ende.* [b] *Crom.* [c] *Bernard.* [d] *le Duc.* [e] *de Bommel.* [f] *de la Porte.* [g] *Eloy Rudam.* [h] *Pluchet.* [i] *D'Avila.* [k] *Malines.*

NOT. [1] *Lege* ſenatus regius, *ou* concilium ſtatus. *Put.*

ſenatus provinciae ſupremam auctoritatem ad ſe tranſtuliſſet, a quibuſdam perſuaſus, occaſione uti voluit, ac periculum facere, an ea nova adminiſtratione alienatae populorum voluntates inflecti ac mitigari poſſent. Itaque Belgii civitatibus ac praefectis mandavit, ut ſenatui tanquam ſupremo praeſidi a ſe impoſito deinceps parerent, donec aliter a ſe decretum eſſet. Secundum haec Mansfeldius, qui [a] Lucemburgi erat, Bruxellas rediit, ut cum aliis conſiliariis rempublicam capeſſeret. Antequam moreretur Requeſenes, cum non haberet unde ſtipendium tumultuanti equiti Hiſpano exſolveret, ut tamen eorum excurſiones prohiberet, edictum propoſuerat, quo plebi ruſticae armandi ſe et contra violentos graſſatores defendendi poteſtatem faciebat. Quod magno errore a Requeſene, benevolentiam populi ea re captante, decretum ſcribit Bernardinus Mendoza: quippe cum potius tumultuantes equites eo facto ad tempus repreſſi ſint quam omnino placati, exemplo mox poſt Requeſenis mortem et captam Zirixeam renovato; et interim arma magiſtratus auctoritate plebs ſumpſerit, quae ſemel ſumpta nunquam poſtea depoſuit. Ante Requeſenem, [b] Chappinus Vitellius Setonae marchio, cujus crebra a nobis et in rebus Italicis et Belgicis facta mentio eſt, praecipuus belli conſiliarius ac dux [α], a Coſmo magno Etruriae duce, cui ille diu militaverat, Philippo, cum Albanus in Belgium proficiſceretur, attributus, et caſtrorum praefecti munere in eo bello magna cum laude defunctus, ex caſu miſerabili periit. Nam cum penſili vehiculo per aggeres haud longe a [c 1] Schonovelandia veheretur, curru forte everſo ex aggere decidit; eoque lapſu homo corpulentus graviter laeſus, cum Antuerpiam inde deduceretur, in itinere deceſſit, non ſine ſuſpicione caſus a malevolis et aemulis dedita opera praecipitati, quod arcana quaedam ab Hiſpanis percepta magno Etruriae duci in Philippi praejudicium clam ſignificaſſet. Jamque munitio ad portus Zirixeani oſtia exſtructa erat, palis et trabibus longo catenarum nexu in maris profundum defixis, quibus portus veluti claudebatur: quod opus, Februario ineunte coeptum, XI Kal. Apr. conſummatum fuit. Nihilominus obſeſſi, non per canalem, ſed per planitiem perfoſſis aggeribus reſtagnantem, cum claſſe egreſſi navigia ſtationariorum illis locis a Mondragonio diſpoſita per Sanctii Avilae abſentiam diſturbant, uno ex iis depreſſo. Demum prid. Non. Apr. [d] aſſabrae, genus hoc [e] Cantabricarum navium, ad portum proximum cum Hiſpanis militibus, quos portabant, appulerunt, quas Mondragonius penes ſe retinuit; et cum IV Eid. ejuſdem menſis foederati cum navibus commeatu onuſtis auxilio veniſſent, ut per canalem palis obſtructum vim facerent, a Mondragonio, qui aderat, fortiter cum ſuis pugnante repulſi ſunt: idem biduo poſt ab iiſdem tentatum, et majore navium numero impetus ad [f] Dreiſcheram factus, quo palos illac defixos disjicerent; ſed irritus fere conatus fuit, una tantum bireme ex regiis incenſa, cum ipſi aeſtu adverſante duas naveis commeatu onuſtas amiſiſſent. Tum per exploratores forte reſcitum eſt, conſilium Arauſionenſis eſſe, cum majore claſſe ultimam vim tentare, monitis per columbam, ſicuti in [g] Harlemi et Lugduni obſidione factitatum fuerat, praeſidiariis, ut eodem tempore per agros aqua reſtagnanteis erumperent. Ad hoc proviſum fuerat, ut duae majores naves in medio cataractae ſiſterentur, quae aggerem defenderent, exſcenſione in eum per lembos facta. Quod ut impediret Mondragonius, [h] alveum in Duivelandia fodiendum imperat, qui a Viana ad portum urbis porrigebatur; in quo diſpoſiti ſtationarii inde a navium hoſtilium incurſu in agris tuti eſſent, et inde a machinarum per aggeres diſpoſitarum infeſta diſploſione defenderentur. Igitur, cum Arauſionenſis ipſe et cum eo Philippus [i] Hohenlous comes et Ludovicus [k] Boiſotus Zelandici maris praefectus

VAR. LECT. [α] rei militaris ſcientia clarus, a Coſmo *D.* f. d.

INTERPR. [a] *Luxembourg.* [b] *Vitelli, marquis de Cetona.* [c] *l'iſle de Schouwen*, al. *Schoonhoven.* [d] *Aſſabres.* [e] *de Biſcaye.* [f] *Dreiſcher.* [g] *Haerlem & Leyde.* [h] *il fit faire un canal dans le païs de Duyveland, depuis Vianen juſqu' à la teſte du havre.* [i] *de Hohenlo.* [k] *Boyſot, amiral de Zelande.*

NOT. [1] *Lege* Schonlandia: *ſupra vocat* Scaldiam. *Put.*

praefectus cum claſſe eo conſilio inſtructa veniſſent, ptid. Eid. Jun. praemiſſa [a] Borendamenſem aggerem verſus holcas ingens et vaſta [b] navis, cui Jobae Janſeniae nomen, cIↄcc amphorarum capax, quae ipſum Boiſotum cum Iↄc bellatoribus portabat, corbe etiam in mali faſtigio inſtar galeae munita tanta amplitudine et firmitate, ut ex ea defenſores accedente aeſtu tormentis majoribus et minoribus Hiſpanos impetere et propugnaculis dejicere poſſent. Verum recedente mari pondere ſuo ad brevia illiſit, ad regiarum machinarum ictus expoſita; quibus quaſſata multis partibus rumpitur: ſed reciprocante aeſtu ſub veſperam ſtupa et muſco ſtipatur, et magnam partem exoneratur, nt creſcentibus undis, ſi fieri poſſet, inde in tutum deduceretur: ad extremum redintegrata Hiſpanorum verberatione demergitur: periere in ea circiter ccc; ceteri a proximis lembis excepti evaſerunt. Ipſe Boiſotus, cum diu tabulae haerens ſupernataſſet, tandem obortis tenebris mari hauſtus eſt, nequicquam Arauſionenſi omnem operam dante, ut eum periculo eximeret; qui ipſe altera ingenti navi, cui Leoni nomen, vectus, Jobam Janſeniam ſequebatur, et mature tandem ſe in tutum ſubduxit. Obſeſſi vero, cum auxiliorum nulla ſpes ſupereſſet, te toties infeliciter tentata, ſequenti nocte militem emittunt, qui juxta ſalinarum montem, ubi Manuel Doria hoſpitium habebat, baculum in terram defixit, cum ſcripto, quo ſignificabatur, obſeſſos, ſi quidem honeſtae et aeque conditiones proponerentur, deditionem facere paratos. Ad quod mox Mondragonius reſcripſit, et ſe, Ordinum ſenatu prius monito, aequis conditionibus cum obſeſſis tranſigere viciſſim paratum oſtendit. Conditiones eae fuerunt: ut [c] Dorpius cum VIII ſignis et cIↄcccc praeſidiariis dimitteretur, et ſalvis tebus omnibus in tutum commodatis in id navibus deduceretur: oppidani cc florenorum cIↄ exſolverent; quorum ſolutione ab omni vi et injuria temperaretur. Summae imponendae et exigendae cura demandata Joanni [d] Navarreto rationali.

CIƆIƆLXXVI.
HENRICUS III.

VIII. IPSE Mondragonius victor urbem VI Non. Quintil. ingreditur, et praeſidio firmat, diſpoſitis per idonea inſulae loca peditibus, qui ſtatim, cum ſtipendium xx menſium deberetur, ſive recenti praeſidiariorum equitum exemplo incitati, ſive poſt rem bene geſtam, quod Hiſpanis ſolemne eſt, inſoleſcenres, tumultuari coeperunt, et tanti ſucceſſus fructum ſeditione intempeſtiva corruperunt: quod novis et longe pernicioſiſſimis motibus in provincia, tumultibus obnoxia, cauſam praebuit. Nam, cum hactenus Belgii Ordines contra Proteſtanteis pro principe ſuo ſtetiſſent, ex ea occaſione quaſi conjuratione contra tegem inita cum Proteſtantibus conſpirare coeperunt, vixqne longo poſt tempore per Joannem Auſtrium regi reconciliati Proteſtantium partes deſeruerunt. Nec ſibi Arauſionenſis interea deerat, qui clam datis ad praefectos primarios civitatum et ipſius concilii regii aſſeſſores literis eos ſolicitabat hortabaturque, tandem de ſe et communi ſalute ſerio cogitarent, et ſua conſilia a publicae quietis perturbatorum cauſa ſepararent: non ipſos ſed Hiſpanos peti, quorum ambitione et inexplebili avaritia bellum tam din in Belgio alatur, et novae ſubinde ejus propagandi occaſiones captentur: toties decepti jam tandem reſipiſcant, et libertatis a majoribus acceptae memores conſilia potius cum concivibus ſuis quam cum externis deinceps communicent: hanc unicam, nec aliam praeterea pacis in Belgio conſtituendae rationem eſſe. Haec monita apud homines libertati aſſuetos et belli damnoſi pertaeſos non parum valuerunt: et, cum non obſcura murmura ad libertatem proclamantium et intolerandum praeſidiariorum onus ac tributa ob id impoſita deprecantium paſſim exaudirentur, in Flandria praecipue, ante omnia ab Ordinum ſenatu

INTERPR. [a] *digue de Berndam.* [b] *grande boulque, nommée le Job Janſſen, de 1200 tonneaux.* [c] *de Dorp.* [d] *Navarrete contador.*

CIↃIↃLXXVI. ſenatu decretum eſt, ut Germani dimitterentur. Prima Hannibalis Altempſii Hiſ-
HENRICUS III. panorum partibus addicti legio, quae Antuerpiae erat, dimiſſa, v ſignis ex ea ſervatis, quae [a] Cornelio Endano ejus legato attributa ſunt. Ejus loco Othonis [b] Eberſtenii comitis, libertati Belgicae, ut rebantur, aequioris, legio praeſidio Antuerpiae impoſita; creſcente interim ſeditioſorum audacia, ad quos Franciſci Valdeſii legio ſe adjunxit, et alii per praeſidia in Batavis diſtributi Hiſpani, ut jam ſibi impune quidvis audendum putarent. Fruſtra miſſi ad eos ipſorum duces, et praecipua auctoritate inter illos poſtremo Mansfeldius, qui [c] Herentalam profectus precibus, obteſtationibus, prenſationibus, minis nihil reliquum fecit, quo inſolentem militem a deteſtando juxta et pernicioſo conſilio deduceret, etiam propoſito periculo et infamia in nomen Hiſpanicum ex eo redundatura. Nam, quid profectum tot exantlatis laboribus et egregie factis, ſi tunc intempeſtiva ſeditione tam alieno tempore maturos victoriarum fructus, tot bellorum feliciter patratorum praemium, corrumpant? Igitur tantiſper durent, dum princeps de praeſenti rerum ſtatu certior fieri et pecunia promiſſa repraeſentari poſſit: non tam impetu et praeſenti virtute, quam patientia magnas expeditiones valere: eam propriam Hiſpanorum virtutem, qui tam longinquas provincias etiam priſco aevo incognitas ſumma felicitate adierunt, quas cum temporis diuturnitate et coeli plerumque adverſi injuriis fortiter luctati bello ad extremum quaeſitas nunc et hodie tuentur: aliis gentibus pleriſque cuncta initio cedere, nihil invium illis eſſe; ſed mox, ubi relanguit impetus, cum laude parta, majore nominis ac plerumque ſanguinis diſpendio amitti: cujus rei exempla, ne aemuli ad obtrectationem dictum interpretentur, e propinquo petita ſibi quemque poſſe ſumere: igitur decoris ſui memores et obſequii, quod optimo principi debent, in negotio, in quo non tantum illius ſed Dei cauſa agitur, fidem ſervent; neque praecipitata juris ſui perſecutione popularium jam ad officium ſeu vi ſeu ſponte redeuntium animos irritent; et tantiſper impetum ſuſtineant, dum, quod nunc jure petant, ipſis tantula mora interpoſita magno cum foenore et inſigni recepti et pacati Belgii gloria rependatur. Cum nec rationibus nec virorum praeſtantium praeſentia placarentur, jam cuncti murmurare, et, quos huc uſque ſeu religio ſeu principis reverentia tenuerat, victa patientia, rem non tolerandam dicere, neque remedia a longinquo petenda, tam praeſenti periculo; id principem velle et intelligere. Itaque, cum jam plebs ruſtica proregis nuper defuncti ſeu juſſu ſive auctoritate arma ſumpſiſſet, et cuncti per oppida et civitates in armis eſſent, nova conſilia inita, clam Ordinum ſenatu. Interea [d] Lilloani ad Scaldim propugnaculi praeſidiarii cum ceteris ulterius progreſſi, et, cum per [e] Mechliniam tranſitum petiiſſent, recuſantibus oppidanis, [f] Grimbergam duo trans Bruxellas milliaria contenderunt, ultro citroque commeante ad eos ſenatus nomine Monteſdoca; et inde [g] Aſcham poſtridie venerunt: ubi conſilio capto de [h] Aloſto intercipiendo, quo magis fallerent, Monteſdocam, quem nuper ſpe conveniendi omnino praeciſa dimiſerant, per epiſtolam revocant, quaſi mutata in melius voluntate tranſacturi; et eodem ipſo, quo venit, die, qui in VIII Kal. Quintil. incidebat, ſecretum conſilium exſequuntur. Aloſtum Flandriae eſt oppidum, comitatus CCLXX paroecias ſub ſe continentis titulo, ad [i] Teneram fluvium, quo medio fere dividitur, loco amoeno ſitum, haud longe a Bruxellis, [k] Teneramunda et Mechlinia. Id diverſis partibus Hiſpani ſcalis admotis inopinato aggrediuntur, et, territis oppidanis atque huc illuc ſine ducibus diſcurrentibus, capiunt, in eoque novi principatus militaris inter ſe per ſeditionem conſtituti ſedem ponunt. Qua re Ordinum ſenatus valde commotus eſt; Bruxellenſis vero plebs in tantum furorem exarſit, ut domeſticum quendam Hieronymi

INTERPR. [a] *Corneille de Enden.* [b] *d'Eberſtein.* [c] *Herentals.* [d] *fort de Lillo ſur l'Eſcault.* [e] *Malines.* [f] *Grimbergue.* [g] *Aſche.* [h] *Aloſt.* [i] *le Denre.* [k] *Dendermonde.*

Hieronymi [a] Rhodae ſenatoris Hiſpani interfecerit. Alfonſus [b] Varga et Julianus [c] Ro- CIƆIƆLXXVI.
merus, primarii Hiſpanorum tribuni, et ipſe Rhoda, ut vulgus quadantenus placaretur, HENRICUS III.
et ipſi periculo eximerentur, cuſtodiae ſpecie in palatium incluſi ſunt. Inde delectus urbis gubernator Gulielmus [d] Hornius Heſius, [e] Gasbeki reguli filius, ex nobiliſſima Hornana familia; qui cum [f] Glimio Maximiliani [g] Boſſuvii comitis maris praefecti legato, et magno Brabantiae praefecto, ſe libertatis Belgicae defenſorem profeſſus, continuo militem conſcribit, et ſummum armorum jus ſibi ſumit. Ex eorum etiam ſententia, qui Hiſpanis in occulto favebant, quo exaſperatos plebis animos mitigarent, in ſeditioſos milites decretum conditur x Kal. Oct. quo rebelles declarabantur: nec in ſpeciem abnuebant primarii illi Hiſpanorum tribuni Varga et Romerus. Verum Sanctius Avila, arcis Antuerpianae praefectus et rei navali praepoſitus, penes quem veluti ſumma tunc armorum erat, cum Bruxellas ad concilium a ſenatu evocaretur, ut et ipſe decreto ſubſcriberet, et ita Hiſpani auxiliorum a ducibus ſpe deſtituti facilius ad officium reducerentur, venire recuſavit; cauſatus, ſenatum, penes quem ſummam rerum eſſe voluerat rex, plebis ſeditioſae contumacia et aperta jam rebellione impediri, quo minus poteſtate ſibi a rege demandata libere uti poſſit. Itaque ad Bruxellenſeis ſtatim literas dat; quibus eos gravibus verbis monebat, ut ſe morigeros ſenatui praeberent; alioqui fore, ut regis ac ſenatus regias partes ſuſtinentis imperia detrectanteis ad officium vi cogeret. Quarum ex literarum occaſione ſenatus cenſuit, e re eſſe, ut ipſi cum Sanctio Avila et Germanorum tribunis condicto loco colloquerentur. Cum igitur [h] Willebrokam cuncti conveniſſent, poſt incertas et querelis utrinque intermiſtas deliberationes ſic inde diſceſſum eſt, ut Hieronymus Rhoda, ſanguinarii concilii ab Albano inſtituti olim aſſeſſor, et poſtea in arcanum conſiſtorium a Requeſene cooptatus, et cum eo Romerus et Varga Antuerpiam cum Avila ſe conferrent; ceteri ſenatores Bruxellas redirent. Secundum haec Avila naveis praeſidiarias omneis et actuarias ex nova civitate ad ſe contrahit, et juxta arcem ſiſti jubet. Tum cum Carolo [i] Fukaro, Georgio [k] Fronsbergio, Polvillerio, et [l] Joanne Menſamio Eberſtenii comitis legato agit, ſi qua ratione eos in ſuas partes pertrahere poſſet. Quod commotis jam animis ſuſpicionem injecit, quaſi Hiſpani novas res non per ſeditionem ſed ex compacto et conſilio cum quibuſdam ſenatus provinciae conſiliariis clam inito in patriae libertatis perniciem agitarent; quos proinde comprehendi placuit. Id ut citra tumultum fieret, Heſius Bruxellarum praefectus nuper conſtitutus militem novum a ſe conſcriptum extra urbem quotidie educere, deinde per plateas urbis et ante palatium reducere de induſtria conſueverat, eo conſilio, ne, qui de occultis cum Hiſpanis conſiliis ſuſpecti erant, inſolito armorum conſpectu terrerentur: quod cum ille aliquoties feciſſet, prid. Non. Sept. ante palatium venit, et, quaſi ſuos ad jaculandum et deſtinatos ictus dirigendos inſtitueret, praemium propoſuit. Igitur, ubi omneis conſiliarios in palatium conveniſſe vidit, ipſe, ad portas cuſtodibus appoſitis, conclave, in quo concilium habebatur, cum delectis inſolenti apparatu intrat, et Mansfeldium, Barlemontium comites, Huldricum [m] Viglium praeſidem, Chriſtophorum [n] Aſſonvillium, Lud. [o] Delrio, Bertium et Scharebergum ambos ab epiſtolis, de foedere clandeſtino ſuſpectos ſiſtit, et in [p] [1] piſtoriam domum per diverſa conclavia includendos curat; ſcripto ſtatim publicato, quo factum excuſabatur: nam comprehenſos illos, quod favore et conniventia ex compacto Hiſpanos hoſteis declaratos [illegible]viſſent, iis Bruxellas invadendi auctores fuiſſent, delectus ab Ordinibus Brabantiae imperatos impediiſſent, et contra in ſeditioſorum auxilium novas copias conſcribi juſſiſſent,

INTERPR. [a] *de Rhoda.* [b] *de Vargas.* [c] *Romero.* [d] *de Hornes, ſieur de Heſe.* [e] *le ſieur de Gaesbecke.* [f] *de Glimes.* [g] *Boſſut.* [h] *Willebroeck, ou Willebrouc.* [i] *Focker.* [k] *les barons de Fronſberg & de Polweiller.* [l] *Hons Mouſſenbom.* [m] *le préſident Viglius.* [n] *d'Aſſonville.* [o] *Delrio, Berty, & Scharenberg.* [p] *maiſon des Boulengers.*

NOT. [1] perſonne ne parle de ce lieu. *Put.*

Digitized by Google

CIↃIↃLXXVI. Henricus III.

juſſiſſent, quibus provincialium ad juſtam defenſionem armatorum conatibus reſiſteretur, donec novus ex Hiſpania exercitus adveniret, qui Belgicas provincias quaſi ſub jugum miſſas violenta tyrannide opprimeret, iiſque perpetuae ſervitutis atque adeo Hiſpanicae Inquiſitionis jugum, proceribus et aliis nobilibus ad internecionem deletis, imponeret. Scripto adjuncta erat proteſtatio, nihil decreto illo de comprehendendis conſiliariis ab Ordinibus in veteris Catholicae Romanae religionis vel regiae majeſtatis praejudicium factum, ſed ad neceſſariam provinciarum contra injuſtas perduellionum machinationes defenſionem arma ſumpta; nihilque Hiſpanis a Belgis metuendum eſſe, dum illi a pernicioſis conſiliis contra publicam tranquillitatem fraudulenter initis in poſterum abſtineant. Inde quaſi claſſico excitata ubique plebs majore quam antea concurſu arma pro libertate capit. Et cum Rhoda et Hiſpani reliqui concilio bellico praepoſiti omnem ſibi auctoritatem quaſi jure ſuo arrogarent, quod collegas ſuos in carcere conjectos dicerent, concilii Bruxellani proceres invidiam veriti, eos, quos illi captivos dicebant, protinus dimittunt, ac liberos eſſe pronunciant, et Carolum Philippum [a] Croium Havreci marchionem [b] Araſchotani ducis fratrem nuper ex Hiſpania reverſum, et alios duos, in locum ſuſpectorum ex Ordinum conſenſu in ſenatum cooptant. Tum Brabantiae Ordinibus poteſtatem faciunt, ut ad publicam ſecuritatem, duce Carolo [c] Henartio Liekerkio et aliis tribunis, delectus habere et foedus cum ceteris Belgis inire poſſent. Itaque cum [d] Hannoniis, Philippi Lalanii comitis, Georgii [e] Lalanii Rennebergii item comitis et Caroli [f] Gauraei Frezinii et aliorum procerum opera primum, dein cum [g] Atrebatibus, ac poſtremo cum Flandris initum foedus: quo facto, rurſus Hiſpani eorumque fautores ac ſectatores perduelles publico diplomate declarantur: in idque foedus etiam ſacer ordo nomen dedit: tantumque odium Hiſpanorum et, ejectis illis, ſperatae libertatis deſiderium valuit, ut alienae a ſe religionis hominibus conjungere ſe praeſules ac ſacerdotes minime dubitaverint; ſibique ita perſuaſerint, inter conciveis ac conterraneos, excuſſo ſemel Hiſpanorum bellum in Belgio alentium jugo, de controverſiis religionis, ob quas tot turbae excitatae ſint, facile conventum iri; et errare eos, qui regem, qui nihil magis in votis habeat, quam ut religio antiqua multis locis abolita reſtituatur, et populorum animis ad obſequium adductis pax in Belgio conſtituatur, haec aegre laturum putent. Nec Avila interea ceſſabat; qui ex Flandria III cohortes Cornelii [h] Endani ex legione Hannibalis Altempſii, quae dimiſſa fuerat, ſtatim revocat; quae, dum [i] Telonaea peninſula relicta Antuerpiam veniunt, in itinere [k] Borchtam et Crubecam pagos diripuerunt: tum opera Franciſci Valdeſii excitatum e regione urbis munimentum in Flandrico tractu, quo commeatum, ut populares interpretabantur, ex Flandria in urbem importari prohiberet. [l] Thenis vero, quod eſt Brabantiae oppidum, a Germanis legionis Fronsbergiae, qui in praeſidio erant, arma civibus adempta ſunt: atque ex conſilio Avilae et Rhodae Ferdinandus Toletanus e Batavis accerſitus, et praeſidiarios Hiſpanos ex ea provincia deducere juſſus. Evocatus et ab Avila Joannes [m] Falconetus ſcloppetariorum equitum dux, qui per Flandriam facto itinere cum in eo eſſet, ut Scaldim juxta Antuerpiam tranſmitteret, a ruſtica plebe circumventus ſumma ſe virtute et cum damno hoſtium e manibus perſequentium extricavit. Tenebant tunc in Belgio Hiſpani Antuerpienſem, Gandenſem, Valencienenſem, in Batavis [n] Ultrajectinam et Vianam arces; praeterea [o] Liram, ubi Julianus Romerus erat, et [p] Moſae-trajectum, ubi Martinus Aiala a Germanis praeſidiariis ex legione Erbeſtenii comitis ſibi metuens occupatis turribus ſe muniverat. In Friſia Gaſpar [q] Robleſius Billius

INTERPR. [a] *de Croy, marquis de Havreck.* [b] *d'Arſchot.* [c] *Henart de Liekerke.* [d] *ceux d'Hainaut.* [e] *de Lallaiu, comte de Rennenburg.* [f] *de Gaure, ſieur de Frezin.* [g] *ceux d'Artois.* [h] *de Enden.* [i] *Ter Tolen.* [k] *Borcht & Cruybeke.* [l] *Tillemont* al. *Thienen.* [m] *Falconeta.* [n] *d'Utrecht & de Vianen.* [o] *Liere.* [p] *Maeſtricht.* [q] *de Robles, ſieur de Billy.*

Billius arcem Groeningenſem, cum aliquot ſuae legionis cohortibus, Culenburgenſe CIↃIↃLXXVI.
caſtrum Alſonſus [a] Lupus Gallus, cum quo erat Franciſcus [b] Verdugus, cum Hiſpano- HENRICUS III.
rum praeſidio tenebant. Erant omnino Hiſpanorum bellatorum in Belgio VI CIↃ contra univerſas Belgii, ſi Lucemburgenſem principatum demas, tunc tumultuantis vireis; impar numerus, et longe debilior futurus, niſi relictis confeſtim remotioribus praeſidiis, quae tueri non poterant, ſe ad primarios duces mature contraxiſſent. Nam Belgae, qui antea regi militabant, fere omnes ad Ordines defecerant: et Zirixeae Mondragonius, cum ad famam Gandenſis arcis, cujus praefectus erat, obſeſſae eo accurrere cuperet, a ſuis paene circumventus, poſtremo in itinere deſertus fuit. Diverſa parte, [c] Nivellae in Pleumoſiis duae cohortes ex Polvilleriana legione exactae. Gandenſes vero, ne ſibi idem, quod Aloſtenſibus, accideret, contra arcem aggerem jaciunt, et Teneramondae praeſidiarios ex Polvilleriana item legione primarios pecunia corrumpere nequicquam conantur. Tum, quaſi de eventu incerti, [d] Raſſengemium e ſenatoribus unum ad Philippum mittunt, qui eum de rerum ſtatu edoceret, et quae facta erant neceſſitate excuſaret; Hiſpanorumque inſolentiam iis cauſam dediſſe coram demonſtraret. Eodem tempore et cum Eliſabetha Anglorum regina agunt, cum qua ſuper diſſidiis ob navigationem exortis Friderici Perrenoti [e] Campaniaci interventu nuper tranſegerant; et, ſi forte illa, ut antea fecerat, patrocinium recuſaret, per Claudium [f] Mondolcetum regis Chriſtianiſſimi in Belgio legatum, Franciſci Alençonii novarum rerum occaſionem quaerentis animum pertentant: et, quanquam rex aperte non conſentiret, ſed reginae parentis tantum nomen a Mondolceto obtenderetur, non tamen dubitabant illi, id rege minime inſcio fieri. Interea Bredanae pacificationis perſequendae ſpecie Arauſionenſem per internuncios de auxiliis contra Hiſpanos communeis hoſteis ſolicitant: qui ad occaſiones intentus conditiones accipit; et per Jacobum [g] Henninum Auxium [h] Boſſuvii comitis captivi fratrem copias et machinas bellicas commodat, accepto ſecuritatis cauſa ab Ordinibus [i] Novoportu; quibus fretus Joannes [k] Croius Rutii comes Flandriae praeſes [l] Gandavum petit, et ſpecie urbis ab Hiſpanorum invaſionibus tuendae contra arcem vallum ducit. In arce erat [m] Antonius Alinius Maldonatus Mondragonii, qui Zirixeae adhuc propter militum ſeditionem attinebatur, legatus; qui, monito ſaepius Rutio, ut copias removeret, ille contra nihil hoſtile meditari ſe affirmabat, atque adeo nihil tentaturum pollicebatur, modo ne ſeditioſi, qui Aloſtum occupaverant, per arcem, quod metuebant oppidani, in urbem introducerentur; extracto inter has diſputationes tempore, tandem utrique ad arma ſe parant. Et Rutius cum XXXV ſignis tranſmiſſo amne prid. Eid. Sept. ad S. [n] Bavonis ſuburbium IV cohortes mittit; quae, occupatis aliquot molatrinis, foſſaque ducta, ab illa parte aditus intercludere coeperunt; jam tum fruſtra in eum ex arce majoribus tormentis fulminante Maldonato.

IX. DIVERSA parte Alfonſus Varga, cum poſt ſuum e Bruxellis diſceſſum ex Avilae et Rhodae conſilio equeſtreis copias huc illuc ſparſas undique collegiſſet, in Flandriam ad Aloſtenſeis ſeditioſos, ſi qua ratione eos vel proprio periculo territos ad obſequium reducere poſſet, profecturus in viam ſe dederat; monito prius Ferdinando Toletano, qui ſupra Antuerpiam ad [o] Bernardi fanum [p] Scaldim ſuperaturus venerat, pedeſtreis copias, quae XVII ſigna efficiebant, ſecum adduceret. Cum vero in commune conſultaturi Lilloam, quam Georgius [q] Macuca cum ſua Epirotarum equitum ala tenebat, diverſi veniſſent, cognito [r] Glimeſium, qui Bruxellis erat, cum bis mille

INTERPR. [a] *Lope Gallo.* [b] *Verdugo.* [c] *Nivelle en Flandre.* [d] *le ſieur de Raſſingem.* [e] *de Champigny.* [f] *de Montdoucet.* [g] *de Hennin, ſieur d'Auxy.* [h] *Boſſut.* [i] *Nieuport.* [k] *de Croy, comte de Rœux.* [l] *Gand.* [m] *Antonio d'Alinos Maldonado.* [n] *St Bavon.* [o] *S. Bernard.* [p] *l'Eſcault.* [q] *Machuca Albanois.* [r] *de Glimes.*

CIↃIↃLXXVI. HENRICUS III. mille peditibus nnper conſcriptis, et IↃCCC circiter equitibus ex provinciae delectibus, quibus [a] Bievreus praeerat, exire decreviſſe, ut aliquot equitum Hiſpanorum turmas per vaga hoſpitia circa [b] Lovanium ſparſas interciperet, continuo ad ſuos mittnnt, eoſque de conſilio hoſtium certiores faciunt; et Bernardinum Mendozam inprimis, in quem et Antonium [c] Avalum ſcloppetariorum equitum ducem primus impetus faciendus erat. Ipſi, ſimulato diſceſſu, quaſi cum omnibus copiis in Flandriam tranſmiſiſſent, tantum X expeditas cohortes ad Aloſtenſeis mittunt; ceteri omnes in Brabantia remanſerunt. Cumque equites biduo poſt hoſpitia mutarent, [d] Varga, juxta [e] Viſenacum inter Lovanium et [f] Thenas foederatorum copias eminus conſpicatus, ut interim ſuos ad pugnam inſtrueret, ex Mendozae conſilio tubicinem ad eos mittit; qui quaſi priſtina amicitiae jura inter eos, utpote eidem principi militanteis, adhuc conſtarent, ſe amicos veniſſe oſtenderent; nec videre, cur quidquam hoſtile alteri in alteros moliri deberent. Verum illi, qui nihil fidum aut pacatum ab Hiſpanis expectarent, tubicinem ſemel atque iterum miſſum injurioſe repulerunt, et per impedita et iniqua equiti loca ulterius ſemper provehuntur. Collis interjacebat, in cujus imo cella ſolitaria erat; poſt quam Demetrius Baſta Nicolai Baſtae legatus cum ejus ala latere juſſus, objecto loco, ut a foederatis cerni non poſſet, qui in peditatum hoſtilem jam praetervectum, nec prius, per latus impreſſionem faceret. Ipſi ſenſim cedendo ex confragoſis illis anguſtiis in patentiores campos evaſere. Tum inſequentibus hoſtibus, juſſi ſcloppetarii equites [g] Sequani circiter L in pedes deſcendere, quibus ſe Joan. Baptiſt. [h] Montanus ducem praebuit; et, cum ſub id Julianus Romerus forte cum XXV delectis auxilia laborantibus Gandenſis arcis praeſidiariis petiturus ſupervenisſet, illi et Sequanorum exemplo in pedes cum ſcloppetis deſcendunt, et fortiter pugnam capeſſunt. Ad extremum incumbente in latus [i] Epitotarum equitum agmine foederati pedites funduntur, et in fugam vertuntur, integro adhuc ipſorum equitatu; in quem cum rurſus Bernardinus Mendoza cum ſua, Petri [k] Taxis et Vargae alis magno impetu incubuiſſet, et ipſe diſturbatus eſt: eoque conflictu plerique ex Lovanienſibus civibus, et iis, qui ea in urbe dant operam literis, quaſi ad ſpectaculum, imprudenter ulterius, quam oportuit, provecti, cum aliis interfecti ſunt. Id accidit XVII Kal. Oct. Quo facto, cum Alfonſus Varga ad Aloſtenſeis ſeditioſos tranſiiſſet, quo jam venerat Ferdinandus Toletanus, non tamen eorum precibus, obteſtationibus aut minis neque obverſante ante oculos arcis Gandenſis periculo, a foedo propoſito revocari potuerunt, palam ſe niſi repraeſentata pecunia ad ſigna redituros negantes. In arce Gandenſi pauci praeſidiarii erant: nam Hiſpani fere omnes Aloſtum ſpe praedae et licentiae dulcedine ineſcati ſe contulerant; et, qui remanſerant, aut membris mutilati aut Belgae erant; iique, cum nuper ad lignationem egreſſi eſſent, a Rutianis male accepti fuerant.

X. CUM igitur Hiſpani duces nihil proficerent, et infeſta circum omnia in Flandria cernerent, rurſus ad ſuos in Brabantiam Scaldi tranſmiſſo redeunt: ubi cognito foederatos de [l] Trajecto ad Moſam, quod ab Hiſpanis et Germanis adhuc tenebatur, in poteſtatem redigendo cogitare, eo ante omnia ducnnt, quod tam opportunum ad introducendas externas copias locum in fide ſervari ad famam et provinciarum ſecuritatem pertinere exiſtimarent. Urbem praeſidio tenebat Franciſcus Monteſdoca, cum quo erant IV Germanorum vexilla ex comitis Eberſtenii legione, cum quibus clam paciſcuntur oppidani, et fide accepta quaſi de republica conſultaturi magiſtratus Monteſdocam in aedeis publicas vocant. Ille vero, quanquam non omnino ignarus quid ii molirentur, tamen, ut metum tegeret, et fiducia ſua oppidanorum conſilia, quouſque ſociae copiae adveniſſent, tantiſper retardaret, intrepide ad eos venit. Mox citius

INTERPR. [a] *de Bieviere.* [b] *Louvain.* [c] *Davalos.* [d] *de Vargas.* [e] *Viſenach.* [f] *Tillemont.* [g] *Franc-Comtois.* [h] *del Monte.* [i] *Albanois.* [k] *de Taſſis.* [l] *Maeſtricht.*

citius opinione comprehenſus in cuſtodiam traditur, fruſtra enitente Martino Aiala CIↃIↃLXXVI. ipſius legato, ut captum contra fidem datam liberaret. Tandem ipſe ab oppidanis HENRICUS III. cum ſuis repulſus in [a] Vikanum ſuburbium trans fluvium extruditur. Panci ex ſuis in turreis urbis a ſe antea munitas portae Bruxellenſi circumpoſitas confugerunt; qui antequam corona cingerentur, ſuperveniente XIII Kal. Nov. Ferd. Toletano et A. Varga cum peditatu et equitatu, et impoſitis in iembos ad id ab Aiala paratos peditibus delectis, atque aliquot levis armaturae equitibus, duce Petro Taxi, ſociorum, qui turreis tenebant, ope adjuti ignem in portam injiciunt, eaque incenſa conſertim irrumpunt, ac dejectis ad vicorum anguſtias diſpoſitis doliorum obicibus, et foſſis ſuperatis, obvios quoſque nulli initio parcentes interficiunt. Eodem tempore Ferd. Toletanus et Martinus Aiala per pontem vim faciunt; et, expugnata munitione in eo exſtructa, ſparſiſque ad terrorem ubique ignibus, ad caedeis ac praedas diſcurrunt: ante omnia Aiala ad aedeis publicas tendit, ut Monteſdocam libertati reſtitueret. Tum nullo ſexus et aetatis diſcrimine paſſim ſaevitur, Germanis nnſquam ad reſiſtendum comparentibus, qui ad tumultum ad S. [b] Servatii plateam ſe contraxerant, eademque levitate, qua cum oppidanis nuper pepigerant, ad Hiſpanos transfugerunt, et inſigni perfidia in eos, qnos tuendos ſuſceperant, Hiſpanis immiſti nullo non genere rapacitatis bacchati ſunt. Trajecto in poteſtatem redacto, Ferdinandus Toietanus praeſidium impoſuit: Varga per vicina loca equitatum diſtribuit, receptis ſeu vi ſeu deditione circumpoſitis arcibus; in quarum una Antonius Toletanus tribnnus ictu majoris ſcloppeti interfectus eſt.

XI. QUO ſucceſſu cum ingens Hiſpani nominis terror per univerſum Belgium diditus eſſet, Ordinum conſiliarii, qui Bruxellis erant, Antuerpiae ne idem accideret metuentes, urbem ante omnia contra arcis praeſidiarios firmandam decreverunt. Urbi praeerat Fridericus Perrenotus [c] Campaniacus Granvellani cardinalis frater, ab Hiſpanorum partibus alienus, et cum eo Otho [d] Eberſtenius comes cum XVI Germanorum ſignis, qui antea a Sanctio Avila ſolicitatus cum Hiſpanis pepigerat, fide utrinque data, urbem in Philippi fide ſervaturos. Viciſſim Avila fidem obſtrinxerat, ſe nequaquam per arcem Hiſpanis aditum in urbem patefacturum: inſtrumentumque ea de re confectum fuerat; cui ſubſcripſere Eberſtenius, Nic. [e] Polvillerius, Garſias [f] Toletanus, Carolus [g] Fukarus, Alexander Gonzaga, Sanctius Avila, Franciſcus [h] Verdugus. Poſtea Eberſtenius, cum videret Hiſpanos id agere, ut, dum vireis collegiſſent, tempus ducerent; intereaque praedae opulentiſſimi toto orbe emporii inhiare, quam homines avari oblata novi motus adeo opportuna occaſione jampridem ſpe devoraſſent, cum Campaniaco agit, et Ordinum ſenatus fidem ſe ſecuturum recepit, a fide prius data minime ſe propterea receſſurum exiſtimans; quippe cum urbem in fide Philippi, qui omne imperii ſupremi jus in ſenatum tranſtuliſſet, ſe ſervaturum promiſiſſet. Secundum haec IV Belgarum ſigna ex legione Mondragonii, quae adhue Zirixeae erant, a ſenatu evocata ſunt, quae, duce Friderico, cum ad [i] Walemum inter [k] Mechliniam et Antuerpiam veniſſent, et pagum, ponte, qno [l] Ata flnvius tranſmittitur, opportunum, ſibi hoſpitium ſumpſiſſent, mox Julianus [m] Romerus, qui Liram praeſidio tenebat, eo cum IↃ delectis ſcloppetariis, Bernardini Mendozae et Martini [n] Orzae alis, advolavit, et foederatos primo impetu loco pellit. Panci cum Priderico tribuno in templum confugerunt, ubi, cum tribunus ipſe in turrem poſtremo evaſiſſet, nec ulla ſpes auxilii eſſet, igne immiſſo deditionem facere cogitur, et per funem demiſſus, jam ſcala incenſa, ad Romerum adductus eſt. Quo facto, Hiſpani [o] Liram revertuntur. Pauciſque interjectis diebus, cum renunciatum eſſet, [p] Florum Floionum Barlemontii

comitis

INTERPR. [a] *de Wick.* [b] *place de S. Servais.* [c] *de Champigny.* [d] *le comte Otto d'Eberſtein.* [e] *le baron de Polweiller.* [f] *de Toledo.* [g] *Focker.* [h] *Verdugo.* [i] *Walem.* [k] *Malines & Anvers.* [l] *Aa r.* [m] *Romero.* [n] *de Orzaes.* [o] *Lierre.* [p] *Floris de Berlaimont, ſieur de Floion.*

comitis filium, qui cum [a] Aegidio Hiergio fratre nuper Hiſpanas partes deſeruerat, cum v legionis ſuae ſignis e Batavis venientem Mechliniam tendere, et inter Liram et [b] Herentalam iter facere, continuo Romerus contra eos ducit cum cccc ſcloppetariis et Bernardini Mèndozae ala, jam profunda nocte, ut extremum foederatorum agmen carperet, praemiſſis, qui incedenteis velitationibus diſtinerent, dum peditatus advenisset. Jam albeſcente die, cum is praeter opinionem apparuiſſet, Flnionus ſepibus objectis tumultuarie aciem inſtruit, et infeſta grandiorum ſcloppetnrum diſploſione diu impetum ſuſtinuit. Ad extremum incumbente equitatu, duce [c] Ferdinando Allero Sandovalenſi Bernardini Mendnzae legato, ſoederati occiſi ac diſturbati ſunt, amiſſis II ſignis. Ipſe Floionus ab Antonio [d] Ruiſio captus et Liram ductus, Martino Orza in eo conflictu deſiderato. Mox et [e] Capralis, qui ad Ordinum partes deſeeerat, cum legione ſua [f] Duſſelinum venit, II a Lira milliaribus, ut pontem [g] Atae eo loco impoſitum inſideret: quem Romerus cum ſuis occurrens cum damno repulit; decuſque rei geſtae penes Andream Hurtadum Mèndozam, qui tironum cohortem ducebat, fuit. Interea ſenatus, qui conatus Hiſpanorum, quo tenderent, videret, Antuerpiae ſecuritati ante omnia conſulere ſtatuit; ſed ſerius, quam ut imminenti periculo praeverti poſſet. Nam, cum [h] Campaniacus jam ante ſuam operam Ordinibus detuliſſet, et ſpecie concilii in urbe habendi Hiſpanorum tribunos ſe comprehenſurum, ſi quidem ſibi et Joanni [i] Moſſenhamo Eberſtenii comitis legato id negotii crederetur, pollicitus eſſet, Ordines, id praemature fieri rati, praepoſtera cunctatione diſtulerunt; quod tunc factum magno poſtea emptum voluiſſent. Tandem evocatis [k] Lovanio, Mechlinia et vicinis locis praeſidiis, miſſa Antuerpiam XXI vexilla ex tironibus fere, duce Philippo Carolo [l] Croio Havreci marchione, VII Philippi Ecmondani comitis, VIII [m] Beerecelii, III [n] Heſei, cum IV equitum alis ducis Araſchotani, ipſius Havreci, comitis [o] Boſſuvii, et [p] Gandenſis vicecomitis; inſuper VI levis armaturae turmis, [q] Bievreo et Caprali ducibus; quibus univerſis praeerat [r] Goinius caſtrorum praefectus. Venere hae copiae [ſ] Borgerhntum et ad urbis uſque portam IV Non. Novembris, Veneris die; earumque adventu cum res jam in urbe turbarent, et metuerent oppidani, ne, quo plures milites in urbe eſſent, eo plus hoſtium in viſceribus haberent, quippe qui ſcirent opulentiam ſuam multos ſibi hoſteis conciliare, magiſtratus, ne auxiliares admitterentur, interceſſit, cauſatus nullum ipſos a ſenatu diploma afferre. Heic tum ut inter iram et metum per coitiones confuſe agi omnia; paſſim quiſque occurrere, et abjecta publicae ſalutis cura privatim ſibi conſulere; pecuniam, nomina et pretioſa quaeque ſeponere, et quaſi praeſagis futuri mentibus locis abditis occultare: Campaniacus ipſe, qui, ſive veritus, ne ex oppidanorum tumultu, quod accidit, Hiſpani rei gerendae occaſionem arriperent, ſive occulto livnre, ne auxiliares omne imperium ſibi ſnmerent, ſe excuſare, paucarum horarum moram poſcere, dum ad ſenatum reſcribat, quorum reſponſo accepto oppidani tumultuantes placari poſſint: interim ſatis eſſe ad urbem intus tuendam Germanicas Eberſtenii copias, quas penes ſe habeat: ſoris auxiliarium utiliorem operam ſore ad prohibendum Hiſpanorum in arcem ingreſſum: orare igitur, ne extra urbem manere graventur, ubi omnia affatim eis ſit ſuppeditaturus, tantiſper dum purgatis ſuſpicionibus cum bona oppidanorum gratia in urbem admittantur. Contra Havreeus ſociorum nomine inſtare, ut ſiue mora acciperentur; alioqui ſore, ut ii a ſignis dilabantur, et ſortaſſe etiam ad hoſteis transſugiant: er, ut in fide maneant, periculum eſſe, ne in agro, ut nuper Floionus et poſt eum Capralis, intercipiantur, et, cum tirones ſere ſint, a veteranis Hiſpanis loco iniquo

INTERPR. [a] *Gilles de Berlaimont, ſieur de Hierges.* [b] *Herentals.* [c] *Hernando de Aller de Sandoval.* [d] *Ruys.* [e] *le ſieur de Capres.* [f] *Duffele.* [g] *Au r.* [h] *de Champigny.* [i] *Mouſſenham.* [k] *Louvain & Malines.* [l] *de Croy, marquis de Havreck.* [m] *de Berſele.* [n] *de Heſe.* [o] *de Boſſut.* [p] *le vicomte de Gand.* [q] *de Bievres & de Capres.* [r] *de Goingnies.* [ſ] *Borgerhout.*

iniquo congreſſi omnino deleantur. Inter has verborum concertationes obteſtationibus et proteſtationibus ab [a] Havreco contra Campaniacum et Antuerpienſeis interpoſitis exacerbatas, [b] Polvillerius, Fronsbergius et [c] Fukarus ex arce ad Eberſtenium veniunt; eumque per datam nuper Hiſpanis fidem obteſtantur, ut ſenatus et Ordinum manifeſta rebellione Philippi auctoritatem oppugnantium partes deſerat: inde, cum apud ipſum nihil ſpe, nihil minis proficerent, Fukarus centuriones clam ſolicitat opimae praedae ob oculos obverſantis ſpe oſtentata, prenſatis etiam ſeorſim militibus. Quod ubi vidit Eberſtenius, irae propior ab eo quaeſivir, quid ipſi cum ſuis militibus negotii intercederet; ſuas res curet, et [d] Nivellam, unde nuper enm dedecore expulſus ſit, proficiſcatur. Quibus verbis ad ignominiam additis exacerbati invicem arma ſtringunt; et Eberſteniani numero potiores Fukarum et alios in arcem compellunt. Interea a ſenatu diploma venit, quo Antuerpienſes jubebantur praeſidium accipere: quo poſtridie vix tandem ab oppidanis, periculo ſuo ſed ſerius monitis, admiſſo, et hoſpitiis pediti arcem verſus, equitibus in foro equario aſſignatis, Hiſpani infeſta ex arce diſploſione fulminant: verum erumpentibus et jam ignem in domos vicinas jaculantibus, duce Gaſpare [e] Oartiſio, Hiſpanis fortiter reſtitit [f] Fontanus Gallus nobilis ordinum ductor. Contra auxiliares, annitente Campaniaco, vallum jaciunt, et foſſis ante quatuor vicorum, qui arcem reſpicinnt, fauces ductis ſe muniunt; propugnaculum item tumultuario opere, in quo ad XI hominum CIƆ ex oppidanis laborabant, erectum, et doliis terra oppletis, et ſaccis terra lupulo ſalictario et glaſto plenis, aggerem firmant. Sed in hoſpitiis diſtribuendis cum ſuborta eſſet diſſenſio, et Belgae opulentiſſimorum civium ſibi domos depoſcerent, neglectae interim ſtationes, et cuncta ſecurius, quam oportuit tam praeſenti periculo, adminiſtrata: tantum tormenta in hortis gladiatorum diſpoſita, eo conſilio, ut contraria verberatione rotae tormentorum arcis confringerentur. Ita nox trepide in urbe exacta. Summo mane Varga [g] Trajecto Moſae evocatus advenit cum Hiſpanicis, Italicis et [h] Sequanicis copiis, et circiter CIƆ equitibus, VI Germanorum cohortibus, quarum III ex legione Eberſtenii erant; eodemque tempore ac paene hora Romerus cum ſuis Lira venit; et poſt eum ſeditioſi Aloſtenſes numero bis mille; quos, cum neque periculi ratio hnc uſque permoviſſet, ſpes praedae, ut ſe cum ceteris conjungerent, ad extremum pellexit. Cum his agminibus Hieron. Rhoda, qui poſt captos Bruxellis conſiliarios privata auctoritate ſenatum Antuerpiam tranſtulerat, et praeſidis in eo vice fungebatur, urbem invadendam decernit: adactique jurejurando milites, aut ſe in coelum ituros aut Antuerpiae caenaturos, magna acclamatione receperunt. Igitur pridie Non. Nov. qui in Dominicam incidebat, ſub meridiem ad vim faciendam ſe parant. Dum de Aloſtenſium adventu Havreco perſuaderi non poteſt, ipſi, nt juſſi erant, ex arce erumpentes, [i] electo duce nomine Navarreto, (nam, nondum numerato ſtipendio, quae ſeditionis cauſa erat, haudquaquam ſub antiquis et veris dncibus ſed ſub novo adhuc militabant) B. Georgii templum verſus tendunt; quibus III Germanorum cohortes ſe jungunt; Julianus Romerus cum ſuis ad S. [k] Michaëlis coenobium docit: medius inter eos F. Valdeſius cum Trajecti praeſidiariis incedebat: lixae, calones cum meretricibus ſeqnebantur, ſtramina et igneis artificioſos ad incendium ſpargendum portantes. Primo in planitie, quae vallum et arcem interjacebat, acriter utrinque pugnatum, delecta juventute urbana tanquam pro ſalute ſtrenue rem gerente. Tum Campaniacus equo vectus huc illuc diſcurrere; et nunc ad B. Georgii, nunc ad forum [l] boarium accurrere; et, ut cuncti arma caperent, et ad Anglorum baſilicam, vulgo [m] Burſam vocant,

armari

INTERPR. [a] *le marquis de Havreck.* [b] *les barons de Polweiller & de Frontberg.* [c] *Focker.* [d] *Nivelle.* [e] *le capitaine Ortiz.* [f] *de la Fontaine.* [g] *Maeſtricht.* [h] *Franc-Comtois.* [i] *Navarrete eletto.* [k] *S. Michel.* [l] *marché aux bœufs.* [m] *la Bourſe.*

CIƆIƆLXXVI. HENRICUS III.

armati convenitent, hortari; munitiones ac ſtationes luſtare. Sed Belgae auxiliares fere tirones erant, et ad bellica munia obcunda hoc rerum ſtatu confuſo ignari. Itaque rebus, ut in taota neceſſitate, ordinatis, ulterius pergere [a] Campaniacus; et, cum verſus Loricas et ultra vallum in planitie Cornelium [b] Endanum obvium habuiſſet, et defectionem ſenſiſſet, blande compellare; et intellecto, ipſum per ſuos pulverem nitratum ex S. Michaëlis coenobio crebris miſſitationibus ſutripere, ne ultra id fieret, prohibere: tum in [c] Beghinarum plateam properare; ibi in pedes deſcendens muoitiones cotam inſpicere, et, quod infrequentes ſtationes obirentur, indignari. Nam Belgae metu tormeotorum ex arce diſploſorum cunctabundi irritos fere ictus jaculabantur, neque progredi audebant. Tum ad Germanos, qui in [d] Bleidoca platea ſtabant, converſus, ut Belgas cedenteis et jam fugienteis ſiſtant, mooere, cum ipſe fruſtra idem tentaſſet. Heic vero Germani Eberſteniani, qui, ut ictus tormentorum declinarent, in proximum quadrivium conceſſerant, ſummis animis et fide rem gerere: cootra Belgae vallum et ſtationes deſerere, et paſſim turpiter diffugere. Inſtare Campaniacus: et, cum ad litus et officinam monetariam, ubi magis laborabatur, veniſſet, omnes ſine certamine dilabi. Itaque ille ad Eberſtenianos, qui ſoli in officio manſerant, ſe recipere, et forum, ne in Endanos incideret, declinare neceſſe habuit; et Oſterlingorum aedeis verſus flectens duabus cohortibus [e] Fierneſti et Viocentii Bleikeri ſe adjunxit: ſed Fierneſto jam undique circumvento in tempore ſubvenire non potuit. Hiſpani jam loqgius proceſſerant, et plateis exiguo negotio occupatis, cum neque praeſidiarii inter ſe ſatis concordes eſſent, et oppidani alteri alteris diffiderent, late ſe ſpatſerunt. Tamen acriter ad S. Michaëlis coenobium pugnatum fuit, cum Cornelius Endanus olim Hannibalis Altempſii legatus, qui in [f] Saogeorgiana munitione cum IV cohortibus ſtabat, ad Alfonſum Vargam cum equitatu arce egreſſum ſe conjunxit, cum eoque per Sangeorgianum vicum irrumpens ad mare uſque progreſſus inde in majorem urbis plateam effunditur; ubi cum obſtinato certamine oppidani ex publicis aedibus et domibus vicinis diſploſione facta ſe defenderent, ad extremum tamen Varga loco potitus eſt, amiſſo in eo conflictu Damiano Morali cum aliquot Hiſpanis: ſtatimque ignis in aedeis publicas immiſſus, qui noo ſolum pulcherrimam toto orbe ſtructuram, ſed et vicinas domos, in vico [g] ſalario, ſacchario, butyrario et caſeario ſitas incendio depaſtus eſt: plateam item [h] pomariam, argentariam, popinalem, et argentarium xiſtum B. Virginis; partem denique [i] Tornacenſis et Hocſtratanae plateae, ac poſtremo veteris [k] curiae aedeis lapide candido ouper ſummo ſumptu exſtructas, nec ooo forum [l] linarium invaſit; ita ut urbs ubique ſummo omnium dolore ac deſperatione ardere videretur, et milites, qui in aedibus erant, graſſante incendio, ſe paſſim per feneſtras horreodo cunctorum ſpectaculo praecipites demittere cogerentur. Igitur Campaniacus huc illuc diſcurrens, cum ad Oſterlingorum aedes, ubi Eberſtenium cum ſuis acriter pugnare intellexerat, ſive incendio prohibente, ſive jam hoſte vicos inſideote, pervenire non potuiſſet, rivo proximo tranſmiſſo, ad [m] Cullemburgum propugnaculum, quod tueri decreverat, poſtremo ſe recipit: ubi cum rurſus omnia vaſtitatis et trepidationis plena offendiſſet, diffugiente paſſim milite, ipſe et ſibi conſulere coactus eſt. Cum jam debellatum eſſet, qui ex certamine ſuperfuerant, ad forum [n] equarium ſe contraxerunt; ubi, inſequente Petro [o] Taxi cum equitatu, redeuntibus ex deſperatiooe victis in praecordia animis, aliquandiu pugnatum fuit, Fierneſto ſtrenuam io extremis rebus operam navante. Tandem ipſe et [p] Havrecus ex propugnaculo demittunt ſe; et navibus ab Arauſionenſi ſub id tempus

ſummiſſis

INTERPR. [a] *de Champigny.* [b] *de Enden.* [c] *marché* ou *place des Beguines.* [d] *place de Bleydenhoeck.* [e] *les capitaines Fieurſt & Blevcker.* [f] *fort de S. George.* [g] *les rues appellées au ſel, au ſucre, au beurre, & aux fromages.* [h] *marché aux pommes, galerie des orfevres, place des cabaretiers, & galerie de Noſtre Dame.* [i] *places de Tournay & Hooghſtraten.* [k] *la vielle maiſon de ville.* [l] *marché au lin.* [m] *baſtion de Cullemburg.* [n] *marché aux chevaux.* [o] *de Taſſis.* [p] *le marquis de Havreck.*

ſummiſſis excipiuntur. Cum iis multi etiam ſe pariter demiſere; ſed non eadem felicitate ad naveis pervenire potuerunt. Eberſtenius, cum nullum ſtrenui ducis ac militis munus non implevisset, dum in navem de ponte ſe ſaltu dejicere conaretur, pede lapſante decidit, et armorum pondere obrutus ſubmergitur. Praeter Eberſtenium et [a] Bievreus aquis hauſtus. Plerique ſtipendiarii et oppidani eandem ſortem experti ſunt: nec non et quidam in equis ſedentes e pomerio ſe in foſſam ſubjectam aqua plenam demiſere; inter quos unus repertus eſt, qui, armatus cum ſe ſaltu praecipitaſſet, aquis exceptus periculum evaſit, et incolumis in ulteriorem ripam enatavit. Periere eo caſu cc Hiſpani; et in his, praeter Damianum [b] Moralem, Manuel [c] Capovacca, Joannes Robleſius Gaſparis [d] Billii gentilis: Carolus [e] Fukarus ſauciatus humique ſtratus ac pedibus obtritus diu pro mortuo habitus eſt. Ex oppidanis et auxiliaribus bis mille deſiderati; major numerus incendio abſumptorum aut aquis ſubmerſorum fuit; multi praeterea ex primariis civibus interfecti. Captus in S. [f] Michaelis coenobio [g] Egmondanus a Fr. [h] Verdugo, et [i] Capralis, ac Goinius caſtrorum praefectus. Nox victores oppreſſit: qui feſſi, ſumptas ſibi et ad praedam deſtinatas domos occupaſſe contenti, excubiis per urbem diſpoſitis, in ſequentem diem quievere; quo Belgas et Gallos ubicunque deprehenſos ſicis et pugionibus confoderunt: et ad praedas verſi totum triduum in iis conſumpſerunt, pecuniae fere colligendae intenti; nam ſupellectilem et merces parvo pretio a civibus redimi paſſi ſunt, quippe quam aſportare non poterant, foederatorum exercitu tam vicino, et urbi veluti circumpoſito. Igitur pecunia ubique indagata et per exquiſita tormenta ab iis, qui aut occultam aut praeſentem non habebant, extorta. Mulieres nudae in altum fune ſuſpenſae, lapidibus immanis ponderis ad pedes appoſitis: aliis ſcipiones in pudenda injecti: aliae per mammas, et viri denique per genitalia, majore ſaevitia incertum an foeditate, fidiculis diſtenti ex laqueari dependebant, ſine cibo inter cruciatus et ejulatus relicti, donec vel ab aliis ingenti pretio redimerentur, aut ipſi, ſi quid occultaverant, indicarent. Pueri etiam ante parentes torti et inter tormenta exanimati. Inde collecta ingens pecunia, quae ab hujuſmodi rerum peritis ad XL auri amphoras, hoc eſt, ad vicies centena millia aureorum aeſtimata fuit; in ea ſumma minime comprehenſis gemmis et pretioſis cimeliis, aureis vaſis et argenteis: nec minoris damnum incendii aeſtimatum fuit. Rara ſtupra ardentibus avaritia et immanitate animis perpetrata ab Hiſpanis et Germanis, apud quos plus auri quam veneris libido pollebat. Gaſpar [k] Oartiſius in praedam carcerem publicum nactus, captivis ſingulis pretium impoſuit, et tam ob crimen capitale quam aes alienum vinctos, pretio accepto liberos dimiſit; pleroſque Anabaptiſtas et monſtroſarum opinionum convictos, atque adeo Catholicae Romanae eccleſiae adverſarios. Cum Hiſpanis etiam et Italis inſtitoribus, qui in urbe reperti ſunt, nam plerique alii in arcem Avilae permiſſu confugerant, nequaquam mitius actum; qui ingenti pretio ſe et nomina ac ſyngraphas redimere coacti ſunt. Capta ac direpta totius orbis opulentiſſima urbe, incertum miles reliquit, majore licentia in corradenda, an jam parta, abuſus ſit. Nam mox in celeberrimo urbis compito, quod medium Janum quidam non immerito dixerunt, menſae ad aleae luſum publicae erectae; in quibus plerique ex gregariis etiam militibus uno die adverſa alea ad X aureorum CIↃ perdiderunt. Conſultiores, cum periculoſum ducerent, praedam extra urbem deferre, pugionum et enſium manubria, alii galeas ac loricas ex auro ſolido confici et ſandaraca inſucari curabant, ne colore dignoſcerentur: qua in re tamen aurificum aſtu decepti ſunt, qui cupri et aeris media parte auro admiſta direptionis partem ab ignatis praedonibus callide reciperarunt. Injurias in direptione acceptas

CIↃIↃLXXVI.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *de Bievres.* [b] *de Moralez.* [c] *Cabeça de Vacca.* [d] *de Robles, ſieur de Billy.* [e] *Focker.* [f] *cloiſtre de S. Michel.* [g] *le comte d'Egmond.* [h] *Verdugo.* [i] *de Capres, & de Goingnies.* [k] *Ortiz.*

CIƆIƆLXXVI. acceptas mnlti oppidani, odio caeci, periculo ſpreto, ulti ſunt, hoſpitibus proxima
HENRICUS III. nocte in lectis, ubi feſſi ac ſecuri jacebant, jngulatis: quorum corpora poſtea inter aliorum cadavera in plateas projecerunt, poſtridie in duabus ampliſſimis foſſis in primarii B. Virginis templi coemeterio condita.

XII. PRIDIE quam urbs capta eſt, [a] Joannes Auſtrius Philippi gothus frater [b] Lucemburgum venerat. Is, cum [c] Mediolani eſſet, accepto, poſt Requeſenis mortem et allatum de Hiſpanorum ſeditione nuncium, Philippi mandato, quo ei ſummum illarum provinciarum imperium deferebatur, in Hiſpaniam quamprimnm profectus et [d] Pineiae cum rege collocutus, inde per diſpoſitos equos, diſſimulata perſona et capillo ac barba fucatis, cum Octavio Gonzaga, cujus ſe ſervum fingebat, per mediam Galliam venit Lutetiam; ubi [e] Didacus Sunica oratoris munere apud regem fungebatur, a quo edoctus, Lucemburgenſem principatum in foedus cum ceteris provinciis ad expellendos Hiſpanos initum noluiſſe conſentire, eo iter flexit; et a [f] Nava P. Erneſti Mansfeldii comitis, qui Bruxellis adhuc attinebatur, legato, et oppidanis honorificentiſſime et peramanter exceptus, mox ad ſenatum dat literas; quibus eum de adventu ſuo certiorem faciebat, eoque conſilio ſe a Philippo miſſum veniſſe dicebat, ut Belgium pacaret, et compreſſa externi militis licentia provinciis privilegia antiqua et immunitates confirmaret, ac priſtinam libertatem reſtitueret: eodem tempore ad Hiſpanorum tribunos ſcribit; et, ut ab armis et vi in poſterum abſtineant, imperat. Nihilominus propoſito inſtitit ſenatus; et, recenti Antuerpianae direptionis caſu exacerbatus, arcis Gandenſis obſidionem urget, negotiumque de pace Bredae ſuperiore anno inchoatum nunc repetitum proſequitur. Arx Gandenſis, in planitie ſita, quatuor propugnaculis diſtincta, inde ab urbe fluvio, inde a ſuburbio S. Bavonis foſſa profunda, et quae aqua fere impletur, dividitur; in quam a turribus templorum ex urbe, et ex ſuburbio a domibus, quae labro foſſae imminent, deſpectus eſt; ita ut producto aedificiorum vicinorum ope ad foſſam uſque vallo, et machinis aliquot in aggere ad id feſtinatis operibus excitato diſpoſitis, praeſidiarii graviter ab ea parte infeſtarentur: ex hortis item in altera fluvii interjecti ripa infeſta verberatione foederati contra [g] Sangeorgianam arcis portam fulminabant: tum, labro foſſae aperto et promoto vallo, ad humile propugnaculum verberatio dirigitur, nt, eo deſtructo, miles muro ſuccedere et tandem eum perfodere poſſet. Haec ante prid. Eid. Oct. acta: a quo tempore, acceptis ab Arauſionenſi ex foedere machinis muralibus et bellico apparatu, IX peditum vexilla ab eo itidem ſummiſſa ad portam Bruxellenſem collocant, ad omneis caſus, ſi forte Hiſpani auxilio advenirent, praeſto futura. Tum IV muralia tormenta in S. Bavonis ſuburbio contra arcem dirigunt, VII colubrinis hinc inde diſpoſitis, quae decuſſata verberatione eodem collimabant; ita nt praeſidiarii numero impares, qui ex altera parte a verberatione in Sangeorgianam portam directa infeſtabantur, doliis objectis amplius ſe tueri non poſſent: itaque foſſam profundam intus ducunt, qua tecti ad propugnacula et ruinas commeabant. Praecipue vero foederati et de induſtria in vexillum praealto malo infixum, in quo Philippi inſignia erant, ictus ejaculabantur, ne rebelles, ſic Hiſpanos vocabant, haberent, quo vel in ſpeciem ſe nomine regio tuerentur; aut ipſi Ordines, qui Philippi auſpiciis et regia auctoritate bellum gerebant, ſtante vexillo, contra regem pugnare viderentur. Malo et cum eo vexillo dejecto, tandem continua pulſatione tribus locis ingens ruina edita, et propugnaculum majus, quod S. Bavonis ſuburbio oppoſitum eſt, magna ex parte deſtruitur: monituſque Rutius ab architecto, propugnaculum, quod Sangeorgianae portae praetenditur, debili ſtructura eſſe, et paucarum horarum verberatione dejici poſſe, ad illud IV muralcis machinas ex [h] Armenterianis hortis dirigi jubet. Id VIII horarum continua pulſatione

INTERPR. [a] *Don Juan d'Auſtriche.* [b] *Luxembourg.* [c] *Milan.* [d] *Valladolid.* [e] *Don Diego de Zuniga.* [f] *de Naves.* [g] *porte de S. George.* [h] *jardins d'Armentieres.*

pulſatione ita complanatum eſt, ut ea parte equiti ad arcem aditus pateret. Tandem CIϽIϽLXXVI.
ſcalis et duobus pontibus, totidem aratris curulibus impoſitis ad id paratis, oppugna- HENRICUS III.
tio in VIII Eid. Nov. pronunciatur; qua delecti profunda jam nocte albis induſiis amicti ad lunae ſplendorem incedentes tribus partibus arcem aggrediuntur: ſed pontibus brevioribus, quam ut ad ruinam pertingere poſſent, conatus ad Sangeorgianam portam irritus fuit. Ad majus propugnaculum fuit obſtinatius certatum V horarum ſpatio, Hiſpanis gnaviter ſe defendentibus, et contis ac ſariſſis oppugnatores repellentibus. Poſtridie duobus locis vis repetita: verum vi contraria, artificioſis ignibus et falcone curuli huc illuc ſumma celeritate tranſlato, tandem cum damno foederati ab exiguo illo numero repulſi ſunt, Mondragonii uxore, quae in arce erat, abſentis viri partes ſtrenue et ſupra ſexum obeunte.

XIII. DUM in eo eſſent, negotium de pace in ipſa Gandavi urbe urgebatur; cui ex Ordinum et ſenatus decreto interfuere, ſacri ordinis nomine Joannes [a] Lindanus fani Gertrudis Lovanii, [b] Giſlenius Timermanus B. Petri Gandavi, [c] Matthaeus S. Giſlenii coenobiarchae; pro nobilitate Joannes [d] Mollus Oetingenſis, Franciſcus [e] Halevinus Suvegemius, Carolus [f] Gaureus Freſinius, viri equeſtres, Elbertus Lenninus juriſconſultus, alii; Arauſionenſis et nobilitatis civitatum Hollandiae et Zelandiae nomine Philippus [g] Marnixius Aldegondanus, Arnoldus [h] Dorpius, Willelmus [i] Zuilenus Nieveltus, viri nobiles, Hadrianus [k] Milius, Cornelius Coningus juriſconſultus, cum aliis. Tandem poſt multas diſceptationes in has conditiones conventum eſt VI Eid. Nov. Ut praeteritorum oblivione ante omnia ſancita, deinceps inter Brabantiae, Flandriae, [l] Arteſiae, Hannoniae, Valencenarum, Inſulae, Duaci, Orchiarum, Tornaci, Namurci, Ultrajecti, Mechliniae, Hollandiae et Zelandiae provincias, firma et ſincera pax, concordia et amicitia ſit, in id ut communibus conſiliis et conjunctis viribus Hiſpanos Belgii hoſteis declaratos et ceteros externos milites Belgio ejiciant, illiſque ejectis Ordines generales congregentur; in quibus de rebus omnibus ad rempublicam pertinentibus, de religione, de Hollandiae et Zelandiae praeſidiis, de arcibus, machinis, navibus regiis per haec bella a Batavis captis decernatur; libero interim inter eos manente commercio: Albani placita de Sectarii et aliorum criminum poenis, quae his turbis cauſam dederunt, ſuſpendantur: Arauſionenſis praefectus maris et Hollandiae ac Zelandiae regis nomine praeſes maneat, donec poſt digreſſos Belgio Hiſpanos aliter ab Ordinibus decretum ſit: captivi utrinque ſine pretio dimittantur: Arauſionenſis, proceres et nobiles ac ceteri ſubditi, eorumque filii, viduae et heredes bonis, famae ac dignitatibus reſtituantur: ſententiae, judicia, eorumque executiones, oppignerationes item ab initio tumultuum anni CIϽIϽLXVI tam religionis quam armorum cauſa factae reſcindantur, revocentur, extinguantur; quo beneficio praecipue fruatur Aemilia [m] Nuenara Gomberti Nuenarae et Limpurgi comitis filia, Henrici Brederodii quondam uxor, et nunc Friderici ſeptemviri Palatini vidua, in iis quae ad [n] Vianam ſpectant; et Philippus Naſſovius Arauſionenſis filius, in iis quae ad urbem et arcem [o] Buranam pertinent: viciſſim antiſtites et alii e ſacro ordine, qui extra Hollandiam et Zelandiam domicilium habuerunt, tamen in illis provinciis poſſeſſiones habent, iis, ſicuti alii, libere utantur fruantur: ſtatuae, trophaea et monumenta in convicium et infamiam Belgarum erecta tollantur: donationes inter vivos, vel mortis cauſa, item exheredationes per privatos factae in fraudem verorum heredum, irritae ſint:

INTERPR. [a] *de Linden, Abbé de Ste Gertrude à Louvain.* [b] *Ghiſlain Timerman, Abbé de S. Pierre à Gand.* [c] *Matthieu Moullart, Abbé de S. Ghiſlain.* [d] *de Mol d'Oetingen.* [e] *de Halewin, ſieur de Swevegem.* [f] *de Gaure, ſieur de Freſin.* [g] *de Marnix, ſieur de Ste Aldegonde.* [h] *de Dorp.* [i] *de Zuilen, ſieur de Nivelt.* [k] *Vander Mylen, & Cornelis Koninckx.* [l] *Artois, Hainaut, Valenciennes, Lille, Douay, Orchies, Tournay, Namur, Utrecht, & Malines.* [m] *de Newenar & Limburg.* [n] *Vianen.* [o] *Buren.*

ſint: de monetarum pretiis per Hollandos immodice auctis, et ſumptibus duarum expeditionum ab Arauſionenſi ſuſceptis, in Ordinum conventu tranſigatur. Gandenſi pacificatione in caſtris eodem die Philippi nomine promulgata, arcis obſidio urgetur: et, cum Philippus [a] Lalanii comes Araſchotani ducis legatus et cum eo Havreeus cum novis copiis veniſſet, tandem [b] Gardae Galli primum, dein Valentini [c] Pardaei Motae, ultro citroque ad Mondragonii uxorem commeantis, interventu, [d] Maldonatus, jam viatico et pulvere deficiente auxiliorumque ſpe deſtitutus, in has leges deditionem fecit: ut arx in Lalanii manus conſignaretur; ipſe cum rebus et impedimentis ſalvis in Franciae limitem incolumis deduceretur. Id actum tertio poſt pacis promulgationem die. Mondragonius, cum vix ſe ex Zelandia extricaſſet, cum paucis militibus Antuerpiam venerat, ſuppetias, quibus Gandenſis arcis obſidionem ſolveret, petens. Sed, cum Hiſpani praeda onuſti periculum cauſati ſe excuſarent, ille cum iis, quos habebat, [e] Rupelmondam ad Scaldim tentat; unde ab Ordinum ſtipendiariis cum damno repulſus eſt. Poſtea miſſus ab Ordinibus Georg. [f] Lalanius Rennebergae comes cum VIII legionis ſuae ſignis Valencenas, qui Germanos cum [g] Didaco Oreſone Lievanenſi arcis praefecto, ſicuti jactabatur, non bene convenienteis, pecunia praeſenti in ſuas partes pertraheret: qui eo profectus vili pretio cum eis tranſegit, ita ut XIII Kal. Dec. urbe dimiſſi ſunt; ſtatimque oppidanorum et eorum, quos adduxerat, ope arcem corona cingit, in qua C circiter praeſidiarii Hiſpani erant; quae poſtremo, cum nulla auxiliorum ſpes eſſet, a praefecto vitam et res ſibi ac ſuis ſalvas et ut in limitem Franciae ſine injuria deduceretur pacto, nulla vi praeterea a Rennebergenſi facta, deditur. [h] Polvillerius [i] Teneramundam in Flandria tenebat; qui accepta itidem ab Ordinibus provinciae pecunia oppido ceſſit. [k] Cameracum et in poteſtatem Ordinum venit, capto [l] Liquio urbis praefecto a Ludovico [m] Gauraeo Incio; qui poſtea eam in Franciſci Alençoniorum ducis manus tradidit. Cum vero Antuerpia ab Hiſpanis occupata Scaldis navigatio impediretur, ex Ordinum decreto aggeres [n] Brochthcani haud longe ultra urbem e regione [o] Oſtervelae in Flandria perfodiuntur, et derivato Scaldis alveo liberae navigationis Bruxelienſibus, Mechlinienſibus et aliis in Zelandiam copia facta. Sub id munitio, ad Bernardi fanum haud hinc longe exſtructa, a ſoederatis capta, et ſtatim a Franciſco Valdeſio recepta eſt.

XIV. SUPERABANT Friſia et Germaniam verſus porrectae provinciae, quas in poteſtatem redigi, ne quid in hoſtium, hoc eſt, Hiſpanorum poteſtate a tergo relinqueretur, cum ſecuritatis publicae maxime intereſſe exiſtimarent Ordines, mox Franciſcum Martinum [p] Stellam hominem et literatum et manu ſtrenuum [q] Groeningam mittunt, cum occultis mandatis, ut praeſidiarios in fidem acciperet, et praefectos, qui aut Hiſpani aut Hiſpanorum partibus addicti erant, omnino amoveret. In illis provinciis rerum potiebatur Gaſpar [r] Robleſius Billius, humili loco atque adeo cognomine pago in [ſ] Luſitania natus, de cetero homo induſtrius et belli artibus clarus, primis annis puer in Willelmi Naſſovii Arauſionenſis familia educatus, cujus mater nutrix Philippi Hiſpaniarum regis fuerat: cumque gratia ac comitate polleret, Arauſionenſis ipſius et procerum commendatione virginem nobili loco natam in uxorem duxit; unde illi multae ditiones obvenere, et Billia in primis, a qua illi cognomen: poſtea legioni Belgicae praefectus res magnas in Friſia ſub Joanne [t] Ligneo Barbanſono Arenbergii comite adminiſtravit; quo vivis exempto, et Carolo [u] Brimaeo Megae comite, et [w] Groesbeco regulo Girardi [x] Leodienſis epiſcopi fratre, a Philippo Friſiae et adjacentibus regionibus cum ſummo imperio praepoſitus eſt: ubi ſic ſe geſſit, ut, praeter

INTERPR. [a] *de Lallain.* [b] *la Garde.* [c] *de Pardieu, ſieur de la Mote.* [d] *Maldonado.* [e] *Rupelmonde ſur l'Eſcault.* [f] *de Lallain, comte de Rennenburg.* [g] *Don Diego Oreſon de Lievana.* [h] *le baron de Polweiller.* [i] *Dendermonde.* [k] *Cambray.* [l] *de Liques.* [m] *de Gaure, baron d'Inchy.* [n] *de Borght.* [o] *Oeſterweel.* [p] *Stella.* [q] *Groeningen.* [r] *de Robles, ſieur de Billy.* [ſ] *Portugal.* [t] *de Ligne, prince de Barbançon, comte d'Aremberg.* [u] *de Brimeu, comte de Meghem.* [w] *de Groesbeck.* [x] *de Liege.*

praeter antiquas arces [a] Leovardiae, Harlingae et Staverae, etiam novas conſtruxerit CIϽIϽLXXVI.
[b] Oſtmanhormae, Lammerae, Slotae, Macumae, Delfezielae: firmiſſimam vero omnium Groeningae ante ſexennium aedificavit; qua potens late regnabat, ex eoque tantos animos etiam ſupra fortunam ſumpſit, ut comitis titulo a Philippo per amicos cohoneſtari popoſcerit; qui, hominis ſuperbiam non ferens, eum, ut ſe modeſtiae finibus contineret, monuit. Nec ille tamen priſtinos ſpiritus remiſit; ſed, quo erat elato animo et praeſtanti, quamvis literas neſciret, ingenio, multa in provinciae utilitatem adinvenit, aggeribus praefecturae ſuae tempore ſumma induſtria in Friſia conſtructis; quorum etiam hodie tantus illis locis uſus eſt, ut hominis, dum vixit, provincialibus inviſi nomen nunc inter Friſios ſummopere commendetur: de cetero fuit imperioſus et ſtipendiario militi gravis, quem etiam mercede defraudare rumor erat; quanquam id potius uxori avarae foeminae alii tribuant. Cum vero per has turbas regis ſui gratiam ingenti beneficio demerendi occaſionem quaereret, ceteris ducibus aut captis aut propter ſeditionem et direptiones plebi inviſis, ipſe mediam viam inſtitit; et neque ſe cum aliis Hiſpanis conjungere neque in Ordinum verba jurare conſtituit; eoque conſilio tribunos et centuriones, qui circa ſe erant, adegit, ut ad trimeſtre interpoſito jurejurando operam ſibi addicerent, intra quod miſſis in Hiſpaniam fidis de diſerta Philippi voluntate certius cognoſceret: nam vix perſuaderi ſibi poſſe, Philippum foedus, quod ab Ordinibus nuper cum Arauſionenſi actum ſit, ratum habiturum: igitur tantiſper aſſenſum ſuſtinerent, neutriſque partibus addicti interim, ſe praeſide, has provincias in regis obſequio tuerentur. His legibus exactum a [c] Ferdinando Lopeſio, Monceello et Campio jusjurandum. Cumque in eo eſſet, ut aut pollicitis aut minis ceteros in verba ſua adigeret, ſupervenit Stella ab Ordinibus miſſus; quem ille ſtatim, conjectans id quod erat, in cuſtodiam tradi et, qua erat audacia, per latrunculatorem tormentis ſubjici jubet: verum nihil ab invito expreſſum, qui linguae Graecae gnarus per hominem Graece itidem ſcientem centurionibus cauſam adventus ſui ſignificari curat, et in primis [d] Loſio, qui, juſſus cum ſociis jusjurandum praeſtare, cum difficultates quaſdam cauſatus ſe excuſaret, Robleſius reſponſo irritatus protinus Loſianos evocat, qui et ipſi recuſarunt fidem, quam ante novennium regi obligaſſent, alii addicere: et inter eos Galterus quidam nomine repertus eſt, qui juſſus jurijurando propoſito ſubſcribere, calamum in id acceptum in igneis coram ipſo praeſide projecit. Quo facto, cum ille extremam perniciem imperium detrectantibus machinaretur, duces et centuriones inter ſe capita conferunt, et [e] Villerſii cohortem, quae proxima nocte excubias actura erat, ſolicitatis decanis, in ſuas partes pertrahunt. Cum ergo Loſiani ad ſtationes agendas ſummo mane proficiſcerentur, cognito machinas in platea a praeſide diſpoſitas, ut in eos diſploderentur, et eodem tempore Lopeſiani, quibus id negotii datum erat, inopinato incurrentes ipſos caederent, a via ſolita deflectunt, neque pro more ante praeſidis aedeis praetervecti honorifica ſclopetorum diſploſione ipſum ſalutant; et a quibuſdam rogati, ut id facerent, ilicet ſublato clamore, id rixae initium fuit, pecuniam et pulverem poſcunt. Qua voce ſeu claſſico excitati Villerſiani protinus ſe ad eos applicant, et ſociatis viribus ad praeſidis aedeis contendunt; Lopeſianis ipſis, duce ſuo deſerto et vexillo concerpto, ad Loſianos itidem ſe aggregantibus. Cumque ad tumultum Robleſius ex aedibus prodiens blande ſingulos appellando pecuniam ſe intra triduum repraeſentaturum promitteret, nihilominus a concitato milite, ipſum injurioſe ſceleratum et proditorem identidem vocante, ad aedeis publicas tanquam in carcerem ductus eſt. Mox et captus [f] Ruisbroëcus praeſidis gener et multis contumeliis oneratus cum vitrico in cuſtodiam datur.

HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Leeuwarden, Harlingen, & Staveren.* [b] *Oostmahorn, Lammer, Sloten, Mackum, & Delfziel.* [c] *Hernando Lopez, Monceau, & Champy.* [d] *Loſſy.* [e] *la compagnie de Villiers.* [f] *le ſieur de Rysbroeck, gendre de Robles.*

datur. Capti et Moncellus et Campius, nec non et Villerſius ac Loſius: et hi non inviti, ſed ex compoſito, ne ſeditioni cauſam dediſſe viderentur. Electo dein ſibi duce, milites ad [a] Trutinam pergunt, et inſtrumenta poenis ipſorum ad [b] diſciplinam militarem reperta confringunt, acclamatione ubique ingeminata, Vivat Arauſionenſis, Vivant Ordines. Inde ad aedeis latrunculatoris, in quibus [c] Stella a [d] praeſide tortus detinebatur, tendunt, attonita adhuc plebe, et [e] Trajecti atque adeo [f] Antuerpiae recens exemplum verita, cumque vix tandem pedicis et manicis lima inciſis, nam claves reperiri non poterant, ſolvunt, et in platea ſiſtunt, ubi fidem ſolemni ſacramento Ordinibus coram ipſo addicunt, eumque cum delegatis e ſuo numero Bruxellas remittunt. Interea ad Chriſtophorum [g] Vaſcum [h] Zutphaniae praefectum indagandum diſcurrunt; quem poſtremo in Franciſcanorum coenobio ex indicio deprehenſum, et, ut erat cucullo velatus et tonſa barba, ad ludibrium per [i] vicos et plateas traductum, cum [k] latrunculatore, qui in [l] curionis aedeis confugerat in [m] infumibulo abſconſus, in tetrum carcerem conjiciunt; edicto propoſito, ne quis Lopeſium et [n] praefectum vigilum celaret, ſed eos, ubicunque latere ſciret, indicare teneretur, poena capitis et bonorum proſcriptionis in eos qui edicto non parerent ſancita. Tum per [o] luſtra praefectum vigilum prae aliis ſibi inviſum veſtigant; captaque meretrice, ut virum, ſic illum vocabant, indicaret minas intentant: inde ad coenobium proximum tranſeunt, monacho itidem minis adacto, ut latentem indicaret; nam apud ipſum divertere conſueverat. Cum nihil ab eo extorquere poſſent, monachum cum meretrice colligant, et ambos quaſi ſimul deprehenſos ignominioſe non ſine magna multorum offenſione per totam urbem traducunt. Tandem captus vigilum praefectus, qui obſoleto in loco ſacerdotis habitu latebat, et Lopeſius, qui ad piſtoris aedeis confugerat; ſimulque cum aliis carceri mancipati ſunt. Captus et [p] Weſtendorpius Friſiae conſiliarius, Hiſpanis partibus maxime addictus. Id actum VIII Kal. Dec. Poſtridie Groeningenſium exemplo [q] Damae praeſidiarii [r] Sterkium ipſorum praefectum et ſigniferum ejus captos in urbe ſiſterunt: captus et [ſ] Miskenus praefecti urbis legatus et, gratia facta, a L militibus in aedibus propriis aſſervari juſſus. Rurſus die ſequenti Delfezielae praeſidiarii, exemplo jam graſſante, [t] [1] Barnicurtium praefectum ſuum ejuſque ſigniferum captos in urbem adducunt: et [u] Buſtamanta Leovardiae, [w] Gantona Staverae arcium praefecti, qui legionis Billianae centuriones erant, protinus ad Ordinum partes tranſierunt. Quae dum fiunt, ſenatus, quamvis ſucceſſu laetus, tamen licentiam militis in poſterum veritus, Rennebergium comitem, re [x] Valencenis feliciter geſta, Bruxellas reverſum, Friſiae praefectum deſtinant; eoque quamprimum ad res in provincia ordinandas proficiſci jubent.

XV. INTEREA [y] Auſtrius, poſt literas ad ſenatum Ordinum et praeſidiarios Hiſpanos datas, quamvis ſeditionem militum et maxime ante omnia caſum Antuerpienſem ſibi ſummopere dolere in ſpeciem teſtaretur, tamen, quia adhuc Lucemburgi haerebat, ex eo magnam diffidentiae cauſam Ordinibus praebebat. Nam qui fiderent ei, qui ipſis minime fidat? Diffidentiae autem ejus haec argumenta ab Ordinibus afferebantur: quod ſtatim poſt ſuum in Belgium adventum bis mille Germanos nuper a rege Galliae poſt ultimam pacificationem, de qua mox dicemus, dimiſſos conduxiſſet; quod ad ipſos Bruxellas hactenus accedere noluiſſet; quod literis ultimis exercitum Ordinum ſe in poteſtate habere velle ſignificaret; quod hoc ſtatu rerum, antequam

Bruxellas

INTERPR. [a] *poids de la ville.* [b] *l'Eſtrapade, &c.* [c] *Stella.* [d] *le gouverneur.* [e] *Maeſtricht.* [f] *Anvers.* [g] *Vaſquez.* [h] *Zutphen.* [i] *les rues & marchez.* [k] *le prevoſt.* [l] *dans la maiſon du Curé.* [m] *dans la cheminée.* [n] *le ſergent major.* [o] *en un bordeau.* [p] *le docteur Weſtendorp, conceiller en Friſe.* [q] *Dam.* [r] *Sterck.* [ſ] *Meysken.* [t] Petit le nomme *Bernemicour*; Meteren l'appelle *Barnicourt.* [u] *Buſtamant, capitaine du château de Leuwarden.* [w] *Ganton, capitaine du chateau de Staveren.* [x] *Valenciennes.* [y] *Don Juan d'Auſtriche.*

NOT. [1] l'Index Thuani met *Balnicurtium*, *(Baincourt.)*

Bruxellas veniret, ſecuritati ſuae ac dignitati amplius caveri in idque obſides dari petetet; quod Hiſpanos occulto favore proſequeretur, oec eorum inſolentiam aut verbo aut re inter ſuos damnaret. Haec ita palam jactabantur: clam vero addebatur; merito ejus ſuſpectam fidem habendam, qui in Hiſpania educatus Hiſpanorum mores imbuiſſet; ab iiſqoe inſtructus Mauris Granateoſibus, ouper aſtu potius quam virtute debellatis, eam oon ſervaſſet; qui Carolo Philippi filio, ob id in crimen vocato, quod charitate erga ſuos calamitatibus Belgarum tangeretur, inſidias ſtruxiſſet. Augebat ſuſpicionem, quod in vulgus exivit, chartas poſt Hierooymi [a] Rhodae in Hiſpaniam, inſalutato Auſtrio, oe ex colloquio ſuſpicio otiretur, diſceſſum repertas, quibus ei mandabatur, ut Hierooymi Rhodae ubiqoe praeceptiones ſequeretur: quarum haec ſumma erat; ut blando ſermooe popularium animos initio demulceret, eorumque ope Hollandiam ac Zelandiam in poteſtatem redigeret; quo facto, io rebelleis pro merito animadverteret: interim caute ſe gereret, et exquiſita diſſimulatione propoſitum tegeret. His de cauſis, ſive veris ſive vulgo creditis, alienati fere popularium animi: et ſenatus in his anguſtiis Arauſiooenſem, foederatum, et alioqui prudentia longo rerum uſu confirmata praeſtantem, conſulendum ſtatuit. Is vero prid. Kal. Dec. Mildeburgo ad Ordines reſcribit; monetque caute cum Auſtrio, qui deceſſorum veſtigiis inſiſtat, ſe gerant; et auctoritatem ſemel uſurpatam conſtanter retineant; ſecuritati publicae, privatorum ſaluti, univerſorum libertati, quam Hiſpani oppreſſam velint, aote omnia cooſulant: oullum proinde cum Auſtrio foedus aut pactum ineant, niſi prius Hiſpani et externi omnes extra Belgium amandentur: id ſaepius promiſſum, ſed ounquam hacteous praeſtitum: et, cum Philippus ipſe e Belgio diſcedens Ordinibus religioſe pollicitus eſſet, ut intra paucos dies Hiſpani dimittereotur, ſeſquianno tamen amplius eos retentos; neque ullo tempore diſceſſuros fuiſſe, oiſi cladis ad [b] Lotophagitidem inſulam tunc acceptae neceſſitate compulſus Philippus eos revocaſſet: videant igitur, ne Auſtrio in Ordinum exercitum ſummam poteſtatem tribuant, qua fretus poteotiam ab eis acceptam cootra ipſos vertat: in primis ab eo, antequam provinciae adminiſtrationem capeſſat, exigant privilegiorum confirmationem; eorumque diſertis verbis expreſſorum publicum documeotum ſibi dari petant, ac praecipue [c] laeti introitus, quem vocant, et chartae Cortenbergicae memoriam renovari poſtuleot, anno CIƆCCLXI et CIƆCCCXX coonceſſae, et a Jo. Brabantiae duce anno poſt confirmatae; aliarum praeterea [d] Lovanii Martio menſe datarum anno CIƆCCCLIV, et Bruxellis XVII poſt anno, et a Wenceſlao ejuſque uxore Joanna Antuerpiae ſequentibus duobus annis: his petitionibus mordicus inſiſtant; quibus ſi Auſtrius ſatisfacere recuſet, tunc certo pignore conſtiturum ipſis de ejus conſilio, voluntate, et in Belgium charitate: et Belgas excuſatum iri apod omneis nationes et ipſum adeo Philippum, ſi arma retineant, iiſque libertatem, privilegia et immunitates, quae ipſis vita ipſa chariora eſſe debeant, ad ultimum uſque vitae ſpiritum tueaotur: et, ſi quidem bene animatus erga ipſos Auſtrius veniat, quorſum pertinere tot armatorum agmina, quibus ſtipatus venire deſtinet? haec argumento certiſſimo eſſe, cum nihil ſani, nihil ſinceri, animo meditari: itaque ſe reſpiciant, oeque tam decoris et obſequii, quae vana nomina vulgo obtendantur, ratiooem habeant, quam commiſeratione tot capitum nuper recenti crudelitatis et perfidiae exemplo [e] Trajecti et Antuerpiae interfectorum tangantur: oec vero regis iram et indignatiooem propterea reformideot, qui poſt tot graveis offenſiooes, ſi cooſilia bene procedeotia omittant, ooo animum ſed vireis defuiſſe, et, quod reverentiae ergo faciuot, id imbecillitatis conſcientia facere interpretabitur: rem ipſos ex natura principum metiri debere, qui injuriae, quam

CIƆIƆLXXVI.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *de Rhoda.* [b] *le Gerbe.* [c] *les privileges du pays, tant des joyeuſes entrées que des chartes de Cortenberg.* [d] *Louvain.* [e] *Maeſtricht & Anvers.*

CIƆIƆLXXVI. HENRICUS III.

quam ſe accepiſſe a ſuis putant, nunquam memoriam aut ſenſum deponant; quippe, quamdiu ultionis ratio et facultas deficit, interea diſſimulant, et iras in idoneum tempus differunt: hoc habere in ſe peculiare ſummam poteſtatem, ut proſperis inſoleſcat, adverſa impatienter ferat, nihilque magis reformidet, quam ſi mandata ſua contemnantur, aut, dum injuriam diſſimulant, id imbecillitate facere credantur: itaque id noctes dieſque verſare, ut quacunque ultionis data occaſione ſenſum injuriarum minime neglexiſſe videantur: quod ſi accidat, ut Auſtrius neceſſitate coactus Hiſpanos Belgio ejici patiatur, et privilegia antiqua confirmet, conditiones has praeterea addendas eſſe; ut ex Ordinum decreto ſenatus conſtituatur et aerarium adminiſtretur, penes Ordines jus ac poteſtas ſit bis aut ter quotannis conventus publicos, prout commodum conſultumque videbitur, celebrare, ex quorum ſententia de ſumma rerum decernatur: interea arces diruantur: abſque eorum conſenſu Auſtrius ne militem conſcribat; tantumque praeſidia pro Ordinum arbitrio locis neceſſariis imponantur. Haec inſolitae in regno libertatis monita animos jam per ſe alienatos non parum permoverunt, dum interea miſſis in Franciam et Angliam legatis auxilia externa quaererentur, et Arauſionenſis ipſe militem in Germania conſcriberet; apud nos autem omnia lente adminiſtrarentur, Alençonii rebus nondum bene poſt ultimam pacificationem procedentibus. Eliſabetha vero, ad quam [a] Albinius miſſus fuerat, verita, ne aliorum ope deſtituti Belgae ex deſperatione foedus nobiſcum icerent, ſeque et res ſuas Francis committerent, eos pecunia juvit, XL aureorum CIↃ mutuo datis, pluraque inſuper promiſit; monuitque, ut interim in Philippi fide manerent, brevique Hiſpanos Belgio dimiſſum iri ſperarent. Nec Ordines ceſſabant, ſi qua ratione cum Auſtrio convenire poſſent, crebro hinc inde commeantibus [b] Raſſingemo nuper ex Hiſpania reverſo, [c] Villervallio, et Gandenſi vicecomite, ad id delegatis. Tandemque, cum Auſtrius Lucemburgo [d] Marche-faminam veniſſet, induciae XV dierum promulgantur; quarum tempore Octavius Gonzaga et Joannes Eſcovedus ab epiſtolis Antuerpiam, Trajectum et Liram miſſi ſunt, ut cum Hiſpanis de diſceſſu agerent. Namurcum viciſſim legati Ordinum venere, ut cum Auſtrio eo venturo agerent. Sed, cum ille non compareret, Raſſingemum mittit, qui inducias in VIII dies prorogari peteret. Et, cum illi urgerent, ut Hiſpani ante omnia dimitterentur, et Auſtrius pacificationi Gandenſi ſubſcriberet, Auſtrius viciſſim petebat de ſecuritate ſibi danda, et obedientia Philippo poſt Hiſpanorum diſceſſum praeſtanda, idonee caveri: inſuper et poſtulabat, ut, quando negotium cum Arauſionenſi et Hollandiae ac Zelandiae Ordinibus in conventu generali tranſigendum eſſet, conventus locus deſignaretur, dignitatique et perſonae ſuae ſecuritati conſuleretur: nam minime ſibi decorum, ut, dum cuncta in armis eſſent, ipſe a rege miſſus inermis armatorum ſe fidei committeret. Ex quibus verbis cum pacificationis Gandenſis capita ad religionem et Arauſionenſem ſpectantia in dubium revocari ab Auſtrio viderent Ordines, quaſi iis religioni praejudicaretur; omninoque id agere Auſtrium viderent, ut, antequam de religione et aliis negotiis cum Arauſionenſi et foederatis tranſactum eſſet, minime Hiſpani dimitterentur, tria decreta in membranis exarata promunt: ac primum quidem multorum epiſcoporum, antiſtitum, collegiorum, et aliorum nominibus et ſigillis firmatum XVII Kal. Januarias; ſecundum, a decano et ſacrae theologiae collegio Lovanienſi ſubſignatum aliquot poſt diebus eodem menſe; et tertium denique VII Kal. itidem Januar. cui doctores et profeſſores utrinſque juris Lovanii ſubſcripſerant: his et quartum additum, a multis itidem epiſcopis ſubſignatum, et ad pontificem miſſum; in quo Belgii praeſenti ſtatu expoſito oſtendebatur, foedere pacis nuper VI Eid. Nov. Gandavi utrinque inter ipſos, Ordines, et Arauſionenſem ac foederatas provincias initae nihil

actum

INTERPR. [a] *le baron d'Aubigny.* [b] *de Raſſinghem.* [c] *de Willervol, & Meetkerke vicomte de Gand.* [d] *Marche en famine.*

actum eſſe, ex quo orthodoxae fidei aut Catholicae Romanae religioni quicquam detrimenti aut damni illatum intelligi poſſet. Haec extremo anno in Belgio acta.

XVI. NEC meliore ſtatu res apud nos erant; ubi, cum cuncta domeſtici belli ob [a] Alençonii receſſum nuper excitari metu trepida eſſent, tandem juxta iniqua et intuta pace tranſactum eſt, foederis pernicioſiſſimi factione mox ſecuta, quae regnum toto orbe potentiſſimum ac florentiſſimum a fundamentis paene evertit. Alençonius VII Eid. Januar. ut cauſam ſuam cunctis approbaret, ad ſenatum Pariſienſem dat literas; quibus de fide et obſequio in regem, charitate erga patriam, et regni tranquillitatem multa praefatus, invitum ſe facere dixit, quod externas copias in Franciam introduceret, nihilque non prius feciſſe, ut earum ingreſſum impediret, aut certe remoraretur; verum per inimicorum ſuorum, qui res pacatas nolunt, in aula calumnias id ſibi non licuiſſe: eas igitur tandem introductas magno ſuo quidem cum dolore; ceterum, ut pernicioſa hoſtium regni conſilia diſturbentur, et quod in ſuam ac regni perniciem machinati ſunt in ipſorum caput recidat, poſtremo a ſenatu petit, ut auctoritatem ſuam interponat, et apud regem expoſita cauſae ſuae aequitate belli neceſſitatem deprecentur. Literae cum allatae eſſent ad Chriſtophorum Thuanum ſenatus principem cum aliis ad ipſum privatim directis, eas ille minime, ut ipſi jus erat, reſeravit; ſed, habita cum collegis in arcano deliberatione, ad regem adhuc obſignatas detulit; qui viri pacis ſtudioſi et ſummi regiae majeſtatis cultoris, cum alioqui eum, quaſi Alençonii rebus faveret, in ſuſpicionem apud regem mali homines adduxiſſent, prudentiam laudavit; et literas premi juſſit: quarum tamen exempla per hominum manus ab [a] Alençonii emiſſariis ſparſa paſſim Lutetiae volitabant. Rex interea ad Condaeum et Jo. Caſimirum crebros nuncios miſerat, quibus et ſuos Alençonius adjunxerat, ut eos ab introducendo hoſtili exercitu dehortaretur, ingenti pecunia oblata, modo quamprimum exercitus dimitteretur; quod ſi facere nollent, tantiſper in limite ſubſiſterent, dum aequis conditionibus pax, quam unice expetat, utriſque tuta reginae parentis interventu ſanciri poſſit. Ad quae Condaeus et Caſimirus reſpondent; et, excuſata armorum neceſſitate, eaque in publicae tranquillitatis hoſteis rejecta, paratos ſe aequas conditiones accipere, nullaſque aut hactenus recuſaſſe aut in poſterum recuſaturos, demonſtrant; ſed inimicorum malignitate, aſtu et inſidioſis machinationibus fieri, ut ſecura pax huc uſque conſtitui non potuerit. Proinde regem orant, ne in malam partem accipiat, aut ipſorum voluntatem ſiniſtre interpretetur, ſi idonee ac duris fortaſſe conditionibus ſibi deinceps caveri cupiant. Commeantibus hinc inde legatis et repetitis ſaepius colloquiis totus Januarius extractus, dum [b] Charmiis Condaeus eſſet.

XVII. AD extremum, inſtigante clam ipſo Alençonio, quamvis in ſpeciem aliud fingeret, Condaeus et Caſimirus cum exercitu in Galliam deſcendunt. In eo erant Germanorum equitum, quos Caſimirus ipſe conſcripſerat, II CIↃ, et praeter eos IV CIↃ; quibus univerſis ipſe Caſimirus cum ſummo imperio praeerat: bis mille Galli, qui ſe in limite cum Condaeo conjunxerant; Germanorum peditum II CIↃ; Belgarum III CIↃ. Bellicus apparatus omnino conſtabat IV majoribus et XVI minoribus tormentis. His acceſſerunt Helvetiorum VI CIↃ, in [c] Bernatum ditione a Caſimiro ex foedere conſcripta. Quo cognito, rex jam ante per ſuum apud Helvetios oratorem cum Bernatibus expoſtulaverat; et ea re foedus, quod regibus Galliae cum pagis intercedit, violari contendebat; petebatque, ſi foedus ſalvum vellent, ut delectus illi ſtatim revocarentur. Et Bernates quidem, ſive id ſimulate ſive ex animo facerent, ut regem, et Quinquepagicos maxime, qui regis nomine ſe interponebant, placarent, ſenatuſconſultum faciunt, quo ſuis omnem externis principibus militandi facultatem interdicebant,

VAR. LECT. [a] Alençonio per emiſſarios ſuos ſparſa *D. f. d.*

INTERPR. [a] *le duc d'Alençon.* [b] *Charmes en Lorraine.* [c] *le Canton de Berne.*

CIƆIƆLXXVI. HENRICUS III. interdicebant, gravi in decreti temeratores poena conſtituta: continuoque quaeſtorem ad ſuos, qui jam in [a] Baſileenſi agro coovenerant, cum decreto mittunt. Verum is re infecta rediit, cum ductores ſe excuſarent, et nihil ſe contra foedus Helvetiis cum rege initum facere, et militare ſacramentum jam Caſimiro dediſſe dicerent, quod citra probrum violare non poſſent. Cum his copiis Condaeus per [b] Baſſiniacum agrum in [c] Lingones deſceodit; ubi a ſcloppetariis ultimum agmen carpentibus, ſed a majoribus tormentis praecipue, cum urbem praeterveheretur, nullo alio damno accepto, infeſtatus fuit: quam injuriam ſui ſparſis pet pagos et vicos incendiis ulti ſunt. Inde cum ſub oculos [d] Divionenſium pertranſiret, exercitus itidem ab aliquot praecurſoribus et machinis ex urbe diſploſis petitus eſt: [e] Nuiziumque tendens, cum [f] metatores eo profecti, ut hoſpitia deſignarent, ab oppidanis iojurioſe excluſi eſſent, ad exemplum pertinere rati duces, ſi oppidulum debile tanto exercitui portas clauderet, ad haec ut militem ex via ſeſſum reficerent, et praeda aliquantum ſatiarent, vim parant; et ſummo mane copiis admotis et machinis diſpoſitis muros polſant: ſed, cum edita ruina non ſatis capax videretur, et qui propius acceſſerant cum damno repulſi eſſent, in craſtinum oppugoatio differtur. Quo die oppidani, qui Condaeanos minime ibi ſubſtituros putarent, ubi ſerio rem agi viderunt, qui prius feroces et periculi contemptores ſe praebuerant, relangueſcentibus animis, colloquium poſcunt, et cum Caſimiro per Condaei abſentiam vitam et res ſalvas pacti de deditione paciſcuntur. Mox ſuperveoiens Condaeus conditiones ratas habuit: cumqoe, id quod evenit veritus, quoſdam e nobilitate cum delectis ad majorem ſecuritatem in oppidum introduxiſſet, Germani illico tumultuari, et praedam oppidi tanquam ſibi debitam ſeditioſe depoſcere. Recuſante id Coodaeo et fidem datam obtendente, illi vim faciunt, et cuſtodias ad portas diſpoſitas turbant. Tum trucidatis delectis a Condaeo introductis ferociores redditi obvios quoſque caedunt, et oppidum crudeliter diripiunt. Dein, ſecundum [g] Belnam et Cabilooem facto itinere, et iocenſo Cartbuſianorum coenobio, [h] Lordonium veniunt [i] antiſtitis Cluniacenſis oppidum arce firmum; ubi Germani non repraeſeotatam pecuoiam cauſati cum tumultuari inciperent, vix blandis precibus et novis promiſſis a Condaeo onerati, prenſatis ſeorſim ductoribus, placari potuerunt.

XVIII. DUM in eo ſunt, exeunte Februario de Navarri ex aula diſceſſu allatum eſt. Is, cum ſpecie venationis longius ab urbe excurrendi libertatem uſurpaſſet, rebus ante, ſuaſore et adjutore Gulielmo [k] Altamerio Fervacio, paratis, paulo poſt in viam ſe dat; et [l] Faram Veromanduorum primum, ſuae ditionis oppidum in Belgii limite, ac mox reflexo itinere, ut magis falleret, [m] Vindocinum petiit, miſſo, qui diſceſſum ſuum venia noo petita apud regem ac reginam excuſaret, fide inſuper data, oihil ſe ſuoſve facturos, quod regiae auctoritati praejudicaret, aut quietem publicam turbaret. Vindocino cum amicis undique evocatis nulla mora interjecta progreditur, et [n] Ligeri ad [o] Mallianam arcem ſuperato, in [p] Aqoitaniam, cojus praeſes erat, perrexit. Ea re qoaſi continuatis malis cum in aula attoniti eſſent multorum animi, tamen rex reginaque haud perinde turbati ſunt; quippe qui ita judicarent, inter factioſos qoo plures duces eſſent, eo mioore concordia, quae ad res gerendas maxime valet, inter ipſos conventum iri, et brevi fore, ut, ex aemulatiooe diſſidentibus animis ac ſegnius procedeotibus cooſiliis, citius ſocietatis initae vincula diſſolverentur. Eodem tempore, cum in [q] Septimania Henricus Momorantius [r] Damvilla et Jacobus [ſ] Cruſſolius Uticeoſium dux res adminiſtrarent, uterque regium nomen obtendebat: qua imperiorum divulſione

INTERPR. [a] *de Baſle.* [b] *Baſſigny.* [c] *Langres.* [d] *ceux de Dijon.* [e] *Nuys.* [f] *les mareſchaux des logis & fourriers.* [g] *Beaune & Chalons.* [h] *Lourdon.* [i] *l'Abbé de Clugny.* [k] *de Hautemer, ſieur de Fervaques.* [l] *la Fere en Vermandois.* [m] *Vendoſme.* [n] *la Loire.* [o] *Maillé.* [p] *Guienne.* [q] *Languedoc.* [r] *le mareſchal de Damville.* [ſ] *de Cruſſol, duc d'Uſez.*

divulſione fiebat, ut, divulſis etiam animis, utrinque populares minus praefectorum dicto audientes eſſent, et, cum ab utraque parte vexarentur, diſcurrente etiam per inducias a regina et Alençonio pactas milite, ſpretis praefectis, inter ſe foedera inirent. Itaque, in [a] Vivarienſi pago cum rurſus tres praefecti eſſent, [b] Burgius regis nomine, [c] Cugierius et Petrogurdius a foederatis impoſiti, hi ad regionis ſecuritatem oppidanis foederis inter ſe faciendi, non conſultis Damvilla et Cruſſolio, auctores fuerunt. Eo in commune utrique in obſequio et fide regi debita perſeverare velle ſe profitentur, neque praefectos ab eo conſtituros rejicere. Proteſtantes peculiariter proteſtantur, ſe a communi ſuarum eccleſiarum foedere haudquaquam diſcedere, novo cum indigenis, qui majorum ſacra amplectuntur, propter neceſſitatem inito; cujus hae leges dictae ſunt: ut in Vivarienſi pago ab armis abſtineatur; neque cuiquam indigenae aut peregrino propter praeteritas offenſiones periculum creetur: nullum agricolis aut mercatoribus in corpore aut bonis damnum inferatur: nihil in oppidis hoſtile tentetur: nulla in agro fiat excurſio: liberum in oppidis et agris ubique ac tutum ſit commercium: captum et abactum pecus, nullo redemptionis pretio perſoluto, ſtatim reſtituatur: praeſidia ex communi conſenſu e regione deducantur; et, quantum utilitati publicae expedire videbitur, loca munita diruantur: qui has leges temerare auſus erit, perduellionis reus habeatur, et tanquam praedo et publicae pacis hoſtis animadvertatur: curent utriuſque partis duces, ut nobilibus et oppidis hoc foedus ſignificetur, cui ſi ſtare nolint, eos tanquam communis patriae hoſteis et communi ſocietate indignos communibus armis perſequi foederatis jus ſit. Poſtremo additum; darent operam duces, ut foedus hoc a praefectis regiis et ipſo rege ratum haberetur ac confirmaretur: quod ſi facere nollet, tamen intra menſis ſpatium poſt regiae voluntatis ſignificationem nihil hoſtile utrinque tentaretur. Id Damvilla, Cruſſolius et Burgius, ubi ad ipſorum aureis pervenit, quo minus locum haberet, omni ope et arte impedire conati ſunt; cum peſſimo exemplo fieri dicerent, ut populi, ſpreto regis praefectorumque ejus imperio, privata auctoritate inter ſe paciſcerentur: ſic enim viam ad excutiendum legitimi magiſtratus jugum paulatim ſterni: et vero, quae obtendantur, privatum commodum et utilitatem tantum ſpectantia, contra publicam imperii ſecuritatem, cujus interſit ſummam rerum penes regem ejuſque praefectos eſſe, minime valere. Ad haec et foederati aiebant, novo hoc foedere maximam injuriam communi nuper inito fieri: nam Vivarienſeis, qui rebus ſuis eo ſatis conſultum exiſtimabant, periculo ingruente, de communi ſalute minus ſolicitos fore; ac proinde tantum communi cauſae derogari, quantum ſecuritatis peculiariter illo ſibi foedere peperiſſent. Contra, ſic factum defendebant Vivarienſes: nihil auctoritati regiae, nihil eccleſiarum foederi ea tranſactione praejudicari; ſed potius ad certam res in univerſo regno componendi rationem eo exemplo facem praelatam: nam, quid utilius aut magis ad firmam in poſterum pacem conſtituendam neceſſarium excogitari poſſe, quam ſi belli domeſtici arces, hoc eſt, munitiones in regni meditullio poſitae diruantur, et amotis praeſidiis tantundem regis aerarium levetur? nam inde procul dubio hoc commodum ſecuturum, ut ruſticum opus ubique inſtauretur, quo fere regni opes conſtant, et commercium reſtituatur, ſublatoque facinoroſorum ad praedas excurrentium, qui ad illas arces receptum habent, metu, populus a praeteritis calamitatibus reſpirare incipiat. Id nihilominus eum, regem, qui ratum habere foedus noluerat, et Damvillam aegerrime ferre cuncti intelligerent, [d] Geidanus tribunus, qui ex turbis privatum compendium aucupabatur, hac fiducia [e] Vivarium primariam regionis urbem et epiſcopi ſedem, quae in foederis illius fide ſine ullo praeterquam oppidanorum

INTERPR. [a] *le Vivarais.* [b] *du Bourg.* [c] *de Cugieres, & de Pierregourde.* [d] *le capitaine Geydan.* [e] *Viviers.*

oppidanorum praeſidio conqnieſcebat, aſtu intercipit. Qua de re cum regii apud Proteſtanteis expoſtularent, et eo facto fidem publicam, cujus violatae ultorem Deum habituri eſſent, nuper foedere obligatam, laedi dicerent; illi contra ſe excuſare, et ſe inſciis maximoque ſuo cum dolore id facinus a Geidano perpetratum dicere: daturos porro operam, ut omnes intelligant, Geidani ſibi factum diſplicere, et, niſi Geidanus culpam emendet, facturos; ut ipſum temeritatis ſuae poeniteat: nam, niſi juſſus ille paruerit, ſe omneis opes ac conatus impenſuros, et vireis cum Catholicis ſine ulla tergiverſatione alacriter conjuncturos. Secundum haec, cum Proteſtantes apud Geidanum de Vivario capto conquererentur, et, ut urbem reſtitueret et damnum ſarciret, urgerent, ille nihil a ſe contra belli jus factum reſpondet: nam neque ſe cuiquam fidem dediſſe, neque proinde ſoedus violaſſe: urbem incuſtoditam, ardente bello, occupaſſe. Quid hoc contra commune foedus? quid contra praefectorum regiorum voluntatem? an non omneis ſcire, novum hoc ac peculiare ſoedus neque Damvillam probaſſe neque regem ratum habuiſſe? itaque quod fecerit, jure belli feciſſe; ac proinde ſtare ſibi ſententiam, urbem, quam legitimis armis occupaverit, adverſus omnem vim tueri. Hoc reſponſo arrogantiae pleno irritati Proteſtantes monent Catholicos, ut communibus armis communem injuriam ulciſcantur: jamque in eo erant, ut copias ad urbem admoverent, cum Geidanus ab amicis ſolicitatus, ut pertinaciae ad nullam rem profuturae modum faceret, tandem, mutato conſilio, Vivario exceſſit, et ſe ad vicina praeſidia recepit.

XIX. INTEREA Condaeus et Caſimirus, tranſmiſſo ad [a] Charitaeum [b] Ligeri, ad [c] Elaverem accedunt; captoque deditione [d] Vichio, quod regios in propinquo eſſe cognoviſſent, in eo ſe muniunt. Exercitui regio praeerat Carolus Lotharingus [e] Meduanae dux Guiſii frater, qui [f] Molinium uſque in Boiis venerat, ut Germanos, ſi poſſet, tranſitu prohiberet: qui viribus impar, cum Condaeum cum parte copiarum fluvium tranſmiſiſſe comperiſſet, ut ſe in Boiis cum Alençonio conjungeret, Caſimirum autem cum reliquo exercitu eis Elaverem manſiſſe, eam commodam pugnae committendae occaſionem arbitratus, ad hoſtem ducit. Verum, cognito, Caſimirum loco aequo et inſtructis in aciem copiis ipſum expectare, et interim Condaeum in eo eſſe, ut ad Caſimiri caſtra reverteretur, Molinium, re infecta, rediit. Cum vero Condaeus tardaret, Caſimirus Elaverem tranſvadavit, et ad Condaeum, qui in [g] Arvernorum finibus erat, contendit. Arverni vaſtitatem et direptiones a Germano milite veriti, L aureorum CIϽ penſitatis tranſitum redemerunt. Imperata praeterea ingens commeatus copia [h] Ganapo et Aquis-ſparſis aliiſque oppidis, per quae exercitui incedendum erat. Demum IV Non. Mart. [i] Bioſaco Condaeus caſtra movet, et [k] Ciolam amnem, in cujus verticoſo vado ad XL e ſuis amiſit, aegre tranſmiſit. Cum vero [l] Chartuſiani ingreſſum negarent, et ſe pertinaciter ad defenſionem pararent, Condaeus tormenta admoveri jubet. Diſploſione dejectis portis et munitionibus, oppidani depenſis II aureorum CIϽ Condaeanos placarunt. Ibi aliquot dierum mora refecto exercitu, Franciſcus [m] Lanovius cum delecta nobilitate ad Condaeum venit, et Alençonium haud procul eſſe, cumque ut ad ſe veniret cupere, ſignificavit. Itaque confeſtim Condaeus cum univerſis copiis ad Alençonium proficiſcitur, eique ſponte abdicato a ſe ſummo imperio more ſolemni exercitum tradit: ſtatimque feſta tormentorum diſploſione Alençonius tanquam ſummus dux ab univerſo exercitu ſalutatur, et in tentoriis ad id paratis a Caſimiro lauto convivio exceptus eſt. Tum, luſtrato exercitu V Eid. Mart. in [n] Sozenſi planitie, numeratae ſunt equitum XL vexillationes, XXX Germanorum, X Gallorum, XVII Helvetiorum ſigna; VII Germanorum peditum, et

INTERPR. [a] *la Charité.* [b] *la Loire.* [c] *l'Allier r.* [d] *Vichy.* [e] *Mayenne.* [f] *Moulins en Bourbonnois.* [g] *Auvergne.* [h] *Ganat, & Aigue-perſe.* [i] *Bioſac.* [k] *la Ciole.* [l] *ceux de Charroux.* [m] *de la Noué.* [n] *de Soze.*

et VIII Gallorum: quae omnes copiae, iis quas adduxerat Alençonius putatis, XXX bellatotum CIↃ efficiebant.

XX. Inde [a] Molinium, quo interim [b] Meduanius diſceſſerat, Alençonius cum Condaeo contendit, ut ibi in commune cum belli ducibus capita conferret, relicto in caſtris Caſimiro. Tum, ex communi conſilio cum delegatis Proteſtantium ac Damvillae in primis et nuper ex aula elapſi Navarri habito, ſupplex libellus conſcribitur regi offerendus, quo eadem, quae a Condaeo et ſociis ſuperiore anno propoſita fuerant, poſtulata comprehendebantur; aliquantum tamen Alençonii ſuaſu mitigata. Inſuper et Proteſtantes addidere; ut decimas, quas fundorum ratione ſacerdotibus dare tenebantur, in paſtorum ſuorum alimoniam deinceps impenderent: ut rex rata habeat, quae Condaeus ſuo ſociorumque nomine Alençonii mandatu cum Friderico ſeptemviro Palatino et Caſimiro filio tranſegit: Alençonio portio hereditaria pro dignitate idonea attribuatur; in eam rem ei provinciae aſſignentur, quibus tuendis praeter ſuam centenariam aliae XII cataphtactorum L equitum alae et peditum III CIↃ a rege dentur, eiſque ex aerario ſtipendia numerentur: Picardiae praefecturam Condaeus non titulo tenus ſed re ipſa adminiſtret, [c] Bononiamque cum territorio adjacente in poteſtate ſua habeat, et legatum pto ſuo arbitrio imponat: Franciſcus Contii marchio frater novam C cataphractorum equitum alam a tege accipiat. Caſimirus praefracta pertinacia addi voluerat; ut Proteſtantibus cum Catholicis templorum per omne regnum jus commune eſſet, neque novotum aedificandorum neceſſitas eis imponeretur, atque Alençonio proregis auctoritas per univetſum regnum atttribueretur; et, quoniam de Helvetiorum delectibus gravis apud pagos expoſtulatio inſtituta eſſet, rex, quicquid in ea re actum fuerat, id tanquam ſuo mandatu factum ratum haberet. Sed ea partim exploſa, partim, ut invidiae plena, aut cum aliis confuſa aut omnino omiſſa ſunt. Navarrus et per delegatos propria adjecit, quae peculiariter res ſuas reſpiciebant: ut pace facta in [d] Benearni principatum cum uxore ad res ſuas ordinandas profieiſci liberum eſſet: foedus, quod reges Franeiae cum majoribus ſuis Navarrae regibus olim icerunt, et non ita pridem Ludovicus XII cum Joanne et Catharina, et poſtea Franeiſeus I cum Henrico avo ſuo confirmavit, rex ratum habetet: et, quoniam rerum geſtarum fide conſtet, Navarrae regnum ſereniſſimae familiae ſuae a Ferdinando Aragonio Joanni legitimo Navarrae regi anno hujus ſaeculi XII ereptum eſſe non alia de cauſa, quam quod in fide et amicitia Gallorum manſiſſet, rex ad ejus reciperationem auxilium opemque conferret, prout aequitatis leges poſtulant, et reges fide data ſaepius receperunt: quod ſi ptaeſens rerum ſtatus id minime patiatut, compenſationis exiguae pro tanta jactura loco, dum occaſiones rei gerendae matureſcant, penſio XL CIↃ librarum annua, quae ex majorum ſuorum pactione debentur, bona fide perſolvatur: experiundi ſibi jus, quod hactenus negatum fuit, adverſus regem de iis fundis et ditionibus, quae ad ſe pertinere contendit, pro more et Galliae inſtituto concedatur; et pactum, quod pro juris in Britanniae citerioris principatu competentis compenſatione Carolus VIII cum Alano [e] Labretano fecit, ratum itidem habeatur: CC librarum CIↃ, quae pro Margaritae uxoris dote adhuc debentur, ſibi perſolvantur, et uſurae ex regni conſuetudine pendantur: in iis clientelis, quas in regno ampliſſimas habeat, judices et magiſtratus nominandi, quorum auctoratio penes regem maneat, jus ſit: ut [f] Aquitania a ſe ita adminiſtretur, ut legati a rege non ſibi ſubrogentur, ſed ipſe, quemadmodum majores ſui feeerunt, quos voluerit, deligat: jura regia, quae vocant, in ſuis ditionibus obtineat; in iiſque praefectos ac praeſidia, quae mandatis ſuis pareant, pro arbitrio conſtituat: arces ditionis ſuae his bellis a praeſidiis occupatae reſtituantur: ne ſibi aut ſuis, quod Alençonii partes

INTERPR. [a] *Moulins.* [b] *le duc de Mayenne.* [c] *Boulogne ſur mer.* [d] *Bearn.* [e] *d'Albret.* [f] *Guienne.*

CIƆIƆLXXVI. partes ſecutus ſit, aut nunc aut in poſterum fraudi ſit: quae a ſereniſſima parente ſua
HENRICUS III. et ab ſe de ſacro patrimonio conſtituta fuere, regio decreto confirmentur. His dignitate inferior, ceterum opibus et clientelis praepotens, Gilbertus [a] Levius Ventadurius Damvillae ſororius, ex primaria nobilitate, quem, jam ſuperiore anno publicam adminiſtrationem perverſam pertaeſum, cum alioqui a Proteſtantium religione alienus eſſet, ad foederatorum partes ſe applicuiſſe diximus, et ſuos delegatos miſerat, cum his inſuper poſtulatis: ut pax firma et tuta ſanciretur, eique ſanciendae concilium nationale ut neceſſarium indiceretur, et biennio quoque regni comitia celebrarentur: interim, ut licentiae Deum neſciendi obviam iretur, edicto cuncti adigerentur, majorum religionem, aut eam, quam Proteſtantes ſequuntur, profiteri: ſingularum provinciarum Ordines ex vectigalibus ſacris quartam partem deciderent, in ſcholarum et valetudinariorum ſumptus impendendam: in nominis Divini dejeratores ſevere, nulla perſonarum habita ratione, animadverteretur: judiciaria munera non amplius venalia proſtarent; ſed digni ad ea proveherentur, indigni loco moverentur: numero judicum et principum regni dignitatum in immenſum excreſcenti modus fieret; et in muneribus publicis ea ratio adhiberetur, ut provinciarum Ordines treis nominare poſſent, ex quibus, quem vellet, rex deligeret. Haec, ut in regno factionibus ſciſſo et bellorum civilium licentia corrupto, in quo major privati emolumenti quam reipublicae cura erat, inepta poſtulata, et apud ſervienteis unius potentiae cum petitionibus aliorum principum, qui plus Ventadurio poterant, comparata, etiam arrogantiae plena viſa ſunt. Cum his mandatis ac poſtulatis in aulam miſſi Joannes [b] Laſinius Bellovaſius, et Gulielmus [c] Dauvetus Arenius; qui admiſſus cum longam orationem coram rege habuiſſet, qua liberam religionis profeſſionem, judiciarii ordinis inſtaurationem, et publicae adminiſtrationis emendationem multis verbis urgebat, rex tempus ad reſpondendum poſcit. Et, ſemel atque iterum repetita actione, cum reſponſa non ſatisfacerent, legati, peramanter de cetero accepti, dimittuntur, ſpe facta, ut brevi regina parens ipſa ad Alençonium cum plenis mandatis proficiſceretur, et quid regis voluntatis eſſet coram certius explicaret.

XXI. IGITUR regina cum Franciſco Momorantio et magno matronarum aulicarum comitatu in caſtra venit; et, poſt crebras verborum concertationes, tandem in [d] Belliloci coenobio juxta [e] Lochias in Turonibus conventum eſt; edictumque, quintum a Januario conditum, LXIII capitibus abſolutum: quo, ſancita praeteritorum, ut in ceteris, oblivione, rex liberam religionis, quam vocant, reformatae profeſſionem et uſum per univerſum regnum conſtituit, nullo temporum locorumve diſcrimine, dummodo per locorum dominos liceat, conceſſa omnium, quae ad integram illius religionis adminiſtrationem pertinent, plena facultate, concionum, ſacramentorum, matrimoniorum, ſcholarum, conſiſtoriorum, ſynodorum, modo iis unus ex regiis praefectis interſit. Tum ad audiendas populorum ſibi ſubditorum querelas, et ut liberius ac commodius remediis idoneis adhibendis in commune conſultaretur, comitia regni intra ſex menſeis a promulgatione edicti celebraturum ſe recipit: eaque [f] Bloeſis indicit. Inſuper decernit, ne de conjugiis ſacerdotum et monachorum jam contractis in poſterum controverſia moveatur, ſed liberi ex iis ſuſcepti legitimi habeantur, et in bona mobilia, et adventitia ſoli tantum ſuccedant, ab omni alia ſucceſſione tam directa quam collaterali excluſi: Proteſtantes toto regno ad honores, dignitates, magiſtratus, publica munia, perinde atque alii, admittantur: [g] Arauſionenſis bonis omnibus ac ditionibus, quas in regno poſſidet, plene reſtituatur: in VIII regni curiis ex Proteſtantium numero judices creentur, qui pari cum Catholicis numero jus inter eos dicant: ſententiae contra Joſephum Boniſacium [h] Molam, Hannibalem

INTERPR. [a] *de Levi comte de Ventadour.* [b] *de la Fin, ſieur de Beauvoir la Nocle.* [c] *Dauvet, ſieur d'Arenes.* [d] *Beaulieu.* [e] *Loches en Touraine.* [f] *Blois.* [g] *le prince d'Orange.* [h] *de la Mole.*

Hannibalem [a] Coconaſſii comitem, et ſuperiore anno contra Joannem [b] Haium Picta- CIↃIↃLXXVI.
vii praetorem, latae revocentur ac reſcindantur; iique priſtinae famae ac dignitati, HENRICUS III.
bona heredibus eorum, reſtituantur: quod idem de Gaſpare [c] Colinio maris praefecto, Franciſco [d] Bricomotio, Arnoldo [e] Cavagnio, Gabriele comite [f] Mongomerio, Carolo [g] Podio Monbrunio dictum intelligatur. Praeterea rex tumultum Pariſienſem, quem intempetiem vocant, ſe invito et magno ſuo cum dolore interveniſſe dicit: et loco amicorum et fidorum cognatorum Fridericum ſeptemvirum Palatinum et Jo. Caſimirum ejus filium reputat, nihilque ab iis actum, niſi ad regni defenſionem, declarat; delectus item [h] Vallangii et in Novo-caſtrenſi comitatu aliiſque [i] Helvetiorum pagis habitos quaſi mandatu ſuo factos agnoſcit. Item, Joanni [k] Ferrerio Carnutum vicedomino et [l] Bellovaſio, ut ratione negotiorum cum Eliſabetha Anglorum regina tractatorum nihil imputetur, ſtatuit. Poſtremo ſecuritatis cauſa Proteſtantibus attribuuntur in [m] Septimania [n] Belloquadrum et Aquae-mortuae, [o] Veſuna Petrocoriorum et Manſum Virodunenſe ad [p] Garumnam in [q] Aquitania, [r] Nionium et Serra in Allobrogibus, [ſ] Iſſoriacum in Arvernis, [t] Sena ad magnam [u] Turrem, [α] ubi olim Caturiges, in Provincia; ea lege, ut earum urbium Alençonius, Navarrus, Condaeus et Damvilla, quorum fidei committuntur, periculum praeſtent. Caſimirus itidem petierat, ne cauſam Proteſtantium in urbibus, quae Imperii eſſe contendebat, neglexiſſe videretur, ut [w] Divioduri Mediomatricum, Tulli in Leucis ac Viroduni in Sclabis liberum religionis exercitium eſſet; praeterea, ut ingentes ſummae, quae ad quadragies centena millia aureorum excurrebant, pro ſtipendiariis Germanis, qui in Gallia bellis ultimis militaverant, perſolverentur. Sed tandem mentio civitatum illarum in edicto omiſſa, ut et [x] Saluciae marchionatus, nec non principatus [y] Dumbarum, prenſato ſeorſim a regina Caſimiro et multis promiſſis onerato. Ea autem erant, ut ipſe C cataphractorum equitum ac praeterea IV CIↃ Germanorum equitum dux eſſet, in eamque rem XIV aureorum CIↃ annuam penſionem a rege et ab Alençonio, praeterea principatum [z] Caſtri-Theodorici acciperet; proque ingenti illa ſumma ſeptingenta millia aureorum praeſenti pecunia numerarentur; de reſiduo oppigneratis gemmis caveretur. Placatus et Condaeus Picardiae praefecturae ſpe, aſſignata in habitationem ac receptum Perona, quae munitiſſima eſt provinciae urbs. Alençonio ante omnia in portionis hereditariae augmentum [aa] Bituriges, Turones et Andes attributi, quae tres regni opulentiſſimae provinciae ſunt, eodemque, hoc eſt Maío, quo edictum Lutetiae Pariſiorum prid. Eid. rege ipſo in lectiſternio ſedente, promulgatum eſt, ea de re diploma in ſenatu recitatum fuit: inſuper C aureorum CIↃ annua penſione aſſignata; et ſingulari ſeorſim reſcripto conceſſum, ut in cunctis ditionis ſuae provinciis, quod vel patronatus ratione vel ex pactis cum pontificibus ad epiſcopatus, coenobia et alia, quae vocant, beneficia nominandi jus eſt regibus, in ipſum transferretur. Quod peſſimo parentis ſerviliter filiis blandientis conſilio, olim regi ipſi, ante Caroli fratris mortem, indultum, recenti adeo exemplo, Alençonio nunc honeſte denegari non potuit. Feſtinatum, etſi iniquis conditionibus, a regina edictum creditur, ut Alençonium filium a foederatorum partibus quamprimum abduceret; cum foemina turbis aſſueta animo provideret, haud diu illud duraturum, et brevi fore, ut per ea ipſa comitia, quae foederati tantopere urgebant, ſalva regis et ipſius fide et exiſtimatione,

VAR. LECT. [α] ubi olim Caturiges *deſunt D. f. d.*

INTERPR. [a] *Cocconas.* [b] *la Haye, lieutenant-general en Poictou.* [c] *l'amiral de Coligny.* [d] *de Briquemaut.* [e] *de Cavagnes.* [f] *de Montgomery.* [g] *Du Puy de Montbrun.* [h] *Vallangin & Neufchaſtel.* [i] *Cantons des Suiſſes.* [k] *de Ferrieres, vidame de Chartres.* [l] *de Beauvoir la Nocle.* [m] *Languedoc.* [n] *Beaucaire, & Aigues-mortes.* [o] *Perigueux, & Mus de Verdun.* [p] *la Garonne.* [q] *Guienne.* [r] *Nions & Serres en Dauphiné.* [ſ] *Iſſoire en Auvergne.* [t] *Sene.* [u] *la grand' Tour en Provence.* [w] *Mets, Toul & Verdun.* [x] *Saluces.* [y] *Dombes.* [z] *Chateau-Thierry.* [aa] *Berry, Touraine, & Anjou.*

CIↃIↃLXXVI. HENRICUS III.

exiſtimatione, revocaretur. Ita exercitus tot menſium, qnique tantis multorum laboribus et ſumptibus vix inſtrui potuerat, per pacem praecipitatam dimiſſus, et nulla re memorabili geſta diſſolutus eſt. Tantum, ut rerrorem ſui ſpargeret, paucis diebus ante, cum adhue partes de conditionibus altercarentur, ad [a] Sanvertinum oppidulum ditionis Nivernenſis, quod ſoederatorum copiis commeatum obſtinatius negaſſet, admotae copiae, locoque majoribus tormentis pulſato, cum aditu difficili miles irrumpere conaretur, reſiſtentibus ſortiter oppidanis cum damno repulſus eſt. Iteratae poſtea ſemel atque iterum ab Helvetiis, quod illi raro ſaciunt, oppugnationes; tandemque [b] Erlacius et Melunius primarii tribuni cum XL ex ſuis in ſummum murum evaſere: quo conſpecto, oppidani colloquium poſcunt, ſed ſerius, incenſis ſemel Helvetiorum animis, qui, dum inter colloquendum oppidani ſegniores in ſtationibus eſſent, vi ſacta loco potiuntur. Ibi armati obvii trucidantur, et cum iis etiam ruſtici in oppido reperti: tum urbs diripitur ac poſtremo incenditur: CCCC ex clade tantum ſuperſtites ad arcem perfugium habuere, quibus Caſimiri juſſu parcitum eſt. Eodem tempore et paucis ante pacificationem diebus, dum copiae undique ex [c] Vaſconia, Santonibus et Engoliſmenſi agro ad Navatrum confluerent, Rupellani [d] Maranenſem inſulam IV ab urbe leucis praeſidio a Monpenſerio firmatam in poteſtatem redegerunt, ope [e] Burrii, qui eum V peditum ſignis illac tranſiens ab ipſis exoratus in inſulam duxit; quo et Rupellani auxiliareis [f] Oleronenſi ac Retenſi inſulis, [g] Broagio et Joannis-ſand evocatos, ſummiſerant cum II tormentis. Munitio [h] Bruna primo impetu a Burrio capta; dein, cum praeſidiarii ſe in arcem incluſiſſent, et fortiter hoſtium impetus totos V dies ſuſtinuiſſent, relangueſcentibus animis, et auxiliis a [i] Rupibaritonio, Carolo [k] Landereo et [l] Pigallario promiſſis aur ſperatis non comparentibus, ſexto die deditionem fecere.

XXII. PAULO ante, menſe Aprili, Franciſcus Momorantius, quo praeteriti carceris, ſi qua ſuberat, ignominiam elueret, diploma impetraverat; quo rex declarabat, ſe, cum primum regnum inivit, cum Momorantium Caroli fratris juſſu, quas ob cauſas incertum, in carcerem conjectum reperiſſet, omnem operam dediſſe, ut cauſas indagaret, et, ſi quae adverſus ipſum probationes, quibus in perduellionis crimen incurriſſe convinci poſſet, exſtarent, undique conquirerentur: itaque neque ſtatim illum emiſiſſe, ſed tantiſper moram interpoſuiſſe, dum veritas tempore clarius eluceſceret: tandem, parente et aliis proceribus ſuper ea re ſedulo interrogatis, et ipſo etiam Momorantio audito, et diligenti facta perquiſitione, cum nihil adverſus eum comperiſſet, ita ut id Caroli fratris delationibus falſis inducti juſſu potius quam ex cauſa legitima factum credi par ſit, ex ejuſdem reginae parentis, principum-conſanguineorum, procerum et aliorum conſiſtorii ſenatorum conſilio, revocato fratris regis decreto, ipſum innocentem ac purum ab omni perduellionis crimine pronunciat; ita ut neque nunc neque in poſterum quidquam ipſi aut clariſſimae ejus familiae occaſione decreti illius imputari aut improperari, negotiumve ullum faceſſi, aut fides ejus et exiſtimatio ullo modo in dubium revocari poſſit. Diploma poſtea in ſenatu Nonis Maii, convocatis (id paribus Franciae juris eſt) cunctis curiae claſſibus, lectum publicatum et in acta audito cognitore regio relatum fuit.

XXIII. EXTREMO anno III Kal. Decembris obiit ex vulnere pugna [m] Drocenſi in ilibus accepto, et tum forte ex violenta equitatione aperto, Gaſpar [n] Caſtreus Nancaeus ſtipatorum regiorum quaſi gentilitio jure praefectus, quippe qui Joachimnm patrem, Gabrielem avum et Claudium proavum eadem dignitate ornatos habuiſſet;

raro

INTERPR. [a] *St Verin en Nivernois.* [b] *Erlach & Melun.* [c] *Gaſcogne, Saintonge, & l'Angoumois.* [d] *Marans.* [e] *le ſieur de Bourry.* [f] *Oleron & Ré.* [g] *Brouage & S. Jean d'Angle.* [h] *la Brune.* [i] *des RochesBaritaut.* [k] *de Rouhaut, ſieur du Landereau.* [l] *de Puy-Gaillard.* [m] *de Dreux.* [n] *de la Chaſtre, ſieur de Nançay.*

raro fidei [α] ac gratiae indicio, cum fere cetera munia meritis debeantur, hoc etiam praeter merita gratiae ac peculiari benevolentiae tribui ſoleat. Et ſane fuit vir ut forma ſic moribus ſuaviſſimis, virtute militari praeſtans, ob idque Carolo regi acceptiſſimus, et qui erga omneis officioſus non ſolum procerum ſed etiam nobilitatis gratiam ſibi in aula conciliaverat. Ex Gabrielide [a] Batarnaea Franciſci Buchagii comitis et Eliſabethae [b] Sabaudae filia Henricum filium ſuperſtitem reliquit, Magdalenam et Aloiſiam, et ultimam, quae, patre defuncto, ad jucundam ejus renovandam memoriam, cum de ſacro lavacro a Claudio Caſtreo patrueli fratre et Anna Batarnaea matertera, quae poſtea Bernardo [c] Nogareto Valetae [β] maris praefecto nupſit, ſuſciperetur, ex voluntate matris [d] Gaſpara vocitata fuit. Quadrageſimale ſacrum de more poſtea magno equitum conchyliatorum, ex quorum collegio erat, aliorumque cognatorum et adfinium concurſu Nancaei celebratum fuit; in quo, ne quid ad eximium apparatum deeſſet, Jacobus Cujacius juriſconſultorum retro ſaeculis et ſua aetate princeps [e] Avarico Biturigum, ubi docebat, a Caſtreo provinciae praeſide evocatus, oratione funebri mortuum tanto viro digniſſimus praeco laudavit.

CIƆIƆLXXVI.
HENRICUS III.

VAR. LECT. [α] ac gratiae *deſunt* *D.* f. d. [β] maris praefecto *deſunt* *D.* f. d.

INTERPR. [a] *de Batarnay, comte de Bouchage.* [b] *de Savoye.* [c] *de Nogaret de la Valette, amiral de France.* [d] *Gaſparde.* [e] *Bourges.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEXAGESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

PAX ſubito turbat, ſecretis foederibus Catholicorum contra Proteſtanteis factis. II. *Navarrus poſt publicam de religione profeſſionem a Rupellanis admittitur: cui et Condaeus ſe adjungit, et Joannis-fanum intercipit.* III. *Caſimirus de pace violata per literas apud regem expoſtulat.* IV. *Condaeus Broagium a Mirambello pactione recipit.* V. *Eliſabetha inter haec Philippicis partibus ſtudet, omnemque operam dabat, ne Belgae dominum mutarent aut Galli in Belgio pedem ponerent. Novi in Hibernia motus a Guil. Drurio compreſſi. Walteri Ebroici Eſſexiae comitis Roberti patris, et Antonii Coci deceſſus.* VI. *Apud nos res in Septimania turbant.* VII. *Bloeſenſia comitia.* VIII. *Davidis advocati Pariſienſis ad pontificem a novi foederis auctoribus ſecretus commentarius, a Sangoartio oratore regio ex Hiſpania ad regem miſſus, et a Proteſtantibus vulgatus.* IX. *Ex Jo. Morvillerii conſilio rex novi foederis, quod abolitum volebat, ſe principem profitetur.* X. *Decretum de una religione factum.* XI. *Proteſtantes contra comitia proteſtantur.* XII. *Delegati ab Ordinibus ad Navarrum, Condaeum et Damvillam mittuntur.* XIII. *Super decreto religionis rogatae principum ac procerum aulicorum ſententiae ac ſcripto comprehenſae.* XIV. *Tunc rex a Guiſianis ſibi primum coepit metuere.* XV. *Epiſcopi Tridentinae ſynodi promulgationem urgent: ſed collegiorum ſacrorum ſodales interceſſerunt. Praeclare quaedam in comitiis poſtulata.* XVI. *Damvilla tentatur.* XVII. *Navarri in Aquitania ſucceſſus. Coſſio Vaſatum a Jo. Fabato privatae rixae occaſione intercipitur.* XVIII. *Auditis delegatis, Navarrus ad regni Ordines ſcribit.* XIX. *Condaeus delegatos ad ſe audit, et verbis cum iis altercatur. Auditi poſtea delegati in Ordinum conſeſſu, et gravem Navarri de Navarrae regno ſibi erepto querelam pro omni reſponſo afferunt.* XX. *Poſtulata Ordinum regni, ſolemni cum gratiarum actione, oblata. De regii patrimonii contra regni leges alienatione actum.* XXI. *Damvilla de comitiis ut vitio indictis proteſtatur.* XXII. *Monpenſerius, qui ad Navarrum miſſus fuerat, in aulam reverſus pacem ſuadet. Re rurſus in Ordinum conſeſſu agitata, placuit, regem rogandum eſſe, ut ſubditos ad Catholicam Apoſtolicam Romanam religionem omni aequa ac legitima ratione ſed citra bellum reduceret, ſicuti P. Verſorio, ut peteret, mandatum fuerat.* XXIII. *Caſimiri ad regem literae expoſtulatoriae, quae ſcrupulum injecerunt aulicis negotii de religionis decreto propius penſitandi: ex eaque occaſione miſſus denuo ad Navarrum Bironus, qui de pacis conditionibus cum eo ageret.* XXIV. *Miſſus in Germaniam Guerchius vicecomes ad delectus Proteſtantium impediendos.* XXV. *Caſimiri ad regem ſuper bello et Willelmi Heſſi literae.* XXVI. *Chriſt. Thuani de foedere novo ad regem clam perlata ſententia.* XXVII. *Interim diſputatum, an Proteſtantibus fides ſervanda eſſet: tandemque conditum edictum de una religione, ceterum vita et bonis Proteſtantium, qui domi manerent, ſalvis.* XXVIII. *Broagium in Santonibus Mirambello a Condaeo redditum, et ſtatim poenitentia ſubeunte ademptum. Ludovici Tremollii foederis novi in illis provinciis auctoris deceſſus.* XXIX. *Exercitus regius alter Meduanio in Pictones et Santones ducendus attribuitur: alter Andino regis fratri;*

Digitized by Google

fratri; cum quo Charitaeum ad Ligerim obſidet, ac tandem deditione capit. XXX. *Iſſoriacum in Arvernis obſeſſum, et fortiter defenſum, poſtremo arbitrio Andini deditum. Licentia ac libidine graſſatur miles; et, quod rapacitas intactum reliquerat, ignis primo, dein foedi imbres, incendio reſtincto, abſtulerunt.*

Ex auctoribus,

Actis publicis, L. Vicino P. P. Actis et literis tunc publicatis, Actis comitiorum, [1] *Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae.*

LIBER SEXAGESIMUS TERTIUS.

JOANNES Caſimirus, facta pace, poſt actas ab [a] Alençonio, quem [b] Andinum deinceps appellabimus, et Condaeo gratias, in [c] Heduos et [d] Lingonas cum exercitu conceſſit, ſtipendia promiſſa opperiturus: Andinus in [e] Biturigas, de conditione ſua certus: Navarrus, quia ſerius ſe ad partes applicuit, ſerius quoque promiſſa ex pace commoda ſenſit; et aliquandiu circa Niortium, antequam ulterius in [f] Aquitaniam pergeret, tempus venationis ſpecie contrivit. Condaei ſpes de Picardiae praefectura et in primis de Perona pro domicilio concepta omnino fruſtra fuit. Nam aemuli, quorum factio nimium quam potens in aula erat, cum Catholicorum acerbas de ultima pacificatione querelas non ignorarent, turbarum occaſionem captantes, eam ut minime ferendam crebris ſermonibus ipſi carpebant; ſuamque operam, amicos et opes vulgo oſtentabant: nimiam reginae feſtinationem haud occulte damnantes, quae impotenti filium in poteſtate habendi deſiderio tam foedam et injuſtam pacem feciſſet, et iniquiſſimam eorum, qui majorum ſacra colunt, conditionem reddidiſſet. Quas ad voces rex praepoſtera prudentia connivebat; ut qui, Andino fratre a foederatis diviſo, materiam vel etiam per novos tumultus pacem regno datam turbandi quaerebat. Itaque illi, fortuna et favorabili principis ingenio ſibi utendum rati, benevolentia vulgi per civitates conciliata, et per eam auctoritate ſenſim contracta, poſtremo foedus clandeſtinum icerunt, ſpecioſo nomine, ut majorum religionem contra Sectariorum in dies creſcentium vireis tuerentur, et, quod rex patientia peccabat, (haec in vulgus verba jactabantur) ipſi, ſuſcepta tam juſtae cauſae defenſione, emendarent. Principium Lutetiae factum, ut primaria urbs ceteris toto regno exemplo ſuo praeiret: ubi, inſtigantibus, inter alios, Petro [g] Bruerio ſeplaſiario ac Matthia ejus filio praefecti Pariſienſis aſſeſſore, huic foederi certatim plerique, qui vita per infamiam in alea et luſtris acta [2] decoxerant, nomen dederunt; quibus omnibus, aut ad ambitionem et inexplebilem avaritiam ſatiandam aut ad ruinas domeſticas ſarciendas, bello civili opus erat. Multi praeterea ex opulentioribus civibus, qui odio Proteſtantium caeci parum pericula, quae ex talibus in legitimo regno foederationibus in publicae tranquillitatis perniciem ſequi ſolent, animo providebant, imprudentia ſumma factioſorum fidem ſecuti fuerant. Sed, cum crebrae coitiones in urbe propterea quotidie fierent, nam univerſos ſimul convenire periculoſum erat, nonnullos haud ita credulos male habebat, quod neque ſecreto regis mandato, neque eorum, qui principem locum in urbe tenebant, praeſentia, rei per ſe ſpecioſae ſed difficultatibus implicatae, auctoritatem conciliari videbant: itaque cum quidam formulae jam

CIↃIↃLXXVI.
Henricus III.

INTERPR. [a] *le duc d'Alençon.* [b] *le Duc d'Anjou.* [c] *Bourgogne.* [d] *Langres.* [e] *Berry.* [f] *Guienne.* [g] *la Bruyere parfumeur.*

NOT. [1] Haec adduntur a Puteano. [2] bona ſua decoxerant.

CIƆIƆLXXVI. HENRICUS III. jam conceptis verbis perſctiptae, ut ſubſcriberet, rogaretur, viciſſim quaeſivit, cur Chriſtophorus Thuanus ſenatus princeps, vir eximia pietate, integritate et vitae innocentia extra omnem ſuſpicionem poſitus, non adeſſet. Tum vero [α] a conventus ſecreti praeſide, qui ſciret, Thuanum quam verae majorum religionis retinentem tam a factione omni alienum eſſe, illico reſponſum; rem hujuſmodi eſſe, ut eam rex tegi velit, et proinde primarium magiſtratum his conventibus intereſſe nolit: et, quanquam rei in arcano faveat, ſe tamen ignaro id fieri videri cupiat: quod reſponſum cum multis non ſatisfaceret, tempus ad deliberandum poſcunt; et, nondum fide obligata, Thuanum adeunt, deque conventibus occultis, quidve rei in iis agatur, eum edocent; quaeruntque, num id probet, et ex regis voluntate, ſe conſcio ſed diſſimulante, tanti momenti negotium agitetur. Ad haec Thuanus, re nova perculſus, quo erat ingenii candore, ſine cunctatione reſpondit; neque ſe de conventibus quidquam intellexiſſe, neque putare ex regis voluntate eos celebrari: proinde prudenter facturos eos, ſi ab hujuſmodi ſecretis coitionibus abſtineant, quae ad regis offenſionem, publicae quietis perturbationem procul dubio vergant. Viri auctoritate permoti multi conſilia clandeſtina deinceps ſuſpecta habuerunt, et, communicato Thuani cum amicis reſponſo, multos ab iis [β] alienarunt. At factionis duces homines pervicaces et in aula et apud plebem praepotentes, cum viderent, tanti nominis objectu, ne conſilia ſua in urbe tam valide pro tempore procederent, impediri, Lotharingis auctores fuerunt, dum res vel Thuani morte, aut ejus exiſtimatione, apud populum tunc integra, ſenſim per calumnias in ſuſpicionem adducta, aut alio caſu in urbe convaleſcerent, ut in agro et per nobilitatem foedus publicari et ſubſcribi curarent: commodumque illis accidit, ut, cum ſecretis ultimi edicti articulis praefectura Picardiae Condaeo deſtinata et Perona pro domicilio attributa eſſet, ad ingreſſum ejus in provinciam impediendum foederis in ea ſanciendi neceſſitas quodammodo impoſita videretur. Qua in re Jacobi [a] Humerii opera uſi ſunt, [b] Peronae, Montis-Deſiderii, et Roiae praefecti, quem illi ſive odio Proteſtantium incitatum, ſive Momorantiis aemulis ob moleſtam litem infeſtum, facile in ſuas partes pertraxerunt. Siquidem Gulielmus Momorantius [c] Thoreus primis nuptiis Helionoram Humeriae familiae tota regione ampliſſimae et opulentiſſimae heredem in uxorem duxerat: qua defuncta, ſuperſtite filia, eaque mox vivis exempta, pater Thoreus ſucceſſionem ex lege contractus ad ſe pertinere contendebat; cauſaque diu in ſenatu agitata, vix tandem poſt longas et acerbitatis plenas concertationes inter partes tranſactum fuerat, iniquis, ut ferebatur, conditionibus, ad quas ſe Jacobus Humerius Momorantiorum ambitione et potentia coactum dicebat. Is igitur, qui nobilitatem, quae in illa provincia et multa et dives eſt, penes ſe haberet, et liberalitate ac popularitate in civitatibus ipſis plurimum poſſet, propoſito religionis periculo, ſi Condaeus in provincia limitanea pedem figeret, foederis in ea ſanciendi auctor fuit; Quod, praemiſſo ſanctae et individuae Trinitatis nomine, principes, reguli, nobiles, oppidani, ſacramento interpoſito, inituri eſſent; ad reſtituendam in integrum legem Dei, conſervandum ſanctiſſimum ipſius cultum juxta formam et ritum ſanctae Romanae eccleſiae, abjuratis ac rejectis omnibus erroribus ei adverſantibus; ad tuendum regem Henricum III, ſalvis obſequio, cultu ac reverentia, quae illi a ſubditis debentur; prout in capitibus, quae proximis comitiis offerentur, fuſius continebitur: inſuper, ad aſſerenda ſingulis regni provinciis earumque Ordinibus jura, praerogativas, immunitates et antiquas libertates; quales erant tempore [d] Clodovaei, qui primus religionem Chriſtianam in Francogallorum principatu fundavit. Foederi

additae

VAR. LECT. [α] Hennequinus, qui ſciret, — illico reſpondit *MS Samm.*
[β] alienarunt. Hennequinus tamen, homo pervicax, et occultis machinationibus potens, cum videret tanti nominis objectu *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *d'Humieres.* [b] *Peronne, Montdidier, & Roye.* [c] *le ſieur de Thoré.* [d] *Clovis.*

additae hae leges: ut ſocii fidem obſtringant, ſi quis foederi contra dicere aut ire auſus ſit, ſe non ſolum facultates ſed propriam vitam impenſuros ad impediendos adverſantium conatus, et operam daturos, ut omnia, quae foedere continentur, plene impleantur: et, ſi qui ex ſociis a quoquam injuria afficiantur, non facultatibus, non vitae parcituros, donec illatam injuriam, ſive ordinaria magiſtratus via ſive extra ordinem etiam ſumptis armis, nulloque perſonarum reſpectu habito, ulciſcantur. Quod ſi quis poſt datam fidem, quovis praetextu, quod Deus avertat, foederi renunciet, is tanquam refractarius Dei voluntati et perduellis omni ſeveritate poenas luat; et, qui poenas debitas ab hujuſmodi emanſoribus exegiſſent, non propterea privatim aut publice torqueri poſſint. Foederis praefectus creetur, cui univerſi promptam obedientiam et obſequium ſine conditione praeſtare teneantur: ſi quis officio non ſatisfecerit, aut tergiverſatus ulla in re fuerit, ad praefecti arbitrium, cui cuncti ſe ſubmittent, puniatur. Omnes ſive in agro ſive in urbibus et oppidis ad ſubſcribendum ſancto foederi invitentur; et ſocietati nomine dato promittant, pecuniam, viros et arma pro viribus ſuppeditaturos: qui foederi aſcribi recuſabunt, pro hoſtibus habeantur; ſociiſque jus ſit praefecti mandatu eos armis perſequi. Socii de controverſiis, rixis aut litibus ad praefectum referant; nec niſi petita ab eo venia apud magiſtratum querelam poſſint inſtituere: qui contra fecerit, a praefecto pro arbitratu mulctetur aut caſtigetur. Addita foederi jurisjurandi formula praeſcriptis verbis concepta, quam ſocii tactis ſacroſanctis evangeliis pronunciare tenebantur. Haec deteſtandi et ad omnis divini et humani juris ſubverſionem tendentis foederis prima initia fuere; quod a rege, tantum de abolitione ultimi edicti vi extorti cogitante, diſſimulatum, dein et ſumma imprudentia auctoritate ſua firmatum, poſtremo, poſtquam melioribus conſiliariis uſus eſt, ad tempus ſuppreſſum, non tamen omnino, ſicuti oportuit, extinctum, in pernicioſiſſimam factionem, quae ipſi exitium attulit, tandem erupit. Tunc vero per Picardiam clam inito, et inter nobileis et per urbes, praeeunte Humerio, per Guiſianorum emiſſarios, foedere, [a] Haplincurio ex illa nobilitate primario juveni negotium datur, ut, Peronae oppidanis in foedus ſacramento adactis, urbem Condaeo pro domicilio aſſignatam teneret, eumque ingreſſu excluderet. Quod non gravate tulit rex; qui ſe fidei datae religione eo facto ſolutum exiſtimans, ut Condaeum placaret, ei longe a Picardiae praefectura in [b] Santonibus fanum [c] Joannis Engeriaci et in [d] Engoliſmenſi agro [e] Cognacum attribuit, tantiſper dum de Perona ei ſatisfieri poſſet. Humerii exemplo Ludovicus [f] Tremollius Thoarſii dux et Pictonicae nobilitatis facile princeps, a Lotharingis perſuaſus, eadem imprudentia cum LX circiter ex ea nobilitate foederi clandeſtino pro religione, ut aiebant, ſancito ſubſcripſit. Crebreſcente foederis fama, Proteſtantes in vicinioribus regiae provinciis minus clementer habebantur, affixis paſſim per urbes et in oppidis per compita contra ipſos libellis. Et, cum edicto ultimo duabus ab urbe leucis libere conveniendi illis jus eſſet, aliquoties commota plebe, dum redirent, petulanter ac contumelioſe excepti, et ad extremum haud occultis minis territi beneficio conceſſo uti non potuerunt. [g] Rotomagi vero cum rex eſſet, Carolus Borbonius cardinalis urbis archiepiſcopus paſtoris ſuggeſtum aliquot epiſcopis comitatus conſcendit, et ad populum, qui ad audiendam concionem frequens advenerat, orationem compoſitam habuit; qua hortabatur adſtanteis, ut ſe pro vero paſtore agnoſcerent: alioqui univerſos ac ſingulos magno ſuo malo experturos, quam periculoſum eſſet, Sectariis adhaerere, et a Romana eccleſia deſciviſſe. Quod intempeſtive factum ita Proteſtantes accipiebant, ut principis viri exemplo excitati per totum regnum praeſules ac provinciarum etiam praefecti animos ſumerent, et adempta juxta edictum conveniendi libertate Proteſtantibus moleſtiam facerent.

INTERPR. [a] *de Haplincourt.* [b] *Saintonge.* [c] *S. Jean d'Angely.* [d] *l'Angoumois.* [e] *Cognac.* [f] *de la Tremoille, duc de Thouars.* [g] *Rouen.*

CIↃIↃLXXVI. HENRICUS III.

facerent. Nec parvum ſuſpicacibus ingeniis ſcrupulum injecit Petri [a] Gondii epiſcopi Pariſienſis ad pontificem legatio, cum mandatis, ut L aureorum CIↃ annui reditus ex ſacro patrimonio alienandi facultatem regis nomine impetraret: nam, quo pertinere illam alienationem, aut quomodo in eam conſenſurum pontificem, niſi fide data, ut in belli contra Sectarios gerendi ſumptus, pecunia inde corradenda impenderetur?

II. HIS de cauſis admoniti ſunt, ut propius ad res ſuas reſpicerent Proteſtantes; et Navarrus in primis, qui [b] Niortii eorum doctrinam nuper publice profeſſus fuerat, prius proteſtatus, quod Lutetiae poſt tumultum Pariſienſem ante quadriennium feciſſet, non matura deliberatione habita, neque ſponte et a Theologis melius inſtructum, ſed vi et neceſſitate adactum, contra animi ſententiam feciſſe: nam nunquam a religinne, in qua educatus ab optima parente fuerit, defeciſſe, aut de ea mutanda cogitaſſe. Itaque [c] Rupellam tunc Proteſtantium arcem ante omnia proficiſci ſtatuit, miſſo ante ad regem [d] Fervacio, qui Catharinam ſororem in aula relictam cum bona regis ac reginae venia ad ſe deduceret: quod et impetravit. Illa igitur ad fratrem in [e] Pictones venit; et poſt longas altercationes, indignante multum Renato [f] Rohano proxima cognatione Navarro conjuncto, qui Rupellae erat, tandem ipſe [g] Surgeriam venit, et inde cum ſorore et L tantum equitibus in urbem admiſſus eſt IV Kal. Quintil. ubi diſpoſitis per vicos oppidanis et inſulanis ad id evocatis, in ſpeciem ad honorificentiorem pompam, re vera, ut ſecuritati urbis conſuleretur, de cetero ſumma laetitia exceptus eſt, excluſo tamen Fervacio; quem ob eam repulſam tunc non mediocriter irritatum, et poſtea ſponte ſe dignitate, quam praecipuam in Navarri familia obtinebat, abdicantem, ipſe Navarrus ad purgandas ſuſpiciones, in quas ob ejus familiaritatem apud Proteſtanteis incurrebat, a ſe dimittere coactus eſt. Poſt firmatam pro tempore in urbe auctoritatem, IV Non. Quintil. ſolvit, et [h] Broagium appulit; ubi eum magna cultus ac benevolentiae ſignificatione excepit Franciſcus [i] Pontius Mirambellus loci dominus, praemiſſis navigiis feſto ornatu inſtructis et copiis militaribus, quae portum veluti corona cingebant. Ibi cum Monſerrandi [k] Langorani de [l] Veſunae ante aliquod tempus interceptae praefectura adempta querelas audiviſſet, biduum commoratus, per [m] Mediolanum Santonum facto itinere Veſunam, ut res in urbe ordinaret, profectus eſt: quo mox ad eum venit Condaeus, miſſo prius in aulam Joanne [n] Balſaco Montacutio, (is, quanquam a Proteſtantium religione alienus, primarium locum in ejus familia tenebat) ut de praefectura Picardiae et Peronna ſeditioſorum factione ſibi interdicta querelam apud regem inſtitueret. Petito dein a Navarro commeatu, Broagium Kal. Sextil. ad Mirambellum tendit Condaeus; et inde rurſus Rupellam venit, non minore pompa, ſed majore oppidanorum fiducia exceptus. Ubi poſtquam munitiones luſtravit, et operam ſuam prolixe ipſis tanquam amicis et communem cauſam foventibus detulit, ad Eidus Quintileis uſque in urbe commoratus, fanum Joannis et Cognacum, Montacutii reditum ex aula praeſtolaturus, ſe contulit. Interea Alençonius ad Rupellanos dat literas; quibus ad majorem propenſae voluntatis ſignificationem, et ut oſtenderet quam familiariter illis uteretur, petebat, ut machinas nuper Marani captas ad ſe mitterent, in arce [o] Andegavenſi collocandas; inſuper, ut ſe pecunia juvarent: ſed de utroque ſe excuſarunt Rupellani; machinas a ſe emptas, ac de cetero ob praeteritas clades penuriam ſuam cauſati. Nec multo poſt [p] Boſſerius, Barnabae [q] Briſſonii viri clariſſimi diſpar frater, [r] Fontenaii natus, et ob viciniam Rupellanis, ut ſibi perſuadebat, non ignotus aut inviſus, ad urbem venit, ſpe facta reginae, ut diſſidiis inter oppidanos diſſeminatis res in ea novas moliretur, et occaſione, ſi ſors ferret, uteretur: ſed homo vafer, cum de

vanitate

INTERPR. [a] *de Gondy.* [b] *Niort.* [c] *la Rochelle.* [d] *de Hautemer, ſieur de Fervaques.* [e] *Poictou.* [f] *de Rohan.* [g] *Surgeres.* [h] *Brouage.* [i] *Pons de Mirambeau.* [k] *le baron de Langoiran.* [l] *Perigueux.* [m] *Saintes.* [n] *de Balſac, ſieur de Montaigu.* [o] *château d'Angers.* [p] *la Boiſſiere.* [q] *Briſſon.* [r] *Fontenay.*

vanitate ejus magiſtratibus ſuboluiſſet, fruſtra fuit. Ne tamen nihil egiſſe videretur, impetravit, ut religionis antiquae cultus, a tempore obſidionis intermiſſus, inſtauraretur: et in templo, quod conflandis machinis inſerviebat, auctoritate praefecti urbani ſolemne ſacrum celebratum eſt XVI Kal. Oct. cui Boſſerius ipſe cum paucis interfuit. Viciſſim a rege privilegia antiqua Rupellanis, quae ampliſſima habent, confirmata ſunt, prout iis recte et rite antea uſi fuerant. Condaeo, dum Montacutii reditum expectat, renunciatum fuerat, tempus in aula artificioſe duci, ut interim, ſicuti jam Perona in praefectura ſua, ita fano Joannis, quod illi promiſſum fuerat, excitata oppidanorum factione excluderetur: et jam haud occulta murmura in oppido exaudiri; et Armannum [a] Guntaldum Bironum propediem eo venturum, ſpecie componendarum rerum, re vera, ut adverſam factionem praeſentia ſua firmet. Itaque ille praevertendum ratus, et in proprio periculo credulus, [b] Lucae ſtrenuo centurioni negotium dat, ut delectos in oppidum clam introducat; quorum ope, ſuperveniente Joanne [c] Rupibellocurio Sanmemmio, tumultum jam excitatum compeſcuit, et locum in poteſtate habuit: quem Proteſtantes ab eo tempore ad hunc uſque diem tenuerunt.

CIƆIƆLXXVI.
HENRICUS III.

III. NAVARRUS in [d] Cadurcis erat: unde, poſt miſſum in aulam, qui ſua negotia procuraret, Jo. [e] Durfortium Duracii vicecomitem, [f] Neracum in Labretanis proficiſcitur; quo mox ad eum venit Condaeus, ut de juſtis hinc inde Proteſtantium allatis querelis in commune conſultarent. In primis placuit, ut ad Jo. Caſimirum ſcriberetur, qui adhuc ſtipendia promiſſa expectans in [g] Heduis magno popularium detrimento commorabatur, et rogaretur, ut in communi cauſa legatos ad regem mitteret. Nec ille officio defuit: ſed ſtatim [h] [α] Theodorum Vierum in aulam ablegavit, cum mandatis horridae libertatis nec noſtrorum moribus accommodatis; quibus ille, laudata reginae parentis in procuranda pace diligentia ac cura, nihilominus Caſimiro dolere dicebat, quod conditiones edicto appoſitae minime hactenus poſt trimeſtre executioni demandatae ſint: nam pleriſque locis libere conveniendi Proteſtantibus facultatem minime dari, et, quibus data eſt, ſeditioſorum minis et magiſtratus ad eas conniventia impediri: [i] Lugduni pleroſque ex conventibus illis redeunteis ſcloppetorum ictibus exceptos: idem [k] Genabi factitatum: [l] Franciſcopoli item a [m] Sarlaboſio praefecto propoſitum edictum, quo L libratum in non parenteis prima vice, et, ſi recidivi fuerint, capitis poena conſtituta, conveniendi libertas prohibetur: [n] Rotomagi etiam cardinalem Borbonium, cum multos non ſolum ex ſenatu urbis, ſed ex ſacro ordine, et in iis Claudium [o] Sanctium epiſcopum Ebroicenſem in comitatu haberet, paſtoris ſuggeſtum conſcendiſſe, et conventum diſturbaſſe: ad [p] Laudi-fanum conventibus, qui in oppido habebantur, celebrandis, duabus ab urbe leucis locum aſſignatum eſſe; ſicuti et nuper [q] Divioduri Mediomatricum: idem etiam Lutetiae uſurpatum, mulctatis etiam quibuſdam ex ruſticis, qui conventibus illis interfuerant: aliis locis, ubi nondum locus aſſignatus eſt, eos magiſtratus creatos, qui, quod infeſto ſint erga Proteſtanteis animo, ne libertate edicto conceſſa fruantur, impediant: tum vocibus ſeditioſorum concionatorum ubique cuncta perſonare, non diu duraturam pacem blaterantium, eamque paci ad [r] Autricum Carnutum et alteri ante ſexennium factae comparantium: nec deeſſe praeſtigiatores, qui vicos circumeuntes Joannis Auſtrii ſectarium malum exſtirpaturi in Galliam adventum denuncient: interim edictum novis et cavillatoriis interpretationibus convelli: in [ſ] Neuſtria exteros, puta Anglos, quibuſcum popularibus neceſſarium commercium eſt, a conventibus excludi:

fidem

VAR. LECT. [α] Joannem Vierum in aulam *D.* ſ. d.

INTERPR. [a] *de Gontaut de Biron.* [b] *Lucas.* [c] *de Rochebeaucour de S. Meſme.* [d] *Quercy.* [e] *de Durfort, vicomte de Duras.* [f] *Nerac au pays d'Albret.* [g] *Bourgogne.* [h] *Theodore Wier.* [i] *Lyon.* [k] *Gien.* [l] *Havre-de-Grace.* [m] *de Sarlabous.* [n] *Rouen.* [o] *de Sainctes, evêque d'Evreux.* [p] *S. Lo.* [q] *Mets.* [r] *Chartres.* [ſ] *Normandie.*

CIↃIↃLXXVI. HENRICUS III.

fidem de judicibus in ſingulis regni curiis conſtituendis interpoſitam nondum praeſtari; et [a] Arenium praeſidem a rege deſignatum nondum a Pariſienſi ſenatu admiſſum: pleroſque vero ob religionis cauſam a cancellario quaſi magiſtratibus, quos ambiebant, indignos habitos: nec parvam ſuſpicionem inde Proteſtantibus injici, quod in urbibus, ſicuti bello nuper ardente, ita nunc facta pace, armatos conventus agitari, et urbibus ac oppidis, in quibus Proteſtantes majore numero ſunt, praeſidia nova imponi audiant; ut Dieppae, Franciſcopoli, [b] Montivillerio, Audemari-ponti, Quillebovio, Baiocaſſium civitati, Cadomi et ſimilibus: jamque voces ubique ſpargi, quamprimum Caſimirus cum exercitu auxiliati e Gallia exceſſerit, protinus arma reſumptum iri; ob idque omnia ad bellum parari: eo denique pertinere, quod in Picardia factioſorum coitionibus, quibus plerique e nobilitate longe peſſimo exemplo nomen dederint, effectum ſit, ut Condaeus praefectura ſua excludatur; et Peronae in primis, obtenta privilegiorum oppidi praerogativa, ingreſſu prohibeatur; quod idem et [c] Sanmarianus [d] Dorlani facturus jactetur: eam multorum audaciam ex illo provenire, quod edicti promulgatio multis locis minime publice facta ſit; nec in ejus verba, ſicuti illo ipſo cautum eſt, magiſtratus in curiis ſupremis et inferioribus ſubſelliis juraverint; ſed ad foedera occulta contra edictum inſtituta turpi tergiverſatione non ſolum illi, ſed et in ſanctiore regis concilio plerique proceres conniveant: proinde orare regem, ut malis ex eo provenientibus pro prudentia ſua idoneum remedium adhibeat; provideatque, ne pax tantopere expetita et ſingulari reginae ſtudio confecta perniciosis factioſorum conſiliis turbetur; curetque, quando ſua in Gallia diuturnior mora non ſolum regno, ſed ipſi ob neceſſarias plebis ruſticae vexationes moleſta et damnoſa ſit, ut ſtipendia promiſſa quamprimum repraeſententur; quibus acceptis, ſtatim cum ſuis in Germaniam ſe recipiat. Ad has expoſtulationes a rege reſponſum; viciſſim ſibi dolere, quod adeo exulceratis utrinque animis edicti executio hactenus dilata ſit: ceterum curaturum ſe, ut et de edicto ipſi et Proteſtantibus ſatiſfiat, et fides de pecunia data praeſtetur. In eam rem, dimiſſo [e] Viero, mox Pomponius [f] Bellevreus miſſus cum pecunia et ingentis pretii gemmis et obſidibus, qui Caſimiri diſceſſum ad levandam Galliam urgeret: iſque cum Caſimiro in Germaniam profectus et quaſi in triumphum ductus Heidelbergam intravit. Obſides a rege initio dati et conventi, Ivo [g] Alegrii marchio, et Franciſcus [h] Scarſius homo potens opibus invidioſis, qui Jacobum [i] Bellomontium grandiorem natu filium in ſuum locum ex Germanorum conſenſu ſubſtituit. In Alegrio majus negotium fuit; qui, cum liberos non haberet, et ſe ab hoc onere excuſaturus cognominem ſibi Ivonem Antonii [k] Milialdi fratris ante triennium a Gul. [l] Pratenſi Vitelliano occiſi filium itidem ſubſtituere voluit: verum, recuſantibus Germanis, ille, ut omnem contradicendi occaſionem praecideret, Ivonem ipſum ut nominis et inſignium ſic bonorum ſucceſſorem deſignavit, contractuque irrevocabili heredem inſtituit; quod moleſtae ac vix tandem compoſitae liti inter ipſum et Chriſtophorum gentilem proximiorem gradu agnatum exortae cauſam poſtea praebuit. Gemmae a Bellevreo in manus Friderici ſeptemviri tunc temporis adhuc ſuperſtitis conſignatae. Miſſus et eodem tempore a rege et Franciſco fratre Vidus [m] Faber Pibracius ad Carolum Lotharingiae ducem ſororium, qui ab eo utriuſque verbis peteret, id quod et impetravit, ut praeter praedes, quos rex Germanis daturus erat, ipſe Caſimiro fidejuſſor eſſet, caveretque, Iↄ aureorum CIↄ certis penſionibus ſtatiſque temporibus Francofurti numeratum iri. Per Jo. [n] Balſacum Montacutium et Condaeus privatim expoſtulaverat; et de aere alieno ac dote uxoris, quod rex

INTERPR. [a] *d'Arenes.* [b] *Montivilliers, Ponteau-de-mer, Quillebœuf, Bayeux, & Caen.* [c] *de Ste Marie.* [d] *Dourlens.* [e] *Wier.* [f] *de Bellievre.* [g] *d'Alegre.* [h] *d'Eſcars.* [i] *de Beaumont,* [k] *le ſieur de Millaud.* [l] *du Prat, baron de Viteaux.* [m] *Du Faur, ſieur de Pibrac.* [n] *de Balſac, ſieur de Montaigu.*

rex promiſerat, et per Paulum [a] Foxium virum clariſſimum ad eum nuper miſſum con- CIϽIϽLXXVI.
firmaverat, ſibi ſatisfieri, edictum ſervari, praefecturam Picardiae ſibi tradi, et de iis, HENRICUS III.
qui Peronam nuper occupaviſſent, et nunc eam contra regis voluntatem retinerent, quaeſtionem inſtitui; [b] Oſquerquium [c] Hanae, unde ſpoliatus erat, reſtitui; Metenſibus libere conveniendi facultatem concedi, et Joannis [d] Ferrerii Carnutum vicedomini tot damnis hiſce bellis affecti rationem haberi, et judices in regni curiis Proteſtantibus non ſuſpectos, ſicuti edicto cautum erat, conſtitui petebat. Ad quae rex benigne reſpondit; et facta ſpe, ut ſingulis capitibus Condaeo brevi ſatisfieret, Montacutium multis promiſſis oneratum ad Condaeum remiſit. Id actum VI Kal. Oct.

IV. INTEREA Navarrus, facta a regina ſpe adventus ſui in Aquitaniam, ut ſecum colloqueretur, et Margaritam filiam ipſius uxorem adduceret, Monferrandum uſque proceſſerat, haud longe a [e] Burdigala provinciae metropoli, periculum facturus, an ſenatus et conſules urbis, quorum magna in ea auctoritas, eum admiſſuri eſſent. Sed contra ſpem evenit: et, ſtatim tumultu excitato, ut praeverteret, et repulſae dedecus diſceſſu tegeret, [f] Aginnum retro ceſſit. Antea et, propinquante urbi Condaeo, cum [g] Neraco in [h] Santones rediret, tumultuatum in ea fuerat: quam injuriam ille pari diſſimulatione tranſegit. Sed ab eo tempore rebus ſuis conſulere ſtatuit: et, cum videret, non ſatis in [i] Cognaco et Joannis-fano oppidis mediterraneis ſecuritatis eſſe, de [k] Broagio ad mare ſito et propter ſalinas magni momenti oppido in poteſtatem redigendo cogitare coepit. Jacobus [l] Pontius Mirambellus loci dominus illum ad res multas ob ſitum opportunum jam ante XXX annos muris cinxerat, de ſuoque nomine Jacopolim dixerat; quem ob id multi ab eo, et poſtea a Franciſco ejus filio, emere voluerant. Verum Franciſcus ſe huc uſque excuſaverat, a rege per Vidum [m] Sangelaſium Lanſacum monitus, ut aut Broagium retineret, aut, ſi illud alienare decreviſſet, id ne, ſe inconſulto, faceret. Quod cum reſciviſſet Condaeus, veritus ne Mirambellus, qui ad comitia jam [n] Bloeſis indicta propediem profecturus erat, ſumptus in ea arce neceſſario faciendos gravatus, de ea vendenda cum aliquo a cauſa alieno conveniret, eum ad ſe evocatum partim precibus partim minis et vi adhibita eo adegit, ut ille neceſſitate ſibi quamvis invitus parendum exiſtimaret. Itaque inter eos conventum V Eid. Novembris, ut a Mirambello Jacopolim ad trimeſtre Condaeus, qui eo venerat, acciperet: quo elapſo, eam reſtituere teneretur, cum machinis et omni bellico inſtrumento: ſi tamen religionis cauſa poſt comitia bellum moveretur, jus eſſet Condaeo locum retinere. In has conditiones cum Condaeo tranſegit Mirambellus, non tam ſponte quam neceſſitate adactus; quippe cum, ſummiſſis Rupella et Maranenſi inſula delectis, et oppidanorum cum Condaeo conſpirantium ſavore clam admiſſis, in eo eſſet, ut, niſi pactis ſubſcripſiſſet, oppidi poſſeſſione contumelioſe exueretur: quamobrem non mediocriter Rupellanis et Maranenſibus ſemper poſtea ſuccenſuit. Ita Broagio potitus Condaeus, cum inde Rupellam ire vellet, decuriones urbis intercesſere, et miſſis literis, hoc ſtatu rerum, cum comitiis indictis in maximam quietis conſtituendae expectationem cunctorum animi erecti eſſent, quo minus quidquam facerent, quod novi motus in regis animo ſuſpicionem excitare poſſet, ſe excuſaverunt. Haec ita palam jactabantur: ſed re vera Rupellanos jam facti poenitere coeperat; qui initio veriti, ne rex Broagium tam vicinum et quaſi urbis cervicibus impoſitum, Lanſaci, qui proxima cognatione Mirambellum contingebat, interventu ab ipſo extorqueret, Condaeum ad locum in poteſtatem redigendum conſilio et auxiliis juverant; tunc vero metuebant homines libertati aſſueti, ne Condaeus eo ſucceſſu et exemplo incitatus majora in dies etiam contra ipſos auderet. Condaeus ea repulſa

maxime

INTERPR. [a] *de Foix.* [b] *Oſquerque.* [c] *Han.* [d] *de Ferrieres, vidame de Chartres.* [e] *Bourdeaux.* [f] *Agen.* [g] *Nerac.* [h] *Saintonge.* [i] *Cognac & S. Jean d'Angely.* [k] *Brouage.* [l] *de Pons, baron de Mirembeau.* [m] *S. Gelais, ſieur de Lanſac.* [n] *Blois.*

maxime exacerbatus a verbis aſperis non abſtinuit, exprobrara Rupellanis ingratitudine, qui nullam neque parentis optime de ipſis meriti, quique vitam in communi cauſa profudiſſet, neque ſui ipſius rationem habuiſſent: moxque biduo poſt Jnannis fanum conceſſit, relicto Jacopoli cum idnneo militum numero qui praeeſſet [a] Montacutio. Nec tamen ceſſabat, per emiſſarios ſuos in urbe, oppidanns prenſando et ſolicitando, ut admitteretur; quippe ad famam pertinere exiſtimans, ut bene cum Rupellanis convenite ſeque magna in auctoritate apud eos eſſe cuncti intelligerent. Itaque, dum centuriones urbis cum decurionibus altercantur, et hi a ſociis, ut aiebant, moniti, qui ingreſſum in urbem Condaci bello cauſam daturum metuebant, moras necterent, contra illi ſine manifeſta injuria Condaeo denegari non poſſe cenſerent, tandem conventu ſolemni IX Kal. Decembris decernitur, ur Condaeus admitteretur, ea lege, ut nihil faceret, quod privilegiis ipſorum derogaret, quae in eo maxime conſiſtebant, ne praefectum habere cogerentur. Secundum haec delegati [b] Odetus Nortius et Petrus [c] Bobinellus, qui Condaeo aperte favebant, ut ad eum oppidanorum nomine proficiſcerentur, et praeterita excuſarent, rogarentque, ut cum familia et numero quam poſſet minimo ad urbem accedetet. Igitur ille cum Montacutio, [d] Moio, [e] Mongomerio comite et paucis aliis Broagin ſolvens opinione citius ad urbem appulit; ubi a centurionibus primum, dein a conſulibus honorifice exceptus, poſtridie ſenatu urbis coacto longam orationem ad eos habuit, ut erat dicendi potens; cujus haec fuit ſumma: cum injuriam prohibito urbis ingreſſu acceptam libenter condonare ſe ejuſque omnem ſenſum deponere teſtaretur, tamen ſatisfactionis loco enixe petere, ut de cauſis, ob quas excluſus eſſet, coram certior fieret. Ibi praetor urbis, multa de cultu, quem ipſi exhibere tenentur, tum de concilii auctoritate praefatus, oppidanos, ut ſuum ad urbem adventum in aliud tempus differret, oraſſe dixit; non quod de ſuo erga ipſum cultu ac dignitate quidquam detractum vellent; ſed quod a [f] Pictavii, Niortii, Fontenaci, et in [g] inferinri Pictonum tegione habirantibus ſociis per literas moniti eſſent, ſi Condaeus reciperetur, fore, ut Catholici foederati inde occaſionem hoſtilia contra ipſos moliendi arriperent, ob Broagium nuper pactione in poteſtatem redactum non mediocriter irritati: ſe vero tam duris calamitatibus per prinres tumultus conflictatos, ut, obverſante ſemper earum recordatinne, ad primum belli rumuſculum cohorreſcant: itaque orare, ut omnem ejus rei memoriam ex animo deponeret, ſeque in ſuam gratiam reciperet. Tum Condaeus rurſus rogavit, an literae, quae a praetore ad ſe miſſae eſſent, populo conſulto, perſcriptae fuiſſent; ſtatimque ſublata voce cum populus, qui frequens aderat, ſe inſcio, ſctiptas acclamaſſet, ea re ſibi plene ſatisfactum exiſtimans Condaeus, laetari ſe retulit, quod quatuor aut quinque, qui Deum ultorem habituri eſſent, conſpiratione factum videret, ut, quod univerſi expetiverant, ſibi denegatum fuerit: de cetero, ſe in urbem veniſſe, ut cum ipſis de republica conſultationem inſtitueret; et tria eſſe in primis, quae deliberatinne npus habeant; Andini, quae a rege ac regina urgetur, in aulam profectinnem; reginae in Aquitaniam adventum; et Catholicorum, qui foedere inaudito ubique fidem obligare dicantur, inde apparatus bellicos, inde clandeſtinas coitiones ad diſtutbandam pacem ultimo edicto factam: et, quod ad primum ac ſecundum caput, ſibi e re videri, ut delecti ablegentur, qui apud Andinum et reginam edicti promulgarionem et executionem urgeant; ad rertium, ut contra pernicioſos factioſorum comtus contrariae vires opponantut, et renovaro arctius foedere conſilia et ſi opus fuerit arma ſocientur: interea qnaſi in excubiis ad omneis caſus parati ſedeant. Poſtridie ſeductos in ſecretum conclave decurinnes ac magiſtratus ex literis ab amicis aula miſtis de conjuratione quadam occulta eos edocet; cujus praevertendae

cauſa

INTERPR. [a] *de Montaigu.* [b] *Odet de Nort.* [c] *Bobineau.* [d] *de Mouy.* [e] *de Montgomery.* [f] *Poictiers, Niort, & Fontenay.* [g] *le bas Poictou.*

CIƆIƆLXXVI.
HENRICUS III.

cauſa praecipue ſe ad eos veniſſe demonſtrabat. Suſpecti criminis in urbe manere et nuſquam portis pedem efferre jubentur. Sed, cum illi accuſatores nominari peterent, et calumnias meras dicerent ab iis artificioſe confictas, qui urbe, quamdiu bene concors eſſet, potiri cum deſperarent, diſſenſionum ſemina inter civeis ſpargere et optimos quoſque plebi ſuſpectos reddere ac veluti canes fidos ab ovilis cuſtodia his artibus removere ſatagebant; [a] Parcella tanquam index a Condaeo nominatus eſt: cumque ille rogaretur, quae de conjuratione intellexiſſet, edere, id ſe facturum negavit, priuſquam judices legitimi conſtituerentur, qui de cauſa cognoſcerent. Tandem, cum accuſator nemo compareret, Condaeo ſuadente, ſententia lata ſuſpecti abſoluti ſunt; quae et mox publica praeconis voce per urbis plateas promulgata eſt, atque ita inter ſe purgatis ſuſpicionibus reconciliati cives, et decurionum ac centurionum ad tempus compoſitum diſſidium.

V. [a] INTER haec Eliſabetha, quanquam ad amatorias Andini literas, quae quotidie miſſitabantur, non incommode reſpondere videretur, omnem operam dabat, ut Belgium in Philippi fide maneret, ne ex religionis diſſidio Galli captata occaſione in eo pedem ponerent. Requeſene prorege mortuo, cum praedonibus infeſtum Belgicum litus Angli experirentur, [b] Batavis, Luſitanos ac Philippicos atque adeo Dunkerkanos hoſteis ſuos ab iis annonae ſubvectione juvari, conquerentibus, miſſus denuo [c] Holſtockus cum claſſe; qui CC circiter piratas cepit, et in carceres per oram maritimam dedit. Tum ad res repetendas in Zelandiam delegati ex ordine equeſtri Gul. [d] Winterus et Robertus [e] Bealus regio concilio ab epiſtolis; qui poſt longas altercationes, ipſi nimiam ſuorum in litibus aeſtimandis avaritiam deteſtati, tandem tranſegerunt. Ubi vero conſiliarios Bruxellis in cuſtodiam datos intellexit, ſtatim eo Thomam [f] Wilſonum legavit, qui repentini motus cauſas ediſceret, et Hiſpanos et Ordines ad concordiam hortaretur. Cum Ordines opem adverſus Hiſpanos perduelleis declaratos peterent, illa ſe primum excuſavit, et ſtatim Joannem [g] Smithum, [h] Seimouris arcta cognatione junctum ac proinde Edvardi VI conſobrinum, hominem ſpecie et faſtu Hiſpano in Hiſpaniam ablegavit, qui pacis in Belgio conſtituendae cum Philippo rationes iniret. Poſtea Joannes Auſtrius in Belgium venit: quo cognito, Edvardus [i] Horſeius miſſus, qui adventum ejus in provinciam gratularetur, et adverſus Gallos, ſi quid in Belgio molirentur, opem deferret. Tum Franciſco [k] Haluino Swevinghamo de pecunia clam promiſſa pro Ordinibus fidem ejus interpellanti reſponſum; parata XX CIↃ librarum Sterlinarum, ſed ea lege, ne religionem aut principem mutarent, et ſi quidem Joannes Auſtrius a pacis rationibus praefracte ſe alienum oſtenderet; nam, ſi in pacem conſentiret, pecuniam ſe tumultuanti ob non ſoluta tot menſium ſtipendia Hiſpano militi numeraturam: qua re religionem, quam profitebatur, in Belgio ſervatam quidem cupiebat, ceterum ſe a rebus noſtris prorſus averſam et ad Burgundicum foedus ſervandum erga Philippum affectam oſtendebat. Mortuo et ſub id Maximiliano Caeſare, continuo Philippum [l] Sidneium ad Rodolfum mittit, qui conceptum de patris, cum quo arctiſſimam coluerat amicitiam, obitu dolorem honorifice teſtaretur, et de rebus Belgii componendis cum novo Caeſare ageret. Quo eodem officio apud Friderici II Palatini ſeptemviri, qui nuper deceſſerat, filios in itinere defunctus eſt Sidneius; Joanne interim Caſimiro de pecunia bello Gallico nuper ab eo expenſa ſummonito, qui Gallorum aes illud alienum non ſuum eſſe reſpondit. Quia Britannica ſemel ingreſſi ſumus, his etiam Hibernica adjungemus.

Dum

VAR. LECT. [a] *Tota haec de rebus Anglicis et Hibernicis narratio per duas fere paginas continuata ſerie deducta, deeſt* D. f. d.

INTERPR. [a] *le capitaine Parcelle.* [b] *Hollandois, Portugais, & Eſpagnols.* [c] *Holſtock.* [d] *Winter.* [e] *Beal.* [f] *Wilſon.* [g] *Smith.* [h] *les Seymours.* [i] *Horſey.* [k] *de Halluin, ſieur de Swevegem.* [l] *Sidney.*

CIↃIↃLXXVI. HENRICUS III. Dum [a] Stucleius debellandae inſulae a pontifice deſtinatus fruſtra exſpectatur, ea ſpe lactati [b] Clan-Richardi filii, qui ante bimeſtre praeteritorum veniam patre annitente a prorege impetraverant, defecere denuo in praedas per [c] Connacthiam effuſi, [d] Athenria etiam, quam jam incolae inſtaurabant, incenſa, et colonis trucidatis. Adveniente dein prorege, in latebras ſe ſuas conjecere. Parens Richardus totiens pro iis antea ſupplex [e] Dublinii ob id in carcerem truditur, ſive conſiliis eorum participaſſe creditus, ſive ut indomitae audaciae hominibus ex periculo patris metus injiceretur. Verum diſceſſu proregis ſtatim e luſtris emerſere, et Balla-reogham arcem paternam, cui prorex Thomam [f] Strangium cum praeſidio impoſuerat, irrito conatu adoriuntur, [g] Mac-Williami terras ope Scotorum Hebridianorum vaſtant, et ad proregis adventum ſtatim huc illuc dilabuntur. Antea Guil. [h] Drurius, [i] Berwici quondam tribunus, tunc vero [k] Momoniae praefectus, vir bello ſtrenuus, [l] Kerriam comitatum Palatinum, in quem ob privilegia et immunitates ipſis ab Edvardo III olim conceſſas malefici omnes ſpe impunitatis tanquam in ſentinam confluxerant, vi, quando aliter non poterat, ad humaniorem cultum et obſequium adducere aggreſſus eſt: et, cum privilegiorum obtentu populares initio fremerent, ille imperioſe reſpondit, libertates ad juſtitiae cultum, non ad ſcelerum impunitatem conceſſas eſſe. Itaque armata manu regionem aggreſſus, cum inſidias a [m] Deſmonio comite, qui ſe cum ſuis oppoſuerat, poſitas prorupiſſet, et obviam horum perditorum manum aliquoties profligaſſet, eo ad extremum quietis impatientes homines armis impares adduxit, ut jure ſecum agerent; cauſati graviores exactiones, de quibus apud proregem expoſtulaverunt: et vicecomes [n] Baltinglaſſus, [o] Delvinius, Hothius, Trimleſtonius, alii e cultiore [p] Lageniae provincia nobiles, querelas ſuas junxerunt: ſed eas eluſit prorex, cum diceret, jus illud penſitationum, quae a praefectis exiguntur, tabularum antiquarum fide niti, et regiae praerogativae nomine vim tempore accepiſſe; ex eoque genere eſſe, quod, cum legibus minime adverſetur, neque legibus ſubjici debeat. Drurius tamen, hac in re durius atque adeo avare verſari creditus, cum aliquot e belli ducibus in Angliam miſiſſet, qui factum excuſarent, ii ad placandos inſulanos aliquandiu, quaſi ad rapinas regio nomine abuſi eſſent, in cuſtodia detenti, Eliſabetha crebro vetus dicterium reponente, tonderi ſuos non deglubi velle. Interea Walterus [q] Ebroicus Eſſexiae comes, quem livore [r] Leiceſtrii primo in inſulam cum vano [ſ] Hiberniae tribuni titulo miſſum, ac mox indigne revocatum diximus, in Angliam reverſus, cum res domi confuſas reperiſſet, ex dolore contabuit, non ſine ſuſpicione veneni ab amanuenſi propinati. Laetitiam Franciſci [t] Knolli filiam praeſtanti forma in matrimonio habebat; cum qua per viri abſentiam familiarius juſto verſabatur Leiceſtrius; et ſuſpicioni fidem apud multos aſtruxit, quod, Eſſexio mortuo, ſtatim eam, [u] Duglaſſia Sheffeldia, qua antea ſive uxore ſive concubina uſus fuerat, a ſe abdicata, in uxorem accepit. Anno aetatis XXXVI deceſſit Walterus, quem parens ejus minime exceſſerat, ex familia nobiliſſima ſed brevis aevi prognatus, quae vitae brevitatem virtutis gloria ſemper ſuperavit. Morti proximus aſtanteis rogavit, filium, quem decennem relinquebat, monerent, ab eo anno tanquam fatali ſibi caveret; quem tamen ille minime attigit, biennio minor e vivis ereptus. Eo ſenior ac ſeptuagenarius ſub id conceſſit Antonius [w] Cocus, olim Edvardi VI pueritiae admotus; vir priſca morum ſeveritate ac multiplici doctrina, qui longa vita et opes et dignitatem inter ſuos maximam quaeſivit, et filias Graece et Latine ſupra ſexum eruditas viris dignitate praecellentibus elocavit, Gul. [x] Cecilio

ſummo

INTERPR. [a] *Stukeley.* [b] *Clan-Richard.* [c] *Connaught.* [d] *Athenry.* [e] *Dublin.* [f] *Strange.* [g] *Mac-William Eughter.* [h] *Drury.* [i] *Berwick.* [k] *Munſter.* [l] *Kerry.* [m] *de Deſmond.* [n] *le vicomte Balſinglaſs.* [o] *les barons de Delvin, Hoth, & Trimleſton.* [p] *Lempſter.* [q] *d'Evreux comte d'Eſſex.* [r] *le comte de Leiceſter.* [ſ] *Irlande.* [t] *Knolles.* [u] *Douglaſs Sheffield, veuve de Milord Sheffield, & fille de Guillaume Howard, baron d'Effingham.* [w] *Coke.* [x] *Cecil.*

ſummo Angliae quaeſtori, Nicolao [a] Bacono magni ſigilli cuſtodi, Thomae Hobeio qui legatus apud nos obiit, Rodol. [b] Rouletto, et Henr. Killegraco.

VI. Apud nos jam dies comitiorum aderat, quae Proteſtantes et ſocii indiei poſtulaverant; quibus tamen cum viderent id agi, ut edictum nuper factum revocaretur, et Ordinum auctoritate bellum Proteſtantibus indiceretur, ipſi, quamvis legatos ad ea mitterent, tamen et ſe interim ad bellum parabant. Principium motus in [c] Septimania fuit; qui tamen ſtatim conquievit. [d] Luinius Ordinum ductor fanum [e] Spiritus ad Rhodanum praeſidio tenebat, qui, in aulam profectus et a regina, ut creditur, inductus, locum externis copiis in Provinciam introducendis opportunum ſe, ſuſpectis ejectis, occupaturum receperat. Is igitur domum reverſus, Gulielmum Momorantium [f] Thoreum cum Proteſtantibus et aliquot oppidanis de ſe expellendo conſilium iniiſſe cauſatus, ſuſpectis cuſtodes apponit; et Thoreo ipſi, quem ea re metu injecto attonitum elabi paſſus eſt: quo caſu quaſi claſſico excitati paſſim omnes per Septimaniam arma ſumunt. Damvilla, Thorei, qui ſe a Balneolium ex fuga receperat, frater, et provinciae praeſes, tunc uxorem in aula habebat, et per eam aulae blanditiis deceptam in dies per literas de egregia erga ſe regis voluntate certior fiebat: quod et certioribus pignoribus illi poſt uxoris reditum conſtare debebat. Et uxoris quidem literis fidem huc uſque habuerat: ſed, Luinii audacia perculſus, mox mutavit, cum hominem, niſi ſecreta ab aula mandata intercederent, tantum facinus auſurum minime ſibi perſuadere poſſet. Itaque ſtatim ad Navarrum dat literas; quibus de ea injuria expoſtulabat, petebatque conjunctis ſecum votis apud regem inſtarent, ut cum ejus bona gratia de Luinio et hujuſmodi quietis publicae perturbatoribus ac regiorum edictorum violatoribus meritas poenas ſumere ſibi liceret. Sed non diu in propoſito ſtetit; novis ab uxore, quae factum excuſabat, et eadem quae prius a rege magnifice pollicebatur, literis placatus. Nec multo poſt, ne ex priorum literarum occaſione res in Aquitania turbarent, ad Navarrum reſcripſit, et omnia in Septimania pacata eſſe affirmavit; nec eſſe, cur ob unius Luinii temere factum res in exemplum ab aliis trahi deberet. Crebreſcente nihilominus rei fama, paſſim in [h] Santonibus et Pictonibus ad arma utrinque conclamatum: et [i] Pontium, Roianum, Merpinum, Talamontium ad mare, Jacopolis et Maranum a Proteſtantibus protinus occupata, et praeſidio firmata; ex quibus Merpinum et Talamontium ſtatim recepta ſunt, interfecto etiam a regiis [k] Loncampio. Carolus [l] Roaldus Landereus per inferiora Pictonum diſcurrens cum ad [m] Garnachiam uſque Henricum Sabaudum Nemoroſii et Franciſcae Roanae filium compuliſſet, ad [n] Montacutium ſe recepit, ac [o] Talamontium ad Jaram novo praeſidio firmavit.

VII. Rex datis ad provincias regni literis XVII Kal. Sept. cum adhuc Lutetiae eſſet, comitia [p] Bloeſis ad medium Novembrem indixerat. Eo fere tempore Bloeſas venit, cum regina et [q] Andino fratre: de cujus in aulam adventu cum antea dubitaretur, rex prid. Non. Nov. antequam Lutetia diſcederet, diploma ad provinciarum praefectos emiſerat; quo et ſolicitum pacis conſtituendae ſtudium conteſtabatur, et ſe eo conſilio cum fratre Andino Bloeſas ad comitia regni celebranda tempore condicto profecturum denunciabat. Igitur ubi venit, ſpatio ordinum delegatis ad mandata ſua inſpicienda et inter ſe comparanda conceſſo, poſt altercationes inter eos ſubortas de ordinis in ſeſſionibus praerogativa, ac poſtea in regio conſiſtorio deciſas, ſingulis loca certa, quibus convenirent, aſſignantur. Sacer Ordo in [r] S. Salvatoris aede, nobilitas in urbis palatio, plebeius Ordo in publicis aedibus III Non. Dec. primum convenerunt.

INTERPR. [a] *Bacon, & Hobey.* [b] *Roulet, & H. Killegrew.* [c] *Languedoc.* [d] *Henré d'Albret*, dit *le capitaine Luines.* [e] *Pont S. Eſprit ſur le Rhône.* [f] *le ſieur de Thoré.* [g] *Bagnols.* [h] *Saintonge & Poictou.* [i] *Pons, Royans, Merpin, Tallemont ſur mer, Brouage, & Marans.* [k] *Lonchamp.* [l] *de Roubaud de Landereau.* [m] *Garnache.* [n] *Montaigu.* [o] *Talmond ſur le Jard.* [p] *Blois.* [q] *le duc d'Anjou.* [r] *S. Sauveur.*

CIↃIↃLXXVI. HENRICUS III. convenerunt. Dein, poſt ſupplicationes per urbem publice celebratas et jejunia indicta, ut res bene ac feliciter verteret, VIII Eid. ejuſdem menſis factum comitiorum initium loco ad id in arce parato. Rex in ſublimi loco ſub uraniſco ſedebat: ad dextram infra ipſum regina parens, et rurſus inferius Carolus cardinalis Borbonius, Franciſcus et Carolus Borbonii fratres, Ludovicus Borbonius [a] Monpenſeriae dux, et Franciſcus [b] Delfinus princeps filius, Philippus Emmanuel [c] Lotharingus Mercurii dux Aloiſiae reginae frater, Carolus Lotharingus [d] Meduanae dux, Guiſii, qui aberat, frater; et a tergo eorum Jacobus [e] Cruſſolius Uticenſium dux: ad laevam ſedebat regina uxor, et paulo infra eam Carolus [f] Scarſius Lingonum, Gabriel [g] [1] Genenſis Laoduni, [h] Nic. Fumaeus Bellovaci epiſcopi et Franciae pares: in imo pegmate erat Renatus [i] Biragus cancellarius; tranſtris infra diſpoſitis, ad dextram ſacri Ordinis delegati, ad laevam nobilitas, et infra plebeius ordo ſedebat. Tum rex orditur, oratione a Joanne [k] Morvillerio, ut creditur, compoſita; Qua de cauſa convenerint, cunctis ex regiis mandatis conſtare; et ita exiſtimare, ipſos plene a provinciis ſuis inſtructos huc acceſſiſſe: ſcire eos, quo in ſtatu ex florentiſſimo et potentiſſimo totius orbis regno res per bella civilia devenerint, ſerpente vitiorum contagio, quibus totum corpus ita exulceratum ſit, ut nullum ipſius membrum integrum aut ſanum ſuperſit, et priſtinae pietatis in Deum, juſtitiae, ſubditorum concordiae, amoris et obſervantiae in ſuum principem vix umbra extet, vix ullum uſquam appareat veſtigium: quo magis dolere vicem ſuam, facta temporum regis parentis et avi ſui comparatione, ſub quibus hae virtutes Gallorum propriae viguerunt, quae nunc prorſus in animis hominum extinctae ac penitus abolitae ſunt: eoque id gravius ſibi accedere, quod vulgus parum vere res perſpiciens calamitatum cauſas fere in principes rejiciat, et veluti in jus quaſi ſponſores eos perinique vocare ſoleat: verum ſibi ſolatii loco eſſe bonam conſcientiam: nam, quod omnes norunt, imbecillam Caroli fratris aetatem his per regnum turbis cauſam dediſſe; quas prudentia, ſolertia, patientia, quantum in ſe fuerit, optima parens diſcuſſerit, coercuerit, ac compoſuerit; non ita tamen, (nam qui fieri aliter potuit?) ut non teterrima eorum ſemina remanſerint; quibus et ipſe, quamprimum ad idoneam aetatem pervenit, pro ratione officii et obſequii, remedia quae potuit conſilio et manu attulerit, regi in bellis quae geſſit maximis inſerviens, nec periculum ullum defugiens, aut labori, moleſtiae ac ſolicitudini parcens, ut res, ſi fieri poſſet, amice, quod ſemper exoptaverit, tranſigerentur: id ſe tentaſſe ſaepius, antequam in Poloniam proficiſceretur, et poſtquam inde rediens regnum patrium crevit, omni ratione enixum eſſe: ſed contra votum accidiſſe, ut ad extrema coactus devenerit, et toties funeſtum bellorum civilium exitum expertus arma rurſus ſumpſerit, bellique ſumptibus ut ſatisfaceret, populis ditioni ſuae ſubditis, quos oneribus levatos malebat, nova vectigalia impoſuerit: id vero longe acerbiſſimum ſibi fuiſſe; ac perſaepe optaſſe, ut potius vel in flore aetatis ſibi vita praecideretur, quam eaſdem, quas puer ſub fratre puero vaſtitates vidiſſet, rex aſpicere cogeretur: verum ea fiducia ſuſtentari, non in hoc ſe ad regnum vocatum, aut capiti regiam a Deo coronam impoſitam in populi perniciem, aut tanquam irae ſuae virgam ſceptrum in manum traditum; ſed ut Dei praepotentis ad ipſius gloriam beneficiorum diſpenſator ac miniſtrator populis ditioni ſuae ſubditis eſſet: proinde teſtari, nihil aliud ſibi propoſitum, quam ſalutem publicam et regni tranquillitatem: ea propter lenitatis et pacis inter alienatos civeis conciliandae viam

INTERPR. [a] *Montpenſier.* [b] *le Prince Dauphin d'Auvergne.* [c] *de Lorraine, duc de Mercœur.* [d] *Mayenne.* [e] *de Cruſſol, duc d'Uſez.* [f] *d'Eſcars, evêque de Langres.* [g] M. Du Puy met *Du Glas, evêque de Laon.* [h] *Nicolas Fumée, evêque de Beauvais.* [i] *de Birague.* [k] *de Morvilliers.*

NOT. [1] Glaſſenſis *Put.* Mais M. Du Puy ſe trompe dans cet endroit. *Valentin Douglaſs* ne fut evêque de Laon qu'en 1581, aprés le decés de *Jean de Bours*, qui ſe trouva à ces Eſtats tenus à Blois, & ne mourut que le 22 de Juin 1580. V. l'Hiſt. Geneal. du P. Simplicien, Vol. 2. p. 116. Il faut lire *Joannes Burſius.* C.

viam ut optimam ac tutiſſimam delegiſſe; qua ſublata nihil firmum, nihil ſtabile aut fructuoſum in his comitiis decerni poſſe: id praeteritorum malorum experimento ſatis conſtare; quibus nihil aliud actum ſit, quam ut per bella civilia religio majorum paene amiſſa ſit, et regni ſtatus a fundamentis omnino convulſus: itaque omneis orare per fidem et obſequium, quo ſinguli et univerſi principi ſuo juxta Dei praeceptum obſtricti ſunt, per charitatem erga patriam, ut, omni depoſita cupiditate, alieno affectu et privatae injuriae ſenſu, in id omnes ſincera animorum conjunctione et voluntatum conſenſione incumbant, ut in remediis adinveniendis principi ſuo mutuas operas praeſtent; quibus pax aeque ſalutaris ac neceſſaria firmari, bellorum civilium ac diſſenſionum ſemina ſtirpitus evelli, mores corrupti emendari, vitia expurgari, leges in priſtinam integritatem ac dignitatem reſtitui poſſint: hoc cupere, hoc petere, hoc velle: ſic autem ſe affectum eſſe, ut, cum regium faſtigium Deo acceptum ferat, potentia ſibi cumulatiſſima divina benignitate conceſſa minime abuti velit; quippe qui ſciat, commiſſi muneris ſibi aliquando reddendam rationem: ſic vero apud animum ſuum conſtituiſſe, quod et voce regia nunc coram univerſo coetu promittat, ut, quae a ſe ſtatuta, decreta ac praeſcripta ex comitiorum ſententia fuerint, ea omnia inviolate ſerventur, nec privilegia iis derogantia aut contraria in poſterum concedantur. Perorantem regem excepit Renatus [a] Biragus cancellarius: et, poſtquam aetatem et rerum noſtrarum, quod in ſummo magiſtratu pudendum erat, ignorantiam cauſatus ſe initio excuſavit, longa nihilominus et taedioſa oratione multa de auctoritate ac potentia regis, plura de reginae cura prudentia ac ſingulari in regni per tot annos ſalute procuranda ſtudio dixit; et ad extremum cunctos ad navandam regi in communi regni cauſa operam hortatus eſt. Tum a trium Ordinum delegatis actae regi gratiae; et fidam pro ſe quiſque operam pollicitus eſt, ac ſe curaturos, ut regni voto, quantum eniti poſſent, reſponderetur. Ita facto comitiis initio, cum omneis in officio manſuros rex confideret, poſtridie occulti foederis diverſos quam putaverat affectus ſenſit. Nam, plebeio Ordine praeeunte, a delegatis decretum eſt, ut rex ante omnia rogaretur, judices daret, qui de iis, quae ab Ordinibus conjunctim aut ſeparatim proponerentur, adhibito uno ex ſingulis Ordinibus in unaquaque praefectura, cognoſcerent; liceretque illis contra judices datos, ſi qui ſuſpecti eſſent, apud regem ſupplicare: quod vero ab illis judicibus una cum delegatis Ordinum decerneretur, firmum ratumque eſſet et legis vigorem obtineret. Qua re rex aliquantum ut par erat animo perculſus triduo poſt multo magis commotus eſt, cum Petrus [b] Spinacus archiepiſcopus Lugdunenſis, ſacri Ordinis in comitiis illis praeſes, injectum ſub menſam, ad quam deliberaturus ſedebat, breviculum retulit, quo monebantur, Ut a rege impetrarent, quod concordibus Ordinum ſuffragiis decerneretur, id ratum eſſet; in quo diſſiderent, id a rege ex reginae parentis, regii ſanguinis principum, et Franciae parium, et XII Ordinum delegatorum ſententia, decideretur. Quod cum a rege miſſis e ſuo Ordine coram regina parente et Andino petiiſſet, temperate a rege reſponſum fuit; quamprimum poſtulata Ordinum ad ſe allata eſſent, ad ea ſe ex conſiliariorum ſuorum ſententia reſponſurum, et conſiliariorum nomina editurum: praeterea benigne XII ex unoquoque Ordine delegatos auditurum, ac ſuper eorum petitionibus ea decreturum, quae ſingulis et univerſis ſatisfacere deberent. Quod ad ultimum poſtulatum, ut, de quo concordibus Ordinum votis conveniſſet, id rex ratum haberet, omnino ſe facturum pernegavit; quippe qui neſciret, quid illi a ſe petituri eſſent. Id actum prid. Eid. Dec. quod, cum ad animum rex revocaſſet, qua erat ingenii ſagacitate, altius apud ſe perpendere coepit, quo novi foederis conſilia tenderent; nimirum, ut, tuendae religionis ſpecie ſumptis armis, regia majeſtas in ordinem cogeretur, et, tranſlato contra regis voluntatem

INTERPR. [a] *de Birague.* [b] *d'Eſpinac, archevêque de Lyon.*

CIↃIↃLXXVI. HENRICUS III. voluntatem in alium ſummo armorum imperio, legitimi magiſtratus anctoritas ſenſim aboleretur; quod et jam tum cum conjectaret ſagax princeps et prudentiſſimus quiſque, tum vero pernicioſi conſilii multo manifeſtius inſidiae patuere, edito ſub id tempus a Proteſtantibus ſcripto, quo mandata occulta ad pontificem continebantur ab architectis illius foederis conſarcinata.

VIII. EORUM lator erat N. David, in curia Pariſienſi advocatus, homo proſtituti pudoris ac fidei; qui malarum cauſarum fere patronus, ſicuti a curioſis obſervatum eſt, nunquam publice perotavit, quin ad mulctam damnatus ſit: quod ignominioſum in ſenatu illo et inter curiae advocatos habetur. Is aliquo damno a Proteſtantibus per bella civilia affectus, cum ab ejus perſecutione edictorum auctoritate prohiberetur, ultione ardens, cum aliud non poſſet, foederationis ſecretae auctoribus operam ſuam ultro addixit; et eodem fere tempore, quo Petrus Gondius epiſcopus Pariſienſis ad pontificem a rege legatus fuit, et ipſe Romam profectus eſt. Mandatorum autem Davidis haec ſumma erat: nihil hactenus bellis ſuperioribus aut parum in regno profectum eſſe; tantumque id actum, ut, porta licentiae ſcribendi et contra ſanctam ſedem maledicta ferendi aperta, ea libertate Sectarii confirmarentur; et plerique etiam ex iis, qui ſacra majorum ſequuntur, in contemptum et deriſionem rerum ſacrarum adducerentur: nam, cum hactenus victorias infructuoſas ignominioſa pax ipſi victori regi et eccleſiae damnoſa fere ſecuta ſit, ex eo ad ultimum cunctis conſtitiſſe, Capevingos non perinde, ut in civili regni adminiſtratione Carolovingis ſucceſſerunt, ſic benedictionis Apoſtolicae, quae Carolovingis ſolis conceſſa eſt, legitimos heredes extitiſſe: quinimo Hugonem, uſurpato temeraria audacia regno, non ſolum Caroli benedictionem violaſſe, ſed diras in caput ſuum et ſuorum accerſiviſſe, quod ipſius ſucceſſores ſemper eccleſiae refractarios et inobedienteis reddiderit, et in ejus perniciem abominandum errorem, quem Franci libertatem eccleſiae Gallicanae appellant, invexiſſe, et Albigeorum ac pauperum Lugdunenſium olim unicum perfugium, dein Lutheranorum ac nunc Calviniſtarum fuiſſe; quo minus mirandum ſit, ſi victoriae XVI abhinc annis contra Proteſtanteis partae exitu caruerint, et porro cariturae ſint, quamdiu in Capevingorum familia regnum fuerit: verum enim vero occulta Dei providentia effectum videri, ut infelici ultimae pacificationis partu legitimi principes ac veri Caroli magni ſucceſſores quaſi poſtliminio reſtituti ſint, qui omnes ad minimum uſque ſemper ſumma conſtantia in ſanctae ſedis obſequio perſeverarunt, et ſe te ipſa legitimos benedictionis Apoſtolicae heredes approbaverunt: contra, vel ipſo oculorum ſenſu conſtare, Capevingos in ſenſum reprobum incidiſſe, partim veluti attonitos ac ſtupore et bruta inertia perculſos, partim a Deo et hominibus ob ſectarium crimen damnatos, proſcriptos, et a ſancta eccleſiae communione omnino avulſos: inde eſſe, ut ad dirarum fidem faciendam plerique ex iis male nati ſint, valetudinarii fere multi in ipſo aevi flore deceſſerint, non relictis ſucceſſoribus; nec eos, qui ſuperſunt, meliori ſpe eſſe; et, ſi ſine heredibus ex ſe genitis decedant, neceſſe eſſe, ut regnum ad Sectarios devolvatur: eo magis cunctis veris Catholicis enitendum eſſe, ne tam pulchra occaſio, quam Deus in manus dat, praetermittatur, ut regnum Apoſtolica benedictione cumulatum Caroli magni poſteritati reſtituatur, quae ut ingenio ſic et corpore valet, magnis rebus et audendis et faciendis par: eos hactenus honoribus, dignitatibus ac titulis per arma auctos creviſſe; et nunc eo res deveniſſe, ut per pacem in avitam poſſeſſionem, unde injurioſe olim dejecti ſunt, conſentientibus populi ſuffragiis vocati reſtituantur: proinde dubitari non poſſe, amplas adeo conditiones ultimo edicto Sectariis, occulto coeli inſtinctu, non hominum voluntate, conceſſas eſſe; ut laus, decus et gloria hujus peſtis profligatae penes Deum ſolum ſit et ſacri ipſius vicarii benedictionem: quod ut confieri poſſit, inter foederatos conveniſſe, ut plebs

in

in urbibus per concionatores concitetur, qno libertas conveniendi Sectariis edicto conceſſa prohibeatur. Rex interea rogabitur, ut ad motus illos conniveat, earumque rerum omnem curam in Guiſium clam transferat; qui diſſimulatione regis audacior redditus occulta foedera cum nobilitate et urbibus icet, eoſque ſolemni ſacramento in verba ſua adiget, ita ut nullum alium, quam ſe, foederis ducem porro ſint agnituri. Curabit Guiſius, ut curiones in urbibus et in agro matriculam eorum, qui arma ferre poterunt, conſcribant, eamque ad ipſum mittant; qui viciſſim centuriones clam mittet, iis praefuturos, qui et a ſacerdotibus in confeſſionis arcano religionis tuendae praetextu admonebuntur, quibus armis uti et quid facere oporteat. Interea indicentur comitia, fovea a Proteſtantibus effoſſa, et in quam primi ipſi praecipitaturi ſunt: rexqne per provincias mandabit, ut viri majorum religioni addicti cum plenis ea de re mandatis delegentur: idque per eos diligenter curabitur, qni circa regem ſunt, quoſque pontifex et ſibi et regi Catholico addictos cognovit. Diverſa parte, regina ad filium juniorem perditum et erronem contendet, eique perſuadebit, nt regem ad comitia iturum comitetur: dabitque operam, ut Navarrus et Condaeus eodem a rege invitati veniant; niſi pareant, tanquam rebelles et contumaces Ordinum decreto pronuncientur. Et, nt omne dubium et ſcrupulus iis adimatur, ex compacto Guiſius et fratres ejus quaſi male a rege habiti aula abſtinebunt; et rex, iis Lutetiae relictis, [a] Bloeſas locum tuti acceſſus proficiſcetur: quo ad eum [b] Andinus frater veniet, et peramantet ab ipſo ac omni benevolentise ſignificatione accipietur. Appetente comitiorum tempore, delectos ex ſuis centuriones habebunt; ex iiſque eum numerum ſeponent, quem ſacri foederis princeps decreverit, qui loco et tempore, quo jubebitur, ſe ſiſtent. Ubi Ordines Bloeſis convenerint, ante omnia jurejurando tam caput quam ſingula membra adigentur, ea religioſe ſervare, quae ob Ordinibus decernentur: adigentur et civitatum collegia et univerſitates in eorum executionem ſumptus neceſſarios ſuppeditare. Quae omnia pontifex auctoritate Apoſtolica, Pragmaticae ſanctionis inter ſacram ſedem et regnum conventae forma, ſicuti olim in Concordatis uſurpatum fuit, ut confirmet, enixe rogabitur. Tum, ad exſtirpandam Capeti gentem, et Capevingorum deſtitutionem Ordinum auctoritati ſubjiciendam, ſicuti olim illis juris fuit, in iiſdem comitiis decernetur, ut, ſi quis ex regia ſtirpe princeps, nobilis aut alius decretis Ordinum contra Ire auſus fuerit, princeps quidem jure in regnum ſuccedendi excidat, nobiles et alii honoribus et dignitatibus priventur et capite plectantur, bonis ipſorum fiſco addictis, et in executionis ſumptus impendendis: qui ſi capi non poterunt, effigies eorum patibulis affigantur, praemio iis, qni contumaces apprehenderint, propoſito. Quibus confectis, Ordines obſequii et fidei jusjurandum, quod B. Petri ſucceſſori debent, renovabunt; ac publice profitebuntur, in doctrina concilio Tridentino comprehenſa vivere et mori paratos, eique ſubſcribent, revocatis ac reſciſſis quibuſcunque edictis concilio contrariis; et confirmatis, ac in poſterum ſervari juſſis iis, quae a regis majoribus ad extirpandum ſectarium virus promulgata ſunt. Ita rex, contra fidem edictis a ſe in gratiam Proteſtantium factis interpoſitam, reſtituetur, tempore illis praefinito, intra quod a magiſtratu eccleſiaſtico abſolutionem petere, et a principe delictorum veniam impetrare, tenebuntur. Et, quia ob quarundam provinciarum rebellionem armis opus erit, ſupplicabunt regi Ordines, eum virum bello praeficiat, qui uſu rerum perſpectus et corpore et ingenio validus tantae moli par ex ſeipſo conſilium capere poſſit, nec unquam aut nlla in re amicitia, ſocietate, aut alia voluntatum communicatione cum Sectariis participaverit. Rogabitur inſuper rex, ut ea praefectura Guiſium decorare dignetur, tantae dignitati et curae parem. Dein regis frater et criminis a ſe admiſſi admonebitur, cur relicto fratre ſe ad Sectariorum

CIↃIↃLXXVI.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Blois.* [b] *le duc d'Anjou.*

CIↃIↃLXXVI. Sectariorum partes applicuit, et bello illato edictum in perduellium favorem ab ipſo
HENRICUS III. vi extorſit : quod crimen cum non ſolum regem ſed Deum ipſum reſpiciat, cujuſque proinde gratiam rex facere non poſſit, auctoritatem ſuam interponent Ordines, ut rex det judices, qui de crimine cognoſcant, ſicuti nuper rex Catholicus in proprii filii cauſa fecerit. Eodem, quo haec decernentur, die, copiae illae clam conſcriptae in armis apparebunt, et aliae etiam externae, quibus et decreta executioni demandari et regis frater cum complicibus ſuis in carcerem trudi poſſint. Guiſius tam potenti exercitu ſubnixus provincias rebelleis vi aut occultis conſiliis et aſtu ſub jugum mittet, et, vaſtatis circum agris, extructiſque ad loca idonea propugnaculis, urbes munitas ad deditionem compellet, non conſumpto inutiliter tempore : quo errore in Rupellae obſidione peccatum fuit. Tandem Guiſius plena victoria potitus, et conciliata ſibi populorum et nobilitatis gratia, et per eam aperto libero ad urbes acceſſu, in regis fratrem et complices ejus animadverti mandabit; et ad extremum, ex ſententia et permiſſu pontificis, regem, ſicuti Pipinus olim Childericum, in monaſterium includet; unitoque cum benedictione Apoſtolica ſceptro efficiet, ut Ordines ſe ſanctae ſedi ſubjiciant, abolitis ſine conditione et modo eccleſiae Gallicanae privilegiis ac libertatibus; quod ſe ante omnia facturum fide ſacramento adacta pollicebitur. Apoſtolicae benedictionis his mandatis toties repetita mentio, ex veteris aegroti ſomnio originem habuiſſe dicitur; hoc eſt, ex epiſtola Stephani II papae, a Reginone Prumienſi abbate in chronicis commemorata ſub anno ſalutis IↃCCLIII; qua ille, cum in Galliam veniſſet auxilium contra Aiſtulfum Longobardorum regem a Pipino petiturus, periculoſo morbo, ſive dum vigilaret delirans, ſive dum quieſceret ſomnians, viſos ſibi dicit in [a] Dionyſii fano ſanctos Petrum et Paulum, qui coram ipſo B. Dionyſio ipſum contactu ſanaverunt; quorum monitu cum altare conſecraret, inter ſacrificii oblationem Pipinum et duos ejus filios Carolum et Carolomanum in reges unxiſſe, nec non et Bertrandam ejus conjugem Spiritus Sancti gratia conſignaviſſe; tum Francorum proceres Apoſtolica benedictione ſanctificatos auctoritate S. Petri ſibi a Chriſto tradita fidem obligaſſe, ut nunquam de altera ſtirpe deinceps ipſi vel ex progenie eorum deſcendentes regem ſibi conſtituerent, niſi de illorum ſanguine, quos divina providentia ad fidem Apoſtolicam tuendam elegiſſet, et per S. Petri vicarium in ſublimitatem regiam coeleſti unctione conſecrare dignata eſſet. Quod idem a Sigiberto proditur: qui et ſcribit, omnem alienigenam a regni Franco-gallici invaſione Apoſtolico anathemate interdictum eſſe. Cum David is, quem dixi, Romam perlatis ad Nicolaum [b] Pelleveum cardinalem Lotharingicae factionis anteſignanum mandatis, rediens in itinere deceſſiſſet, ea in manus Proteſtantium neſcio quo caſu devenere, mox ab ipſis publicata. Sed vigente adhuc, quo rex Lotharingos proſecutus ſemper fuerat, amoris ſenſu, et inſito Proteſtantium odio, effectum eſt, ut initio fides iis, propter rei atrocitatem, habita non fuerit: verum poſtea, iiſdem in Hiſpaniam miſſis, ut cum Philippo communicarentur, Joannes [c] Vivonus Sangoartius, qui regis oratorem iſtic agebat, vir ſupra natalium ſplendorem virtute bellica et fide erga regem inſignis, et alioqui maxime omnium a Proteſtantium partibus alienus, exemplum eorum nactus ſtatim ad regem perferendum curavit; ut mihi ipſe poſtea narravit : quod regem poſtremo, ſi non ad abolendum omnino foedus, et auctores ejus pro merito caſtigandos, certe ad illud eludendum et labefactandum in praeſens perpulit, regina parente minime contradicente; quae nimiam Lotharingorum potentiam olim experta, quamvis eorum opera tunc uti decreviſſet, tamen hoc rerum ſtatu refraenandam cenſuit.

IX. QUA in re Joannis Morvillerii conſilium ſecuta eſt, hominis molli ac [a] cautiore prudentia praediti; qui, cum negotium de religione majorum inſtauranda in comitiis

VAR. LECT. [a] meticuloſa prudentia *MS. Samm.*
INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *de Pellevé.* [c] *de Vivonne, ſieur de S. Goart.*

comitiis calere intelligeret, foedus, quod ad eam conſtituendam in ſpeciem initum CIƆIƆLXXVI.
videbatur, omnino damnari, et in ejus auctores, ut laeſae majeſtatis reos, animadverti, HENRICUS III.
minus tutum exiſtimabat. Itaque rex, cum nec foedus omnino abolere, nec a Sangoartio tanto viro et extra omnem ſuſpicionem poſito monitus, periculum, quod ex eo impendebat, negligere vellet, mediam viam ex Morvillerii ſententia inſtitit, et principatum foederis, quod conjurati in Guiſium transferre ſatagebant, ſibi ſumpſit; ac per Carolum [a] Meduanae ducem, qui per Guiſii fratris abſentiam comitiis intererat, cum Ordinibus agit, ut id ab omnibus reciperetur; legibuſque perſcriptis ipſe ſubſcripſit, et poſt eum proceres; miſſoque ejus Lutetjam et in Burgundiam exemplo, cum literis ſigillaritiis, ut idem cuncti facerent, mandavit.

X. INTEREA, XVIII Kal. Jan. referente Petro [b] Verſorio, in comitiis caput de religione agitatum fuit; decretumque, ut ad unitatem Catholicae Apoſtolicae Romanae religionis omnes regiae ditioni ſubditi populi revocarentur, initio addita clauſula, dum id citra bellum et publicae quietis perturbationem fieret: ſed poſtea tenuit, ut nulla conditione appoſita id quavis ratione fieret. Quo audito, Joannes [c] Bodinus, ſcriptis ad poſteritatem victuris ſatis clarus, et qui pro plebeio Ordine [d] Veromanduorum praefecturae nomine, quae ſecundum Pariſienſem regni primaria eſt, comitiis intererat, exclamavit, ea petitione violari edicta, et violatis edictis ad arma regno toties funeſta neceſſario conclamari: quae libera vox illi magnam invidiam conflavit. Itaque, cum videret homo futuri providus, conjuratione facta, eo animos inclinare, et fatali regis ac conſiliariorum ejus caecitate effici, ut ab illis, qui prohibere poterant, praepoſtera prudentia in ea re diſſimularetur, hujuſmodi publicis ſibi pernicioſis et in publicum nihil profuturis admonitionibus deinceps abſtinuit. Poſtridie [e] Durocortoro Rhemorum, Catalauno, et Auguſta Sueſſionum, quae urbes praefectura Veromanduorum continentur, homines a factioſis ſubornati venere, qui Bodinum contra mandata ſua interceſſiſſe dicerent: quibus in conſiſtorio regio auditis, nihilominus pronunciatum eſt, Bodinum nihil niſi recte feciſſe.

XI. SEQUENTI die, a Navarro [f] Sangeneſius et Calvinus Aquenſis, a Condaeo [g] Ladiſlaus Vicinus Popellinerius cum quibuſdam paſtoribus venerunt, in perendinum, ut audirentur, remiſſi: quod illi a Fr. [h] Pontio Mirambello perſuaſi facere ſuperſederunt, ne Ordinum, poſt animi motum declaratum, conventus approbare viderentur. His mandatum erat, ut in conventu intercederent, et, fide edictorum appellata, de comitiis, ut vitio indictis et celebratis, proteſtarentur: quod et ſcriptis editis praeſtiterunt. Interceſſit et Mirambellus a Santonica nobilitate delegatus. Verum is, ſuperante factione, a [i] Miſerio, duas religiones in eodem regno citra bellum internecinum tolerari non poſſe dictitante, exploſus eſt. Eodem quo delegati admitti debebant die admiſſus eſt in comitiis Dominicanus quidam, qui ſupplici libello porrecto petebat, ut mendicantium Ordinibus juxta concilium Tridentinum bona ſoli et mobilia poſſidere jus eſſet. Poſtea more inſolito admiſſi ſunt ſcholarum [k] Pariſienſis, Pictavienſis et Aurelianenſis delegati, qui caput de religione urgerent. Quod eo die ad extremum vincente ſuffragiorum numero obtinuit, his conditionibus, ut id meliore ac ſanctiore via et modo, quibus poſſet, fieret, et, omni alterius religionis uſu interdicto, paſtores, diaconi et ephori regno intra tempus a rege praeſcribendum faceſſerent, revocatis in eorum gratiam edictis in contrarium factis: rex interim rogaretur, ut Proteſtantium, excluſis ab hac gratia paſtoribus, diaconis et ephoris, patrocinium ſuſciperet, donec Catholicae religioni nomen dediſſent. Decretum factum, conſentientibus

INTERPR. [a] *de Mayenne.* [b] *Verſoris.* [c] *Bodin.* [d] *du Vermandois.* [e] *Reims, Chaalons, & Soiſſons.* [f] *de S. Genys, & Chauvin ſieur des Aguis.* [g] *Lancelot Voiſin, ſieur de la Popeliniere.* [h] *Pons de Mirembeau.* [i] *Miſſery.* [k] *Univerſités de Paris, Poictiers, & Orleans.*

CIƆIƆLXXVI. HENRICUS III. coofentientibus praefecturarum Inſulae Franciae, Normaniae, [a] Campaniae, Septimaniae, Aurelianenſis, Picardiae et Provioeiae votis: contra Burgundiae, [b] Britanniae, Aquitaniae, Lugdunenſis ac Delfinatus praefecturae petebant, ut unio illa valeret, hac conditione appoſita, dummodo ea citra bellum et pacata via fieret: ſed nihil impetrari potuit, quantumvis quiritantibus Aquitaniae delegatis; ad quos ſub id tempus allatum erat, ad famam hujus decreti Proteſtanteis quaedam oppida et arces in his provinciis occupaſſe: quorum querelae ad regem remiſſae ſunt.

XII. REX vero, quem belli oeceſſario ex eo decreto ſecuturi jam poeniteret, eum tamen, ſi contra dectetum iret, invidiam non minus quam bellum ipſum periculoſam in ſe recaſuram provideret, ut tantulam moram conſiliis temere captis interponeret, Ordinibus auctor fuit, ut ad Navarrum, Condaeum et Henricum Momorantium Damvillam e ſuo numero legatos mittereot, qui eos ad parendum comitiorum decreto, citra armorum regno pariter et ipſis exitialium neceſſitatem, quibus poſſent rationibus inducerent. Igitur, confecta in eam rem a ſacro Ordine mandata, Arnoldi [c] Pontaci epiſcopi Vaſatenſis praecipue opera, quae, contumelioſis et acerbioribus verbis, ex oobilitatis et plebis ſenteotia, aut ſublatis aut aliquantum mitigatis, non citra con-
CIƆIƆLXXVII. tentionem, temperata ſuot. Delecti Petrus [d] Villarius archiepiſcopus Viennenſis, Andreas [e] Borbonius Rubempratus et [f] Menagerus quaeſtor, qui ad Navarrum mitterentur. Cumque Joannes Bodious ab [g] Auguſtodunenſi epiſeopo rogaretur, ut plebeii Ordinis nomine ſecum et cum [h] Monmorino ad Coodaeum proficiſci vellet, ille et aſperam hyemis jam inclinata aetate tempeſtatem cauſatus, cum praeterea ſe minus huic oneri idoneum diceret, quod pacis tuendae ab initio auctor ex eo in multorum ſuſpicionem ioeidiſſet, tandem ſe excuſavit; et in ejus locum Petrus [i] Ratus Pictavii praetor ſuffectus eſt. Ad Damvillam denique delegati [k 1] Nectarius Anicienſis epiſcopus ex Seoetaria familia, homo Damvillae non ingratus, Reoatus [l] Rupiſortius, et Tolcus: qui omoes, petito a rege et Ordinibus commeatu, deducente eos Birooo, VIII Eid. Jan. io viam ſe dederunt.

XIII. ANTE eorum profectiooem rex, quamvis odio Proteſtantium facile in poſtulata de religione prooo favore propenderet, tamen minime ignarus malorum, quae revocato edicto et accenſo ſemel bello ſecutura eſſent, praecipuorum conſiliariorum ſententias exquirere voluit, ut vadeis tam perieuloſi et alieno tempore ſuſcepti conſilii haberet. Sententiae ſcripto traditae; quarum autographa penes me diu habui. His conſiliarii fere illi et Ordinum petitionem ut jam conceſſam miris laudibus extollebant, (nam invidiae plenum erat et alioqui infructuoſum contradicere) et de ratiooe belli gerendi diſſerebant. Id facere juſſi regina parens, Andinus frater, qui tamen ſcripto mioime ſubſcripſit, cardinalis Borbonius, [m] Monpeoſetius, [n] Delfinus, Ludovicus cardinalis Guiſius, Heoricus et Carolus Lothariogi fratres [o] Guiſae et Meduanae duces, Jacobus [p] Cruſſolius Uticenſium dux, Arturus [q] Coſſaeus equitum tribunus, Armanus Guntaldus Bironus, Fraoeiſcus [r] Regius Chavignius, Franciſcus [ſ] Balma Suſae comes, Joannes [t] Leomontius Pigallarius, Franciſcus [u] Chabotius Briooius, Claudius [w] Villoclarus, Laurentius Maugironus, Jo. Eberardus [x] Sanſulpitius, Ludovicus [y] Sangelaſius Lanſacus, Renatus Biragus cancellarius, Joannes Morvillerius, Sebaſtianus [z] Albaſpineus epiſcopus Lemovieum, qui mox aula motus eſt, Philippus Lenuneurius,

INTERPR. [a] *Champagne, Languedoc, Orleannois, Picardie, & Provence.* [b] *Bretagne, Guienne, Lyonnois, & Dauphiné.* [c] *Pontac, evêque de Bazas.* [d] *de Villars, archevêque de Vienne.* [e] *de Bourbon, ſieur de Rubenpré.* [f] *Meſnager.* [g] *d'Autun.* [h] *Montmorin.* [i] *Rat.* [k] *Antoine de S. Nectaire, ou Senecterre, evêque du Puy.* [l] *de Rochefort, & de Telé.* [m] *le duc de Monpenſier.* [n] *le Prince Dauphin d'Auvergne.* [o] *de Guiſe & de Mayenne.* [p] *de Cruſſol, duc d'Uſez.* [q] *le mareſchal de Coſſé, & Armand de Gontaut de Biron.* [r] *le Roy, ſieur de Chaviguy.* [ſ] *de la Baume, comte de Suze.* [t] *de Leomont de Puygaillard.* [u] *de Chabot, ſieur de Brion.* [w] *de Villequier.* [x] *de S Sulpice.* [y] *de S. Gelais, ſieur de Lanſac.* [z] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.*

NOT. [1] *dele* Nectarius, *lege* Antonius. *C.*

[a]Lenuncurius, Philippus [b]Huraltus Cevernius, Pomponius Bellevreus. Lotharingi rem non tam laudabant quam urgebant; et, ut rex non ſolum ſtipendiariis ſuis, ſed etiam clandeſtinis illis delectibus, quos ſocialeis vulgo vocabant, ad id bellum uteretur, ſuadebant: quod et regina probabat; ex cujus conſilio datum Birono negotium ad alliciendum in aulam Navarrum, proficiſcenti, ut Catharinam ipſius ſororem officioſe inviſeret, et ſpem per ſe credulae, ut rebatur, virgini injiceret, ſi in aulam veniret, fore, ut de nuptiis ejus cum Andino convenire poſſet.

CIƆIƆLXXVII.
HENRICUS III.

XIV. TUNC rex a Guiſianis ſibi primum metuere coepit, ut qui ad otium et vitam ſolutam toto affectu propendens hominum generoſorum ambitionem ac immodica conſilia ſuſpecta haberet. Jam a multo tempore ſibi notaviſſe videbatur, eos multiplicatis titulis ac dignitatibus id affectare, ut controverſiae de dignitate regii ſanguinis principibus movendae occaſionem arriperent: idque Guiſium nuper in inauguratione ſua [c]Durocortori Remorum feciſſe meminerat, Monpenſerio, qui Catharinam Guiſii ſororem in matrimonio habebat, urbe ob id diſcedendi neceſſitate injecta. Itaque, quo eorum potentia infracta etiam conſilia diſturbaret, edictum anno exeunte condit; quo ſancitur, ut conſanguinei principes Franciae pares ceteros, quantumvis dignitatis anteriores praerogativa aut alio titulo nitantur, ubique in regum inaugurationibus, in ſupremis regni curiis, conventibus, locis ac ceremoniis publicis, praecedant; idque fixum ac ratum ſit in poſterum. Quod edictum mox magno conſenſu in ſenatu VI Eid. Jan. promulgatum fuit.

XV. INTEREA auditus in comitiis Antonius [d]Nicolaius rationalium camerae primarius praeſes; qui, ut erat egregie in ea re inſtructus, multa de aerario regio, aere alieno ob regni neceſſitates contracto et ejus anguſtia praefatus, cum fidem dictorum per commentarios, quos attulerat, non faceret, delecti ſunt ex ſingulis Ordinibus, qui cum eo agerent, et plenius de aerario cognoſcerent. Urgebant epiſcopi et archiepiſcopi, qui aderant, ut ſynodus Tridentina abſolute promulgaretur: nec abnuebant initio cathedralium collegiorum decani, multa, quantum ad doctrinam et diſciplinam, praeclare de ea praefati; ſed poſtea, ut a juriſdictione epiſcoporum eximerentur, et privilegia ac immunitates eccleſiae Gallicanae a regibus ac ſancta ſede conceſſae et confirmatae ſervarentur, petierunt; ob idque, quo minus in promulgationem conſentirent, ſe excuſabant, nec aliter ſe aſſenſuros, quam hac conditione, oſtendebant. Cum nihilominus urgerent praeſules, et conditionem omnem, ac clauſulam non aliter, rejicerent; tandem illi, facto a Burgundicae provinciae delegatis initio, quos deinde Picardiae, Pictonum et Santonum delegati ſecuti ſunt, ſemel atque iterum intercesſerunt x Kal. Jan. ſibique apud regiam majeſtatem amplius ea de re agendi poteſtatem concedi, inſuper et publicum documentum, quod poſtea paſſim publicatum eſt, ab Ordinis ſacri amanuenſi, magna epiſcoporum atque adeo pontificis offenſione, confici poſtularunt. Dum poſtulata delegati Ordinum, ſicuti juſſi erant, compilarent, Bodinus, animadverſo inter jus dicendum falſi crimen in Gallia frequens eſſe, ut obviam falſariis iretur, petiit, et tenuit, ut apparitores et notarii publici in contractibus non ſolum diem ſed horam apponerent, aut ſaltem mentionem facerent, an ante meridiem aut poſt meridiem partes conveniſſent; in teſtamentis vero, noctu an interdiu ſubſignata eſſent. Incidit et tunc res, ex qua non parum invidiae regi conflatum eſt. Petrus [e]Daneſius, [α]olim Franciſci II praeceptor, et ob id [f]Vaurenſi epiſcopatu donatus, homo doctiſſimus, et qui, quanquam nullis editis ſcriptis, meruit, ut inter doctrina et literis politioribus praeſtanteis hujus aevi viros numeretur, cum ad eam

aetatem

VAR. LECT. [α] olim linguae Graecae, Franciſco I rege, profeſſor, et poſtea Franciſci II praeceptor *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Lenoncourt.* [b] *Hurault de Chiverny.* [c] *Reims.* [d] *Nicolai, premier preſident de l. chambre des comptes.* [e] *Danés.* [f] *de Lavaur.*

CIƆIƆLXXVII.

HENRICUS III.

aetatem deveniſſet, ut rebus ſuis ſupereſſe non poſſet, a Gilberto Genebrardo theologo et regio literarum Hebraicarum profeſſore, homine multijugae [α] eruditionis, perſuaſus, per Joannem [a] Alibosium Auguſtodunenſem epiſcopum a plebeio Ordine petierat, partes ſuas interponeret, et regem oraret, ut epiſcopatum, quem ſe ejerare paratum oſtendebat, in Genebrardum optime de republica literaria et voce et ſcriptis meritum conferret, quem in Vidi [b] Fabri Pibracii gratiam ipſius fratri a rege deſtinatum conſtabat. Verum plebeius Ordo ſe excuſavit, poſtulatis ſuis, quantum ad electiones et nominationes epiſcopatuum ſpectaret, plene ſatisfactum cauſatus. Inde de equitatus Gallici, qui fere nobilitate conſtat, ſtipendiis et vectigali peculiari ob eam rem imponi ſolito multum ac diu altercatum fuit. Tandem, inſtante rege, dum coacervandis poſtulatis incumbitur, ſinguli Ordines ante regem eodem in illa arcis aula ad id inſtructa convenerunt XVI Kal. Februarii: et pro ſacro Ordine [β] archiepiſcopus Lugdunenſis, homo vehementi eloquentia, orationem habuit; pro nobilitate Claudius [c] Bellofremontius Seneſcaecus; pro plebeio ordine Petrus [d] Verſorius, celeberrimus cauſarum in foro Pariſienſi patronus, majoremque inde famam, quam ex illa actione, quae minime expectationi reſpondit, conſecutus. Summa orationum fuit, in quibus facile palmam tulit Lugdunenſis, ut regem ad religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam, omni alia rejecta et interdicta, conſtituendam, ad rerum ſacrarum diſpenſationem ordinandam, aerarium a rapinis vindicandum, jus aequabile inter ſuae ditioni ſubditos populos dicendum, hortarentur. Ad quas rex paucis reſpondit: et ſibi pergratum dixit, quod univerſi in iis, quae ad religionem et verum Dei cultum ſpectarent, tam pia conſenſione convenirent: de cetero ſe curaturum, ut ad poſtulata et querelas, te cum conſiliariis ſuis communicata, abunde et juxta ipſorum votum ſatisfaceret: porro jubere, ne quis ante peracta comitia et niſi accepto a rege commeatu inde diſcederet. Ab eo tempore omnis de aerario, ſed confuſa, deliberatio fuit, cum archiepiſcopus, homo ambitioſus, ex vectigalibus Pariſienſi aedilium collegio oppigneratis, ratione diligenter inita, et privatorum contractibus exacte penſitatis, amplius VII myriadas decidi poſſe affirmaret, ad aerarium ſupplendum ſufſecturas. Propoſitae et a [e] Jouleto, Ponceto et Bordio, ingenioſis novorum onerum in aulicorum gratiam redemptoribus, rationes ad augendum aerarium; ut videlicet, abolitis tributis et vectigalibus antiquis, XV myriades in ſingulos focos imperarentur; ita ut maxima cujuſque penſitatio L libras Francicas non excederet, minima infra XII denarios non eſſet. Quod hominum famelicorum commentum, poſtquam variis ac ſaepius repetitis deliberationibus excuſſum fuit, tanquam fraudulentum omnino exploſum eſt. Petitum et ab Ordinibus, ut rex, quod non mediocriter ejus animum pupugit, ſacrum conſiſtorium recenſeret, et reſecto immani illo numero ad XXIV eum contraheret, in illo minime comprehenſis principibus et coronae officialibus, quos vocant: quod a Lugdunenſi archiepiſcopo factum, qui ex privato ea ratione ad honores ſibi viam ſtruebat. Viciſſim petitae a rege II myriades in belli ex decreto de religione neceſſario ſecuturi ſumptus; idque per cancellarium actum VII Kal. Febr. praeſentibus cardinali Borbonio, qui et orationem in laudem decreti habuit, Ludovico Gonzaga [f] Nivernii duce, et Joanne [g] Morvillerio. Poſtea extremo Januario, ut dignatione perſonae petitio eadem, quae huc uſque variis impedimentis et dilationibus cluſa fuerat, adjuvaretur, Andinus regis frater, comitantibus eum Nivernii et [h] Meduanae ducibus, per Jo. Morvillerium Ordines allocutus eſt: quem Joſephus [i] Aemarus Burdigalenſis praeſes praemeditata in comitiis ante reſponſione excepit; et his

rationibus

VAR. LECT. [α] eruditionis, ſed malignae mentis et parum ſinceri ingenii, perſuaſus *MS. Samm.* [β] Petrus Spinacus archiepiſcopus *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *d'Alibout, evêque d'Autun.* [b] *Du Faur, ſieur de Pibrac.* [c] *de Beaufrement, ſieur de Seneſçay.* [d] *Verſoris.* [e] *Joulet, Poncet, & la Borde.* [f] *Nevers.* [g] *de Morvilliers.* [h] *Mayenne.* [i] *Hemart, préſident de Bourdeaux.*

rationibus Ordines excuſavit: quod duabus de cauſis ad comitia evocati eſſent: pri- CIↃIↃLXXVII.
mum, ut querelas provinciarum ſuarum ad regem deferrent; dein, ut de aerarii grandi HENRICUS III.
aere alieno levandi rationibus in commune conſultarent: nullum vero delegatos de II, quae petantur, myriadibus mandatum habere; nec videre, cur in belli ſumptus id petatur: nam decretum de religione cum ea clauſula factum, Dum id citra publicae tranquillitatis perturbationem fieret, quod ex actis plebeii Ordinis conſtitutum ſit, quae in eam rem mox exſcripta ſunt. Tamen auctoritas Andini tenuit, ut de eo amplius deliberaretur. Demum prid. Non. Febr. in comitiis conſtitutum fuit, ut poſtulatorum collectio ab amanuenſi et duobus aſſeſſoribus ſubſcripta a tertii Ordinis praeſide cum uno ex quacunque praefectura delegato ad regem perferretur, coram ſacro Ordine et nobilitate; regique Ordinum nomine ſupplicaretur, ut quamprimum de iis decerneret, minime petita diſcedendi ad praeſens copia, ne inde occaſio delegatos re infecta dimittendi arriperetur. Biduo poſt petitio de recenſendo conſiſtorio repetita eſt; et ſupplex libellus conſcriptus, quo rex rogabatur, ſenatum ad XXIV numerum contrahere, qui nec de ſectario veneno ſuſpecti eſſent, nec foederatis, qui contra regem arma ſumpſerant, ulla in re adhaeſiſſent, et ex ſingulis praefecturis unus in ſenatum legeretur: item, ut injungeretur quatuorviris ab epiſtolis, ne quem ea lue infectum amanuenſem haberent.

XVI. CUM in comitiis decretum eſſet, et vero ſumme regi placeret, nullam aliam praeter majorum religionem in regno deinceps tolerari, magna et inſuperabilis difficultas in [a] Septimania occurrebat, in qua nimium quam multi Proteſtantes erant, quos a Damvilla, licet alioqui ab eorum doctrina maxime alieno, ob arctam cum Navarro, Condaeo, Caſtellionaeo aliiſque ei Sectae addictis primariis viris, neceſſitudinem et conſiliorum ac fortunarum conjunctionem, manifeſto favore ſublevari eriminabantur aemuli; ac proinde malum, quod ab ampliſſima provincia in alias derivabatur, quamdin ille Septimaniae praeeſſet, exſtirpari aut prohiberi non poſſe. Igitur eum eo agi coeptum; et per Rizzam [b] Maſſiliae vicarium regis juſſu propoſitae initio hae conditiones: ut Damvilla, abdicata a ſe Septimaniae praefectura, et traditis Gulielmo Ioüſae vicecomiti legato, quae in ea tenebat, locis, compenſationis loco Saluciarum principatum ad vitam acciperet cum vectigalibus omnibus, et idoneo praeſidio, cui ex regio aerario ſtipendium procederet. Poſtea adjectum, quo Damvilla magis permoveretur, ut non ad vitam, ſed hereditario jure tanquam regni beneficiarius, principatum illum poſſideret: eaque de re inſtrumentum menſe Martio confectum; quo legi regni patrimonium regium alienari prohibenti, [c] ſanctionique Molinii ante XI annos ea de re in publico delegatorum regni conventu factae, derogabatur, addito diplomate, quo Carolus [d] Biragus, qui regiae trans Alpeis ditioni cum ſummo imperio praeerat, provinciam Rogerio [e] Bellogardio equitum tribuno, cui rei exequendae negotium commiſſum erat, tradere jubebatur. Sed, cum Damvilla ad dignitatem ſuam pertinere diceret, ne prius e Septimania decederet, quam de injuria ſibi a [f] Luinio ordinum ductore illata, quam paulo ante remiſiſſe videbatur, ſatisfactum eſſet, ſubortis poſt alias aliis difficultatibus, res exitu caruit.

XVII. JAM omnia in [g] Santonibus, Aginnenſi agro et Vaſconia in armis erant, cum delegati ad Navarrum et Condaeum profecti ſunt. Et initio quidem anni [h] Joan. Fabatus, ſtrenuus militiae dux et bellis Turcicis a pucro innutritus, Coſſionem [i] [α] Vaſatum ex ea occaſione interceperat, ac diripuerat. Is, majorum religionem ſemper ante

VAR. LECT. [α] Vaſatum, in Novempopulonia civitatem, ex privatae rixae occaſione interceperat ac diripuerat: temploque majore deſtructo, cum noxam metueret, id ſe Navarri auctoritate et mandatu feciſſe profeſſus eſt. Tumque, ut fidem ſuam et induſtriam D. f. d. 20 *lineis omiſſis.*

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *Marſeille.* [c] *l'Ordonnance de Moulins.* [d] *de Birague.* [e] *le mareſchal de Bellegarde.* [f] *le capitaine de Luines.* [g] *Saintonge, Agenois, & Gaſcogne.* [h] *le capitaine Favas.* [i] *Bazas.*

CIƆIƆLXXVII. ante profeſſus, cum in ea urbe virginem locupletem cuidam cognatione ſibi con-
HENRICUS III. juncto Burdigalenſi ex familia [a] Gaſca in ea urbe praepotenti uxorem conciliare vellet, cum matre ſaepius egerat; nam pater jam deceſſerat: et illa oon abnuebat, ſed, viro, eui ſecundis nuptiis coojuncta erat, is Vaſatenſis ductor vocabatur, contradicente et eam uni ex ſuis deſtinante, res ex voto oon procedebat. Poſt magnas contentiones, in quibus injurioſe a vitrico virginis male babitum ſe Fabatus impatienter ferebat, tandem atrox conſilium eapitur eum [b] Caſſianis fratribus ſerinae prorſus naturae homioibus, qui in eivitate praepollebant. Ii ex inſidiis Vaſatenſem aggreſſi crudeliter interficiunt, et vitgioem matri ereptam in Gaſeae manus conſignant. Quo facto ultrices legum poenas veritus crimeo crimine cumulat Fabatus, ſummaque diſſimulatione introductis militibus, quaſi privatae tutelae cauſa, urbem vi oeeupat, ſacri collegii ſodalels ſpoliat, gazam pretioſam eonflat, et ad ultimum templum ipſum demolitur: tumque Proteſtantium religionem publice amplexus, id ſe Navarri auctoritate et mandatu feciſſe profitetur. His initiis Fabati nomen, bellis poſterioribus clarius, primum innotuit; qui, quo erat ingeoio, cum provideret, quanquam pro tempore Navarri ſe oomine impune tueretur, vix ut id tanquam belli jure factum aliquando exeuſari poſſet, collatione [c] Flexiana, quae in Petrocoriis tertio poſt anno eelebrata eſt, ſpeciali rei mentione artieulo XXVIII ſibi eaveri voluit. Primumque illud privatum factum memorant, quod geoerali paeificationis edicto comprebenſum fuit. Tunc vero Fabatus, patraro taoro facinore, quo fidem ſuam et induſtriam Navarro magis approbaret, [d] Regulam ad Garumoam ſitum oppidum, coenobio, unde loco nomeo, nobile, admotis ſcalis feliciter tentat, et eaptum diripit; quod Proteſtantes ab co tempore fere ſemper tenuerunt. Idem eodem tempore a [e] Monferrando Langorano, qui anno ſuperiore [f] Veſuoam Petrocoriorum interceperat, ad [g] Macarii-fanum tentatum eſt: ſed, brevioribus ſcalis repertis et amiſſis aliquot e ſuis, conatus irritus fuit. Qua re perculſi [h] Burdigalenſes, Honorato Sabaudo [i] Villario provinciae legato bortante, praeſidium aeeeperunt; et, cum poſtea Navarrus Aquitaniae ptaeſes de aeceſſu ſibi ad urbem denegato cooquereretur, horum ſucceſſuum exemplis ſe excuſaverunt. [k] Concarneum et in Armoriea portu firmum oppidum a [l] Vinca ex regionis nobilitate ductore ſtreouo intereeptum fuit; quod, ſerius miſſis Condaei inſtigatu et F. [m] Folii Vigeani diligentia Rupeila auxiliis, paulo poſt reeeptum eſt, ruſticis undique ad obſidionem concurrentibus. Nam [n] Calebota, qui [o] Quermaſſonetum ciavium euſtodem inrerfecerat, locum portis reſeratis prodente, regii oppidum ingreſſi omneis fere praeſidiarios et oppidanos Proteſtantibus addictos trucidarunt, paucis exceptis, qui [p] Condate Rhedonum poſtea capite luerunt. Paulo ante [q] Civracum ad Carantonum in Pictonibus a Ludovico [r] Sangelaſio occupatum fuit, [s] Tiſſatderio juniore in ea expeditione deſiderato; quod, paulo poſt Sangelaſii diſeeſſum, a loci praefecto, qui locum tuendum ſuſceperat, Vido [t] Dallonio Ludenſi comiti deditum eſt.

XVIII. NAVARRUS, tot ſuceeſſibus elatus, poſt denegatum a Burdigalenſi ſenatu aceeſſum, ad [u] Marmandam caſtra poſuerat, urbem amplam ad Garumnam ſitam baud longe a [w] Burdigala, cum delegati ab Ordinibus ad eum acceſſerunt: quorum ille adventu cognito, obſidionem ſolvit, et [x] Aginnum conceſſit; ubi honorifice a Ludovieo [y] Fabro Gratinio ipſius cancellario delegati ab Ordinibus regni accepti ad Navarrum introdueuotur. Heie [z] Viennenſis, multa de dignitate et reverentia, quam ei [aa] Ordines ut primario prineipi libeoter deferant, praeſatus, ipſum Ordinum nomine, ut ad comitia

INTERPR. [a] *Gaſque.* [b] *Caſſes.* [c] *la Conference de Flex en Perigort.* [d] *la Reole ſur la Garonne.* [e] *Monferrand, baron de Langoiran.* [f] *Perigueua.* [g] *S. Macaire.* [h] *eeux de Bourdeaux.* [i] *le mareſchal de Villars, lieutenant general au gouvernement de Guienne.* [k] *Conquernau,* vulgo *Conqueſt en Bretagne.* [l] *la Vigne.* [m] *du Fou, baron du Vigean.* [n] *Caillebote.* [o] *Kermaſſonet.* [p] *Rennes.* [q] *Civray ſur la Charente en Poictou.* [r] *de S. Gelais.* [s] *Tiſſardiere.* [t] *de Daillon, comte du Lude.* [u] *Marmande.* [w] *Bourdeaux.* [x] *Agen.* [y] *Du Faur, ſieur de Gratins.* [z] *l'archeveſque de Vienne.* [aa] *les Eſtats.*

comitia veniat, invitat: dein, ut ad conſtituendam religionis unionem conſilia cum CIↃIↃLXXXVII. rege conjungat, hortatur, demonſtratis periculis et calamitatibus ex illo bello ſecutu- HENRICUS III. ris, ſi ſuam a regis et regni unione cauſam ſeparatam velit: nam eo res deveniſſe, ut concordibus votis Ordines in id vitam, fortunas, opes impenſuri ſint, quo cuncti regiae ditioni ſubditi populi in eandem religionem coeant. Ad belli tam funeſti calamitates fuſa oratione a Viennenſi explicatas Navarrus illachrimaſſe deprehenſus fuit: et brevi reſponſo delegatos dignatus, monita ſe ipſorum in bonam partem accipere; tum, literis peramanter ad Ordines ſcriptis, poſt gratias pro tam honorifica ad ſe decreta legatione actas, et laudatum erga pietatem et patriae charitatem affectum, etiam atque etiam videre ipſos debere ait, ne, quod a rege petierint, ut una tantum religio in regno toleretur, eorum deſiderio non reſpondeat; quamque periculoſum ſit pronunciare, regem fide Proteſtantibus data non obligari: nam inde effectum iri, ut aliquando, ne quidem cum utraque pars bello et damnis feſſa pacem cupiet, ejus firmandae rationes, peſſimo hoc exemplo introducto, expediri poſſint. Igitur videant rurſum et maturius conſiderent, nec pacem adeo optatam ac regno neceſſariam ſibi e manibus eripi patiantur, qua conſtituta tantum, nec aliter, ſalutaria ipſorum decreta et conſilia executioni demandari poſſint. His literis addita ampliora mandata, quibus pacem neceſſario tuendam contendebat: inter quae, ad caput, quo petebant ut una religio Catholica Apoſtolica Romana in regno reciperetur, eique ipſe nomen daret, ita ad extremum reſpondit, ſe Deum ſemper oraſſe, et nunc coram ampliſſimo conventu orare, ſi quidem ea, quam profitetur, vera ſit, ſicuti ex animo nunc credit, ut in illa conſtanter perſeverare ſibi liceat; ſin ſecus, melius inſtructus eam deponere, et meliorem non ſolum amplecti, ſed in ea vivere et mori ſe paratum oſtendit, et exutis cunctis erroribus omni ope eniti, ut falſa ex regno toto atque adeo ex univerſo orbe terrarum, ſi fieri poſſit, eliminetur. Quae ultima verba, tunc in omen accepta, poſtea exitum ſortita, cum induxiſſent paſtores, ea Navarrus interlineari additamento reſtitui voluit; plurimum orans, his ut rationibus ſibi ſatisfactum putarent, petito, ſi quid ulterius a ſe vellent, amplius deliberandi ſpatio, quod in conventu [a] Montalbani propediem regia auctoritate celebrando facturus eſſet.

XIX. INTEREA, qui ad Condaeum legati fuerant, jam ipſum ad [b] Joannis Angeriaci fanum convenerant, quippe quibus quatuor dierum itinere minus viae faciendum erat. Is vero, cum longe alia ratione cum delegatis ſibi agendum exiſtimaret, et legationem admittere recuſavit, nec ipſorum literas reſerare voluit, Ordines non legitime congregatos cauſatus, qui edicti abrogandi auctores regi fuiſſent, a regni perturbatoribus in ejus perniciem ſubornati ac corrupti: cum nihilominus [c] Auguſtodunenſis epiſcopus legationis princeps pergeret, Condaeus in propoſito pertinaciter haeſit, regni calamitoſum ſtatum deplorans, pro quo vitam libenter profundere paratus eſſet; ac proinde ſaepius optaſſe, et nunc expetere, ut ducum utriuſque partis periculo tantum diſſidium dirimeretur, ac miſerae plebi, et nobilitatis adeo generoſae, in qua regni robur conſiſtit, ſanguini, parceretur. Si quae tamen a rege mandata haberent, ea ſe intelligere paratum oſtendit. Et ita, cum nihil aliud delegati a Condaeo obtinere potuiſſent, de cetero perhumaniter ab eo habiti, poſt mutua utrinque delata officia [d] Bloeſas redierunt, et VI Eid. Febr. in Ordinum conſeſſu auditi ſunt. Qui vero ad Navarrum miſſi erant, ſeptimo poſt die venere, et ad comitia de legatione ſua retulerunt; addito, Navarrum multum de injuria, quae ſibi a Philippo Hiſpaniarum rege in regni aviti uſurpatione fieret, conqueſtum eſſe, ac poſtulare, Ordines auctoritatem ſuam interponant, ut ſibi a Philippo de eo ſatisfiat.

XX. QUID ad Navarrum reſpondendum eſſet, aut ſuper ejus reſponſo ſtatuendum, aliquoties

INTERPR. [a] *Montauban.* [b] *S. Jean d'Angely.* [c] *d'Autun.* [d] *Blois.*

aliquoties in comitiis agitatum fuit : ſed, pleniore deliberatione ſemper in aliunt diem rejecta, tandem placuit, ut, quando per delegatos officio ſuo defuncti eſſent, nec mandatum de ea re ullum haberent, amplius in eo negotio non pergeretur ; eoque magis, quod poſt regi oblata poſtulata, quod jam ante v Eid. factum fuerat, mandata ſua expiraſſe, neque ullas agendi ſuas partes eſſe, dicerent. Oblatis autem illis, a Gulielmo [a] Avanſono Ebrodunenſi archiepiſcopo et Ludovico [b] Angenneo Maintenonio relatum ad plebeium Ordinem fuerat, de XII e numero ſuo eligendis, quos rex, cum de poſtulatis decerneret, in conſilium adhibere dignaretur. Ibi [c] Bodinus, re in deliberationem deducta, quanquam initio contrarium placuiſſet, mutandum cenſuit ; ſuiſque auctor fuit, ne ullos ad id delegarent, et, ſi ſacer Ordo et nobilitas nihilominus in delegatione illa pergerent, intercederent : miſſiſque ad eos multis rationibus demonſtravit, quam periculoſum eſſet, maxime plebeio Ordini, quod univerſorum in poſtulando fuerat, id paucorum arbitrio in decernendo facere : nam ita comitiorum auctoritatem et potentiam veluti in ordinem cogi, CCCC delegatis ad exiguum adeo numerum contractis, qui, ut incorrupti eſſent, tamen vel praeſentia regis terreri et aulicorum prenſationibus decipi poſſent : ſic enim annalium fide conſtare, Ludovicum XI, qui reges Galliae in plenam et abſolutam potentiam aſſeruiſſe dicitur, paucorum homium ope, quibus Ordinum nomen et auctoritatem attribuerat, regnum, quamdiu vixit, ad libidinem circumegiſſe : ſic denique fieri, ut Ordinum poteſtas, quae temporibus locis ac perſonis circumſcripta prius fuerat, deinceps perpetua eſſet, et ambulatoria. Ad haec cum Lugdunenſis archiepiſcopus interfatus eſſet, delegatos deliberationi tantum interfuturos, non ut tanquam judices cum aliis de poſtulatis decernerent, Bodinus replicavit, ab initio placuiſſe, ut et intereſſent et tanquam judices de poſtulatis decernerent ; et, ſi nunc placeat, ut tantum interſint, majus periculum inde conſecuturum : ſic enim fore, ut pauci homines et obnoxii praeſentia ſua decretis auctoritatem concilient, et, ſi quid ſecus a regiis conſiliariis decretum fuerit, intercedendi et agendi apud regem Ordinibus viam praecludant. Quibus rationibus quanquam plerique ex ſacro Ordine et in iis epiſcopi quidam, qui inde in conſiſtorium regis legi ſe poſſe ſpem conceperant, repugnarent, et Maintenonius id jam ſtatutum eſſe contenderet, nec proinde in dubium revocari poſſe, tamen, cum Bodinus tertium Ordinem, ſi ulterius pergerent, interceſſurum diceret, ſacer Ordo ac mox nobilitas acquievit ; ac commune ſuffragiorum votum fuit, ne ulli delegati, qui cum regiis conſiliariis de poſtulatis decernerent, ab Ordinibus eligerentur. Contrarium cum initio placuiſſet, eaque re non mediocriter rex animo commotus eſſet, ut ſupra oſtendimus ; poſtea mutaverat, a Lugdunenſi archiepiſcopo, ut putatur, inductus, qui principi potentiae ſuae amplificandae ſupra modum cupido, ex quo majeſtati regiae decrementum metuebat, ex eo incrementum acceſſurum artificioſe perſuaſerat. Itaque rex Bodinum, quem unice diligebat, et ob raram eruditionem ac multam variarum rerum experientiam, dum cibum caperet, libenter audiebat, ab eo tempore non tam benigno vultu dignatus eſt, quod Ordinibus prioris ſententiae mutandae auctor extitiſſet, et ea in re, quantum ad circumagenda Ordinum ingenia momenti haberet, minus grato regi experimento, docuiſſet. Secundum haec, cum Ordines diſcedendi copiam peterent, nec ſe ullos, qui deciſioni decretorum intereſſent, delegare poſſe oſtenderent, rex per Joannem Morvilletium ſine intermiſſione poſtulatis decidendis ſe incubiturum declaravit : de cetero, ſic jubere, ut nemo ex delegatis niſi petita a ſe et impetrata venia comitiis diſcederet. Cum nihilominus in propoſito Ordines perſeverarent, rex iis in regiam evocatis coram regina parente et regina uxore, Carolo [d] Borbonio, Ludovico Guiſio, Aloiſio Ateſtino cardinalibus, Guiſio, qui

INTERPR. [a] *d'Avanſon, archevêque d'Embrun.* [b] *d'Angennes, ſieur de Maintenon.* [c] *Bodin.* [d] *les cardinaux de Bourbon, de Guiſe & d'Eſte.*

qui tum Bloeſas venerat, [a] Meduanae et Nivernii ducibus aliiſque proceribus, propria voce ſignificat, cupere ſe, ut juxta ſupplicem libellum initio comitiorum oblatum delegari ex Ordinum numero poſtulatis decidendis interſint, qui ipſum de cauſis ac rationibus eorum, cum opus eſſet, plenius edoceant; eaque in re Ordinibus libenter gratificari velle, quanquam ſuperioribus comitiis nuſquam id uſurpatum fuerit: petere inſuper, ut delegatorum ad [b] Damvillam miſſorum, et Monpenſerii in primis, quem nuper ad Navarrum legaverit, reditum expectent: nam ſi quidem caſus ferat, ut ad arma devenire neceſſe ſit, praeſentia ipſorum ad rem pecuniariam expediendam atque adeo collationem in tam juſtum bellum faciendam opus eſſe: decreviſſe ſe c aureorum annuorum CIↃ ex regio patrimonio in perpetuum alienare; idque ut accedente Ordinum auctoritate fiat, expetere: proinde ſic velle, ut his de rebus conſultaturi conveniant; et, ſi cunctis delegatis manentibus res diſpendioſa et oneroſa nimis videatur, placere, ut delecti ex omni numero reliquae actioni interſint, ceteri domum proficiſcantur. Petito ad deliberandum ſpatio, Ordines, quantum ad remanendi, aut delegatos, qui reliquae actioni interſint, nominandi neceſſitatem, pecuniae collationem et patrimonii regii alienationem, omnino ſe non poſſe aſſenſum praebere reſpondent; tantum ſe in delegatorum ad Dåmvillam miſſorum et Monpenſerii reditum differre diſceſſum ſuum paratos oſtendunt. Reſponſum tamen in praeſens non ſignificatum, rege id jubente. Et, cum poſtridie Pomponius Bellevreus a rege miſſus eſſet, qui de capite, quod ad regii patrimonii in perpetuum alienationem pertinet, ageret, et, neceſſitate, quae potentiſſimum telum eſt, urgente, id licere contenderet, quippe cum conſtet, ſalutem populi ſupremam legem eſſe debere, [c] Aemarus Burdegalenſis praeſes Ordinum nomine reſpondit; et nullo caſu alienari a rege patrimonium coronae poſſe multis verbis diſſeruit; quippe cujus rex tantum ſit uſufructuarius, proprietate penes regnum manente, quam nullo tempore alienatam, ne quidem extrema neceſſitate urgente, cum Joannes rex apud Anglos captivus eſſet, meminerint homines: quippe fulcrum et columen regni illud eſſe, quod ſacrum, inviolabile et proinde inalienabile majores ſemper exiſtimaverint. Ita remiſſus Bellevreus; et peſſimum de domanio affectatae neceſſitatis obtentu alienando commentum, Bodino praecipue auctore, (nam praecipui jam promiſſis corrupti nutabant) evanuit; quod ſi locum tunc habuiſſet, ſub principe profuſo miſere dilapidatum fuiſſet.

XXI. Jam delegati ad Damvillam [d] Monpelii ipſum convenerant; qui ſuperiore anno, communicatis cum Navarro et Condaeo conſiliis, ad comitia citatus, de iis, ut vitio indictis, x Kal. Oct. proteſtatus fuerat, miſſo etiam ad regem proteſtationis inſtrumento v Kalendas Novembris. Is vero, benigne acceptis delegatis, literas ad conventum Bloeſenſem dedit VII Eid. Febr. ſic enim concepta erat ſuperſcriptio, ne comitia approbare videretur; iiſque, poſt actas pro tanto ſibi delato honore gratias, quod taleis tantoſque viros dignitate praecellenteis ad ſe miſiſſent, eorum ſe quoque, quippe primaria regni familia et primi Chriſtiani nomen honorificum merita olim ortum, in religione Catholica Apoſtolica Romana, in qua vivere et mori paratus ſit, conſtituenda votum, ſummopere laudare dixit: ſed vereri ob eas, quas plenius mandatis ſuis expoſuerit, cauſas, ne intempeſtivo remedio malum potius irritetur quam ſanetur: proinde etiam atque etiam orare, ut eas pro prudentia ſua examinent, et mature in commune conſulant. Mandatis idem amplius perſequebatur; et tot praeteritarum calamitatum experimento conſtare oſtendebat, religionem a Deo inſpirari, ab hominibus imperari non poſſe, et Proteſtanteis poſt tot clades et deſolationes, quae regnum paene everterunt, impetrata tandem vitae et conſcientiarum tot edictorum beneficio

INTERPR. [a] *Mayenne & Nevers.* [b] *le mareſchal de Damville.* [c] *Hemart.* [d] *Montpellier.*

CIƆIƆLXXVII. HENRICUS III. beoeficio libertate, procul dubio extrema cuncta tentaturos, ut, quod tot ſuorum caedibus, miſetiis, damnis ac periculis redemerunt, vel proprio ſanguine tueantur: proinde ſe, qui cum omnibus bonis ad calamitatum praeteritarum recentem adhuc ſenſum cohorreſcat, non poſſe non mediocriter commoveri, cum audiat, rem toties inſeliciter tentatam nuoc deouo retractari: nam, poſt ultimum edictum, quod omnes provinciae ampliſſimae, cui praeeſt, Ordines ſolemni jurejurando io conveotibus probarunt et confirmarunt, cunctis conſtitiſſe, ad pacem in regno tuendam duas religiones commode tolerari poſſe; nec proinde niſi periculoſo exitu fidem edictis datam revocari: id vero ejuſmodi eſſe, ut, cum et Catholicos, qui paci ſtudeot, et Proteſtanteis univerſos ipſos reſpiciat, de eo ſtatuere noo poſſit, aut certius reſponſum dare, antequam cum Navarro et Condaeo, quibuſcum ooviſſimum de pace edictum factum et ſacramento confirmatum eſt, capita contulerit. Cum hoc reſpooſo [a] Aniciensis epiſcopus, [b] Rupiſortius et Toleus [c] Bloeſas exeunte Februario reverteruot, ſub id tempus, quo, poſt Bitoni ad Navarrum miſſi reditum, mentio de pace injecta eſt, quae, tepentibus jam de bello conſiliis, multorum votis adjuvabatur; et a Bodino in primis tertii Ordinis per Pariſienſium delegatorum abſentiam praeſide, qui, cum alii Ordines a Guiſianis incitati coitionibus extrà ordinem crebro factis capot de religione urgerent, et quavis ratione, etiam bello illato, ſi opus eſſet, ut executiooi demandaretur, inſtareot, ſumma fiducia interceſſit; et, cum illi ita in comitiis conventum dicerent, et, poſtulatis ſemel regi oblatis, nullas Ordinum partes eſſe, quippe extinctis mandatis, audacter reſpondit, in perduellionis crimen ipſos incurrere, qui, cum poteſtatem agendi vel propria confeſſione non habeant, tamen quotidie conventicula celebreot: verum ſe aliter cenſere, et licere adhuc regi ſupplicare: nam, ut admittente rege ad comitia delegatos actioni initium factum eſt, ita non niſi eodem dimittente finem impooi poſſe; et ſcitum eſſe, de pace apud Romanos calatis comitiis, hoc eſt, minus ſolemnibus, agi potuiſſe, cum bellum oon niſi centuriatis comitiis decerni poſſet: quod prudenter in victrice et triumphali republica ob pacis dulcedinem in odium belli invaluerat.

XXII. DUM in eo ſont, datus ſenatus fuit in comitiis Ludovico Borbooio Monpenſerio prid. Kal. Mart. qui ad Navarrum miſſus jam redierat. Is oratione ex ſcripto ad juvandum memoriam recitata, quid egiſſet, ſumma gravitate retulit, et, quam bene animatum erga quietem publicam Navarrum reliquiſſet, multis verbis declaravit. Tum de ſtudio et opera ſua, toties exercituum ductor, tot obſidionibus feliciter confectis, ad aſſerendam Catholicam Romanam religionem navata, modeſte praefatus, ſubjecit, ſe nihilominus calamitatum memorem, quas XVI bellorum anni, Galliarum florentiſſimo olim regno paene ad deſolationem rédacto, invexerint: tum, exemplis externis in memoriam revocatis, Caroli V, qui poſt triumphatam Germaniam religionis diverſae libertatem victis victor concedere coactus fuerit, et Philippi filii, qui pacem ab Ordinibus belli civilis pertaeſis ea conditione factam nuper confirmaverit, regi auctorem futurum, ut pacem colat, reſectis, quae nimia oec fereoda in praecedentibus edictis ſancita fuerint; quod Návarrum admiſſurum ſperet; idque eo oſque locum habeat, donec aut concilii legitimi auctoritate aut Ordinum rite congregatorum decreto aliave recta et aequa ratione rex univerſos ditioni ſuae ſubditos populos ad unitatem verae et antiquae religionis reduxerit. Tanti viri pacem ſuadentis dignitas et irreprehenſa apud omneis exiſtimatio Bodino idem conſilium agitanti ejuſque ſequacibus animos fecit; eoque inſtigante re in deliberationem deducta, ſuffragiorum numero ea tandem vicit ſententia; quae regem rogandum cenſebat, ot omneis ad religionem Catbolicam Apoſtolicam Romanam reduceret omni aequa ac legitima ratiooe,

INTERPR. [a] *l'evêque de Puy.* [b] *les ſieurs de Rochefort & de Tolé.* [c] *Blois.*

ratione, ſed citra bellum, ſicuti Petro [a] Verſorio, ut peteret, mandatum fuerat. Ea CIƆIƆLXXVII.
de re libellus ab [b] Aemaro, Bodino et Bigoto [c] Rotomagenſi delegato conſcriptus et HENRICUS III.
regi oblatus: quo tertius Ordo profitebatur, ſe annquam bellum ab initio ſuaſiſſe, ſed ſuum conſilium fuiſſe, ut, quibus legitimis ac pacificis rationibus poſſet, citra bellum, majorum religio conſtitueretur, quam et ſolam veram agnoſcant, et in qua vivere et mori parati ſint. Ut fidem dictis facerent, libello exſcriptum ex actis publicis caput de religione XVIII Kal. Febr. factum attexunt, quo mandatum Verſorio regem allocuturo datum continebatur, hac adjecta clauſula, ut pacifica ratione et citra bellum religionis negotium conficeretur.

XXIII. EODEM tempore Petrus [d] Butricus a Joanne Caſimiro Ludovici Palatini ſeptemviri fratre eum aliquot Germanorum equitum ductoribus delegatus a rege auditus eſt. Is et Caſimiri et ductorum Germanorum nomine longam expoſtulationem inſtituit, quod pecunia promiſſa loco et die [e] Francofurti ad Moenum et Argentinae non repraeſentaretur: minime vero oblitos eos eſſe, quid illis ſaepius a regia majeſtate reſponſum fuerit, cum de pace apud ipſum per legatos agerent; nimirum ſuas res ſibi gererent; ceterum regni curam regi liberam relinquerent: nec proinde ſe miſſum, ut alienis rebus ſe immiſceant, niſi quatenus earum propriam ipſorum cauſam et commodum ſpectat: ſed nec itidem oblitos, cum antea, pacato regno et a turbis vacuo, grande aes ſibi debitum Germani repoſcerent, quid reſponſum fuerit; nimirum res regni tantis oneribus gravati non poſſe ferre, ut illis ſatisfieret: quid ergo ſibi ſupereſſe, ſi nunc bellum internecinum in eo excitetur? Quod quieto regno non licuit, qui turbato fiet? hoc igitur in cauſa eſſe, cur ad regem veniant, et eum non ſolum pro pecunia debita ſed pro pace promiſſa interpellent, atque adeo regis fidem non ſolum Proteſtantibus in Gallia degentibus ſed ipſi Caſimiro nuper datam appellent: nam Caſimirum non ſolum privati commodi, aut damni potius vitandi, ſed exiſtimationis tuendae cauſa impulſum: quippe tot honorificis penſionibus et dignitatibus a rege nuper ornatum ſui officii duxiſſe, regem enixe orare, ut regni tranquillitati ſtudeat, et edictum nuper conditum et ſolemni ſacramento per omnes regni provincias firmatum religioſe ſervet: in quo ſi quae ſint duriora, et quae regis conſcientiam laedant, ſuam ultro operam deferre, ut ea idoneo temperamento mitigentur; in idque ſibi ab ipſo data mandata dicit, ut cum Navarri, Condaei et Damvillae delegatis agat: interea petere, ut ſibi de aere alieno ſatisfiat, quo fidem ſuam ductoribus Germanis regis nomine datam liberet. Haec Germanica ſimplicitate praefatus Butricus cum coram rege diſſeruiſſet, poſtea, ubi vidit, res nihilominus ad turbas ſpectare, libellum a ſe ſubſcriptum Caſimiri nomine regi obtulit VIII Eid. Mart. quo ad declinandam, quam apud Germanicos ductores ſuſtinebat, invidiam, quaſi obnoxius rebus ipſorum aliquod praejudicium afferret, penſiones, poſſeſſiones ac dignitates a rege acceptas remittit, earumque publica inſtrumenta in manus regias conſignat: viciſſim fidem, quam regi dederat, repoſcit, ſalva antiqua foederatione, quae Gallis regibus cum Palatinis ab omni memoria interceſſit. Tum, quoniam publica fide venerint, ſibi et ſociis ut publica fide in reditu caveatur, petit. Additum affectata audacia a Butrico, pervicacis alioqui ingenii homine, ſibi datum a Caſimiro negotium, ut in Angliam ad negotia ſua procuranda pergeret. Quod ita prudentiores interpretati ſunt, quaſi voluiſſet Caſimirus, ut rex intelligeret, ſi bellum contra Proteſtanteis moveret, sereniſſimam Anglorum reginam a ſe et Proteſtantibus ſollicitatam ſuas partes interpoſituram: quod libelli a tertio Ordine nuper regi de pace oblati in conſiſtorio diligentius excutiendi cauſa extitit; ubi variae dictae ſententiae: et, cum cardinalis Guiſius, [f] Guiſius et Meduanius fratres, [g] Nivernius, primo Ordinum cum religionis negotium
caleret,

INTERPR. [a] *Verſeris.* [b] *Hemart, Bodin, & Bigot.* [c] *de Rouen.* [d] *Beutrick.* [e] *Francfort ſur Mein, & Strasbourg.* [f] *les ducs de Guiſe & de Mayenne.* [g] *le duc de Nevers.*

CIↃIↃLXXVII. caleret, poſtulato inſiſtendum pertenderent; regina contra, [a] Monpenſerius, [b] Coſ-
Henricus III. ſacus, [c] Bironus, [d] Morvillerius, Bellevreus, penſitato propius rei periculo, jam mutata ſententia, pacem ſuaſerunt; captaque ex Caſimiriani legati moderationem edicti noviſſimi pollicentis verbis occaſione, ad Navarrum rurſus Bironum mittunt: quod initium pacificationis eodem anno ſecutae fuit.

XXIV. Decreta et in Germaniam legatio, cui obeundae Claudius [e] Villoclarus Guerchius deſtinatus eſt. Is, ad Ludovicum Palatinum ſeptemvirum profectus et Friderici parentis nuper defuncti morte deplorata et de ipſius ad dignitatem electoralem inauguratione gratulatus, ad Jo. Caſimirum fratrem tranſiit; cui et mandata, quae habebat, rogatus ſcripto tradidit: ea autem erant, poſt officia illa prius commemorata, ut eum de novo rerum ſuarum ſtatu edoceret; comitia Bloeſis poſt diſceſſum ejus e Gallia celebrata, in quibus concors Ordinum petitio fuerit, ut una Catholica Apoſtolica Romana eccleſia in regno conſtituatur: regem vero tunc in eo fuiſſe, cum ex aula profectus eſt, ut in tam juſta petitione Ordinibus acquieſceret: ſic enim a conſcientia propria admoneri, ut majorum ſuorum exemplo unam religionem colat: dein experientia edoctum, religionis diverſitatem in omni regno ac republica pernicioſam eſſe, ſemperque novas inde oriri turbarum occaſiones; quippe cum in conventibus Proteſtantium potius de factionibus in regiae majeſtatis perniciem alendis quam de religione agi certum ſit: hoc recenti exemplo patere, cum novis praeſidiis nuper, inconſulto rege, [f] Charitaeum firmarunt, et pleraque oppida et arces in [g] Pictonibus, Santonibus, Vaſconia, Delfinatu, Septimania occuparunt: et regem quidem facto ultimo edicto tentaſſe, an illud plene executioni demandari poſſet: quod cum ullis rationibus confici non potuerit, ſed novis ſocietatibus et foederibus inter Catholicos occaſionem praebuerit, ex eo manifeſtum fieri, duas religiones citra diſſidia et ſeditiones in eodem regno tolerari non poſſe: id pervidiſſe et Imperii principes, qui Auguſtanam confeſſionem amplectuntur: id et ſereniſſimam Anglorum reginam, apud quos uni tantum religioni locus, ceteris excluſis: nec proinde tamen non velle Proteſtanteis, ut ceteros, patrocinio ſuo tueri, ita ut nulla vis eorum conſcientiis afferatur; ſed ea lege, ne convenire poſſint: quod eum facere decreverit rex, interim et Ludovicum ſeptemvirum et ipſum Caſimirum orare, ſi minus in tam juſto decreto obſequenteis Proteſtanteis experiatur, ne eos conſilio, opibus aut armis juvent, neque ſe alieno negotio immiſceant; ſed diſſidium hoc a rege et aetate et prudentia maturo aequabili jure componi patiantur: de cetero regem curaturum, ut de aere alieno, quod hactenus non factum doleat, quamprimum eis plene ſatisfiat.

XXV. Ad quae Caſimirus ſcripto prolixo non ſine acerbitate reſpondit; et novum ſibi hunc vere nuncium fuiſſe dixit; eum pacem, quam nuper magno regni bono a regina parente factam et a principibus ac proceribus ſolemni jurejurando firmatam laetabatur, nunc certiſſimo ejuſdem regni, cui et regi ex animo bene velit, exitio infractam reſcivit: atqui ſperaſſe ipſum, ut praeteritorum malorum recordatione in pace ſervanda eſſet conſtantior; nec malignorum hominum ab hoſtibus regni ſubornatorum, qui ſe Ordinum nomine venditant, conſiliis aurem praeberet: nam, quod illi ſine mandatis libellum hunc ſupplicem regi porrexerint, mox conſtitutum: id vero ſe antea, eum adhuc in regno eſſet, praeſenſiſſe, et de pernicioſis foederis novi conſiliis ſedulo regem monuiſſe, et, quid homines ſcelerati in comitiis molirentur, haud dubiis indiciis demonſtraſſe; ac ſperare, ut rex melius inſtructus poſt Villoclari diſceſſum mutaverit: interim ſui officii duxiſſe, pro ſincera, qua regem regnumque Galliae proſequitur, reverentia ac benevolentia, quaedam ipſum monere; in dictum Gamalielis

INTERPR. [a] *le duc de Monpenſier.* [b] *le mareſchal de Coſſé.* [c] *Armand de Gontaut de Biron.* [d] *de Morvilliers & de Bellievre.* [e] *de Villequier, vicomte de la Guerche.* [f] *la Charité.* [g] *Poictou, Saintonge, Gaſcogne, Dauphiné, & Languedoc.*

Gamalielis reſpiciat, quae ex Deo ſunt, ea contra omneis omnium machinationes duratura; quae ex hominibus, ſenſim evaneſcere: tum illud in republica fixum ratumque teneat, id utile, quod neceſſarium: quod in Poloniae, Hungariae, Bohemiae regnis, et in Helvetiorum republica, tanquam in ſpeculo contemplari poſſit, ſi res vere et citra cavillationem excutiatur: nam veritati facere fucum eos, qui Germaniae aliquem principem cum rege Galliae comparant: Germaniam totam cum regno Franciae comparatam optime convenire; quae cum non niſi edicto de religionis pace a Ferdinando conſtituto a tot bellis, calamitatibus et vaſtitatibus requieſcere potuerit, documento id regi eſſe debere, ſi pacem habere velit, idem ut in regno ſuo faciat; alioqui nunquam deſituras turbas: periculoſiſſimum autem eſſe, ut rex, cujus officium eſt inſtar boni patrisfamilias, omneis ſuos aequabili jure complecti, ſciſſo factionibus regno, oblitus fidei datae ſe alteri parti ducem praebeat: id ipſum etiam atque etiam videre debere, et quantum regiae exiſtimationis interſit, ut ſuos omneis in fide contineat, et fidem ſuam univerſis citra alterutrius partis diffidentiam approbet: nam vix eum apud externos principes fidem approbaturum, cui ſui minime confidant: quod vero de ſereniſſima Angliae regina exemplum affertur, minime ad rem facere: nam non eandem utriuſque regni conditionem eſſe; nec in Anglia, ut in Francia, tot principes, proceres et ex nobilitate et ceteris ordinibus praecipuos publicam ſuae religionis profeſſionem petiiſſe: quod ſi feciſſent, et illa fidem edicto publico obſtrinxiſſet, procul dubio eam religioſe ſervaſſet; nec ut ab ea diſcederet ullis ſibi rationibus perſuaderi aut vi allata a ſuis cogi paſſa eſſet: atqui meliora Proteſtanteis a ſua majeſtate ſibi pollicitos fuiſſe, cum viderint eum apud Belgii Ordines nuper partes ſuas interpoſuiſſe, ut Ecmondani comitis perverſo juris ordine ab Hiſpanis ſupplicio affecti liberi bonis et honoribus reſtituerentur: nec ſatis eſſe, quod Villoclarus addat, regem Proteſtantibus conſcientiarum libertatem relinquere, adempta tamen libera ac publica religionis ſuae profeſſione: nam perinde facere, qui ita regi fidei edictis datae ſatisfieri contendunt, atque ii, qui, quibus vitam ſalvam promiſiſſent, iis poſtea ad victum neceſſaria denegarent: itaque enixe quam poteſt regem orare, ne hominibus Ordinum nomine ſe jactantibus, re vera ab hoſtibus regni per provincias ſubornatis, potius fidem tribuat, quam fidei et exiſtimationis ſuae apud ſuos et externos principes tuendae rationem habeat; et ſibi ac reliquis Germanis ductoribus de pecunia promiſſa, quod hactenus loco et tempore non fecerit, proximis Francofurtenſibus nundinis ſatisfieri curet. Ita dimiſſus Villoclarus; qui cum iiſdem fere mandatis paululum immutatis ad Willelmum Heſſorum principem nomini Gallico ſemper arcta benevolentia conjunctiſſimum Caſſelias contendit; qui poſt honorificas praefationes ad caput de unica majorum, hoc eſt, Catholica Apoſtolica Romana religione in regno juxta Ordinum poſtulationem conſtituenda, longe majore temperamento reſpondit: optandum eſſe piis omnibus, et ſe ſemper optaſſe, ut vera Romana religio ab initio a B. Paulo promulgata non ſolum in Franciae regno ſed univerſo terrarum orbe unica et ſola celebraretur: ſed neminem latere, poſtquam deſtructo imperio Romano pontificum in majus potentia aucta eſt, adeo ut Caeſaribus, regibus ac ceteris orbis principibus legem imponere voluerint, eam primam fidem pravo uſu, craſſis erroribus, hominum commentis, ac tandem perverſo cultu, ſenſim depravatam ac corruptam fuiſſe: fidem ejus rei facere querelas piorum virorum emendationem in eccleſia fruſtra petentium a multis ſaeculis annalium libris conſignatas: id ſciſſurae tandem occaſionem praebuiſſe; multoſque errorum et perverſi cultus pertaeſos, poſtquam in ſublimi illo et humanum modum ſupergreſſo pontificiae auctoritatis typo nullam emendationis ſpem viderent, ſe ab Romanae ſedis obedientia ſeparaſſe; quippe qui Deo potius quam hominibus ſibi in religione parendum exiſtimarent; quos cum vi cogere periculoſum eſſe experientia docuiſſet, tandem non aliud magis opportunum

CIƆIƆLXXVII. HENRICUS III.

remedium viſum, quam ſi libera religionis profeſſio ipſis permitteretur; quod pluribus edictis conceſſum, ut pax in regno ſtatueretur, ita revocatum mox bellum accendiſſe: itaque ſperaſſe, ut in ultimo rex ſervando ſummam curam poneret, nec, quamvis de mutato conſilio ex diverſis locis ante Villoclari adventum ad ſe allatum eſſet, fidem addidiſſe; quippe qui ſic ſtatueret, principem religioſum et prudentem nihil fide antiquius habere, quam ſervari non ſolum ad exiſtimationem et publicam ſecuritatem pertinere, ſed violatam certiſſimo divinae ultionis flagello vindicari, procul dubio ſit: qua in re non poſſe praeterire inſigne noſtra memoria exemplum Ladiſlai Hungariae et Poloniae regis; qui, dum pontifici et cardinalibus fidei vinculo ipſum ſe ſoluturos vana ſpe implentibus nimis auſcultat, fidem Amurathi Chriſtiani nominis hoſti datam temere violavit, et mox ingenti clade obrutus, decus, opes ac potentiam ſimul cum vita uno proelio amiſit: quem enim exitum habiturum hoc bellum, ubi nulla veniae ſpes alteri parti ſuperabit? rex vero, ſi bellum minus ex ſententia procedat, non habebit, rupto ſemel per fidem violatam publico ſecuritatis ac ſocietatis vinculo, quo idonee ſuis cavere poſſit? et, ut res ex voto ſuccedant, quis victoriae adeo funeſtae finis erit? cum, principibus viris e medio ſublatis, atque adeo propria familia regia paene extincta, et amputato veluti altero brachio, rex mutilabitur, regnum ſanguine, horrore et vaſtitate implebitur? itaque regi imponere, qui diverſas religiones in eodem regno tolerari non poſſe idque bellis cauſam praebere et obſequii vinculum ſolvere contendunt: nec meliore fide in medium afferri Germanicorum principum exemplum: nam nec ſingulos principes apte cum rege Galliae comparari poſſe; nec ipſos ulla pactione ſubditis ſuis eam libertatem conceſſiſſe: proinde, quando rex in tantae molis negotio ſe in conſilium adhibere dignetur, ſic cenſere; ut depoſita belli cogitatione, potius ancipitem Dei gladium ſtringat, hoc eſt, concilium nationale liberum ac legitimum ad componenda religionis diſſidia celebrari curet: nam alioqui ſuorum ſanguine ab initio fundatam ac rigatam religionem cruore ſemper majores vireis ſumpturam: de cetero, quod rex rogat, ne ſe rebus ſuorum Proteſtantium immiſceat, aut illos ulla in re juvet, ſic ipſum ſibi perſuadere debere, eadem ac ſe hactenus moderatione geſſit, porro ſe geſturum, et effecturum, ut potius Dei gloriae et regni Gallici tranquillitati ſtuduiſſe quam turbis in alieno excitandis favere videri debeat: ad extremum regem orare, ut in ea re honorificum ſibi, regno ſalutare ac neceſſarium, amicis principibus ac vicinis utile, conſilium capiat.

XXVI. JAM ante Nicol. [a] Hullerius Sanmaximinus rationalium praeſes et mercatorum eo anno praefectus Lutetiam conceſſerat, ut foedus novum, cujus ſe ducem rex profeſſus fuerat, ab univerſis urbis ordinibus ſubſcribendum curaret. Id ſedulo factum per Matthiam [b] Bruerium praetoris Pariſienſis vicarium. Is igitur cum formulam ad Chriſtophorum [c] Thuanum ſenatus principem cum ſigillaritiis regis literis detuliſſet, vir pius et antiquae libertatis ex vitae innocentia contractae retinens, ad haec ab omni factione alienus, ſtatim calamum poſcit, et, ut erat ingenio parato, conditionibus, quibus foedus ſe averſari innuebat, appoſitis, ſubſcripſit. Quo viſo, plerique, qui poſtea ſubſcripſere, viri boni eaſdem conditiones, tanto auctore, repetiverunt: quod factioſos jam ut ſibi videbatur triumphanteis male habebat, qui ſummi in urbe magiſtratus elogio egregium adeo ſuum commentum ſugillari indignabantur. Itaque ad regem perſcribunt, inſtantque per Lotharingos, quod ipſi, quod principibus ac proceribus, quod univerſis bene de religione ſentientibus Ordinibus placuit, id ne unius publico teſtimonio improbari patiatur. Igitur rex, qui foedus per ſe quidem pernicioſum, ceterum ſe ducem illius profeſſus ad extirpandum ſectarium virus utile exiſtimabat, eoque magis mirabatur

INTERPR. [a] *l'Huillier, ſieur de S. Meſmin, preſident des comptes & prevoſt des marchands.* [b] *la Bruiere, lieutenant particulier.* [c] *de Thou, premier preſident.*

Digitized by Google

mirabatur Thuanum, quem ut pacis ſtudioſum ſic a Proteſtantium partibus maxime alienum ſciebat, illud improbare, ut animo ſatisfaceret, Claudium [a] Dorronum, qui ei a privatis ſtudiis erat et poſtea libellorum ſupplicium in regia magiſter fuit, confeſtim per diſpoſitos equos clam ad Thuanum mittit, ut coram plenius de ipſius conſilii rationibus cognoſceret et ad ſe referret. Dorronus homo bonus et candidus Lutetiam profectus noctu clam Thuanum, ſic enim juſſus erat, ne ab emiſſariis cognoſceretur, convenit in aedibus ſuis; redditiſque [a] literis fiduciariis, et adventus ſui cauſa expoſita, lachrimas, ut mihi ipſe poſtea retulit, ab optimo viro ſibi elicuiſſe viſus eſt; qui loquentem ſingultanti pectore interfatus, ſerum eſt, quod petis regis nomine conſilium; quippe jam volitante per urbes, oppida, vicos foedere ſeu ſocietate, cui plerique ſive partium ſtudio ſive religionis ſpecie decepti nomen dedere. Atqui jamdudum eam tempeſtatem regi et regno incumbentem animo providi; et, quantum in me fuit, monui regem reginamque a coitionibus, conventiculis ac clandeſtinis, quae in urbe celebrabantur, conſiliis ſibi caverent. Apud multos, etiam eorum, qui cauſam religionis agi rati iis imprudenter participaverunt, ratione pervici, ne conventiculis illis in poſterum intereſſent; unde nihil in aula gratiae, multum inter conciveis meos invidiae reportavi. Nunc ſupereſt, ut malum, quod nulla prudentia vitari potuit, jam natum deploremus, ne ulterius ſerpat, fruſtra impedituri. Et, quanquam juſto tardius ſententiam rogatus, dicam libere, omneis in regno legitimo parteis ad ejus perniciem pertinere. Cujus rei cum Proteſtantium exemplum plenam fidem faciat, quid futurum putamus, ſi Catholicorum corpus, quod integrum huc uſque remanſit, nunc factionibus ſcindatur? Id vero procul dubio fiet, ſi ſecretis coitionibus illis per regis diſſimulationem auctoritas accedat. Nec periculo ſatis proſpexiſſe mihi viſi ſunt illi, quod eorum cum bona gratia dictum intelligo, qui regi auctores fuere, quo factionem diſſiparet, ut ſe ejus ducem profiteretur. Nam, dum hoc rex facit, regiam majeſtatem quodammodo exuit; et, qui ſupra omnem comparationem poſitus eſt, perditiſſimo cuique conditione aequatur, juſque ſupremi imperii, quod in omnes ditioni ſuae ſubditos populos a Deo conceſſum et legitima ſucceſſione delatum habet, a ſe abdicat. Nam quo pertinere putas ſocialeis illos delectus, qui clandeſtino foedere per oppida et vicos habentur, in quibus tantum roboris ponunt, qui religionis velo foedus excuſant, niſi ut Galli peſſimo exemplo edoceantur, alterius, quam regis, auſpiciis poſſe militem ſcribi, ſtipendium accipi, fidem addici, bellum geri, denique in regno citra perduellionis crimen aliud regnum conſtitui, et tanquam corpori, quod monſtri ſimile eſt, novum corpus inſeri? quod quam pernicioſum ſit, et quam longam malorum ſeriem retro ſecum trahat, rex pro prudentia ſua viderit. Ego certe, qui rebus jam confectis in conſilium vocor, haec dixiſſe contentus, addam, providere me animo, ut haec arma, quae ad religionem tuendam ſumuntur, aliquando in regis caput vertantur: nam hoc veluti praeludio a factioſis regis patientiam tentari, quatenus ulteriora deinceps ſit laturus. Et vero ſic rex bene conſultus ſtatuere debet, per ſocialeis illos delectus plebem, inconſulto rege et ſine mandatu ejus, armatam arma, inconſulto rege et ſine mandatu ejus, ſumpta, vel jubente ipſo, minime poſtmodo depoſituram; neque defuturas praeter religionem cauſas, propter quas in armis remanere cupiat, ad tributorum videlicet onera ac nova vectigalia, quae ad neceſſitatem jam impoſita ſunt et quotidie imponuntur, ſponte et effraeni libertate excutienda. Nulla interim magiſtratuum, nulla juris, nulla principis ratio erit, effuſa ſemel licentia et armorum vi ſubnixa. Jam concionatores a factioſis conductos ex ambone debacchanteis audio, et omiſſa verbi divini praedicatione in magiſtratus et principem ipſum invehi. Non ora fraenari, non voluntates coerceri poterunt; tantaque moles incumbet, ut, cum nullae vires contra tantam vim ſatis ſint,

a

VAR. LECT. [a] regis literis *D. f. d.*
INTERPR. [a] *Dorron.*

CIƆIƆLXXVII. HENRICUS III. a ducibus ſeditioſorum rex opem emendicare cogatur. Mox defectiones crebrae, calcata legitimi magiſtratus auctoritate, ſubſequentur. Jamque de regni adminiſtratione ad privatorum libidinem, de ſucceſſione etiam, proh dolor! ad ultimum diſputabitur; accenſiſque partium ſtudiis, etiam vivo videnteque rege, ipſius cernetur hereditas; ac tandem deploranda florentiſſimi regni procul dubio inde ſecutura everſio omnibus in exemplum erit, nulla in re perniciosius quam in religionis cauſa errari. Quibus tamen triſtibus auguriis ut exitus deſit, Deum totis votis oro obſecroque. Interim, ut validis adeo initiis remora injiciatur, et praeceps ruentis ad regni perniciem rotae impetus ſufflaminetur, optimum factu cenſeo, ut rex omni ſtudio pacem procuret, et, vulnerato jam priore edicto, aliud aequioribus conditionibus condat; quod terrore armorum adhibito facile a diſperſis huc illuc Proteſtantibus impetraturum eum apparet; et ita belli neceſſitate, quam factioſi quaerunt, ſublata, ſocietates illas occultaque conſilia pace conſtituta diſſolvat et ſtirpitus evellat; et, ſi quos, ut multi erunt, jam factione adulta, humilioris conditionis homines nanciſci poterit criminis ſopiti igniculos colligenteis, in eos ſevero caſtigationis exemplo animadvertat; ita ut poena ad paucos, metus ad multos et proceres ipſos pertineat; gravibuſque edictis ſanciat, ne qui deinceps delectus, ſocietates, coitiones et ſecreta conſilia injuſſu ſuo et ſine expreſſo regis aut publico magiſtratus mandatu fiant: qui contra fecerint, in perduellionis crimen incurrant. Hoc ut rex ſedulo diligenterque curet faciatque, conſultum exiſtimo. Cum hoc mali praeſagii reſponſo Dorronus [a] Bloeſas ad regem revolat; qui eo intellecto, cum Thuani innocentiam et integritatem perſpectam haberet, eo magis commotus [α] eſt: et, poſtquam diu quaſi in profunda cogitatione defixus haeſit, Citius, inquit, cum Thuano de ea re actum oportuit. Sed, quoniam tam ſalutaribus conſiliis in tempore uti non licuit, nunc ultima ſuadentem optimum virum ſequamur, et armis ad terrorem oſtentatis pacis negotium urgeamus. Addebat Dorronus; regem ſibi imperaſſe, ne periculum inde ſummo magiſtratui in urbe crearetur, ut ſecretum illud inter ipſos periret; mandaſſeque, ne regina ac ceteri conſiliarii de eo quidquam reſcirent.

XXVII. HAUD multo poſt miſſus Nicolaus [b] Neovillus Villaregius, *Monpenſerio* jam et Birono praemiſſis, qui pleniora de pace mandata a rege attulit, et negotio ad exitum uſque interfuit. Inde variis utrinque ſcriptis certatum; cum Proteſtantes fidem datam urgerent, et, ne ea violaretur, Deum homineſque obteſtarentur, majoris incommodi vitandi cauſa duas religiones tolerari poſſe multis et rationibus et exemplis demonſtrantes; neque vero religionis cauſam agi, ſed ut ejus praetextu ſummum armorum imperium penes eos ſit, qui ea poſtmodo non contra Proteſtanteis ſed adverſus legitimum magiſtratum diſtringant. Contra theologi noſtri diſputabant; et jam aperto capite in concionibus et evulgatis ſcriptis ad fidem Sectariis ſervandam non obligari principem contendebant, allato in eam rem concilii Conſtantienſis decreto: unicam eccleſiam eſſe, unumque verum Dei cultum; ſi multi admittantur, falſos neceſſario admitti: qua re irritatum Deum nunquam paſſurum, ut, dum Galli plus momentaneae quieti quam Dei gloriae ſtudent, otio tantopere expetito diu fruantur: igitur potius bellum idque juſtum ſuſcipiendum, quo exſtirpata Sectarii veneni peſte pax Deo grata et proinde duratura in regno conſtituatur. Secundum haec, nondum dimiſſis comitiis, rex, qui nec bellum tot difficultatibus ac periculis implicatum vellet, et tamen, rebus minime integris, Ordinum plauſibili adeo poſtulationi aliquatenus ſatisfaciendum putaret, diplomate Januario proximo dato, ſed tunc primum publicato, quid ſuae voluntatis ſit, declarat; et petitioni quidem Ordinum de unica religione in regno conſtituenda ut aequae juſtaequae acquieviſſe; idque per Monpenſerium ducem Navarro et Condaeo ſignificaſſe: ſed nequaquam ſibi conſilium fuiſſe, quod multi ad turbas ciendas, etiam

VAR. LECT. [α] eſt, ut mihi poſtea narrabat Dorronus: *D. ſ. d.*
INTERPR. [a] *Blois.* [b] *de Neufville, ſieur de Villeroy.*

etiam ex iis qui ſacra majorum colunt, evulgarint, ut propterea Proteſtantium bona ſequeſtraret, aut in eorum perſonas ſeverius animadverteret, quidquamve inclementius ſtatueret: quinimo ſemper ab initio in animo habuiſſe, eos in patrocinium ſuum tanquam fidos ſubditos recipere, et ab omni injuria perinde ac ceteros tueri: proinde mandare ac jubere, ut illi ſe quietos contineant, ac ne qui domi ſecuros aliqua in re laedant injuriave adficiant, poena perduellionis in utroſque, qui edicto non paruerint, propoſita. Sed parum eo aſtu profectum, cum et ii, qui bellum cupiebant, laxatis ſemel licentiae habenis et auctoritate regia clandeſtinis ſocietatibus accedente, cuncta ſibi impune licere exiſtimarent; nec Proteſtantes, adempto religionis publico uſu, cetera toleranda aut denique ſe ſatis domi tutos crederent.

XXVIII. CUMQUE [a] Mirambellus ad comitia delegatus ſub id ad ſuos rediiſſet, ex eo intellecto, quid Bloeſis in cauſa religionis actum eſſet, eo magis inflammati ipſo inſtigante animos, omni alia ſpe abjecta, ad bellum gerendum adjiciunt. Ei vero ob operam egregie in comitiis navatam et approbatam ſuam cunctis fidem Condaeus ſtatim [b] Broagium ad tempus et ſub conditione acceptum reſtituit: cujus facti mox ipſum poenituit, injecta ſuſpicione, quaſi Mirambellus nova conſilia de oppido regi vendendo Vidi [c] Sangelaſii Lanſaci inſtigatu reſumpſiſſet. Itaque Condaeus eadem levitate et aſtu iterum locum intercipit per [d] Caſtelluſium, Inſulanum, Navarrum, ordinum ductores, [e] Aguerra, cujus fidei innitebatur Mirambellus, in cuſtodiam dato. Poſtea Joannes [f] Balſacus Montacutus, qui ſummae rerum ſub Condaeo praeerat, in quodam levi conflictu captus, inde occaſione ſumpta a Proteſtantium partibus diſcedendi, ſe domum, petita tamen prius a Condaeo venia, recepit. Inde ſuſpicione orta, quaſi capi affectaſſet, et cum hoſtibus communicato conſilio Broagium capere in animo haberet, plerique Condaeo auctores fuêre, ut praeſidiarios loco a Montacuto impoſitos educeret, alioſque ſibi fidos in eorum locum ſubſtitueret: quod ille, quamvis de Montacuti fide minime dubitare prae ſe ferret, ſedulo fecit, eo ſtatim profectus; et, poſtquam Jacobum Mongomerium comitem loco praepoſuit, inde Eid. Mart. Joannis-fanum reverſus eſt; ubi cognito Mirambellum Broagium ſibi ereptum ad injuriam revocantem cum Lanſaco et Ludovico [g] Genulliaco Valliaco, qui CCCC circiter pedites [h] Blavia, Burgo et Pontio evocatos et LX equites circa ſe habebant, Broagium iter intendere, cum rapta manu eo revolat tanta celeritate, ut prope [i] Barbezium Broagio redeunteis Mirambellianos adſecutus ſit, qui vix ſatis temporis habuere, quo ſe Mirambellum, a quo loco Franciſco Pontio nomen, conferrent: ubi mox obſeſſi, municipio deſerto, in arcem ſe recipiunt ſitu firmam, de cetero parum munitam, Condaeo Pontii fidem et animi impotentiam accuſante; qui, cum Proteſtantium religionem profiteretur, tamen hoſtium opem implorare et ad privatam ultionem eorum auxiliis in cauſae communis perniciem uti non erubeſceret. Sed contra Mirambellus, multa de religione ac fide ſua praefatus et praecipuo erga Condaeum obſequio, replicabat, nemini mirum videri, ſi falſis inimicorum calumniis apud ipſum inſimulatus, ob idque arce primaria ſua tempore tam neceſſario ſpoliatus, ſuum perſequi et ope amicorum amiſſa reciperare in animum induxerit. Cum nihilominus Condaeus obſidionem urgeret, tamen lente re procedente, et eruptione quadam capto [k] Belſii ab obſeſſis ſigno, ad extremum Meduanii superventu inde re infecta diſceſſum eſt, Navarro Condaeum per literas admonente, ut ſub haec initia nihil proelii aleae temere committeret: nam ad famam [α] tuendam pertinere, ut nihil irrito ſucceſſu tentetur. Itaque diſtributi ſtatim per praeſidia vicina

VAR. LECT. [α] tuendam, qua bella conſtant, pertinere, *D. f.*

INTERPR. [a] *le baron de Mirembeau.* [b] *Brouage.* [c] *de S. Gelais, ſieur de Lanſac.* [d] *les capitaines Chaſtellus, de Liſle, & Navarre.* [e] *Des Aguerres.* [f] *de Balſac, ſieur de Montaigu.* [g] *de Genouillac, baron de Vaillac.* [h] *Blaye, Bourg, & Pons.* [i] *Barbezieux.* [k] *le capitaine Beaulſe.*

CIↃIↃLXXVII. HENRICUS III. vicina in [a] Santonibus et Alnetenſi pago et circumpoſitis inſulis milites. Interea in [b] Pictonibus [c] Mella dedente [d] Boneto a regiis recepta eſt: qua in obſidione Ludovicus [e] Tremollius Thoarſii dux provinciae regulus et copiis regiis praepoſitus, qui, ut Jacobus [f] Humerius in Picardia, ſic in Pictonibus foederis novi ſanciendi auctor fuerat, attrito ex longis arthritidis doloribus corpore, non ita ſenex deceſſit, relictis ex Joanna Momorantia uxore, Claudio et Carlota-Catharina ſuperſtitibus liberis, qui tantae familiae paene jacentis decus poſtea in ſummum ſplendorem evexerunt. Eodem ſucceſſu [g] Merpinum munitum ad [h] Carantonum caſtellum haud longe a [i] Cognaco, vix viſo hoſte, deditum eſt. Quamobrem is, qui loco praeerat, poſtea juſſu [k] Rupifulcaudii comitis in carcerem [l] Pontii truſus eſt. Jamque paſſim licentioſe regii per Santones, tranſmiſſo ad [m] Talliaburgum Carantono, vagabantur, [n] Saviniani-fano, quod eſt inibi dives municipium, avare direpto. Quod cum idem facere [o] Tonaei ad Carantonum tentaſſent, a [p] Luca ſtrenuo ordinum ductore cum damno repulſi ſunt, et per totum illum tractum, qui a [q] Tonaeo ad Botonam et Saviniani-fano ad [r] Briſamburgum uſque et Cognacum porrigitur, ad praedas ſe effudere. Quo tempore Condaeus, qui [s] Subiza [t] Marennas venerat, Henricum [u] Turrium Turenae vicecomitem [w] Veſuna Petrocoriorum iſtic cum aliquot copiis venientem opperiturus, Broagium conceſſit; et inde conſcenſa nave Rupellam ad foedus contrarium percutiendum tendit; ubi per Mirambelli fratrem juniorem Navarri literas accepit, quibus de induciis in XV dies pactis, quae in IV Eid. Apr. exibant, certior fiebat: ita enim cum Monpenſerio [x] Bergeracum in Petrocoriis nuper a rege miſſo, ut de pace agerent, conveniſſe.

XXIX. QUAE dum gererentur, rex duos exercitus conſcripſerat: quorum alterum Carolo [y] Meduanae duci, qui jam [z] Mediolanum Santonum cum [aa] Pigallario, Ruffeco et Rupibaritonio praemiſſus venerat, attribuit: alter Andino fratri in [bb] Biturigas et Arvernos profecturo commiſſus eſt; qui Charitaeum ante omnia obſeſſurus, petito a rege commeatu, [cc] Bloeſis VII Eid. Apr. diſceſſit, et per diſpoſitos equos poſtridie Genabum venit. Inde miſſo ad regem Philippo [dd] Angenneo Fargio, ut de voluntate ejus plenius cognoſceret, per [ee] Conadam et Pulliacum iter habuit; tranſmiſſoque [ff] Ligeri ad [gg] Capellam venit non longe a [hh] Charitaeo, quod erat Sarrae Martinengi, qui peditatui praeerat, hoſpitium. Charitaeum tenebat Jacobus [ii] Morogus Landus, primarius oppidi civis, et aulicis aliquot muneribus ſupra eam conditionem poſitus, cum V ſignis. Cum eo erant Phil. [kk] Laſinius Salinius Noeleus, [ll] Valinvilla, Villanovanus et Rainvilla. Cumque primo appulſu ad pontem oppido ſubjectum vis facta eſſet, XIII Kal. Maias colubrina ab obſeſſis diſploſa [mm] Martinengus in humero ictus eſt; quo ex vulnere, fruſtra tentatis remediis, deceſſit; bello dux ſtrenuus et variis expeditionibus exercitatus, reginaeque percharus, cujus juſſu corpus Lutetiam allatum, et in Coeleſtinorum coenobio honorifice ſepultum eſt. Cum Andino erant Guiſius, Nivernius et Aumalius duces. Bironus rei tormentariae praeerat. Ducta foſſa, dolia viminea a Nivernio promota ſunt, et III tormenta impoſita; quibus turris [nn] Cuſanae projectae munitiones decuſſae ſunt. Mox et crepido foſſae a Guiſio occupata eſt, verberatione ab Aumalio retro inſtituta, quae turrem validam oppoſitam verberabat. In imo ponte obſeſſi munitionem excitaverant; quam Claudius [oo] Bellovillerius Fani Aniani comes cum legione ſua trans Ligerim oppugnabat, inciſiſque duabus pontis pilis

INTERPR. [a] *Saintonge & Pays d'Aunis.* [b] *Poictou.* [c] *Melle.* [d] *Bonet.* [e] *de la Tremoille, duc de Thouars.* [f] *d'Humieres.* [g] *Merpin.* [h] *la Charente.* [i] *Cognac.* [k] *de la Rochefoucaud.* [l] *Pont.* [m] *Taillebourg.* [n] *St Savinien.* [o] *Tonnay-Charente.* [p] *le capitaine Lucas.* [q] *Tonnay-Boutonne.* [r] *Briſambourg.* [s] *Soubize.* [t] *Marennes.* [u] *de la Tour, vicomte de Turenne.* [w] *Perigueux.* [x] *Bergerac en Perigort.* [y] *Mayenne.* [z] *Saintes.* [aa] *de Puy-gaillard, de Ruffec, & des Roches-baritaut.* [bb] *Berry & Auvergne.* [cc] *Blois.* [dd] *d'Angennes, ſieur du Fargis.* [ee] *Coſne & Pouilly.* [ff] *la Loire.* [gg] *la Chappelle.* [hh] *la Charité.* [ii] *Moroges, ſieur des Landes.* [kk] *la Fin Saligny de la Nocle le jeune.* [ll] *de Valenville, de Villeneufve, & la Reinville.* [mm] *il conte Martinengo.* [nn] *la tour du Couſain.* [oo] *de Beauvilliers, comte de S. Aignan.*

pilis, omni ex parte cingebat, ſpe auxilii ab oppidanis venturi omnino praeciſa. Demum prid. Kal. Maias violenta verberatione ubique totum diem continuata, poſtridie N. [a] Stampenſis Firmitanus, accepta fide, in oppidum admittitur, qui cum obſeſſis ad reſiſtendum imparibus de deditione ageret. Tandem dati obſides; et eodem die urbs dedita eſt, dimiſſis nobilibus cum equis et armis, militibus cum gladio, et in tutum deductis. Ipſe Andinus per ruinam ab Aumalio factam urbem ingreſſus eſt: ſtatimque, relicto in exercitu, qui per ejus abſentiam praeeſſet, Nivernio, cum Guiſio et aliis e primaria nobilitate per diſpoſitos equos ad regem Bloeſis adhuc haerentem de ſucceſſu gratulaturus, et, quo ducendum eſſet, plenius ex ipſo cogniturus, contendit. CIƆIƆLXXVII. *Henricus III.*

XXX. Inde in Arvernos deductus exercitus ad reciperanda loca in ea provincia a Proteſtantibus occupata. Matthaeus [b] Merula Uticenſis, carminatoris lanae filius, ſed bellis, quae continua fere in Septimania hactenus fuerant, innutritus, homo ſupra fortunam audax et ſtrenuus, [c] Iſſoriacum et Ambarum ante quadriennium aſtu interceperat, et impoſito praeſidio muniverat, poſteaque, oppido in manus [d] Chavaniaci juſſu Navarri conſignato, in [e] Cebennas montes atque adeo [f] Marologium in Gabalis, quod ſub id tempus noctu admotis crepitaculis occupavit, tanquam in tutiſſimum ſibi perfugium, conceſſerat. Iſſoriacum ad radices montium loco irriguo et juxta amoeno ſitum eſt, amniculo impoſitum, mercatoribus frequens. Seſqui abhinc leuca [g] Elaver labitur, qui vallem mediam inter oppidum et [h] Pertuſam arcem dividit. Praemiſſus Guiſius, qui per fecialem praeſidiarios deditionem facere juberet, quem illi admiſſum cum ſuperbo reſponſo dimiſerunt. Itaque promota caſtra, et [i] Campanus legionis dux urbem obſidione cinxit XIII Kal. Jun. eruptione mox ab obſeſſis facta c ntrinque deſiderati. Dein advenere [k] Santaniani comitis et Jac. [l] Savarii Lancomi legiones; eorumque adventu eruptione facta dubio eventu pugnatum. Id regi per literas ſignificatum, cum quo tunc erat Andinus; qui protinus [m] Bloeſis, petita a fratre venia, ad exercitum revolavit; et per [n] Centellas in Boiis facto itinere, [o] Rigomagi ſumpto prandio VI Kal. Jun. curru per [p] Monferrandum vectus [q] Claromontium eodem die venit. Poſtridie [r] Milialdum [ſ] Alegriorum arcem acceſſit, haud longe ab Iſſoriaco; ubi concilio ducum habito verberatio diverſis locis imperatur. Tres ſummi duces ad id deſtinati. Guiſius quatuor inſequentibus diebus ad [t] Ponticulum tumulos duos excitavit, quibus tormenta VI impoſita. Philippus Emmanuel [u] Lotharingus Mercurii dux et Aloiſiae reginae frater ex adverſo pontis verberationem ſuam direxerat, quae ad III Eid. Junii nuſquam intermiſit. Ludovicus Gonzaga [w] Nivernii dux contra [x] Barbigellam portam machinas direxit. Dum continuatur verberatio, III Non. Junii tanta tempeſtas per horam incubuit, imbre et fulgure crebris ignibus micante glomerata, ut praeſidiarii pro muris ſtationes, regii vallum deſerere cogerentur. Tandem majoris templi turris fulmine tacta et quaſſata eſt. Poſtridie ad Barbigellam portam redintegrata verberatio a Nivernio, ruina ſpatioſa edita, quam obſeſſi ſarcire ſumma diligentia conati ſunt. Sequenti die infelix obſeſſorum eruptio fuit, multis ex iis deſideratis, nonnullis etiam ex noſtris graviter ſauciatis. Dein, cum Andinus in caſtra veniſſet, in concilio procerum decretum eſt, quo Gallorum ſanguini parceretur, ut obſeſſi rurſus per fecialem ad deditionem ſine conditione faciendam ſolicitarentur: quod illi facere recuſarunt, ſpe interim de auxiliis a Merula confirmata. Itaque oppugnatio tribus partibus pronunciatur; et Guiſius inermis ejuſque exemplo plerique ex nobilitate cum milite in murum enixi ſunt, ſummo cum damno inde poſtremo dejecti.

Jacobus

INTERPR. [a] *d'Eſtampes, ſieur de laFerté.* [b] *le capitaine Merle d'Uſez, cardeur de laine.* [c] *Iſſoire & Ambert.* [d] *de Chavagnac.* [e] *les Cevennes.* [f] *Marieuges,* ou *Marueges en Givaudan.* [g] *l'Allier.* [h] *Pertus.* [i] *Champagne.* [k] *de S. Agnan.* [l] *Savary, ſieur de Lancoſme.* [m] *Blois.* [n] *Chentelles en Bourbonnois.* [o] *Riom.* [p] *Monferrand.* [q] *Clermont.* [r] *Millaud.* [ſ] *d'Alegre.* [t] *la porte du Pontet.* [u] *de Lorraine, duc de Mercœur.* [w] *Nevers.* [x] *porte du Barbigeon.*

CIƆIƆLXXVII. HENRICUS III.

Jacobus [a] Claromontius [b] Buſſii junior frater, [c] Mota nobilis ordinum ductor, [d] Monmorinus in eo conflictu interfecti. Ivo Alegrii regulus, Joannes [e] Thevallius, Jacobus [f] Harlaeus Chanvallonius et plerique alii graviter vulnerati. Ex noſtris amplius ↄↄ deſiderati. Turriculas quaſdam inter enitendum noſtri occupaverant; quas et in diem uſque ſequentem retinuerunt. Nivernius de eventu veritus ſuorum impetum ſuſtinuit; et geminata verberatione ruinam ad Barbigellam portam complanare ſatis habuit. Qua re potius quam oppugnatione, in qua complures ex ſuis amiſerunt, territi obſeſſi poſtridie colloquium poſcunt: acceptiſque obſidibus [g] Floraco et Saſlangio, [h] Santaquenſis et Rudonius ad Andinum venerunt; qui, cum ſibi de vita ac rebus ſalvis caveri peterent, contra Andinus ſine conditione deditionem fieri urgeret, re infecta diſceſſerunt, remiſſis obſidibus. Tandem, cum prid. Eid. Guiſius colubrinam tranſverſo ictu in foſſam intra pomerium a praeſidiariis ductam diſploſiſſet, interfectis illo ictu xx amplius ſtationariis, omni ſpe deſtituti obſeſſi ſe Andini arbitrio permiſere, miſericordiam ejus implorantes; qui cunctos in templum concedere juſſit. Secundum haec ſtatim poſt meridiem inſtructis ordinibus miles per ruinam in oppidum immiſſus; qui, adhuc recenti ſuorum in oppugnatione occiſorum ſenſu irritatus, nullo non ſevitiae genere ac libidinis in oppidanos uſus eſt. Periculo exempti juſſu Andini [i] Chavaniacus, qui loco praeerat, Rudonius et [k] Petreius nobiles ordinum ductores; qui contra regem ſe non militaturos receperunt. Inde ad direptiones diſcurſatum: ſed, igne ſive conſilio ſive per laſciviam et inter rixandum accenſo, tanta violentia incendium vento adjuvante per aedeis graſſatum eſt, ut nulla ope, nulla vi humana reſtingui potuerit, et praedam ipſam, de qua tantopere rixabatur miles, cum oppido paene omni depaſtum ſit. Tandem imber multarum horarum ſuperveniens non tam incendium extinxit, quam, quod ignis reliquum fecerat, tectis apertis, foeda ruina omnino conſumpſit. Ita raro fortunae inter adverſa etiam jocantis ludibrio [l] Iſſoriacum duabus rebus maxime contrariis igne et aqua eodem fere tempore abſumptum eſt. Inde ad [m] Ambarum duci placuit; quod et, admotis caſtris, ſtatim deditum eſt.

INTERPR. [a] *de Clermont le jeune.* [b] *de Buſſy d'Amboiſe.* [c] *la Mote.* [d] *de Mont-morin.* [e] *de Thevalles.* [f] *de Harlay, ſieur de Chanvallon.* [g] *de Florac & de Souſilanges.* [h] *de Saintſague & Rudon.* [i] *le ſieur de Chavagnac.* [k] *le capitaine la Pierre.* [l] *Iſſoire.* [m] *la ville d'Ambert.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEXAGESIMUS QUARTUS.

EPITOME.

NAVES Luſitanae ſpoliatae a Proteſtantibus ad Olonenſeis arenarias. Calamea arx ſervata. Tonaeum ad Carantonum a regiis captum. Burdigalenſis claſſis regiae in Garumnae aeſtuario conatus: hinc contraria a Condaeo inſtructa. Aſinorum fauces in oſtio Garumnae; et ejus deſcriptio. Henricus Sabaudus captus. II. *Broagium a Meduanio obſidetur; et poſt infelicem eruptionem tandem deditum.* III. *Damvilla ſub id a Proteſtantium partibus diſcedit, et Monpelium ac Nemauſum irrito conatu obſidet.* IV.[1] *Tandem Bergeraci in Petrocoriis pax facta, condito edicto, quod ſuum vulgo rex vocabat; qui et mox Auguſtoriti Pictonum, quo venerat, edictum de monetis fecit.* V. *Obitus Franc. Folii Vigeani, Nic. Lotharingi Valdemontii reginae parentis, Bl. Monlucii, Jo. Morvillerii, Huldriei Viglii Zuichemi juriſconſulti, Didaci Covarruviae juriſconſulti, Antonii Contii juriſconſulti, Petri Daneſii, Jo. Gorraei, Remigii Bellaquei, Hannibalis Crucei, Petr. Andr. Matthioli, Petri Novi, Jo. Barroſii, Lud. Andreae Reſendii, Adami Bodenſteinii.* VI. *In Belgio Auſtrius de pace cum Ordinibus tranſigit; eoque pacificatio Gandenſis confirmatur. Secundum haec Antuerpia pulſi Proteſtantium paſtores; et arx Ultrajectina in Batavis, Viana ac Culemburgum, ac poſtremo Antuerpiana arx Hiſpanis adempta, et Hiſpani Belgio juſſi excedere.* VII. *Auſtrius Belgii gubernator declaratur: ejus ad Ordines poſtulata; qui ob nimiam Eſcovedi familiaritatem, cujus ex interceptis literis conſilia patebant, Ordinibus ſuſpectus eſſe incipit.* VIII. *Ejuſdem de Angla regno expellenda cum pontifice clam Philippo inita conſilia. Clandeſtinum item cum Guiſio foedus. Eſcovedus in Hiſpaniam cum Auſtrii mandatis profectus Antonii Perezii juſſu interficitur.* IX. *Auſtrius per Eſcovedi abſentiam de arce Antuerpiana et aliis urbibus intercipiendis cogitat: ſpecie Margaritae Navarrae deducendae Namurcum occupat: factum ſcripto excuſat; cui Ordines reſpondent.* X. *Ordinum ad Philippum literae. Antuerpiae, Gandavi, Trajecti, Inſulae, Valentianis arces dirutae. Auſtrius cum Ordinibus denuo de pace agit.* XI. *Ordines exercitum contra Auſtrium conſcribunt. Breda a praeſidiariis tumultuantibus deditur. Arauſionenſis Brabantiae, Araſchotanus Flandriae gubernator deligitur.* XII. *Matthias Caeſaris frater Belgii praeſes deſignatur; qui noctu Vienna Auſtriae profectus, non monito fratre, in Belgium venit, et ab Ordinibus excipitur, Auſtrio hoſte declarato. Araſchotanus, exorta Gandavi ſeditione, cuſtodia attinetur.* XIII. *Cum Angla actum; quae, verita ne Belgae ad noſtras partes ſe adjungerent, cum iis foedus icit. Groeningae tumultuatur.* XIV. *Novae in Hibernia defectiones ab O-connoris et O-moris.* XV. *Thomae Smithi mors, ingenium, laudes.* XVI. *Martinus Frobiſherus in Indiam per ſeptentrionaleis inſulas occidentem verſus navigationem irritam ſuſcepit. Unicornia in mari.*

EX AUCTORIBUS,

Lud. Vicino P. P. Actis publicis, Imm. Meterano, Actis et literis in Belgio publicatis, Joanne Parvo, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae.

LIBER

NOT. [1] *Lege* Tandem Auguſtoriti Pictonum et poſtea Bergeraci in Petrocoriis *Put.*

LIBER SEXAGESIMUS QUARTUS.

CIↃIↃLXXVII.
HENRICUS III.

ANDINUS dum res in Arvernis gereret, non ceſſabatur in Santonibus; ubi graſſante inter Proteſtantium copias licentia excitatae popularium ubique querelae, et Rupellanorum ipſorum, qui ſolutae diſciplinae culpam in unionem cum Catholicis politicis, quos vocabant, contractam invidioſe rejiciebant; ita ut univerſos jam belli neceſſarii taederet, et, ſi qua pacis ineundae ratio iniri poſſet, ab ea Proteſtanteis non alienos fore appareret. Condaeus, qui et gratiam oppidanorum aucupabatur, et militum opera egeret, ad praeſens, ut juſtis illorum querelis aliqua ex parte ſatisfaceret, quod unum poterat, copias dividit; et, ubi minus periculi ſubeſſe intelligebat, vagari longe a Rupella patiebatur. Neque tamen ſic utriſque placatis uti potuit: itaque, cum ad retinendum militem ſibi diſſimulandum exiſtimaret, ad multa connivere cogebatur. Jam inter belli duces murmura non obſcura audiebantur, quaſi domum ſecedere et ſibi privatim cavere in animo haberent, cum expeditio in [a] Olonenſeis arenas a quibuſdam propoſita eſt, quae et confectu haud difficilis, et non exiguum operae pretium conjunctum habebat. In eo portu XXV naves Luſitanae frumento onuſtae haerebant, ventum opportunum opperientes, quo in Hiſpaniam vela facerent. Eam praedam ſibi deſtinant belli duces, Mongomerius [b] Lorgeus, Iſaacus [c] Valdraeus Moius; idque jure belli licere aiebant; quippe rem edictis et conſtitutionibus regiis prohibitam eſſe, et merces eas ſuſpecto tempore ad homines, quos hoſtili in ſe animo eſſe cunctis conſtaret, tranſportari. Igitur comparata etiam Rupellae a turbulentis quibuſdam cuncta in eam expeditionem neceſſaria. Quo cognito, mercatores Rupellam et ad Condaeum mittunt, et fidem publicam appellant: de cetero paratos ſe imperatam pecuniam exſolvere oſtendunt. Iis cum de ſecuritate cautum eſſet, nihilominus Moius et Lorgeus ad arenas cum CIↃ IↃ circiter armatis ducunt, quae ditio ad Tremollianos pertinet: primoque appulſu arenas et [d] Calamaeum occupant, quae municipia praecipua Olonenſium ſunt, et medio portu dividuntur, qui recedenre mari in ſicco deſtituitur. Calamaeo arx imminet ſitu firma; et quae, ſi tormenta non adhibeantur, defendi poteſt. In eam [e] Bollaeus cum L ex popularibus mari et militiae aſſuetis ſe recipit, ea ſpe, ut, antequam tormenta adveherentur, a [f] Landereo et aliis regiarum partium ducibus auxilia ſummitterentur. Interea tormenta Rupella acceſſuntur; quae cum tarde advenirent, ſegniter res a pleriſque administrata, qui fidem publicam in gratiam hominum non pro religione militantium ſed praedae inhiantium violari indignabantur. Tum res incidit, quae multum ea conſilia remorata eſt, diſſidentibus in urbe de Majoris, quem vocant, electione ſtudiis: quae contentiones eo uſque exarſerunt, ut parum res a [α] ſeditione abfuerit. Tandem Condaei praeſentia effectum, ut ſecundum leges [g] C viri convenirent, a quibus nominati tres; ex quibus Petrus [h] Bobinellus, qui numero ſuffragiorum vincebat, a Condaeo Navarri [i] Aquitaniae proregis vicem fungente delectus eſt, excluſis aliis duobus. Id actum XV Kal. Maias, cum jam tormenta ad arcem obſeſſam a Moio et Lorgeo pulſandam in naveis Zelandia nuper appulſas et egregie armatas impoſita eſſent cum CCC ſcloppetariis; quae tamen, vento reflante, quatriduo in inſula [k] Retenſi commoratae ſunt: quo temporis ſpatio miſſi ab Olonenſibus ad Condaeum legati, qui vim, rapinas et vaſtationem a milite deprecabantur, obſeſſos imperata facturos polliciti: nec id aegre a Condaeo impetratum

VAR. LECT. [α] ſeditione pernicioſa *D.* f. d.

INTERPR. [a] *Sables d'Olonne.* [b] *le ſieur de Lorges.* [c] *de Vaudray, ſieur de Mouy.* [d] *la Chaume.* [e] *de Bouillé.* [f] *du Landereau.* [g] *le conſeil de Cent.* [h] *Bobineau.* [i] *Guienne.* [k] *Ré.*

impetratum interventu Rupellanorum. Itaque ſtatim tormenta et auxiliares revocati: CIƆIƆLXXVII.
ſed interim obſeſſi jam de deditione tranſegerant, pecunia depenſa vitam et res ſalvas HENRICUS III.
pacti; quibus tamen a milite, qui nullo non ſaevitiae, avaritiae ac libidinis in ea XX dierum obſidione graſſatus eſt, minime fides ſervata, adeo effraenata ubique licentia, ut neque milites ducibus, neque duces Condaeo, dicto audientes eſſent. Itaque et Retenſes, paria veriti, arma ſumpſerunt; eorumque exemplo vicini inſulani, ut ſe contra illos, tanquam adverſus hoſteis, tuerentur. Interea [a] Meduanius, qui ante in [b] Santones cum [c] Rufeeo Pigallario et Rupibaritonio venerat, exercitu collecto, ad [d] Botavillam in Engoliſmenſi agro caſtra metatus ſuerat, hoſpitio ad ſanum [e] Juliani ſumpto, haud longe a [f] Joannis-ſano. Ibi quatriduum utrinque levibus proeliis certatum, deteriore noſtrorum conditione, cum adhuc incertum eſſet, quo Meduanius ducere in animo haberet. Eodem tempore claſſis Burdigalae inſtruebatur, quae ſuſpenſos Proteſtantium animos tenebat. Meduanius Juliani ſano [g] Tonaeum ad Carantonum deflectit, locum in ripa ſuperiore fluvii poſitum, cui oppidum inſerius ſubeſt. Quod cum biduum poſt violentam pulſationem defendiſſet [h] Lucas nobilis ordinum ductor cum LX ſcloppetariis, eo relicto, in ſuperius oppidum concedit; et inde, capto eo, in arcem, quae, pavore ſemel militi injecto, ſine certamine regiis patuit: captuſque Lucas cum aliis, cum ſe ad ſupplicium ſervati intellexiſſet, fugam meditatur; ſed interceptus, et, cum ſe defenderet, occiſus eſt. [i] Rupifortium e veſtigio, cui [k] Gargolleum Rupellanum Condaeus impoſuerat, vix viſo hoſte, deſeritur. Loco [l] Caſocandidus a Meduanio praefectus eſt, addito firmo praeſidio, quod continuis excurſionibus maxime Proteſtanteis poſtea infeſtavit. Ex eo, quaſi fortuna Proteſtantium partes deſerente, dilabi a ſignis miles; alii domum concedere; quidam ad noſtros transfugere; praecipue Politici, qui ſocietatem cum Proteſtantibus inierant; multi etiam, pacis injecta mentione, eo ſegnius communi cauſae operam navare; cunctoſque licentiae militaris pertaeſos belli taedium ceperat. Sub id tempus Monſerrandus [m] Langoranus, [n] Veſunae Petrocoriorum praefectura remotus, concepta ob id indignatione, a partibus diſceſſit: cujus exemplum veritus Navarrus ne plerique ſequerentur, propere ex [o] Benearni pago, quo ad inviſendam ſororem excurrerat, [p] Neracum rediit, quaſvis pacis conditiones modo non omnino iniquas amplecti paratus. Jamque Franciſcus [q] Scarſius et poſt eum Petrus [r] Villarius archiepiſcopus [s] Viennenſis Bergeracum, ubi jam Monpenſerius erat, venerant, Navarrum eo brevi venturum opperientes, cum Condaeus [t] inſulanos evocat, et, quo claſſis Burdigalae inſtructae conata tendant, oſtendit; nimirum, ut in inſulas exſcenſione ſacta extructiſque ad aditus munitionibus Rupellam in arctum ab extima parte cogant, ſalinarum uſu adeo Proteſtantibus fructuoſo adempto; Meduanius vero oppugnatione terreſtri urbem cingat, et ita undique cinctam ad deditionis neceſſitatem tandem adigat: tum eos hortatur, ut animos, opes, induſtriam ad propulſandum commune periculum conſerant. Eadem apud Rupellanos ipſos oratione uſus poſtremo pervicit, ut, inſulanis operam ſuam et opes, quas poſſent, deferentibus, claſſis XX navium inſtrueretur; in cujus ſumptus X aureorum cIↃ a C civibus mutuo ſumpta. XX duces delecti; quibus Georgius [u] Claromontius Amboſianus cum ſummo imperio praefectus eſt. Interea Meduanius ad Maranum caſtra ponit prid. Non. Maias, ſumpto ad [w] Noallium III a Rupella leucis hoſpitio. Municipium id eſt undique paludibus cinctum; ideoque equitatui inacceſſum, nec ſacile pediti pervium. Quia autem multis locis aditur, et copioſo milite ad aditus ſervandos indiget, Condaeo ab initio placuerat, ut locus deſereretur. Sed Rupellani,

INTERPR. [a] *le duc de Mayenne.* [b] *Saintonge.* [c] *de Ruffec de Puy-gaillard, & des Roches-baritaut.* [d] *Bouteville en Angoumois.* [e] *S. Julien.* [f] *S. Jean.* [g] *Tonnay-Charente.* [h] *le capitaine Lucas.* [i] *Rochefort.* [k] *Gargouillaud Rochellois.* [l] *Maiſon-blanche.* [m] *le baron de Langoiran.* [n] *Perigueux.* [o] *Bearn.* [p] *Nerac.* [q] *d'Eſcars.* [r] *de Villars.* [s] *de Vienne.* [t] *ceux des Iſles.* [u] *de Clermont d'Amboiſe.* [w] *Noaillé.*

Rupellani, quotum intereràt locum ſervari, parum de periculo defenſorum ſoliciti, tenuerant, ut praeſidium firmum imponeretur, duce [a] Popellinerio, qui jam totos treis menſeis cum cc ſcloppetariis et xx equitibus contra [b] Fontenaienſium et Niortianorum incurſiones ac conata locum defenderat. Verum, intellecto [c] Tonnaeum a Meduanio captum, jamque in eo eſſe regios, ut [d] Maranum obſiderent, Condaeum et Rupellanos de promiſſis auxiliis interpellat: a quibus acceptis cc ſcloppetariis commeatu locum pro tempore munit, et arcem in primis hactenus neglectam; quam, etiam capto municipio, tueri in animo habebat. Interea Meduanius paludem percontatur, et juxta [e] Baſtiliam pontem conſtrui jubet, dato [f] Rupibaritonio negotio, ut munitiones circum exſtructas per pontem incedentibus ſuis incommodaturas caperet. Quo cognito, obſeſſi, inconſulto duce, cum prius fidem de ſuſtinendo hoſtium impetu obligaſſent, ſigna rapiunt, et ſe ad diſceſſum parant, Popellinerio precibus ac minis eos nequicquam obteſtante, ut tantiſper remanerent, dum a Condaeo, qui in proximo erat, nova mandata acciperent. Sed nihil adverſus obſtinatum praeſidiariorum propoſitum ducis preces valuere, quin illi ſummo mane ſe ſignis explicatis ad ſuos reciperent, non perinde bene a Rupellanis excepti, qui, amiſſo Marano cum ſe in ſummas anguſtias conjectos viderent, claſſem deſtinatam maturant, inſtante P. [g] Bobinello, eamque ex navibus, quas [h] Broagii ſtiterant, apparant, pecuniamque ad id deſtinàtam etiam ab invitis exigunt. Cum autem praeſidiarii, qui Marano egreſſi erant, circa Rupellam vagarentur, haud ſatis munitis hoſpitiis, quod eos intra muros accipere, licet hoſte vicino, oppidani recuſarent, capta inde occaſione, Meduanius in eos ex improviſo movet, et quoſdam hoſpitio exuit. Dein majori mole certatum, eruptione a Rupellanis facta, neque magno tamen operae pretio. Mox Meduanius tubicinem ad Condaeum mittit, et inſolenti laſcivia eum ad haſtae certamen ſecum invitat. Alii item ex nobilitate Condaeanos provocant, ſi qui eſſent, qui virtutis ſuae periculum in dominarum gratiam facere vellent. Quod ad injuriam revocavit Condaeus, quod ab homine ſibi privatim infeſto id fieri cerneret, tempore maxime ſuſpecto, quo diverſis ex locis ab amicis monebatur, ut ab inſidiis ſibi caveret. Itaque tubicinem ſtatim remittit; imperatque, hero ſuo renunciaret, facile illi eſſe viribus regiis ſubnixo imparibus pro tempore intempeſtiva ſuperbia inſultàre: ceterum fortunam ſaepe mutare; et nuper, cum [i] Mediolani Santonum eſſet, ipſe vero cum exercitu incederet, tunc ad pugnam exire debuiſſe: quod ad duellum attinet, ſcitum eſſe, parium eſſe ejuſmodi certamina: quam vero diſpari inter ſe conditione ſint, minime ipſum ignorare. Cum hoc reſponſo remiſſus tubicen. Quo accepto, Meduanium intempeſtivae denunciationis poenituit, quam non ita male interpretaturum Condaeum ſibi perſuaſerat. Inde ipſe, relicto Marani Joanne [k] Caſtrobriando Sanjoanio Rupibaritonii fratre cum praeſidio, Noallio diſcedit IV Eid. Maias; et, per inferiores [l] Pictones ad reficiendum ſe milite diſtributo, majores copias, antequam quidquam aggrederetur, opperiri ſtatuit. Interea claſſis LX navium [m] Burdigalae inſtructa, duce Vido [n] Sangelaſio Lanſaco, vela fecerat, ad [o] Retenſem inſulam et Uliarum curſum directura; quibus occupatis, oſtium Rupellae veluti obſtruebatur: cui contraria a Condaeo vix tandem oppoſita eſt, duce Georgio Claromontio Amboſiano; quae cum ad [p] Baiae promontorium regiam obviam habuiſſet, tantum e longinquo tormentorum diſploſione certatum fuit, ignaro Lanſaco, quam imparati hoſtes eſſent: quod ſi reſciviſſet, claſſem hoſtilem eo die procul dubio deleviſſet. Sed nocte naves melius omni apparatu bellico inſtructae mane in conſpectum regiorum venerunt; qui ſe medios interpoſuerunt, ut in Retenſem inſulam

INTERPR. [a] *la Popeliniere.* [b] *ceux de Fontenay & de Niort.* [c] *Tonnay-Charente.* [d] *Marans.* [e] *Baſtille.* [f] *des Roches-baritaut.* [g] *Bobineau.* [h] *Brouage.* [i] *Saintes.* [k] *de Chateaubriand, ſieur de S. Jean.* [l] *le bas Poitou.* [m] *Bourdeaux.* [n] *de S. Gelais, ſieur de Lanſac.* [o] *Iſle de Ré & Oleron.* [p] *Chef de Baye.*

inſulam deſcenderent: ubi Lanſacus, poſtquam inſulanos, ut ſe dederent, fruſtra monuit, tandem ad [a] Michaëlis in eremo fanum deflexit; ibique commeatu accepto, et miſſis in terram, qui de copiis, quarum ſpes facta erat, ad inſulas occupandas neceſſariis certius cognoſcerent, cum minime illae, ut ſperaverat, comparerent, Meduanio longius [b] Chizaeum et Mellam uſque in interiora Pictonum progreſſo, aliquandiu tamen in anchoris ſtetit, dum interim hoſtes, collectis ex tumultu et pavore animis, cum providerent, mora vireis Lanſaci augeri, triremibus propediem venturis et aliis ex [c] Armorica navibus, ſuas contra tempore minui, concilio Rupellae coram Condaeo habito, cum regia claſſe totis viribus decernere ſtatuunt. Dumque in eo ſunt, commodum accidit, ut Lanſacus, qui de receptu cogitaret, ipſe in hoſtilem claſſem incurrerit, ex occaſione navis [d] Teutonicae inſequendae, quae inter regias naveis perrumpens Rupellam verſus iter dirigebat. Itaque, cum paene ea ratione ad certamen deveniſſent, Lanſacus, elapſa nave, ad Retenſem inſulam objectam deflexit, et juxta [e] Semblancea, nam munitionem ante quadriennium a [f] Polinio Garda tempore obſidionis exſtructam aliquot ſcloppetorum et tormentorum velitationibus cum inſulanis pugnavit: confeſtimque expedito curſu [g] Burdigalam verſus vela facit, fruſtra inſequente hoſtili claſſe, quae CIↃC bellatores circiter portabat; quaeque cum navibus grandioribus et ſalis in tempore non exonerati pondere gravibus conſtaret, non perinde expedite incedere et abeunteis adſequi potuit. Igitur ad [h] fauces uſque Aſinorum progreditur: id loco nomen in oſtio aeſtuarii Garumnae, quod brevia et crebra vada ſabuloſa non ſolum infeſtum navigantibus efficiunt, ſed horridum adeo fragorem undis ad arenas allidentibus cient, ut Arcadiae pecuaria rudere credantur, et ex inſuavi ſono nomen loco inditum ſit; ſicuti ex eadem cauſa Scyllae et Charybdis in freto [i] Mamertino latrantium ſabulae locum antiquitas dedit. Oſtium autem Garumnae pulcherrimum toto mari oceano et ſpatioſiſſimum dividit ſcopulis impoſita turris [k] Cordoana, Alexandrinae turris in Pharo exſtructae inſtar, iter navigantibus inde ex Hiſpania ſecundum [l] Medullorum litus, inde ex Armorica et Pictonibus per Santonicum litus adverſum et fauces illas Aſinorum, interdiu noctuque accenſis ignibus, monſtrans. His in faucibus adverſo vento aliquandiu Lanſacus haeſit, hoſtili interim claſſe, quae huc uſque proceſſerat, retro vela faciente; quae tamen, haud ſecus ac ſi conſerto certamine debellatum eſſet, triumphanti ſimilis Rupellam reverſa eſt. Qui ſucceſſus ut non parum Lanſaci exiſtimationem imminuit, ita Proteſtantibus contra animos ad majora audenda fecit. Lanſacus, expoſito [m] Talemontii, [n] Mechae, quae [o] Tremollianae ditionis oppida ſunt, et [p] Blaviae milite, ut ſe a nauſea reficeret, animum ad novam expeditionem adjecit, ut recentis minus jucundam memoriam induceret: nec ceſſabat Condaeus, qui navem [q] Cantabricam CCCC amphorarum omni re inſtrui curavit. Interceptus ſub id tempus Henricus [r] Sabaudus, Franciſcae [ſ] Roanae Renati vicecomitis Roani ſororis filius, qui ſe principem [t] Genevenſem indigitabat, atque adeo Jacobi [u] Nemoroſii ducis filium, qua de re ſupra ſuo loco diximus, juvenis ſecors et tanto nomine indignus. Is cum craſſiorem Rupellae aërem cauſatus valetudinis cauſa in loco intuto extra urbem moratetur, ab emiſſariis [w] Meduanii captus, et [x] Tonaeum ad Carantonum primo dein [y] Engoliſmam deductus, nullo pretio pro tempore redimi potuit; creditumque eſt a multis, cum ad exitium ſervari, quod matrimonium inter Nemoroſium poſtea et Annam [z] Ateſtinam Guiſiorum parentem contractum impugnaret, et ſtatum liberorum

ex

INTERPR. [a] *S. Michel en l'herm.* [b] *Chiſay & Melle.* [c] *Bretagne.* [d] *une hourque d'Embden.* [e] *de Sambianceau.* [f] *le baron de la Garde*, dit *le capitaine Polin.* [g] *Bourdeaux.* [h] *Pas des Aſnes, où eſt l'embouchure de la Garonne.* [i] *Faro di Meſſina.* [k] *de Cordouan.* [l] *Coſte de Medoc.* [m] *Tallemont.* [n] *Meches en Poictou.* [o] *de la Tremoille.* [p] *Blaye.* [q] *de Biſcaye.* [r] *de Savoye.* [ſ] *de Rohan.* [t] *de Genevois.* [u] *le duc de Nemours.* [w] *le duc de Mayenne.* [x] *Tonnay-Charente.* [y] *Angouleſme.* [z] *de Eſte.*

ex eo ſuſceptorum in dubium revocaret. Quam invidiam veritus Meduanius eo majorem vitae ejus curam habuit, appoſitis fidis cuſtodibus, qui captivum ab omni injuria tuerentur; magnamque ea re fidei, etiam in cauſa ad matris decus pertinente religioſe ſervatae, laudem meruit.

II. INTEREA Condaeus [a] Broagium venit; ubi res admodum perturbatas offendit, oppidanis pleriſque injuriam [b] Mirambello ſactam indigne ferentibus, et alioqui Mongomerianorum imperia ac petulantiam parum aequo animo accipientibus. Huic attributus erat [c] Manducagius legatus, vir priſci moris et diſciplinae, ob idque oppidanis magis acceptus; quem Condaeus, ut oppidanos aliquo modo placaret, amoto Mongomerio, loco praefecit, et res ad ſuſtinendam obſidionem pro tempore ordinavit. Idem et diligenter a [d] Campeto Saugeono ſactum, qui [e] Roianum tenebat, Tremollianae dirionis oppidum, in aeſtuario [f] Garumnae ad res gerendas magni momenti, et quod Meduanius, a Burdigalenſibus exoratus, quibus illud maxime incommodabat, obſeſſurus credebatur. Cumque ad regiorum diſturbanda conſilia claſſe valida opus eſſet, rurſum in eam cogitationem revolutis ducum animis, Condaeus Rupellam reverſus cum oppidanis agit, miſſo [g] Arnoldo rei maritimae perito ductore, qui Garumnae aeſtuarium ingreſſus de hoſtium claſſe cognoſceret; tandemque, annitente P. [h] Bobinello, tenuit, ut claſſis inſtrueretur. Et, quia propriae vires in eam rem haud ſatis eſſent, miſſus Franciſcus [i] Perſona cum aliis urbis delegatis in Bataviam ad Arauſionenſem et Belgii Ordines, communeis amicos, qui majora navigia, quibus illi abundant, cum rebus ad bellum neceſſariis commodari peterent; ſera, tam vicino hoſte, auxilia. Interea Meduanius, cum quo erant ex proceribus Nicolaus Lotharingus, Carolus [k] Lotharingus Ellebovius, Joannes [l] Aumontius, Joannes [m] Scarſius Valliguidonius, Philippus Strozzius, Joachimus [n] Dintevilla, Jo. Leomontius [o] Pigallarius, Franciſcus [p] Caſtaneus Rupipozacus, Vidus [q] Dallonius Ludenſis comes, Philippus [r] Voluirius Rufecus, [ſ] Mortanius, [t] Barbezerius Chemeraldus, alii, x Kal. Quintil. ad Broagium caſtra poſuerat, diſtributis ad [u] Herſam vicum ſubjectum copiis; a quo per aggerem hinc inde paludibus ſalinariis cinctum anguſto calle ad oppidum itur, interjecto ad latus luco; cui parcitum ab obſeſſis in Mirambelli gratiam; quod ipſis poſtea multum incommodavit. In imo aggere molatrina ſubventanea erat, ab obſeſſis tumultuario opere munita; quam protinus deſerere coacti ſunt, ſubeuntibus regiis luco occupato tectis: moxque arctius ab ea parte cinctus locus eſt. A fluvio in Santonibus, cui a [w] turre cognomine intra terram III circiter leucas retracta nomen, Broagium dictum eſt, municipium paucis abhinc annis conditum, ſolo paludoſo et accedente mari fere immerſo; quod ſeptentrionalium populorum iſtuc ad ſalis, cujus illis locis optimi copia eſt, ſubvectionem commeantium appulſu crevit, ſaburra, quam in naveis vacuas imponebant, eo loco exonerata, ita ut tumulus tractu temporis in mari excitatus ſit, forma quadrata, XXC circiter paſſuum amplitudine, qui vallo et palis initio a Jacobo [x] Pontiano, a quo et Jacopolis nomen, cinctus eſt, aſſeribus abietinis et malis navium introrſum ductis et ceſpitibus ac lignorum faſcibus firmatus. Dein poſt [y] Monconturianam pugnam Hardoinus [z] Villerius Riverius Pitallerius locum Proteſtantibus ereptum propter ſitus commoditatem firmiore vallo et propugnaculis munivit. Sed, Fr. [aa] Rupifulcaudio comite ſuperveniente, cum inde [bb] Dorienna et Hannibal [cc] Coconacius cum

VIII

INTERPR. [a] *Brouage.* [b] *le baron de Mirembeau.* [c] *le ſieur de Manducage.* [d] *Campet, baron de Saugeon.* [e] *Royan.* [f] *la Garonne.* [g] *le capitaine Arnaud.* [h] *Bobineau.* [i] *la Perſonne.* [k] *de Lorraine, marquis d'Elbeuf.* [l] *D'Aumont.* [m] *d'Eſcars de la Vauguyon.* [n] *de Dinteville.* [o] *de Puy-gaillard.* [p] *de Chaſteigner, ſieur de la Rochepozay.* [q] *de Daillon, comte du Lude.* [r] *de Voluire de Ruffec.* [ſ] *de Mortaines.* [t] *de Barbezieres, ſieur de Chemeraud.* [u] *village d'Hiers.* [w] *une ancienne tour,* nommée *Broue.* [x] *de Pons.* [y] *de Moncontour.* [z] *de Villiers, ſieur de la Riviere Puitaillé.* [aa] *de la Rochefoucaud.* [bb] *Dorienne.* [cc] *de Coconas.*

VIII Gallorum et Italorum ſignis dejecti eſſent, Mirambellus rurſus loco muniendo animum adjecit; et inſulanis vicinis illuc commoditate et domini ipſius popularitate et humanitate invitatis loca ad habitandum volentibus diſtribuit. Ita urbs in eam, quam videmus, magnitudinem excrevit. Occidentem verſus haud hinc longe objacet [a] Uliarus inſula omnium rerum feraciſſima, quae VII fere leucas in circuitu patet, et ipſa Pontianorum ditionis, ex qua commeatus quotidie Broagium comportabatur: verum negligentia ſumma res adminiſtrabantur, inſulanis haud ſatis aequis, nec dum injuriam Mirambello factam oblitis, ut penuria ejus, qui tamen largius comportari per menſem integrum ante obſidionem poterat, deditio ad extremum ſecuta ſit. Sexto poſt adventum Meduanii die, cum res interea crebris velitationibus geſta eſſet, impetu facto regii molatrinam ſubventaneam, quae a [b] Sernaeo tenebatur, machinarum aliquot ictibus pulſatam noctu invadunt; et, vallo circa eam occupato, obſeſſos ad crepidinem uſque foſſae compellunt; quorum plerique, mediis jam noſtris, inter molatrinam et oppidum aut interfecti aut in paludes ſalinarias praecipitati ſunt. Promotum dein vallum ad majus uſque propugnaculum; quod tumulo ante excitato obſeſſi muniverunt, et ad extremam uſque obſidionem fere tenuerunt. Inde excurſionibus et eruptionibus utrinque certatum; et ad [c] Juſti et Aniani fana multi ex noſtris intercepti et male mulctati. Tandem Condaeus, ut obſeſſis animos praeſentia ſua faceret, claſſem conſcendit, et ſe obſeſſis pariter ac regiis in armis oſtendit, facta ſpe [d] Manducagio per [e] Claromontium, ut brevi claſſem regiam, a qua magis ſibi obſeſſi metuebant, in [f] Garumnae aeſtuario aggrederetur ac diſturbaret. Hoc conſilio cum XVII majoribus et totidem minoribus navibus ſolvit VI Kal. Quintil. inter Uliarum et [g] Retenſem inſulas facto itinere: ſed poſt longam ſerenitatem tempeſtate ſub noctem coorta plerique ex nobilitate nauſcabundi Condaeo auctores fuerunt, ne ulterius pergeret; neque rem proclii aleae committeret. Ita irrita expeditio navalis fuit; Fontarabia ſub id advecta nave [h] Cantabrica IↃC amphorarum, quam Lanſacus expectabat. Crebris interim velitationibus ad oppidum pugnabatur; et ex vicinis praeſidiis crebrae in regios excurſiones fiebant. [i] Campetus, qui [k] Roianum tenebat, cum [l] Saugeoni ad Sudram quoſdam laxius et ſecurius agere comperiſſet, cum rapta manu illuc advolat; et, L ex iis interfectis, multos etiam cepit; et inter eos Philibertum [m] Guichium et Jacobum [n] Levium Cailuſium, qui poſtea in flagranti regis gratia floruerunt. Sed in reditu male mulctatus alterum fratrem amiſit, alterum graviter vulneratum Rupellam, ut diligentius curaretur, mittere coactus eſt. Diverſa parte Joannis [o] Angeriaci-fano egreſſi praeſidiarii Jacobum [p] Harvillam Palatiolum magni animi juvenem, qui ad exercitum cum levis armaturae ala veniebat, et ad [q] Eparchii-fanum haud longe ab [r] Engoliſma hoſpitium habebat, noctu VIII horarum itinere confecto, nec opinato aggreſſi, univerſos fere equis et armis exuunt, ipſumque cum nonnullis ex nobilitate interficiunt. Jamque vallum ad foſſam uſque productum fuerat diligentia Pigallarii; et tumulo excitato V Non. Jul. III tormenta in murum oppoſitum directa, potius ut Lanſacus maturandi adventus admoneretur quam alio operae pretio. Quo cognito, Claromontius, qui in anchoris ante [s] Broagium ſedebat, Rupellam ad Condaeum redit et novas copias poſcit: ſed, Rupellanis nobilitati propter ultimam expeditionem irritam ſuccenſentibus, cuncta confuſe et retractanter fiebant: luſtratis tamen copiis, quae in urbe erant, cum CIↃ ſcloppetarii numerati eſſent, cui numero commeatus in urbe impar erat, obſeſſi, qui diuturnae obſidionis periculum ob annonae anguſtiam verebantur, optimum factu judicarunt, ſi delecti quique ex claſſe in oppidum introducerentur, et duplicato praeſidio

impetus

INTERPR. [a] *Oleron.* [b] *de Sernay.* [c] *S. Juſt & S. Agnan.* [d] *le ſieur de Manducage.* [e] *de Clermont.* [f] *la Garonne.* [g] *Ré.* [h] *de Biſcaye.* [i] *Campet.* [k] *Royan.* [l] *Saugeon ſur Sudre.* [m] *de la Guiche.* [n] *de Levis, ſieur de Quailus.* [o] *S. Jean d'Angely.* [p] *de Harville, ſieur de Palaiſeau.* [q] *S. Cibardeau.* [r] *Angouleſme.* [s] *Brouage.*

impetus in reglos totis viribus quamprimum fieret. Verum et hoc ſegniter factum. Tandem Lanſacus cum claſſe venit, et inter [a] Uliarum et Retenſem inſulam ad [b] Baiae promontorium pernoctavit haud longe ab hoſtili claſſe; unde ſub auroram, diſploſis aliquot tormentis, Rupella praetervecta, in Broagii canalem deflexit; quo mox eum Claromontius ſubſecutus eſt pugnandi certus: ſed, una et altera nave nauclerorum imperitia ad brevia alliſis, conatus fruſtra fuit. Itaque aſtu res tentata; et compoſiti artificioſi ignes, quatuor mediocribus navigiis ad id paratis, quae funibus ſpatio idoneo colligata aeſtu impellente et remulco tracta in proras navium regiarum incumberent, et incendium in eas immitterent. Id noctu haud omnino infeliciter tentatum, magno regiorum pavore, ita ut primaria ſecundum praetoriam navis interiora petere coacta ſit; et, cum tormentorum ictibus ex oppido peteretur, ſigno deditionis facto, praeſidiariis deceptis, periculum evaſit: quod obſeſſis multum poſtea incommodavit, per navem illam commeatu, qui ex ſuperiore canali in oppidum comportabatur, intercluſo. Secundum haec et rurſus artificioſis ignibus tentata claſſis regia; ſed irrito ſucceſſu, laxius porrectis navibus, ut et a vento et hujuſmodi periculis tutae eſſent. Sub id igne accenſo Uliarenſes ſignificant, V triremeis, Fabiano [c] Monlucio duce, inter Uliarum et [d] Alvertenſem inſulam conſpectas; contra quas mox VI naves a Claromontio miſſae, quae jam canalem egreſſas et in altum vi remorum provectas aſſequi minime potuerunt. Tandem illae [e] Carantoni aeſtuarium ingreſſae ſunt, Claromontio ſemper ſed fruſtra inſequente; quem, protinus remittente vento et aeſtu intumeſcente, vi remorum praetervectae, in conſpectu ipſius ſe claſſi regiae conjunxerunt. Quo facto, cum certamen impar inter utramque claſſem futurum appareret, tamen Claromontius, qui ſe calumniis peti ſciret, et culpam alienam in ſe rejici, conſilium audax, ſed ſibi neceſſarium, pugnandi ſumit; et cum regia claſſe congreſſus, a triremibus tormentorum ictibus undique quaſſata praetoria, malis et antennis dejectis, et plus C ex ſuis ſeu occiſis ſeu ſauciatis, miſerabile vel ipſi victori ſpectaculum praebuit, cum ceterae, quae numero claſſem regiam ſuperabant, deſides ſederent, et laboranti duci ſuo praeſto eſſe non poſſent: alliſaque ad extremum ad ſyrteis, quae crebrae illis locis ſunt, praetoria, et propraetoria, diremto nocte certamine, ad Alvertenſem inſulam primum, dein ad Baiae promontorium ſe recepit. Quo cognito, Condaeus continuo ad eos advolat, ut caſu heſterno conſternatos erigeret, et pleroſque a claſſe dilabenteis retineret: [f] Traliamque ductorem, qui jam ſaepius natatu in oppidum commeaverat, ad Manducagium et obſeſſos mittit; bonoque eos eſſe animo jubet: non claſſem auxiliarem tanquam victam receſſiſſe; venti illud et formae navigiorum certamen fuiſſe; quo quaſſatas naveis paucorum dierum ſpatio refici oporteat: mox comparituram claſſem, quae feliciore vento uſa triremeis disjectura ſit. Ad haec ſociorum nomine Manducagius ſuis non defuturos animos reſpondit, modo promiſſa ſubſidia in tempore non deſint, et claſſis, in qua praecipuum robur et praeſidium obſeſſi ponant, rurſus eadem alacritate in canalem redeat. Murmura interim in urbe audiri: plebs duces incuſare, quod ſegniter rem gererent; quod cum regiis conſilia communicarent; belli onus et incommoditates plebis cervicibus veluti impoſitas; ejus decus et commoda ad nobilitatem redire: jam ſatis ſe ludibrio habitam; nunc tandem faciendum, quod jampridem factum oporteat: ſuis, non aliis auſpiciis bellum gerendum: aliter ſuſpiciones, quae occaſiones rei bene gerendae eripiant, purgari non poſſe; quae ſi ſuboriantur, aequabili jure inter civeis conſtituto iis opportuna remedia in tempore adhiberi poſſe; quod minime ſperandum ſit, quam diu res a potentioribus adminiſtrabitur; quos non tanquam auxiliares accerſiviſſe, ſed veluti ſaeviſſimos libertati patriae

INTERPR. [a] *Oleron & Ré.* [b] *Chef de Baye.* [c] *le chevalier de Montluc.* [d] *d'Alvert.* [e] *la Charente.* [f] *le capitaine la Treille.*

patriae dominos impoſuiſſe ſibi videantur. Contra, iniquitatem plebis incuſabant proceres, quae res ex eventu metiatur, nec videat, optima conſilia plerumque a fortuna everti: ad haec, eos rerum ignaros, ideoque ſuſpicionibus obnoxios, fere rixis, diſſidiis et aemulatione perpetuo digladiari, et, dum altercantur, nullos apparatus fieri: nihil in futurum provideri; cuncta confuſe et per tumultum agi, imperioque, quod penes unum eſſe debeat, miſere per factiones, quae inter ipſos regnant, dilacerato, nihil recte adminiſtrari: ſuam vero miſeram conditionem, qui inſanae plebis arbitrio, rebus imparatis, non ad pugnam, ſed ad lanienam et conjunctum cum dedecore exitium certiſſimum tanquam in arenam producantur. Dum contrariis querelis hinc inde certatur, Lanſacus ſucceſſum urget, et Uliarum dedentibus ſe inſulanis in fidem accipit, eamque praeſidiis opportuoe diſpoſitis firmat, ut ab ea parte tranſitum a Rupella ioſeſtum redderet, et commeatum, quo ex ea inſula copioſo ſublevabantur, averteret. In eam rem et ſanum [a] Moyſis, quod leucam a Broagio abeſt, praeſidio firmatum, impoſito [b] Eſcillio, qui Proteſtantium partes aliquando ſecutus fuerat: quo mox, antequam locus commode defendi poſſet, duxere Rupellani, periculum veriti, et praeſidiarios cum duce obtruncarunt. Nihilominus cum validiore manu eodem miſſus a [c] Meduanio [d] Cemeraldus; qui oec meliorem ſortem expertus eſt. Nam, cum Condaeus ſtatim auxilio miſiſſet cc ſcloppetarios, exiguo commeatu praeter pulverem onuſtos, ducibus [e] Raſio, Cardonio et Villanovano, non monitis obſeſſis, oe fama rei ad regios emanaret, vix illi tandem agniti et in naveis ab obſeſſis accepti ſunt, et incumbentibus regiis ad LX et amplius armis exuti, capti aut interfecti: [α] ſed in eo conflictu Cemeraldus, qui primus impreſſionem fecerat, deſideratus eſt. Rex vero, ubi de ſucceſſu cognovit, [f] Bloeſis diſcedens [g] Pictavium venit, quod et ſolemni pompa menſe Julio ingreſſus eſt, ut proximitate ſua rebus jam ex voto procedentibus favorem conciliaret, a bello tamen alienus, et pacis conſtituendae certus, quam ſe aequiorem in illo rerum proſpero curſu habiturum ſperabat. Inde Helvetios ad Meduanium mittit: quibus ſubnixus ille verberationem inchoat ad Lupi-paſſum, id propugnaculo nomeo ad meridiem et mare objecto, inde dicto, quod per eam partem olim impune lupi municipium ingrediebantur. Locum vallo ante promoto et munitiooe excitata firmaverant obſeſſi; ad quam Meduanius, ıↄ circiter tormentorum ictibus diſploſis, impetum fieri jubet. Locus captus, ac mox receptus, auxilio ſuperveniente Manducagio, qui in femore grave ac poſtremo lethale vulnus accepit. Id actum IX Kal. Sextil. Interea claſſis quaſſata ad [h] Baiae promontorium ſedebat; et, cum metueret Condaeus, ne [i] Florida et Princeps, ea erant praecipuarum navium ſecundum praetoriam et propraetoriam nomina, milite deſtitutae et magno machinarum numero onuſtae in manus regiorum venirent, eas triſtiſſimo de obſidionis eventu augurio exarmari mandat; quippe ita ſpe reficiendae claſſis, quod ſibi perſuaſerant obſeſſi, omnioo praeciſa. Cumque mox ſuperveniſſet Lanſacus, rei haud ignarus, diffugientibus navarchis et exiguo, qui ſupererat, milite, navibus item Anglis in tutum ſe ſubducentibus, Princeps illa navis a triremibus circumventa, tandem carina aquam hauriente, cum ſenſim mergeretur, omoi ſpe capiendae ejus adempta, ignibus artificioſis a Lanſaco injectis abſumpta eſt, IV etiam machiois amiſſis, quae, ab igne prius corruptae, poſtea recedente mari receptae ſunt. Inde ad Floridam verſus impetus ad [k] Retae litus haerentem, quam XXX armati circiter tuebantur; qui [l] Noneto Normanno unius e triremibus praefecto vitam ſalvam pacti ſe dedidere. Quo facto, Lanſacus ad obſidionem, voti compos, abolita prioris expeditionis memoria, reverſus eſt; ubi, promoto ad foſſae crepidinem vallo, tumulus

VAR. LECT. [α] ſic in *D. ſ.* in aliis autem poſterioribus editionibus *in eoque conflictu.*

INTERPR. [a] *Bourg de Moyſe.* [b] *d'Eſchillez.* [c] *le duc de Mayenne.* [d] *le ſieur de Chemeraud.* [e] *des Razes, Chardon, & Villeneufve.* [f] *Blois.* [g] *Poictiers.* [h] *Chef de Baye.* [i] *la Fleuriſſante & le Prince.* [k] *Ré.* [l] *le capitaine Normand de la Nonete.*

CIƆIƆLXXVII. HENRICUS III. tumulus ex doliis, lignorum faſcibus et tabulis excitatur, v tormentis ſuperinjectis, ex quo in portum urbis infeſta verberatione fulminabatur; quem ignibus artificioſis jactis cum incendere conarentur obſeſſi, a Meduanio prohibiti fuere. Jamque in dies annona deficieote, liquebatur animi miles, et murmura haud occulta inter duces et nobiles exaudiebantur; cum [a] Valaſergus Sereus, qui nuper cum Maninvilla Rupella venerat, ad Manducagium ex vulnere adhuc infirmum, Condaeique verbis ſocios bene ſperare jubentem, converſus, Quid tandem nobis fiet, ioquit, cum omnia ſedendo conſumpſerimus, et vireis vigiliis ac vulneribus, animos oimia patientia, amiſerimus? An ſpooſorem te, Manducagi, praebes, fore, ut auxilia promiſſa repraeſententur, et annona obſeſſis ſummittatur? Neſcis, has artes eſſe illorum, qui obſeſſos ad durandum confirmant? Quid ergo moramur? An, ut fame et ſiti (nam et heic peouria aquae eſt) enecti nos hoſtis irae ac libidini permittamus? quin potius, dum vires et animi ſuperant, dignum nomine Gallico et cauſa, quam tuemur, conſilium capimus, et certum exitium, quod ante oculos obverſatur, praeſentia animorum diſcutimus? Rupellanis in iiſdem anguſtiis id olim feliciter ceſſit, cum eruptione facta hoſtem moenibus imminentem ſumma virtute repulſum, in plureis menſeis producta obſidione, retulerunt. Idem oobis animus, audeo dicere, nec tot nobilium et fortiſſimorum militum ullus abnuit; eadem virtus, occ diſpar, ut ſpero, eventus ſequetur. Tantum in hoſtem mittamur. Dicentem confuſae idem ſentientium voces ſummo applauſu excepere; nec Manducagius, qui conſilium minime probabat, cum impedire non poſſet, multum reluctatus eſt. Tum delecti ex nobilitate et inſulanis, qui cum [b] interulis lineis Sereum ſequerentur. Nam hoc ille ſibi negotium ſumpſit, cum Manducagius urgeret ut Philippus [c] Laſinius [*] Salinius Nocleus expeditioni praeficeretur. Sereus per munitionem, quam dixi, cum cataphractis et aliquot ſcloppetariis egreſſus legiooes regias primo impetu diſturbat; et, vallo ſuperato, cum ſcloppetarios ſequi putaret, in Helvetios ardentius calore pugnae invectus, mox circumventus, et a ſuis deſertus, cum pleriſque caeſus eſt: cum eo Fridericus [d] Hangeſtus Argenlius, [e] Combius, Bellilocus ex primaria oobilitate, [f] Gorcius, Pillius, Jo. Simo Marenenſes, homines ſtrenui, deſiderati; plures vulocrati: multi capti. Ita, unde ſalutis aura affulſerat, omnium rerum deſperatio ſecuta eſt: reſque, Manducagio aegro, ad Nocleum recidit, qui, a Condaeo confirmatus, et ipſe alios, quantum poterat, in officio continebat. Tum, obſtructo a Lanſaco canali, palis io terram tranſverſis deſtitutis et longa fuoium ac catenarum ſerie inter ſe colligatis, ſemel atque iterum de commeatu introducendo conatus fruſtra fuit. Igitur ex occaſione Manducagii ob aegritudinem, quae eum ad tabem ſenſim perducebat, alio transferendi, quod obſeſſi fruſtra a Meduanio petierant, a Philippo Strozzio, qui primas ſecuodum Meduanium in exercitu tenebat, Laurentius [g] Magius Maninvilla evocatur, cujus mater ipſius Strozzii nutrix fuerat. Sic enim judicabat vir optimus et a fundendo Gallorum ſanguioe maxime abhorrens, obſeſſos, quamvis ad ſummas anguſtias redactos, nolle primos colloquii mentiooem injicere, ne extrema oeceſſitate adacti id petere viderentur, eoque iniquioribus conditionibus cum Meduanio tranſigere cogerentur. Igitur Maninvilla, aſſumpto ſecum Joachimo [h] Tortarota Vallio, nam aliter ad vitandam invidiam ire noluit, ex ducum conſenſu ad colloquium ſine ullis mandatis loco condicto venit; quo jam Strozzius cum [i] Pigallario venerat. Ibi Strozzius, dolere ſe obſeſſorum vicem teſtatus, qui, foſſa jam occupata et propugnaculo pacoe ſuffoſſo, in eo eſſent, ut extremae oppugnationis ipſis procul dubio exitioſae periculum ſubirent, nec tamen de deditione agerent, ea de cauſa ipſum accerſiviſſe dixit, ut ſuo nomine ſocios moneret, ſe reſpicerent, et io tempore ſibi exemplo

Iſſorienſium

VAR. LECT. [*] Salinius *deeſt* D. f.

INTERPR. [a] *de Valzergues, ſieur de Serf.* [b] *chemiſes blanches.* [c] *de la Fin Saligny de la Nocle.* [d] *d'Hangeſt, ſieur d'Argenlieu.* [e] *de Combes & de Beaulieu.* [f] *la Gorce, la Pille & Simon.* [g] *de Magny, ſieur de Maninville.* [h] *Torterue, ſieur de la Vallée.* [i] *de Puy-gaillard.*

[a] Iſſoriensium mature conſulerent. In id operam ſuam deferebat; qua et effecturum ſe recipiebat, ut aequas conditiones a Meduanio ferrent. Re a Maninvilla et Vallin ad ſuos relata, placuit, ut non negligeretur colloquii a regiis inchoati perſecutio: eoque magis, quod Strozzius regis literas ad Meduanium ſcriptas oſtenderat, quibus de Iſſoriaci ſanguinolenta expugnatione eum certiorem faciebat, addebatque, Andinum cum exercitu in itinere eſſe, ut in Santones deſcenderet, eademque ſeveritate cum imperata facere detrectantibus uteretur. Igitur perſcriptae ab obſeſſis conditiones; quae, cautione accepta, ab Arturo [b] Parthenaeo Queraeo, Ludovico [c] Malamoſco Muſſerio, Ant. [d] Bellocorpio Guillonvilla, Jo. [e] Majolio, Maninvilla et Vallin ad id delegatis ad Strozzium, cum quo erant Pigallarius, Lanſacus, et Antonius [f] Bellovaſius Nangius praetoriae legionis praefectus, perlatae ſunt XVII Kal. Sept. ad quas poſtridie reſponſum eſt a Meduanio, ac tandem conventum. Sed, tempore petito ab obſeſſis, quo Condaeus de re certior fieret, et conditiones ratas haberet, miſſi Queraeus, Maninvilla et Majolius, et cum iis a Meduanio nominatus Philippus [g] Thomaſſinus. Interim dati utrinque obſides: a Meduanio Jo. [h] Durfortius Bironi tormentorum praefecti legatus, et Jo. [i] Vivonus Bugoinus; ab obſeſſis [k] Cormontius et Guillonvilla. Condaeus, acceptis conditionibus et laudata palam obſeſſorum virtute, delegatos ſevocat; et auxilia parata oſtendit, ſi triduum adhuc obſidionem ſuſtineant: id autem honeſte conditionibus per altercationes exagitatis citra ſuſpicionem fieri poſſe. Ita remiſſi delegati, ab obſeſſis fide jam data et capitibus ſubſignatis, impetrare nuſquam potuerunt, ut deditio differretur, cum nec ſpem auxiliorum certam eſſe, nec niſi cum certa pernicie ejus rei periculum fieri poſſe appareret. Itaque die Dominica ſequenti deditio facta eſt in has leges; ut duces, nobiles et milites, vita ſalva et cum impedimentis, dimitterentur, ſignis complicatis, tympanis non pulſantibus, funibus accenſis; et, qui terra iter facturi eſſent, a Strozzio et Pigallario, qui mari, a Lanſaco in tutum deducerentur: oppidanis et inſulanis nullum praeteritorum ratione periculum crearetur; ſed cum bonis ſalva maneret conſcientiarum libertas: tormentum et colubrina, quae [l] Brouagii erant, [m] Rupellam deducerentur; ceterae machinae in oppido relinquerentur. Quae omnes et ſingulae conditiones religioſe a Meduanio, Strozzio ſatagente, ſervatae et ſumma fide impletae ſunt, multum indignantibus Rupellanis, quod promiſſa a Condaeo auxilia obſeſſi expectare noluiſſent. Condaeus vero, qui res Proteſtantium paene collapſas doleret, ut aliquo operae pretio iis famam conciliaret, cum nobilitate et juventute delecta jam ante ſub noctem Rupella diſceſſerat, ad CCC equites penes ſe habens; ac poſtridie fanum-Joannis venit; ubi, accepto aliquo bellatorum numero, non intermiſſo itinere [n] Barbezium tendit, quod hinc XVIII leucas abeſt: tranſmiſſoque ad [o] Baſſacum [p] Carantono, [q] Pontium, quod a [r] Rupiſulcaudio comite cum C equitum et IↃ peditum praeſidio tenebatur, haud citra periculum, inſequentibus ſemper regiis, ſe contulit; ibi Navarrum, Henricum [s] Turrium Turenae vicecomitem et Fr. Lanovium, ut aiebat, opperiturus.

III. INTEREA Damvilla Septimaniae praeſes, qui foederis et unionis inter Catholicos et Proteſtanteis auctor fuerat, ab uxore, quae nuper [t] Bloeſis a rege ingentibus promiſſis onerata diſceſſerat, perſuaſus, et inſolentiae quorundam, qui illis in regionibus inter Proteſtanteis eminebant, pertaeſus, a foedere diſceſſit; et ad [u] Monpelium, unde injurioſe excluſus fuerat, ultione ardens caſtra poſuit. In eam rem ei a rege exercitus attributus, parte ejus Rogerio [w] Sanlario Bellogardio equitum tribuno et

arcta

INTERPR. [a] *ceux d'Iſſoire.* [b] *de Parthenay, ſieur du Queray.* [c] *de Malemouſche, ſieur de la Mouſſiere.* [d] *de Beaucorps, ſieur de Guillonville.* [e] *Majou.* [f] *de Beauvais Nangis, meſtre de camp au regiment des gardes.* [g] *Thomaſſin.* [h] *de Durfort, ſieur de Bord, lieutenant de l'artillerie.* [i] *de Vivone, ſieur de Bougoin.* [k] *de Gormont.* [l] *Brouage.* [m] *la Rochelle.* [n] *Barbezieux.* [o] *Baſſac.* [p] *la Charente.* [q] *Pons.* [r] *de la Rochefoucaud.* [s] *de la Tour, vicomte de Turenne.* [t] *Blois.* [u] *Montpellier.* [w] *de S. Lary, mareſchal de Bellegarde.*

CIƆIƆLXXVII. arcta cum Damvilla amicitia conjuncto commiſſa; qui eodem tempore, quo ille Mon-
HENRICUS III. pelium obſidebat, [a] Nemauſum oppugnaturus eſſet: quae duo erant praecipua Proteſtantium in [b] Septimania propugnacula. Id aſtu a rege ex parentis conſilio factum, ut non adjutorem Damvillae ſed exploratorem daret; diviſoque exercitu auctoritatem ejus in provincia infringeret; placato utcunque ea re interim Bellogardio, qui ſe tribunum equitum creatum, deinde adempta omni adminiſtratione ludibrio expoſitum, aſſiduis apud regem literis querebatur. Spes et injecta regi, ut, diſſidiis inter illos, quorum concordia merito ipſi ſuſpecta erat, ex aemulatione ſenſim ſubortis, illi inter ſe tandem committerentur. Partitis inter duces copiis, cum de illorum conatibus ad Navarrum allatum eſſet, mox eo Turenae vicecomes et [c] Lanovius ſuppetias laborantibus laturi juſſu ipſius Navarri profecti ſunt; confirmatiſque obſeſſis et rebus in provincia ordinaris, ſub id ad Navarrum redierunt. Diverſa parte Lanſacus, Broagio a Meduanio cum praeſidio impoſitus, cum imperium in vicinas inſulas ſibi arrogaret, in [d] Retam inſulam, quam Joannes [e] Drocenſis Morinvilla hnc uſque tenuerat, ducit: ad quam LX circiter naves Anglicanas obvias nactus, eas hoſtiliter invaſit, et ad ſalis ſubvectionem contra privilegia ac libertates coëgit. Qua re non mediocriter irritata Eliſabetha Gallicanas naveis per Angliae litora ſiſti juſſit; vixque interventu oratorum reconciliatis utrinque animis, commercii ſecuritas reſtituta eſt.

IV. QUAE dum aguntur, pacis, ad quam utraque pars et Rupellani maxime, belli, ſecus a ducibus ſuis, ut aiebant, adminiſtrati, pertaeſi, anhelabant, negotium, [f] Monpenſerio auctore et [g] Villaregio omnem operam adhibente, procedebat; de qua, [h] Bergeraco [i] Pictavium ad regem ultro citroque commeante Birono, ad extremum convenit. Tandemqne edictum Pictavii conditur menſe Septembri, LXIII capitibus abſolutum: quo, mutatis aut interpretatione temperatis durioribus ſuperiorum edictorum conditionibus, aequabile jus inter omneis conſtitutum eſt. Id poſtea VIII Eid. Oct. in ſenatu recitatum ac publicatum eſt, rogante, audito, poſtulante et conſentiente cognitore regio. Et, cum quaedam eſſent, quae non publicari utriuſque partis ob varias cauſas intererat, ex iis articuli aliquot confecti, qui ſecreti appellati ſunt; quibus regis nomine Bergeraci ſubſcripſere XV Kal. Oct. Monpenſerius, Bironus, [k] Scarſius, Sanſulpitius, B. Salignacus Mota-Fenelonius; Navarri et Condaei nomine, Franciſcus Lanovius, Ludovicus [l] Faber Gratinius Navarri cancellarius, Ludovicus [m] Sangelaſius, [n] Calvinius, Arnoldus [o] Faber Caſanova et alii provinciarum delegati. Articuli minime in ſenatu recitati, ſed tantum in acta relati ſunt, quod eorum uſus fere ad alias regni provincias ſenatui minime ſubjectas pertineret. Inter alia, de locis in [p] Venaſcinenſi comitatu pontificiae ditionis a Proteſtantibus occupatis et pontifici quam primum reſtituendis cavetur; principatu item [q] Arauſionenſi Naſſoviis conſervando. Praecipuum in illis, et quod ad univerſum regnum ſpectat, caput fuit, de ſacerdotum et monachorum conjugiis: quo ſancitur, de hujuſmodi matrimoniis jam contractis ne quaeſtio cuiquam moveatur, aut negotium faceſſatur, cognitoribus regiis et aliis de ea re ſilere juſſis. Tum conſtituitur, ut liberi ex iis procreati in mobilia et adventitia tam ante quam poſt matrimonium quaeſita et in immobilia a patre et matre parta ſuccedant: ita ut monachi monialeſque profeſſae ad nullam ſucceſſionem ſeu directam ſeu collateralem admitti poſſint. Edicitur item, ne Proteſtantibus, qui jam ante in tertio aut quarto gradu matrimonium contraxerint, ejus rei cauſa moleſtia fiat, aut matrimonia hujuſmodi in dubium revocentur ſucceſſiove adimatur aut controvertatur liberis inde

INTERPR. [a] *Niſmes.* [b] *Languedoc.* [c] *de la Nouë.* [d] *Iſle de Ré.* [e] *le Dreux, ſieur de Morinville.* [f] *le duc de Monpenſier.* [g] *le ſieur de Villeroy.* [h] *Bergerac.* [i] *Poictiers.* [k] *d'Eſcars, de S. Sulpice, & de Salignac ſieur de la Mothe-Fenelon.* [l] *Du Faur, ſieur de Gratins.* [m] *de S. Gelais.* [n] *de Chauvigny.* [o] *du Faur, ſieur de Caſeneve.* [p] *de Venaiſſin.* [q] *d'Orange.*

inde natis aut naſcituris: quod ſi de matrimoniis Proteſtantium, quaſi ea invalida et illicita ſint, lis moveatur, ut de iis regius judex, ſi reus Proteſtantium doctrinae addictus ſit, cognoſcat; ſi contra, res ad judicem eccleſiaſticum remittatur: quantum ad conjugia jam contracta inter Proteſtanteis in ſecundo aut de ſecundo ad tertium gradum attinet, de iis, cum rex rogabitur, auctoritatem ſuam interponat; ita ut nec ipſis ipſorumve liberis moleſtia ob id in poſterum faceſſatur: quod idem, in ſubſequentibus edictis ſemper repetitum fuit. Edicto condito, rex, regina et Andinus jusjurandum de eo ſervando III Non. Oct. interpoſuerunt, inſtrumentumque ea de re [a] Pictavii factum rex Bergeracum ad Navarrum miſit; tantoque omnium pariter applauſu res tranſacta eſt, ut rex proprium illud ac peculiare ſuum edictum vulgo appellaret. Condaeus vero, qui tum Rupellae erat, et oppidani tanta illud laetitia exceperunt, ut, cum ſub veſperam literas Navarri accepiſſent, edictum ſine mora ad faces per urbem publicari curaverint. Dum rex Pictavii eſſet, res nummaria, tribus abhinc annis valde perturbata, edicto maxime memorabili conſtituta eſt. Vetere regni inſtituto receptum erat, ut libris Francicis cuncta in contractibus aeſtimarentur. Cum autem librae hae imaginariae eſſent, nullumque certum pretium earum eſſet, contra verae opes auri et argenti certo pondere ac numero conſtare debeant, eo fiebat, ut aucto ejus rei, quae ceterarum pretium eſſe conſuevit, pretio, res omnium ſere ad nihilum redactae eſſent: plebs vero, quae in publico commercio nummos majore pretio accipere, in penſitandis regni tributis minore exſolvere cogebatur, ultra modum vexaretur. Nam jam aureus V libris et alicubi VI, et, quod gravius erat, externa moneta, veluti [b] ducatus Caſtellenſis duplex, XVIII libris jactabatur, ita ut nemo ſciret, quid in bonis haberet: quod M. Mari Gratidiani temporibus accidiſſe prodidit Cicero. Exemplum e Belgio derivatum fuerat; ubi, ex Arauſionenſis conſilio, quod publica auctoritate fiebat, ut aureus VI ſolidis plus juſto valore exponeretur, apud nos privatis inſtitorum monopoliis palam uſurpabatur. Cui malo ut obviam iretur, conventu Lutetiae peritorum habito, tandem decretum eſt, ut certa aureae contra argenteam monetam proportio eſſet, et, abolito librarum Francicarum hactenus recepto uſu, deinceps in contractibus ac venditionibus res omnes aureis aeſtimarentur. Edictum ea de re factum Septembri menſe, et in ſenatu poſt magnas contentiones, ſuadentibus illud Vido [c] Fabro Pibracio praeſide et Petro [d] Gondio epiſcopo Pariſienſi, Eid. Nov. promulgatum fuit. Quod ut neceſſarium et fructuoſum a prudentioribus judicabatur, ita ejus executio in tanta licentia pleriſque difficilis videbatur; vicit tamen exſpectationem et ſpem multorum exitus. Nam nullum edictum minore cum fremitu receptum, nullum majore religione ſervatum fuit, dum quiſque communi calamitati remedium quaerit, et oblatum libentiſſime complexus, quod privatis commodis ex eo decedebat, publicae utilitati condonari aequiſſimo animo patitur. Itaque, cum aureus ex immenſo illo pretio ad LXVI ſolidos, ſicuti in Belgio jactabatur, primum reductus eſſet, idque ut ad anni uſque finem locum haberet, poſtea autem, ineunte anno proximo, ut LX ſolidis tantum aeſtimaretur, placuiſſet, nemo contradixit, nemo non edicto tam ſalutari paruit. Tantum exeunte anno feſtinatis ſolutionibus coacti creditores ſuum recipere: qui recuſarunt, litibus temerariis et ſumptibus inutilibus ſe vexarunt. Et ita quidem res hoc anno apud nos erant; qui reliquus fere edicti executioni inſumptus eſt, rege jam poſt pacificationem ſecuro, et ad otium ac voluptates toto animo [α] prolabente. Pictavio poſtea rex Bloeſas rediit, et ſub finem anni Lutetiam perpetuum fere toto regno ſuo domicilium venit.

V. SUB

VAR. LECT. [α] prolabente: ad quas jampridem incitabatur a Renato Villoclaro, poſt Franciſci Carnevenoii longe moribus diſparis mortem, pueritiae regis a parente regina admoto; qui et ſub id

INTERPR. [a] *Poictiers.* [b] *ducaton d'Eſpagne.* [c] *du Faur, ſieur de Pibrac.* [d] *de Gondy.*

CIƆIƆLXXVII.
HENRICUS III.

V. Sub id tempus Franciſcus [a] Folius Vigeanus, Pictonum regulus, magna prudentiae et aequitatis laude intet ſuos clarus, jam affecta aetate Rupellae deceſſit; quem mox [b] Manducagius ſecutus eſt ex vulnere Broagii accepto, quod perfecte curari nunquam potuit. Jam ante Nicolaus [c] Lotharingus Valdemontius x Kal. Febr. fatis conceſſerat: qui ex Joanna [d] Ecmondana priore uxore Aloiſiam regis uxorem ſuſceperat: dein Joannam Sabaudam duxit, ex qua natus Philippus Emmanuel [e] Mercurii dux; et ultimam Margaritam Claudii Aumalii gentilis filiam. Abſtulit et hic annus Bl. Monlucium equitnm tribunum [f] Stiliaci in Aginnenſi agro, fere cum ſaeculo coactaneum; virum fortitudine, induſtria et felicitate cum maximis aevi ſui ducibus comparandum: de quo cum tam multa dicta ſint, et ipſe res ſuas propriis commentariis explicaverit, qui magno familiae decore poſt mortem ejus publicati omnibus, qui virtutis via ad militarem gloriam graſſantur, magno uſui eſſe poſſunt, de eo plura ſcribere ſupervacuum exiſtimavi. Huic a rege ſuffectus eſt Armannus [g] Guntaldus Bironus, tanto munere digniſſimus; et quem Monlncius ipſe, ſi moriens togatus fuiſſet, ex omnibus procul dubio ſibi ſucceſſorem delegiſſet; qui dignitatem jam virtuti ſuae debitam pulcherrimis poſtea tebus pace et bello geſtis multum illuſtravit, in eaque de regno ac Gallico nomine optime meritus veluti exſpiravit. [h] Rei tormentariae praefectura, quam Bironus et virtutis opinione meruerat, et ſumma laude adminiſtraverat, in Philibertum [i] Guichium et natalibus clarum et gratia apud regem florentem tranſlata eſt. Obiit et hoc anno paucis, poſtquam rex Bloeſis diſceſſit, diebus Joannes [k] Morvillerius, [l] Bloeſis honeſto loco natus, quondam [m] Aureliani epiſcopus; qui multis legationibus magna cum laude obitis, maximis in Gallia honoribus ſe ſemper parem praebuerat; poſt [n] Hoſpitalium, cujus virtutem ſaeculi iniquitas ferre non poterat, domum relegatum, ſigillorum procuratione ornatus; homo probus et prudens, ſed innata timiditate nunquam generoſi conſilii auctor; ideoque mediis ſententiis potius praeſens otium quam firmam in poſterum pacem ſectatus, fundata veluti altera ab Hoſpitalio in aula ſecta, cujus adſtipulatores eo plures habuit, quod hi unionis inter Catholicos ſarciendae ſtudio cuncta factioſorum religionis cauſam falſo, vel ipſorum judicio, obtendentium conſilia et conata diſſimulanda exiſtimarent; cum alteri, Guiſianorum ad altiora tendentium odio, pacem quavis ratione colendam ſuaderent; eaque re Proteſtantium cauſae favere

id tempus, cum rex adhuc Pictavii eſſet, familiam ſuam atque adeo aulam, quippe cubiculariorum nobilium princeps, inſigni parricidio foedavit. Is ſiquidem, cum pravis deteſtandae libidinis exemplis uxorem propriam Franciſcam Mariam corrupiſſet, et illa vagis libidinibus indulgens tunc etiam praegnans non ex ſe, ut ille rebatur, eſſet, homo principis ſui gratia fretus injuriam jampridem animo conceptam ac diſſimulatam ulciſci ſtatuit; quod facinus ſumma audacia ſuſceptum majore immanitate patravit: nam uxoris cubiculum concubia nocte cum duobus ſicariis ingreſſus ipſam, ut erat, ſeptimeſtri partu gravidam, pedibus ſuppliciter advolutam, certis pugionum ictibus confodit; pediſſequamque libidinum conſciam perſecutus, cum illa per feneſtram ſe praecipitaſſet, veſte forte ad uncum ſuſpenſae pepercit: moxque rei index et nuncius ipſe, manibus adhuc cruentis, ad regem venit; factique non veniam ſed abolitionem ab indulgentiſſimo alumno petit: quae ſtatim conceſſa, quam ipſi dedecoroſa fuit, tam magna invidia regem oneravit, impunitati criminum, quae deinceps toto regno graſſata ſunt, a tam atroci ſcelere principio facto. Pictavio poſtea rex Bloeſas redit, et ſub finem anni Lutetiam perpetuum fere toto regno ſuo domicilium venit. Eodem anno Petrus Hennequinus curiae praeſes, vix quinquagenarius, homo ditiſſimus, et, cum ad ſordes avarus eſſet, factioſiſſimus, fatis conceſſit, occulta Dei providentia, alieniſſimo ſibi et ſuis tempore, ereptus, ne incendio per novi foederis commentum a ſe excitato diu ſupereſſet, cujus tamen ignes, cineri doloſo ſuppoſiti nec bene reſtincti, cum ad tempus latuiſſent, poſtea in longe majus priore, quod paene totum regnum conflagravit, incendium exarſerunt: quod cum animo provideret Chriſtophorus Thuanus ſenatus princeps, qui vivo ſemper adverſatus fuerat, aboqui ab omni livore, odio et contentione, quod omnes ſciunt, alieniſſimus, mortuo hoc elogio parentavit, ut nullum a multis ſaeculis pernicioſiorem civem Lutetiae natum, nullius funeſtiora reipublicae conſilia fuiſſe diceret: cujus augurium, utinam vanum, quod et ille optabat, tandem exitus comprobaſſet. Ei ſucceſſor a rege jam foederis et auctorum ejus pertaeſo datus longe ingenio et conſiliis diſpar, Vidus Faber Pibracius; cum ille Stephanum Nuellium, hominem turbulenti ingenii et eorundem conſiliorum participem, habere maluiſſet, fruſtraque ejerata in ejus gratiam dignitate, antequam moreretur, per Guiſianos id a rege impetrare tentaſſet. Sub id tempus Franciſcus Folius *MS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *du Fou, baron du Vigean.* [b] *de Manducage.* [c] *de Lorraine, comte de Vaudemont.* [d] *d'Egmond.* [e] *Mercœur.* [f] *Eſtillac en Agenois.* [g] *de Gontaud de Biron.* [h] *grand maitre de l'artillerie.* [i] *de la Guiche.* [k] *de Morvilliers.* [l] *Blois.* [m] *Orleans.* [n] *le chancelier de l'Hoſpital.*

favere crederentur. Morienti aſtitit Pomponius Bellevreus, ſummus ejus prudentiae ac conſiliorum ſectator; qui mortuo, in Franciſcanorum aede, ſicuti teſtamento mandaverat, ſepulto, honorifico elogio parentavit. Hunc paucis diebus praeceſſit VIII Eid. Maii Huldricus [a] Viglius ab Ayta Zuichemus, in Friſia natus, et ob raram juris civilis peritiam primum multis dignitatibus a Carolo V ornatus, dein ob majorem in rebus agendis laudem a Philippo ejus filio concilii privati praeſes, ac poſtremo velleris aurei cancellarius creatus; qui, cum initio Belgii libertatem defendere viſus eſſet, eoque nomine gratiam ſuorum prometitus, poſtea ad Hiſpanorum partes inclinare creditus in Ordinum odium incurrit, et inter ſuſpectos anno ſuperiore captus eſt, ſed in liberiore cuſtodia habitus; ubi tum (nam Bruxellis forte eram) eum officioſe inviſi, et multa de converſione Belgii ex his motibus praeſagientem audivi; quibus excuſari volebat, quod Hiſpanorum partibus favere diceretur, cum de regia majeſtate, quam everti his unionis initiis providebat, ſarta tecta ſervanda tantum cogitaret; ceterum ab Hiſpanorum immanitate, ſuperbia et avaritia, ſic enim loquebatur, alienus: vir alioqui omni laude et propter integritatem et ſummam prudentiam dignus: ſed cum in ea tempora incidiſſet, in quibus nihil medium putabatur inter patriae ſalutem aut obedientiae regi debitae fidem, haud mirum, ſi ille, qui tot beneficiis et honoribus virtuti ſuae delatis regi devinctus erat, in obſequio et fide, qua ſalva rempublicam quoque aliquando ſalvam ſperabat, manere elegerit. Huic ut comes addatur, vel ejuſdem, in qua inter Hiſpanos excelluit, legum et juris praecipue pontificii doctrina meruit [b] Didacus Covarruvias Toletanus; qui recte a puero inſtitutus in [c] Salamanticenſi academia, in prima adoleſcentia canonici juris profeſſor, inde [d] Burgis et mox Granatae correctoris et auditoris munere ſumma cum prudentiae et integritatis laude defunctus; et anno hujus ſaeculi XLIX archiepiſcopus inſulae [e] S. Dominici in India occidentali electus, et undecimo poſt anno [f] Civitatenſem epiſcopatum in Hiſpania adeptus eſt: quo eodem anno Salamanticae academiae inſtaurandae praepoſitus fuit, conditis novis legibus, quae in ea hodie religioſiſſime ſervantur: dein ad concilium Tridentinum profectus, poſt reditum [g] Segovienſis epiſcopus creatus eſt: et Pii IV ac Philippi mandatu, cum de S. Didaco in beatorum ordines referendo negotium repeteretur, probationes [h] Compluti diligenter collegit: anno demum LXXII regii concilii, et biennio poſt concilii ſtatus praeſes, poſt exantlatos cum in ſcribendo tum in negotiis tractandis eruditionis et prudentiae ac integritatis ſecunda fama innumeros labores, [i] Mantuae Carpetanorum deceſſit hoc anno V Kal. Oct. aetatis ſuae LXV, bibliotheca, quam locupletiſſimam habebat, S. Salvatoris ſcholae legata. Poſt Covarruviam dicendus venit Antonius [k] Contius, [l] Novioduno in Veromanduis, patre regio praefecto, nam alioqui civitas epiſcopi eſt, natus, certi judicii et exactae diligentiae juriſconſultus vel teſte Jacobo Cujacio; qui ante XIX annos [m] Avarici Biturigum profeſſor, poſtea [n] Aurelianum evocatus in ea academia jus magna frequentia interpretatus eſt; ubi et ei per annum operam navavi. Tandem Avaricum Biturigum revocatur; et, nova juris civilis ac pontificii editione magnam laudem promeritus, ac pleriſque ſparſim ingenii ſui monumentis publicatis, quae in unum corpus aliquando colligi publici boni intereſt, XVII Kal. Oct. fere ſexagenarius fatis conceſſit, ad S. Hippolyti juxta Fr. [o] Duarenum et Eguinarium [p] Baronem juris in eadem academia profeſſores ſepultus. Eodem tempore Petrus [q] Daneſius, Lutetiae Pariſiorum natus, in Bernardinorum aedibus Lutetiae, ubi decrepitae ſenecturis et ad munia publica jam inutilis nidum poſuerat, debitum naturae perſolvit, octogenario major; peritiſſimus Graecae linguae, cujus,

Franciſco

INTERPR. [a] *Viglius d'Ayta, ſieur de Swichem en Friſe.* [b] *Diego de Covarruvias, de Covarruvias en tierra de Burgos.* [c] *Salamanca.* [d] *Burgos & Grenade.* [e] *S. Domingo iſle de l'Amerique.* [f] *Ciudad Rodrigo.* [g] *de Segovie.* [h] *Alcala de Henares.* [i] *Madrid.* [k] *le Comte.* [l] *Noyon.* [m] *Bourges.* [n] *Orleans.* [o] *Duarein.* [p] *Baron.* [q] *Danés.*

CIↃIↃLXXVII. HENRICUS III.

Franciſco I rege, profeſſor fuerat; poſtea erudiendae Franciſci II Henrici II filii pueritiae admotus; a quo et poſt Georgii [a] Sylvae doctiſſimi alumni mortem epiſcopatu [b] Vaurenſi donatus eſt. Is vir noſtra aetate in omni ſcientiarum genere doctiſſimus nihil fere ſcripſit: ſed inſtuctiſſimam librorum ſupellectilem reliquit, a ſe ſumma diligentia toto longiſſimae vitae nec unquam otioſae tempore notatorum; quae tamen divendita in uſus pauperum ac diſſipata magno rei literariae detrimento periit. His addam Joannem [c] Gorreum Pariſienſem, patre Bituricenſi medico natum, et ipſum excellentem noſtra aetate medicum: quam ad ſcientiam exacta cognitione perceptam etiam utriuſque linguae ſummam peritiam et ratam in utroque ſcribendi genere pedeſtri et ſoluto elegantiam adjecerat: quod praeclara ejus monumenta, et Nicander in primis Latinis verſibus ab illo expreſſus abunde teſtantur. Sed, cum vir, ad ſaeculi ſui ornamentum et commune reipublicae beneficium natus, ab omni denique ſoedo quaeſtu alienus, nam nemo illum doctrina, exquiſito judicio, humanitate, curandi felicitate Lutetiae anteivit, turbatis temporibus lectica vectus ad amicum aegrum inviſendum, is erat Gulielmus [d] Viola epiſcopus Pariſienſis, proficiſceretur, apparitoribus, quos ſicarios eſſe rebatur, lecticam circumſiſtentibus, tanto pavore exanimatus eſt, ut quam diu poſtea vixit, vixit autem ad annos LXXII, ab eo qui fuerat alius, ſenſimque deficere quodammodo viſus ſit. Nec praetermittendus videtur Remigius [e] Bellaqua [f] Nogento Retrodi, quod hodie [g] Angianum Francicum vocatur, in [h] Unellis natus: quae eadem patria fuit Nicolao [i] Deniſoto, qui et comes Alſinous vulgo dictus eſt, et cognomini medico, qui ſumma doctrinae ſama ad extremam uſque ſenectutem Lutetiae medicinam fecit. Remigius, olim Caroli Lotharingi [k] Ellebovii marchionis praeceptor, in poetica Latina et Gallica excelluit: ſed in Gallica praecipue ſe exercuit; ſummoque verborum delectu et exquiſita ſententiarum concinnitate verſus elaboravit, tanta cura adhibita, ut, quod in illo naturale ac proinde laudatum fuit, in alio affectatum, et ideo improbari potuerit; cumque ob id Petrus Ronſardus naturae pictorem vocare ſolitus erat. Itaque poſt Ronſardum, cui quiſquis ſecundus fuit longe ab ipſo abfuit, proximum locum aut tertium doctorum judicio meruit: nam alterum locum quidam Joachimo [l] Bellaio tribuunt: quanquam omnia, quae fecit, non eandem laudem ubique merentur, ut de eo ſuo loco diximus. Tandem Remigius cum, poſt ruſtica ſua, de lapidibus pretioſis librum pari elegantia ſcripſiſſet, quibus tumulum ſibi ipſe ſtruxiſſe quodammodo viſus eſt, ut pulchre cecinit Ronſardus, vix quinquageſimum annum ingreſſus Non. Mart. Lutetiae deceſſit, ſodalium humeris elatus et ad B. Auguſtini ſepultus. Hannibal [m] Crucejus patria Mediolanenſis deplorandus an recenſendus poſt eos venit; vir ratis ingenii et doctrinae ornamentis excultus, quod vel Achilles Tatius ab eo latinitate donatus ad poſteritatem non ingratam teſtabitur. Is, [α] nobili et antiqua ſamilia natus, ſenatui Mediolanenſi diu a ſecretis fuit, et graſſante in urbe jam biennium malo, de quo ſupra diximus, cum placando Numini elegantiſſimos verſus ſeu verius ardentiſſimas ad Deum preces quaſi praeſaga mente concepiſſet, morbo ipſo correptus vitam longiore aevo dignam [β] V Kal. Oct. abrupit, [γ] cum annum LXXIIX ageret, a Fabritio filio ad S. Mariae incoronatae funeratus. Eadem credo luce certe eodem tempore [n] Tridenti, ubi domicilium fixerat, abſumptus eſt P. Andreas [o] Matthiolus, [p] Senis nobiliſſima Etruriae civitate Franciſco Matthiolo et Lucretia [q] Boninſegnia natus, qui annos cum ſaeculo numerabat; magni nominis medicus, et in primis famoſo illo Botannico opere toties recuſo clarus; qui, cum in aula Caeſarea diu

VAR. LECT. [α] nobili et antiqua familia natus *deſunt* D. f. d.

[β] ineunte Septembri abrupit *D.* f. d.

[γ] *Quod ſequitur Cruceii, totumque Matthioli elogium, deſunt D.* f. d.

INTERPR. [a] *de Selves.* [b] *de Lavaur.* [c] *des Gorris.* [d] *Viole.* [e] *Belleau.* [f] *Nogent le Rotrou.* [g] *Anghien le François.* [h] *le Perche.* [i] *Deniſot, comte d'Alſinois.* [k] *d'Elbœuf.* [l] *Du Bellay.* [m] *della Croce Milanois.* [n] *Trente.* [o] *Matthioli.* [p] *Siena.* [q] *Bonninſegni.*

diu magna cum laude vixiſſet, ex duabus uxoribus, nam plures alias poſt alias duxit, altera quidem Hieronyma ex oobili comitum [a] Varniae in [b] Goritia familia Ferdinandum et Maximilianum, ex altera Suſanna [c] Cherubina Tridentina Petrum Andream ſibi cognominem, Lucretiam et Euphemiam ſuſcepit, qui paternam gloriam ſive doctrina ſive moribus intermori minime paſſi ſunt. Aliorum et e longinquo paene ſepulta memoria tevocanda. Petrus [d] Nonius, Alcaçarii vico haud longe a [e] Setubalio [α] ſive Cetobriga in Luſitania natus, profeſſione medicus, et mathematicarum artium peritiſſimus, quas et doctiſſimis de arithmetica abſtruſiore, optica et aſtronomica libris editis plurimum illuſtravit, olim Henrici cardinalis, qui poſt Sebaſtiani mortem regnum tenuit, praeceptor, et Conimbricae poſtea harum pulcherrimarum artium profeſſor, hoc anno morte matura, quippe jam octogenarius, placide ad Deum migravit, relicta bonorum et tanti nominis herede unica filia: cum paulo ante eum Joanoes [f] Barroſius [g] Oliſſiponae, ubi natus erat, deceſſiſſet fere ſeptuagenarius, Indica hiſtoria ſumma fide conſcripta bene de ſuis ac omnibus, qui harum provinciarum fama tantum olim notarum cognitione delectantur, meritus; quae in duas decadas primum diſtincta eſt; cui tertia poſt mortem auctoris ab heredibus publicata acceſſit. Ex eadem Luſitania ſupereſt Lud. Andreas [h] Reſendius, [i] Eborae honeſtis parentibus natus, poëta, orator ac theologus et melioris antiquitatis valde peritus; qui [k] Lovanii Grudiorum aliquandiu operam in literis navavit, magnaque ſtudiorum conjunctiooe cum Damiano a Goes cive ſuo vixit: pleraque ſcripſit, et conſilio ſuo alios in ſcribendo juvit, Ambroſio [l] Morali et [m] Kebedo Toletano ac denique Joanni [n] Vaſaeo Brugenſi multa ad hiſtoricas antiquitates illuſtrandas ab iis conſultus ſuggeſſit; tandemque in Henrici infantis Portugalliae cardinalis familia, jam ſenio gravis, circa haec tempora defecit. Hoc et anno Adamus [o] Bodenſteinius, Philippi Aureoli Theophraſti Paracelſi, hominis novitate ſcientiae, quae innata ingeniis humanis curioſitate quam plurimos ſectatores habuit, quam recta philoſophandi ratione clarioris, ut primus ſic fidus ſcituſque et ore et opere [1] interpres, homo liber, [p] Baſileae, ſolo coeloque libero, exuvias mortalitatis bona fide depoſuit (hoc enim elogio ſibi parentari voluit) aetatis hebdomade ſeptima, haud paulo magiſtro illo ſuo annoſior; qui, licet nova medicina ſua non ſolum incurabilium morborum plenam ſanationem ſed etiam vitae producendae artem profiteretur, anno hujus ſaeculi XLI, aetatis XLVII vitam huc illuc intemperanter actam vagando obſcure finivit.

VI. IN Belgio longe alio loco tes erant: ubi contra, cum annus a pace incepiſſet, in bellum internecinum rurſus deſiit; quod, nuſquam ab eo tempore compoſitum, poſtremo in hanc, quae hodie illis in provinciis cernitur, lamentabilem rerum faciem evaſit. Kal. Januariis [q] S. Giſlenii abbas et electus [r] Atrebatum epiſcopus, Carolus [s] Croius Havreci marchio, praefectus [t] Gandenſis, Carolus [u] Hinardus Liedekerkius cum Adolpho [w] Mekerkio ab Ordinibus delegati Lovanium et [x] Mechliniam [y] Auſtrio commoditatis et morae cauſa offerunt, ut [z] Lucemburgi cum eo acta his in locis confici et executioni demandari poſſiot: inſuper addunt, licere ipſi ad ſui corporis tutelam, praeter

CIƆIƆLXXVII.
HENRICUS III.

VAR. LECT. [α] ſive Cetobriga deſunt D. ſ.

INTERPR. [a] *Conti di Varnia.* [b] *Gorice dans le Frioul.* [c] *Cherubina de Trente.* [d] *Nunnez de Alcaçar.* [e] *Setubal.* [f] *de Barros.* [g] *Lisbone.* [h] *de Reſendi.* [i] *Evora.* [k] *Louvain.* [l] *Moralez.* [m] *Kebedo de Tolede.* [n] *Vaſeo de Burges.* [o] *Bodenſtein.* [p] *Baſle.* [q] *S. Ghiſlain.* [r] *Arras.* [s] *de Croy, marquis de Havreck.* [t] *le vicomte de Gand.* [u] *de Heynardt, baron de Leiderkercke.* [w] *de Meetherçke.* [x] *Malines.* [y] *Don Juan d'Auſtria.* [z] *Luxembourg.*

NOT. [1] Multa enim ex Germanica in Latinam linguam convertit fidus et primus interpres: D. Cyperinus Haemus in Italicam et Gallicam linguam Theophraſtica ſcripta tranſtulit: Bebeus Ramdius omnes libros medicos Paracelſi Graeçe convertit; opus vero chirurgicum ipſe Theoph. edidit, et Ferdinando imperatori dedicavit an. 1536. Id Adamus Bodenſteinius recudit, et Maximiliano II inſcripſit anno 1564. *Put. L.*

praeter cautionem ab Ordinibus datam, ſtipatores in Belgio natos ſibi aſſumere, eiſque aliquem itidem ex provincia fidum ſibi pro ſuo arbitrio praeficere; in eamque rem ſe obſides dare paratos oſtendunt. Quibus conditionibus acceptis, Auſtrius ſcripto declarat, praefectum ſtipatorum eligere ſe Aegidium [a] Barlemontium Hiergium cum III CIↃ militum, non ſolum ad corporis, ſed loci, quem electurus eſſet, cuſtodiam: poſcere item obſides ſibi dari Havrecum, praefectum Gandenſem, [b] Montinium, et ſani Gertrudis praeſulem, qui in [c] Hoienſi arce [d] Leodicenſis epiſcopi ſe ſub cuſtodia ſiſtant. Ad quod delegati reſponderunt; Ordines fidem obligaſſe, non prius ſe a foedere et armis diſceſſuros, quam Hiſpani Belgio exceſſerint: eidem foederi Zelandos et Hollandos ſubſcripſiſſe, ſalva ſua religione; de qua tamen ut provinciarum comitia ſtatuant permittere: de cetero nequaquam intellexiſſe, ut ipſe obſides arbitratu ſuo eligeret, aut ſtipatoribus ducem ſumeret; ſed alios nominare velle; quippe cum eorum, quos petat, opera varias ob cauſas uti decreverint: quod ſi ipſe in colloquium venire cupiat, id illi liberum fore ad arcem Hoienſem neutri parti addictam, modo pari comitatu et ſine armis veniat: et vero, ſi Hiſpani tam cito Belgio excedere non queant, ſatisfieri interim Ordinibus poſſe, ſi [e] Antuerpiana arx et Lira in ipſorum manus conſignentur; alioqui ob praeteritas ſuſpiciones non quieturos Ordines aut arma depoſituros in induciaſve conſenſuros. Huic reſponſo exemplum foederis et concordiae inter provinciarum Ordines v Eid. Jan. initae et publico concilii ſtatus decreto Bruxellis firmatae addunt; quo, ſalva religionis Apoſtolicae Romanae et obedientiae regi debitae auctoritate, foedus contra Hiſpanos eorumque fautores, ab Ordinibus provinciae perduelleis nuper declaratos, pro libertate patriae initum ſe religioſe ſervaturos, in idque vitam, opes et cuncta ſua impenſuros, interpoſito jurejurando confirmabant. Tandem Auſtrius, cum foedus invaleſcere ſeque viribus contra tantam molem imparem cerneret, homo natura elatus, aliam repente perſonam induit, et popularitate ac comitate animos provincialium demereri ſatagens, eorum ſe conſilio rempublicam adminiſtraturum profeſſus eſt, eo prudentioribus ſuſpectior, quod inſita ſuperbia neque ſe inſtrui aut erudiri facile paſſurus eſſet, neque tamen ea aetate et uſu rerum eſſet, ut ipſe per ſe proprio ingenio rempublicam gereret. Itaque laternae abſque lumine a rerum peritis vulgo comparabatur. Igitur annitente Friderico [f] Perrenoto Campaniaco, interventu epiſcopi Leodicenſis, [g] Philippi [1] Aldii Winnembergici reguli, a Caeſarea majeſtate delegatorum, quibus advocationem praebuere Clivii ducis oratores, poſtremo [h] Marcae-ſaminae prid. Eid. Febr. tranſigitur; edictumque conditur, quod XIII Kal. Mart. Bruxellis et Antuerpiae promulgatum fuit; quo et pacificatio [i] Gandenſis ſuperiore anno facta confirmabatur, et de Philippo [k] Burano Arauſionenſis filio, qui in Hiſpania jam tot annos attinebatur, liberando cautio interponebatur. Tamen interceſſit Arauſionenſis, et ſcripto [l] Mildeburgi edito, poſt gratias Ordinibus actas et laudatam eorum in ſalute publica procuranda curam et prudentiam, quaedam tamen ſubeſſe dicit, in quibus et ipſe et Hollandiae ac Zelandiae Ordines aliquid deſiderent; ut Hiſpani, ſicuti jam declarati fuerunt, eorumque fautores demum diſerte perduelles et publicae tranquillitatis hoſtes declarentur; amplius de privilegiis, libertatibus et immunitatibus caveatur; ſereniſſimae Anglorum reginae, et Franciſci [m] Andium ducis, quorum propenſam in ſe benevolentiam tam neceſſario tempore

INTERPR. [a] *de Berlaymont, ſieur de Hierges.* [b] *le ſieur de Montigny, & l'abbé de Ste Gertrude.* [c] *de Huy.* [d] *de Liege.* [e] *Chateau d'Anvers, & Liere.* [f] *Perrenot, ſieur de Champigny.* [g] *Philippes, baron de Winnenberg l'aiſné.* [h] *Marche en Famine.* [i] *de Gand.* [k] *le comte de Buren.* [l] *Middelburg.* [m] *Anjou.*

NOT. [1] Il y avoit deux barons de Winneberg, qui eſt un lieu ſur la Moſelle vers Treves, qui portoient le nom de Philippe, & d'autant que les Allemans appellent le plus âgé *Ald*, de ce nom appellatif on en a fait un nom propre, diſant *Aldius* pour *Senior*: liſez donc *Philippi Winnembergii reguli Senioris*. *Put.*

tempore experti ſunt, honorificentior fiat mentio; neque hac vice tantum, ſed deinceps gubernatores Ordinum arbitrio conſtituantur: hoc enim ad publicam ſecuritatem maxime pertinere. Ad extremum addit, quando de re jam tranſacta fruſtra diſputetur, Ordines foederatos Gandenſem pacificationem religioſe ſervaturos, et juxta ejus praeſcriptum operam daturos, ut, ſi tempore praefinito Hiſpani Belgio non excedant, renunciata Auſtrio conſiliorum conjunctione, eorum diſceſſus aperta vi urgeatur. Cui ſcripto ſive proteſtationi Arauſionenſis Kal. Mart. ab Ordinibus generalibus reſponſum eſt; magna ex parte ei ſatisfactum: nam non aliud eos velle aut intellexiſſe, quam ut pacificatio Gandenſis ſervetur; ſtipendiarii milites Hiſpani, Itali, Sequani, niſi conſtituto tempore exceſſerint, vi armiſque expellantur; arces tradantur; et ita confirmatis libertatibus ac privilegiis ſecuritati publicaè plene proſpiciatur. Secundum haec Antuerpiani, ut xx edicti capiti, quo cavetur, ne alia quam Apoſtolica Romana religio locum habeat, ſatisfacere pro ſua parte viderentur, concionatores majorum religioni adverſanteis ad ſe evocatos urbe excedere jubent. Quod indigne ferens ex Ordinum numero Joannes [a] Saliger, in magiſtratus conſeſſu auditus, dira vaticinando urbi interminatus dicitur, quod ſe verbi divini praedicatione hoc pacto indignos redderent. Antea dum de conditionibus adhuc diſceptaretur, [b] Jupilae haud longe a Leodico Hiſpani a Scotis, duce Jacobo [c] Balfurio, male mulctati fuerant; et viciſſim urgente obſidionem Ultrajectinae arcis Maximiliano [d] Boſſuvii comite, qui nuper libertati reſtitutus fuerat, et [e] Hiergio, milites Ordinum et oppidani una et altera praeſidiariorum Hiſpanorum eruptione magna damna acceperunt, multis ex ſuis interfectis, vallo dejecto, et igne in vicinas aedeis injecto; quem reſtinguere injurioſe juſſi ac coacti Franciſcani et Dominicani, quod periculoſum eſſet militi tam vicina arce in apertum prodire, et religioſis hominibus Hiſpani parcituri crederentur. Tandem Eid. Febr. arx in Boſſuvii manus conſignata eſt a Ferdinando Avila, non dedita. Nam de iis verbis diu inter eos altercatum fuit, cum Avila vanitate genti inſita ſe potius vitam cum ſuis omnibus amiſſurum quam deditionem facturum affirmaret. Mox et [f] Viana ac Culemburgum in Batavis arces munitiſſimae tradente [g] Tordeſilla et [h] Alfonſo Lupo Gallo receptae ſunt. Paulo poſt promulgationem edicti VI Eid. Mart. arx Antuerpiana itidem tradita eſt coram Caeſareo legato a Martino [i] Hoio Sanctii Avilae vicario; nam ipſe dedere eam vanitate Hiſpanienſi itidem noluit; et Philippus Croius dux Arſchotanus, jurejurando prius a Joanne Eſcovedo adactus, eam ſe regis Philippi nomine ſervaturum, neque ulli mortalium, niſi de expreſſo ipſius mandato, traditurum, cum Belgis militibus arcem ingreſſus eſt, diſcedentibus Hiſpanis cum ingenti impedimentorum ex praedis in Belgio factis comitatu: qui et [k] Ecmondanum, Capralem et Gongneum ſecum captivos adduxerunt; cum quibus poſtea Gaſpar [l] Robles Billius, Valdeſius et alii tribuni Hiſpani permutati ſunt. Hiſpani per [m] Trajectum ad Moſam itinere facto et Lucembergenſem principatum, Petro Erneſto Mansfeldio comite eos deducente, in Italiam perrexerunt, ſi non de devicto ſaltem de direpto ac vaſtato Belgio triumphantes. Siquidem Bernardinus Mendoza ſcribit, a menſe Sextili proximo, quo internecini motus in Belgio renovati ſunt, ad edicti ultimi promulgationem amplius XXX provincialium CIƆ ab Hiſpanis fuiſſe caeſa, LX ſigna capta; cum Hiſpani vix LX milites ſeu duces toto illo tempore amiſerint. Quod an ſaevitiae potius quam virtutis, quod ille voluit, exemplum exiſtimari debeat, dijudicandum iis relinquo, qui tot hominum millia ab Hiſpanis ſeu ſpoliata ſeu interfecta ex oppidanis et imbelli turba conſtare ex fide rerum geſtarum reputabunt. Paulo poſt Philippus pacificationem ratam habuit, diplomate ea de re emiſſo VII Eid. Apriles.

VII. SECUNDUM

INTERPR. [a] *Saliger.* [b] *Joupile à demie lieuë de Liege.* [c] *Balfour.* [d] *Boſſut.* [e] *de Berlaymont, ſieur de Hierges.* [f] *Vianen & Culemburg.* [g] *de Tordeſillas.* [h] *Alonſo Lope Gallo.* [i] *del Hoyo.* [k] *le comte d'Egmond, de Capres & de Goingnies.* [l] *de Robles, ſieur de Billy.* [m] *Maeſtricht.*

CIↃIↃLXXVII.
HENRICUS III.

VII. SECUNDUM haec Auſtrius, ad quem ſalutandum jam proceres undique [a] Lovanium convenerant, magno comitatu et inſigni pompa Bruxellas Kal. Maii ingreditur, inter legatum pontificium et epiſcopum Leodicenſem medius, triumphalibus arcubus in ejus honorem exſtructis et ludis publicis inſtitutis. Ac demum IV Non. ejuſdem menſis publica ceremonia ſummus Belgii gubernator inauguratur, cum prius fidem ſacramento interpoſuiſſet, ſe pacificationis capita religioſe ſervaturum. Igitur praeſes Belgii conſtitutus omnem operam dabat, ut poteſtatem conditionibus coërcitam ampliaret, pleneque, et quantam habuerat Albanus, reciperet; ad id conſilio Octavii Gonzagae, Baptiſtae Taxis et Eſcovedi uſus; amicitiam quoque ſibi admodum utilem eorum ratus, qui Hiſpanis ab initio faviſſent. Propterea Mansfeldium comitem, [b] Barlemontium ejuſque filios, [c] Ladiſlaum Megae comitem, [d] Aegidium Hiergium, [e] Florum Floionum et Claudium [f] Altapennium in arctam familiaritatem adſcivit; praeterea [g] Aſſonvillium, Vallium, Gomicurium, Varluſelium et Gul. Hornium Heſaeum Bruxellarum praefectum alioſque honoribus et muneribus cumulavit; a ceteris ſe alienum praebuit. Tum [h] Araſchotanum ad Arauſionenſem legavit, eum ad colloquium invitans, quo de republica in commune capita conferrent. Dein ab Ordinibus petiit, ut plena auctoritas ſibi reſtitueretur; numerum ſtipatorum etiam externorum, qualem vellet, habere liceret, quo ſtipatus ab una in alteram urbem commeare poſſet; ne praefecti in oppidis, in quibus ex veteri conſuetudine non fuiſſent, imponerentur; ut omnes praefecti, militum tribuni, milites Belgae, quocunque tempore vocati, comparere et imperata facere tenerentur; ſibique in genere decernere et ſtatuere de negotiis in dies occurrentibus jus eſſet, dum ne quid pacificationi et privilegiis praejudicetur: et, quia Ordines nomina eorum ediderant, quos idoneos exiſtimabant, qui concilio coetuique intereſſent, nomenclatorem eum ſibi tradi petit, ut videat, qui inter eos ſuſpecti ſint, aut minus idonei: ſi Arauſionenſis et foederati cum eo Ordines pacificationi ſatisfacere nolint, commercium cum illis omne et colloquium interdicatur. Praeterea, ut duo capita de religionis Apoſtolicae Romanae inſtauratione et obedientia regi debita executioni demandentur, tempus anticipetur, et, licet in generalem Ordinum conventum negotium rejectum ſit, de eo, mora omni poſthabita, decernatur: Arauſionenſi item Amſterodamenſeis tanquam Hollandiae praefecturae ſibi commiſſae ſubditos ſolicitanti obviam vel cum armis eatur. Has Auſtrii petitiones partim excuſatione partim tergiverſatione Ordines eluſerunt; cum ipſe interim minime ceſſaret, inſtigante Eſcovedo novi belli in Belgio excitandi auctore, omnia ſumma faciens, ut imperium, quod ab Ordinibus in ſpeciem amice petebat, vi et inſidioſis conſiliis ſi poſſet reciperaret. Itaque cum Fronsbergio comite, Nicolao [i] Polvillerio, Carolo [k] Fokaro et Cornelio [l] Endenſi, Germanorum tribunis, quos licet popularibus ſuſpectos Antuerpiae manere convenerat, donec promiſſa ſtipendia plene exſolverentur, clam agit; et miſſis literis, quae poſtea evulgatae ſunt, contendit, ut imperata facerent: ſic enim fore, ut et regi auctoritas ſalva maneat, nec Ordines eos ſtipendiis, quae bona fide diſſolvi rex et ipſe intelligat, fraudare poſſint: quod ad conſilium de urbe rurſus intercipienda ac diripienda pertinere interpretati Ordines, eo rebus ſuis maturius conſulere, et ab Auſtrio ſibi cavere coeperunt. Auſtrius ſub id tempus, evocato Carolo [m] Croio Cimaci principe, qui tunc Araſchotani parentis loco arci praeerat, etiam de arce in poteſtatem per ejus abſentiam redigenda cogitare creditus eſt. Auxere ſuſpicionem literae tunc temporis in [n] Benearni pago a Navarri miniſtris, dum per veredarios in Hiſpaniam deferrentur, interceptae; quibus

Auſtrius

INTERPR. [a] *Louvain.* [b] *le comte de Berlaymont.* [c] *Lancelot, comte de Meghen.* [d] *Gilles de Berlaymont, ſieur de Hierges.* [e] *Floris, ſieur de Floyon.* [f] *le baron de Haultepenne.* [g] *d'Aſſonville, de Vaux, de Gomicourt, de Warluſel, & Guillaume de Horne ſieur de Heſt.* [h] *de Croy, duc d'Arſchot.* [i] *le baron de Polweiller.* [k] *le colonel Focker.* [l] *d'Enden.* [m] *de Croy, prince de Chimay.* [n] *Bearn.*

Auſtrius et Eſcovedus Philippum ad bellum in Belgio movendum incitabant, rationibus etiam belli gerendi adjunctis, ut nimirum cum exiguo ſed delecto militum numero id faceret, neque munitae et in continenti ſitae urbes ſed inſulae primo invaderentur, quibus captis, ceteras facile ſub jugum miſſum iri, adempto maritimo commercio, quo ſolo totius provinciae opes conſtant. Quod ut commodius fiat, ſerenda inter nobilitatem et plebem ob religionem ac conſcientiarum libertatem diffidia; nam inde acre certamen procul dubio exoriturum, quod nobilitati a plebis partibus diſcedendi et praeſidi ſe applicandi occaſionem et neceſſitatem ſit praebiturum: ſic autem diffidenteis et inter ſe diviſos facilius carpi, et alterum alterius opera opprimi poſſe: ad id expeditum videri, ut ſpecie auxilii regi Galliae ad bellum contra Proteſtanteis ultimis comitiis decretum gerendi Hiſpani et Itali in Gallia ſiſtantur, ut inde citius in Belgium evocari queant. Addebat ſeorſim, et quaſi inſcio Auſtrio, alias belli neceſſario gerendi cauſas Eſcovedus; quod, niſi Auſtrius a Philippo pecunia et milite ad id juvaretur, ex deſperatione alio nec opinato repente diſceſſurus eſſet: cui periculo ut praeverteret, regem demiſſe obſecrabat. Has literas Lovanii VII Eid. Apr. utriuſque manu ſcriptas, ante reſignatas, Navarrus confeſtim ad Arauſionenſem, cujus cauſam cum ſua conjunctam exiſtimabat, mittit: qui mox eaſdem ad Ordines perferendas curavit; monuitque, ut iis praelectis conſilium rebus ſuis utile caperent. Eodem tempore Auſtrius honorificam ad Caeſarem et Imperii ſeptemviros ac ceteros principes legationem decernit, et de Arauſionenſi et foederatis cum ipſo Ordinibus querelam apud eos inſtituit, belli gerendi Belgio ex ea occaſione jam tum fundamenta jaciens. Miſſus et viccecomes Gandenſis magnifico comitatu ad Angliae reginam, qui de Arauſionenſi, Batavis et Zelandis, quod pacem non ſervarent, conquereretur. Illa vero, quae ſciret Ordines illarum provinciarum in Galliam legationem ſecretam decreviſſe, ut ſe regis aut Andini patrocinio committerent, a quo quanquam ſe rex excuſaſſet, tamen Andinum cum bona ſpe legatos dimiſiſſe, acriter per ſuos et Arauſionenſem et Ordines increpat, quod pacificationis conditionibus non ſtarent; monetque, ſi perſeverent, quando ex eo non parum publici commercii libertas detrimenti accipiat, implorata ipſius ope, fore, ut, quae in ſua poteſtate ſint, remedia idonea in tempore adhibeat. Heic Ordines, qui viderent Auſtrium belli cauſas quaerere, Angliae reginam ob Gallici nominis aemulationem haud ſatis rebus ſuis aequam, Germanos adhuc ſibi ſuſpectos in viſceribus haerere, nec pecuniam ad diſſolvenda ſtipendia ſuppetere, animi anxii fluctuabant, et quid agerent in dubio erant: tandem omnis ad rem pecuniariam expediendam converſa cogitatio, ut Germanos dimitterent. Quam in rem et operam ſuam ultro deferebat Auſtrius; addebatque, niſi aequis conditionibus Germani acquieſcerent, fore, ut ipſe vim tempeſtivam ex ipſorum Ordinum voluntate adhiberet. Haec ita palam agebantur: ſed in occulto moras nectebat, et ut idem facerent Germanis clam ſuadebat. Poſtremo, cum ſuſpicionibus ſubortis conſilia ex voto minime procedere doleret, et potentioribus remediis adverſus Ordinum vireis quotidie invaleſcenteis opus eſſe cerneret, ex pecuniae Germanis exſolvendae penuria occaſionem ſumpſit mittendi in Hiſpaniam Eſcovedi; in ſpeciem, ut de ſtipendiis Germanis debitis cum rege ageret, re vera, ut eum de rerum ſtatu certius edoceret, et coram validioribus quam per literas, quae contradicenteis refutare non poſſunt, rationibus ad bellum tantopere expetitum accenderet.

VIII. ANTEA, inſtigante Eſcovedo, dum adhuc in Italia eſſet Auſtrius, de Angliae regno, Eliſabetha expulſa, ſub jugum mittendo apud pontificem egerat; et, inſcio Philippo, pervicerat, ut pontifex, quaſi nullius precibus impulſus, ſed ſola Chriſtiani orbis charitate et publici boni contemplatione permotus, regem ſolicitaret de ſubſidiis in id bellum ſummittendis; quod et ipſi honorificum, Belgio ſectaria peſte ob

CIϽIϽLXXVII. HENRICUS III. Anglorum viciniam infecto tutum, et ad Dei gloriam ſumme fructuoſum eſſet; quod Philippus compoſita ad tempus diſſimulatione eluſerat. Cum vero poſt Requeſenis mortem Auſtrius gubernator Belgii a Philippo declaratus mandatum de proficiſcendo quam primum in provinciam accepiſſet, tamen ex conſilio Eſcovedi ex Italia, unde nulla mora interpoſita in Belgium tendere jubebatur, in Hiſpaniam tranſmiſit, ut regis animum periclitaretur, an propoſitum a pontifice de Anglia invadenda conſilium perſequi vellet. A quo cum alienum regem reperiret, non deſtitit, poſtquam in Belgium venit, idem negotium urgere; et inſuper petiit, ut portum in [a] Cantabria ſibi ad claſſem parandam munire liceret, cujus cuſtodia Eſcovedo committeretur. Verum eo magis conſilium averſari Philippus, et omnia facere, ut, omni ſubſidio, etiam eo quo provincia indigebat, adempto, ei ſpem omnem rei conficiendae praecideret: quod illum in ſummas anguſtias conjecerat: eoque pertinebant literae illae Eſcovedi, quibus Philippum monebat, ne pateretur ut frater ex deſperatione in extrema conſilia praecipitaret: nam miſerabilem conditionem ſuam in ea provincia ducere: et malle cum VI CIϽ peditum II CIϽ equitum propriis auſpiciis in Gallia militare, quam diutius cum tam dedecoroſa fortuna conflictari. Eaque de re ſaepius ad Antonium [b] Pereſium, qui tunc unus ab epiſtolis ſecretis Philippo erat, et in ejus gratia praecipue florebat, perſcripſerat. Cum vero videret, nihil illis literis regem moveri, ad nova conſilia Auſtrii hominis elati, de cetero ſecuri ac negligentis, animum inclinat: et, paulo antequam foedus illud clandeſtinum, de quo diximus, in Gallia ſancitum eſt, colore levium aliquot negotiorum Lutetiam homines fidos miſerat; qui aliquoties in aedibus Joannis [c] Vargae Mexiae, Philippi apud regem oratoris, ad quem venire ſe ſimulabant, diverterunt. Ceterum Varga, qui videret, negotia illa non eſſe hujuſmodi, propter quae Auſtrius ſive Eſcovedus primarios miniſtros extra provinciam toties ablegaret, et alioqui ingenium Eſcovedi noſſet, obſervare coepit, quo illi, dum in urbe eſſent, commearent, et cum quibus colloquium haberent: cognitoque eos ſub noctem obſcuram ad Guiſii aedeis itare, idque ipſos apud ſe diſſimulare, ad Philippum ſcribit; et praefatus, nolle principis arcanis ultra quam velit participare, tamen ratione muneris obligatum ſe exiſtimaſſe, de iis, quae in ſuſpicionem ipſum adduxerint, eum ſedulo monere, ne flagitioſi ſilentii reus apud ipſum aliquando poſtuletur: et, cum videat homines ſaepius ab Auſtrio Lutetiam veniſſe, et cauſas quaerenti res nihili praetexere, et clam ſe ad Guiſianorum aedeis noctu commeare, non potuiſſe non ipſum ea de re conſulere; ut, ſi id juſſu ſuo fiat, ſilentium, quod ſumma fide ſit ſervaturus, ſibi imperet; ſin contra, quid ea in re voluntatis ſuae ſit, aperire ne gravetur: nam, quidquid juſſerit, id ſe diligenter executurum. Ad hunc nuncium Philippus princeps, rerum ſuarum ſolicitus, cohorruiſſe dicitur: et, cum jam ob occultas ſuſpiciones [d] Joannem a Soto ab Auſtrio, qui bello Granatenſi et in ſacri foederis expeditione inſervierat, tacite removiſſet, et honeſta miſſione exercitus curatorem creaſſet, ſuffecto in ejus locum Joanne Eſcovedo, ſenſit perſonam non conſilia mutata. Itaque Vargae reſcribit, itationes illas e Belgio, ſe ignaro, fieri: proinde det operam, ut, quorſum occulta conſilia tendant, indaget, et ad ſe perſcribat. Poſtea reſcitum eſt, Guiſium et Auſtrium foedus inter ſe ſecretum iniviſſe, Galliae et Hiſpaniae regibus ignaris, pro utriuſque coronae defenſione; quarum illi ſibi veluti patrocinium ſumebant: quod quo pertineret, exitus magno noſtro malo declaravit. Id cum cognoviſſet Philippus, ſub id ſere tempus quo Eſcovedus ab Auſtrio et Ordinibus in Hiſpaniam venit, eo magis a belli conſiliis, cujus alioqui juſtas cauſas habebat, ſe alienum oſtendit. Eſcovedus vero, ubi praeter opinionem omnem rei conficiendae ſpem praeciſam vidit, homo turbulenti ingenii et otii impatiens, ut de Antonio Pereſio, quem ſuis

INTERPR. [a] *Biſcaye.* [b] *Perez.* [c] *de Vargas de Mexia.* [d] *Juan de Soto.*

ſuis conſiliis adverſari ſciebat, ultionem ſumeret, et eadem opera eo amoto principem locum, ſic enim ſibi perſuaſerat, occuparet, illum per amicos emiſſarios apud Philippum criminari inſtitit, quod perfida temeritate [a] Roderici Gomeſii Silvae, Eboli in [1] Picentinis principis, ante aliquot annos defuncti, uxorem, praeſtanti forma nec minus amoeno ingenio foeminam, quam Philippus impotenter deperibat, ſolicitaret, eamque ab amore regis alienaret: quo magis Pereſius proprio periculo incitatus apud regem inſtabat, ut hominem turbulentum procul amandaret, ubi rebus ſuis incommodare non poſſet: eaque in re Petri [b] Faiardi Veleſiae marchionis, primariae ob prudentiam et fidem apud Philippum auctoritatis, opera utebatur, qui pernicioſa Eſcovedi conſilia ſummopere deteſtabatur. Tandem, cum Auſtrius cum ad ſe remitti cum certae regis voluntatis mandatis inſtanter peteret, perſuadetur a Pereſio Philippus, nt hominem, quem ulterius in aula retinere citra manifeſtam Auſtrii offenſionem, remittere ad eundem ſine periculo, non poſſet, aut veneno aut ferro tolleret: idque negotii ſibi ſumpſit, et executus eſt. Conſilii a Pereſio dati Philippum poſtea poenituit; qui, ut rei invidiam a ſe, et rivalem ab aula, removeret, Pereſium, quaſi privata injuria incenſus nullo ſuo mandato id feciſſet, de facto a judicibus interrogari voluit: quod multarum calamitatum non ſolum ipſi Pereſio, ſed toti Aragoniae regno initium fuit. Sed haec poſtea acciderunt.

IX. Tunc vero, poſt Eſcovedi e Belgio diſceſſum, Auſtrius conſilia cum Germanis inita repetit; et de arce Antuerpiana, cui Ludovicus [c] Bloſius Trelonius praeerat, capienda, eodem tempore [d] Bergis ad Somam, Breda, Silva ducis, Tola in Zelandia, Daventria, Campis, Ruremunda ac Teneramunda occupandis, cogitare coepit. Et, cum adhuc eventus in incerto eſſet, et vereretur, detectis forte conſiliis, ne ipſe in Ordinum poteſtatem veniret, Bruxellis Mechliniam ſpecie cum Germanis de ſtipendiis agendi migravit: ubi cum rurſus nec ſecuritatem reperirer, inde ſecedere er e longinquo conatus eventum opperiri ſtatuit; [α] occaſionemque quaerenti commodum incidit adventus Margaritae regis ſororis et Navarri uxoris, quae ad aquas [e] Tungrenſeis proficiſcens per Belgium iter factura erat. Ea licenrer in aula matris indulgentia educata, cum poſt mariti diſceſſum provideret, ut ſibi in arcto, hoc eſt, cum viro procul ab aula vivere neceſſe eſſet, ut tantiſper tam inviſo exilio moras interponeret, adverſam valetudinem ſimulaverat, cujus cauſa ad aquas illas profectionem adornaverat: cum vero per Belgium iter habitura eſſet, quo ad ipſam venturum officii cauſa Auſtrium minime dubitabat, non invita fecit, ut cum eo capita conſerret; et, Guiſii conſiliorum non [β] ignara, cum Auſtrio egiſſe dicitur, ut ad religionem majorum conſervandam, quae utrobique Proteſtantium factione periclitaretur, in Gallia et Belgio, qui ſummae rerum praeerant, in armis perpetuo eſſent, et ſe mutuis auxiliis adjuvarent. Quod eo conſilio faciebar, ut renovatis in regno turbis in aula manere, et a viro honeſte abeſſe poſſet. Igitur eam occaſionem nactus Auſtrius quaſi a Deo oblatam avide arripuit, et magno comitatu cum Barlemontii filiis, quibus plurimum fidebat, [f] Mechlinia profectus Margaritam reginam in limite excipit: cumque per [g] Montes Hannoniae iter haberer, urbe fruſtra tentata, [h] Carlomontium in poteſtatem redegit; ac [i] Namurcum inde venit: cujus arci praeerat Joannes [k] Burgundio Fromontii regulus, eamque aſtu intercepit IX Kal. Sextil. cum, quaſi ad venationem mane exiens, eam

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Margaritae Navarrae profectione et conſiliis, uſque ad* Igitur eam occaſionem *deſunt D.* f. d. [β] ignara; quippe cum quo antiqua illi conſuetudo erat, ab illo tempore quo Carolus rex de eo interficiendo ob hanc cauſam impetum cepit, ſicuti ſuo loco diximus; cum Auſtrio *MSS. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Ruy Gomez de Silva, prince d'Eboli au royaume de Naples.* [b] *Fajardo, marquis de Velez.* [c] *de Blois, ſieur de Treſlon.* [d] *Bergen-op-zoom, Breda, Boiſleduc, Ter Tolen en Zelande, Deventer, Campen, Ruremonde, & Dendermonde.* [e] *eaux de Spa.* [f] *Malines.* [g] *Mons.* [h] *Charlemont.* [i] *Namur.* [k] *de Bourgogne, ſieur de Fromont.*

NOT. [1] *Picentinis*: nunc dicitur *Principato citra.* *Put.*

CIƆIƆLXXVII.
HENRICUS III.

eam circumiret, et ad portam ſtans ab [a] Hiergio, [b] Megae comite, [c] Floiono et Altapennio ex compoſito peteret, an ingredi et veluti nunquam viſum locum luſtrare vellent; quo dicto, cuſtodes ſtatim nihil minus veriti ipſos admittunt; qui, ut erant ſcloppetis egregie inſtructi, ſtationarios mox reverentia ſeu vi diſpellunt, et loco potiuntur. Qua re cum in urbe trepidaretur, Auſtrius mox literas incertum a quo ſcriptas evulgat, quibus monebatur, noonullos Mechliniae de ſe capiendo et in Zelandiam abducendo conſilia ſecreta iniviſſe: et facinoris tanti Lalanium comitem, Campaniacum et alios proceres oblique inſimulare videbatur: igitur, quod ſecerit, ſecuritatis ſuae cauſa feciſſe; ac velle deineeps, ut ſibi tanquam Belgii praeſidi obſequium ad rationem mandati ex Hiſpania miſſi deſeratur. Cum his literis poſtridie [d] Raſſingemium Bruxellas ad Ordines mittit; mandatque, ut Heſacus urbis praefectus ac cives arma deponant, antequam ad eos veniat. Ad haec miſſis e ſuo oumero delegatis reſpondeot Ordines; et enixe Auſtrium orant, ſuſpiciones ſalſis, ut ſibi quidem videatur, delationibus innixas ex animo deleat, maliſque, ex improviſo ipſius tam alieno tempore diſceſſu et Carlomontiae ac Namurcenſis arcis invaſiooe impendentibus, maturo reditu ſuo praevertat, ſeque Bruxellis ſiſtat: heic ei omnia ad ſecuritatem parata fore, et milites fidei jusjurandum praeſtituros, et ad ſtipatores, quos jam habeat, ccc pedites acceſſuros: inſuper, ſe curaturos, ut de ſceleratae conſpirationis contra ipſum initae conſciis quaeſtio habeatur, ut ejus ſuſpecti, ſi convicti fueriot, poenas pro maleficii gravitate inſigni ſeveritatis exemplo luant: praeterea inſtant, ut de ſtipendii Germanis debiti ſolntione ac externarum copiarum dimiſſiooe curam ſuſcipere dignetur. Cum delegati Namurcum veoere, Auſtrius jam rem Antuerpiae per Cornelium [e] Endanum confectam putabat. Itaque, conditiones ab iis propoſitas parvi faciens et cum riſu eludens, brevi fore dixit, ut non per internuncios ſed coram ipſe cum iis ageret, et tutum in Brabantia ſibi deinceps domicilium compararet. Verum, cum Cornelius Endanus in itinere eſſet, ut juſſu Auſtrii Antuerpiam peteret, a [f] Campaniaco mature proſpectum eſt; qui [g] Verſio cognatione ſibi coojuncto negotium dedit, ut cum copiis illi occurreret, et commoditatem oactus ſioe denunciatiooe eos caederet; quod ille ſedulo fecit: tuncque primum Ordines eum Auſtrio hoſtiliter egere, miſſo interim [h] Hinario Liedkerkio Antuerpiam, qui cunctos in officio contineret, et cum Pontio [i] Noiello Burſio, qui unius e quatuor cohortibus arcis praeſidiariis dux erat et io occulto Ordinibus favebat, ageret, nt citra periculoſum tumultum arcem in Ordinum manus conſignaret. [k] Trelonius arci pracerat per [l] Cimaci principis abſentiam; qui, cum urgeret, ut milites Auſtrio fidem obligarent, Burſius recuſavit: ſed, veritus, ne Trelonius cum Germanis, qui in urbe erant, vireis ſociaret, et ita arce per vim potiretur, ipſe, praevertendum ratus, cum prius cum Gulielmo [m] Ronkio et Paulo [n] Tuchero duarum cohortium ducibus conſilium communicaſſet, Kal. Sextil. repente ſub veſperam praeſidiarios ad arma vocat, totam urbem in armis eſſe fingens; continuoque cunctae cohortes arma expediunt, quarum Treloniana jam excubias agebat. Tum Burſius Ordinum ſententiam declarat, et ſacramentum proponit, Ronkianamque cohortem ſibi adjungit, Tucheriana adhuc nutante: hiſque viribus ſubnixus Trelonianos aggreditur, quos initio reſiſtenteis, caeſis circiter xx et pluribus vulneratis, diſſipat; ac Trelooium ipſum capit; expulſiſque ſuſpectis militibus, arce potitur. At [o] Fronsbergus et [p] Fokerus, tubarum elangore ex arce percepto, totam noctem cum ſuis inſomnem in urbe egerunt; et ſummo mane ad pootem [q] Meranum acie inſtructa conſiſtunt, gravioraque veriti, mox ponte relicto, cum ſarcinis et impedimentis in urbem novam contendunt;

INTERPR. [a] *le ſieur de Hierges.* [b] *Meghem.* [c] *les ſieurs de Floyon & de Haultepenne.* [d] *le ſieur de Raſſingem.* [e] *de Enden.* [f] *de Champigny.* [g] *de Vers.* [h] *de Heymart, ſieur de Leidekercke.* [i] *de Noyelles, ſieur de Bours.* [k] *de Blois, ſieur de Treſlon.* [l] *Chimay.* [m] *Ronck.* [n] *Toucher.* [o] *de Fronsberg.* [p] *Focker.* [q] *Meer-brugghe.*

contendunt; ubi ſe ſarcinis, vaſis et ſaccis, tumultuario ex vicinis aedibus comportatis pro vallo muniunt, adductis poſt ſe pontibus. Tum [a] Hinarius inſtare precibus, minis, vi etiam adhibita, ut Germani urbe excederent, etiam trium menſium repraeſentato ſtipendio, inſuper et pannis x CIϽ florenorum aeſtimatis. Contra pertinaciter recuſare Germani; et, ni promiſſis ſatisfieret, vim contra interminari. Heic animi angi cives, recenti adhuc direptionis ſenſu et exemplo; ac vereri, ne praedae dulcedine illecti praeſidiarii Breda, [b] Silva-ducis, [c] Bergis continuo advolent; fama etiam tunc ſparſa, quaſi Megae comes et Floionus inde cum ſuis legionibus auxilio Germanis accurrerent; inde [d] Ecmondanus et Heſaeus haud procul abeſſent, cum maximis copiis praeſto oppidanis futuri: nec non et auxiliares Arauſionenſis naves adventare dicebantur: quo ex concurſu et tot inimicorum et amicorum conflictu quid aliud quam opulentiſſimae urbis alteram direptionem exſpectari poſſe? Jamque in eo erant, ut, duce Hinario, ad manus venirent, parantibus ſe ad pugnam Germanis, cum inſperato Dei beneficio IV naves praeſidiariae cum praetoria Arauſionenſis apparuere; diſploſiſque aliquot tormentorum ictibus tantum pavorem Germanis injecere, ut non de pugna, ſed de ſalute tantum cogitarent, effuſique per portas non accepto ſtipendio huc illuc turpi fuga ſe ejecerint. Fronsbergius Bredam, Fokerus Bergas ad Somam cum ſuis ſe receperunt, relictis impedimentis et ſarcinis, in quibus literae illae, de quibus dixi, repertae ſunt, quae fidem de conſiliis cum Auſtrio initis faciebant. Urbe alterius direptionis metu liberata, proximum fuit, ut loca vicina in poteſtatem redigerentur. [e] Campaniacus [f] Woudam arcem haud longe a Bergis ad Somam capit; ipſaſque Bergas corona cingit, in qua Fokerus erat cum duobus veterum praeſidiariorum ſignis: nam tertium recens ſecum Antuerpia adduxerat. Tandemque convenit, ut duae cohortes ſtipendium debitum conſtituta die acciperent, ſpondentibus Ordinibus; tertia, quae cum Fokero urbis direptioni operam dederat, vita ſalva, dimitteretur, ea lege, ut arma deponeret, et Fokerum, a quo ſeducta fuerat, captum traderet. Poſtea mollitae a Campaniaco conditiones; qui hoc dedecus Germano nomini inuri non tulit, ſed iis arma reddi juſſit; ſatiſque habuit, ut apocha meritum in Belgio ſtipendium ſe accepiſſe faterentur. Fokerus autem vinctus Bruxellas deducitur. Eorum exemplo alia Fokeri cohors, quae [g] Steebergae in praeſidio erat, deditionem fecit. Inde Campaniacus [h] Tolam ducit, quam Monteſdoca Hiſpanus cum ſigno tenebat: quo ubi Philippus [i] Hohenlous comes cum Arauſionenſis milite venit, inſulam et loca vicina, quae Arauſionenſis fere ditionis ſunt, in fidem accepit. Eodem tempore Araſchotanus dux et Havreci marchio ejus frater ac Cimaci princeps cum Fromontii regulo, praefectura Namurcenſi injurioſe ab Auſtrio exuto, clam ab Auſtrii comitatu ſe ſubduxerunt, et ad Ordines venerunt; quos et alii ex nobilitate ſecuti ſunt, et milites complures, etiam ex iis qui ſub Barlemontii filiis ſtipendia fecerant: quibus Ordines bellica munera detulerunt, et eorum opera [k] Liram praeſidio firmatam ante omnia muniverunt. Sub id tempus [l] Leovardiae tumultuatum eſt, cum [m] Mattenes Vibiſma arcis praefectus novum militem introducere conaretur. Nam, cum praeſidiarii vim facerent, et, [n] Ubbone Gotumenſi duce, novi milites reſiſterent, ad arma protinus in urbe conclamatur, oppidanis veritis ne ex ea occaſione urbs diriperetur: et, arce obſeſſa, tandem eam deditione recipiunt IV Non. Oct. quam uſque ad [o] Vilani praefecti adventum tenuerunt.

X. JAM ante foederati Ordines ad Philippum x Kal. Sept. literas dederant; quibus cum de rerum ſucceſſu poſt Auſtrii adventum certiorem faciebant; ejuſque culpa et affectatis

INTERPR. [a] *de Heynart, ſieur de Leidekerke.* [b] *Boiſleduc.* [c] *Bergen-op-zoom.* [d] *le comte d'Egmond, & le ſieur d'Heſe.* [e] *de Champigny.* [f] *Woude.* [g] *Steemberghen.* [h] *Ter Tolen.* [i] *de Hohenlo.* [k] *Liere.* [l] *Leeuwarden.* [m] *Mathenes Wibeſma.* [n] *Wibe van Goutum.* [o] *George de Lallain, comte de Rennenburg, baron de Ville, gouverneur de Friſe.*

CIƆIƆLXXVII.
HENRICUS III.

affectatis protelationibus factum dicebant, ut ad arma deventum eſſet; qui cum Germanos dimittere debuerit, iis, ut remanerent, non ſolum clam auctor fuit, ſed eos ad Antuerpiam invadendam ſolicitavit, ut ex ipſius literis poſtea interceptis patuit; eodemque tempore, quaſi [a] Margaritae Vindocinae excipiendae obviam officioſe prodiret, arcem Namurcenſem invaſit, et ſuſpicionibus novis Belgium nondum bene pacatum implevit: cumque ei ad cuſtodiam corporis duplicati eſſent ſtipatores, praetexta conjuratione, cujus conſcii nuſquam ab eo nominati ſnnt, Bruxellas redire noluit: et res ſecus quam habeant, primum per literas, quae interceptae ſunt, et quarum exemplum ad ipſum mittant, deinde per Eſcovedum, alia de cauſa miſſum, majeſtati regiae exponendas curavit; quod tamen Eſcovedo potius quam Auſtrio ipſi attribuant. Proinde petunt, ne criminationibus Eſcovedi aurem praebeat, ſed potius de eo tanquam turbulentorum conſiliorum auctore meritas poenas ſumat; mandetque Auſtrio, ut juxta pacificationem Gandenſem ab Ordinibus nuper confirmatam, quam et regia majeſtas ratam habuit, dolis et captionibus rejectis, rempublicam adminiſtret, dimiſſis a ſe factioſorum et pravorum conſiliorum auctoribus, Belgarum ſibi fidorum ſalutem et libertatem commendatam habeat. De quibus literis ubi cognovit Auſtrius, res ſuas praeter votum et expectationem ad ſummas anguſtias redactas dolens, qui tantum III cohortes ex [b] Fokeri et VII ex aliorum legionibus haberet, ſibi [c] Namurci metuere coepit, ne illic ab Arauſionenſis copiis nec opinato opprimeretur: continuoqne Hiſpanos Italia clam evocat: et tamen cum delegatis Ordinum denuo agere inſtitit; et duo in primis capita, de Apoſtolicae Romanae religionis inſtauratione, et obedientia regi debita, urget; quibus ſolis ſe obligari dicebat: nam de ceteris ſibi liberam interpretationem et ſtatuendi plenam poteſtatem eſſe. Petebat inſuper, ut ſibi jus eſſet, in eos animadvertendi, qui religioni offendiculum praeberent; ut [d] Santaldegondanus, [e] Theronus, alii Arauſionenſis et foederatorum Ordinum delegati, tanquam de Deo et rege peſſime meriti Bruxellis expellerentur: Arauſionenſis ac foederati Ordines pacificationi ſatisfaciant; Arauſionenſis conciones ac ſcholas juxta novam Sectam [f] Harlemi, Schonoviae, aliis locis poſt pacem traditis inſtitutas prohibeat, praeſidiis inde amotis; ab aliis locis muniendis abſtineat; [g] Sevenbergae ac locis aliis propugnacula demoliatur; [h] Ningaſtellam arcem, templa ac coenobia eodem ſtatu, quo pacis tempore erant, reſtituat; naveis circa Amſterodamum dimittat, et oppidanos priſtina libertate uti ſinat; [i] Novum-portum juxta pacificationis formulam reddat: quae ſi facere recuſet, Ordines conjunctis ſecum viribus et conſiliis parere detrectantem tanquam hoſtem perſequantur: praeterea Ordines arcem Antuerpianam regi reſtituant; et ipſe praeſidium pro arbitrio imponat: [k] Trelonius aliique captivi dimittantur: haec omnia ſi abſque mora ab Ordinibus praeſtentur, ſe, quod ſuarum partium ſit, bona fide impleturum. Ad haec Ordines reſpondent; et quantum ad duo priora capita, iis plene a ſe ſatisfactum dicunt; cujus rei teſteis appellant Caeſaris et pontificis oratores et [l] Leodicenſem epiſcopum, Batavoſque adeo ipſos, qui propterea gravitec conquerantur: ſuam vero fidem contra Hiſpanos in comparationem adduci, non poſſe non aegerrime ferre. Quando enim auditum in Hiſpania arces contra civitates aedificatas? nova decreta contra libertates ac privilegia pro animi arbitrio ſine Ordinum conſenſu facta? juriſdictionem antiquam, nova et extra ordinem ab exteris introducta adminiſtrationis formnla, ademptam? aut, ſi quando ſimilia attentata ſunt, Hiſpanos quieviſſe? atqui quieſcere et quieturos Belgas, dummodo iis bona ac firma pace frui, patriaeque leges libertates ac privilegia tueri, liceat: Santaldegondanum et Theronum, cum publico legationis teſtimonio nitantur, non poſſe ſalva pacificatione expelli;

INTERPR. [a] *Marguerite de Valois femme de Henry de Bourbon, duc de Vendoſme, & roy de Navarre.* [b] *Fucker.* [c] *Namur.* [d] *le ſieur de Ste Aldegonde.* [e] *Theron.* [f] *Haerlem & Schoonhoven.* [g] *Sevenberghe.* [h] *Nieucaſteel.* [i] *Nieuport.* [k] *le ſieur de Treſlon.* [l] *de Liege.*

expelli; qui tamen, aut ii a quibus miſſi ſunt, ſi quid, quod offenſionem pariat, faciant, cognitione prius habita, ſe jus dicturos: ceterum in religionis cauſa, quando adhuc pendeat, et Ordinum judicio permiſſa ſit, nihil de ea nunc decerni poſſe: ceterum nolle diſſimulare, eo querélas illas pertinere, ut diſſidia inter bene concordes ſerantur juxta Eſcovedi conſilium; qui literis ad Philippum Antuerpia VIII Eid. Apr. nuper datis aiebat, libertatis conſcientiae pallium diſcordiae pomum fore, quo diſſenſiones et partes inter Ordines excitentur, iiſque inter ſe divulſis, ſinguli facilius carpantur, et alter alterius ope opprimatur: nunc demum, quamvis alia cauſa obtendatur, larva depoſita, patere Hiſpanorum in perniciem Belgii conjuratorum conſilia. Tandem Auſtrius, qui verbis nihil profici cerneret, ut Ordines contra ſe exacerbatos placaret, novas conditiones proponit; et ſe provincia excedere paratum oſtendit, modo, dum alius a rege in ipſius locum ſubſtituatur, ab armis utrinque abſtineatur. Quas cum Ordines male interpretarentur, et id agi exiſtimarent, ut interea externi milites ex Italia et Germania evocarentur, novas eaſque duriores viciſſim proponunt: Ut omneis Ordinibus ſuſpectos miſſos faciat; urbes et arces Namurci, [a] Carlomontii, [b] Mariaeburgi, aliaſque, iis quibus pacificationis legibus commiſſae ſunt, reſtituat: Lucemburgenſem item principatum relinquat; efficiatque, ut Germani toto Belgio aequis conditionibus excedant; et haec quouſque alius in ejus locum praeſes a rege mittatur: quod ſi reputet Belgio expedire, ut citius diſcedat, quod ultro ſaepe obtulerit; adminiſtrationem concilio ſtatus a rege approbato tradat, cui omnes quantum ad priora illa duo capita patere cupiant. Rogant inſuper, ne ſe ulterius ſcripturis oneret, et jam tandem, omiſſa inutili ſcriptorum concertatione, quod verbo dicitur, facto exequatur: ſe interea juratae unioni ſatisfacere decreviſſe, et oppreſſis ab eo ſuppetias ferre. In eandem ſententiam ad Philippum dant literas VI Eid. Sept. ad quas affectata mora non niſi menſe Februario inſequenti reſponſum eſt. Interea arces ac munitiones ubique diruebantur. Antuerpiae arx a [c] Burſio, qui eam Trelonio eripuerat, in manus civium conſignatur V Kal. Sept. moxque ſummo omnium concurſu propugnacula duo in urbem projecta diruuntur, et, foſſa impleta ac complanata area, munitiones arcis cum muro urbis continuantur. Idem Kal. Sept. [d] Gandavi, et dein, exemplo graſſante, [e] Trajecti ad Moſam, Inſulae ac Valencenis factitatum eſt: tantum ſervatae [f] Tornaci in Nerviis, et Cameraci arces; illa, quod praefecti habitationi inſerviret; haec, quod imperialis urbs et limitibus Belgii defendendis deſtinata eſſet; quam Garolus [g] Gaurus Incius [h] Likio adverſae parti addicto ademptam Ordinibus ſervavit. Secundum haec Leodicenſis epiſcopus et Willelmus Clivenſium dux per delegatos viam componendarum rerum tentant, ſed irrito ſucceſſu; cum Ordines ante omnia urbium et arcium ab Auſtrio occupatarum reſtitutionem urgerent, et is capita illa duo ſemper regereret. Tandem per Joannem [i] Lindanum ſani-Gertrudis praeſulem, [k] Campaniacum et Leoninum juriſconſultum, Arauſionenſis evocatur, ut ex ejus ſententia in commune conſuleretur. Quo cognito, Auſtrius prid. Kal. Oct. acerbis verbis expoſtulat, quod rejectis pacis conſiliis omnia hoſtilia contra majeſtatem regiam moliantur, deſtructis paſſim arcibus, et evocato Arauſionenſi, harum turbarum auctore: proinde, quando nihil ſana conſilia apud animos ſemel falſis perſuaſionibus praeoccupatos valeant, ſe Namurco diſcedere et inde Lucemburgum petere decreviſſe; ibique regis, quem de re omni certiorem fecit, mandata opperiri. Ita arce Namurcenſi optime munita, Auſtrius Lucemburgum retro abit.

XI. Mox miſſus ab Ordinibus Namurcum verſus exercitus; delectique duces Philippus [l] Lalanius comes peditum, [m] vicecomes Gandenſis equitum, [n] Gongneus caſtrorum,

Valentinus

INTERPR. [a] *Charlemont.* [b] *Marienbourg.* [c] *de Noyelles, ſieur de Bours.* [d] *Gand.* [e] *Maeſtricht, Lille, & Valenciennes.* [f] *Tournay, & Cambray.* [g] *de Gaure, baron d'Incby.* [h] *de Liques.* [i] *de Linden, abbé de S^e Gertrude.* [k] *le ſieur de Champigny & le docteur Leonin.* [l] *de Lallain, general de l'infanterie.* [m] *Robert de Melun, vicomte de Gand.* [n] *de Geinguies, mareſchal de camp.*

CIↃIↃLXXVII.
HENRICUS III.

Valentinus [a] Pardeus Mota rei tormentariae, praefecti; qui ad [b] Vauram in Brabantia initio caſtra poſuerunt, inſtante et ſuadente Arauſionenſi, ut Ordines Germanorum equitum III CIↃ conſcriberent, quibus freti, et facultate delectus habendi Auſtrio ademta, ipſum ſine mora [c] Namurco et Lucemburgo expellerent. Nihilominus conſultius viſum, propinquiora tentare, et prius cunctas Brabantiae urbes, praeterea [d] Campos, Ruremundam ac vicina oppida ſibi conciliare. Interea delegati ad Arauſionenſem miſſi Ordinum nomine eum orant obſecrantque, ut, quando publicae quietis hoſtes id unum in ſermonibus uſurpent, huc Arauſionenſis tendere conſilia, ut Belgae principem mutent, et majorum religionem aboleant, ipſe facto et opere eorum calumnias confutet, cunctiſque liquido per ipſum pateat, Hollandiae et Zelandiae Ordines nihil aliud, quam eorum, quae pacificatione Gandenſi promiſſa ſunt, obſervationem, meditari; et, ſicut in locis ſibi nuper traditis antiquam religionem admiſit, ita in aliis harum provinciarum oppidis eandem gratiam petentibus faciat; ſcripto item idonea forma ſubſignato caveat, neque ſe neque foederatos Ordines religionem majorum oppugnare, aut alius uſum in ceteris Belgii provinciis introduci permiſſuros, juxta Gandenſis pacis leges. Inſuper ab eo petunt, ut cum [e] Silvae-ducis et Bredae, quae civitates maximi momenti ſunt, praeſidiariis, aut armis aut pactione tranſigat: et, ſi quidem Germani cum ipſo agere recuſent, id oneris Campaniaco demandet; ſin vi opus ſit, Hohenlous rem in ſe ſuſcipiat. Ad ea Arauſionenſis ſcripto reſpondit; petitiones eas hujuſmodi eſſe, de quibus nihil ipſe ſtatuere poſſit; et, eum omnes Gandenſis pacis leges adimpletas velit, eaeque univerſos Hollandiae et Zelandiae Ordines reſpiciant, de iis ſedulo ſe [f] Goudae cum iis acturum: quod vero auctoritate conſignata caveri poſtulent, neque ſe neque Ordines foederatos unquam paſſuros, ut religio Catholica Romana oppugnetur, aliave in aliis Belgii provinciis recipiatur, ſe tam ſuo quam Ordinum nomine promittere, juxta pacificationem Gandenſem, nunquam paſſuros, ut aliquid contra publicam quietem, ſpeciatim autem contra Catholicam Romanam religionem ejuſve libertatem, innovetur aut fiat. His inter eos ſumma benevolentiae utrinque ſignificatione actis, Arauſionenſis, quamprimum per negotia liceret, Bruxellas ſe venturum pollicetur. Mox conjunctis copiis Hohenlous comes et [g] Campaniacus Silvam-ducis primariam Brabantiae urbem ex Arauſionenſis voluntate tendunt, quae ab Eberſtenii comitis militibus tenebatur; qui ſtatim x Kal. Oct. certis legibus deditionem fecere. Quo facto, cum Bredam duxiſſent, ſtipendiarii Germani, qui Fronsbergio merebant, dilati ſtipendii invidiam, ſic enim Ordines jactabant, in tribunos ſuos rejicientes, ob id ſeditione exorta, Fronsbergium et [h] Kinſecum comprehenſos et catenis in foro tota nocte alligatos detinuerunt, ut ſummo jure cum iis ageretur, petentes: tandemque de ſtipendii ſatisfactione pacti, urbem, Fronsbergium ac ceteros duces Antuerpianae direptionis complices, in Ordinum manus vinctos tradiderunt, ut de iis, pro criminis gravitate ſtatuerent; qui tamen omnes poſtea vinculis ſoluti et Ordinum decreto dimiſſi ſunt. Poſtea Arauſionenſis Bredam patrimonialem urbem cum Carlota Borbonia uxore venit; et inde Antuerpiam ex Ordinum foederatorum conſenſu tendit, ſummaque totius civitatis laetitia excipitur. Ibi ad eum miſſi ab Ordinibus delegati [i] Villerſius et Marolius abbates, [k] Freſinius et Capreſius equites, adventum ei fauſtum gratulaturi, eumque Bruxellas deducturi. Nec diu cunctatus ille per alveum inſanis ſumptibus perfoſſum, Antuerpianis armatis ab una ripae parte, Bruxellenſibus obviam ab altera prodeuntibus, Bruxellas magna pompa et comitatu venit IX Kal. Oct. unde poſt aliquot dierum de republica conſultationem Antuerpiam rediit; ubi magno civium conſenſu, inter quos quamplurimi Proteſtantium

doctrinae

INTERPR. [a] *de Pardieu, ſieur de la Motte, maitre de l'artillerie.* [b] *Wavre.* [c] *Namur & Luxembourg.* [d] *Campen.* [e] *Boiſleduc.* [f] *Ter-Goude.* [g] *de Champigny.* [h] *Kinſeck.* [i] *les abbés de Villers & de Marolles.* [k] *les ſieurs de Freſin & de Capres.*

doctrinae addicti erant, gubernatot urbis atque adeo Brabantiae XI Kal. Nov. deligitur. Qua re magnam invidiam ſibi ceterorum procerum concivit, quaſi ad ſummam Belgii praefecturam aſpiraret.

XII. CUMQUE eodem tempore [a] [α] Araſchotanus Flandriae gubernator conſtitutus eſſet, et Gandavum cum pleriſque Belgii proceribus veniſſet, inter eos, quibus et Arauſionenſis ambitio ſuſpecta erat, et qui eo rerum potiente non ſatis Catholicae Romanae religioni conſultum exiſtimabant, conſultatum fuit, de praeſide per Auſtrii abſentiam deligendo, qui rempublicam juxta pacificationem Gandenſem adminiſtraret, et refraenata Arauſionenſis ambitione religionem majorum ſartam tectam tueretur. Is propoſitus fuit Matthias Auſtrius, Rodolfi Caeſaris frater; quem jam ante per occultos nuncios ſolicitaverant, miſſo ad eum [b] Maſteledio, eum quo ille et paucis ex domeſticis, re minime cum Caeſare, ſicuti poſtea ſcripto apud Philippum ſe purgavit, communicata, in viam ſe dedit VI Non. Oct. Vienna Auſtriae clam noctu profectus, et permutatis equis Coloniam et inde [c] Liram in Brabantia venit: qua re non mediocriter Arauſionenſis et Ordines, qui Bruxellis erant, commoti ſunt, quod, ipſis inconſultis, Maſteledius ad Matthiam miſſus, et ipſe Matthias evocatus eſſet. Verum Arauſionenſis, qua erat prudentia, ſenſum injuriae diſſimulavit; et, quanquam eam ſciſſuram maxima incommoda importaturam, neque concordiam inter diſſidenteis de religione diu duraturam provideret, tamen, cum omneis non poſſet, ex iis, qui circa Araſchotanum erant, aequiores rebus ſuis ſeducit Lalanium comitem et vicecomitem Gandenſem, quorum ope aliorum conſilia et conata irrita reddidit. Nam, cum illi Matthiam ad ſe pertrahere, et [d] Teneramundae evocatum ſummae rerum praeficere conſtituiſſent, ita ut abrogata omni Arauſionenſi auctoritate ſummum imperium penes proceres eſſet, ipſe Ordinibus auctor fuit, ut ad Matthiam mitterent, eumque per abſentiam Auſtrii ad capeſſendam rempublicam invitarent; ſuſpicione interim [e] Ricovio et Jo. [f] Embiſio patriciis Gandenſibus injecta, quaſi conſilia Araſchotani et ſociorum eo tenderent, ut diſſidia juxta Eſcovedi conſilium inter nobilitatem et civitates ſererentur; atque ita ſinguli, qui conjuncti non poſſent, diviſi facilius opprimerentur. Quod facile perſuaſum hominibus novarum rerum cupidis, et qui motuum cauſas quaerentes, vix tandem recipetata poſt tot annorum ſervitutem libertate, quaſi reſumptis priſtinis animis ad turbas ſubito inclinarunt. Itaque, cum inter plebem evulgatum eſſet, Araſchotano flagitatione importuna fatigato has voces intempeſtive per iram excidiſſe, fore ut brevi moleſti iſtiuſmodi privilegiorum flagitatores tanquam ſeditioſi in ordinem cogerentur, additis quibuſdam aliis verbis, quibus Arauſionenſem perſtringere videbatur, repente in urbe ad arma quaſi ſigno dato conclamatum fuit; et nocte intempeſta V Kal. Nov. Araſchotanum, quem tanta gratulatione paucos ante dies in urbe exceperant, Raſſingemum, Franciſcum [g] Halvinium Suevigemum, [h] Mucronium, [i] Eikium, ſummum [k] Gandenſem praefectum, Flandriae praeſidem, epiſcopos denique [l] Brugenſem et Hiprenſem comprehendunt; factique rationem programmate V Eid. Nov. publicato edunt: quo perſcriptum erat, viſam proteſtationem a [m] Campaniaco factam et Suevigemi manu ſcriptam contra praefecturam Ordinum Brabantiae ſuffragiis Arauſionenſi delatam et Ordinum generalium decreto confirmatam, ut Arauſionenſi omnis adminiſtratio adimeretur, diſſidio hac arte inter Flandriam et Brabantiam diſſeminato: his addebatur, tentaſſe ſocios praeſidium Gandavum intromittere, et civeis objecto perduellionis crimine graviter mulctatos privilegiis ad extremum privare; bellum item contra Arauſionenſem decreviſſe, in eamque rem pecuniam publicam in belli

contra

VAR. LECT. [α] Araſchotanus dux *D. f.*

INTERPR. [a] *le duc d'Arſchot.* [b] *le ſieur de Maelſtede.* [c] *Liere.* [d] *Dendermonde.* [e] *Ribove.* [f] *Imbyſe.* [g] *de Hallwin, ſieur de Swevegem.* [h] *de Mouſqueron.* Meteren l'appelle *Van Monſtron.* [i] *de Eecken.* [k] *le grand bailli de Gand.* [l] *de Bruges & d'Ipres.* [m] *de Champigny.*

CIƆIƆLXXVII. HENRICUS III.

contra Hiſpanos gerendi ſumptus collectam [a] Duaci retineri mandaſſe. Id molitione Arauſionenſis factum; qui, terrore ſui injecto, tamen ad leniendam invidiam precibus apud Gandenſeis pervicit, ut Araſchotanus, qui ſolus nihil poterat, dimitteretur; ceteris, pro quibus interveniſſe videri voluit, ſub cuſtodia retentis. Igitur Matthias, quanquam a [b] Mota ſolicitaretur, ut [c] Vauram ad exercitum veniret, cum tamen videret, ſummum Belgii imperium penes Arauſionenſem eſſe, nec eos, a quibus evocatus venerat, perinde auctoritate apud civitates, quibus fere omne harum provinciarum robur conſtat, valere, ſero errorem ſenſit; et, quanquam retro pedem ferre et ad Araſchotanum ac ſocios ſe adjungere mallet, tamen, cum poenitentiae locus non eſſet, tandem ad Arauſionenſis et Ordinum partes tranſire coactus eſt; et III Eid. Novembreis Antuerpiam ingreſſus magnaque pompa ab Arauſionenſi et cunctis Ordinibus exceptus eſt. Tum rurſus Matthiae auctoritate, quem in Belgii praeſidem fiduciatia poteſtate ordinant, donec rex aliter ex generalium Ordinum conſenſu decernat, pacificationem Gandenſem ſanciunt; ſeque invicem et Catholici et Proteſtantes ad mutuum patrocinium obligant, fide data, neutros paſſuros, ut alteris moleſtia aut injuria fiat, aut libertates ac patriae privilegia ulla ex parte labefactentur. Id actum Bruxellis IV Eid. Dec. et ſeptem poſt diebus, ne poenitentiae locus relinqueretur, annitente Arauſionenſi, Auſtrius, tanquam violata pace, hoſtis declaratur, ejuſque ſocii ac ſectatores ad cauſam dicendam intra XV dies citantur; qui niſi compareant jam tum pariter tanquam patriae hoſtes proſcribuntur.

XIII. Quibus actis, legationes ad Caeſarem et Imperii principes decernuntur: ſed ampliſſima ad Anglorum reginam mittitur; cui obeundae deſtinati marchio [d] Havreeus [e] Araſchotani frater et Adolfus [f] Mekerkerus. Ii honorifice accepti cum regina conveniunt, ut juxta foedus liceat Belgis C librarum ſterlingarum CIƆ, indemnitate Anglis praeſtita, Londini mutuo ſumere; ea conditione, ut pecunia poſt annum reſtituatur, ad idque Belgii civitates, quas regina velit, obligentur: regina Ordinibus CIƆ equitum et V CIƆ peditum ſubſidio mittat; quibus ſtipendium Ordines poſt treis menſeis, a die qua navem conſcenderint, Londini numerent; finitoque bello, dimiſſos ſuis ſumptibus in Angliam remittant: hujus exercitus imperator in Ordinum concilium admittatur; nihilque, illo inconſulto, ſive ad bellum ſive ad pacem pertineat, in eo agitetur: nullum foedus cum principe ullo aut civitate ineatur, quod non a regina approbetur, eodemque, ſi volet, una comprehendatur: et, ſi mari claſſem inſtruere cogatur regina, Ordines XL [g] praeſidiarias [1] naveis XL amphorarum ad minus capaces, milite, commeatu et re omni inſtructas, auxilio mittant, quae praefecti Anglici imperio parebunt, et ſumptibus reginae merebunt: Angli rebelles a regina declarati intra Belgii limites non admittantur: ſi cum rege de pace agatur, curent Ordines, ut haec capita ante omnia, aut in parte, reginae arbitrio confirmentur. Icto foedere, quod id in multorum reprehenſiones incurſurum neque cariturum invidia apud ceteros principes provideret Eliſabetha, quaſi ipſa deficientibus ab obſequio populis pernicioſo exemplo in occulto faveret, atque adeo rebellionem inter vicinos foveret, ſtatim Thomam [h] Wilkeſium perſpecta prudentia virum ad Philippum legat, qui neceſſitate extrema factum excuſaret, idque bono regis ceſſurum demonſtraret: nam ſaepius monuiſſe reginam et ipſum et ejus vicarios, atque adeo [i] Albanum, ut remiſſius cum Belgis ageret, neque ex deſperatione hominibus liberis alienandi ſe et ab officio diſcedendi neceſſitatem imponeret: quippe libertatem iis vita potiorem; quam, ſi in reliqua vita vulgo exoptant mortales, tum maxime in religione, cum illa nec imperari poſſit, et conſcientiis laqueos injici omni ſervitute ſit crudelius: nihilominus, quod in

INTERPR. [a] *Douay.* [b] *le ſieur de la Motte.* [c] *Wavre.* [d] *de Havreck.* [e] *le duc d'Arſchot.* [f] *de Meetkercke.* [g] *navires de guerre.* [h] *Wilks.* [i] *le duc d'Albe.*

NOT. [1] naveis XL amphorarum *ſecundum Meteranum: ſecundum Camdenum* naveis juſtae magnitudinis.

in ſe fuerit, interim feciſſe; et apud Arauſionenſem ac ceteros eidem religioni addictos ſemper inſtitiſſe, ut arma deponerent, pacem et obſequium regi debitum colerent: nec inficias ire, quod crimini datur, etiam eos milite et pecunia juviſſe, non ad alendam rebellionem, ſed dum melius conſultus ipſe ac ejus vicarii a priore ſeveritatis ſententia recederent, et aliam, quam ipſa ſuadebat, componendarum turbarum rationem inirent; nec interea illi ex deſperatione perniciosum, non ſolum ſibi ſed vicinis, conſilium caperent, externi principis patrocinio ſalute commiſſa: quod cum illos jam ſaepius facere paratos viderit, eaque de re Philippum fruſtra monuerit, ad officium et ſecuritatem propriam pertinere exiſtimaſſe, ne eorum, qui ſe ex deſperatione perditum irent, periculum negligeret; ſed ad antiquum Anglicanae et Burgundicae domus foedus reſpiciens auctoritatem ſuam interponeret, et Belgarum ſalutem, quam ii, quorum magis intererat, negligebant, commendatam haberet: et vero, cum nuper per vicecomitem Gandenſem ab Auſtrio miſſum intellexiſſet, Arauſionenſem pacificationi, quam ipſa procuraverat, nolle ſtare, aut ejus conditiones non bona fide implere, cum eo nunciis et literis egiſſe, ipſique ac Ordinibus, ni parerent, regie interminatam eſſe: nunc igitur, non ſolum ob eaſdem cauſas, ſed etiam ob novas, a malignitate ipſius miniſtrorum profectas, denuo coactam foedus palam non clam renovaſſe: nam interceptas, Auſtrii et eorum qui circa ipſum ſunt, literas, quibus de clandeſtinis Hiſpanorum cum Maria Scotiae regina machinationibus ad perturbandam Anglicani regni quietem initis conſtat; quaſi eorum conſilium ſit, non ſolum Belgii priſtinum ſtatum violatis legibus ac libertate ſublata evertere, ſed eadem ruina Angliam involvere: hanc malam gratiam cum meritis ſuis rependi videat, non tamen ab officio recedere voluiſſe; verum, pro jure viciniae et antiqua utriuſque domus amicitia, adhuc regem monere, ut ad alienationem populorum a regis obedientia praecavendam, quam huc uſque ipſa remorata ſit, Belgas in gratiam ac fidem recipiat, ſancita praeteritorum oblivione; libertates, immunitates et antiqua privilegia confirmet; rempublicam juxta ultimam pacificationem adminiſtrari curet, amoto Auſtrio, multis de cauſis et Belgis et vicinis principibus, qui cum Belgio ſoederati ſunt, ſuſpecto, aliumque pari dignitate in ejus locum ſufficiat: quod ſi faciat, non dubitare, quin turbatae adeo provinciae pacari et ad obedientiam aliquam reduci poſſint: nam ſua prudentia et aequitate hactenus effectum, ut afflictis Belgis omnia obſequii cum principe ſuo officia conſtent, nec ullius externi principis ope implorata de principe mutando cogitaverint: quod ſi contra tam ſalutaria monita in conſilio priore perſeveret, ut armis ſibi agendum exiſtimet, ſe juxta foedus nuper renovatum et Belgis praeſto futuram et rebus ſuis eadem opera proſpecturam. Ad haec Philippus, quamvis aegre id a vicina principe audiret, tamen quod ipſam inſidiis petitam ſciret, et in Anglia ad res Belgii turbandas vel componendas ob proximitatem magna momenta eſſe, injuriam diſſimulavit; oravitque, ut in propoſito pacis ſarciendae perſtaret, neque falſis ad ſe perlatis rumoribus facile aures praeberet, aut indignum quidquam de principe amico ſibi perſuaderet: ſe vero Sellium ad ſe ab Ordinibus miſſum brevi in Belgium remiſſurum cum mandatis, quibus de egregia ſua erga Belgas et principes vicinos voluntate conſtaret. Verum haec ad annum ſequentem pertinent. [a] Ita Eliſabetha quaſi arbitra inter Gallos, Hiſpanos et Belgii Ordines ſedebat; ut patris illud inſigne merito uſurpare potuerit, CUI ADHAEREO, PRAEEST; cum ille diceret, Galliam et Hiſpaniam eſſe quaſi lances in Europae libra, et Angliam lingulam ſive libripendem. Interea ab Ordinibus mittuntur Antuerpiam Henricus [a] Ivoeus Marolli et Jo. [b] Lindanus fani-Gertrudis coenobiorum praeſules, dux

Araſchotanus

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Eliſabetha Europae libram tenente, uſque ad* Interea ab Ordinibus *deſunt D.* ſ. d.

INTERPR. [a] *d'Ives, abbé de Marolles.* [b] *de Linden, abbé de Ste Gertrude.*

CIↃIↃLXXVII.
HENRICUS III.

[a] Araſchotanus, Carolus [b] Gaurius Freſinius ad archiducem Matthiam, ut ei ſummam praefecturam certis conditionibus deferrent. Sic enim judicabant: tot provinciis turbatis nec ſatis bene inter ſe convenientibus, ut in officio continerentur, et ad unionem reducerentur, gubernatore ſummo opus eſſe: eamque dignitatem nulli melius convenire poſſe, quam Matthiae; quem cum a proceribus Belgii majorum religioni addictis evocatum viderent, non poterant non ſibi perſuadere, id, non ignaro Caeſare fratre et ipſo Philippo, factum; et, ut Philippus nihil de eo reſciverit, tamen neceſſitate coactum in eum mox conſenſurum; quippe qui ipſi proximus et Catholicae religionis ſumme ſtudioſus eſſet: ſic autem Auſtrii conata maxime infringi, et multos, qui cum eo ſunt, caſtra ipſius deſerturos: neque vero ſimile eſſe, illum, Caeſaris fratrumque ipſius indignationem veritum, quidquam ulterius ſine expreſſo regis mandato tentaturum: hoc etiam facto fidem regi ſuo approbaturos, repudiatis regis Franciae et ab Andino ejus fratre oblatis conditionibus, Eliſabethae vero, cui cuncta cum Gallis conſilia ſuſpecta ſint, rem gratam facturos. His ita conſtitutis, ſuperabat, ut plebi per civitates in his regionibus praepotenti ſatisfieret, quae Arauſionenſi, ut patriae libertatis vindici, cum enixe ſavebat, tum alioqui Proteſtantium doctrinae pleriſque locis addicta erat. Igitur in ejus gratiam Arauſionenſis Matthiae vicarius conſtitutus eſt, et uterque jurejurando in leges certas adactus; quibus in arctum poteſtas Matthiae coercebatur, ita ut nudum ipſi praeſidis nomen conceſſum videretur, imperium omne penes Ordines eſſet. Quod tandem tractu temporis Arauſionenſis, in tractandis hominum ingeniis vir apprime ſagax, et plebis favore ſubnixus, ad ſe omnino contraxit, et quo voluit ſumma animi dexteritate ac ſolertia tranſtulit. Jam ante IX Kal. Dec. [c] Hellingus tribunus cum III peditum ſignis intra Amſterodamum ab iis, qui Arauſionenſi in urbe ſavebant, acceptus fuerat: nam alioqui cives ab initio regiis partibus ſemper addicti fuerant, Hiſpanis ingreſſu exitu tranſituque per civitatem ſuam conceſſo, et Arauſionenſem pro Hollandiae praeſide agnoſcere recuſaverant. Igitur cives adventu Hellingi conſternati cum in eo eſſent, ut vitandae direptionis cauſa ſe Arauſionenſis poteſtati permitterent, tamen cujuſdam urbani centurionis aſtu effectum eſt, ut Hellingus, ad aedeis publicas ut veniret invitatus, cum res citra ſanguinem componi cuperet, temere centurioni fidem habuerit, et a vi temperaverit; qui, dum venit, circumventus et trucidatus eſt, ſtatimque milites poſt exiguum certamen, duce amiſſo, ſe ſubita fuga oppido ejecerunt. Ante et [d] Groeningae tumultuatum fuerat Kal. Nov. et oppidani quoſdam e ſacro Ordine ac circumpoſitae regionis nobilitate comprehenſos, ob aliquas, quae ipſis cum [e] Omelandenſibus, quibus illi favere credebantur, intercedebant, controverſias, carceri mancipaverant. His motibus componendis ſtatim ab Arauſionenſi miſſi [f] Santaldegondanus et Silla, qui nihil tamen ab effraeni plebe impetrare potuerunt, vixque captivi illi corruptis cuſtodibus cuſtodia elapſi ſunt. [α] Eliſabetha ab eo tempore, cum nihil ſe apud Philippum, jam praeoccupato conſiliis cum pontifice initis animo, proficere, et odio religionis novas quotidie conjurationes contra ſe ſtrui cerneret, quae ſe mitem adverſus pontificios huc uſque praebuerat, et, poſt fulminatorium Pii V decretum, ſeveras in Anglia contra majorum religioni addictos leges potius ad terrorem promulgaſſe quam ſanxiſſe videbatur, eas extrema neceſſitate coacta renovavit, novis ſubinde nunciis admonita, nuptias Mariae cum Joanne Auſtrio a Guiſianis, etiam inſcio Philippo, urgeri, et conjuratos [g] Manniam inſulam in Hibernico mari et occidua Scotiae parte occupare conſtituiſſe, ubi Maria multos ſibi ac majorum religioni devotos habeat, et inde per [h] Cumbriae, Lancaſtriae, Ceſtriae

et

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur de Eliſabetha rebuſque Anglicis et Hibernicis, uſque ad* Hoc anno Martinus *deſunt D.* f. d.

INTERPR. [a] *d'Arſchot.* [b] *de Gaure, ſieur de Freſin.* [c] *le colonel Helling.* [d] *Groningue.* [e] *les Ommelandes.* [f] *le ſieur de S[te] Aldegonde, & le docteur Silla.* [g] *l'iſle de Man.* [h] *Cumberland, Lancaſhire, Cheſhire.*

CIƆIƆLXXVII.
HENRICUS III.

et[a] Northwalliae comitatus, ubi pleroſque conſcios ſibi adjuncturi eſſent, in Angliam deſcendere, ut populos toto regno ad defectionem ſolicitarent. Itaque, cum Catholici ſua ſacra intra privatos parietes, connivente ad ea magiſtratu, et regina, ut conſcientiis vis adhiberetur, minime aequum cenſente, impune antea celebrarent, repente priſtina illa diſſimulatio ſive indulgentia mutavit, principio a Cuthberto [b] Maino ſacerdote facto, qui, turbulentis conſiliis participaſſe convictus, ad [c] Stephani fanum in Cornwallia capite luit, vix [d] Trugiono viro nobili, ſed fortunis everſo, qui cum eo degebat, vitae gratia facta, qui perpetuo carceri mancipatus eſt.

XIV. IN Hibernia et hoc anno O-conori et O-mori, qui, Maria regina, a [e] Suſſexio bonis avitis ob maleficia in [f] Leiſa et Ophalia ſpoliati fuerant, cum ſedes, in quibus conſiſterent, non haberent, [g] Roderico juniore duce ferociter impigro, ſigna extulerunt, et [h] Naaſum oppidulum incenderunt: inde [i] Lachliniam adorti a Georgio Carew loci praefecto fortiſſime cum damno repelluntur: dein ad fraudes converſi Henricum [k] Harringtonium et Cosbeium ſpecie colloquii interceperunt; et, [l] Harpolo ad eos liberandos ſuperveniente, Rodericus tumultu per noctem excitatus, vinctis ad poſtem prius repetitis vulneribus ſauciatis, tenebrarum beneficio evaſit. Sed mox, cum inſaniendi modum non faceret, inſidiis ſuperioris [m] Offeriae regulo ſtructis, ipſe in hoſtem praecipitavit, et ab Hibernis ſuis poſtremo mactatus vicinos formidine exemit.

XV. [a] HAEC eo anno in Eliſabethae ditione acta; qui morte Thomae Smithi praeterea funeſtus Angliae fuit: is honeſtis parentibus in Eſſexia natus, et regis ſumptibus in ſcholis, ut mos eſt laudabilis in Anglia, non ſolum in regno ſed in Italiae gymnaſiis educatus, doctrina et ingenii ſolertia meruit, [n] Somerſeto ſub Edvardo VI res adminiſtrante, ut alter a Cecilio fuerit ſecretarius, dein et [o] rei ſtannariae praefectus, decanus etiam [p] Carliolenſis, et collegii Etonenſis, de quo optime meritus erat, praepoſitus. Quibus honoribus a Maria privatus, eoſdem ſub Eliſabetha recuperavit; et multis legationibus, de quibus ſuo loco diximus, defunctus, rerum in Hibernia ordinandarum reginae auctor fuerat, miſſo in inſulam naturali filio, qui in ea expeditione periit. Literas et literatos impenſe dilexit, et legibus de diſciplina in ſcholis ſarcienda ab eo latis plurimum utilitati publicae conſultum fuit. Quaedam et ſcripſit; inter quae de republica Anglorum opus imperfectum et de re nummaria commentarius numerantur. Huic in munere ſuffectus Thomas Wilſonus; qui Smitho quadriennium ſolum ſuperfuit. Caſus et intervenit Oxoniae admiratione triſti: cum virulentae linguae librarius coram aſſeſſoribus ſiſteretur, tam noxius vapor ſive ex paedore hominis diuturno carcere macerati ſive ex loci infectione erupit, ut aſtantes fere omnes, et in iis honeſtiores viri plerique, ad CCC, fruſtra adhibitis remediis, perierint: neque malum ulterius per oppidum, aut ſuburbicariam regionem graſſatum eſt.

XVI. HOC et anno Martinus Frobiſherus Anglus navigationem ad ſeptentrionaleis inſulas occidentem verſus ſuſcepit: et, petita a regina venia, a qua navem CLX amphorarum et duas corbitas acceperat, pridie Kal. Jun. [q] Harwico ſolvit, et vento ſecundo uſus ad [r] Orcadas delatus eſt; unde ſumpta aqua, a VI Eid. Junii continuo curſu navigavit uſque ad IV Non. Julias, quo omni tempore nox fere illuſtris fuit, ita ut qui cum eo erant legere, et ea omnia agere potuerint, quae in luce fiunt. Quarto poſt die cum borealibus turbinibus diu jactati fuiſſent, juxta Freſlandiam apparuerunt terrae

VAR. LECT. [a] *Hoc Smithi elogium, et de vapore Oxonienſi narratio, Frobiſheri navigationis hiſtoriam ordine verſo ſequuntur in* Ed. Gen. 1620.

INTERPR. [a] *North-Wales.* [b] *Maine.* [c] *Launceſton en Cornwall,* ou *Cornouaille.* [d] *Trugion.* [e] *le comte de Suſſex.* [f] *Leiſe & Ophalie.* [g] *Rory Oge.* [h] *Naas.* [i] *Lachlin.* [k] *Harrington & Cosbey.* [l] *Harpoole.* [m] *Oſſory.* [n] *Edward Seymour, duc de Somerſet.* [o] *lord warden of the ſtannaries.* [p] *doyen de l'Egliſe de Carliſle, & prevoſt du College d'Eton.* [q] *Harwich.* [r] *iſles d'Orkney.*

CIↃIↃLXXVII. HENRICUS III.

terrae nivibus et glacie horridae. Demum XVII Kal. Sextil. propinquaverunt terrae, cui jam antea idem Frobiſherus Reginae inſulae nomen fecerat, conjunctae, ut exiſtimatum eſt, Americae continenti. Ei oppoſita eſt alia inſula Aſiae, ut creditur, continenti itidem annexa medio ſpatio quaſi freto, per quod in mare meridionale ab ea parte tranſiri poſſe ſperabat Frobiſherus; quodque Frobiſheri propterea fretum nunc etiam in earum regionum tabulis indigetatur, LXII ab aequatore gradibus. Ibi cum ſumma frigoris aſperitate id temporis conflictatus, dum corbita ſumpta ſeorſim a reliqua claſſe inſulas circumeundo locum exſcenſioni idoneum quaerit, viſae magno numero abietes ſupra mare fluitantes e proximo litore, ut creditum eſt, torrentium vi aut ventorum impetu ſtirpitus revulſae. Viſus et piſcis mortuus, e cujus roſtro cornu rectum ac intus cavum ſurgebat ulnae et ſeſqui longitudine, cuſpide paulum attrita ſeu confracta, quod poſtea facta experientia perinde ad venena arcenda valuit, ac unicornia noſtra tanti aeſtimata, quae prognata vulgo creduntur ex fronte terreſtris animalis, quod nuſquam conſpectum; niſi fidem habeamus Ludovico Barthemae Bononienſi, qui vidiſſe ſe Mechae in Arabia iſtiuſmodi aliquot fera animalia in itinerario ſuo ſcribit: quod rei naturalis veſtigatoribus amplius diſcutiendum relinquo. Tandem exſcenſione facta, cum vix ulla benevolentiae ſignificatione indigenae homines feri ac ſuſpicaces ad colloquium adduci potuiſſent, ſimulato abitu, Frobiſherus poſt promontorium aliquandiu latuit; dein a tergo imprudentibus incumbit, ac, diffugientibus illis in proximos montes, foeminam, quae infantem in ulnis geſtabat, ideoque tardius fugienteis ſequentem, intercipit; quam et ſecum in Angliam abduxit. Ibi per otium a Kal. Sextil. ad XI Kal. Sept. perveſtigato loco, CC amphoris auri maſſae, ut rebantur, adhuc e fodinis impuri in naveis impoſitis, ad reditum ſe parat, et XIII Kal. Oct. [a] Milfordiam in Anglia appulit, magna gratulatione a regina exceptus; cui et foemina illa cum infante dono data, quae, ſive taedio ſive ob mutatam victus rationem, haud diu ſupervixit. Homines tractus illius corpulenti ſunt, apta membrorum ſtrue compacti, fuſco colore, quales ruſtici noſtri ſolibus peruſti, promiſſo capillitio, quod a fronte reſecant ſaxo acuto aut alio inſtrumento cultri inſtar. Foeminae comas oblongas habent, quas duobus nodis anterius in tempora rejectis ſubſtringunt, et poſticam partem tertio nodo alligant. Ex iis quaedam ſiculis ſibi cuticulam oris deradunt, et ſulcos in ea factos cyanco pulvere oblinunt; idque ad ornatum et cultum facere exiſtimant. Carnibus crudis veſcuntur; quas interdum cum ſanguine elixant. Etiam herbis ad acuendam orexim utuntur, quas unguibus evellunt, et illotas ſine oleo et aceto avidiſſime deglutiunt. Aquae, quae nulla fere his locis ſcaturit, penuria, nonnunquam et glaciem ſugunt. Caneis inſtar luporum robuſtos habent; quos et ad jugum copulant, et rebus neceſſariis trahendis aſſuefaciunt. Pellibus ferarum contra hyemis, quae illis locis fere perpetua eſt, rigorem teguntur; quas nervis ipſarum ſcite conſuunt, et ad veſtium uſum concinnant, pilo ſervato et corio deſiccato, ita ut illae non obrigeſcant, ſed manu tractabiles corpori commode aptari poſſint. Sub tentoriis habitant, pellibus balenarum et aliis ad pluvias arcendas conſtratis, quae oſſibus piſcium immanium pro columnis fulciuntur. Arcubus et ſpiculis oſſe acuto confixis ad venationes cervorum, qui majores apud eos, quam hic ſunt, urſorum, leporum et luporum utuntur. Piſcatione et vitam tolerant: et cymbas habent corio contextas, intus ductis ligneis circulis affabre factas, quibus XVII homines commode vehi poſſunt. Habent et lembos, inſtar textoris radii, portatileis, qui unius tantum hominis capaces ſunt. His ſe armis et inſtrumentis contra injurias tuentur, et neceſſaria ad vitam parant; de cetero ab omni cultu, et, quod magis deplorandum eſt, veri Dei cognitione alieni. Et rem profecto faſtigio ſuo dignam principes fecerint, ſi claſſeis non ad divitias indagandas,

quae

INTERPR. [a] *Milford-Haven dans la province de Pembroke en South Wales.*

quae hodie ſola fere periculoſarum et longinquarum navigationum illecebra eſt, ſed ad verbi Dominici promulgationem inter illos populos adhuc veri luce deſtitutos, miſſis ad hoc theologis, propagandam, inſtruerent; ſi quid inde utilitatis poſtea ex commercii libertate in publicum rediret, in lucro ponentes et acceſſionis loco accipientes: nam ex eo eſſet, ut Dei gratia, ſine qua nihil poſſumus, expeditionibus illis aſpiraret; et aſpirante illa citra ſanguinem et indigenarum vexationem res in his regionibus, quantum ad religionem et civilem adminiſtrationem, felicioribus auſpiciis conſtituerentur, quam ab Hiſpanis olim factum eſt, qui avaritia caeci totos xxx annos mutuis lanienis miſeros indigenas in Indiis et ad extremum ſeipſos, graſſante inter eos Divina ultione, confecerunt.

JACOBI

Digitized by Google

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEXAGESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

SALENTINUS Iſemburgicus archiepiſcopatu Colonienſi cedit. Ei ſuffectus Gebhardus Truchesius. II. Dantiſcani, dum irritae Maximiliani electioni favent, in odium Polonorum et Stephani regis incurrunt, et exitiale ſibi bellum excitant. Dantiſci ſive Gedani origo et jura. Pugna ad lacum Lubiſſovienſem commiſſa ad IV CIↃ Dantiſcanorum caeſa. Tandem cum Stephano, Saxonis, Brandeburgici, ſeptemvirorum, et Heſſi interventu, tranſegerunt. Per haec difſidia erebrae Moſcorum in Livoniam irruptiones. III. Alberto Friderico Boruſſiae duce ipſo nuptiarum die in animi aegritudinem prolapſo, Georg. Fridericus Ansbacenſis proximus agnatus curator a Stephano datus, et principatus adminiſtrator conſtituitur. IV. Bruno-gallicus morbus. Prodigia et dirus cometes. V. Sebaſtianus Luſitaniae rex ex occaſione Mahametis apud ſe profugi in Africa bellum adverſus Melicum Cheriſium movet. VI. Portugalliae origo, fines, regum ſucceſſio, jus in eo pontifici. VII. Juvenis regis apparatus bellici, et a principibus undique petiti delectus. Cruciata a pontifice conceſſa. Auxilia ab Arauſionenſi ſummiſſa. VIII. Philippus a bello Sebaſtianum dehortatur. IX. Regis copiae, profectio, in Africam exſcenſio. X. Melici copiae apparent. XI. Acies utrinque ad pugnam inſtructae. XII. Melici moribundi ad ſuos et fratrem oratio. XIII. Moriens vincit, magna Chriſtianorum ſtrage edita. XIV. Sebaſtianus poſt obſtinatum certamen captus occiditur. XV. Mahametes belli incentor in Mucazemi vado ſubmerſus eſt. XVI. Hametes Melici frater in imperio ſuccedit. Coram eo captivi magno numero ſiſtuntur, et regis cadaver. XVII. Mahameti pellis detracta et per Mauritanias circumducta. XVIII. Henricus cardinalis patruus jam ſenex ad regni Portugalliae ſucceſſionem regno impar vocatur, et inauguratur. XIX. Rege orbo, ambitores multi; Philippus Hiſpaniae rex, Philibertus Emmanuel Sabaudiae dux, Ranutius Farneſius Alexandri filius, Catharina Bracantina, Antonius Crati prior, Ludovici fratris Henrici filius: his et accedit Catharina Medicaea, noſtrorum regum parens. De Henrico cardinali maritando ad eludendas petitiones injecta mentio. Philippi de ſucceſſione actio; et praematurae ad Oliſſiponenſeis literae. XX. Ferdinandi infantis Hiſpaniae, Wenceſlai Auſtrii Caeſaris fratris, Seb. Venerii Venetiarum principis, Lud. Lotharingi cardinalis Guiſiani, Chriſtophori Madrucii cardinalis, obitus. Mors Laurentii Surii, Gerardi Falkemburgi, Ant. Mizaldi, Petri Leſcoti Clanii, Alexandri Picolominei, Jo. Bapt. Raſarii.

EX AUCTORIBUS,

Bernardo Vapovio, Joanne Laſicio, Thoma Jordano, Joan. Cratone, Corn. Gemma, Mich. Maeſlino, Leone Turniſero, Eliſaeo Roëſlino, Joanne Praetorio, Nic. Vinclero, Ant. Coſto, H. F. Conneſtagio, Ant. Errera, Steph. Garibaio, Imm. Meterano, Joanne Parvo.

LIBER

LIBER SEXAGESIMUS QUINTUS.

CIↃIↃLXXVII.
HENRICUS III.

IN proxima Germania Salentinus [a] Iſemburgicus comes, Paterbornenſis epiſcopus et poſtea archiepiſcopus Colonienſis, ampliſſimis ditionibus et arcibus quibuſdam atque oppidis, quae ab antiſtitibus deceſſoribus ſuis alienatae et oppigneratae fuerant, pretio perſoluto redemptis, optime de collegio illo meritus, cum ultimus ex illa comitum familia ſupereſſet, utroque epiſcopatu ſe abdicavit, et Gulielmam Antoniam Joannis [b] Lignei Arenbergii comitis, ante novennium in Friſia occiſi, filiam, forma ejus captus, in uxorem duxit. Et huic quidem in Paterbornenſi ſuffectus eſt Henricus Saxo archiepiſcopus Bremenſis et Oſnaburgenſis epiſcopus; ea lege, ut quotannis per trimeſtre in Paterbornenſi, trimeſtre in Oſnaburgenſi, reliquum tempus in Bremenſi dioeceſi aulae ſedem haberet. Colonienſem archiepiſcopatum adeptus eſt Gebhardus [c] Truchſeſius, Walburgi regulus, Willelmi filius, qui Othonem cardinalem [d] Auguſtanum patruum ante quadriennium Romae defunctum habuerat; et, cum poſtea uxorem duxiſſet, et ſeptemviratum nihilominus retinere cuperet, magnarum in Imperio turbarum cauſam dedit.

II. De cetero pacata Germania, in [e] Boruſſia Dantiſcanorum contumacia ipſis ad extremum exitioſa bellicis motibus res infeſtae fuere. De origine Dantiſci, quod [f] Gedanum olim fuit, haec fere ſcribit Bernardus [g] Vapovius: [h] Viſſimirum, ex [i] Lechi, qui Polonicum principatum primus conſtituit, poſteris, cum [k] Sivardum Danorum regem inſigni proelio navali ſuperaſſet, victo regni partem precario conceſſiſſe, accepta [l] Jutia et Scania; filias vero duas Sivardi, alteram Norvegiis, alteram Germanis, venditas, Jarmericum filium obſidis loco aſſervatum: inde victorem Viſſimirum duas urbes condidiſſe; quarum alteram de ſuo nomine [m] Viſmariam appellavit; alteri, de Danis devictis, Dantiſco nomen fecit; quae urbs, parva et obſcura initio, poſtea in eam amplitudinem excreverit, ut non ſolum ſeptentrionis et occidentis ſed totius orbis emporium frequentiſſimum ditiſſimumque hodie habeatur. Alii a [n] Waldemaro I Daniae rege, Friderico Ahenobarbo Caeſari coaetaneo, arcem Dantiſci nomine conditam memorant, cum ille, contra Sobiſlaum [o] [1] Pomeraniae orientalis principem bellum gerens, tutum claſſi ad oſtium Viſtulae receptum quaereret: eam vero, diſcedente rege, Sobiſlaum occupaſſe; cui poſtea oppidulum acceſſerit, quod una cum arce ac reliqua Pomerania Meſtuvinus Sobiſlai pronepos, cum ſine liberis maribus decederet, praeteritis agnatis Pomeraniae citerioris principibus, Premiſlao majoris Poloniae duci circa annum CIↃ CCXCV teſtamento reliquit; a quo ad Uladiſlaum [p] Locticum Poloniae regem paulo poſt jure ſucceſſorio pervenerit. Et annales quidem Polonici tradunt, Uladiſlaum bellis aliis occupatum [q] Teutonicorum equitum fidei cuſtodiae cauſa certis legibus locum crediddiſſe; quem poſtea vi retinuerint, et armis circumpoſita Viſtulae loca in poteſtatem redegerint: dein ipſos Crucigeros ſeu Marianos equites commodiore loco ad [r] Rhodanum noſtro cognominem fluvium et [ſ] Motlavam ab ortu urbem alluentem, qui ambo Viſtula excipiuntur, uno a Viſtulae oſtio milliari,

INTERPR. [a] *d'Iſenburg.* [b] *de Ligne, comte d'Aremberg.* [c] *Truchſes, baron de Walburg.* [d] *d'Ausburg.* [e] *la Pruſſe.* [f] *Dantzick.* [g] *Vopow.* [h] *Viſſimir.* [i] *Leck.* [k] *Sivard.* [l] *Jutland & Schonen.* [m] *Wiſmar.* [n] *Waldemar.* [o] *Pomeranie delà la riviere d'Oder.* [p] *Loctic.* [q] *chevaliers de l'Ordre Teutonique.* [r] *Rhodawn.* [ſ] *Motlaw.*

NOT. [1] Pomeranie Orientale eſt celle de delà la riviere d'Oder, qui regarde la Pologne: l'Occidentale eſt celle qui eſt deçà la riviere d'Oder. *Put.*

Dantiſcum condidiſſe, nova arce ad Motlavae ripam munita, et oppido aquilonem verſus impoſita; quod poſtea intra CL annorum ſpatium in eam, quam hodie videmus, magnitudinem excreverit, et ſe, ejectis tandem Crucigeris, Caſimiro Poloniae regi ſubjecerit circa annum Chriſti CIↃ CCCCLIV, et ſuis praecipue ſumptibus totos XIV annos bello contra Ordinem Teutonicum geſto vicinam Boruſſiam Polono deditam conſervarit. Verum, ut ingenia hominum mutant, qui Teutonicorum equitum Imperio ſubjectorum pertaeſi tam ardentibus votis Polonicam dominationem expetiverant, ii, tractu temporis poenitentia ſubeunte, cum, ſciſſa contrariis in regis electione ſtudiis nobilitate, alii Maximiliano Caeſari faverent, alii Stephanum [a] Bathorium Tranſylvaniae principem ſuffragiis ſuis adjuvarent, ſe partibus Auſtriacorum applicuerunt; ſperantes, ſi quidem Maximilianus Germanus rex renunciaretur, ut, qui olim juris Germanici fuerant, ſub eo rurſus Germanici juris efficerentur. Verum, cum, facta electione, Bathorius hanc ſciſſuram diligentia ſua ſarciviſſet, adepta, dum Maximilianus cunctatur, regni poſſeſſione, et per mortem ejuſdem mox ſecutam confirmata, [b] Gedanenſes, cum ea ſpe decidiſſent, non tamen priſtinos animos depoſuerunt. Cum igitur Stephanus fidei jusjurandum ab iis ut Polonicae coronae beneficiariis exigeret, illi tergiverſari; et ante omnia petere, ut primo de indemnitate, quod fidem Maximiliano tanquam regi electo dediſſent, juribus, privilegiis ac immunitatibus ſuis ſacramento confirmandis, de confeſſione item Auguſtana, de gravaminibus, quae contra privilegia et antiquas conſuetudines irrepſiſſe aiebant, tollendis, denique de dimidii portorii, quod Sigiſmundo Auguſto ad vitam tantum conceſſiſſe oſtendebant, exactione abolenda, ſibi idonee caveretur. Ad haec novus rex reſpondet; Cracoviae ſemel ſe jurejurando ritu ſolemni praeſtito defunctum eſſe, et privilegia ipſorum juxta illud confirmaturum: de confeſſione Auguſtana ſeorſim ipſis item cautum, gravaminum cognitione ad Ordinum comitia rejecta. Interea fidei jusjurandum ſine mora et conditione urget: et, quo res citius conficeretur, quinto, poſtquam rex inauguratus eſt, menſe [c] Mariaeburgum cum ſenatu venit: miſſoque [d] Coſſobucio ab epiſtolis et Andrea [e] Sborovio curiae tribuno, ad cauſam dicendam cum eos amice citaſſet, illi minime comparuerunt; ſed cuſtodiis ad portas appoſitis, quaſi vicino hoſte, et [f] Grebinenſi arce praeſidio firmata, et ſcriptis ex officina Jacobi [g] Rothi per Germaniam ad regis injuriam evulgatis, hoſtilis animi ſignificationem dederunt. Quapropter irritatus rex Grebinenſem arcem ante omnia occupat VI Kal. Oct. et vicinos circa pagos ac vicos ad aerarium Gedanenſium pertinenteis vaſtat. Quam injuriam, ut rebantur, ſibi praeter jus factam contraria excurſione ulti ſunt; praediis aliquot epiſcopi [h] Uladiſlavienſis et coenobio ejuſdem ditionis, item alio, cui [i] Olivenſi nomen, ſepulchris principum Pomeraniae nobili, ne obſeſſuris receptum praeberent, ſive incenſis ſive direptis; monachis etiam contumelioſe partim habitis, partim interfectis. Inde octoviros ad regem mittunt, et poſt eos Conſtantinum [k] Ferberum et Georgium Roſembergium praecipuae inter eos auctoritatis, et qui ultro citroque commeanteis rerum pacificandarum omneis rationes inibant. Tandem, cum res ad [l] Toronenſia comitia proxime celebranda remiſſa eſſet, Gedanenſes ſe non Ordinum regni ſed regum Poloniae beneficiarios ac ſubditos eſſe palam profeſſi ſunt. Rex vero, cum [m] Bidgoſtiae eſſet, has leges Gedanenſibus dicit, quibus toto Januario hujus anni reſponſuri et plene ſatiſfacturi eſſent: CC florenorum CIↃ certis penſionibus dependant: quatuor tormenta bellica cum omni apparatu regi ſubminiſtrent; ampliato ad palatium et cetera aedificia regalia in civitate extruenda ſpatio: de portorio et gravaminibus ab Ordinum comitiis decernatur: militem dimittant: ſupplices ad regem accedant, ac, venia praeteritorum

INTERPR. [a] *Bathory.* [b] *ceux de Dantzick.* [c] *Marienburg.* [d] *Coſſobucie.* [e] *Zborowzki, mareſchal de la cour.* [f] *Grebin.* [g] *Rothen.* [h] *de Cujavie.* [i] *Oliva.* [k] *Ferber & G. de Roſemberg.* [l] *de Thorn.* [m] *Bidgoſtia.*

praeteritorum petita, jusjurandum more ſolemni praeſtent. His conditionibus regis CIƆIƆLXXVII.
manu ſubſcriptis cautiones de Auguſtana confeſſione et privilegiorum confirmatione HENRICUS III.
additae erant; cum quibus Roſembergius ad ſuos remiſſus eſt; qui ſeu ſpe auxiliorum ex Germania confiſi ſive otio et nimiis opibus laſcivientes imperata facere recuſarunt, et aliis poſtulatis additis, dum tempus extrahunt, regi ſumma contumacia illuſerunt. Ille igitur, victa patientia, Roſembergium et Ferberum legatos antea retentos in cuſtodiam tradi imperat, et Gedanenſeis publico decreto perduellionis damnatos proſcribit, omni ſecuritate terra marique illis adempta, et tanquam impiis in principem et patriam hominibus igni et aqua interdicit. Bello indicto ptaeficitur Joannes [a] Sborovius, unus ex ſenatoribus; qui quod poſitis circa [b] Derſaviam caſtris paucos milites initio circa ſe haberet, inde fiducia ſumpta oppidani ipſo Dominicae reſurrectionis die armati egrediuntur, imparatos regios oppreſſuri, multum renitente Joanne [c] Collenſi mercenariorum militum praefecto, et bello Magdeburgico olim magnam rei militaris laudem adepto, quem illi a ſeptemviro Saxone acceperant: ſed, tempeſtate inſolita ſuborta inter coruſcationes et tonitrua, ventorum vi imbrem denſum glomerante, quaſi adverſo expeditionis ſuſceptae omine, intra moenia ſua tedierunt. Tandem, XVI Kal. Maias ſub veſperam egreſſi, adverſo Viſtula ſed ventis ſecundis ad Derſaviam oppugnandam contendunt. Quo cognito, Sborovius, loci infirmitati diffiſus, nec ſatis de oppidanorum fide certus, ipſe cum ſuis exit; et locum pugnae idoneum ad pagum [d] Rokitkium juxta aquas deligit, instructa acie; miſſoque cum LX [e] Tataris Andrea [f] Carchoviſcio, qui naveis ex urbe venienreis acceſſu prohiberet, noctem eam inſomnis tranſegit. Poſtridie hoſtes, qui ad [g] Langnavam pagum ſubſtiterant, ſummo mane in armis apparuere, medio inter ipſos et regios amniculo; tantumque velitationibus utrinque certatum; in quibus regii ferentarii, quos Koſacos vulgo vocant, non leviter a graviore Germanorum armatura infeſtati ſunt. Quibus Sborovius cum XX Hungaros delectos ſummiſiſſet, duce Staniſlao Jordano juvene ſtrenuo; viciſſim et ipſe Collenſis ad certamen prodit. Inde admiſti haſtatis equites, a Sborovio e peditatu ſumpti, cum ſcloppetis longioribus, qui certamen reſtituerent; quibus mox ſe adjunxere [h] Zolkievius et Jo. Sarius [i] Samoſcius cum ſuis quiſque turmis, qui hoſtes pepulerunt. Hoc felici initio regii, quamvis numero impares, ad majora audenda incenſi, cum copiam ſui ultro facturi crederentur, Collenſis, ſepimento e trabibus, quas ſecum advexerat, conſtructo, partem ſuorum intra vallum collocat: ipſe cum tormentis et lectiſſimis quibuſque ab altero montium latere iter intendit, regios e tergo aggreſſurus; et ad [k] lacum Libiſſovienſem progreditur; ubi juſſus properare centurio [l] Ranſavius Collenſi reſpondiſſe fertur, lente feſtinandum eſſe, quippe Polonos ad pugnam quam ad fugam paratiores videri. Principium pugnae a Temeruko cum L velitibus factum; quibus laborantibus ſubſidium e veſtigio miſſum. Heic Sborovius, qui numero vinceretur, aſtu Collenſis deprehenſo, conſilium ex neceſſitate cepit; et, ponticulo abrupto, ne a tergo invaderetur, omne equitum peditumque robur, ubi ipſum caput hoſtinm foret, vertere decrevit: et, monito Derſaviae praefecto, ut, ſi quae vis ingrueret, ſaltem ad aliquot horas bona fide obſidionem ſuſtineret, additiſque ad oppidi cuſtodiam L Polonis, ad [m] Heidonum ductores converſus, ſuos, jam Viſtulam trajicientibus auxiliis, quaſi certa ſpe confirmatos ad pugnam fortiter capeſſendam hortatur: eos, cum quibus res illis ſit, eſſe, quos paucis ante menſibus ad [n] Grebinum, Glovam et alibi toties profligarint: proinde Deo freti, et poenitentia ac condonatis mutuo offenſis placato, ſigna inferant; et mortem decori poſthabentes hoſtem non numerent, ſed invadant;

INTERPR. [a] *Zborowski.* [b] *Derſaw.* [c] *de Collen.* [d] *Rokitki.* [e] *Tartares.* [f] *Carkowski.* [g] *Langnaw.* [h] *Zolkiewski.* [i] *Zamoyski.* [k] *lac de Lubiſchaw* ou *Libiſſovie.* [l] *Ranſaw.* [m] *Heiducques.* [n] *Grebin, & Glowa.*

invadunt; neve ejus aſpectu terreantur, quem mox in poteſtate habituri ſint, rebellionis, perfidiae ac contumaciae meritas poenas daturum. Quibus dictis, Heidones in confertos ruunt, quos Struzzius cum centuria ſua inſequitur, et a tergo incumbens Germanos proturbat. Heic ad horam ancipiti proelio certatum, dum res cominus gereretur, cadentibus utrinque compluribus, et in locum feſſorum ſeu interfectorum integris ſuccedentibus. Tandem inclinata hoſtium acie, Heidones inſtant, et terga vertenteis ſumma immanitate caedunt, Sborovio nequicquam, ut a cruore ulterius abſtinerent, ſuos obteſtante. Pars in montes, pars in [a] ſilvas Caſſubicas ac Pomeranicas evaſerunt: multi, exutis armis, dum natatu elabi tentant, fluvio hauſti ſunt: capti ad CIↃ. Perierunt in ea ſtrage, ut Joannes [b] Laſicius ſcripſit, IV CIↃ CCCC; capta V ſigna, et vexillum, cui aureis literis inſcriptum erat, AUREA LIBERTAS. Machinae aeneae majores VII, minores XXX, carri CL. Ex regiis, qui tantum bis mille erant, cum hoſtes XII hominum CIↃ excederent, occiſi LVIII, vulnerati CXXX. Collenſis, etſi re male geſta, in urbem rediit; et, quantumvis plebe fremente et inclamantibus per vicos foeminis, ut civeis urbi, viros mulieribus redderet, tamen ſumma conſtantia res ad tempus reſtituit; et ſe aut denuo confligere paratum aut urbem fortiter defenſurum oſtendit. Dum in eo ſunt, Moſcus, occaſione captata, jam initio anni ad [c] Revaliam Livoniae urbem caſtra metatus fuerat, ratus, occupatis bello Gedanenſi Polonis, rem ex voto ſucceſſuram: ſed poſt ſex hebdomadum moram, quae tantum tormentorum fulminationibus infeſta fuit, obſidionem ſolvens Pleſcoviam rediit III Eid. Mart. Tentatis inde infirmioribus Livoniae urbibus, dum Joannes [d] Kokevitius Lithuanus provinciae a Polonis impoſitus abeſſet, et cum Joanne filio et Magno [e] Holſatiae duce, quo tanquam illice ad Germanos in Livoniae oppidis et urbibus ineſcandos utebatur, provinciae fineis ingreſſus, [f] Ludſenam, Duneburgum, Reſittam, Kokenhuſiam [g] Rigenſis praeſulis ſedem, [h] Aſceradam, alias arces ad aquilonarem [i] Dunae ripam ſitas occupat; ac praeterea [k] Wendam et Wolmariam, quae ſe Magno paulo ante dediderant, omni crudelitatis et libidinis genere, Aſceradae praecipue, graſſatus eſt; ubi etiam in ipſius Magni miniſtros ſaeviit, quod illas urbes non veluti Ruſſorum imperatori ſed ſibi parituras in deditionem accepiſſent: qua immanitate Magnus ab eo alienatus poſtea defecit. Nec ceſſabat Stephanus; qui jam ante promulgatam proſcriptionis ſententiam ad Pomeraniae duces legatos miſerat, qui conducendi militis facultatem peterent, et Gedanenſeis in Pomeraniam migranteis dedi, liberamque frumenti ac mercium exportationem per [l] Wartam et Viadrum in portu [m] Stetinenſi concedi poſcerent. Ad omnia perbenigne reſponſum a Pomeranis: et ultro antea Martino [n] Kleiſto et Conrado [o] Glaſenapo permiſſum fuerat, ut in praefecturis ditionis Polonicae delectus regis nomine haberent. Ad Lubecenſeis item accurate ſcripſerat rex ac ceteras ſocietatis maritimae civitates, eaſque a [p] Gedanenſibus commeatu et milite juvandis ſummopere dehortabatur; ac Elbingae jam a ſe emporium inſtitutum ſignificabat. Tunc vero, poſt tantam tamque inſperatam victoriam, quam ſoli Deo, non viribus humanis acceptam ferebat, de oppugnanda urbe conſilium hactenus dilatum reſumit: et Eid. Junii ad urbem acceſſit, et in epiſcopi-monte, qui urbi imminet, caſtra metatus per aliquot dies infeſta tormentorum diſploſione fulminavit, Erneſto [q] Weigero equitum Germanorum, quos penes ſe habebat, praefecto, ad Viſtulae oſtium miſſo, qui obſeſſis maris uſum adimeret, et munitionem oſtii maritimi oppugnaret. Sed eruptione a Gedanenſibus, [r] Collenſi et Nicolao Ungernero Livono ducibus, facta, Poloni pulſi, caeſi, ac magna pars etiam, tormentis amiſſis, eodem fluvio viciſſim hauſti ſunt. Itaque

mutata

INTERPR. [a] *foreſts de Caſſubie & Pomeranie.* [b] *Laſiczki.* [c] *Revel.* [d] *Kokewitz.* [e] *Holſtein.* [f] *Luczen, Duneburg, Roſitten, & Kockenhauſen.* [g] *l'archeveque de Riga.* [h] *Aſcherard.* [i] *Dwina r.* [k] *Wenden & Wolmar.* [l] *Warte & Oder r.* [m] *Stetin.* [n] *Kleiſt.* [o] *Glaſenap.* [p] *ceux de Dantzick.* [q] *Weiger.* [r] *de Collen, & N. Ungern.*

CIↃIↃLXXVII.
HENRICUS III.

mutata caſtra, et longius ab urbe juncto ponte Viſtula copiae ad oſtii maritimi caſtellum magna ex parte e materia conſtructum traductae; quod et acerrime oppugnatum eſt, eaque fere ratione exuſtum. Globi igne excocti, dum plane cum imbiberint, ita in tormenta mittuntur, ut inter eos et pulverem tormentarium juſtum ſpatium arena aut cinere primum dein recenti ac madida herba compleatur, ne pulvis ignem ex globis concipere aut inflammari poſſit; atque in adverſos muros ejiciuntur, certa ac valida ad incendia e longinquo excitanda vi. Sed rurſus eruptione facta utrinque infeſtis maxime animis certatum fuit; et, quamvis Polonis majore numero cadentibus, tamen ad extremum damnoſo obſeſſis exitu, quippe qui Collenſem egregium adeo ducem in eo conflictu amiſerint. Tandem, cum rex [a] Mariaeburgum Septembri menſe conceſſiſſet, convocatis Poloniae et Boruſſiae Ordinibus, Saxonis et Brandeburgici ſeptemvirorum ac Willelmi [b] Heſſorum principis interventu, in has conditiones cum Gedanenſibus tranſegit: ut ſupplices formula praeſcripta a rege veniam petant; bis mille auri pondo intra quinquennium exſolvant; fidei jusjurandum delegatis a rege praeſtent; militem dimittant; ad [c] Olivenſis coenobii inſtaurationem XX florenorum CIↃ dependant; ſtationem et annuam penſionem in ſupremi dominii teſtimonium ſtatis temporibus deinceps ſolvant; de iis, quae ſibi a Poloniae regno deberi contendunt, de gravaminibus item et portorii negotio cognitio comitiis Ordinum reſervetur: Rex viciſſim, gratia facta, proſcriptionem aboleat; privilegia ac jura confirmet; et de confeſſione Auguſtana idonee caveat. Haec Mariaeburgi acta prid. Eid. Dec. De ratione in urbem ingreſſus rex nihil ſibi praeſcribi voluit: qua in re nihilominus ſumma moderatione uſus eſt.

III. PAULO ante X Kal. Nov. Alberto Friderico [d] Boruſſiae duci, qui nuptiarum cum Maria Elionora Clivenſi contractarum tempore in animi aegritudinem ante triennium inciderat, curator a Stephano datus fuerat Georgius Fridericus Brandeburgicus proximus agnatus, his conditionibus jurejurando, quod regi praeſtitit, comprehenſis: ut arces et oppida illius ditionis non aliis quam regis Poloniae ſubditis committere poſſet; aegro principi de rebus cunctis ad victum ac cultum neceſſariis pro dignitate ipſius proſpiceret; conjugis ejus, quantum ad dotem et donationem propter nuptias, jura integra conſervaret; et, quandocunque ille ad ſanitatem redierit, ipſi aut liberis ejus Boruſſiae principatu cedere et adminiſtrationis ſuae rationem reddere teneretur. Italia hoc anno peſte ſuperioris anni adhuc graſſante pleriſque locis laboravit; et [e] Vicentiae praecipue ac Brixiae, quae ab ea ſuperiore anno fere intactae fuerant, diri mali contagione ſummopere infeſtatae ſunt. Eodemque anno Aloiſius [f] Mocenicus reipublicae princeps ſenio confectus, cum VIII annis ei praefuiſſet, fato conceſſit; cujus magiſtratus, bello, quo Cyprus amiſſa eſt, fame, incendio, peſtilentia funeſtus, inſigni tamen victoria de Turcis parta et regis Henrici III in urbem adventu aliquantum recreatus fuit. Is a Laurentio Maſſa publice laudatus, et ad BB. Joannis et Pauli pompa principali ſepultus eſt; moxque ei magno conſenſu et applauſu ſuffectus fuit III Eid. Jun. Sebaſtianus [g] Venierius, cui inſignis illius victoriae ad [h] Echinadas partae decus praecipue debebatur; jam grandis natu; ſub quo rurſus anno exeunte palatium fortuito incendio arſit, quod, vento flammas incendente, conclavia praecipua picturis excellentiſſimorum artificum ornata depaſtum eſt.

IV. PRODIGII et loco annotatus inſolens ac novus, a [i] Bruno in Marcomannis oppido, [k] Nigro et Suittavo amnibus circundato, et, quod Gallico affinis eſſet, vulgo Bruno-Gallicus dictus morbus. Cum iis locis hyems eſſet aſperrima, circa medium Decembrem

INTERPR. [a] *Marienburg.* [b] *le Landgrave de Heſſe.* [c] *monaſtere d'Oliva.* [d] *la Pruſſe.* [e] *Vicenza & Breſcia.* [f] *Mocenigo, Doge.* [g] *Veniero.* [h] *i Curzolari.* [i] *Brin en Moravie.* [k] *les rivieres de Swarte, & Zwitta al. Swittwa.*

CIↃIↃLXXVII. HENRICUS III.

Decembrem lucs haec apparere coepit: et quicunque ad [a] Spilibergi balneum, quod eſt unum ex tribus iis, in quibus Brunenſes publice lavantur, hypocauſtum ſive Laconicum ingreſſi ſunt, adactoque in cutem ſcalpello et cucurbitis admotis ſanguinem eduxerunt, quod frequenter inter eos uſurpatur, tam foeminae quam viri, ad xxc protinus ea correpti ſunt. Mali prima ſigna torpor, pigritia, gravedo, animi dejectio, membrorum ſpontanea laſſitudo, vividus oris color in pallidum ſtatim mutatus, aſpectus torvus, ac circulus fuſcus, qualis in mulieribus menſtrua patientibus, circa oculorum orbem. Tum ad cucurbitularum cicatrices rubor inſolens; quem excepere abſceſſus et ulcera tabo ſanieque fluitantia: ſed ea in uno et altero tantum cucurbitulae veſtigiis erumpebant, licet multo plures adpoſitae fuiſſent. Ulcera autem haec aperta liquore pingui, mucore lento et lurida ſanie manabant: deinde, terſa ſcabie, maculae atrae plumbei ac fuſci coloris, haud multum impetiginibus ac vitiliginibus abſimiles, remanebant. Augeſcente dein malo in capite calli concrevere, lentum et viſcidum humorem, cum rumpebantur aut ſecabantur, cum acri aegrorum dolore emittentes. Cauſae ſubiti veneni ſeu contagii cum nullae quaerentibus ſive ex ſuſpicione ſive ex natura petitae occurrebant, tum hoc primum in novo eo morbo ſumma admiratione dignum videbatur, quod, licet Indico multa ſimilia haberet, tamen citra veneris uſum ſubito erupit, et notae pudicitiae ſeu caſtitatis virgines ac ſeptuagenarias etiam foeminas invaſit, et, cum ab ipſo brumae die intenſior fuiſſet, circa aequinoctium vernum proximum, cum ſol arietem ingreditur, ſenſim remiſit, atque intra annum omnino evanuit. Cum Thomas Jordanus excellens medicus, qui de eo peculiarem commentarium ſcripſit, cauſam in vaporem ab infectis lue venerea in Laconico conceptum, qui deinde contage ad alios ſerpſerit, rejiceret, conſultus ab eodem Joannes Crato Caeſareus archiatros contradixit; et, vel ſcalpellum infectum ſeu napello ſeu veratro albo, quo Hiſpani venatores ſagittas inficiunt, ut alias diximus, vel putridum vaporem, qui per vulnus ſubiit atque ſanguini communicatus eſt, malo cauſam dediſſe cenſura ſua aſſeruit. Alia prodigioſa et aliis locis apparuerunt. Ignes inſoliti Romae ſupra [b] Hadriani Mauſoleum in coelo viſi. Cyprus terrae motibus horrendis quaſſata fuit. Sed omnium maxime, qui unquam apparuerunt, terribilis memoratur cometes, qui ſpatio ſuo xxx amplius gradus luſtrabat, porrecta occidentem verſus cauda Sagittarium et Capricornum veluti complexus, non in ſublunari ſive elementari ſed in aetherea regione poſitus, ſicuti praeſtantiſſimi hujus aetatis aſtrologi libris editis diſputaverunt, Cornelius Gemma Friſius, Michael [c] Maeſtlinus Goepingenſis, Leonardus [d] Turniſerus, qui cum ſe xiv Kal. Nov. Berlini primum obſervaſſe ſcribit; cum alii fere circa iv aut iii Eid. Nov. apparuiſſe referant, Heliſaeus [e] Roeſlinus, Joannes [f] Praetorius Joachimicus, Nicolaus [g] Winclerus. Maeſtlinus in Veneris orbe eum reponit: idque multis rationibus demonſtrat, quae ex ipſo peti poſſunt. Magnorum id inſolens phaenomenon virorum mortes portendiſſe creditum eſt: inter quos, praeter eos, quos memoravimus, Garſias Toletanus Petri Neapolitani proregis filius; qui, triremium initio praefectus, poſt [h] Melitenſem obſidionem, Neapoli in ſuis aedibus [i] ictu ſanguinis ante quinquennium tentatus, prid. Non. Jun. deceſſit, magna pompa funeratus. Quem eodem menſe quarto poſt die Maria [k] Luſitana, Edvardi filia et Emmanuelis neptis, Alexandri Farneſii uxor, ſecuta eſt; quae Parmae ultimum diem clauſit. Sed non ſingulorum hominum motres tantum, quae quotidie eveniunt, ſed potius univerſorum regnorum ac familiarum regiarum excidia et converſiones cometas iſtiuſmodi rerum prudentiores ſemper portendere exiſtimaverunt; ut de Luſitano accidit ex occaſione belli Africani, cujus cauſas ducto altius principio repetemus.

V. MAHAMETES

INTERPR. [a] *bains de Spilberg.* [b] *Caſtel S. Angelo.* [c] *Maeſtlin de Gœppingen.* [d] *Thurneiſer.* [e] *Roeſlin.* [f] *Prætorius de Joachimſtal.* [g] *Winckler.* [h] *de Malte.* [i] *apoplexie.* [k] *de Portugal.*

V. MAHAMETES, qui cum Hamete fratre, imperio [a] Merineoſium in [b] Mauritania Tingitana everſo, primus regnum in familia Cherifiorum fundavir, ut ſupra pluribus explicavimus, cum [1] treis filios teliquiſſet, [2] Abdalam-Melicum, Mumeoem, Hametem, Abdalae tanquam grandiori natu ſucceſſionem deferri voluit, et poſt ejus mortem aliis ordine aetatis fratribus, excluſis Abdalae filiis. Sed cum Abdala, [3] poſt Mumenem fratrem [c] Tremeceoi interfectum, provincias inter filios diviſiſſet, ſpe ſucceſſionis fratribus ſuis praeciſa, [d] Mahametes grandior natu, Niger vulgo dictus, quod ex Aethiope foemina natus eſſet, parente anno hujus ſaeculi LXXIV vivis exempto, imperium invaſit, excluſis [4] patruis; et alterum e fratribus ſuſtulit, alterum ſub cuſtodiam miſit. At [5] Abdala-Melicus, quaſi Dei ſervum dicas, injuria exaſperatus, cum videret Mahametem, parto per ſcelus regno, per ſcelera porro graſſari, nulloque non crudelitatis genere ſaevicorem odium ſuorum in dies contra ſe provocare, occaſione utendum ratus, cum fruſtra Philippi opem, interventu [e] Roderici Alfonſi Pimentelli Valentiae proregis, imploraſſet, ad Portam Turcicam confugit; et, cum Selimo primum pugna [f] Corinthiaca et in [g] Navarrini obſidione egregiam operam navaſſet, poſt ejus mortem ab Amurathe filio diploma impetrat, quo [h] Ramadano Algeriae proſultano, gente Sardo, mandabatur, ut Melico contra Mahametem bellum geſturo cum ſuis opibus praeſto eſſet. Inde in [i] Africam reverſus, populis ad libertatem contra tyrannum vocatis, exercitum conſcribit. Levibus initio fere proeliis inter eos certatum, ex Maurorum uſu, qui equitatu valent, et ſine ordine ounc excufrendo nunc recedendo pugnant. Semel atque irerum obſtinatis animis conflixere, cum duodecies ante incerto eventu velitando pugnaſſent. Tandem, cum XVI Kal. Apr. ad maous veniſſent, Melicus, et peritia rei militaris et humanitate praepollens, ad haec Turcorum viribus ſuboixus, Mahametem, licet numero ſuperiorem, io fugam vertit, et intra Marochum compulit. Ipſe, oe victis acrius inſtando victoriae fructum corrumperet, diviſis copiis, cum parte Feſſam tendit, ab oppidanis Mahametis ſuperbiam et ſaevitiam exoſis continuo receptus et rex ſalutatus. Interea Mahametes ſuos huc illuc ſparſos colligit: et, cum jam XXX CIƆ equitum, X CIƆ ſcloppetariorum ſub ſignis haberet, cum patruo rurſus decernere ſtatuit, repudiatis a Sebaſtiano [k] Luſitaniae rege oblatis auxiliis. Nec Melicus virtutis fiducia certameo detrectavit, quamvis tantum XX CIƆ equitum, VIII CIƆ ſcloppetariorum penes ſe haberet. Igitur rurſus totis viribus certatum III Kal. Quintil. iterumque Mahametes, amiſſis VI CIƆ ex ſuis, intra Marochum compellitur, huc illuc dilapſo equitatu, quem Hametes Melici frater inſecutus eſt. Cum vitae metuens Mahametes deficere omneis ad patruum videret, Marocho relicto et aſportata, quantam potuit, gaza pretioſa, in montes proximos confugit, Nomadumque Arabum ad praedas diſcurrentium ope aliquandiu totam regionem infeſtam tenuit. Melicus Marochum vacuum venit, haud mioore quam Feſſae poſt geminatam victoriam ab oppidanis laetitia ac plauſu exceptus et rex ſalutatus. Haec anno LXXV acciderunt. Inde cum ad coercendas Mahametis excurſiones Melicus copias miſiſſet, ille, qui propriis opibus ſe tueri amplius non poſſe cerneret, ad exteroas vireis, ſed ſerius, tandem confugere coactus eſt.

CIƆIƆLXXVII.
HENRICUS III.

VI. LUSITANIA (oam de ea ejuſque principum origine ac ſucceſſiooe, quando ad funeſtum illius regni finem devenimus, quaedam dicere pretium videtur) tertiam Hiſpaniae

INTERPR. [a] *Princes Merines.* [b] *c'eſt Fez & Maroc.* [c] *Tremeſen.* [d] *Muley Mahomet, el Negro.* [e] *Ruys Alonſo de Piementel.* [f] *de Lepante.* [g] *Novarrino.* [h] *Ramadan, baſſa d'Alger.* [i] *Barbarie.* [k] *Portugal.*

NOT. [1] quatuor. *Put.*
[2] *Lege* Abdalam, Melicum, Mumenem et Hametem. *Put.* M. de Thou de deux n'en a fait qu'un, *Abdalam-Melicum* pour *Abdalam, Melicum.*
[3] *Dele* poſt Mumenem fratrem Tremeceni interfectum. *Put.*
[4] patruis, quorum unum Mumenem Tremeceni interficiendum curavit; et alterum *Put.*
[5] *Dele* Abdala Melicus, quaſi Dei ſervum dicas: *lege* Melicus alter patruus. *Put.*

Hiſpaniae partem conſtituit; hiſque finibus circumſcribitur: a ſeptentrione Durio fluvio, jam inde ab ipſius oſtio ad eum uſque pontem, qui [a] Septimancis adjacet: ab occaſu ea Oceani [b] Atlantici parte, quae [c] Anae et Durii oſtia intrat: a meridie [d] Baetica, ab ortu provincia [e] Tarraconenſi, quae duae reliquae Hiſpaniae partes ſunt, clauditur, linea ab [f] [1] Oretanis ad eum pontem ducta, cui e regione Septimancae ſitae ſunt. A [g] Gallis Braccatis, qui in illo litore appulerunt, ſive, ut indigenae aiunt, perfugium habuerunt, Portugalliam regionem dictam credunt, qui [h] Bracantiae, quae hodie totius Hiſpaniae, ut Luſitani volunt, metropolitana civitas eſt, a ſe nomen impoſuerint: quanquam alii ingenioſe magis quam vere a portu [i] Calis, qui locus eſt circa Durii aeſtuarium, vocatam malunt, ne videlicet Galli in Hiſpania partem aliquam habeant, cum tamen ipſi [k] Celtiberos, [l] Eburovices, [m] Helvios, [n] Braccatos atque in ipſa Luſitania Celticos diffiteri non poſſunt: Luſitania autem antiqua anguſtioribus atque adeo aliis limitibus quam Portugallia continebatur; quippe quae [o] Ciſtaganam et Tranſtaganam a Tago mediam perlabente dictas regiones tantum olim complecteretur, nunc vero et [p] Interamnem et [q] Tranſmontanam, quae ambae olim Tarraconenſi attributae ſunt, atque adeo Baeticae partem ambitu ſuo claudit; ita ut nec tota Portugallia Luſitaniae finibus circumſcribatur, nec totam Luſitaniam ipſa contineat. Principum autem origo ſic habet. Gulielmus, Euſtochii II comitis [r] Bononiae filius, Godofredi regis Hieroſolymorum frater, plures liberos reliquit: ex quibus Henricus Limburgi comes, decoris et verae laudis cupiditate incitatus, in Hiſpaniam, tunc Maurorum bellis ardentem, magno comitatu venit, cum Raimundo [ſ] Burgundione Gulielmi Burgundiae comitis filio, et Raimundo [t] Toloſae et fani Aegidii comite avunculo; et, poſt multa egregie bello facta ab Alfonſo VI Caſtellae rege, Luſitaniae eam partem, quam ille retinuerat, comitatus titulo accepit, in ſpeciem pro [u] Taraſiae Alfonſi ipſius filiae dote, re vera, quod Alfonſus externis opibus contra praepollentem Maurorum potentiam ad tuendum limitem opus haberet. Et ita quidem vulgo de Henrico illo Luſitanorum regum ſtirpis auctore Hiſpanici annales tradunt. At, qui rem ad veterum monumentorum fidem diligentius expendunt, cum miram ea in re ſcriptorum diſſidentiam animadverterent, Henricum illum ſeu Limburgenſem ſeu Lotharingum aliis dictum non ex Euſtochii Bononienſis, ſed ex Roberti ducis Burgundionum proſapia natum dicunt: Robertum autem Henrici I Francorum regis fratrem et Hugonis Capeti nepotem fuiſſe, [α] qui poſt Rodulphi ultimi Burgundionum regis obitum, ſciſſo in ducatum et comitatum regno, Burgundionum dux creatus fuit circa annum CIƆXXXIV, et Henricum filium reliquit, Hugonis Burgundionum ducis et Odonis, qui Hugoni fratri anno CIƆXCII ſucceſſit, patrem, nec non Henrici, qui comes Portugalliae fuit anno CIƆXC; et, accepta in uxorem altera Adelfonſi regis Galiciae et Aſturiae filia, in finibus Hiſpaniae, ut veteris ſcriptoris noſtratis iis fere contemporanei verbis utar, cum Raimundo comitatus trans [w] Ararim principe, qui [β] Conſtantiam alteram ejuſdem [x] Adelfonſi filiam in matrimonio habebat, contra [y] Agarenorum collocatus eſt impetium. Quae ſi vera ſunt, ut ſane certiora eſſe iis omnibus, quae vulgo traduntur, conſtat, Gallia non ſolum populos ſeu colonias in Hiſpaniam immiſerit, ſed, ut Anglis tanto tempore reges, ita potentiſſimo ac opulentiſſimo in Hiſpania regno principes per CIƆ fere

VAR. LECT. [α] qui Burgundionum dux, *linea omiſſa una*, *D. ſ.* [β] Uracam *D. ſ.*

INTERPR. [a] *Simancas.* [b] *Mer Atlantique*, ou *de Ponant.* [c] *Guadiana & Duero r.* [d] *Andalouſie.* [e] *Caſtille.* [f] *le quartier où eſt Calatrava ſur la riviere de Guadiana.* [g] *Gaule Narbonnoiſe, qui contient Languedoc, Provence, & Dauphiné.* [h] *Braga.* [i] *Porto Cale.* [k] *Caſtilla nueva avec Arragon.* [l] *ceux d'Evreux en France*, ou *d'Evora en Portugal.* [m] *ceux d'Alby en Languedoc*, ou *d'Elvas en Portugal.* [n] *Languedoc, Provence & Dauphiné*, ou *Bragança en Portugal.* [o] *deçà & delà le Taje.* [p] *entre Duero & Minho.* [q] *Tra los Montes.* [r] *Boulogne.* [ſ] *de Bourgogne.* [t] *Toulouſe & S. Gilles.* [u] *Donna Thereſa.* [w] *la Saone.* [x] *Alfonſe.* [y] *Saraſins.*

NOT. [1] Nonius dit que c'eſt le quartier où eſt quartier d'Almagro, qui eſt en meſme endroit. Calatrava. Pinet le traducteur de Pline traduit le *Put.*

fere annos continua ſerie dederit. Ut ut ſit, Henrico Aſtorgae mortuo, ex [a] Taraſia, CIↃIↃLXXVII.
id nomen Adelſonſi filiae, quam Henricus duxit, tribunnt Hiſpani, ſuſceptus Alfonſus HENRICUS III.
ſucceſſit anno ſalutis CIↃCXII; qui, cum XXVII annos ducis titulo principatum cum tenuiſſet, memorabili ad [b] Orichiam conſerto contra V reges Mauros, quos et vicit, proelio rex ſalntatus eſt; et VIII poſt annis [c] Oliſſiponam Gallorum et Anglorum opibus ſubnixus cepit; [*] totamque adeo Portugalliam, quam late hodie patet, de Saracenis recepit, et immani jugo exemptam contra eorum potentiam munivit; ac demum ab Eugenio III ſive Alexandro III regiorum inſignium, quae virtute meruerat et exercitu tradente adeptus fuerat, confirmationem ad majorem dignitatem accepit, addita conditione, ſicuti Romae jactatur, ut quotannis a Portugalliae regibus duae auri librae eccleſiae Romanae loco tributi penderentur. Nam de earum exactione hactenus nulla aut hominum memoria aut obſignatarum tabularum fide conſtitit, ut [d] Stephanus Garibaius ſcribit. Ab Alfonſo, qui [e] Conimbricae deceſſit anno CIↃCXXCV, ad Emmanuelem Ferdinandi filium Edvardi I nepotem, qui Joanni II ejuſdem Edvardi abnepoti ſine liberis maſculis mortuo anno CIↃCCCCXCV ſucceſſit, XIII reges numerantur. Is vero imperium a majoribus in Hiſpania acceptum et aliquot in [f] Africa arcibus et oppidis amplificatum longe majoribus progreſſibus per utraſque Indias factis propagavit: et, cum treis uxores habuiſſet, ex Maria Ferdinandi filia numeroſam prolem ſuſtulit; Joannem ſucceſſorem, Iſabellam Caroli V uxorem et Philippi parentem, Ludovicum, ex quo natus Antonius, qui infeliciter poſtea de regno contendit, Ferdinandum, Alfonſum et Henricum ambos cardinaleis, ac poſtremo Edvardum, qui duas filias reliquit, quarum major natu Maria Alexandro Farneſio Parmenſium duci, Catharina Joanni [g] Bracantiae duci, nupſit. Poſt Emmanuelem anno hujus ſaeculi XXI mortuum regnavit Joannes III; qui ex Catharina Caroli V Caeſaris ſorore complures liberos ſuſtulit, ac tandem anno hujns ſaeculi LVII fatis conceſſit, relicto ex omnibus ſuperſtite Sebaſtiano nepote regni herede, cum filius Joannes Sebaſtiani parens ante quadriennium turbato ordine naturae e vita migraſſet. Puer rex ſimul ac minorem aetatem exivit, hoc eſt XIV annum attigit, id enim, ſicuti apud nos, et apud illos exemplo noſtro juris eſt, Henricus cardinalis patruus, qui tutelam regni tanquam proximior agnatus ſumpſerat, omnem cum tutela auctoritatem a ſe abdicavit: quam rex vana virtutis opinione ſtolide ferox avide arripuit, arreptaque intemperanter ac ſine moderatione uſus eſt, mutata aulae facie et inductis ad adulationem factis miniſtris, ſumptiſque ſupra vireis, aetatem et temporum conditionem intempeſtivis conſiliis. Itaque et militaribus exercitiis infra regiam majeſtatem oblectabatur, ſuoſque operi faciendo aut inſtitoriae exercendae occupatos nova inſtituta militia praecipue Oliſſiponae fatigabat. Hos animos illi ad majora viribus audendum, praeter inſitam a natura Luſitanis ingeniis fiduciam, fecere deliciae ac luxus ex India Orientali et Aſia, olim Romano imperio ob eaſdem cauſas fatali, per navigationes ad longe poſitas illas regiones nuper ſuſceptas ſenſim importatus; quem Jeſuitae patres, qui Apoſtolorum nomine in Luſitania ob longinquas ad praedicandum Dei verbum peregrinationes vulgo indigetantur, corrigere fruſtra cupientes, ex ea occaſione partem ſibi in republica arrogare voluerunt; et ſumptuariis legibus ad Laconicam parſimoniam atque adeo ſobrietatem inepte conditis ridiculi fuere, dum, quod imperiti medici faciunt, corpora nimio ſucco turgentia non purgant, ſed ad maciem adducere conantur; palamque cunctis fecere, theologorum profeſſionem a civili adminiſtratione omnino ſeparatam eſſe.

VII. HIS animis fretus Sebaſtianus, quamprimum vigeſimum annum attigit, claſſe inſtructa

VAR. LECT. [*] ac meliorem Portugalliae partem de Saracenis *D. f.*

INTERPR. [a] *Thereſa.* [b] *Orique.* [c] *Lisbonne.* [d] *Eſtevan de Garibay.* [e] *Coimbra.* [f] *Barbarie,* [g] *Bragança.*

inſtructa in [a] Africam trajecit, ut [b] Tingim, Septam et Mazagonem munita in ingreſſu oppida ex adverſo freti [c] Gaditani luſtraret; ibique velitationibus tantum levibus, quo virium hoſtilium et ſuarum pariter faceret periculum, pugnae olim majori committendae praeluſiſſe contentus domum rediit: ab eoque tempore de expeditione aliqua memorabili cogitare coepit: et, cum in Indias uſque navigare conſtituiſſet, ab eo conſilio, Catharina avia et Henrico cardinali patruo dehortantibus, ita deſtitit, ut iiſdem aſſentientibus et patribus ipſis Jeſuitis, quorum ex nutu res tunc in aula pendebant, bellum in Africam transferre ſibi liceret. Id peſſima illi conniventia ſecere, ita ſe animum pueri regis ſenſim ab externis expeditionibus avocaturos rati, cui in omnibus initio contradicere neque ad gratiam tutum, et in ardenti novarum rerum deſideriis principis ingenio periculoſum, exiſtimabant. Jeſuitae vero, Indica ad praeſens expeditione omiſſa, porro et Africanam auctoritate, qua apud principem pollebant, ſe irritam reddituros confidebant: ſed lodge aliter accidit. Nam paulatim ab illo gratiae flagrantis faſtigio excidere Alvari [d] Caſtrenſis aſtu, qui, quam diu patres illi in aula regnarent, ſummum, quem cupiebat, auctoritatis gradum tenere ſe poſſe deſperabat. Itaque, rege ad S. [e] Vincentii promontorium cum navibus ad novam militiam et claſſem, quam inſtruebat, luſtrandam egreſſo, cum in dies hujuſmodi apparatus feſtinari et pares iis ſumptus ex aerario non ſufficere indignantem ipſum videret, ſermone e re nato Jeſuitas in aula ſugillare coepit; quorum imprudentia et in civili adminiſtratione imperitia factum dicebat, ut conditis ſumptuariis illis legibus commercio non paulum labefactato una et vectigalia regia multum imminuta eſſent, ut ea ad res pietate Chriſtiana et regio faſtigio dignas non ſufficerent; auctorque ei fuit, ut homines religioſos ad pietatis ſtudia, in quibus tam laudabileis progreſſus ubique feciſſent, et quotidie facerent, ſeponeret, nec eos ad publica conſilia, in quibus plane caecutiebant, deinceps admitteret; quod et ille, qua pollebat apud eum gratia, obtinuit; eademque opera Martinum [f] Conſalvum, qui impenſe Jeſuitis favebat, ob id ſuſpectum, ut a latere ſuo removeret, pervicit. Is a Catharina parente et Henrico cardinali patruo regiis negotiis admotus fuerat, excluſo Petro [g] Alcaſova, qui Joanni Sebaſtiani avo a ſecretis epiſtolis ſumma cum auctoritate regni negotia adminiſtraverat. Tunc vero, amoto aemulo, Alcaſova denuo irrepſit; et, Ludovico grandiori natu filio cum Chriſtophori Tavorae, qui principem gratiae locum in aula tenebat, ſorore matrimonio conjuncto, ea affinitate potentiam firmavit, Alvaro Caſtrenſi ipſo, cujus favore ad reciperandum priſtinae dignitatis locum ſublevatus fuerat, a rerum gubernaculis remoto. Rebus in eum modum circa regem juvenem conſtitutis, Alcaſova heri ad omnia voluntati applaudere, ejus pietatem laudare, conſilia ut tanto faſtigio digniſſima in majus extollere; contra ſocordiam atque adeo vilem et abjectum animum eorum carpere, qui regi ad veram gloriam pleno gradu properanti difficultatibus maligne objectis pedicas quaſi injiciebant; non tam quod temerarios regis conatus probaret, quam ut repudiatis aemulorum conſiliis eos ob id ſuſpectos ac poſtremo inviſos ipſi omnino redderet. Ita affecto et a ſe et a conſiliariis rege, [h] Mahametes Cherifius a [i] Melico patruo regnis pulſus cum aliquandiu ad [k] Pignonium Velezii, ubi perfugium habuerat, ſubſtitiſſet, ad eum venit, et ab occaſionem belli in Africa gerendi captante opem imploravit: quod et facile obtinuit. Nam, re in concilio agitata, cum variae dicerentur ſententiae, etiam qui Jeſuitarum partes fovebant, ut regem a periculoſo conſilio dimoverent, ſic cenſebant: principi Chriſtiani nominis propagandi deſiderio flagranti potius adverſus Sectarios, quam eos qui Chriſti nomen omnino neſciunt, bellum ſuſcipiendum eſſe; quippe cum plus periculi ab illis quam ab his impendeat, et, quo facilius ſectarium malum

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *Tanger, Ceuta, & Mazagon.* [c] *deſtroit de Gibroltar.* [d] *de Caſtro.* [e] *Cap de S. Vincent.* [f] *Gonçalez.* [g] *de Alcaçova.* [h] *Muley Mahomet Cherif.* [i] *Muley-Meluc.* [k] *Pignon ou Pennon de Velez.*

malum inter Chriſtianos ſerpit, eo majoribus odiis vere Chriſtianos ſectario veneno infectos deteſtari, vitare, atque ad internecionem perſequi, quam infideleis Mahumetanos, debere. Quae ratio, ad praeſentem rerum ſtatum non incommode fortaſſe excogitata, poſtea adeo inter nos, etiam ceſſante ea occaſione, invaluit, ut magnarum tragoediarum toto Chriſtiano orbe ac praecipue in Gallia excitandarum cauſa extiterit. Tandem, propendente in contrarias partes imprudentis principis ingenio, et inſtigantibus inde qui bellum illud cupiebant, inde aſſentatione aulica, qui minus volebant, rem non improbantibus, inter quos Catharina parens et Henricus patruus cardinalis fuere, bellum decernitur; ſed ea conditione, ut Philippus Hiſpaniae rex, cujus non minus intererat ob viciniam, ut Mahumetani in Mauritania proxima in ordinem cogerentur, in belli ſocietatem admitteretur. Secundum haec miſſus ad Philippum Petrus Alcaſova, qui Sebaſtiani nomine auxilia et belli in Africa gerendi ſocietatem, unam ex filiabus in uxorem, et colloquium cum ipſo peteret. Quae omnia poſt longiuſculam in Philippi aula moram Petrus obtinuit. Nam et facta ſpes de altera filiarum in matrimonium danda, et ſubſidiis ad [a] Laracianam expeditionem mittendis, ſi quidem contra Italiam hoc anno Turcus claſſem non mitteret. Condictum item ad [b] Guadalupam, [α] olim Aquas Lupias, colloquium; quod et ſecutum eſt, Sebaſtiano, quacunque iter habuit, a Philippi miniſtris regali magnificentia excepto, et apertis ubique carceribus ac vinctis in ejus gratiam ſolutis. In illo colloquio Philippus, qui cum occulto livore ex generoſis vicini principis in ſpeciem conſiliis concepto venerat, ubi vidit aemulum potius juvenili ſupra vireis vanitate rapi, quem appenſo ad regni rationes conſilio eam expeditionem ſuſcepiſſe, invidiam in miſericordiam vertit: et ſane Philippus expeditionem minime diſſuaſit; ceterum, ne ipſe Sebaſtianus ad eam proficiſceretur, ſed per legatos rem gereret, admodum rogavit: a quo tamen propoſito praecipitem juvenem dimovere non potuit. Dein ex Ferdinandi Alvari [c] Toletani Albae ducis conſilio ſic de belli in Africa gerendi ratione inter partes convenit; ut XV CIↃ peditum ex aliis quam Luſitanis conſcriberentur, qui bellis experti eſſent, Italis, Germanis et Hiſpanis; quorum X CIↃ Sebaſtiani, V CIↃ Philippi ſtipendio militarent, qui et L triremeis in Laracianam expeditionem mari non terra et hoc, qui hujus ſaeculi LXXVII numeratur, anno ſuſcipiendam, commodaret: neque enim aliter Philippum obligatum iri. Ita utrinque diſceſſum. Ab eo tempore res lente in Luſitania adminiſtrari coepere, pecunia deficiente. Nam, cum aerarium totius regni vicies centena millia ducatorum vix excedat, in eo putatis, praeter Luſitaniae vectigalia, quae ex inſulis maris Atlantici, Braſilia, S. Thomae inſula, et [d] Minenſi [β] ſeu metallorum promontorio in Africa, atque adeo Guinea litorali regione quotannis colliguntur, ſumptus, qui in aula longe omnium ſolutiſſima praeſidiis et ceteris regni oneribus ſuſtinendis fiunt, eam ſummam plerumque ſuperant; et, quae ex India Orientali proveniunt, quae ad decies centena millia ducatorum excurrunt, ſumptibus in navigatione tam longinqua ac validis praeſidiis impenduntur, omnino exhauriuntur, utilitate, quae ex iis provenit, ad privatos inſtitores et ad commune regni commodum, non ad principis aerarium, redundante. Itaque nova vectigalia excogitata et impoſita; non ſolum plebi ſed ceteris ordinibus gravia. Et, cum eccleſiaſtici initio fremerent, tamen, quod pontificem Sebaſtiani conſiliis ac voluntati favere intelligerent, CL aureorum CIↃ ſibi imperari paſſi ſunt. Reſtabant nobiles, ne ipſi quidem a novo onere immunes futuri, niſi Franciſcus [e] Melo [γ] Tentiguelii comes interceſſiſſet. Is plenis libertatis ac fiduciae literis apud regem ſe excuſavit, contra jura ac libertates regni fieri demonſtrans, ſi, quorum

VAR. LECT. [α] olim Aquas Lupias *deſunt D. f.* [β] ſeu metallorum *deſunt D. f.* [γ] Tentuquelii *D. f. d.*

INTERPR. [a] *de Larache.* [b] *Guadalupe.* [c] *de Tolede, duc d'Albe.* [d] *Cap de Mina, où il y a une fortereſſe.* [e] *de Melo, comte de Tentuguel.*

CIƆIƆLXXVII. Henricus III.

quorum majores amplificando regno praecipuam operam navaſſent, eorum filii ac nepotes ſervilibus oneribus pendendis gravarentur: ejuſque rei cauſam primariam Dei juſtae ob peccata noſtra merito ſuccenſentis irae imputabat, ſed ſecundario in pravos regis conſiliarios rejiciebat; ex eoque infelices ſucceſſus praeſagiebat: nam ſic Joanni primo, Henrico et Ferdinando Luſitaniae regibus expeditiones infeliciter ceſſiſſe, quod imperatis novis plebi oneribus ſuſceptae eſſent; quanquam verius eſſet, plebi quam proceribus, ab hujuſmodi rebus huc uſque immunibus, ea imponi. Quapropter regem demiſſe hortabatur, etiam atque etiam videret, ne regnum, quod florentiſſimum a majoribus accepiſſet, a pravis conſiliariis deceptus et ſpretis deceſſorum exemplis in periculum adduceret. His literis etſi non mediocriter commotus rex, tamen, quod periculoſum eſſet dolorem ex eo conceptum, jam rebus in procinctu conſtitutis, renudare, ſenſum ejus diſſimulavit, et procerum juſtam indignationem veritus ab imperanda iis pecunia abſtinuit, rejecto in miſeram plebem onere, quae, exhauſto veluti ſanguine, ad deſperationem adacta bellum ejuſque auctores publice et in arcano deteſtabatur. In his anguſtiis rex edicit, ut Caſtellenſis moneta, quod nunquam factitatum fuerat, in regno reciperetur, pretio ejus aucto. Quod in omen jam tum acceptum eſt. Tum plebs novae militiae deſtinata crebro [a] Oliſſipona educi coepta, et quaſi ad pugnam inſtrui, ridicula prorſus ratione, quippe nullo campidoctore aut tribuno bellis experto; ſed Joanne quodam Gama nomine iis praeeunte, qui eremitae habitu tirones ipſe belli rudis inſtruere, agmina ordinare et concurrere edocebat, inter ſcloppetorum diſploſiones plerumque rege ipſo haud citra periculum verſante ac diſcurrente; qui et venationibus per id tempus ſe exercebat, et in feras generoſiores incurrere eaſque cominus figere gaudebat: ſaepe etiam ſe mari committebat; maxime coelo procelloſo; nam ſereno ignavi eſſe ducebat: ita ut pericula, quae ſapientiores vitanda cenſent, quaereret, et in exitium ſponte ruere cunctis videretur. Interea, deficiente belli nervo, ſegniter cuncta adminiſtrabantur; et, cum ex piperis [b] Liburnum in Etruriam portandi ibique diſtrahendi pretio in Italia et Germania delectus haberi deberent, illud tamen adhuc Oliſſiponae navibus impoſitum haerebat. At Alcaſova, temeratii conſilii potius ad aſſentationem quam ſponte auctor, cui pecuniariae rei expediendae cura commiſſa erat, offenſionem regis veritus, difficultates illas diſſimulabat, et occaſionem opperiebatur, qua Philippus, aut Turcicae claſſis in Italiam appulſum cauſatus aut ob aliam cauſam, ab auxiliis ſummittendis ſe excuſaret, ut culpa conſilii minime ex voto procedentis in ejus tergiverſationem rejecta invidiam omnem a ſe amoliretur. Et commodum accidit tunc, ut [c] Melicus certior factus de apparatibus inſtigante Mahamete contra ſe factis, ex Andreae [d] Gaſparis Corſi, qui licet Chriſtianus in flagranti gratia apud Cheriſium florebat et rebus Philippi in occulto favebat, conſilio, ad Philippum legatos mitteret, pacem petens, et conditionibus aequis vel etiam locorum, quae vellet, traditione cavere ſe paratum oſtendens, quod ſtatim Sebaſtiano ſignificari curavit Philippus; ſuaſitque, ne oblatas a Melico conditiones reſpueret, ſed eas amplius ab eo declarari peteret: nam e re videri, ut Maurum ea ſpe aliquandiu lactaret, dum interea belli apparatus maturarentur; atque ex eo fortaſſe ſecuturum, ut aut ea ſpe ille muniendi ſe conſilium omitteret, aut etiam ſponte iis locis cederet, quae vi ab illo extortum ibat. At Sebaſtianus, qui, quantum remorae conſiliis ſuis temerariis injiceretur, tantum de decore ſuo detrahi exiſtimabat, ſperatae victoriae certam et cum utilitate conjunctam pacem poſthabuit, et ſalutaria Philippi monita neglexit, enixe rogans, ut omnem cum Melico pacis tractatum abrumperet. Itaque Philippus, poſtquam nullis rationibus a temerario conſilio eum dimoveri poſſe cognovit, per oratorem ſuum claſſem offert L triremium cum V peditum CIƆ certis conditionibus: ſed oratori in arcano

INTERPR. [a] *Lisbonne.* [b] *Livourne.* [c] *Muley Meluc.* [d] *Gaſparo Corſo.*

CIↃIↃLXXVII.
HENRICUS III.

arcano mandatum, ut tempus captaret, quo, ſi Sebaſtianus conditionem acciperet, jam eo anno amplius bellum geri non poſſet; quod et ob eam rationem in ſequentem annum dilatum eſt. Miſſus ſub id a Philippo Franciſcus Aldana in Africam, qui obſoleto habitu loca firma et munitiones maritimas luſtraret; qui inde reverſus, ſicuti juſſus erat, ad Luſitanum adit, eumque de re omni plene edocet, belli in iis regionibus gerendi difficulatibus in majus exaggeratis. Qua re tamen minime infracta eſt regis voluntas; ſed appetente hyeme hominem catena CIↃ aureorum donatum ad Philippum remiſit, ea lege, ut ſequenti anno ad ſe cum bona Philippi gratia rediret, et ſecum ad expeditionem Africanam proficiſceretur. Interea per Jo. Gomeſium Silvam, ſuum apud pontificem oratorem, cum Franciſco Etruriae duce agit, ut per eum ſibi IV CIↃ peditum in Etruria conſcribere liceret. Nec abnuit Franciſcus, inſtante pontifice, ſed irrito fine; quippe cum pecunia in tempore minime repraeſentata fuerit. Miſſus et in Belgium ad Willelmum Naſſovium Arauſionis principem Sebaſtianus [a] Coſta, qui ejus opera IV CIↃ peditum delectus in Germania impetraret. Tum X CIↃ peditum in Luſitania conſcripta a [b] Michaële Norogna, Didaco Lupo Siqueira, Franciſco Tavora et Vaſco Silveira, ignaris fere belli ducibus. In [c] Caſtella vicina, minime petita a Philippo venia, aliquot milites lecti huic militiae nomen dederunt; quorum proinde duces poſtea a Philippo mulctati ſunt. Conſtans nihilominus omnium opinio erat, ita rem geri, ut illa expeditio temere ſuſcepta et eo anno dilata ſequenti demum omnino evaneſceret; quippe averſo Philippo, et Catharina avia Philippi amita atque Henrico cardinali patruo maxime in occulto diſſentientibus. Et ita ſane Petrus Alcaſova fore ſibi perſuaſerat, ut Philippus, bellum in Belgio, quod ſopitum putabat, poſt [d] Auſtrii in provinciam adventum et captum [e] Namurcum, contra ſpem recruduiſſe cauſatus, a copiis promiſſis, ſicuti mox fecit, ſe excuſaret; et Sebaſtianus, qui amicis monentibus hactenus fidem non habuerat, non comparentibus undique accerſitis auxiliaribus, et deficiente re nummaria, errorem in expeditione temere inſtituta admiſſum neceſſitate adactus emendaret. Sed contra evenit: inſignique exemplo patuit, veriſſimum illud eſſe, Deum, quorum fortunam evertere decrevit, eorum judicia corrumpere, cum Sebaſtianus, ſpretis amicorum prudentibus monitis, quae contra a fortuna offerebantur tam avide ad perniciem ſuam arripuit. Sane pontifex nimis ad bellum illud, utpote contra infideleis gerendum, propenſus, apertis ſpiritualibus theſauris, Cruciatam, quam vocant, ei annuit; quam gratiam nuſquam pontifices Luſitanis regibus hactenus fecerant: et naves ex India ſalvae appulerunt. Tum vero, quae impedimentum ultimum allatura expeditioni credebatur, aut ſaltem prohibitura, ne chariſſimus ſibi nepos ab ulnis et amplexibus velut avulſus ipſe in Africam proficiſceretur, ſub id tempus Catharina avia, magno ſui relicto deſiderio, deceſſit. Arauſionenſis autem, qui ſciret jam non ſincera fide Philippum in eo negotio verſari, et negare quae promiſerat, ut ei invidiam crearet, et, antiquis ſimultatibus inter Luſitanos et Caſtellenſeis ex ea occaſione accenſis, Sebaſtianum hoc beneficio ſibi devinctum a Philippi partibus et conſiliis ſepararet, tum etiam ut opes ſuas oſtentaret, quamvis poſt occupatum a Joanne Auſtrio Namurcum bellum in Belgio rurſus accenſum eſſet, ultro petita auxilia detulit. His acceſſit credulo ingenio injecta a fortuna illecebra, conſignata forte Arzilla ab [f] Abdala-Carino ejus praefecto Mahametis juſſu in manus Edvardi [g] Meneſae, qui [h] Tingim praeſidio tenebat; quae ab Alfonſo V primum occupata, dein ſub Emmanuele ſemel atque iterum capta ac recepta, quod nullius momenti eſſet, nec commode muniri poſſet, a Joanne avo deſerta poſtremo fuerat. Quae omnia

plus

INTERPR. [a] *da Coſta.* [b] *Miguel de Noronna, Diego Lopez de Siqueira, F. de Tevora, & Vaſquez de Silveira.* [c] *Caſtille.* [d] *Don Juan d'Auſtria.* [e] *Namur.* [f] *Abdal-Carin.* [g] *de Meneſes.* [h] *Tanger.*

CIↃIↃLXXVII. HENRICUS III. plus precibus ſuorum et amicorum recte monentium ſuaſionibus apud praecipitem et amore ſui caecum juvenem valuerunt.

VIII. PHILIPPUS tamen, ſive exitum veritus, ſive quod, deſtinatis alio viribus, auxilia promiſſa ſummittere non poſſet, et ad famam pertinere exiſtimaret, ne ea expeditio ſine copiis ſuis ſuſciperetur, rurſus apud Sebaſtianum egit, ut conſilium illud ad aliquod tempus omitteret; in eamque rem Philippi juſſu Albanus, cui multum tribuere ſciebat Sebaſtianum, diligenter ad eum ſcripſit, difficultatibus rei propoſitis: ac poſtremo miſſus ad ipſum Jo. [a] Cerda Medinae dux, vir primariae nobilitatis ac dignitatis, qui eum a profectione dehortaretur, et a promiſſis auxiliis ſe excuſaret; ea maxime ratione, quod, praeterquam quod, bello ſemel in Belgio accenſo, quod pacatum, cum auxilia promiſerat, rebatur, tantum de Turcorum in Italiam deſcenſu ſolicitus, magnis ſibi et integris viribus ad illud opus eſſet, aliud praeterea periculum ſuberat, ne, nuper conventis cum Amurathe ad bellum Perſicum ſe parante induciis, nunc, ſi arma in [b] Africam transferrentur, Turci eas violari cauſarentur; quippe Amurathis foederato ac tributario principi bello contra pacta illato. Tum quid cum Melico egiſſet oſtendebat, quem ab [c] Uluzali Caeſareae proſultano ſolicitatum et literis Amurathis invitatum, ut conjunctis copiis [d] Oranum aggrederentur, ab eo conſilio omnino dimoviſſet; cum diceret, Id ipſi juxta periculoſum ac damnoſum fore, ſi, nondum firmatis in novo imperio rebus, in alieno quaerendo vireis occuparet, et longe ab domo abeſſe cogeretur; ſemper Feſſanis regibus Turcorum viciniam et amicitiam ſuſpectam fuiſſe, quos privatim potentiae ſuae atque adeo vitae inſidiari nec ipſe ignoret: his rationibus, quibus Maurum a conjungendis cum Uluzali conſiliis deterruerit, ſatis ad praeſens confectum videri; ac commodius tempus opperiendum eſſe, quo Amurathes, verſis in orientem armis, bello, quod magnae molis et multorum annorum cum aemulo potentiae ſuae principe jam jam inchoaturus ſit, occupatus in occidentem vireis revocare nequeat: tunc enim ſe, bello in Belgio, quod brevi ſperet, patrato, vacuum et de Turco ſecurum totas vireis cum ipſo conjuncturum, exiguoque negotio confecturum, quod, diviſis viribus, et nondum Turcis bello Perſico occupatis, citra manifeſtum diſcrimen tentari non poſſit. Itaque et caviſſe ſe in pangendis cum Turco triennalibus induciis dicebat, ut ipſe Sebaſtianus comprehenderetur. Contra Sebaſtianus, omnis morae impariens, et qui ſuſpecta avunculi quantumvis ſalutaria monita haberet, diſputabat; et, ſi expeditio amplius differretur, omnem procul dubio Africam per induciarum tempus Turcis impletum iri, et, quod nunc robur profligatu facile eſt, prorſus inexpugnabile futurum, multis et ad praeceps deſiderium ſuum accommodatis rationibus demonſtrabat. Tandem decreta profectio, initio ſummae rerum praefecto Ludovico [e] Ateida bellicae rei peritia inter ſuos claro; ſed cujus induſtriam rex, dum cuncta per ſe adminiſtrare ſatagit, et [f] Alcaſova ſe alienis et ſupra captum negotiis impotenti arrogantia immiſcet, inutilem prorſus reddiderunt. Itaque ille, qui honorem delatum utriuſque ſive imprudentia ſive ſuperbia in dedecus et exitium ſibi verſurum intelligeret, ſponte ſe praefectura tanquam impar abdicavit; et prorex in Indiam deſtinatus eſt. Huic uni ſuccenturiati duo; [g] Didacus Soſa, qui claſſi, et [h] Chriſtophorus Tavora hipparchus, qui nobilitati et aliis, qui ſponte etiam e longinquo profecti huic militiae nomen dederant, cum ſummo imperio praeeſſent, belli et ipſi rudes; ſed favore, ut in illa aula fere fiebat, non meritis ad ſummos honores evecti. Cum vero rex equitatu ſe imparem contra hoſtem hac maxime parte praepotentem ſciret, in peditatu, quo Mauri minime valent, ut defectum eum penſaret, praecipuum robur collocare ſtatuit; quem ut copioſiorem haberet, edicto vetuit, ne

INTERPR. [a] *de la Cerda, duc de Medina Celi.* [b] *Barbarie.* [c] *Uluccіali, baſcha d'Alger.* [d] *Oran.* [e] *de Atayde, capitan general de l'Armada.* [f] *de Alcaçova.* [g] *Don Diego de Souſa.* [h] *Chriſtoval de Tavora.*

ne quis, niſi qui juſſus eſſet, equum ſibi compararet; magno errore: nam eo factum, ut multi, qui equis merere decreverant, pedeſtris militiae pertaeſi a profectione omnino deterriti ſint. Poſtquam tempus illius appetiit, omnia inter tirones confuſe adminiſtrari, et, ubi cura et ordine maxime opus erat, res turbide et ſolute geri. Et Luſitani, de armis ſecuri tantumque de magnifico cultu ſoliciti, veſteis ſumptuoſas comparare, quaſi non ad bellum ſed ad nuptias ac pompas proficiſcerentur; etiam, patrio veſtitu abjecto, Caſtellenſem aſſumere, quod et in omen acceptum eſt; et quaſi jam victoria parta de triumpho adornando cogitare. Itaque videre erat veſteis, equos, tentoria, lectos ac cetera impedimenta holoſerico et auro argentoque interdum et gemmis ad exquiſitum luxum exornata; ut potius haſti-ludii quam ſerii certaminis apparatus rerum peritioribus viderentur, qui cum occulto doloris morſu infauſta ex eo omnia praeſagiebant. Rebus ita utcunque ad profectionem comparatis, proxima de regni adminiſtratione, rege abſente, cura fuit; quae, primum delata Henrico cardinali patruo, cum ille effoetam aetatem cauſatus ſe excuſaſſet, quatuorviris commiſſa eſt. Ii fuere Georgius [a] Almeida [b] Oliſſiponae archiepiſcopus, Petrus Alcaſova, Franciſcus [c] Sada et Joannes [d] Maſcaregna, qui vice regia, attributo etiam ſigillo, in regno fungerentur. Nec ceſſabat Mahametes; qui nunciis, literis, precibus Luſitanicae claſſis adventum urgebat, affirmans, quam primum Luſitanus exercitus in Africa compareret, cunctas urbes a [e] Melico ad ſe defecturas, et citra ſanguinem plenam victoriam ſecuturam: ſed addebat, expedire ne rex ipſe veniret: nam ejus praeſentia Mauros territos non ita facile a Melico defecturos: et Melicum, ceteroqui ſuis inviſum, ex eo occaſionem ſumpturum, ut metu populis iis injecto, ne ſub jugum alieni a ſua religione principis veniant, eos in officio et fide retineat. Quae Sebaſtianus ita a Mahamete dicta interpretabatur, quaſi vereretur ille, ne, victoria de Melico parta, ipſe ſibi regiam potentiam his in regnis uſurparet: eoque magis, ut expeditioni intereſſet, inflammabatur, certa regnorum illorum potiundorum jam tum concepta fiducia, et in eam rem regiis inſignibus ſecum aſportatis. Dum in eo eſſet, venere ad [f] Tagi fauces ab Arauſionenſi naves, quae III CIϽ Germanorum portabant, duce Martino [g] Burgundo Ambergi regulo. Et, cum ſperatae ab Etruria copiae, ſtipendio deficiente, non adeſſent, res incidit, quae earum deſiderium lenivit. In Hibernia, quae Eliſabethae ditionis eſt, ſecundum Britanniam toto Oceano maxima inſula, ſub id tempus ob religionem tumultuabatur: et inſulani majorum religioni addicti, [α] [h] Deſmoniae comite et Joanne [β] [i] Alleno auctoribus, de jugo Anglorum excutiendo cogitabant; miſſiſque ad Gregorium XIII pontificem legatis ſui eum conſilii certiorem fecerant; qui et pronis auribus id accepit, et inſulanos, ut in pio et juxta generoſo propoſito perſeverarent, enixe hortatus eſt, ultro etiam Philippo ad tam laudabilem expeditionem invitato; qui tamen, antiquum Anglicae et Burgundicae domus foedus reveritus, non auſus eſt palam bellum Eliſabathae indicere. Sed, ut illa in occulto Arauſionenſi ac foederatis contra ſe Belgis opem ferebat, ſic ſibi Hibernos a regina deficienteis clam juvare licere exiſtimans, cum pontifice convenit, ut delectus in pontificis ditione habetentur, ipſe ſumptus in ſtipendia ſubminiſtraret. Itaque in [k] Umbria conſcripti IϽC circiter pedites, ductore Thoma [l] [γ] Stucleio Anglo, qui paulo ante marchionis [m] [δ] Lageniae titulo a pontifice inſignitus fuerat, [ε] de quo in ſuperioribus ad annum LXX diximus; iique navi Genuenſi impoſiti ſub id tempus Oliſſiponam appulerunt; ubi exſcenſionem fecere. Continuo rex apud eorum ducem ſeu precibus ſeu vi pervicit, ut, accepto menſtruo

VAR. LECT. [α] Enimondo *Ed. Gen.* [β] Anello *Ed. Gen.* [γ] Sternhulio *D. f.* [δ] Lageniae *deeſt D. f. d.* [ε] de quo in ſuperioribus ad annum LXX diximus *deſunt D. f. d.*

INTERPR. [a] *de Almeida.* [b] *Liſbonne.* [c] *de Sa.* [d] *Don Juan de Maſcarennas.* [e] *Muley Melue.* [f] *Tajo r.* [g] *de Bourgogne, ſieur d'Amberg.* Les autres mettent *Seigneur de Tamberg.* [h] *le comte de Deſmond.* [i] *Allen.* [k] *la Romagne.* [l] *Stukeley.* [m] *Lempſter.*

CIↃIↃLXXVII. Henricus III. menſtruo ſtipendio, ſe in [a] Africam ſequerentur, abſente pontifice, et Philippo contradicere non auſo, ne omnino principem foderatum promiſſis auxiliis in tali occaſione fraudare videretur.

IX. Tandem profectioni dies pronunciatur; quae tamen, ut confuſe gerebantur omnia, ſaepius dilata eſt. Ad extremum rex magno comitatu primarium urbis remplum adit; et, poſt ſolemni more conſecratum praetotium vexillum et in manus Ludovici [b] Meneſae majoris centurionis conſignatum, cum in regias aedeis rediturus crederetur, ipſe praetoriam, nulla interpoſita mora, conſcendit xv Kal. Quintil. in ea ad octo dies conſiſtere coactus, dum ceteri ad profectionem ſemper antea incertam ſe inſtruunt. Tandem poſtridie feſti B. Joannis proſperum ventum nactus cum tota claſſe ſolvit, relicto regno pecunia exhauſto et nobilitate vacuo, ſine herede, nec ſatis aequis ejus adminiſtratoribus. Claſſis omnino conſtabat v triremibus, L navibus armatis, et aliis minoribus ad IↃCCCC, quibus milites, bellici apparatus et commeatus portabantur. Ii erant x CIↃ Luſitanorum, CIↃ Hiſpani, Alfonſo [c] Algiliaro duce, III CIↃ Germani et IↃ Itali, cum magno nobilitatis numero, quae ſponte ac ſuis ſumptibus militabat; IↃCCC circiter equites cataphracti, quibus adjuncti ſunt CC ex praeſidiariis Africanis, quibus praeerat Georgius [d] Lancaſtrus Averi dux; praeterea x CIↃ foſſorum cum XII tormentis, quorum cura demandata Petro [e] Meſquitae equiti Melitenſi. Cum rege ex proceribus profecti ſunt Antonius [f] Crati prior Ludovici patrui filius, [g] Theodoſius octo annorum puer Bracantiae ducis filius, et [h] Jacobus ejus patruus, Edvardus Meneſes [i] Tarocae comes, qui caſtrorum praefecti munere fungebatur, Ferdinandus [k] Caſtrenſis Baſtii, Alfonſus [l] Portugallus Vimioſi, Antonius [m] Caſtrenſis Montis-ſancti, Ferdinandus [n] Norogna Linarii, [o] Nonius Alvarus Melo Tentiguelis cum Roderico filio, Alfonſus Norogna [p] Miraei, Vaſcus [q] Gama Vidiguerrae comites, [r] Conſtantinus Ferreriae marchionis filius, Joannes [s] Lobus Alviti regulus, Joannes [t] Silva Caſtellenſis Philippi orator, Ludovicus [u] Silva Luſitanus, et Joannes Silva comitis [w] Sorteliae filius, Emmanuel [x] Meneſes Conimbricae et [y] Arias Silva Portus epiſcopi. Moeſta claſſis in diſceſſu ubique facies, et nemo ridere viſus fuit, cunctis triſti ſilentio defixis, cum vulgo contra evenire ſoleat, ut, qui ad ejuſmodi expeditiones ducuntur, per laſciviam laetos clamores ingeminent. Multa et mali augurii ſigna obſervata. Nam praetoria, dum circumagitur, aeſtu abrepta in Flandricam navem roſtrum impegit ac confregit. Et unus ex naviculariis imprudentia tormentarii ictu machinae diſcerptus eſt. In [z] Algarbiis primo claſſis ad terram appulit: ibique legionem Franciſci Tavorae in naveis accepit, et aliqnot Hiſpanos: inde [aa] Gadeis venit; ubi obvium habuit Alfonſum Pereſium Guſmanum Medinae Sidoniae ducem, qui regem plenis velis in exitium ruentem inhibere fruſtra conatus, poſtquam cum magnifice exceptum et taurorum certaminibus aliiſque ſpectaculis, quorum in ea ſterili inſula copia fuit, aliquandiu diſtinuit, veris lachrimis, quando fauſtis acclamationibus, male praeſaga mente, non poterat, ad extremum abeuntem proſecutus eſt. Navigatione verſus Africam directa, rex cum v triremibus ſeorſim a reliqua claſſe [bb] Tingim tendit; unde miſſo Mahametis duodecenni filio, [cc] Mazagonem pedeſtri itinere cum Martino [dd] Correa Silvenſi proficiſcitur, rebellaturis, ut ſperabatur, contra [ee] Melicum Mauris praeſentia ſua animos facturus. Mox, Tingi novo praeſidio firmata,

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *de Meneſes.* [c] *de Aguilar.* [d] *de Alencaſtro duc d'Aveiro.* [e] *Meſquita.* [f] *Crato.* [g] *Theodoſio, duc de Barcellos, fils du duc de Bragance.* [h] *Jacques de Portugal.* [i] *Taroca.* [k] *de Caſtro, comte de Obaſto.* [l] *de Portugal, comte de Vimioſo.* [m] *de Caſtro, comte de Monſanto.* [n] *de Noronna, comte de Linarez.* [o] *Nunno Alvarez de Mello-Portugal, comte de Tentuguel.* [p] *Mira.* [q] *de Gama, comte de la Vidiguerra.* [r] *Conſtantin de Mello-Portugal, fils quatrième de François marquis de Ferreira & comte de Tentuguel.* [s] *de Lobo, baron de Alvito.* [t] *de Silva Caſtillan.* [u] *de Silva Portugais.* [w] *Sortella.* [x] *de Meneſes, evêque de Coimbra.* [y] *Arias de Silva, evêque de Porto.* [z] *les Algarbes.* [aa] *Cadiz.* [bb] *Tanger.* [cc] *Mazagon.* [dd] *Correa de Silva.* [ee] *Muley Melus.*

firmata, ad claſſem redit: et, accepto ipſo Mahamete et IↃCCC ſeloppetariis, quos ſecum habebat, Arzillam venir; ubi, exſcenſione facta, quod claſſis aquae penuria laboraret, incertis conſiliis nec ſatis validis imperiis, miles licentiae aſſuetus ſerius naves conſcendit, et XXV dierum, qui muniendis in maris litore caſtris inutilitet conſumpti ſunt, mora occaſionem multarum terum patrandarum amiſit. Nam [a] Laraciae et Tituani praeſidiarii et oppidani de locis deſerendis cogitabant, et jam ad montes vicinos perfugium cum familiis paraverant, cum interim Melicus ad eos mittit, et brevi ſummittendi auxilii ſpe facta ptimum terrorem diſpulit. Ipſe [b] Marocho profectus [c] Suſam venit, et per [d] Radovanum Luſitanum, qui ſacra Chriſtiana ejeraverat, primarium miniſtrum cuncta ad bellum parari jubet, tentoriis ad IV CIↃ erectis; relictoque Marochi Radovano, qui cum ſummo imperio per abſentiam ſuam praeeſſet, cognito Sebaſtiannm jam exſcenſionem feciſſe, limitem verſus progreditur cum XIV CIↃ expeditorum equitum, III CIↃ ſcloppetariorum partim equitum partim peditum, qui maximam partem e [e] Baetica erant; vadoque tranſmiſſo [f] Marmore fluvio haud longe ab Arzilla, ibi comparato ex Marocho metallo tormenta IV conflavit. Dein [g] Alcazarium verſus tendit: et, cum ad nundinas [h] Jovialeis, quas vulgo dicunt, IV Non. Quintil. veniſſet, obvium Hametem fratrem habuit, Feſſani regni praeſidem, cum XXII CIↃ equitum et V ſcloppetariorum millibus. Ibi Hametes ex equo deſcendit, et terram in obſequii ſignum deoſculatus ad fratris pedes procubuit. Tum poſt mutuas ſalutationes copiae progredi juſſae. Melicus, jam ante gravi ſebre, quam crebri vomitus conſecuti erant, tentatus, adhuc infirmus lectica vehebatur, nec proinde ſolita pompa hoſpitium ingredi potuit: quam ceremoniam Hameti tranſcripſit, eumque mox ſubſecutus eſt. Inde miſſi Mazagonem verſus bis mille equites, qui rebellaturos ab ea parte populos in officio continerent: totidem et Laraciam et [i] Agueri promontorium miſſi; qui, cognito Chriſtianos ad Arzillam caſtra muniviſſe, ſtatim ad Melicum reverſi ſunt. Melicus, quanquam ex morbo infirmus, quo erat intrepido ad cuncta animo, per exercitum edici jubet, ut, qui minus bene erga ſe affecti eſſent, iis liberum eſſet ad Mahametẽm continuo tranſire. Quod non tam contemptu hoſtis faciebat, quam quod vereretur, ne periculoſiore tempore in pugna ipſa deficientes victoriam, quam virtutis fiducia fretus ſperabat, ſibi eriperent: eoque conſilio III CIↃ equitum, ex iis, quos ſuſpectos habebat, ſeligit, et praecurrere in hoſtem jubet, commoditate iis conceſſa, ut, ſi vellent, tuto ad hoſtem transfugerent: quod ei contrario, quam rebatur, eventu in bonum vertit. Nam illi, qua mente id Melicus faceret, ignari, cum ſe contra hoſteis praemitti viderent, id ad fidei de ſe a Cherifio conceptae fiduciam referentẽs, qui de defectione antea cogitabant, ſtatim mutavere, et ſe maxime fidos toto illo rempore praebuere; paucique ad Mahametem tranſiere. Excurſionibus Maurorum primo territi noſtri, quanquam Mahametes, qui extra vallum hoſpitium habebat, rationis pugnandi eorum gnarus contrariis excurſionibus eos quantum poterat refraenaret; multique ad claſſem vicinam ſenſim ſe recipiebant. Tandem, cum IↃ ex Cherifianis propius incurriſſent, rex ipſe ad pugnam exivit, potius militis ex eo gloriam aucupatus, quam ſummi ducis nedum principis officio defunctus; repulſique Mauri et in fugam cum damno verſi ſunt. Interea Melicus trans Alcazarium ſe caſtris continebat, copias novas ex Tituano et [k] Mechina opperiens; quae ſub id advenere; ceterum de noſtrorum conſiliis incertus; quos, ſi terra ad ſe venirent, quod maxime exoptabat, antequam quidquam tentarent, continuo aggreſſurus erat, ultimum agmen carpendo et devitata ſemper univerſi proelii, niſi certa victoriae ſpes eſſet, alea: cum vero multum itineris proceſſiſſent, iis ad mare et claſſem reditum intercludere ſtatuerat,

et

INTERPR. [a] *Larache & Tetuan.* [b] *Maroc.* [c] *Suſa.* [d] *Radovan.* [e] *Andalouſie.* [f] *Marmor r.* [g] *Alcaçar.* [h] *la Fiera del Giovedi*, ce dit Coneſtagio. [i] *Cape de Aguer.* [k] *Mequinez.*

et ita cum omni rerum penuria conflictanteis ad internecionem citra certaminis periculum delere. Melici voto praeceps Sebaſtiani imprudentia reſpondit. [a] Laraciam per mare eundum prudentiores ſuadebant. Contra Alſonſus Portugallus Vimioſi comes, ſummus adulandi artifex, qui ob annonam male ante quadriennium in Africa adminiſtratam gratia exciderat, et ſciebat, ſi per terram iter ſuſciperetur, fore, ut eadem penuria brevi exercitus laboraret, ex eoque ipſius aemuli, quibus hujus rei cura demandata erat, in regis offenſionem incurrerent, eo magis regem incendebat, et ad decus ac famam pertinere demonſtrabat, ut, ſemel exſcenſione facta, potius terra Chriſtiani incederent, quam claſſem repeterent: nam, quod commoditate facerent, id fugae ab hoſte attributum iri. Contra Ludovicus Silva diſſerebat: et tuta ſpecioſis conſilia praeferenda cenſebat: per mare tutum eſſe iter et compendioſum, exſcenſumque facilem; per terram contra periculoſum, ubi nec de hoſte cognoſci, et longe a claſſe, ſi hoſtis a tergo incubuerit, ſummis difficultatibus miles ſit conflictaturus. Addebat, inter Laraciam, ſive olim Liſiam, et exercitum fluvium cognominem, hodie [b] Lucum, interjacere, in cujus ſiniſtra ripa oppidum ſitum eſt: itaque, non ſuppetente ponte aut navigiis, quibus fluvius tranſiri poſſit, fontem verſus intra terram longe a claſſe vadum quaerendum, relicta, quae ſecus litus ducit, via; et vero ſimile fieri, in tranſitu ſummam difficultatem futuram, diſpoſitis ab hoſte validis ſtationibus. Diſſidentibus Silvae et Vimioſi ſententiis, media propoſita eſt, ut per terram ad dextram ſed ſecus litus incederetur, carris ad laevam collocatis, ita ut eodem tempore, quo exercitus ad fluvii fauces perveniret, et claſſis, ſemper in conſpectu futura, illuc appelleret, cujus ope miles in ulteriorem ripam tranſportari queat. Verum rex ambitioſe vanus, qui a ſuis conſpici et patentibus campis vireis et robur corporis oſtentare gauderet, per terram iter facere elegit, multum repugnante Mahamete, et errores in bello corrigi non poſſe inclamante; qui, cum initio vereretur, ne Sebaſtianus auxilio veniens regnum receptum ſibi eriperet, tum vero confuſa ac perturbata omnia in exercitu cernens, de victoria omnino ac ſalute propria deſperare coepit. Igitur datum negotium Didaco Soſae, ut cum claſſe Laraciam peteret, ibique ſuos opperiretur. Rex Alcazarium verſus, ubi ponte fluvius tranſmittebatur, tendit; et primis caſtris III ab Arzilla leucis conſedit, alteriſque ad [c] Meneram hoſpitium habuit, ubi Franciſcus Aldana ad eum venit, galeam et paludamentum, quibus Carolus V olim indutus Tunetem victrici pompa ingreſſus fuerat, cum literis ab Albano adferens: quibus muneribus acceptis, ad inſaniam exultavit Sebaſtianus, pares triumphos ſibi in Feſſae et Marochi ingreſſu atque adeo totius [d] Africae imperium ſpondens.

IX. Ex Aldanae conſilio, qui, petita a Philippo venia, ut fidei ſuperiori anno datae ſatisfaceret, ſe veniſſe dicebat, poſtea hoſpitia magis caute ſumpta. Tertiis et quartis caſtris cum colleis, vulgo [e] Ardanae capita dictos, et [f] Barcainum emenſi eſſent, ſequenti die [g] Mucazenum fluvium, qui paulo inferius in Liſſum influit, vado tranſivere; et citra rivulum, qui ex paludibus circa Alcazarquibirum naſcitur, caſtra metari ſunt; cum interea Melicus, vaſis conclamatis, ad Alcazarium IV Non. Sextil. caſtra tranſtuliſſet, et poſtridie ad pontem, quem noſtri quaerebant, veniſſet: quo ſuperato, in littore proximo hoſpitium ſibi ſumpſit, de certamine nihil dum cogitans, quod via interpoſita collibus et crebris clivis diſtincta et proinde ad equitatum explicandum incommoda eſſet. Sed, cum Chriſtianos in propinquo eſſe cognoviſſet, jam ſerio rem agi ratus, quamvis deſperata jam ſalute eſſet, ac paucos dies ſuperfuturus crederetur, Hametem fratrem evocat; et, qua erat ingenii libertate ac fiducia, ipſum compellat; et, licet judicio ſuo indignum et imparem animis et virtute, cui tantum onus committeret, tamen, quia frater erat, equitatui univerſo praeficit, neceſſitate impoſita, ut cum

eo

INTERPR. [a] *Larache.* [b] *Luco.* [c] *Menera.* [d] *Barbarie.* [e] *Cabeça de Ardana.* [f] *Barcain.* [g] *Mucaçen r.*

eo pugnaret vinceretque aut moteretur, et, ſi quid igoavia peccaret, certam petoiciem, CIↃIↃLXXVIII.
vel fraternis manibus ſtrangulandus, a ſe exſpectaret. Ipſe tentorio eductus et lecticae HENRICUS III.
impoſitus ordines circuit, et primatii centurionis officio fungens acies inſtruit. In ejus exercitu erant III CIↃ Baetici, ex iis, qui ante octenninm Hiſpania pulſi in Africam navigaverant, ſcloppetarii ſtrenui, partim pedites partim equites, ducibus [a] Doario Algorio Granatenſi et [b] Oſarino Racuſino, totidem alii ſcloppetarii pedites, XXV CIↃ equitum et CIↃ circiter Turci equites; qui omnes Cherifii ſtipendiis merebant. Extra ordinem conſcripta X CIↃ equitum et VIII CIↃ peditum, complures item Arabes, qui ſponte militabant; ut univerſae copiae [1] XL CIↃ bellatorum efficerent. Extra ordioem lecto militi haud multum fidebat Melicus, neque item Arabibus natura levibus et ex motibus praedandi occaſionem captantibus. Ex ſtipeodiariis ad III CIↃ erant, uti jam dixi, ob occultum erga Mahametem favorem ipſi etiam ſuſpecta. [c] Mahametus Taba [d] ejeratos, et Halis Muſa ſtipatores corporis ducebant, quibus maxime fidebat Melicus. Ubi in conſpectum ventum, id incidit in Dominicam jam inclinante die, Solimanus hipparchus miſſus; qui noſtrorum exercitum propius contemplatus de conſilio ac ſtatu ejus ad Melicum certius referret. Ille vero Luſitanos, tranſmiſſo tivo, in citeriorem ripam, ut rivum medium haberent, tranſire conſpicatus, continuo ad herum redit, et fugere eos dixit. Qua voce ſparſa, vix miles in caſtris cootineri potuit, quin ad inſiſtendum fugientibus egrederetur. Verum Melicus, quamvis morti proximus, tamen mente ad extremum integra ac ſui compos, adhucque ſummi imperatoris in exercitu et nomeo retinens et munia obiens, impetum ſuorum inhibuit; et, a Mahameto Taba monitus multos ex ſuis ad defectionem ſpectare, et conſilia occulta in ejus perniciem inter eos agitari, multoſque ſcloppetarios ſine pilis et pulvere ad proelium egreſſuros, pronunciari praeconis voce jubet, ut, qui pilis et pulvere careant, ad curatorem exercitus veniant, et ex ſuo armamentario ſumant. Tum ſuperius edictum repetit; et, qui ſecum pugnare nolint, iis ad hoſteis qnam primum tranſeundi liberam poteſtatem facit. Et quanquam Mahametes aemulus, qui cum ooſtris erat, inſigniqne vexillo in Chriſtiani exercitus froote erecto, ſuae ſactionis homines quaſi hoc dato ſigno ad defectionem invitans, ſtaret, nemo fere ex Cherifianis ad eum tranſiit. Heic cum inter noſtros deliberaretur, quid facto opus eſſet, turbati omnium animi, confuſae quoque dicebantur ſententiae, rege, ut propiore periculo, plus ſolito intento, oeque tamen de obſtinata pugnandi pertinacia quidquam temitteote. Cum vero illi ipſi, qui ulterius ſemper per terram progrediendi auctores fuerant, retrocedendum et Laraciam verſus tendendum ſuaderent; contra, qui ab initio nihil temere tentandum ſuaſerant, pugnandi neceſſitate impoſita, pugnam fortiter capeſſeodam eum hortabantur; nam ſerum et periculoſum receptum eſſe; et in conſpectu hoſtis retro cedere perinde eſſe, atque ſi de tradita victoria cum hoſte transigeretur: in veſtigio conſiſtere et ſe vallo continere; id vero commeatus jamjam defecturi peouriam non pati: itaque unum ſupereſſe, ut periculum, in qnod ſe incogitantia induerint, praeſenti virtute diſcutiant; nec expectato dum ex diuturniore mora hoſti animos faciant, e re videri, ut potius in eum totis animis ac viribus incumbant. Contra pugnabat Mahametes: et, quamvis omnem reciperandi regni in proelii alea ſpem collocaret, de exitu male auguratus, ad manus ne deveniretur, precibus, obteſtatiooibus ac prenſationibus inſtabat. Sed, conſiliis, cum adhuc prudentiae locus eſſet, hactenus temere ſuſceptis, reſtabat, ut cuncta, ſuperſtante inevitabili male inchoati conatus diſcrimioe, caeca et ad certum exitum ruente audacia praecipitarentur. Nam, cum prudentiores, qui ab initio repugnaverant, ex neceſſitate conſilium capientes proelium ſuaderent; illi, qui temerarii

INTERPR. [a] *Dogali Algori de Grenade.* [b] *Oſarin de Raguſe.* [c] *Mahamet Taba.* [d] *les renegats.*
NOT. [1] Potius LX CIↃ.

rarii conſilii auctores fuerant, quanquam intra ſe culpam agnoſcentes, eam poenitentia emendare cuperent, tamen, ne ex poenitentia ignaviae inſimularentur, ſeſe ad pugnam fortiter capeſſendam paratos oſtendebant. Itaque magno concurſu a diſſidentibus antea ducibus in proelium conſenſum eſt, commeantibus nihilominus ſemper pacis internunciis; quam Melicus ob adverſam valetudinem, de rei exitu atque adeo imperii ſucceſſione veritus, hactenus magnopere expetiverat.

XI. IGITUR ſummo mane Sebaſtianus hoſpitio egreſſus copias in tria agmina diſtinguit, longa ſerie unum poſt alterum incedentia: in prima fronte erant Luſitani, qui ſponte militabant, duce Alvaro [a] Pereſio Tavora, Chriſtophori fratris legato; quibus ad laevam ſtabant Hiſpani, quos ducebat [b] Alfonſus Aquilarius, quos et proprii ſcloppetarii tegebant, duce Ludovico [c] Godio: ad dextram Germani, [d] Ambergo duce, incedebant; quos Itali, duce Hercule [e] Piſano, ſequebantur, et Luſitani ſcloppetarii ex [f] Tingitano praeſidio nuper evocati, tironibus in eorum locum ſuffectis: in proximo agmine erant Luſitani, quos Michael Norogna ducebat; quorum latera tegebant Vaſcus Silvera cum ſuis ſcloppetariis: ultimum agmen claudebat Didacus [g] Lupus Siguera cum ſua et Franciſci Tavorae, qui Arzillae ſubſiſtere juſſus erat, legione; quas CCC ſcloppetarii majores ſequebantur. Equitatus in duo agmina diſtributus erat, CIↃIↃ nec amplius armatis conſtans; et ad latera utrinque incedebat: quorum dextrum ducebat Averi dux: in ſiniſtro vexillum regium erat, Joannes Silva Philippi orator, Theodoſius [h] Barcelli dux adhuc puer: pone ſequebantur CCC circiter Afri equites, et Mauri exiguo admodum numero, quos Mahametes penes ſe habebat. Impedimenta inter equitatum et peditatum collocata erant, idoneo inter eos relicto ſpatio, ne tumultu forte exorto alteris in alteros incurrentibus ordines ſolverentur. Melicus, qui numero vincebat, longe alia ratione aciem inſtruxerat: et, cum antea conjurationem veritus duces mutaſſet, et gentes inter ſe inimicas miſcuiſſet, peditatum omnem lunari forma educit et longa ſerie porrigit. Baetici in primo ordine erant; dein ejerati; et poſtremo Afri, ita permiſti, ut homines ſibi invicem infeſti alteri alteros impellerent, nec recipiendi ſe commoditatem praeberent. Ad utrumque cornu duo agmina adjuncta erant, ſingula X CIↃ equitum. In ultima acie, ſpatio aliquo interjecto, reliquum equitatum diſpoſuerat Melicus in minuta agmina diviſum, jam pugnandi certus, cum antea, cognito Chriſtianos terreſtri itinere per regionem commeatu omni deſtitutam incedere, de iis mora delendis et in poteſtatem citra proelii aleam redigendis conſilium ſumpſiſſet: et, quo morti propior, eo certandi avidior, quod de fratris virtute diffideret, et, ſe mortuo, cunctos ad Mahametem transfugituros crederet. Itaque, inter dolores proximae mortis et poſteritatis ac imperii curam aliquandiu luctatus, tandem, priore conſilio licet tutiore omiſſo, cui exequendo fratrem imparem arbitrabatur, pugnae aleam tentare et ante mortem vel cum periculo imperium firmare ſtatuit; egregio generoſi ac praeſentis animi exemplo, qui, quod mora citra periculum facere decreverat, ad neceſſitatem accommodatis conſiliis, in ipſo mortis articulo pari fortitudine confecit, tam diligenter putatis vitae momentis, ut ſatis temporis habuerit ad res ita ordinandas, ne victoria ſibi et cum victoria regnum fratri ſucceſſori deſignato eriperetur.

XII. HIS rationibus confirmato animo, ſuos compellat: et pro religione, patria, uxoribus, liberis, pro aris ac focis certamen propoſitum oſtendit; cujus de eventu minime dubitare debeant, quippe cum numero vincant, et cauſa potiores ſint: eos, quos ante ſe videant, Luſitanos eſſe, quos ſaepius in fugam verterint, et ad internecionem deleverint: nec vero Germanos et Italos terribileis ſibi fingere debere, qui pauci

INTERPR. [a] *Perez de Tavora.* [b] *Alonſo d'Aguilar.* [c] *de Godel.* [d] *d'Amberg.* [e] *da Piſa.* [f] *de Tanger.* [g] *Lopez de Siguèira.* [h] *Barcellos.*

pauci ſint et fere tirones, et quorum vireis et fama minorem in bello virtutem ipſe ſaeplus ſit expertus: contra, ſe cauſae aequitate niti, quos homines domo profecti et alieni avidi, regno, patria, bonis, et quod his omnibus pretioſius eſt, libertate ſpoliaturi veniant: nam Mahametis in regnum reducendi, quam cauſam praetexunt Luſitani, palam eſſe cunctis, id ſimulate et ad velandam ambitionem dici; nec ipſum Mahametem, ſi ſacramento adigatur, id negaturum; quem ſibi nunc plus ab iis, quos ira caecus in [a] Africam evocavit, quam fortaſſe a nobis, ſi ea pietate eſt, qua erga religionem et patriam affectus eſſe debet, metuere verum ſit: proinde juſta arma contra graſſatores et impios invaſores induant, et Deum omnis iniquitatis ultorem procul dubio propitium ſibi ſpondeant: ſibi animos et vireis in hac aegritudine abunde ſufrecturas, ut alacritati ipſorum ad plenam et certam victoriam praeeat. Quibus dictis ingens ſuorum exortus clamor, quaſi in hoſtem duci petentium; et, deficiente ſpiritu, ipſe, qui ſummum imperium retinuerat, in lecticam conjectus eſt, dato negotio Hameti fratri, qui equitatui praeerat, ut porrectis lateribus lunari ſpecie noſtros undique clauderet, et denſatis tandem ordinibus a tergo et a fronte incumbens circumfunderet.

CIƆIƆLXXVIII.
HENRICUS III.

XIII. PRINCIPIUM pugnae a repetita utrinque tormentorum diſploſione haud gravi cum damno fuit. Quo facto, Sebaſtianus, veritus ne peditatus infeſta e longinquo verberatione tandem ſolveretur, ſuos progredi et ad manus venire jubet. In prima acie acriter pugnatum, ter repulſis cum damno Mauris, et Italis ac Hiſpanis gnaviter rem gerentibus: ſed in extremo agmine non eadem virtus noſtrorum fuit; ubi, impetu in Franciſci Tavorae, Didaci Lupi Siguerae, Vaſci Silverae et Michaelis Norognae copias facto, cum omni ex parte cingerentur, res inclinare coepit. Tum ſummiſſis in primam aciem, qui in caeſorum et feſſorum locum ſuccederent, reſtitutum ea parte certamen: moxque totis viribus equitatus hoſtilis undique incumbens in Averi et Mahametis equites impreſſionem fecit, quam illi ſumma virtute ſuſtinuerunt, Mauris initio in fugam conjectis: ſed, ſuperveniente recenti equitatu, dum Averus latus obliquat, in ſuos impulſus Germanorum proximorum ordines ſolvit; et, incumbentibus hoſtibus, dum receptum quaerit, aperto et calcato peditatu, cuncta ab ea parte permiſcuit. In [1] dextro latere, ubi regium vexillum erat, et ſtrenue pugnatum fuit, quanquam abſente rege, qui ordines circumiens in prima acie inter media diſcrimina verſabatur; ubi et bis mille amplius Mauros occubuiſſe proditum eſt, virtute Italorum et Hiſpanorum; qui ad extremum, cum novi ſemper auxiliares certamen reſtituerent, vincendo a majore numero victi ſunt, cunctique fere ad internecionem caeſi. Diverſa parte, ab equitatu Africano, quem Edvardus Meneſes ducebat, magnum Cherifianis damnum initio illatum: quos retro cedere indignatus Melicus, lectica egreſſus, in equum ſe ſubjicit, et, ira vireis ſufficiente, in medios perrupturus pergit, ut pudore praeſentia ſua injecto fugam ſuorum ſiſteret. Sed precibus a ſuis vix revocatus, et prae ira compreſſo ſpiritu, paene ex equo titubans cecidit; indeque in lecticam illatus, et adductis repagulis, ac prius monitis qui circa eum erant (tanta futuri cura Melico fuit) ut mortem ſuam celarent, admoto ori digito, animam efflavit: vir fortitudine, prudentia, aequitate, induſtria et liberalitate, et, qui in Africanis ingeniis rarus eſt, candore inſignis, et ab iis vitiis, quae deteſtanda licentia inter ſectae illius homines regnant, alieniſſimus, et alioqui, ſi belli cauſam demas, Chriſtianis non ita infeſtus. [a] De [b] Carolo Borbonio noſtrate ſimile memorant; qui in ultima Romae expugnatione ex lethali vulnere expirans ſuis ſtudioſe mandaverat, ut corpus ſuum tegerent, ne militis jam per ruinam ſcandentis alacritas mortis ſuae notitia retardaretur.

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Carolo Borbonio deſunt D. f. d.*
INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *le conneſtable de Bourbon.*
NOT. [1] Dele *dextro*: lege *ſiniſtro*. Vide paginam praecedentem. *Put.*

tur. Arabes, qui Melico, militabant, genus hominum inſtabile, diffugientibus ad primum conflictum Cherifianis, protinus ad praedam revoluti, et, impedimentis regis direptis, huc illuc palantes ad Feſſae uſque portas excurrerunt, ſparſa fama, quaſi, Melico rege extincto, debellatum eſſet: quod, ab inimicis, licet ignaris, artificioſe evulgatum, minime in caſtris creditum fuit; ubi interim undiqoe circumventi noſtri quaſi totidem pecudes a Mauris, miſerando prorſus ſpectaculo, inter carros, equos, ſuorum occurſus, aeſtu, labore et ictibus pereuntes promiſcue caedebantur, ex tanto ſpatio, quod initio uterque ordinatus exercitus complectebatur, quaſi in globum contractis univerſis copiis. Tum tormenta capta, cum nullam non operam in defendendis illis navaſſent Petrus Meſquita, Alexander Moreda et Vaſcus [a] Gama Vediguetra; qui cum Martino [b] Burgundo Ambergo Germanorum duce in eo conflictu deſiderati ſunt. [a] Periit et cum iis [c] Stucleius; honeſtiore foediſſimae vitae, quam fere in luſtris et alea exegerat, ſicuti Angli ſcribunt, clauſula; ſuaque morte tantopere a pontifice et Philippo exoptatae in Hiberniam expeditioni remoram attulit. [d] Averi dux, et Joannes Silva, Franciſcus Aldana, cum fruſtra tormenta amiſſa recipere tentaſſent, cum paucis equitibus, qua poſſunt, certamen reſtituunt, diverſo ſucceſſu. Verum Arabum cum clamoribus horridis ſuperveniente globo ad extremum diſſipati ſunt. Ipſe Averi dux, in genu ictus cum ex equo cecidiſſet, multis vulneribus confoſſus eſt; cum eoque Fr. Aldana, Alfonſus [e] Aquilarius, Martinus [f] Caſtroblancus, et Georgius Silva jam ſeptuagenarius. Alfonſus Perеſius Tavora captus, ut Arabum furorem cunctos immani feritate trucidantium evaderet, ex conſilio cujuſdam Mauri, qui eum ſalvum volebat, ſe regem eſſe finxit, et ad Melici jam mortui lecticam deductus, cum miniſtri, qui circa erant, eam aperiri non ſinerent, ne mors Cherifii evulgaretur, hoc artificio ſepoſitus ac ſervatus eſt: quod fortaſſe Sebaſtiani in ea pugna capti neqoe occiſi famae diu poſtea ſparſae, neque dum, cum haec ſcribo, omnino extinctae, occaſionem praebuit. Joannes Silva leviter ictus, et captus; nec non Antonius [g] Crati prior, et Edvardus Meneſes caſtrorum praefectus. Inde, ſolutis ab ea parte ordinibus, Mauri perrumpunt, et ſtrictis gladiis magnam lanienam edunt. Multi capti: plures occiſi. Qui manus Maurorum evaſerunt, ignari locorum, dum vadum in [h] Mucazeno in receſſu aeſtus nuper tranſmiſſo, qui tum forte accedente mari intumuerat, quaerunt, cuncti fere aquis hauſti ſunt.

XIV. IN dextro cornu rex ſuperabat cum Vimioſo comite et Chriſtophoro Tavora; qui, initio ſummi imperatoris partibus functus, tunc fruſtra ſtrenui militis munus obibat, nunc in primam aciem, nunc in poſtremam excurrens, et, ubi magis laborabatur, auxilia, quae poterat, ſummittens, et plerumque inter medios hoſteis viam ſibi ferro aperiens, ſtupentibus barbaris, et in magno principe tantam pugnandi peritiam ac robur mirantibus. Cum jam treis equos inter certandum ictibus ſuffoſſos amiſiſſet, ad extremum, occiſo eo qui regium vexillum geſtabat, cum, qoa parte rex pugnaret, ſoi ignorarent, multique aliud huic ſimile vexillum, quod Edvardo Meneſae praeferebatur, errore decepti ſequerentur, tandem ab omnibus deſeritur: cumqoe a Mauris vitam ſalvam ſpondentibus, ut ſe dederet, rogaretur, ille indignatus viciſſim rogavit, ecquid ſalvum decus praeſtare poſſent. Tum in medios cum Vimioſo, Tavora et [i] Nonio Maſcaregna perrumpit inaudita virtute obvios quoſque caedens: dein, rogante Tavora, ot ſibi arma traderet, ne ea barbaris tradere cogeretur, id negavit; addens, reges non niſi cum vita libertatem amittere debere. Heic Vimioſus ante eum pugnans, eum omnem in ſe hoſtium impetum a rege avertiſſet, poſt obſtinatum

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur de Stucleio deſunt* D. f. d.
INTERPR. [a] *de Gama, Comte de Vidiguerra.* [b] *de Bourgogne, ſieur d'Amberg.* [c] *Stukely.* [d] *de Alencaſtro, Duc d'Aveiro.* [e] *de Aguilar.* [f] *de Caſtelblanco.* [g] *Crato.* [h] *Mucaçen.* [i] *Nunno de Maſcarennas.*

ſtinatum certamen interfectus eſt; moxque Tavora, qui ſupererat, et ipſe eandem fortunam pro principe ſuo ſubiit. Tandem Sebaſtianus, cum vires pugna diuturna feſſum deficerent, et languidos ictus dirigentem cuncti impune circunſtarent, captus, et erepto enſe et galea, omnino exarmatus eſt: exortaque de tanto captivo inter Mauros rixa, cum ſe ad mutuam perniciem ob id petituri viderentur, multique jam confecti vulneribus in turba cecidiſſent, ſuperveniens centurio Mauros increpat, quaſi ex tanta victoria fructum cum captantes, ut ſe mutua peſte conficerent; atque, ut finem rixae imponeret, ſtricto gladio regem captivum in capite graviter ſauciavit, ita ut ex eo ſemianimis in terram caderet; ſtatimque repetitis vulneribus in terra jacens confoſſus eſt, praeſente Nonio Maſcaregna, penes quem unum rei fides fuit. Hic exitus infelicis Sebaſtiani fuit, eo lamentabiliori morte extincti, quod ea in aetate florenti, cum indole vera regia magnam de ſe omnium expectationem concitaſſet, incerta regni ſucceſſione contigerit, et corpus ejus poſt mortem quaſi captivum in hoſtium poteſtate remanſerit. Magnae in eo virtutes fuerunt: nihilque ei ad ſummum praeſtantiſſimi principis exemplum defuit, praeter moderationem animi, quae juvenili vigore in eo matureſcente cum aetate ſperari potuit. Sed prava educatio excellenteis illius virtutes a natura inſitas corrupit; et, cum ad veram ac ſolidam gloriam tendere debuiſſet, ejus umbram ſectatus ac vanis rerum deluſus, ſpes ſupra ſortem, conſilia ſupra aetatem, et expeditionem ſupra vireis ſuſcepit; qua poſtremo ſe regnumque florentiſſimum in exitium lachrimoſo fine praecipitavit.

CIƆIƆLXXVIII.
HENRICUS III.

XV. MORTUO rege, cum Mahametes Arzillam tendens ſe fuga periculo eriperet, fruſtra à Mauro quodam revocatus, qui Melicum mortuum renunciabat, in [a] Mucazeni vado nimia feſtinatione ſubmerſus eſt: et ita tres reges uno proelio deſiderati ſunt, morbo, ferro, et aqua extincti. Eo praeterea tota fere Luſitaniae nobilitas in Maurorum manus devenit, interfectis, praeter eos quos memoravi; Lud. [b] Cutigno Rotundi, Alfonſo [c] Norogna Miraei comitibus, Jo. [d] Lobo Alviti regulo, [e] Alvaro Melo Ferreriae marchionis filio, [f] Roderico Melo Tentiguelis comitis filio, [g] Jacobo Bracantiae ducis fratre, Joanne [h] Silvera comitis [i] Sortellae filio; adeo ut pleraeque familiae omnino extinctae ſint. Periere praeterea Arias [k] Silva Portus, et Manuel [l] Meneſes Conimbricae, epiſcopi. Bis mille ex hoſtibus in primo conflictu perierunt: et, ſi quidem primum illum ſucceſſum noſtri urſiſſent, et, qui in media acie erant primae laboranti in tempore ſuccurriſſent, quod contrarium imperium cauſati minime fecere, multorum opinio fuit, longe diverſum pugnae exitum ſecuturum fuiſſe. Ex Chriſtianis pauci admodum elapſi ſunt: ex iiſque VIII CIƆ occiſi, totidem capti.

XVI. HAMETES poſt pugnam, adhuc mortis Melici ignarus, protinus ad lecticam accurrit, fratri de victoria gratulaturus; cognitoque eum vixiſſe, in cadaver involat, lachrimiſque ſupra corpus ubertim profuſis, de imperii inſignibus ſumendis mox cogitare coepit, quippe patris teſtamento ad regnum ordine poſt fratres vocatus, excluſis illorum filiis. Igitur, accerſitis ad ſe praefectis, Alcaidas vulgo vocant, eos in fidem adegit. Tum tentorio pompa militari egreſſus, praecedentibus captivis, per exercitum diu ſpatiatus eſt, a cunctis imperator, Marochi et Feſſae rex ac Dei ſervus obediens laetis acclamationibus ſalutatus. Inde in tentorium redit, et in ſolio ſedens manum deoſculandam aſtantibus praebuit. Haec ſtatim poſt pugnam, quae prid. Non. Sextil. die Lunae commiſſa eſt, acta. Poſtridie Hametes edictum proponit, ut

captivos

INTERPR. [a] *Mucaçen.* [b] *de Coutinno, comte de Redondo.* [c] *de Noronna, comte de Mira.* [d] *de Lobo, baron de Alvito.* [e] *Alvaro de Mello-Portugal,* III *du nom, petit fils de Roderic marquis de Ferreira.* [f] *Roderic de Mello-Portugal, fils de François comte de Tentuguel.* [g] *Jacques de Portugal, frere du duc de Bragance.* [h] *de Silveira.* [i] *Sortella.* [k] *de Silva, evêque de Porto.* [l] *de Meneſes, evêque de Coimbra.*

CIↃIↃLXXVIII.
HENRICUS III.

captivos dignationis alicujus, quos quiſque haberet, ante regem ſiſteret, poena capitis in non parenteis ſancita. Primus productus [a] Barcelli dux octennis puer, ducis Bracantiae filius, ut erat annulata tunica armatus, quem Cheriſius perhumane excepit, jocoſe percontatus, an Mauros occiſurus veniſſet. Dein alii a Mauris adducti; cum quibus Cheriſius per interpretem, hominem Luſitanum, colloquebatur. Cum de Sebaſtiano ambigeretur, [b] Nonius Maſcaregna et ipſe captivus rem, ut ſe habebat, enarravit. Nec multo poſt, magnis clamoribus circa regium tentorium ſublatis, cum plerique ad tumultum egreſſi eſſent, allatum eſt ab equite Mauro regis cadaver vili equo impoſitum, quod vel miſerabili utique ſpectaculo Hameti ipſi inſigne rerum humanarum inconſtantiae exemplum in eo reputanti lachrimas excivit. Dein illud diligenter inſpectum; et, Sebaſtiano [c] Reſendio antea ad indagandum corpus miſſo, poſtea a Melchiore [d] Amaralio, a [e] Conſtantino Bracantino, Ferdinando [f] Caſtrenſi Baſtii, Edvardo Meneſe [g] Tarocae, comitibus, Michaele Norogna et ipſo Maſcaregna agnitum eſt. De eo redimendo cum Meneſe dein actum. Cum ab interprete Luſitano propoſitum eſſet, ut captivi Mauri libertati reſtituerentur, et loca, quae Luſitani in Africa tenent, redderentur, Meneſes vero id citra regii concilii decretum fieri non poſſe reſpondiſſet, Hametes, ſive conditionum in arcano auctor, ſive eo inſcio propoſitae eſſent, re cognita, palam proteſtatus eſt, non ſe eum eſſe regem, qui ex cadaveribus pretium acciperet: de cetero ſibi abunde virium eſſe, ut a Luſitanis, quos in acie viciſſet, loca, quae in Africa tenerent, vi et armis reciperet.

XVII. POSTEA, cum ex Mauro illo, qui Mahametem in Mucazeno ſubmerſum ſecutus et eum fruſtra revocare conatus fuerat, cognitum eſſet de heri morte, corpus, recedente aeſtu, inde extractum et ad Hametem allatum eſt: quo agnito, confeſtim Turcis aliquot datum negotium, ut mortuo pellem detraherent; quam ſalitam et palea impletam Cheriſius per utramque Mauritaniam circumferendam mandavit, ut mortuum eum omnes ſcirent: quo vivo, plerique res novas illis regionibus molituri credebantur. Secundum captivos, parta de Luſitanis, quaſi ad ludos et feſta ſpectacula veniſſent, longe pretioſiſſima praeda; qua onuſti Mauri huc illuc dilabi coepere. Quapropter veritus Hametes, ne, ſe diutius abſente, Feſſae et Marochi ex rumuſculis, ut ſunt ingenia illa levia ad defectiones prona, rebus nondum bene firmatis, quidam pernicioſi tumultus exorirentur, conſilium de locis, quae Luſitani in Africae faucibus tenebant, recipiendis, quod, praeſidiariis tanti caſus terrore perculſis, facillimum et opportunum videbatur, omiſit; poſtque dierum V in campis [h] Tamitenſibus, ubi pugna commiſſa eſt, moram, retro domum proficiſci ſtatuit. Et, quia a Baeticis ſibi metuebat, quos ad defectionem ſolicitari a Doali duce ipſorum intellexerat, eum et ſequaces comprehenſos ſtatim ſecuri percuſſit. Inde Feſſae, dein Marochi magnifica pompa exceptus militi donativum diſtribuit, et civeis in fidem accepit. Ibi ab Andrea Gaſpare Corſo, qui in Melici fratris gratia principem locum tenuerat, monitus, Philippum primis regni initiis ſibi in primis conciliandum, et, ſi quidem corpus Sebaſtiani et captivos majoris dignationis ei reſtitueret, non mediocrem ab eo gratiam initurum, Hametes homo prudens et alioqui natura meticuloſus legationem ad Philippum decernit; cujus ſumma erat, ut foederis cum Melico initi renovationem peteret, et corpus Sebaſtiani ac Joannem Silvam oratorem ſuum captivum ſe redditurum promitteret. Poſt gratias actas, Philippus de foedere et oratore ſuo conditionem accepit, et, ut Sebaſtiani corpus Luſitanis redderetur, rogavit: in eamque rem miſſus Franciſcus Zunica; quo honorifice a Cheriſio excepto, ſtatim datum

INTERPR. [a] *Barcellos.* [b] *Nunno de Maſcarennas.* [c] *de Reſendi.* [d] *de Amaral.* [e] *Conſtantin de Portugal de la maiſon de Bragance.* [f] *de Caſtro, comte de Obaſto.* [g] *Taroca.* [h] *plaine de Tamita.*

datum negotium Gaſpari Corſo tam prudentis conſilii auctori, ut corpus Sebaſtiani [a] Septam tranſportandum curaret. Is Alcazarium cum mandatis profectus, et, accepto a loci praefecto corpore, Septam profectus, illud in manus Dionyſii [b] Pererae loci praefecti et [c] Roderici Meneſiae conſignavit IV Eid. Dec. publico ea de re inſtrumento confecto; cui tanquam teſtes ſubſcripſerunt [d] Rochus eremita ordinis S. Spiritus, [e] Edvardus Caſtro-blancus, Michael Norogna, Georgius Meneſes et [f] Ludovicus Caeſarius. Eam gratiam dein Philippus, miſſo Petro [g] Vanega Cordubenſi ad Cherifium, qui rès ſuas apud eum procuraret, regia magnificentia remuneravit; et ingentis pretii gemmis oblatis ducis [h] Barcelli libertatem ab eo impetravit.

XVIII. Post cladem nondum de ea ac multo minus de regis morte certus [i] Didacus Soſa, claſſis praefectus, et ad regem Laraciae expectandum praemiſſus, conſilium de Laracia expugnanda ceperat. Verum literis a Petro Meſquita Arzillae praefecto revocatus eſt; qui de ſucceſſu quidem eum monnerat, ſed falſo addiderat, Sebaſtianum poſt rem male geſtam in itinere eſſe, ut ad Arzillam cum reliquis e ſtrage copiis ſe reciperet: proinde eo cum claſſe ad eum excipiendum quam primum veniret. Itaque ille, oppugnatione omiſſa, litus legens, ſi quos ex claſſe ſuperſtites nanciſci poſſet, poſtquam [k] Tingitanam oram circumnavigavit, poſtremo Oliſſiponam reverſus eſt, ubi decimo poſt pugnam, nec citius, die cladis nuncius ad quatuorviros allatus eſt, aliquandiu ab iis ſuppreſſus, dum de re omni Henricum cardinalem, qui ad [l] Alcobaſſae coenobium vitae aulicae pertaeſus ſe contulerat, certiorem facerent; ad quem mox Georgium [m] Serranum Jeſuitam clam ablegant, eum orantes, ut quam primum ad urbem veniret, et regnnm infelici Sebaſtiani ſucceſſione delatum capeſſeret. Miſſi interim, qui aditus inſiderent, et nuncios omneis ex Africa venienteis ſiſterent, ne quid ante Henrici adventum ad vulgus emanaret. Cum vero nuncium ad quatuorviros veniſſe conſtaret, eoſque ab eo tempore anxie et ſolicite plus ſolito in re publica verſari, inde praeſagis mali animis per urbem moeſta ubique facies apparere, triſti ſilentio defixis omnium oculis pariter et mentibus; quippe quorum affectus, charitates, bona in eo ſucceſſu verterentur: nam uxores maritos, patres filios, adfineis et neceſſarios ſuos quiſque in eo exercitu fere habebant: etiam exteri mercatores non mediocriter animi angebantur, et ipſi, pecunia pleriſque mutuo data, de eventu ſolliciti; ita ut caſus iſte omninm in urbe animos et fortunas involveret. Eodem tempore nuncius rei ſecretus ad Philippum pet Petrum Alcaſovam, unum ex quatuorviris, ut creditur, pervolavit; qui, cum animo provideret, fore, ut Henrico paucorum annorum regi Philippus ſucceſſurus eſſet, quippe gradu proximus, jam tum eo officio homo ambitioſus gratiam ejus aucupari ſatagebat. Itaque et ſtatim a Philippo miſſus ad Henricum Chriſtophorus Mora Luſitanus, qui cum Joanna Sebaſtiani matre, Philippi ſorore, in aulam venerat, et in ea praecipuum locum tenebat; in ſpeciem, ut cum novo rege ſucceſſum lamentabilem deploraret, eique amicitiam ſuam officioſe deferret: re vera, nt ejus de ſucceſſore animum et procerum regni voluntates periclitaretur. Interea Henricus ad urbem funeſtam venit, contra regnum ineuntium morem, ſumpto in Bracantiae ducis magiſtri equitum aedibus hoſpitio. Tum quatuorviris publica ſe adminiſtratione in ejus manus abdicantibus, ille initio recuſavit: mox ut certius de Sebaſtiani morte conſtitit, ritu ſolemni tribus ſcutis atris ad trium templorum valvas fractis, quae qui geſtant, prius totam urbem luſtrant, deplorandam Sebaſtiani mortem obviis denunciantes, V Kal. Sept. magna pompa in [n] Hoſpitalis templo mulo vectus venit, praeeunte Bracantiae duce regni equitum magiſtro,

INTERPR. [a] *Ceuta.* [b] *de Pereira.* [c] *Rodrigo de Meneſes.* [d] *Fra. Roche de la Orden del Eſpiritu Santo.* [e] *Don Duarte de Caſtel blanco.* [f] *Don Luis Ceſſar.* [g] *de Vanegas de Cordoua.* [h] *Barcellos.* [i] *Diego de Souſa.* [k] *la coſte de Fez & Maroc.* [l] *Alcobaſſa.* [m] *Serrano.* [n] *Eſpital Real.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III. magiſtro, et gladium ſtrictum praeferente: et, accepto a Franciſco [a] Sada uno ex quatuorviris ſceptro, poſt peractas ceremonias eadem, qua venerat, pompa, ſemper ſceptrum manu tenens, in Palatium reductus eſt, tympanis aeneis et tubis ubique perſonantibus. Cum antea Chriſtophorus Mora a Philippo veniſſet, oon prius ipſum admittere voluit, quam regno inauguratus fuit, et, interpoſita fide de ſervandis ordinum regni libertatibus, privilegiis et immunitatibus, viciſſim accepto procerum jurejurando, cunctos in fidem adegit. His actis, proxima cura fuit de reipublicae ordinatione: quam homo, rebus agendis impar et religioſae vitae potius quam regiis virtutibus innutritus, licet aliquanto tempore, rege puero, adminiſtraſſet, alieno potius quam ſuo arbitrio, dum vixit, geſſit, populis ſuis haud ita charus, qui, dum mortuum lugent, in quo ſpes propagandi in familia imperii intermortua videbatur, et vivum brevi victurum ſpernebant, et, eo defuncto, ant in externam familiam regnum transferri, aut bellis inteſtinis patriam divexari, oeceſſe eſſe providebant. De captivis redimendis ante omnia cogitatum: dein oovus rex cum ad animum revocaret, quoſdam ex Sebaſtiani miniſtris, poſt abdicatam a ſe regni tutelam, contemptu ſibl aut aliquo facto injuriam intuliſſe, ultionis impotentia abreptus, quod tanti faſtigii virum et in illa aetate conſtitutum minus decebat, multos depoſuit, aliis in depoſitorum locum haud melioribus ſuffectis. Sed praecipue in Alcaſovam, a quo ſe ſuperbe ſpretum, recenti adhuc etiam poſt adeptum regnum illius injuriae ſenſu, dolebat, regiae irae tempeſtas incubuit; quem dignitatibus ac penſionibus exutum ab aula relegavit. Color quaeſitus, ne potius privatae injuriae ulciſcendae quam reipublicae cauſa id factum videretur, quod auctor Sebaſtiano in Africam tranſmittendi fuiſſet, et praecipitem juvenem, ſpretis aviae patrui et procerum conſiliis, ad exitium impuliſſet, ac perperam in apparatibus bellicis verſatus eſſet.

XIX. CUM vero regis orbitas et effoeta ejus aetas ac valetudo improſpera brevi regnum vacaturum minarentur, qui illud ambiebant jam tum quaſi candidati in medium prodire, proceres regni ac populi gratiam prenſare, et, vivo ipſo Henrico, veluti hereditatem ejus cernere. Prioceps eotum Philippus fuit, ex Iſabella Henrici ſorore et Emmanuelis majore natu filia natus: dein Philibertus Emmanuel dux Sabaudiae, ex Beatrice altera Emmanuelis filia et ipſe natus: praeterea Ranutius Farneſius, Alexandri filius, Octavii Parmenſium docis nepos, qoi ex Maria, Edvardi itidem Henrici fratris filia, prognatus erat; et Catharina altera Edvardi filia, quae Joanni Bracantiae duci nupſerat. Et Catharina quidem Ranutium, Maria matre ante annum defuncta, tanquam proximior, licet natu minor, excludere videbatur. Reſtabat certamen inter Philippum et Catharinam, pari gradu Henricum contingenteis: Catharina, tanquam Edvardi maſculi filia, qui Iſabellam Philippi parentem procul dubio excluſiſſet, Philippo praeferri debere contendebat: contra ille, Edvardo ſemel mortuo, ejus rationem nullam habendam dicebat; ſed tantum gradum inſpiciendum, in quo maſculus foeminam excludit. Haec ita primum propoſita: dein a celeberrimis Italiae et Hiſpaniae juriſconſultis, etiam publicatis ſcriptis, [b] Bononiae et aliis locis agitata ſunt. Inter competitores et Antonius jam tum apparebat; qui ſe Ludovici Henrici fratris filium jactabat. Et conſtabat, Ludovici filium eſſe; ſed ex contubernio [α] Iolandae natum. Is tamen, quamvis Henrico ſumme inviſus, populi favore ſublevabatur. Iis omnibus poſtea acceſſit Catherina regum noſtrorum parens, vaſti animi foemina; cui, ut erat futuri anxia, cum a mathematicis praedictum eſſet, ut jam alias dixi, fore, ut omneis filios reges videret, illa diuturnae vitae poenam verita,

VAR. LECT. [α] Iolandae, quam quidam Judaeam fuiſſe dixerunt, non ex legitimo matrimonio natum. *D. f. d.*

INTERPR. [a] *de Saa.* [b] *Bologna.*

verita, ne filios triſti ſucceſſione alterum poſt alterum in eodem regno reges aſpicere CIϽIϽLXXVIII.
cogeretur, ut oraculum eluderet, externa regna ac principatus in dies ſomniabat, et HENRICUS III.
ad omneis caſus intenta eorum ambiendorum nullam occaſionem praetermittebat.
Itaque, cum provideret, ut, mortuo Henrico jam dubiae valetudinis ſene, regni Luſi-
tani ſucceſſio a multis controverteretur, et ipſa intervenire voluit, repetito altius,
neque citra invidiam, jure ſuo. Sic enim ejus oratores diſputabant. Sanctio II tanquam
rebus agendis impari a regni gubernaculis remoto, et ſumma rerum Alphonſo ejus
fratri, qui ex Mathilde Bononienſi, a qua Catharina genus ducebat, filios ſuſceperat,
commiſſa, illum non ſolum regni adminiſtrationem ſumpſiſſe, ſed etiam annuente
Innocentio IV pontifice fraternum regnum invaſiſſe circa annum CIϽ CC XLVII; in
quo ut potentiam firmaret, prioris conjugis, quam in Gallia reliquerat, pertaeſum,
Beatricem Alfonſi X regis Caſtellae filiam altera viva ſuperinduxiſſe, et Dionyſium
atque alios ex ea liberos ſuſcepiſſe, qui proinde illegitimi ab eo tempore in regno ſuc-
ceſſerunt, et per Joannem I et ipſum Petri I filium ſpurium, qui regnum circa an-
num CIϽCCCXXCIII invaſit, ad Henricum uſque propagati ſunt: et, quia temporis
longinquitas obſtabat, et praeſcriptio merito objici poterat, illi in poſſeſſionibus vio-
lentis nullo tempore praeſcribi contendebant; et ſaltem petebant, ut, quando eo res
rediiſſet, ut, cunctis maſculis deficientibus, res quaſi ad electionem rediret, ſui ut anti-
quiſſimum in eo regno jus habentis ratio haberetur. Pontifex et ſuas partes interpone-
bat, Portugalliae regnum Romanae ſedis beneficiarium dictitans, ac proinde regis in eo
conſtituendi jus ſibi vindicans: quod tanquam ridiculum prorſus ab omnibus aeque
habitum, et a Philippo ipſo poſtea omnino exploſum eſt: quorum omnium petiti-
ones et importunas prenſationes qui circa Henricum erant ut eluderent, de ipſo Hen-
rico maritando ſermonem injecerunt; facilem quippe impetratu a pontifice ejus rei
gratiam eſſe, nec exemplis carere, ut regni in familia conſervandi et publici boni
cauſa cum ſacris initiato diſpenſaretur. Id etſi abſurdum multis videbatur in ſene
adeo valetudinario, neque de matrimonio ullo modo cogitante, tamen aliquanto
tempore ambitum petitorum retardavit, donec Philippus Petrum [a] Gironem Oſſunae
ducem ad Henricum cum [b] Gardiola juriſconſulto legavit, qui de ſuo in regni illius
ſucceſſione jure cum eo agerent. Huic muneri obeundo primum propoſiti fuerant
Gaſpar [c] Quiroga archiepiſcopus Toletanus nuper in collegium cardinalium coop-
tatus, et Franciſcus [d] Paceeus itidem cardinalis; ſed eo minus idonei viſi, ne, cum
cardinales eſſent, non tam de jure Philippi acturi, quam de praerogativa cum Hen-
rico cardinali certaturi, viderentur. Injecta et fuerat de Ferdinando Alvaro Toletano
[e] Albae duce mentio. Verum is et Luſitanis parum gratus habebatur: et recenti infor-
tunio a Philippi gratia exciderat ex ea occaſione. Fridericus ejus filius, bello in Bel-
gio ſub parente patrato non tam clarus, quam caedibus et lanienis, quae nomen
Hiſpanum inviſum Belgis aeternum reddiderunt, infamis, data fide de quadam no-
bili virgine e gynaeceo Eliſabethae tertiae Philippi uxoris in uxorem ducenda, eam
ſtupraverat, ob idque in carcerem [f] Tordeſillae conjectus inde evaſerat, et, conſcio
parente Albae, Mariam Garſiae Toletani nuper Neapoli mortui filiam uxorem dux-
erat. Qua re irritatus ſupra modum Philippus, ut ſpretam majeſtatem ſuam ulciſ-
ceretur, Albanum Uzedam ad vitam quaſi deportaverat. Itaque commendatione
P. [g] Faſſardi, Velezii marchionis, qui auctoritate plurimum apud Philippum poterat,
ei et Antonio Toletano gentili, multis legationibus prudentia et pari felicitate obitis
inſigni, dux Oſſunae, ipſi Faſſardo cognatione proximus, praelatus eſt. Is igitur
cum Gardiola in Luſitaniam profectus, cum cognoviſſet Henricum magis in Joannem

Bracantiae

INTERPR. [a] *de Giron, duc d'Oſſune.* [b] *el licenciado Guardiola.* [c] *Quiroga, archevêque de Tolede.* [d] *Pacheco* [e] *le duc d'Albe.* [f] *Tordeſillas.* [g] *Fajardo, marquis de los Velez.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III.

[a] Bracantiae ducem, qui Catharinam Edvardi fratris filiam in matrimonio habebat, ut cauſa potiorem, propendere, per Jeſuitas, qui plurimum apud eum poterant, ipſum ſolicitat, et contrariis rationibus jus Philippi potius eſſe demonſtrat: tum addit, Philippo infeſto, Bracantiae ducem tantae moli ſuſtinendae imparem futurum; et, excitato de ſucceſſione bello, fore, ut tantarum navigationum et tot annorum in propaganda per Indias Chriſtiana religione inſumptorum fructus brevi tempore amittatur. Quae rationes non mediocriter labefactarunt primum Henrici alioqui meticuloſi propoſitum; eoque magis, quod videret, ipſum Bracantiae ducem eodem tempore, per Philippi procuratores inde minis territum, inde promiſſis ingentibus ineſcatum, ſi ejus voto non adverſaretur, in eo negotio tepidius verſari; quippe qui ſuae infirmitatis ſibi conſcius plus in potentiſſimi regis gratia quam in dubia proprii juris perſecutione praeſidii poneret. Ita praecipuo competitore, cui fere tota Luſitana nobilitas favebat, in ordinem redacto, reſtabat, ut Philippus ſibi plebem [b] Oliſſiponenſem devinciret: ad quam ille praecipitato conſilio mox dedit literas; quibus deplorato Sebaſtiani, quem ab ea expeditione ſemper antea, ut ipſi ſciant, nunciis, literis, et coram Guadalupae deterruerit, et tot procerum cum eo occiſorum caſu, eos benevoli erga rempublicam animi ſui certiores faciebat, et a ſe omnia ſincera, non ſolum amici et vicini principis, ſed toties renovata cognatione cum Luſitanis principibus conjunctiſſimi, et in ea voluntate ab auguſta parente educati, officia exſpectare jubebat: ceterum de jure ſuo in Portugalliae regni ſucceſſione, ut Henricum avunculum nuper honorifice commonefecerit, ſic ad ipſos voluiſſe ſcribere; quod omnium juriſperitorum et religioſorum conſenſu extra controverſiam ſit, cum ipſe ſimul gradu proximus et maſculus ceteros ut gradu remotiores aut per foeminas ad ſucceſſionem venienteis excludat: igitur petere, ut eadem aequitate, qua Henricum facturum ſperet, cauſae ſuae jus in tempore complectantur; et exemplo ſuo ceteris regni urbibus praeeant, ad eaſque de hoc negotio perſcribant. Iis literis, quod praemature ſcriptae viderentur, immane quam commoti ſunt non ſolum Oliſſiponenſes, ad externi et Caſtellenſis principis dominatum cohorreſcentes, ſed praecipue per Luſitaniam plebs ob antiquas cum vicinis Caſtellenſibus ſimultates. Itaque, nullo dato ad Philippum reſponſo, habita in Camera, quam vocant, Oliſſiponenſi deliberatione, cui duo ex plebeio ordine interſunt, apud Henricum inſtant, ut ipſe ſucceſſorem indigenam ſecundum regni leges nominaret: in eamque rem, ut omnem ex animo meticuloſi ſenis ſcrupulum eximerent, XXCIƆ armatorum, qui ipſorum ſumptibus regi militarent, magna fiducia offerunt, ſi qui forte eſſent, qui charitatis patriae obliti et Luſitani nominis minus ſtudioſi regi contradicere et nefanda proditione externos in regnum per vim inducere auderent.

XX. PAULO ante Philippo deceſſerat Ferdinandus ex Anna Mariae auguſtae ſororis filia ſuſceptus, cui regnum Luſitanum parabatur; cujus deſiderium lenivit eodem anno alter filius, patri, alioqui pro ſolatio in tanto dolore negotia accipienti, natus V Kal. Maias, a Wenceſlao Rodolphi Caeſaris et uxoris fratre, qui in Hiſpaniam venerat, ut apud avunculum ſuum educaretur, de ſacro lavacro ſuſceptus, et patris nomine Philippus dictus. Nec multo poſt ipſe Wenceſlaus, cum XVII tantum annum ageret, acerba morte vivis exemptus eſt. Antea V Non. Mart. Sebaſtianus [c] Venerius, victoria ad [d] Echinadas parta illuſtris et ſuperiore anno Venetiarum [e] princeps creatus, octogenario major fatis conceſſerat, a Caecilia Contarena uxore, cui ille honores a ſenatu debitos et jam paratos, morte praeventus, reddere non potuit, magnis exequiis funeratus. In ejus locum Nicolaus Pontanus, vir decurſis omnibus in republica honoribus, ad haec ſingulari prudentia, eximia doctrina ac facundia clarus, integris

adhuc

INTERPR. [a] *Bragance.* [b] *de Liſbone.* [c] *Veniero.* [d] *bataille de Lepante.* [e] *Doge.*

CIϽIϽLXXVIII.
HENRICUS III.

adhuc animi et corporis viribus in illa aetate, jam enim octogeſimum aetatis annum attigerat, conſentientibus omnium votis [α] electus eſt. [β] Hoc anno fatis apud nos XIV Kal. April. conceſſit Ludovicus [a] Lotharingus cardinalis, Guiſianus dictus, Caroli cardinalis ante quadriennium extincti frater; qui, quas ille in regno factiones ingenii vi, dum in vivis eſſet, parturiebat, jam adultas porro vi aperta fovere non deſtitit, et ante annum foederis exitialis negotium in [b] Bloeſenſibus comitiis maxime promovit; tenuitque, ut Sebaſtianus [c] Albaſpineus Lemovicum epiſcopus, foederi adverſari creditus, ex alia cauſa aula ſummoveretur, cum indecorum eſſe diceret, tot annorum epiſcopum nondum ſacros ordines ſuſcepiſſe: homo ferox et in omnes contumelioſus, et, [γ] quantum Carolus ejus frater ſobrius et in negotiis aſſiduus, tantum ille intemperans et comeſſationibus deditus: ex liberaliore enim victu tandem morbo lethali oppreſſus eſt; et poſt mortem Jonvillam, ut in majorum ſepulchro conderetur, delatus, ac veris Antoniae Borboniae, turbato naturae ordine tot liberis ſuperſtitis, lachrimis defletus. Hoc etiam anno Nonis Quintilibus natalitio ſuo ultimum vitae diem clauſit Chriſtophorus Madrucius, tunc [d] Portuenſis epiſcopus; cujus ſaepius libris ſuperioribus facta mentio eſt; ſummis negotiis ſub Carolo V Caeſare et Philippo ejus filio in Germania et Italia praepoſitus; liberalitate, comitate, literarum ac literatorum amore, ingenii denique candore cum paucis comparandus; quod citra fucum, earum, quas in eo celebramus, virtutum incorrupti teſtes, benignitatemque tanti viri ſaepius,

dum

VAR. LECT. [α] electus eſt. Eodem anno et Florentiae detecta eſt conjuratio, quae geminatis funeribus familiam principalem inceſſavit. Nam, cum Helionora Toletana, Garſiae quondam Siciliae proregis et Hiſpanarum triremium praefecti, ante biennium Neapoli mortui, filia, quae Petro Franciſci Etruriae ducis fratri nupſerat, et Iſabella utriuſque ſoror, quae cum Paulo Jordano Urſino Bracciani duce, familiae ſuae principe, matrimonio conjuncta erat, utraeque a maritis perditae vitae ac luxus hominibus relictae, ſolitudinem ſuam moerentes, cum quibuſdam illius aulae nobilibus familiarius conſueſcere crederentur, ex ea conſuetudine ſuſpicio Franciſcum inceſſit, amatores illos in ſe conſpiraſſe: is itaque ad privatum periculum diſcutiendum, ne proprias manus ſuorum ſanguine commaculare neceſſe haberet, aliena ad id opera uti cupiens, Petrum fratrem et Paulum Jordanum ſororium evocat, et adulterii indicia aperit; libertatemque utrique facit, ut privatas injurias ultum irent, ſimulque hoc dedecus et opprobrium ex illuſtriſſima familia tollerent; quod et illi ſedulo executi ſunt, ne haberent, quae viciſſim vitae infamiam, cujus ſibi uterque conſcius erat, exprobrarent. Itaque Helionora et Iſabella a viris eadem nocte faſcia injecta praefocatae ſunt: fama nihilominus ſparſa, quaſi utraque ex angina, nimio boletorum eſu contracta, periiſſet. Capti quidam ex amatoribus nec non ex amorum paranis, qui, in ſecretum carcerem conjecti, citra judicis officium, ut in talibus caſibus Florentiae fieri amat, exquiſitis tormentis ſubjecti, ad extremum ſummo ſupplicio affecti ſunt. Inter quos unus fuit, Puccius nomine, juvenis magni animi et rarae fidei, qui, veritus, ne tortus confeſſione ſua cuiquam amicorum periculum crearet, enchiridio, quod ad maleficium ſemper ſecum in occulto geſtabat, cum in carcerem duceretur, ſeipſum inter ſtipatorum manus interfecit. Troilus Urſinus, Pauli Jordani gentilis, qui in Gallia ſub Henrico II inter nobiles domeſticos puer educatus fuerat, et Etruriae ducibus jampridem ſuam operam addixerat, nuper in Poloniam a Franciſco ad regem ſalutandum miſſus, cum Iſabella inceſtos amores fovere creditus, ſibi metuens, paulo ante ad nos transfugerat. Sed nec miſerum Iſabellae mors, nec diſtantia locorum, aut temporis longinquitas, ab ira ſeu Franciſci ſive Pauli Jordani defendere potuerunt; quin a ſacrificulo Ravennate, cujuſmodi pleroſque ſicarios Franciſcus, ad tollendos ſibi ſuſpectos per omnes Chriſtiani orbis partes ex parentis Coſmi praecepto conductos habebat, poſtea, dum ſe profunda jam nocte domum reciperet, Lutetiae interficeretur: quod ex alterius ſicarii, qui aliquo poſt tempore Franciſcum Bernardinum Lutetiae itidem occidit, ob id extremo ſupplicio affecti, confeſſione judicibus conſtitit. Tunc certe ad facti atrocitatem Joanna Auſtria Franciſci uxor ita cohorruit, exemplum in ſe, licet ob diverſam longe cauſam, verita, quippe quae de inſanis viri cum Blanca Capella amoribus jamdudum cognoviſſet, ut, ex vehementi doloris cogitatione contractis vitalibus, inter graviſſimos partus cruciatus expiraverit, filio, ex quo praegnans erat, in utero, antequam educeretur, ſuffocato: quod ad manifeſtum divinae irae exemplum multi retulerunt, quae ſuffocatas ſorores optatiſſimi in ſpem tantae ſucceſſionis filii, eodem mortis genere perempti, exitio mox ulta ſit, adempta etiam uxore lectiſſima foemina. Qua ſublata, nec multum deſiderata, Franciſcus in infames Blancae amores ſtatim effuſus incertum reliquit, turpiuſne fecerit, cum eam poſtea in matrimonium duceret, an cum antea, ſuperſtite Joanna, ejuſdem contubernio ſe per adulterium pollueret. Hoc anno *MSS. Samm. Put. & Rig.*

[β] *Haec de cardinalis Guiſiani moribus et morte narratio deeſt D.* f. d.

[γ] quantum olei largus Carolus ejus frater, alioqui ſobrius et in negotiis aſſiduus, tantum ille vini in comeſſationibus prodigus: ex qua intemperantia tandem morbo *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Lorraine, cardinal de Guiſe.* [b] *Eſtats de Blois.* [c] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.* [d] *Evêque d'Oſtie.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

dum Romae in Pauli [a] Foxii omni laude digniſſimi comitatu eſſemus, experti, ſcribimus: quibus laudibus fidem facile aſtruet, quod omnes ſciunt, eum, quamvis Philippi clientem, cum Aloiſio [b] Ateſtino cardinali, quo non generoſior nominis Gallici defenſor in Italia retro ſaeculis fuit, ob morum ſimilitudinem et ſtudiorum conſenſionem amicitiam arctiſſimam coluiſſe, neutrius ob id principibus ſuis ſuſpecta fide; et ab ipſo Ateſtino benevolentia pari redamatum fuiſſe; ad quem cum [c] Tiburtino ſeceſſu ſe oblectantem aëris mutandi cauſa profectus eſſet, morbo ingraveſcente, quaſi inter dilectiſſimi amici amplexus anno aetatis LXVI animam Deo reddidit. Inde Romam tranſlatus et in [d] S. Onufrii ſacello honorifice ſepultus fuit. Nec ſilentio praeteriri debet, quando de clarorum virorum mortibus ſermo incidit, Laurentius Surius, patria Lubecenſi, profeſſione Carthuſianus; vir pietate et candida ſimplicitate praeditus; cui conciliorum editionem ſingulari diligentia elaboratam et ſanctorum vitas bona fide deſcriptas debemus; qui tot laboribus pro republica Chriſtiana exantlatis defunctus [e] Coloniae in cella ſua placide ad Deum migravit x Kal. Junias. Eum paulo poſt ſecutus eſt Gerardus [f] Falcenburgius, [g] Noviomago in Sicambris natus, in aula [h] Bentemii comitis, quem aſſectabatur, [i] Steenvordiae VIII Eid. Sept. extinctus immatura morte; quippe cum tantum quadrageſimum aetatis annum ageret; vir inter omneis Belgas literarum Graecarum rara cognitione praeſtans; quod cum alia ejus monumenta, tum praecipue Nonni Panopolitae ab ipſo procurata et illuſtrata editio apud aequos harum rerum aeſtimatores abunde teſtatur. Sub id apud nos Antonius [k] Mizaldus, [l] Monlucione in Boiis natus, profeſſione medicus, philoſophiae et artis ſuae ſtudiis clarus, quam, alioqui Lutetiae ſumme lucroſam, naturae arcanis ſcrutandis homo tota vita intentus fere neglexit, et editis compluribus rarae doctrinae et judicii ſcriptis, quae a rerum peritis nunquam negligentur, in ea urbe conſenuit, ac denique hoc anno debitum naturae perſolvit. Obiit et hoc anno, qui fuit ei climactericus, menſe Sept. Petrus [m] Leſcotus Clanius, familia nobili ac ſenatoria Lutetiae natus; qui, cum a puero literis operam daret, totum ſe mathematicis diſciplinis mancipavit, quas, doctore Petro [n] Poſtello, magna felicitate percepit: et, cum ſtudio natura inſito pingendi artem pari felicitate excoluiſſet, ad architecturam praecipue animum appulit; in qua ſupra omneis hujus aetatis (abſit invidia dicto) architectos excelluit; ingeniique ſui inſigne ſpecimen dedit cum aliis aedificiis privatorum, tum maxime [o] Luparenſibus regia magnificentia a ſe deſignatis, quae utcunque inchoata neque dum conſummata cuncta palatia Italiae, quae maxime hujuſmodi ſtructuris luxuriat, ſtupendi operis magnitudine et elegantia, vel Italorum ipſorum confeſſione, ſuperant. [α] In ultimis dicetur [p] Alexander Picolomineus, Aeneae Silvii, qui pontifex Pius II dici voluit, gentilis, [q] Angelo patre et Hippolita [r] Sanctia matre [s] Senis natus; cujus civitatis, cum jam [t] Patrarum archiepiſcopus eſſet, virtute ſua meruit ut deſignaretur itidem archiepiſcopus. In eo erat, praeter ſuavitatem morum cum ſeria gravitate conjunctam, rara et exacta omnium laudandarum diſciplinarum cognitio; quas et ſcriptis multiplicibus fere vernaculis illuſtravit, Ariſtoteli praecipue addictus, ad cujus perſpicuam intelligentiam propria induſtria multum contulit: tandemque hoc anno IV Eid. Mart. ſeptuagenarius deceſſit, in majore patriae urbis templo ſepultus, et honorifico a Jo. Baptiſta aedituo, Deiphobo archipresbytero aliiſque fratribus elogio ornatus. [β] Picolomineo qui comes addatur, inſigni doctrina et probitate meruit Jo. Baptiſta [u] Raſarius, Petri filius, oppido, quod a valle [w] Uziae in [x] Novarienſi diœceſi ſita

nomen

VAR. LECT. [α] Ultimus dicetur *D. f. d.* [β] *Quae ſequuntur uſque ad hujus libri finem deſunt D. f. d.*

INTERPR. [a] *De Foix.* [b] *da Eſte.* [c] *Tivoli.* [d] *S. Onofrio.* [e] *Cologne.* [f] *de Falckenburg.* [g] *Nimegue en Gueldre.* [h] *Bentheim.* [i] *Steinfort.* [k] *Mizauld.* [l] *Montluçon en Bourbonnois.* [m] *Leſcot, ſieur de Clagny.* [n] *Poſtel.* [o] *le Louvre.* [p] *Aleſſandro Piccolomini.* [q] *Agnolo.* [r] *Santi.* [s] *Siena.* [t] *Patras.* [u] *Raſario.* [w] *Valdugia.* [x] *de Novara.*

nomen retinet, familia nobili natus. [a] Mediolani prima literarum tirocinia fecit, et philoſophiae ac medicinae ſtudiis diligenter incubuit; jamque tum Philippo II, cum ex Hiſpaniis veniens, ſuperſtite Carolo V patre, per Italiam in Germaniam tenderet, ob eximias ingenii dotes innotuit: inde Venetias evocatus artem dicendi, in qua excelluit, XXII annos profeſſus eſt, arctamque cum Sigonio, P. Manutio, Mureto noſtrate, et Octaviano Ferrario, quem et [b] Ticini logices praeceptorem habuerat, amicitiam coluit; totoque illo tempore vertendo Galeno et Ariſtotelis aliquot interpretibus Graecis egregiam operam navavit; ſereniſſimae illi reipublicae acceptiſſimus, cujus et memorabilem ad [c] Echinadas partam de Turcis victoriam luculenta oratione laudavit. Tantum decus Venetiis Philippus poſtremo invidit: et in Luſitaniam, ut in Conimbricenſi ſchola doceret, opimis conditionibus primo invitatus, cum ſe ob aetatem excuſaſſet, tandem, ut Ticinum iret, ab eodem, qui jubere poterat, rogatus, principe ſuo, cujus beneficio Hieronymi fratris in vincula conjecti libertatem et bonorum fiſco jam addictorum reſtitutionem debebat, non potuit non obtemperare: in eaque urbe poſtquam eadem qua Venetiis celebritate artem dicendi totum quadriennium docuit, febri maligna correptus, hoc anno paulum major ſexagenario VIII Eid. Oct. defecit. Nulla intemperantiae ſuſpicione toto vitae, quam coelibem egit, curriculo notatus eſt. Ingenui ac vere liberalis viri ad bene merendum de omnibus nati, qui, erga pauperes benignus, aegrotos nulla mercede curabat, egenos etiam ut pater ſuſtentabat, funus cuncti civitatis ordines ad B. Auguſtini, cujus medio in ſacello conditus eſt, inſigni ac luctuoſa pompa proſecuti ſunt. Multa ejus opera, quae lucem non viderunt, in illuſtriſſimi et pietate ac doctrina praeſtantiſſimi cardinalis [d] Borromaei bibliotheca Mediolani exſtare dicuntur; quae ut aliquando edantur, optandum eſt, et a tanto praeſule minime deſperandum.

CIϽIϽLXXVIII.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Milan.* [b] *Pavie.* [c] *i Curzolari.* [d] *Borromeo.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEXAGESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

MATTHIAS Bruxellas cum pompa ingreſſus pacis conditiones firmat. Auſtrius ſcripto contradicit. Rodolphus Caeſar fratris factum excuſat. II. *Pontifex Auſtrio animos facit; qui pugna ad Gemblacum commiſſa Ordines profligat.* III. *Noerkarmius Sellius poſt ſemeſtre ex Hiſpania redit: et pacificatio Matthiae eluditur.* IV. *Amſterodamum in Batavis Arauſionenſem recipit, et libertatem religionis facit.* V. *Philippopolis, Heuda, Limburgum in Auſtrii poteſtatem veniunt.* VI. *Andinus ſe et opes ſuas Ordinibus per Rupipotium et Prunaeum offert: reſponſumque, ejus adventum laetum univerſo Belgio fore.* VII. *Caeſaris ad res Belgii componendas delegati. Ordinum ad Caeſaris poſtulata reſponſum.* VIII. *Edictum a Matthia denuo Antuerpiae promulgatum, quo Gandenſis pacificatio confirmabatur. Cathedraticum Romam ferri probibitum.* IX. *Comitia Wormatienſia; in quibus Belgae legati audiuntur, pro iis a Philippo Marnixio Santaldegondano verba faciente. Calidii Chryſopolitani nomine ad eam orationem reſponſum.* X. *Andinus ad limitem cum exercitu venit, et legibus dictis cum Ordinibus paciſcitur, et adverſus Auſtrium bellum gerit.* XI. *Stuprorum memorabilis ac generoſa utrinque vindicta.* XII. *Fr. Lanovius ab Ordinibus condicitur. Auſtriaci caeſi ac fugati. Araſcotum captum ac direptum. Valencianis tumultuatum.* XIII. *Proteſtantium libellus ſupplex pro libertate religionis; edictumque conditum, quo pax religionis in Belgio ſancitur. Cum proceres intercederent, et Bruxellas principum ſedem numero eximi peterent, aliquandiu tumultuatum.* XIV. *Elbertus Leoninus Romam ad elevandam invidiam ab Ordinibus mittitur. Auſtrius Belgio excedere juſſus tergiverſatur.* XV. *Gandavi tumultum excitat Imbiſius. Belgium factionibus ſcinditur. Gandenſium immanitas contra judices ab Albano ordinatos; et ad Matthiae mandata audax reſponſum. Jo. Caſimiri in Belgium adventus ſuſpiciones Male-contentis auget. Mechlinia Andino oppigneratur; qui, Cameraco firmato, recedit. Rigiaci Atrebatum tumultuatur.* XVI. *Gandenſes ab Arauſionenſi porrectis Eliſabethae literis ad tempus pacantur.* XVII. *Male-contenti tandem ab Ordinibus deficiunt.* XVIII. *Boſſuvii comitis deceſſus; et ante eum Joannit Auſtrii, in caſtris prope Namurcum. Jo. Eſcovedi in Hiſpania caedes, et pernicioſa conſilia.* XIX. *Alex. Farneſius Auſtrio ſufficitur.* XX. *Georg. Lalanii Rennebergii in Friſia poſt ejectum Billium res geſtae. Groeningenſium et Ommelandenſium diſſidium compoſitum.* XXI. *In Dacia ob Arianiſmum tumultuatur.* XXII. *In Anglia nuptiarum inter Eliſabetham et Andinum negotium calet. Miſſus interim Thomas Randolphus in Scotiam, cujus interventu Mortonii, Atholii, aliorumque procerum motus compoſiti ſunt. Henricus Sidneius, re in Hibernia bene geſta, in Angliam diſcedit. Margaritae Duglaſſiae, Henrici* VIII *neptis, deceſſus et varia fortuna.* XXIII. *Apud nos pacificatorium edictum in Allobrogibus et Septimania promulgatur. Rogerii Sanlarii Bellogardii cum Sabaudo et Proteſtantibus occultae coitiones.* XXIV. *Bertrandi Simienae Gordii mors, cui Laur. Maugironus ſufficitur. Prada in Dienſi dioeceſi, homo rapax, captus et ſupplicio adfectus.*

XXV. *Neraciana*

XXV. *Neraciana collatio. Tripartita Camera Aginni Nitiobrigum ordinata, quae in cauſis Proteſtantium jus diceret.* XXVI. *Andinus ex aula profugit.* XXVII. *Jac. Levii Cailuſii et Caroli Balſaci duellum, cum quatuor aliis. Levii luctuoſa mors regi.* XXVIII. *Juvenes e primaria nobilitate in aula regnant.* XXIX. *Libellus ſupplex invidioſus ab Ordinibus Burgundiae pro plebis levamento regi porrectus.* XXX. *In Venaſcinenſi comitatu Minerbia occupatur. Nemauſenſis tractatus Carpentoracti, Armeniaci mandatu et Pontificii praeſidis auctoritate, a provinciae Ordinibus firmatur.* XXXI. *Jac. Gobio Matignonus equitum tribunus creatur.* XXXII. *Phil. Huraltus fit procancellarius.*

Ex auctoribus,

Imm. Meterano, Jo. Parvo, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae, actis curiae Pariſienſis, inſtrumentis publicis, Sofredi Calignoni adverſariis.

LIBER SEXAGESIMUS SEXTUS.

PHILIPPUS, dum in Hiſpania novi regni per Sebaſti- CIƆIƆLXXVIII.
ani mortem quaſi delati ſpe ſe ſuſtentat, de Belgii novis HENRICUS III.
praeter opinionem motibus conflictantis amiſſione anxius, non mediocriter animi diſcruciabatur. Poſt pacta cum Ordinibus Belgii conventa Matthias archidux, deducente eum Arauſionenſi, Bruxellas profectus, ingenti pompa per triumphaleis arcus ad id paratos xv Kal. Febr. urbem ingreſſus eſt; et biduo poſt conditiones propoſitas ſolemni jurejurando firmavit, et in eaſdem ipſe Arauſionenſis tanquam Matthiae vicarius ſacramento adactus eſt. Quo facto, in Hiſpaniam Ordines pactorum inſtrumentum multis rationibus munitum mittunt, confirmationemque a Philippo petunt: idem et a Matthia factitatum. At [a] Auſtrius ſcripto contradicit; et, hanc Matthiae actionem Ordinum ipſorum jurijurando, paci, et regis, quippe non conſentientis, auctoritati adverſari, multis verbis demonſtrat; coactoque [b] Marcae-faminae, id loco nomen eſt, in Luccemburgenſi principatu, exercitu, ad bellum ſe parat. Ad eum ex Italia venerat Alexander Farneſius Octavii Parmenſium ducis et Margaritae ſororis filius, cum Hiſpanorum et Italorum e Langobardia copiis. Carolus Mansfeldius comes et Gallicas adduxerat; et, numeratis Germanorum et Burgundionum delectibus, totus exercitus XVI CIƆ peditum et II CIƆ equitum conficiebat. Regio, quod Auſtrio praeferebatur, vexillo crux cum hac teſſera depicta erat, IN HOC SIGNO VICI TURCOS: IN HOC SIGNO VINCAM HAERETICOS. His viribus fretus, librum evulgat; quo religionis majorum contra ſectarios tuendae et obedientiae regi debitae conſervandae cauſa arma, quam juſta tam neceſſaria, ſe ſumpſiſſe dicit; et multa prolixe largiterque cunctis, qui ſuas partes ſequentur, pollicetur. Ad eum poſtea contrario ſcripto reſponderunt Ordines, quo, quae ad duo illa capita ſpectant, crimina objecta pluribus verbis diluuntur. Cum vero antea Auſtrius miſſis ad Caeſarem legatis de injuria a Matthia regi ſuo facta conqueſtus eſſet, et Caeſar, quo inſcio Matthias in Belgium venerat, quaſi extra fraternae culpae crimen poſitus ſe excuſaſſet, tum marchionem [c] Varambonum rurſus ad eum ac principes Germanos allegat, rogatque, ut excuſationes facto comprobent, denique operam, ne delectus per Germaniam Ordinum nomine habeantur. Eo tempore Philippus [d] Hohenlous comes Ordinum mandatu Ruremundam, quam Nic. [e] Polvillerius praeſidio tenebat,

INTERPR. [a] *Don Juan d'Auſtriche.* [b] *Marche en Famine.* [c] *de Varambon.* [d] *de Hohenlo,* al. *de Holack.* [e] *le Baron de Polweiller.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III. tenebat, vallis et aggeribus cinxerat, et, licet exiguo bellatorum numero ſubnixus, in ſummam egeſtatem redegerat. Iiſdem anguſtiis premebatur [a] Werda in Brabantia: ſed, Aegidio [b] Barlemontio Hiergio ab Auſtrio miſſo cum delectis copiis, Hohenlous viribus impar ceſſit, et aggeres ac propugnacula deſeruit, Ordinum tarditatem ac ſegnitiem multum incuſans, qui, in tempore auxiliis, uti receperant, non ſummiſſis, urbes illas eripi ſibi paſſi eſſent. Ruremunda et Werda commeatu firmatis, Hiergius ad Auſtrium rediit, qui ad [c] Namurcum cum exercitu occaſionem opperiens ſedebat. Cui Ordines exercitum, quem habebant, oppoſuiſſe contenti, et tot urbium, quas aut in poteſtate habebant aut arces dejecerant, firmitati confiſi, tempus inutilibus de republica deliberationibus terebant, in medio bello ſecuri, quaeque pacis propria erant intempeſtive agitantes. [d] Antuerpiam, Bergas ad Somam, Tholam, Steebergam, Bredam, Silvam-ducis et vicina loca tenebant: [e] Gandavi, Ultrajecti, Inſulatum, Valencianarum, Ariae, Bethunae, Bapalmae arces dirui juſſerant, rati, obſtrictas libertatis reſtitutae beneficio eas civitates in fide permanſuras: [f] Rigiacum Atrebatum metropolim concordia ſociaverant: veteribus legionibus Maximiliani comitis [g] Boſſuvii, Friderici [h] Perrenoti Campaniaci, Marii [i] Carduini, [k] Margellae, et Emmanuelis [l] Lalanii Montinii ſtipendia exſolverant: Montinius vero ptius Namurcum verſus miſſus; quem et alii tribuni mox ſecuti fuerunt, ita ut juſtus exercitus videretur. Peditibus praeerat Philippus Lalanius comes, equitatui Maximilianus [m] Melodunus vicecomes Gandenſis: [n] Gongneius caſtrorum, Valentinus [o] Pardeus Mota tormentorum praefecti munere defungebantur. Ii totam hyemem ad Martini fanum haud longe a Namurco tranſegerunt, crebris velitationibus Auſtriacos laceſſentes, nullo praeterea memorabili proelio facto. [p] Bovina tantum ad Moſam capta, et arx [q] Diſpontina vi expugnata. Inſtabat Arauſionenſis, ut non cedendo neque vim hoſtilem ſuſtinendo ſed ultro inferendo res gereretur, et bellum conficeretur: nam alioqui fore, ut civitates diuturni mali pertaeſae, quam libertatis recipiendae nunc cupidae, tam ad jugum a potentiore recipiendum paratae reddantur. Contra Ordinum conſiliarii moras necterc, ac tantiſper belli impetum cohibendum dicere, dum de Philippi ſententia ac voluntate ex miſſis in Hiſpaniam brevi redituris legatis certius conſtaret.

II. INTEREA Auſtrius, nuper diplomate ad eum a Pontifice miſſo, quo plena delictorum ipſi ac ſuis gratia certis conditionibus fiebat, confirmatior, copias per Namurcenſem agrum inſtruit, inde in Brabantiam perrecturus: contra quas Ordinum exercitus educitur. In prima acie Montinii et [r] Gul. Hornii Heſaci, in media Boſſuvii comitis et Campaniaci legiones erant, cum XIII Scotorum et aliquot Anglorum cohortibus; poſtremam [ſ] Ecmondanus et [t] Marcianus Lumaeus ducebant: atque ita cum tormentis et apparatu bellico movent, Gongneio, [u] Hevreo et Balliello ejus fratre aliiſque ductoribus, nam Lalanii comes et vicecomes Gandenſis plurimique duces primarii aberant, Bruxellas ſpecie nuptiarum, quae illic magna pompa celebrabantur, profecti, haud occulta alieni ab Arauſionenſis conſiliis animi ſignificatione: ex quorum abſentia occaſionem captans Auſtrius [w] Farneſium et Octavium [x] Gonſagam IV Kal. Februar. praemittit, qui levia cum Ordinum copiis proelia ſerant, quod et illi non citra ſuorum damnum per Ferdinandum Acoſtam, Antonium Olivarem et Petrum Valdeſium fecere: cognitoque ex captivis, foederatos ea nocte [y] Gemblacum verſus proficiſci ſtatuiſſe, et jam tormenta avehere, ad diſturbandos eos aciem inſtruunt. Nec

INTERPR. [a] *Weert.* [b] *de Berlaymont, ſieur de Hierges.* [c] *Namur.* [d] *Anvers, Bergenopzoom, Tertolen, Steenberghe, Breda, & Boiſleduc.* [e] *Gand, Utrecht, Lille, Valenciennes, Aire, Bethune, & Bapaume.* [f] *Arras.* [g] *Boſſut.* [h] *Perrenot de Champigny.* [i] *Cardeuin.* [k] *de Margelle.* [l] *de Lallain, ſieur de Montigny.* [m] *de Melun, vicomte de Gand.* [n] *de Goingnies, mareſchal de camp.* [o] *de Pardieu, ſieur de la Mote.* [p] *Bouvines.* [q] *Chateau de Deſpontin.* [r] *de Horne, ſieur de Heſe.* [ſ] *le Comte d'Egmond.* [t] *de la Marck, ſieur de Lumey.* [u] *les ſieurs de Hevre & Bailleul.* [w] *Alexandre de Farneſe, prince de Parme.* [x] *de Gonzague.* [y] *Gemblours.*

Nec ſegniter Gongneius rem gerit; inſtructoque exercitu inſtanti Auſtrio fortiter reſiſtit, pluribuſque locis inter incedendum inſidias arborum caeſarum et transverſim collocatarum commoditare ſtruit. Itaque Auſtriaci a ſerentariis Ordinum ſaepe impediti ac repulſi; dum primum agmen lente et ordinate procedit, et ultimi ſervatis ordinibus frontem ubique obvertendo hoſtem irruentem diſtinent. Sed temeritate quorundam ex regiis effectum eſt, ut Auſtrius, qui de ſumma decernere minime initio conſtituiſſet, poſtquam ſuos ardore pugnandi, Mutio [a] Pagano duce, longius, quam ut tuto revocari poſſent, provectos vidit, Farneſio Gonzagae et [b] Billio mandaverit, ut cum toto equitatu in foederatorum equitatum impetum facerent; quem illi, licet ſaepius laceſſiti et turbati, aliquandiu ſuſtinuerunt: ſed incumbente ipſo Auſtrio, cum Bernardini Mendozae, Curtii [c] Martinengi, Ferrandi [d] Toletani, Camilli et Jo. Baptiſtae [e] Montanorum, Alfonſi [f] Vargae, Georgii [g] Macucae, Aurelii [h] Panhormitani, Acoſtae, Oliverae, Antonii Davali et Falconeti equitûm alis, tandem cedere coacti peditatum ſuum perfregere, Angloſque et Scotos Ordinum ſtipendiarios fugiendo obtrivere. Montinius, qui cum primo agmine praeceſſerat, propius [i] Gemblacum intra pomaria et hortos ſe munire et ex ſtrage palantibus collectis proelium reſtituere fruſtra conatus, inſiſtente veſtigiis fugientium hoſte, ad extremum ſuis conſulere neceſſe habuit. Ipſe poſt acre certamen cum Jacobo [k] Balſurio Scotorum tribuno incolumis evaſit: [l] Gongneius, Hevreus et Balielius ejus frater pluresque alii capti: praeter peditatum pauci occiſi. XXX peditum ſigna capta, IV equitum. Poſtridie Auſtrio deditionem imperanti Gemblacum patuit. Tum ſucceſſum urgendo per [m] Hiergium [n] Bovinam poſt admota tormenta recipit. Inde Lovanium tendit, urbem vaſtam ac debilem; quae ſtatim dedita eſt, cum praeſidiarii, qui pauci erant, loco deſerto, Bruxellas abiiſſent. Eodem ſucceſſu [o] Thenae et Araſchotum, urbes [p] Lovanio vicinae, cum Auſtrio tranſigunt. Ad [q] Sichemum oppidum arce munitum majus negotium fuit. Nam praefectus deditionem facere juſſus cum recuſaſſet, tormenta admoventur, magnaque muri ſtrage edita, cum unam et alteram oppugnationem praeſidiarii acriter repuliſſent, tandem tertia ſuperati ſunt, non ſine Hiſpanorum clade; quam Auſtrius admodum ſevere ultus eſt, praefecto ipſo aliiſque centurionibus ex feneſtra arcis ſuſpenſis, obviiſque militibus nec non oppidanis, nullo ſexus diſcrimine, crudeliter trucidatis, aut in flumen proximum praecipitatis. Id actum VII Kal. Mart. Inde [r] Dieſtam itum, Arauſionenſis ditionis oppidum, quod, admotis tormentis, deditionem fecit; ejuſque exemplum ſecuta [ſ] Leva, ubi miles aliquantula mora ex laboribus refectus eſt. Interim Carolus Mansfeldius cum Gallicis copiis [t] Nivellam obſidere jubetur, quam Juſtus [u] Soëtius Villerſius cum IV peditum cohortibus et equitibus aliquot tenebat. Crebris eruptionibus obſeſſi initio vim fecere; mox admotis VIII muralibus machinis cum ingens ruina edita eſſet, poſt quatuor oppugnationes ſtrenue repulſas, in quibus magnam animi generoſi laudem meruit Villerſius, cum nulla auxiliorum ſpes, agris undique inſeſſis, affulgeret, tandem honeſtis conditionibus fit deditio: et pacta quidem ad praeſens ſervata, Auſtrii, qui aderat, reverentia, incolumeſque praeſidiarii dimiſſi ſunt; ſed poſtea aegrotis et ſauciis, quibus belli fortuna pepercerat, minime parcitum fuit, crudeliter poſt Auſtrii diſceſſum trucidatis. Tum [w] Reuxia et Sogneſia deditae; nec non et [x] Bincium, cujus oppidani L ſcloppetarios [y] Montes Hannoniae ad expoſcenda auxilia miſerant: verum, illis ab hoſtili equitatu inſidioſe interceptis, cum Auſtrio ſalva omnia pacti tranſegerunt: quorum exemplum [z] Bellomontium,

CIↃIↃLXXVIII.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Pagano.* [b] *le ſieur de Billy.* [c] *le Comte Curtio Martinengo.* [d] *de Tolede.* [e] *del Monte.* [f] *de Vargas.* [g] *de Macbuca.* [h] *de Palerme.* [i] *Gemblours.* [k] *le Colonel Balfour.* [l] *les ſieurs de Goingnies, Hevre, & Bailleul.* [m] *le ſieur de Hierges.* [n] *Bouvines.* [o] *Tillemont & Arſchot.* [p] *Louvain.* [q] *Sichenen.* [r] *Dieſt.* [ſ] *Lew.* [t] *Nivelle.* [u] *de Soete, ſieur de Villers.* [w] *Reux & Soignies,* al. *Soigny.* [x] *Bins.* [y] *Mons en Hainaut.* [z] *Beaumont, Walcourt, & Maubeuge.*

tium, Vallicurtium, Malabogium ſtatim ſecutum eſt. Qui[a] Cimacum tenebant, hoſtili exercitu adventante perculſi in arcem, urbe deſerta, confugerunt, et cum Auſtrio pepigerunt. [b] Giſlenii fanum jam ante Matthaei[c] Muerdi epiſcopi Atrebatenſis aſtu et occultis conſiliis cum in eo eſſet ut in Auſtrii manus veniret, [d] Herviſartus antevertit; et cum delecta manu oppidum ingreſſus, irritoque conatu Auſtriacorum reddito, oppidum in Lalanii comitis[e] Hannoniae praeſidis manus tradidit. Tentatum dein[f] Trajectum ad Moſam, cui[g] Heſaeus cum ſua legione impoſitus fuerat; eoque aſtu res compoſita, ut ſolicitati in occulto a[h] Capratio Sequanorum regulo et Bapt.[i] Montano milites ſpecie ſtipendiorum non numeratorum tumultuarent, ex eaque occaſione duces ſuos et Heſaeum in primis comprehenderent, tum regios ſupervenienteis admitterent: quod et illi fecere. Sed cum mox Angli arma cepiſſent, et, quod erat, veriti, ſe contra ſeditioſos ab Hiſpanis corruptos, ut urbem proderent, inſeſſis plateis, gnaviter defenderent, in tempore ſupervenit Nicolaus[k] Palmierus Maleroius ab Arauſionenſi miſſus, cum militum v cohortibus fidis, et pecunia, qua et tumultuanteis placavit, et urbem in fide confirmavit.

III. JAM Joannes[l] Noërkarmius Sellius, ſuperiore anno in Hiſpaniam miſſus, redierat, cum literis Philippi extremo anno proximo[m] Madriti ſcriptis; quibus ad literas Ordinum IX Kal. Sept. datas ita reſpondebatur, ut ex iis Ordines ſuis literis illi viderentur promiſiſſe, ſe in Belgii provinciis religionis Catholicae Romanae cultum, qualis ſub Carolo V fuerat, reſtituturos: quod licet directe contra pacificationem Gandenſem ab Ordinibus et Auſtrio ipſo juratam et Philippo poſtea confirmatam pugnaret, tamen Sellius hoc in mandatis ſuis perſcriptum contendebat. Contra Ordines literas a ſe ſcriptas appellabant; qui, cum ex Sellii verbis facile intelligerent, neque Philippum neque Auſtrium Gandenſem pacificationem ratam habere velle, et occaſionem ab ea diſcedendi quaerere, hanc actionem pro belli denunciatione acceperunt. Sellius tamen, ut paci ſtudere videretur, ad Matthiam ſcribit: et, quando ſuperiore anno tres concordiae ineundae conditiones propoſitae ſint, ut Gandenſis pacificatio ſervetur, Auſtrius cum milite externo Belgio excedat, quod ſe facere paratum ſemper oſtenderit, et Matthias aut alius in ejus locum ſubſtituatur, conſultum videri dicit, ut Parmenſis ſine armis ad Ordines veniat, ut communicatis cum eo conſiliis diſſidia ob religionem exorta componendi, et res in ſtatum, quo ſub Carolo V erant, reducendi rationes ineantur: interea Arauſionenſis obſidem ſe in Auſtrii aut alterius a rege nominandi poteſtatem ſiſtat. Quae conditio, tanquam captioſa, et cum periculo Arauſionenſis conjuncta, omnino repudiata eſt; nec aliud quidquam illa Sellii legatione promoveri potuit. Poſt Gemblacenſem cladem Matthias et Arauſionenſis Bruxellas, quas Auſtrium circumſeſſurum rebantur, optime muniverant; relictoque in urbe Boſſuvii comite cum idoneis copiis, Antuerpiam repetiverant: quo ubi venerunt, Mechliniam, quam jam tumultuare intellexerant, nec non et Litam miſſo Antuerpienſium civium praeſidio firmant.

IV. TUM ex[n] Pleumoſiis et Batavis auxiliares milites evocantur, quod eae provinciae in Ordinum fide eſſent; ac Batavia in primis, Amſtelodamo nuper ad obſequium redacto. Ea urbs longe ditiſſima et potentiſſima ſemper a Proteſtantium partibus aliena fuerat,[o] Petri Petreii primarii civis et Franciſcanorum ſodalium, qui in illa ſemper praecipuam auctoritatem retinuerant, opera et aſſiduis exhortationibus in obſequio ſervata. Itaque et Hiſpanos ſemper admiſerat, et,[p] Enchuſae vicinae infeſta, Harlemi

INTERPR. [a] *Chimay.* [b] *S. Ghiſlain.* [c] *Moulart, evêque d'Arras.* [d] *Heriſſart*, al. *de Herviſart*: Meteren met *Herniſaert.* [e] *Hainaut.* [f] *Maeſtricht.* [g] *le ſieur de Heſe.* [h] *le baron de Chevreaux Franc-Comtois.* [i] *del Monte.* [k] *de Palmier, ſieur de Maurey.* Meteren l'appelle *Salmier, ſieur de Melroy.* [l] *de Norcarmes, baron de Selles.* [m] *Madrid.* [n] *Flandre & Hollande.* [o] *Pierre Petri*, al. *Peters.* [p] *Enchuyſen.*

[a] Harlemi obſidionis tempore Albani exercitum omni re neceſſaria ſedulo ſublevaverat. Superiore demum anno, cum [b] Hellingus eam Arauſionenſi provinciae praeſidi ſubjugare tentaſſet, oppidanorum virtute depulſus, et ipſe cum [c] Ruichavero urbis militum praefecto interfectus fuerat; inſtante tamen Arauſionenſi et Ordinum auctoritatem praetexente, ut pacificationi Gandenſi ſubſcriberent, tandem hoc anno conventum VI Non. Febr. ut Proteſtantibus extra urbem convenire et intra urbem loco profano ſuorum cadavera humo mandare liceat; vt praeſidiariorum cohortes dimittantur; alii ad CCCC aut IↃC a praefectis civitatis conſcribantur; ſagittariorum collegia inſtaurentur. His conditionibus admiſſi Proteſtantes, qui injuriarum olim acceptarum, quas ſepultas oportuit, memores, Franciſcanos ac ſacerdotes urbis pernicioſa contra ſe conſilia agitare cauſati, arma capiunt, eoſque urbe excedere compellunt. Tum effuſo furore per templa graſſantur, ſtatuis paſſim et imaginibus dejectis, omnemque priſcum cultum, quamdiu bellum duraret, ad ſecuritatem publicam abolent. Quod ut rebus Arauſionenſis ad praeſens fortaſſe conducibile, ita invidioſum et detrimentoſum fuit, Malecontentis, id ſibi novae factionis auctores nomen ſumpſerant, inde occaſionem conſilia ſua ab Arauſionenſi ſeparandi capientibus.

V. NEC ceſſabat Auſtrius; ſed, poſt fruſtra tentatum [d] Trajectum, de [e] Philippopoli ſitu et arte firmo, a Philippo extremis contra nos bellis munito oppido tunc obſidendo cogitare coepit, a [f] Florenneo praefecto per fidos invitatus, deditionem mox facturum pollicito; cujus ut juſtiores et honeſtiores rationes haberet, omnem clam commeatum interverterat et apparatum bellicum corruperat. Id, temere de homine nullius intet ſuos auctoritatis creditum, in magnas difficultates Auſtrium induit, ac victoriam ejus paene evertit. Nam praeſidiarii ſtrenue initio rem geſſerunt: cumque ille ad famam pertinere exiſtimaret, ne nihil a ſe tentatum non ſuccederet, ſeriam oppugnationem, contra quam ab initio ſperaverat, aggredi coactus eſt: valloque promoto, cum ipſe in opere aſſiduus cum Parmenſi et Gonzaga ceteris exemplo ſuo praeiret, gerras, crateis vimineas ac pluteos et faſceis comportando, aegritudinem inde poſtremo lethalem contraxit. Crebris eruptionibus cum multos ſuorum amiſiſſet, viqque expugnandae urbis propemodum ſpe concidiſſet, per Sequanum nobilem nomine [g] Gateum, hominem gratioſum et facundiae efficacis, quem per quandam cauſam in oppidum introduci a praefecto curaverat, praeſidiarios promiſſis tentat, Auſtrii humanitate ac liberalitate laudata, qui virtutem ipſorum et plurimi faciat, et in parte felicitatis ponat, ſi tam ſtrenuos bellatores ſibi conciliare poſſit: in id trimeſtre ſtipendium oblatum; cautione adjecta, ut, qui ei militare nolint, liberum ſit quo ipſis lubebit ſe conferre: quas conditiones quam honeſtas tam neceſſarias exiſtimare eos debere, quippe omni auxilii ſpe praeciſa: itaque ſibi conſulant, et tutiora quam honeſtiora conſilia malint. Inde occaſione ſumpta, obſeſſi inter ſe conſultant: et, cum nunciatum eſſet, ex compacto ſub id tempus aliquot auxiliareis equites ab Arauſionenſi ſummiſſos a [h] Megenſi comite [i] Barlemontii fratre interceptos ac caeſos eſſe, Florenneus deditioni inſtat: et tandem cum Auſtrio propoſitis conditionibus tranſigit XII Kal. Junias. Tres cohortes, accepto trimeſtri ſtipendio, in Auſtrii caſtra tranſeunt: reliquae duae explicatis ſignis incolumes in tutum deducuntur. Paulo poſt, cum Auſtrius valetudinis cauſa [k] Namurcum conceſſiſſet, Alex. Farneſius, ejus vicarius, in Limburgenſem agrum ducit, et aliquot circum oppidula capit; in iiſque [l] Heudam, quod eſt in rupe praerupta exciſum caſtellum, natura inſuperabile; quod a L praeſidiariis tenebatur, ſub duobus ducibus, qui ſtudiis inter ſe diſſidebant. Horum unus [m] Leodicenſis, qui regiis partibus favebat,

INTERPR. [a] *Haerlem.* [b] *le colonel Hellingh.* [c] *Ruychaver.* [d] *Maeſtricht.* [e] *Philippeville.* [f] *de Florennes.* [g] *de Marmier, ſieur de Gaté.* [h] *le comte de Meghem.* [i] *le comte de Berlaymont.* [k] *Namur.* [l] *Chateau de Heude.* [m] *Liegeois.*

favebat, optione delata ſocio, ut aut cum VI delectis in arce maneret, aut cum reliquis ad auxilia expedienda proficiſceretur, alter ad auxilia accerſenda proficiſcendi conditionem accipit. At Leodicenſis, tribus ex iis, qui ſecum remanſerant, corruptis, ceteros opprimit, et ita arcis compos eam advenienti Farneſio tradit, quae ad Limburgi obſidionem maximi momenti fuit. Inde promotis caſtris, Limburgum dedi juſſum. Recuſantibus oppidanis, admota tormenta; qua re attonitos eos conſpicatus Farneſius, cum conditiones proponerent, viciſſim audire noluit. At praefecto, cui ſatis animi ad reſiſtendum erat, ad faciendum ſuis animum facultas defuit. Itaque cum aliquot ſtipendiariis, oppido relicto, in arcem confugit; ubi cum ſe defendere pararet, et ſtipendiariis animi conciderent, ipſe cum Chriſtophoro Mondragonio tranſigere coactus eſt, libertate [a] Trajectum ſuperius abeundi conceſſa. Militum ejus major pars poſtea Auſtrio militavit. [b] Valcemburghum dein a Farneſio receptum, et [c] Dalemum vi expugnatum, ferroque et igne in victos ſaevitum. Ulterius procedente exercitu, etiam Trajectum ſuperius tentatum: ſed, Boſſuvio comite ſuperveniente, conatus fruſtra fuit. Inde Octavius Gonzaga cum parte exercitus ſub Bruxellas et [d] Montes Hanno-niae, populato circum agro, excucurrit, ſpe concepta, ut [e] Mechlinia occulto conſciorum in urbe aſtu in poteſtatem veniret: ſed, conſpiratione detecta, ipſe magno ſuo malo diſcedere cogitur. Nam mox Ordines copias magno numero educunt: quibus cedere coacti Auſtriaci infirmiora loca a ſe antea capta deſerunt, et, [f] Lovanio, Leva, Nivella in Brabantia praeſidio firmatis, circa [g] Thenas caſtra ponunt. Ad [h] Silvam ducis vario pugnae eventu ſaepius certatum.

VI. FAMA de Gemblacenſi clade ſparſa, Franciſcus [i] Andium dux regis frater, qui jampridem Belgio inhiabat, protinus ad Ordines [k] Fugereum mittit cum mandatis, quibus ſe ſuamque operam et opes prolixe deferebat. Qui a Philippo defecerant, et tamen ab Arauſionenſis partibus alieni erant, et Matthiam a ſe evocatum ab Arauſionenſi praeoccupatum dolebant, Andino favebant. Fugereo gratiae actae: et reſponſum, rem gratam ipſis facturum Andinum, ſi legatos, cum quibus in commune conſulerent, mitteret. Itaque miſſi protinus Antonius [l] Sillius Rupipotii comes et [m] Rochus Sorbeus Pruneus, quibus, ad [n] Giſlenii-fanum [o] Herviſarti diligenti ſolertia ſervatum, obviam proceſſere Philippus Lalanius comes, Carolus [p] Gaurus Freſinius, Theodorus [q] Liethfeltius aſſeſſor. Ibi nihil fere de conditionibus ſigillatim actum; de quibus poſtea Sextili menſe conventum eſt: tantum legatis confirmatum fuit, laetum univerſo Belgio Andini adventum fore. Cum hoc reſponſo ad Andinum legati rediere; qui jam VIII CIƆ peditum, CIƆ equites ex voluntaria nobilitate conſcripſerat: quibus cum ſtipendium non numeraretur, immane quam ſaeva ubique graſſati ſunt licentia, ne nobilium quidem domibus per agros parcentes, patiente rege, qui fratrem quavis conditione cum ſequacibus ſuis extra regnum eſſe percupiebat; nec tanquam auxiliares, ſed quaſi infeſtiſſimi hoſtes Belgium ingreſſi. Id Auſtrium jam pleno gradu ad victoriam integram aſpirantem aliquantum retardavit; qui, ut noſtrorum cum Belgis arctiorem conjunctionem impediret, mandata, quae a Philippo habebat, paſſim publicavit. Iis et plenum vicarii imperium attribuebatur, et facultas dabatur gratiam praeteritorum univerſis faciendi, modo intra certum tempus, id XX dierum praefinitum fuit, arma deponerent, et, religione conſtituta, ad obſequium redirent: et, ut poſtulatis Ordinum ſatisfacere videretur, externas copias ſe dimittere in animo habere denuo confirmavit. Quod ut facto comprobaret, a Gallis a Carolo Mansfeldio conductis initium fecit, quos Hiſpanis inviſos proximus Andini adventus ipſi ſuſpectos reddiderat.

VII. EODEM

INTERPR. [a] *Maeſtricht.* [b] *Valckenbourg.* [c] *Dalem.* [d] *Mons.* [e] *Malines.* [f] *Louvain, Lew, & Nivelle.* [g] *Tillemont.* [h] *Bois-le-duc.* [i] *d'Anjou.* [k] *de la Fougere.* [l] *de Silly, comte de Rochepot.* [m] *Roch de Sorbiers, ſieur des Pruneaux.* [n] *S. Ghiſlain.* [o] *Herviſaert.* [p] *de Gaure, ſieur de Freſin.* [q] *Lyeſveldt, conſeiller d'Eſtat.*

VII. Eodem tempore inſtigatus a Philippo et Auſtrio Caeſar, cum, poſt remiſſum Varembonii marchionem, Gebhardum [a] Truchesium [b] Colonienſem et Jacobum [c] Elſium [d] Trevirenſem [1] archiepiſcopos ſeptemviros, archiepiſcopum [e] Salisburgenſem, Ferdinandum [f] Baioariae ducem et Othonem Henricum Schuartsburgium comitem delegaſſet, qui de componendis Belgii motibus inter Philippum et Ordines Belgii rationes inirent; Schuartsburgium praemiſerat, qui, quid Matthias frater ab Arauſionenſi et ceteris proceribus perſuaſus in domus Auſtriacae praejudicium moliretur, ſedulo obſervaret. Is, de Caeſaris egregia erga ipſos voluntate multa praefatus, et deplorato ipſorum miſerabili ſtatu, in primis duo urget: ut religionis majorum conſervandae, et obſequii principi ſuo legitimo debiti rationem haberent. Unde capta occaſione Ordinum proceres evulgato prolixo ſcripto ad duo capita illa reſpondent: et abunde iis a ſe ſatisfactum oſtendunt ſecundum pacta pacificationis Gandenſis, quam bono religionis factam, nihilque in ſe pietati verae contrarium habentem, delecti theologi Lovanienſes approbaverint, et Auſtrius poſtea ac rex denique ratam habuerint. Sed ambitione Auſtrii Belgium in miſeram ſervitutem redigere ſatagentis, et improbitate Hiſpanorum, qui circum ipſum ſint, effectum dicunt, ut remedium optimum in tempore adhibitum nihil profuerit: nihilominus, quantum ad ſe, officio ſuo defunctos eſſe: nam, ne neceſſe haberent ad juſtam defenſionem auxilia externa aliorumque principum patrocinium confugere, Matthiam Philippi gentilem ac levirum evocaſſe, ac per ſupplices libellos deinde a rege petiiſſe, ut cum religionis antiquae perſtudioſum auctoritate ſua gubernatorem creare, aliumve Ordinibus gratum in ipſius locum ſubſtituere, dignaretur; ſed ſurdas et ad tam juſtas ſupplicationes ab immanibus Belgli hoſtibus obſtructas aures ejus reperiſſe, quanquam amicorum principum et Portugalliae regis in primis commendationem imploraverint: nunc autem novo commento ſuis ſupplicationibus illuſum: nam, cum datis demiſſi obſequii ſuperiore anno ad regem literis juxta pacta Gandenſia publicae quieti conſuli peterent, [g] Sellium cum regiis literis vix tandem poſt ſemeſtre ex Hiſpania rediiſſe: quibus ita ad Ordinum poſtulata reſpondetur, quaſi illi ſuis literis promiſiſſent, ſe Catholicam Romanam religionem eo ſtatu per Belgium reſtituturos, quo Caroli V tempore fuit: id directe cum pacificatione a rege confirmata pugnare: neque vero in ſua poteſtate eſſe aut ſine manifeſta antiquae religionis pernicie tentari poſſe; quippe novum haud dubie belli civilis incendium excitari, ſi Belgicae provinciae, ac in primis Hollandia ac Zelandia, ſe iterum duris Hiſpanicae Inquiſitionis decretis urgeri ſentiant: nihilominus id mordicus defendere Sellium et Auſtrium, quaſi Ordines pactis ſtare nolint, bello contra ſe minime abſiſtere; eoque rem deduxiſſe, ut, cum omnem rationi, ſupplicationibus, principum advocationibus viam praecluſam, regemque ab iis, et Albano praecipue, qui has calamitates innato contra Belgas odio importaverint, circumſeſſum, nihil de ſeveritate remittere videant, ex neceſſitate conſilia extrema capere cogantur: itaque, quam demiſſe et enixe poſſunt, Caeſaream majeſtatem obſecrare et obteſtari, Belgii, quod Imperii non contemnenda ſit portio, miſereatur; Matthiaeque fratri et Ordinibus in cauſa, quae et ad ipſum privatim pertinet, praeſto ſit, et auctoritate ſua, qua tanquam omnium diſſidiorum et controverſiarum orbis Chriſtiani a Deo judex et arbiter conſtitutus praepollet, efficiat, ut, ocius extincto, ne latius ſerpat, civilis mali incendio, pax in his provinciis aequabili jure conſtituatur, et per pacem religione Catholica aſſerta debitum principi obſequium reſtituatur.

CIƆIƆLXXVIII.
HENRICUS III.

VIII. Eodem

INTERPR. [a] *Truchſes.* [b] *de Cologne.* [c] *de Eltz.* [d] *de Trier* ou *Treves.* [e] *Saltzburg.* [f] *de Baviere.* [g] *le baron de Selles.*

NOT. [1] Aprés ces deux electeurs, de Meteren met, Julius evêque de Wirtzbourg; & de la part du duc de Cleves, Wernher ſieur de Gimmich, avec Otto Henry comte de Schwartzenbourg, comme deputez de l'empereur. *Put.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

VIII. Eodem tempore Ordines Antuerpiae, quo Matthias aulam tranſtulerat, ut dictis fidem aliquo operae pretio facerent, novam conſtitutionem promulgant XI Kal. Maias; qua denno Gandenſis pacificationis obſervatio ſancitur, ſingulis in eam jurejurando adactis; prohibeturque, ne quis cum hoſte commercia habeat, aut in concionibus ſermonibuſve offenſionis plenas voces, aut convicia in Matthiam, Arauſionenſem Ordinumque proceres jaciat. Mandatur inſuper juris praefectis, ut in eos qui extra Hollandiam ac Zelandiam aliquid contra religionem Catholicam Romanam attentaverint, ant in ejus offenſionem quidquam moliti fuerint, (offenſionis nomine conciones, baptiſmi, aliaque in uſu religionis Proteſtantium prohibita intelligebantur) juris rigore et executione utantur. Quod ſpecioſe decretum, non petinde, quantum ad Proteſtantium cauſam, ſervari potuit; quippe creſcente illorum pacis beneficio in dies ad ſua redeuntium numero, et neceſſaria eorundem ad bellum ob ſuſpiciones infidum opera. Poſtridie, cum ſacer ordo in pacificatiopis Gandenſis capita et ultimi hujus decreti verba ſacramento adigeretur, poſt praeſtitum ab antiſtitibus Belgii juramentum, citati Jeſuitae, qui Antuerpiae, dum Albanus Belgio praeeſſet, [a]Aquiſgranam domum, a [b]Schetorum familia Aquiſgrano in urbem migrante emptam, magnifice olim ſtructam et in ſuos uſus accommodatam, habitabant, jurare noluerunt, ne ptiotem fidem pontifici Romano, Auſtrii amico et auxiliatori, ſemel obſtrictam irritam facerent. Cumque in propoſito praefracte perſeverarent, nec ſacri ordinis exemplo adduci poſſent, ut decreto parerent, tandem XV Kal. Junias urbe exacti ſunt, et navigiis [c]Mechliniam avecti, atque inde Auſtrii mandatu Lovanio recepti ſunt. Recuſabant et initio Franciſcani: ſed a ſacro ordine perſuaſi ex iis XX ſacramentum dicunt: XIX, qui animum contra obfirmaverunt, et in iis coenobii cuſtos, extra urbem relegantur. Cum fremeret plebs et univerſos exturbandos ſeditioſe inclamaret, comprehenſis duobus, qui arma quaſi in coenobium vim facturi ſumpſerant, et extremo ſupplicio affectis, tumultus quievit. Tum ex occaſione Cornelii [d]Hadriani Dordracenſis, ex illo ordine totis illis regionibus famoſiſſimi concionatoris, qui mulra contumelioſe in principes et Ordines ſuperioribus temporibus, dum in Brugenſi coenobio degeret, dixerat feceratque, et devotarum foeminarum ſectam, addita ſecreta ac pudenda diſciplina, inſtiruetat, renovatum in Franciſcanos odium: quidamque ex iis, qui laici vocantur, et voto ſoluti aliis ſerviunt, in heros ſuos, a quibus indigne tractabantur, ſubornari eos deteſtandae libidinis apud magiſtratum poſtulant. Cuncti in vincula conjecti, cognitione [e]Jodoco Huiſmano et Aegidio [f]Witſio Flandriae [g]conſiliariis a Matthia demandata. Plures convicti: tres ad ignem damnati; totidem virgis caeſi; conſtanti adhuc inter multos memoria, ejuſdem criminis cauſa olim, Caeſare Maximiliano imperante, hujus monaſterii ſodaleis urbe pulſos fuiſſe. Eadem ſeveritate et in eos [h]Gandavi inquiſitum eſt. IV Franciſcani, I Auguſtinianus convicti publice exuſti ſuut: plures virgis caeſi: odioquè accenſo, IV mendicorum ordines ob id urbe ignominioſe pulſi. Secundum haec ſevere ab Ordinibus decretum fuit, ut penſitationes, quas pro cathedralitio, annatas vulgo vocant, tanquam caduca ex ſacerdotiis vacantibus pontifici dependi mos eſt, ſuſpenderentur; eaſque Romam mitti ad ptaeſens prohibitum eſt.

IX. Caesar, dum colloquium pro Belgica pacificatione inſtitueretur, Imperii comitia [i]Wormatiae Vangionum indixerat, loco ptopiore, et ad res illius provinciae opportuniore. Eo a Matthia miſſus Philippus [k]Marnixius Santaldegondanus otationem mire liberam ad ſeptemviros et Imperii principes, qui aderant, Nonis Maii habuit; qua, deplotato miſerabili Belgii ſtatu, et Albani Auſtriique tyrannide acerbis verbis

INTERPR. [a] *Aix la Chapelle.* [b] *Schetſen.* [c] *Malines.* [d] *Adrianſen de Dort.* [e] *Joſſe Huyſman.* [f] *Wyts.* [g] *conſeillers au conſeil provincial de Flandre.* [h] *Gand.* [i] *Worms.* [k] *de Marnix, ſieur de Ste Aldegonde.*

verbis exagitata, Imperii opem imploravit; quippe commune Belgii cum Imperio periculum eſſe; praedixitque fore, ut belli incendium, niſi ſiſtatur, ſe latius ſpargat, et [a] Coloniam, Monaſterium, Emdam aliaſque vicinas civitates, quas ex Albani conſilio Hiſpani ſub jugum mittere jampridem decreverint, olim complectatur. Proinde rogat Caeſarem Imperiique principes, ut rebus Belgarum afflictis ſubveniant, Auſtrium ac ſequaces ejus juxta Imperii jura proſcriptionis poenam interminati coerceant, et, ne quis eos milite, armis ac commeatu juvet, prohibeant; Ericum Brunſvicum et Nicolaum [b] Polvillerium aliosque Germanorum duces revocent, eademque poena addita domum quamprimum redire jubeant. Ad eam orationem publicatam poſtea contraria oratione Calidii Chryſopolytani nomine Lucemburgi edita reſponſum eſt, quae tota in exagitanda Belgarum in Deum ac principem ſuum rebellione occupatur. Diverſa parte, Ordines, inſtigante Arauſionenſi, abjecta omni pacis poſt Sellii reditum ſpe, non jam ſe defendere ſed bellum Auſtrio inferre ſtatuunt. CIƆIƆLXXVIII. Henricus III.

X. Jam ante Carolum [c] Croium Havreci marchionem ad Eliſabetham Anglorum reginam ad auxilia expedienda miſerant; quem illa perhonorifice exceptum, et promiſſis XV CIƆ peditum et CIƆ equitibus, viciſſim remiſerat. Sed cum a re pecuniaria plus laboraretur, poſtea iterum in Angliam ablegatur Havrecus, qui cum regina, mutatis conditionibus, tranſegit, ut, loco bellatorum, XXC CIƆ [d] Angelorum numerari Jo. Caſimiro Ludovici Palatini ſeptemviri fratri curaret; qui, ab Ordinibus conductus, cum III CIƆ equitum, III peditum itidem CIƆ conſcribenda ſuſceperit, aucto ſtipendio, praeterea II equitum millia et III CIƆ peditum adderet. Conſcripti et a comite Schuartſemburgio III CIƆ equitum, CIƆ IƆ ab Havreco marchione, CIƆ a [e] Wolmerichuſio, ac totidem a Martino [f] Schenkio. Inſuper legioni peditum praeficitur Lazarus [g] Mullerus. Quae copiae cum aut Proteſtantium ductu regerentur aut opibus ſuſtentarentur, id in majorum religionis perniciem ab Arauſionenſi fieri interpretati, qui ei conſultum volebant, ſenſim alienari et nova conſilia inire ſuſpectaque omnia Arauſionenſis habere: in primis provinciae Galliae noſtrae vicinae collationes pecuniarum initio remorari, mox et aperte denegare: idque maturandi Andium ducis adventus cauſa extitiſſe creditur; qui ſub id tempus [h] Montes Hannoniae venit, exiguo admodum comitatu, ut diſcordiis ſe medium interponeret, et aliquo operae pretio ſuum erga Belgas ſtudium comprobaret. Antequam in Belgium proficiſceretur, ex compacto cum parente regina ad levandam invidiam ſcriptum edit; quo procerum et Ordinum Belgii rogatu ſe invitatum dicit, ne provinciam Hiſpanorum tyrannide tamdiu vexatam, et olim coronae Franciae, cujus ipſe ſecundum regem nobiliſſimum ſit membrum, beneficiariam in tantis calamitatibus deſereret: et vero, quamvis diſſuadente chariſſima matre ceteriſque principibus, eorum preces contemnere noluiſſe; ſed boni principis officio ſe defungi exiſtimaſſe, ſi honorificis adeo conditionibus oblatis in tam honorifico bello occaſioni non deeſſet. Nam ſuum hoc votum ac deſiderium unicum eſſe; non ut rebellanteis adverſus legitimum principem populos protegat, quod inimici imprudenter jactitent: verum, ut pacem concordiamque Ordinum tueatur; quae per ſuperiorum temporum injuriam perverſa ſunt, corrigat; jus aequabile conſtituat; populos intolerandis oneribus levet; antiqua privilegia ac libertates cònjunctae Gallico nomini nationi opera ſua conſervet: quod cum ſibi conſilii ſit, non poſſe non honorificam hanc expeditionem eſſe, et Gallico regno utilem, qua bellum, quod tamdiu in viſceribus ac regni praecordiis haeſit, foris educeretur, et, quod ſibi intus noxium erat, externo malo applicatum olim utriſque et Gallis et Belgis proficiat: proinde

INTERPR. [a] *Cologne, Munſter & Embden.* [b] *le baron de Polweiller.* [c] *de Croy, marquis de Havreck.* [d] *Angelots.* [e] *Wolmeronckenſen.* [f] *le baron de Schenck.* [g] *Muller.* [h] *Mons.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III. proinde Deum ſe obteſtari, non avaritia aut ambitione vel convellendi cujuſquam imperii deſiderio, ſed officio tantum et afflictae adeo provinciae commiſeratione ſtimulatum hoc bellum ſuſcipere; ad quod operam navaturos in partem quoque gloriae ac praemiorum vocat. Secundum haec, poſtquam Montes citatis equis venit, a Philippo Lalanio comite provinciae praeſide et Ordinum delegatis honorificentiſſime exceptus, mox legatos Antuerpiam mittit Ludovicum [a] Claromontium Amboſium [α] Buſſium, Aegidium [b] Riantium Villereum et Claudium [c] Mondolcetum; qui his conditionibus cum Ordinibus Eid. Sextil. tranſegerunt: ut dux adverſus Hiſpanorum et Joannis Auſtrii tyrannidem, patrocinio Belgii ſuſcepto, defenſor Belgicae libertatis ab Ordinibus promulgatus, x cIↃ peditum, II cIↃ equitum ſuis ſumptibus per trimeſtre proximum ſuppeditet; quo exacto, ſi finis bello non impoſitus erit, III cIↃ peditum et IↃ equites tantum praeſtare teneatur: ad firmandas Ordinum vireis, amicitia cum Eliſabetha Anglorum regina ineatur, ſociato Henrico Navarrae rege et Jo. Caſimiro. Nullum Andinus religionis cauſa bellum moveat: poſſint tamen ipſi pacem arbitrio ſuo facere inter menſem Quintilem proximum; verum citra ducis ejuſque clientum ac foederatorum detrimentum, eaque lege, ut ante finem ejuſdem menſis Auſtrius in Ordinum manus tradat [d] Lucemburgum, Ruremundam, Daventriam et omnia cis Moſam oppida: ipſe [e] Andinus, cum aderit, imperatoris ſupremi in exercitu nomen et auctoritatem cum ipſis Ordinibus conjunctim retineat; quorum vice fungetur praefectus generalis, qui per ducis abſentiam Ordinum nomine ſolus imperabit: provinciarum adminiſtratio penes ſolos Ordinum proceres, Matthiam archiducem et Ordinum concilium maneat, fide ab iis interpoſita, ſi quidem alium a Philippo dominum aut principem acceptare velint, ſe ducem Andium cunctis aliis praelaturos: interea ſecuritatis cauſa ei traditis [f] Avenis, Queſnoio et Landrecio in limite oppidis caveatur: quod ſi [g] Philippopolim, [h] Bincium aut [i] Mariaeburgum capere poſſit, ea Avenarum loco cedant. Alii Avenarum loco [k] Bavacum attributum ſcribunt. Praeterea, quae trans [l] Moſam oppida capiet, ea ſibi retineat; quae citra Moſam ea Ordinibus cedant: dux non alios quam Gallos naturaleis eoſque praefinito numero ſecum ducat, exceptis Helvetiis ſtipatoribus: impediat, quantum in ipſo erit, ne Galllcae copiae Hiſpanis auxilio veniant: eos pro hoſtibus ſuis habeat quos Ordines hoſteis declaraverint, ac praecipue Hiſpanos eorumque ſocios: accepta pignori oppida, receptis ſumptibus, reſtituere teneatur: quod ſi ea luere ipſi non poſſint, poſt ducis mortem maſculae ejus proli cedant. Eodem tempore, quo rex haberet quo ſe de fratris expeditione apud Philippum excuſare poſſet, Pomponium [m] Bellevreum [n] Antuerpiam mittit; qui III Non. Sextil. longa et gravi oratione proceres et Ordines ad pacem hortatus eſt, ſed irrito fine, exacerbatis adeo animis, ut nullas ſatis tutas conditiones Belgae toties ab Hiſpanis decepti arbitrarentur. Quae dum fiunt, recepta interea ab Andino cum iis, quas habebat, copiis [o] Soignia, [p] Malabogium, [q] Reüxia, loca ab oppidanis deſerta, ac praeſidiis firmata. Cumque Michael [r] Combellus, legionis Gallicae dux [ſ] Lentium Barlemontii comitis in [t] Hannonia caſtellum Ordinum mandato veniſſet, XII Kal. Jun. ab Hiſpanis oppugnatus eos cum damno repulit, ac retrocedere coëgit. Infeliciore dein exitu noſtris certatum; et ab Hannibale Altempſio, dum ſolutius incedunt, Galli caeſi, amiſſis x ſignis, quae Altempſius ſumma exultatione ad Auſtrium miſit.

XL. JAMQUE numeroſiores copiae ad limitem convenerant, et, graſſante in utroque exercitu Gallorum et Hiſpanorum licentia, multa avare, plura libidinoſe admiſſa: ex

VAR. LECT. [α] Buſſium, Ludovicum Haquavillam, Villanovanum, Aegidium *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Clermont d'Amboiſe, ſieur de Buſſy.* [b] *de Riants, ſieur de Villeré.* [c] *de Montdoucet.* [d] *Luxembourg, Ruremonde, & Deventer.* [e] *le duc d'Anjou.* [f] *Aveſnes, Queſnoy, & Landrecy.* [g] *Philippeville.* [h] *Bins.* [i] *Marienbourg.* [k] *Bavay.* [l] *la Meuſe.* [m] *de Bellievre.* [n] *Anvers.* [o] *Soigny.* [p] *Maubeuge.* [q] *Reux.* [r] *de Combelle colonel.* [ſ] *Lens.* [t] *Hainault.*

CIↃIↃLXXVIII.
HENRICUS III.

ex quibus duo in primis inſignia exempla memorantur ab iis qui res hujus anni ſcripſere. Tribunus quidam Gallus, [a] Pontius nomine, ad [b] Becurtium pagum ſibi hoſpitium ſumpſerat in domo Jo. [c] Milleti, probi et ditis agricolae, cui tres filiae eximia forma erant: quarum major natu ceteris formoſior, ut placato hoſpite uteretur, ſedulo omnia domus miniſteria obibat. In eam oculos conjecerat tribunus; occaſionemque libidinis explendae quaerens patrem cum filia menſae accumbere jubet, et, libidine inter vina incaleſcente, per ludibrium rogat, an ſibi filiam in uxorem dare vellet. Agricola, homo non inſulſus, et quod erat conjiciens, impari conditione ſua praetexta, cum modeſte ſe excuſaret, tribunus excandeſcens et in dejerationes prorumpens protinus caenaculo patrem pulſatum faceſſere jubet; quem filia pone ſequens a militibus vi retenta eſt, moxque a furente tribuno inter lamenta et ejulatus compreſſa, poſteaque temulentis ſociis ad injuriam expoſita eſt. Inde ad menſam reditum: et juvencula, magnos ſupraque ſortem et aetatem, vix enim XVI annum exceſſerat, generoſos ſpiritus gerens, cum non tam de deploranda quam vindicanda injuria cogitaret, ſedere juxta tribunum juſſa paruit, et, compoſito ad dolorem diſſimulandum vultu, poſt crebras ad injuriam adjectas per laſciviam contumelias, tempus nacta, Pontium, dum ad aurem inſuſurranti cuidam faciem averteret, cultro in cor violenter adacto conficit; disjectiſque protinus menſis, dum commilitones ad tribunum accurrunt, illa per poſticum elabitur, et ad patrem in proximo diverſantem properat; reque expoſita, ut fugam mature cum aliis duabus filiis capeſſat, monet. Ipſa, poſt ereptam virginitatem vivere non ſuſtinens, cum vitare periculum potuiſſet, graſſatores intrepide expectat: a quibus ſtatim comprehenſa et arbori alligata, ut ſcloppetorum ictibus conficeretur, poſt commendatam Deo animam, Feri, inquit, miles, et certis ictibus mortem ei optatam accelera, quam vi illata indignam effeciſti quae viveret; haud utique injuriam, quam jam in duce veſtro inultam non ſivit Deus, diu impune laturus: nec verbis augurium defuit. Nam pater, tali filia dignus, ubi rem reſcivit, geminata injuria efferatus, vicinos ex pagis agreſteis ad arma ciet; qui milites facti complices cum iiſque IV alias cohortes circumventas ad unum omnes ceciderunt. Aliud et pari petulantia facinus, ſed diſpari exitu, memoratur. Ex Auſtriacis Hiſpanus quidam nobili loco centurio, juxta [d] Inſulas in cauſidici cujuſdam domo exceptus, hoſpitis filiae admodum formoſae vim in arcano ſeductae inferre voluit; quae inter luctandum pugionem ſtupratori ereptum in lumbos tam violento ictu adegit, ut, ſtrato eo, e manibus ipſius ſe extricare valuerit. Ille vero morti ex ictu illo proximus, cum crimen ſacerdoti confeſſus eſſet, factique ultra modum poenitentia duceretur, juvenculam ubique veſtigatam coram ſiſti juſſit, his verbis eam affatus: Morituro mihi expetendum fuerat, ut injuria tibi a me illata a te mihi remitteretur: ſed ad expiandam culpam haud ſatis confeſſio ac veniae petitio viſa eſt, niſi decus per vim ereptum decora ſatisfactione reſarcirem. Igitur me tibi vitum addico: et, quoniam crimine meo et virtute tua effectum eſt, ut me frui non poſſis, habe nomen uxoris, titulos, inſignia, et bonorum meorum heres eſto; ut, qui te conatu violatam meminerint, ſciant, te conjugium tentatae virginitatis, quam tam ſtrenue defendiſti, honeſtiſſimum praemium retuliſſe. Quibus dictis, et ſacerdote verba praeeunte, cum, patre conſentiente, matrimonium contractum eſſet, Hiſpanus ſtatim expiravit, ambiguo relicto, uter generoſius hic culpam emendaſſet, an illa pudori conſuluiſſet. Interea Ordinum copiae convenerant, inter [e] Liram et Herentalam caſtris poſitis. His militabant Schuartſenburgius comes, et Ericus Brunſvicus nothus cum ſuis equitibus Germanis: Maximilianus Boſſuvii comes caſtrorum praefectus delectus fuerat. Cum Caſimirus per

INTERPR. [a] *le capitaine Pont, François.* [b] *le village de Becourt.* [c] *Millet.* [d] *Lille.* [e] *Lierr & Herentals.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III.

per [a] Geldtiam venturus exſpectaretur, Jo. [b] Hangeſtus Argenlius, qui ei militabat, cum Gallorum delectorum agmine, per [c] Pleumoſios et Atuaticos profectus, fruſtra ab Ordinibus, ut in caſtra veniret, rogatur. Nam contrarium Caſimiri imperium, obviam ſibi cum Gallis occurri mandantis, cauſatus, in Geldriam recta tendit magno Ordinum incommodo. Poſt luſtratum quippe a Matthia exercitum et caſtra ad [d] Rimenantam poſita, peditatu praecipue egere ſe duces ſentiebant, ut Auſtrium tuto aggredi poſſent.

XII. Sub id tempus Franciſcus [e] Lanovius, ob integritatis, prudentiae ac militaris ſcientiae famam notus, honorifice ab Ordinibus evocatus in Belgium venit. In caſtris Ordinum erant marchio [f] Havrecus et Araſchotanus dux ejus frater, [g] Lalanius comes, Ecmundanus et Marcianus comites, marchio [h] Bergenſis, vicecomes [i] Gandenſis, [k] Hocſtratanus et Hohenlous comites, [l] Schenkius, alii primarii duces; Jo. [m] Norriſius Anglorum et R. Stuartus Scotorum tribuni; qui eo loco ducta foſſa caſtra muniverunt, et Jo. Caſimirum alioſque auxiliares exſpectabant, qui ſe cum iis III Kal. Quintil. qui dies BB. Petri et Pauli ſacer eſt, conjunxerunt, feſta tormentorum diſploſione et laeto tympanorum ac tubarum ſtrepitu excepti. Numerata ſunt omnino XXX CIƆ bellatorum. Nec minor numerus Auſtriacorum fuit: quorum praecipui duces A. Farneſius, Octavius Gonzaga, Ericus Brunſvicus, Franciſcus Saxo, duces, Petrus Erneſtus Mansfeldius comes ſummus caſtrorum praefectus, Antonius [n] Croius Reuxiae comes, Barlemontii comes rei tormentariae praefectus, ejuſque fratres [o] Megenſis comes et Altapennius, [p] Valcemburgius comes: ex Hiſpanis Petrus Toletanus Ferrandinae dux, Ferdinandus [q] Toletanus Mondragonii comes, [r] Lupus Figueroa, Chriſtophorus Mondragonius, Henricus [ſ] Viennenſis Capralius regulus Sequanus, alii. Cum iis Auſtrius, qui paulum ex morbo convaluerat, Araſchotum oppidum praetervectus, in conſpectum foederatorum venit. Primam aciem ducebat Alfonſus Martines Leva, [t] Sanctii Navarrae vicarii filius, qui, relicta navium actuariarum Hiſpanarum praefectura, ſponte huic militiae nomen dederat, et CC delectorum cohortem ſub X ducibus primariis viris ſecum [u] Neapoli adduxerat. Iis praeferebatur ex ſerico nigro vexillum, in quo Chriſti in monte Calvariae cruci affixi imago depicta erat, cum regiis inſignibus pedibus ejus ſubſtratis. Leva, ope caeduae ſilvae provectus, foederatos ad pugnam elicere jubetur. Quo cognito, [w] Boſſuvius excubias citerius revocat, et ad eum uſque locum, in quo IƆ ſcloppetarios in inſidiis diſpoſuerat, recedere jubet. Incumbente demum Leva, Boſſuviani aliquantum cedendo a ferentariis infeſtati ſunt; quo ſucceſſu elatus Leva in equitatum acrius invehitur: ſed mox in latus ſcloppetariis inde incumbentibus, inde Anglis et Scotis juxta rivulum diſpoſitis, Norriſio et Stuarto ducibus, Hiſpani patenteis campos relinquere et ad ſepimenta confugere coacti ſunt. Ibi ſummis animis, neque tamen de ſumma, pugnatum eſt Kal. Sextil. a ſeptima hora matutina ad veſperam, coelo ita ardente, ut Scoti et alii, aeſtus impatientes, milites, exutis veſtibus et induſiorum manicis ad femora alligatis, toto eo die certare conſpecti ſint. Magnam laudem meruit Norriſius, cui tres inter pugnandum equi ſuffoſſi. Magna et virtus [x] [α] Binghami tribuni [y] Candiſhi legati, nec non Gulielmi [z] [β] Markhami fuit. Galli itidem ac Belgae egregiam in ea pugna operam navarunt. Auſtriaci eadem, qua venerant, via receſſerunt, amiſſis ex ſuis circiter IƆ CCCC:

pauciores

VAR. LECT. [α] Cunigamii *D. f.* [β] Marciani *D. f.*

INTERPR. [a] *Gueldre.* [b] *d'Hangeſt, ſieur d'Argenlieu.* [c] *Flandre & Brabant.* [d] *Rymenant.* [e] *de la Nouë.* [f] *le marquis d'Havreck & le duc d'Arſchot.* [g] *les comtes de Lallain, d'Egmond, & de la Marck.* [h] *de Berghes.* [i] *le vicomte de Gand.* [k] *les comtes de Hooghſtrate & Hohenlo.* [l] *le baron de Schenck.* [m] *le colonel Norris.* [n] *de Croy, comte de Rœux.* [o] *le comte de Meghem & le ſieur de Haultepenne.* [p] *de Valckenburg.* [q] *de Tolede, comte de Mondragon.* [r] *Lopez Figueroa.* [ſ] *de Vienne, baron des Chevreaux, Franc-Comtois.* [t] *Don Sanche de Leyva, viceroy de Navarre.* [u] *Naples.* [w] *le comte de Boſſut.* [x] *le colonel Bingham.* [y] *Candiſh.* [z] *Markham.*

Digitized by Google

pauciores ex Ordinum exercitu deſiderati. Culpa non plenae victoriae partae a pleriſque in Boſſuvium rejecta, qui non omnibus copiis in hoſtem impreſſionem feciſſet: qui tamen juſtas non tentatae ſummae rerum aleae cauſas habebat; quippe iniquo equitibus loco et exercitu haud ſatis inſtructo. Inde Auſtrius in Namurcenſem agrum rurſus concedit, jam iograveſceote valetudine, et ad reficiendum militem caſtra in munitione juxta [a] Moſam a Gabriele Setbellono delineata ponit, ibi Nic. Polvillerii et Hannibalis Altempſii auxiliareis Germanorum copias opperiturus. Interea a Gandenſi vicecomite Araſchotum, quod a Mutio Pagano cum una Italorum et II Germanorum cohortibus tenebatur, prodente oppidum piſtrinario quodam, ante auroram per cataractam molatrinae ſervientem aſtu intercipitur. Caeſi praeſidiarii et direptum oppidum; moxque a victore in caſtra concedente deſertum, quod e veſtigio ingreſſi Hiſpani, quaſi auxilio miſſi, occiſis, qui reſiſtere auſi ſunt, oppidanis, quod reliquum foederatorum rabies fecerat, ipſi rapuerunt, et ad extremum oppidum incenderunt. Matthias Lovanium verſus caſtra promovet, quod valido praeſidio, duce [b] Capralio, firmatum praetervectus, [c] Nivellam ducit. Cujus in obſidione dum haeret, Boſſuvius comes cum II CIↃ peditum et totidem equitum delectorum Lovanium verſus tendit cum Franciſco [d] Lanovio et vicecomite Gandenſi. Ibi egreſſis ad pugnam praeſidiariis acriter pugnatum, deteriore tamen praeſidiariorum conditione; paulumque abfuit, quin ex ejus certaminis occaſione Boſſuvius Lovanium obſidione cingeret. Sed foſſoribus deficientibus et idoneo tormentorum numero, ad tam vaſtam urbem expugnandam neceſſario, auctore Lanovio, ab hoc conſilio abſtinuit. Receptae interim inter incedendum ab exercitu [e] Sartum et Mota, arces; haec pulſationem paſſa et vi expugnata, illud deditum. Nivella item et [f] Genapum, vix viſo hoſte, deditionem fecere. Cum vero Matthias [g] Valencianas negotiorum certorum cauſa [h] Archiam miſiſſet, tumultuatum eſt in urbe; vixqoe interventu Joannis [i] Ricardoti privati concilii aſſeſſoris, viri ſumma prudentia praediti, eo ſtatim a Matthia ablegati, tumultus ſedatus eſt, cum integros octo dies, urbe factionibus ſciſſa, diviſi oppidani infeſta arma habuiſſent; quae tandem certis conditionibus utrinque XVI Kal. Sept. depoſuerunt.

XIII. JAM ante X Kal. Quintil. Proteſtantes, qui numero per ſingulas urbes admodum creverant, porrecto Matthiae et Ordinibus libello ſupplici petierant, ut ad jus aequabile cuſtodiendum et tollendas ſuſpicionum, quae bellis cauſam dediſſent, caoſas, libera religionis ſuae profeſſio ubique in Belgio conſtitueretur. Libello cauſae, ob quas a Romana eccleſia defeciſſent, exponebantur; et ſaevitia ac tyrannis Albani ultra modum exagitabatur, qui XVIII hominum CIↃ carnificis manu interfeciſſet; cujus exemplum ſecutus Ludovicus Requeſenes, non quidem ferro, ſed exilio et proſcriptionibus, in innocentem plebem ſaeviiſſet, er urbes opificibus, quorum fere induſtria Belgii opes conſtant, exinaniiſſet. Tum ſe ſacro ordini ac Catholicis cavere paratos demonſtrant, conditionibus ab Ordinum concilio proponendis; multiſque rationibus oſteodere conantur, duas religiones in eadem proviocia citra civilis coocordiae diſpendium tolerari poſſe; idque primorum Chriſtianorum et imperatorum, IV in primis, exemplo, qui noſtro aevo in Germania eam libertatem Proteſtantibus conceſſerint: regis denique Franciae, Poloniae, Turcorum principis, regis Marochenſis, et pontificis ipſius, Judaeorum ſynagogas in urbe tolerantis, exemplo probare nituntur. Ad libellum cum Ordines reſponſum ob negotii difficultatem diſtuliſſent, illi rurſus Non. Quintil. alterum offerunt; noviſque conditionibus ſe cavere paratos Catholicis et ſacro ordini declarant; ſponſoreſque principes ſe daturos recipiunt, nihil in publicae

CIↃIↃLXXVIII.

HENRICUS III.

INTERPR. [a] *la Meuſe.* [b] *le baron des Chevreaux.* [c] *Nivelle.* [d] *Fr. de la Nouë, & le vicomte de Gand.* [e] *Chaſteaux du Sart & de la Motte.* [f] *Genap.* [g] *Valenciennes.* [h] *le ſieur de Harchies.* [i] *Richardot, conſeiller d'Eſtat.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III.

publicae quietis praejudicium, libertate conveniendi permiſſa, a Proteſtantibus attentatum iri. Secundum haec Matthias et Ordinum proceres, plebi ubique his opinionibus praeoccupatae ſatisfaciendum rati, pacem religionis, ut olim Ferdinando Caeſare in Imperio, ſic et in Belgio conſtituunt, quae in civitatibus eam acceptare volentibus locum habitura eſſet. Ea de re edictum Antuerpiae promulgatum IV Eid. Quintil. XXXVI capitibus abſolutum; quod neque cum pacificatione Gandenſi pugnabat, neque Brabantiam, Flandriam, Arteſiam, Hannoniam, aliaſque Belgii provincias mutuo obligabat; ſed cuique liberum relinquebat id quod conſultum videretur facere: Hollandi autem et Zelandi contra religionem majorum aliquid moliri prohibebantur: eoque pertinebat haec pacificatio, ut Hiſpani toto Belgio expellerentur. Secundum haec, [a] Antuerpiae, Bruxellis, Mechliniae, Bergis, Bredae, Lirae, Brugis, Hipris, in Friſia vero paſſim et Geldria templa Proteſtantibus, tam [b] Martinianis quam Zuinglianis ſeu Calviniſtis, attributa ſunt. Et Antuerpiae quidem Calviniſtis [c] ſacellum caſtri, quod Moabiticum vocant, Jeſuitarum, Franciſcanorum, Dominicanorum, B. Andreae, poſtea etiam primarium B. Mariae, et B. Jacobi templum, reſervatis ad uſum Catholicorum choris; S. Georgii et Carmelitarum templa Auguſtanae confeſſionis ſociis aſſignata ſunt. Bruxellis aliquandiu altercatum, cum [d] Campaniacus, Heſaeus, marchio [e] Bergenſis, [f] Glimeſius aliique, licet foederati, intercederent, urbem principum regiam eſſe dictitantes, quae proinde ceterarum numero eximi deberet. Sed, tumultuante plebe, nihil impetrari potuit; et Campaniacus, quamvis de patria multis egregie factis optime meritus, in ſuſpicionem apud ſeditioſos adductus, quod cum Granvellano cardinali fratre conſilia communicaret, Sextili menſe cum aliis in vincula ducitur, et poſtea [g] Gandavum captivus avehitur, ceteris dimiſſis. [h] Tornaci, Inſulae, cum idem oppidani factitare meditarentur, Gallicarum provinciarum ſubortae diſſenſiones, quo minus pax religionis in iis reciperetur, impedimento fuere.

XIV. INTEREA de pace legati externorum principum conveniunt: Caeſaris nomine Otho comes Schuartſemburgius; pro rege Pomponius Bellevreus; ab Eliſabetha Angla miſſi ex procerum ordine [α] [i] Cobhamus et Franciſcus [k] Walſingamus amplo ac magnifico admodum comitatu. Conditiones ab Ordinibus propoſitae; ut, quaecunque ab Ordinibus poſt Auſtrii in agrum Namurcenſem diſceſſum geſta eſſent, rata haberentur; et, quia Andino integrum menſem Auguſtum condixerant, intra quem Auſtrius oppida traderet et Belgio faceſſeret, Matthias interim archidux gubernator maneret: cuncta juxta pacificationem Gandenſem adminiſtrarentur, cauſa religionis comitiorum univerſalium judicio reſervata: captivi omnes et Philippus [l] Buranus Arauſionenſis filius dimitterentur. Hac pactione regina Angliae, Andinus, rex Navarrae, Jo. Caſimirus aliique foederati et Ordinum auxiliares comprehenſi. Legati urgebant, ut Auſtrius poſtulatis ſatisfaceret, vel ob pactum cum Andino initum: magnam eſſe Ordinum et foederatorum potentiam, et res adhuc integras manere; nec expectandum, dum ex deſperatione extrema conſilia capiant: ſalvo honore ac cum decore poſſe Auſtrium Belgio excedere, quippe Caeſare, rege Franciae, regina Angliae intervenientibus; ita has provincias Philippo legitimo principi conſervari, et ſub ejus imperio religioni Catholicae optime conſultum iri. Haec Lovanii, Antuerpiae et aliis locis propoſita et agitata a legatis cum Auſtrio; qui nullas conditiones admittere voluit, niſi iis legibus, ut religio nova non reciperetur, Ordines ante omnia arma deponerent, et Arauſionenſis in Bataviam ſuam concederet. Inducias quidem

interponi

VAR. LECT. [α] Cobbanus *D. f.* Cobbamus *D.* d.

INTERPR. [a] *Anvers, Bruxelles, Malines, Bergen-op-zoom, Breda, Liere, Bruges, Ypres.* [b] *Lutheriens.* [c] *la chapelle du Château,* appellée *l'eglise des Moabites.* [d] *les ſieurs de Champigny & de Heſe.* [e] *le marquis de Berghes.* [f] *de Glimes.* [g] *Gand.* [h] *Tournay & Lille.* [i] *Guillaume Brooke, baron de Cobham.* [k] *Walſingham.* [l] *le comte de Buren.*

interponi petebat, dum maturius de re tota conſultaretur: ſed, Arauſionenſi reclamante, nihil actum. Poſtremo Auſtrius, novis auctus copiis, cum ſciret, pecunia deficiente, ſtipendia ab Ordinibus conductitio millti diu exſolvi non poſſe, ut eos diuturnitate belli et affectata mora exhauriret, reſpondet, Philippum totum hoc negotium Caeſaris arbitrio commiſiſſe: literiſque ea de re ab Auſtrio ad Ordines datis, actioni finis imponitur. Miſſus ſub id ab Ordinibus Romam Elbertus Leoninus, juris ſcientia et inſigni prudentia clarus, qui cauſam eorum apud pontificem tueretur, periculumque, quod ab obſtinata Hiſpanorum pervicacia et Belgio et religioni imminebat, multis verbis exponeret. Viciſſim miſſus Ramires Guſmanus ad Imperii principes, ac Colonienſem archiepiſcopum, quod conventui Colonia deſtinata eſſet, in ea anno ſequenti celebrato; in quem rerum ſucceſſum rejecerunt novi motus inter Ordines exorti, et mors Joannis Auſtrii.

CIƆIƆLXXVIII.
HENRICUS III.

XV. MOTUUM origo fuit a Gandenſibus, fatali ſeditionibus populo, et rerum novarum ſemper appetente; inter quos primarii cives Proteſtantium doctrinae addicti, quo ferventius ſuum in procurando religionis negotio ſtudium oſtentarent, nullo non contumeliae ac ſaevitiae genere in ſacrum ordinem ac ceteros Catholicos conciveis ſuos uſi erant, templis paſſim expilatis, imaginibus dejectis, eccleſiaſticis urbe pulſis ac bonis injurioſe ſpoliatis; ut nulli minus toto Belgio pacem de nomine ſuae urbis promulgatam ſervarent. Eorum factione anno ſuperiore effectum fuerat, ut proceres plerique in vincula truſi eſſent: et multi etiamnum carceribus injurioſe attinebantur. Ipſi, ſive ut privatis cupiditatibus inſervirent, ſive ut ſe adverſus tot irritatos proceres, et nobilitatem provinciae in primis, cui jam formidabiles eſſe coeperant, tuerentur, pecuniarum collationes ab Ordinibus imperatas recuſabant, et jam diu apud ſe retinuerant: qua re non ſolum ab regio obſequio, ſed etiam ab Ordinum Belgii auctoritate ſe alienos oſtendebant. Nec tamen his initiis malum ſtetit. Nam et Brugas et Hipras in ſuas partes pelliciunt, et gubernacula earum factionis ſuae hominibus committunt: quod et idem in minoribus Flandriae urbibus faciunt; [a] Dermondae, Aldenardae, Aloſti, aliis: militem privata auctoritate conſcribunt, urbem ſuam, quamvis ampliſſimam, olim a Carolo v ob ſeditionem anni CIƆIƆXXXIX moenibus nudatam, mira celeritate aggeribus, foſſa, propugnaculis omni ex parte muniunt, ingentemque tormentorum fuſilium copiam ex cupro et aere, conflatis templorum tintinnabulis, parant. Nec ſacerdotes ſpoliaſſe contenti, eorum bona vili pretio vaenire jubent, emptoribuſque hac illice invitatis, coenobia, templa et aedificia diruunt, nemora caedunt; ac poſtremo majorum religionis cultum omnino abolent. Fruſtra miſſi a Bruxellenſibus et Antuerpianis legati; qui cum nihil impetrare potuiſſent, etiam a Matthia et Arauſionenſi ac Ordinibus miſſi, et in iis Philippus [b] Marnixius Santaldegondanus, qui eos quieſcere juberent; qui et ipſi fruſtra fuere. Praecipui factionis duces erant Joannes [c] Imbiſius, Aegidius [d] Buclutius et Jodocus Trieſtus; qui, ſuſpiciones et alia ad plebem incendendam cauſati, omnia ex arbitrio gerebant. Itaque Imbiſius ipſe [e] conſul creatur, qui ſummus eſt ea in urbe magiſtratus; homo ambitioſus et juxta ſuperbus ac rapax: cujus tamen cum praecipuae diligentiae deberetur tantae molis feſtinata munitio, qua urbs paene deſolata in antiquam magnitudinem excreviſſe et priſtinos ſpiritus reſumpſiſſe videbatur, eo fiebat, ut plebs nihil non ei permitteret. Is conſilio duorum Gallorum, Michaëlis [f] Huguerii, [g] Autrico in Carnutibus nati, et [h] Saraceni, maxime ſui ſimilium, in omnibus negotiis utebatur: quibus adminiſtris, neque materia ſeditionibus, neque animus plebi ad eas fovendas unquam deeſſe poterat. His contraria factio exorta eorum, qui vulgo Male-contenti, a Proteſtantibus

INTERPR. [a] *Dendermonde, Oudenarde, & Aloſt.* [b] *de Marnix, ſieur de St^e Aldegonde.* [c] *d'Imbiſe.* [d] *Gilles Bouluyt & Joſſe Trieſt.* [e] *premier Eſchevin.* [f] *de la Huguerie.* [g] *Chartres.* [h] *Sarazin.*

CIϽIϽLXXVIII. HENRICUS III.

Proteſtantibus [a] Sphaerularum precatoriarum milites, a noſtris [b] Leucopides appellati ſunt, ab ovibus, quibus interno morbo laborantibus oculi albeſcunt. Ii ex proceribus fere majorum religioni addictis et nobilitate [c] Gallicarum provinciatum conſtabant; qui, praecipua in bellis et expeditionibus contra noſtros reges munera obire ſoliti, nunc a plebe in ordinem cogi indignabantur: et, cum initam nuper cum Batavis et Mattiacis pacem ſuis meritis aſcriberent, ſibi quoque priores in provinciarum adminiſtratione partes et auctoritatem arrogabant, eamque in Arauſionenſem unum a civitatibus transferri aegre ferebant. His accedebat privatae injuriae ſenſus ob tot proceres contumelioſe captos: quos ex compacto, et occulta cum Arauſionenſi, licet id palam diſſimularet, machinatione, a Gandenſibus retineri ſibi perſuaſerant. Itaque exemplo Gandenſium et ipſi collationes pecuniarum ab Ordinibus in communem rem inſtitutas privatae tutelae ſeponunt; exercitumque inſtruunt, quo ſe, ut jactabant, contra majorum religionem, patriae libertatem et nobilitatem oppugnanteis tuerentur. Eos incendebat [d] Atrebatum epiſcopus Matthaeus Mulartus, Henricus [e] Ivocus Marolliani coenobii, [f] Mulartus Sangiſleniani antiſtites, Jo. [g] Lindanus; qui, initio Hiſpanorum immanitatem exoſi foederis contra eos icendi auctores, poſtea, cum ſummum imperium paulatim ad ſe Arauſionenſem civitatum favore ſubnixum transtuliſſe cernerent, poenitentia ducti ſero mutaverunt. Igitur ii ſcripto xv Kal. Sextil. promulgato ad libellum Proteſtantium pro libertate conveniendi oblatum et Matthiae archiducis de pace religionis decretum reſpondent, et intercedunt, omneiſque his rebus aſſenſum praebenteis tam ex nobilitate quam plebeios proditionis veluti inſimulant, vitaeque ac rerum ſuarum periculo reſiſtere ſe paratos demonſtrant. Ut vero partes ſuas firmarent [h] Arteſiae et Hannoniae nobiles, provinciaſque ſuas, quamvis exiguas, univerſis aliis pares auctoritate redderent, non ſolum, ut eae tanquam duae provinciae inter Ordines ſuffragii jus haberent, petebant, ſed etiam ut [i] Valencianae, Tornacum, Inſulae, Duacum, Orchiae et Mechlinia, quae ſimul ſuffragia dare ſolent, nunc ſingularia ſingulae ferrent; et ita ſeptem illae provinciae numero ſuffragiorum Brabantiam, Flandriam et Geldriam vincerent; cum tamen ne ſeptimam quidem partem ſumptuum, quos Brabantia ſola pendit (nam Flandria multo plus ſolvit) conferrent. His diſſenſionibus fiebat, cum nec Gandenſes nec Gallicae provinciae in communeis belli ſumptus collationes erogarent, ut ſtipendia [k] Montinio, Heſaco, Capreſſo, [l] Eemundano, Burſio, aliiſque tribunis minime exſolverentur; quippe quibus ex illis provinciis collationes deſtinatae eſſent. Inde belli inter eos aperti initium. Nam Gallicarum provinciarum copiae Gandenſium juſſu fieri cum putarent, ut ſtipendia non repraeſentarentur, in Flandriam effundunt ſe, et rapinis incendiiſque ac ſtupris paſſim graſſantur, et violentis exactionibus intra VIII menſeis ad CCC florenorum CIϽ miſeris popularibus extorquent. Contra, Gandenſes militem nuper conſcriptum, ſed qui collationes pecuniarum conficere potius, et ſacerdotes, monachos ac ſacras virgines infeſtare, quam bellum gerere inſueverat, educunt, et vario, ſed iniquiore fere, quippe cum veteranis, eventu confligunt. Tandem numero ſuperiores extra limitem egrediuntur, et in Inſulenſem ditionem uſque provecti [m] Glaionii uxorem capiunt. Capta et aliquot Montinii ſigna, inſolenti triumpho per urbem a victoribus traducta. Quod ad ignominiam ſuam revocantes tribuni, qui Montinio militabant, majoribus quam antea animis in Flandriam deſcendunt, et exeunte Septembri [n] Bellam, Meninas et alios pagos conflagrationis damnum pecunia redimere cogunt. Quo facto, Meninas, ad [o] Liſam fluvium loco inter [p] Curtracum et Armenteriam ad muniendum

INTERPR. [a] *Soldats du Chapelet ou du Pater Noſter.* [b] *yeux blancs.* [c] *provinces Wallones.* [d] *Moulart, evêque d'Arras.* [e] *d'Ives, abbé de Marolles.* [f] *Moulart, abbé de S. Ghiſlain.* [g] *de Linden.* [h] *Artois & Hainault.* [i] *Valenciennes, Tournay, Lille, Douay, Orchies & Malines.* [k] *les ſieurs de Montigny, de Heſe, & de Capres.* [l] *le comte d'Egmond, & le ſieur de Bourt.* [m] *le ſieur de Glayon.* [n] *Belle & Menin.* [o] *la Leye r.* [p] *Courtray & Armentieres.*

muniendum facili ſitas, vallis propugnaculiſque muniunt; ubi et Montinius belli, quod getere jam tum meditabatur, arcem fixit. Qua re exaſperati Gandenſes cum factum bello ulciſci non poſſent, inani juxta et iniquo flagitio rabiem explent. Nam ſeditioſi quidam privata auctoritate Jacobum [a] Heſſelium, ſanguinarii concilii olim ab Albano inſtituti aſſeſſorem, et [b] Viſſium Ingelmonſteri juridicum praefectum e carcere productos et currui forte praetereunti impoſitos extra urbis portas ad arborem ſuſpendunt, nulla denunciatione aut ſententia prius lata; miſeriſque barbas abſciſſas et pileis affixas geſtantes in urbem tanquam de hoſte triumphantes revertuntur, optimis quibuſque factum tanquam plenum audaciae ac mali exempli, quanquam in homines extrema cuncta meritos admiſſum, deteſtantibus. Interea inſtabant Matthias et Ordines, ut ſacro ordini bona et religionis liberum cultum permitterent; captivos, quorum cauſam maxime Gallicarum provinciarum nobilitas obtendebat, loco neutri parti addicto ſiſterent; nobilitatem non vexarent; et collationem imperatam exſolverent. Sed contra Gandenſes ante omnia liberam ubique juxta religionis pacem nuper ſancitam conveniendi Proteſtantibus poteſtatem petebant; neque alia conditione Ordinum poſtulatis ſatisfacturos ſe oſtendebant. Inde majores ſuſpiciones ortae; poſt Jo. Caſimiri in caſtra adventum, qui fuit VII Kal. Sept. auctae. Is ſiquidem Andium duci, ex quo ei militiam et beneficia collata ante biennium renunciaverat, infenſus, auxiliatis titulo minime contentus, ut partes in Belgio haberet, protinus Gandenſium cauſam apud Ordinum concilium protegendam ſuſcepit: quod in ſuſpicionem pleroſque adduxit, quaſi ille, qui Eliſabethae Anglorum reginae opibus praecipue nitebatur, non auxiliator, ſed ejus auſpiciis urbes Belgicas occupaturus veniſſet. Suſpicionem denuo auxit, quod ſerius et cum majoribus, quam conveniſſet, et quam quibus ſatisfacere poſſent Ordines, copiis veniſſet; protinuſque poſt adventum ob non repraeſentatum ſtipendium in caſtris a ſuis tumultuatum eſſet, diſſenſionis occaſionem, ut plerique rebantur, quaerentibus: quod rurſus magnam non ſolum Arauſionenſi invidiam, quo ignaro id fieri credi vix poterat, conflavit; alterique factioni, quae Gallicas provincias complectebatur, conſilia ſua ab Ordinibus et Arauſionenſi ſeparandi et collationes denegandi arctiuſque ſe cum Andino, qui ſacra majorum colebat, et a Jo. Caſimiro alienus erat, conjungendi occaſionem praebuit. Interea ob eas diſſenſiones et collationum denegationes lente omnia et ſegniter ab Ordinibus adminiſtrabantur. Cum enim exercitus impenſae inita diligenter ratione putatae ad octingenta florenorum CIↃ in ſingulos menſeis conficerent, neque Flandria tertiam partem, quam in Belgii collatione praeſtare conſuevit, neque Gallicae provinciae ſuam conferrent, vix ex reliquis collationibus, Friſia et Geldria ſuo et ipſis bello occupatis, CCCC florenorum CIↃ colligi poterant. Tandem, vix numerato unius menſis ſtipendio, exercitus in [c] Gallo-Brabantiam deſcendit; cui cum ſummo imperio Boſſuvius comes praeerat cum vicecomite Gandenſi, qui equitatum ducebat, et Franciſco [d] Lanovio caſtrorum praefecto; eo conſilio, ut concordiae ſervandae ſpecie ſe [e] Andino conjungerent. Is tunc temporis ex foederis pacto cum ſuis copiis Belgium ingreſſus Bincium obſidebat, voluptuarium a Maria Hungariae regina Caroli Caeſaris ſorore exſtructum caſtellum, multis antiqui operis monumentis undique conquiſitis inſigne; quod a [f] Didaco Gaone cum V ſignis tenebatur. Eo ad eum venit Franciſcus Lanovius; ex cujus conſilio verberatione cum X muralibus machinis et VI colubrinis inſtituta, et poſtea alio tranſlata, poſt unam et alteram oppugnationem, in quibus multi ex noſtris deſiderati ſunt, cum nulla ſpes auxiliorum eſſet, tandem eo praeſidiarios adegit, ut ſine conditione deditionem Non. Oct. facerent, quarto decimo, poſtquam

INTERPR. [a] *Heſſel.* [b] *Viſſch, bailli d'Ingelmunſter.* [c] *Pays Wallon de Brabant.* [d] *de la Nauë, mareſchal de Camp.* [e] *le duc d'Anjou.* [f] *Don Diego de Gaone.*

poſtquam obſeſſi fuerant, die. Oppidanis et praeſidiatiis vitae gratia facta. Mox et [a] Malabogium ab Andino receptum. Inde cum [b] Landrecium et Queſnoium, ex foedere oppignerata ipſi oppida, Gallorum praeſidium accipere nollent, fruſtraque [c] Marrollianus antiſtes ultro citroque commeando inſtaret, ut ex contractus formula Galli reciperentur, tandem, re deſperata, Mechlinia et aliae urbes ei offeruntur. Quod cum ille excuſationis potius quam ſatisfactionis loco acciperet, tamen ne nihil egiſſe videretur, ulterius progredi et caſtra Auſtrii oppugnare conſtituit, ſi quidem Joannes Caſimirus cum ſuis ei adfuiſſet. Verum ſub id tempus nunciatur ei, Jo. Caſimirum a Gandenſibus evocatum, inconſultis Ordinibus, eo cum ſuis copiis abiiſſe, VI Eid. Oct. honorifice ab iis exceptum, et CLXX CIↃ florenorum ſtipendii loco accepiſſe. Quam juſtam profectionis ſuae cauſam credi voluit, ne vel Andini imperium detrectare, aut ad partes in Belgio fovendas veniſſe videretur. Ea de re conqueſtus apud Matthiam et Ordines Andinus, cum nihilominus urgeretur ut ad exercitum veniret, ſe excuſavit, difficultates et incommoditates cauſatus, quibus fieret, ut exercitum dimittere cogeretur: nam indignis modis ubique locorum ſuos haberi; nullibi aegros milites recipi aut refici; Bincium, quod ceperit, commeatu penitus exhauſtum; nec habere ſuos ubi vitae neceſſaria vel cum pretio comparare poſſint: aegrotos vero deſerere, aut validos, ſe non praeſente, in caſtra mittere, minime conſultum videri. Itaque, locis, quae tenebat, idoneo praeſidio firmatis, in Galliam redire ſtatuit, ceteris dimiſſis; qui mox ad [d] Montinium, qui [e] Meninas muniebat, haud inſcio Andino, tranſierunt. Id cum querelis apud Ordines materiam dediſſet, [f] Pruneus ab eo miſſus, qui, abitus ſui cauſis apud Matthiam et Ordines plenius expoſitis, viciſſim conqueſtus eſt, quod pacta cum ipſo inita nondum, quibus convenerat, locis promulgata eſſent. Quod vero milites a ſe dimiſſi ad Gallicae partis ſocios tranſierint, ſe inſcio factum dicit: id tamen ea ratione probat, quod ita Gandenſeis ad bonam mentem reduci poſſe ſpes ſit: quod ſi faciant, effecturum ſe promittit, ut Galli ſtatim ab armis diſcedant. Inſuper addit, intellexiſſe ſe Ordines de pace cum Hiſpanorum rege agere: id quidem nolle impedire, quamvis ipſorum cauſa hoſtis factus ſit potentiſſimo regi; quinimo ſe ſedulo operam daturum, ut, qua meliore ratione fieri poterit, pax et tranquillitas firma in Belgio conſtituatur: in id Pruneum ipſum, ut oratoris ſui munere apud ipſos fungatur, relinquit. Ad haec ſpecioſis verbis ab Ordinibus reſponſum, ac praeterea fides data, ſi pax cum Philippo ante Kal. Maias non conficiatur, ut ulterius cum Andino Ordines paciſcantur. Dein et Joannes [g] Burgundus Fromontius et [h] Aegidius Martinius juriſconſultus ab Ordinibus honoris cauſa miſſi legati, qui ineunte Decembre Andinum adirent, et, gratiis Ordinum nomine actis, viciſſim, ſi occaſio ſe offerret, eos par pari relaturos, et de ſumptibus ſatisfacturos pollicerentur; et, ut in egregia adeo erga ipſos voluntate perſeveraret, obſecrarent. Transfugientibus in Gallicarum provinciarum caſtra Gallorum copiis, Montinius [i] Mortaniam et alia loca vicina in poteſtatem redigit. Graſſantibus paſſim [k] Gallobelgis, cum Ordines [l] Rigiacum Atrebatum metropolim ſuae partis facere in animo haberent, per Ambroſium [m] Ducium militum praefectum conſcioſque magiſtratum urbis in vincula duci curaverant, crimine afficto, quod cum [n] Capreſſo hoſte occulta conſilia agitaret. Sed, fremente plebe, cum conſcii ſe numero inferiores viderent, quam ut reſiſtere poſſent, captos dimittunt, ea conditione, ut factum utrinque oblivione perpetua ſepeliretur. Verum illi carcere emiſſi, injuriae quam fidei datae magis memores, pactis non ſtetere; ſed adverſarios omneis, qui fuga ſibi conſulere non potuerant, crudeliter interimunt: et ex iis captum unum nomine Nicolaum [o] Goſſonem, magnae inter conciveis ſuos ob probitatem

INTERPR. [a] *Maubeuge.* [b] *Landrecy & Queſnoy.* [c] *l'abbé de Marolles.* [d] *le ſieur de Montigny.* [e] *Menin.* [f] *des Pruneaux.* [g] *de Bourgogne, ſieur de Fromont.* [h] *Gilles Martini.* [i] *Mortagne.* [k] *Wallons.* [l] *Arras.* [m] *le Duc.* [n] *de Capres.* [o] *Goſſon.*

CIƆIƆLXXVIII.
HENRICUS III.

probitatem ac juris peritiam auctoritatis, jam LXX annos natum, ad mortem tanta feſtinatione damnant, ut duas appellationes ſpatio VI horarum finirent; ac praecipitato juris ordine VII Kal. Nov. qui in diem Dominicam incidebat, in urbis platea, facibus accenſis, cum aliquot aliis ſecuri percutiunt. Id cum anxios Ordines haberet, et propter diſſenſiones nihil militari manu profici poſſe cernerent, jam praecipitante hyeme, Boſſuvio comiti et Lanovio conſultum viſum eſt, quo ſumptibus parceretur, copias dimitti. Indigenae per praeſidia locis idoneis diſpoſiti. Equitatus Germanicus [a] Araſchoti, Thenis ac per vicina loca diſtributus eſt. Hohenlous comes, dum peditatum externum ad limitem deducit, [b] Wertam cum arce capit; quam ſtatim ab hoſtibus receptam amiſit.

XVI. CUM vero Matthias et Ordines viderent, Jo. Caſimiri in Flandriam profectione ſuſpiciones ac ſimultates ob religionem magis ac magis poſtea in dies augeſcere, primum Gandenſes per Antuerpianorum dein et Bruxellenſium legatos tentant: mox, ut Arauſionenſis ipſe [c] Gandavum iret, et cum civibus ageret, decernunt, tanti viri interventu ac praeſentia rem facilius confici poſſe arbitrati. Ad eos et miſſus ab Andino Henricus [d] Guſerius Bonnivetus, qui, operam ſuam prolixe pollicitus, peteret, ut diſſidia inter ipſos ac [e] Gallobelgicas provincias exorta arbitrio Andini permitterent: non enim aequiorem judicem poſſe deligi, quique magis concordiam inter utraſque partes cupiat: id ſibi nuper in Francia feliciter ſucceſſiſſe; ac ſperare, ut eandem voluntatem, quam ad res ipſorum componendas afferat, idem exitus in Belgio ſequatur. Inſuper a Bonniveto poſtulatum, ut captivi in Andini manus traderentur, de quibus ipſe tanquam patriae defenſor et Angliae regina communi conſilio ex aequo et bono ſtatuant. Poſtridie, qui in III Eid. Nov. incidebat, auditi ab Ordinibus delegati ab Arauſionenſi brevi venturo praemiſſi, qui eadem de Eccleſiaſticorum reſtitutione et captivorum libertate toties agitata reponerent. Quo eodem die admiſſus eſt [f] Davidſonus Eliſabethae legatus, cum literis ad Gandenſeis XIII Kal. Nov. et VIII Eid. ejuſdem menſis ſcriptis, et tunc exhibitis; graviſſimaque oratione apud ipſos expoſtulavit, quòd eorum obſtinatione fiat, ut regina in ſuſpicionem venerit, quaſi in Belgio bellum, quod vicini compoſitum ſummopere exoptent, foveat: inde illi invidiam non ſolum apud principes amicos, ſed apud ipſos Ordines conflari; quippe cum ex ea diſſenſione rei pulchre gerendae hoc anno atque adeo belli conficiendi occaſio praetermiſſa ſit: id vero temeritati ipſorum imputari debere, qui male conſulti neque magiſtratui in urbe obediant, et ad Ordinum decreta ſuperbe reſpondeant: inde ſeditionibus in aliis provinciis nuper exortis cauſam praeberi, quae, ante magno patriae bono concordes, nunc diſcordes exitium procul dubio minentur: neque vero ferre poſſe, quod Jo. Caſimirus, quoniam ſuis ſtipendiis militat, juſſu ſuo Gandenſibus opem laturus vulgo credatur: itaque tandem ad ſe, rebus adhuc integris, mature redeant, et Ordinum decretis ac Arauſionenſis, qui ipſis bene velit, conſiliis auſcultent; bonis Eccleſiaſticos reſtituant; pacem religionis recipiant, et captivos loco neutri parti addicto, in poteſtate nempe ſuae majeſtatis aut alterius, cautione idonea accepta, ſiſtant. Tum reginae nomine declarat, niſi tam aequis conditionibus acquieſcant, fore, ut ſua majeſtas ob tam juſtam cauſam ſe ab iis prorſus alienet, ipſoſque in poſterum omnino deſerat. Eam legationem Arauſionenſis rogatu ab Eliſabetha decretam, vero fit ſimile; qui, cum gloriam compoſiti Gandenſium tumultus fruſtra tot civitatum interventu tentatam affectaret, ut ſe ab invidia ejus excitati purgaret, non niſi antea praeparatis ſeditioni innutritis animis rem aggredi voluit, ut, ſic omni ſpe auxiliorum ab Anglia et Caſimiro praeciſa, placabiliores eos et in conditionibus accipiendis tractabiliores experiretur. Igitur X Kal. Dec. [g] Teneramundam profectus

INTERPR. [a] *Arſchot & Tillemont.* [b] *Weert.* [c] *Gand.* [d] *Gouffier de Bonnivet.* [e] *Wallons.* [f] *Davidſon.* [g] *Dendermonde.*

profectus cum obvios primarios civeis habuiſſet, et in iis ipſos ſeditionis incentores; [a] Imbiſium, Trieſtum et Buclutium, poſt rem obiter perſtrictam ab iiſdem invitatus poſtremo Gandavum venit prid. Non. Dec. et, re ultro citroque agitata, poſt gravia et ex vero trahentia ad homineis libertate nuper recepta ultra modum exultanteis monita, tandem certis conditionibus conventum; quibus ſacro ordini utcunque cautum eſt, bonis ac libero religionis antiquae uſu reſtituto, ita ut ſupplicationes, quas per plateas celebrari moris erat, intra templorum limites fierent, et euchariſtici myſterii per plateas citra pompam geſtatio permitteretur: additum, ut feſtis diebus publice operarii artes ſuas non exerceant, aut tabernae aperiantur, et carnes vetitis diebus in macello minime proſtent; utrinque ab injuriis et ſeditioſis vocibus publice privatimque in concionibus abſtineatur, et utraque pars magiſtratus ſupremi dictis in urbe et extra urbem Ordinibus Belgii audientes ſe praebeant. Haec Gandavi acta viceſimo tertio, poſtquam ad urbem Arauſionenſis venerat, die. Nihil de captivis in praeſentia tranſactum, cauſa in opportunius tempus comperendinata; quod rurſus in odium Arauſionenſi vertit.

XVII. TUMULTU Gandavi compoſito, majus in flectendis nobilitatis et provinciarum Gallobelgicarum animis negotium fuit: quippe illi nullis conditionibus paci religionis ſubſcribere volebant: et miſſi ad eos a Matthia et Ordinibus Havreeus marchio et Adolfus [b] Metkerckius nihil impetrare potuerunt; pleriſque illorum jam defectionem meditantibus. Valentinus [c] Pardeus Mota, Gravelingae in Flandrico limite ex adverſo [d] Caleti urbeculae praefectus, Ordinum partes deſeruerat: qui, ne inconſtantiae ac levitatis inſimularetur, in ſui excuſationem praefatus eſt, ſe pro patriae libertate armis foederatorum adhaeſiſſe, a concilio Ordinum, quorum praecipua in Belgio ſit auctoritas, deceptum; ceterum non ſibi ſoli ſed toti nobilitati a concilio impoſitum; deceptam etiam nobilitatem ſacrum ordinem in ſuas partes quaſi vi pertraxiſſe; ac poſtremo plebem a ſacro ordine perſuaſam illius exemplum ſecutam eſſe. Is caſtris ad [e] Gemblacum expugnatis tormentariae rei praeerat; per Flandriam deinde iter faciens, ob rem male geſtam contumelia à Gandenſibus affectus, Gravelingam venit, oppidumque ac praeſidium in poteſtatem redegit; moxque epiſcopi [f] Atrebatenſis et Sangiſleniani antiſtitis interventu clanculum Philippo reconciliatur, qui [g] Madriti datis III Eid. Oct. literis ipſum in gratiam accepit, poteſtate facta, ut alios, quibus aequum videretur conditionibus, regi conciliaret: qua facultate uſus poſtea [h] Montinium, Heſacum, alios ſolicitavit, et grandi promiſſa pecunia ab Ordinibus alienatos ad Philippi partes pertraxit.

XVIII. EXEUNTE anno, XII Kal. Jan. qui dies B. Thomae ſacer eſt, Maximilianus [i] Boſſuvii comes Antuerpiae obiit ex ardenti febre; bellicae virtutis laude clarus, et utramque fortunam tota vita expertus, perque aeſtus Belgicos nunc has nunc [α] alias partes ſecutus; eo tamen tunc a ſuis minus deſideratus, quod cum aliis proceribus in Philippi partes tranſiturus credebatur. Eum praeceſſerat mors Joannis Auſtrii Kal. Oct. in caſtris prope [k] Namurcum lue peſtilenti, ut vulgo jactatum fuit, extincti: quanquam alii tradant, ex animi moerore et languore diu ante ex eo contracto, quod ob ſuſpiciones de ſe a Philippo conceptas omni ſpe deſtitutus hoſti ad ludibrium veluti exponeretur: id ex literis ad Jo. Andream [l] Auriam et Petrum Mendozam regis Genuae legatum ab eo XVI Kal. Oct. ex caſtris ad Namurcum ſcriptis et poſtea interceptis patuit; quibus inſuper addebat, quandoquidem ſibi manus praeciſas videret, decreviſſe cervicem ferro hoſtili porrectam praebere. Quas voces deſperationis plenas ab eo expreſſerat dolor ex caede Jo. Eſcovedi, qui ei ab epiſtolis erat, conceptus; cujus

VAR. LECT. [α] illas *D. f.*

INTERPR. [a] *d'Imbiſe, Trieſt, & Boucluyt.* [b] *Meetkercke.* [c] *Pardieu, ſieur de la Motte, gouverneur de Gravelines.* [d] *Calais.* [e] *Gemblours.* [f] *l'eveque d'Arras, & l'abbé de S. Ghiſlain.* [g] *Madrid.* [h] *les ſieurs de Montigny & de Heſe.* [i] *de Boſſut.* [k] *Namur.* [l] *Doria.*

CIƆIƆLXXVIII.
HENRICUS III.

cujus conſilio antea Tunetanum regnum ambiverat, infelici expeditione in [a] Africam ſuſcepta, et irritatis Turcis, qui anno inſequenti, inde occaſione ſumpta, inſignem arcem [b] Guletanam in faucibus portus Carthaginienſis a Carolo v exſtructam expugnarunt; et poſtea in Belgium miſſus occultum clam rege cum Henrico Lotharingo Guiſiano duce foedus icerat. Eſcovedum immiſſis ab Antonio Pereſio, qui Philippo a ſecretis epiſtolis erat, percuſſoribus occiſum poſtea conſtitit; non ab Albano duce ejuſve filio Friderico, ſicuti tunc jactabatur, quaſi is in Belgio clam in patrem filiumque probationes conquiſiviſſet, et ad regem in Hiſpaniam pertuliſſet. Nam longe alia cauſa fuit, ſive Pereſio credatur, ſive ipſi Philippo. Pereſius ſiquidem ſcripto apud nos diu poſt publicato id Philippi mandatu ſe feciſſe confeſſus eſt, quod Eſcovedus pravorum conſiliorum Auſtrio auctor extitiſſet, et metus eſſet, ſi ad eum remitteretur, ut jam ulterius, quam oportuerat, provectum magni animi juvenem porro impellere non ceſſaret; aut, ſi retineretur, Auſtrius, inde aucta ſuſpicione quaſi conſilia ſua detecta eſſent, ad deſperationem adigeretur. Philippus vero longe aliam caedis a Pereſio patratae cauſam credi voluit; quod videlicet Eſcovedus, qui [c] Roderici Gomeſii Silvae commendationi ſuam ſortunam debebat, Silvae viduam, quam Pereſius deperibat, ab amore ipſius alienaſſet. Quae, ſi vera ſunt, ut certe alterutrum verum eſſe neceſſe eſt, [d] Albanum ejuſque filios a tanto crimine abſolvunt. Certe Philippus ſtatim poſt Jo. Auſtrii mortem ſcrinia ejus ac literas diligenter conquiri et aſſervari juſſit, atque ad ſe in Hiſpaniam perferri; ex quibus cum occulti inter ipſum et [e] Guiſium initi ſoederis rationes, et quo tenderent, cognoviſſet, inde conſiliorum ſecretorum cum Guiſianis renovandorum occaſionem arripuit, et ab eo tempore cum Guiſio per oratores ſuos agere coepit, quantumvis diſſuadentibus Didaco Spinoſa cardinali Toletano et Petro [f] Faſciardo Veleziarum marchione, magnae auctoritatis ac prudentiae viris, ſuper ea re ab ipſo conſultis; qui rem magnae molis dubiique eventus et majoris contra Galliae regnum periculi, quam utilitatis ad rem Hiſpanam inde rediturae, plenam, immenſiſque ſumptibus et non aeſtimabili hominum ſanguine conſtituram eſſe, multis verbis demonſtrabant. Verum apud impatientem injuriae principem parum illorum rationes valuerunt; qui, Andini in Belgium expeditione irritatus, regis licet ab ea averſi in regno bellis civilibus quaſſato infirmitatem pro excuſatione admittere noluit, quin inique juxta et imprudenter eum facere dicebat, quod ſuos, quos metu legum coercere debuerat, ut ſolute domi viveret, foris contra fidem pace inter ipſos facta interpoſitam bellum gerere pateretur. Morte Auſtrii, ut diſſenſionibus iis, quas dixi, Ordinum res, ſic regiae aliquantum turbatae ſunt. Mortuo exſequiae ingenti pompa in caſtris celebratae. Tertio ab exceſſu die magno paratu lecto armatus imponitur, cum corona in capite, et velleris aurei torque ingentis pretii gemmis diſtincto. Inde ex conclavi, in quo jacebat, a nobilibus domeſticis atratis ad fores aedium ſiſtitur; ubi, acie ſeriatim inſtructa, primum a centurionibus et veteranis itidem atratis excipitur; qui corpus poſtea ad peditatum deducunt, et caſtrorum praefectis tradunt: illi porro eodem ordine acceptum ad equitatum progreſſi illud in manus Germanorum praefectorum conſignant; a quibus ad equites ſcloppetarios Hiſpanos delatum eſt: illi demum ad urbis portam corpus ſiſtunt; ubi a concilii privati regiis ſenatoribus conſimiliter atratis inſigni ceremonia exceptum et per [g] Namurcum traductum in majore urbis templo deponitur, praeſentibus pleriſque coenobiorum antiſtitibus et Namurcenſi, [h] Mildeburgenſi, Silvaducenſi et Atrebatenſi epiſcopis. Funus ſequebantur Alexander Farneſius, Petrus Erneſtus Mansfeldius comes, et Octavianus Gonzaga aliique proceres. Inde poſt ſacra peracta corpus in Hiſpaniam aſportatum,

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *la Goulette.* [c] *Ruy Gomez de Silva.* [d] *le duc d'Albe.* [e] *le duc de Guiſe.* [f] *Fajardo, marquis de Velez.* [g] *Namur.* [h] *Middelburg, Boiſleduc, & Arras.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

aſportatum, et juxta Caroli quinti monumentum in [a] Scuriali monaſterio poſtea conditum eſt. [α] Paulo ante ex ſuſpicione in caſtris captus fuerat Egremondius [b] Rateliffus, Suſſexii comitis ex altera uxore filius, juvenis ingenio turbido; qui in ſeditione ſeptentrionali ante in Anglia excitata ſe inter primarios conjuratos oſtentaverat, et, rito eventu conſilii, poſtea in Belgium receperat. Ad mortem damnatus cum [c] Greio altero Anglo conſcio ſupremis verbis ſponte, ut Hiſpani produnt, confeſſus eſt, ſe ex arce Londinenſi liberatum, fide Fr. [d] Walſinghamo data, de [e] Auſtrio occidendo: quod verum necne ſit, non dixerim: perfidia certe hominis, et Auſtrii ſtatim mors aliunde ſecuta in cauſa fuit, ut, minore confeſſioni habita fide, res obſcurata ſit.

XIX. Austrio ſuffectus Farneſius; qui, cum jam vivo eo ſecundas in exercitu obtineret, mox virtute ſua effecit, ut deceſſoris ſui deſiderium facile lenitum ſit. Is, cum Ordinum exercitus menſe Novembri dimiſſus eſſet, et Caſimiriani circa [f] Thenas, Araſchotum et loca vicina hyemarent, cum regio exercitu in Brabantiam ingreſſus [g] Falkenburgum et Werdam capit: dein [h] Carpam verſus movet, quod a [i] Bilco Ultrajectino tenebatur, homine ſtrenuo, et qui olim Ludovico Naſſovio militaverat, cum XLV bellatoribus, qui Gonzagae et Mondragonio cum exiguo illo numero reſiſtere auſus temeritatis ſuae cum ſociis poenas luit. Siquidem, cum XII machinis totum diem locus pulſatus eſſet, tandem tribus locis edita ruina vi expugnatus eſt; praeſidiariique ad unum omnes ad arbores proximas ſuſpenſi; ipſi eum aliquot ducibus in areis porta laqueo gula ignominioſe fracta eſt.

XX. Et haec quidem eo anno in Belgio geſta: nam Friſicas res ejuſdem anni ſepoſuimus; quod, licet Friſia ad Belgii juriſdictionem pertineat, tamen, ut et [k] Tranſiſelana, in Germania poſita, veluti ſeparatas a reliquo Belgio rationes habere videatur. Itaque eas nunc continua narratione exſequemur. Poſt ejectum Gaſparem [l] Roblem Billium, Georgius [m] Lalanius Rennebergii comes provinciae ab Ordinibus impoſitus fuerat. Vetus inter [n] Ommelandas et Groeningenſes diſſidium de finibus ac praerogativa intercedebat; cujus componendi cauſa Kal. Nov. ſuperioris anni proceres Ordinum Ommelandiae et Groeningenſis territorii Groeningam convocati fuerant. Ibi poſt longas et acres altercationes, Groeningenſes, qui in ſuo viribus praepollebant, occaſione captata, Ommelandenſeis numero XXIV comprehendunt, et in ſqualidos carceres conjiciunt, ſpreta Rennebergii ipſius, qui aderat, majeſtate; qui non aegre id tuliſſe creditus eſt, quanquam longe aliter prae ſe ferret; quippe a Billio homine aſtuto, cum eum captivum teneret, monitus, ſi in Friſia regnare vellet, ut diſſidia inter populareis aleret. Nec contenti hoc facinore Groeningenſes Delfezielam arcem in aeſtuario [o] Damae ortum verſus ſitam, et contra pacta cum Maria Pannoniae regina olim inita exſtructam, quam [p] Aëlkus Winkeſus praeſidio tenebat, dirui petunt; eoque Rennebergium adigunt, ut aſſentiretur, et Aëlko jusjurandum ſervandae ejus ſibi praeſtitum remitteret. Exeunte Decembri proximo arx diruta, avectis inde IX machinis aeneis, VII ferreis, et XIV minoribus. Interea ab Ordinibus [q] Santaldegondanus et Silla venerunt, pro Ommelandenſium libertate miſſi: quorum cum pars jam fuga evaſiſſet, et viderent ab infeſtis Groeningenſibus nihil impetrari, ne quidem Ordinum interventu, poſſe, [r] Winſumam conventum indicunt; belloque injuriam violatis legatis illatam ulciſci ſtatuunt, negotio dato [ſ] Bertelo Entenſio, ingenii audacis, ſed turbidi et temulenti, homini populari ſuo, ut XII cohortes conſcriberet. Verum eae vix dum collectae menſe Februario profligatae ſunt a Waltero Hegemano, quod ſine Ordinum

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur* 8 *lineae uſque ad* Auſtrio ſuffectus *deſunt D. l.*

INTERPR. [a] *l'Eſcurial.* [b] *Ratcliff, comte de Suſſex.* [c] *Grey.* [d] *Walſingham.* [e] *Don Juan d'Auſtriche.* [f] *Tillemont & Arſchot.* [g] *Falckenbourg & Weert.* [h] *Carpen.* [i] *le capitaine Biel d'Utrecht.* [k] *Over-Yſſel.* [l] *de Robles, ſieur de Billy.* [m] *de Lallain, comte de Renneburg.* [n] *ceux des Ommelandes & de Groningue.* [o] *Dam.* [p] *Aelke Wynkes.* [q] *Marnix de Ste Aldegonde, & le docteur Silles.* [r] *Winſum.* [ſ] *Bertel Entens.*

Ordinum mandato conſcriptae eſſent. Bertelus nihilominus cum reliquiis earum CIƆIƆLXXVIII.
[a] Coëvordam petit; ubi rurſus et illae caeduntur, pars ab eo deficit, et ipſe tandem a HENRICUS III.
nonnullis in id ſubornatis captus in Groeningenſium manus traditur, non citra mortis ignominioſae periculum. In reliqua Friſia Rennebergius, ut auctoritatem ſuam firmaret, magiſtratus ac praefectos mutaverat, et [b] Harlingae ad ſinum Germanici oceani occaſum verſus arci validae Henricum [c] Oldenbrugium nobilem civem Mechlinienſem impoſuerat: cumque [d] Leovardienſes, apud quos ſenatus provinciae habetur, accepto pugnae [e] Gemblacenſis nuncio, in promulgando adverſus Joannem Auſtrium decreto parere nollent, [f] Igramum Achelenum praeſidem, Julium [g] Dekemam, Petrum Friſium, Focconem Rommarſum, Antonium Levaliam, alios in vincula auctoritate privata duci jubet; et in eorum locum Franciſcum [h] Eiſingam, Focconem Ruldam, Jo. Staverenſem non ſuſpectos ſubſtituit. Erat urbis epiſcopus [i] Cunerus Petreius; qui olim artium doctor Lovanii, dein theologus et pravitatis haereticae acer inquiſitor, ob id meruerat, ut illa tot epiſcoporum per Belgium inauguratione Leovardiae epiſcopus [α] crearetur. Eum et in vincula conjecit Rennebergius; nec diu captivum tenuit, ſed datis obſidibus in [k] Bergumenſe monaſterium quaſdam rationes pecuniarias redditurum, aſſignata ei ƆCCC florenorum penſione, truſit: unde [l] Coloniam aufugit; in eaque urbe in ſqualore vitam finivit. Ita firmata in Friſia poteſtate, praeſes etiam de ea extra provinciam propaganda cogitare coepit, facta ſpe [m] Campenſibus et Daventrienſibus, ſi [n] Tranſiſelanae praefectus admitteretur, ut eos a praeſidiis Germanis ex Nicolai [o] Polvillerii et Gaſparis Farienſis, qui paulo ante deceſſerat, legionibus ab Auſtrio ante biennium impoſitis liberaret. Et adſentiebantur plerique ex ordine equeſtri, nec non et civitates. Ipſe apud Matthiam et Ordinum concilium inſtabat, ut provinciae praeſes crearetur, addita cauſa, quod Tranſiſelani ab anno hujus ſaeculi CIƆIƆXXVII, quo primum ſe Carolo V dedidiſſent, ſemper communem cum Friſia gubernatorem habuiſſent. Ita Tranſiſelana et [p] Lingena, quam [q] Benthemio comiti religionis cauſa ademptam Carolus V Belgici juris fecerat, attribuitur; mandaturque Rennebergio, ut manu armata Polvillerianos Campena et Daventria expellat. Rennebergio tanquam praeſidi Tranſiſelani libenter paruerunt; eoque magis, quod in eorum gratiam tribunal [r] Wollenoae a Philippo inſtitutum abolevit. Soli [ſ] Swollenſes, quorum magiſtratus nondum mutaverat, imperium ejus detrectabant, neutri parti addicere ſe cupientes: ſed ad extremum vim, ni parerent, interminantem Rennebergium admiſerunt. Proxima cura fuit de Germanis provincia pellendis. Ob id indictus conventus [t] Zutphaniae III Non. Jun. ubi Joannis Naſſovii inſtigatu decreta a Batavis et Friſiis contra communem hoſtem auxilia. Campenam initio aſtu tentaverat Rennebergius; qui cum non ſucceſſiſſet, Walterus [u] Hegemanus militiae praefectus Kal. Quintil. vallo ante urbem juxta carnificinae montem poſito obſidioni principium fecit. Urbs dioeceſi Ultrajectinae ſubjecta ad [x] Iſalam, quod brachium Rheni eſt, olim foſſae Druſianae nomine nuncupatum, cincta undique validis moenibus ac turribus lapideis, ſed latiore quam profundiore foſſa, de cetero nullis propugnaculis munita eſt, niſi quae nuper ad eam Arauſionenſis exſtruxit. A parte infima arcus forma per flumen, quod eſt nervi inſtar, porrigitur. In medio oppido pons eſt admirandi operis, ſublicis in fundum valide adactis firmatus; cui addita juga, tali arte

VAR. LECT. [α] crearetur: de cetero homo temulentus, et qui cum Billio, dum provinciae praeeſſet, ubi vino incaluerat, inſtar vituli laſcivientis ſub menſis ac foeminis ſaltitare ſolitus erat. Eum et in *MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Coevorden.* [b] *Harlingen.* [c] *d'Oyenbourg de Malines.* [d] *ceux de Leeuwaerden.* [e] *de Gemblours.* [f] *Igrammes de Achelen, preſident du grand conſeil de Friſe.* Meteren l'appelle *de Achelen:* mais Petit & autres l'appellent *de Aclum.* [g] *Dekema, P. Fritjma, Focco Remmaerts, & Ant. Levali.* [h] *Byſinga, Focco Realda, & J. van Staveren.* [i] *Cunerus Petri.* [k] *de Bergum.* [l] *Cologne.* [m] *ceux de Campen & Deventer.* [n] *Over-Yſſel.* [o] *le baron de Polweiler & Gaſpard de Fax.* [p] *Lingen.* [q] *le comte de Bentheim.* [r] *Wellenhove.* [ſ] *ceux de Swol.* [t] *Zutphen.* [u] *le capitaine Hegheman.* [x] *Yſſel.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

arte conſtructa, ut, cum plerumque XC pedes inter ſe diſtantia et trabibus in altum fornicatis faſtigiata ſint, opus veluti in aëre ſuſpenſum appareat: neque minus tamen firmum ſit, quam ſi jugis robuſtioribus inniteretur. Portis VI urbs intratur, qua continentem ſpectat loco admodum humili ſita, ita ut eam partem cataractis, cum volunt, laxatis oppidani mergere poſſint: quod mirum eſt, illos toto obſidionis tempore non feciſſe. Praeſidiarii in ea erant IↃ Germani, quibus praeerat [a] Leidekerus Gaſparis Farienſis antea ſignifer. Crebris eruptionibus initio pugnatum; in quibus ex Rennebergianis Chriſtophorus [b] Telingeus inſignis ordinum ductor glande in caput adacta deſideratus eſt. Mox, tormentis VI Ultrajecto advectis cum murus inter [c] Calveracenam et Hagienſem portam dirutus eſſet, XXXIV paſſuum ruina edita, magiſtratus ad Rennebergium ſcribunt, et colloquium poſtulant. Tandem conventum XIV Kal. Sextil. ut Germani vitam ac res ſalvas pacti urbem traderent; ac jurarent, intra trimeſtre Auſtrio non militaturos; atque incolumes ad limitem deducerentur: captivi utrinque ſine pretio dimitterentur. Oppidani in verba Rennebergii, ſicuti Swollenſes, adacti. Loco praeſidio firmato, Rennebergius Daventriam ducit cum X militum cohortibus. Urbs Tranſiſelanae princeps, cum maritimis civitatibus ſocietate conjuncta, ab occaſu aeſtivo colleis arenoſos et ſubjecta prata, quae aquis inundantur, habet; in ripa Iſalae ſita ſeſquimilliari infra Zutphaniam, et verſus continentem aliquantum incurvata, foſſis admodum profundis et muro praealto crebris turribus diſtincto ac pomoerio firmato a porta [d] Bergenſi ad pontem uſque munita; ex altera parte fluvio et portu, quem fluvius efficit, firmata. Moles ingens terrea ante portam [e] Brincanam prominet, humili muro inferius cincta. Propugnaculum item peramplum, ab ipſis fundamentis lapide ſtructum, in angulo ante pontem Iſalanum aſſurgit, quo cataractae teguntur. Inter haec duo munimenta turris eſt [f] Norimbergica, praealta et valida; ex qua circumquaque liber deſpectus eſt, et crebra tormentorum ejaculatione multum damni obſeſſoribus infligebatur. Praeerat urbi [g] Haurincurtius, vir mitis ingenii: Auguſtinus [h] Rikius contra, homo ſuperbus ac immanis, milites in poteſtate habebat, qui circiter IↃCCCC erant: aderat et Michaël [i] Jegerus, longo militiae uſu moderatus ac prudens dux, qui fere ex podagra ſemper decumbebat: ita ut penes Haurincurtium nomen, penes Rikium facta, penes Jegerum conſilia eſſent. Colleis Norimbergicae turri oppoſitos inſedit Theodorus [k] Sonoius VIII Eid. Sextil. valloque munivit, ex iiſque Brincanam portam verſus foſſam producit. Triduo poſt XXXVII tormenta contra urbem diſploduntur. Cum Sonoius Norimbergicae turris uſum obſeſſis adimi conſultum exiſtimaret, ex collibus cuniculos uſque ad pedem turris per foſſores agi curat. Quo cognito, obſeſſi contrarios agunt, et circum circa, ne qua parte errent, fodiunt; ita ut III Non. Sept. ſe utrinque contingerent. Ibi venenatis ſuffitibus primum infeſtati Rennebergiani: poſt etiam utrinque pugnatum; pulſiſque tandem Rennebergianis, oſtio ferreo ingreſſus a Rikio eluditur. Rurſus in ſubterraneis fodinis pugnatur; pejore tamen obſeſſorum conditione. Tandem ſummum turris cacumen a Sonoio quati coepit X Kal. Oct. dejectaque columnarum parte, poſtridie tectum ipſum magna mole corruit, nemine excubitorum ea ruina laeſo. Inter hanc turrim et portam Brincanam Sonoius jam ante magna ruſticorum manu fodere terram et aggerere coeperat; ulteriuſque ſemper foſſam verſus progrediendo eam brevi implere meditabatur, ſtationibus et propugnaculis excitatis, quibus foſſores defendebantur. Inde, metu obſeſſis injecto, de diſturbandis operibus in urbe cogitabatur: tandemque eruptione ſumma vi facta ruſticos invadunt, et magna edita caede propellunt: ſupervenientibus dein Rennebergianis et ipſi cum damno intra urbem compulſi. Foſſores

tanto

INTERPR. [a] *Leydecker.* [b] *Teylinghen.* [c] *le Calverbercker & la Hage porte.* [d] *la Bergh porte.* [e] *porte de Brinck.* [f] *la tour de Noremberg.* [g] *Haurincourt.* [h] *de Richenſtein* al. *Ryck.* [i] *Jegher.* [k] *de Sonoy.*

tanto damno affecti nulla poſtea ratione adduci potuerunt, ut opeti coepto inſtarent. At ſucceſſu illo inflati obſeſſi, ſive vino cauſtico, ut quidam memorant, incenſi, eruptionem ſummo mane totis viribus VIII Kal. Oct. faciunt, vario eventu: nam, excubitoribus initio trucidatis et obtruncatis, proximis ſtationibus, ad propugnaculum uſque in colle a Sonoio exſtructum perrumpunt; caeſiſque cuſtodibus, eeteros in fugam vertunt; reſiſtere auſos interficiunt; arma et commeatum rapiunt; et, quae ferre non poſſunt, igne devaſtant: aliquos etiam capiunt; quorum unum, qui ob intenſum frigus in ſaccum ſe induerat, ſacco ut erat indutum tidiculo ſpectaculo in urbem ſecum adducunt. Sed, cum interim ad arma in caſtris conclamatum eſſet, verſa fortuna, ſupervenientibus Willelmo [a] Wingardeno, Arnoldo [b] Duvevorda et Joanne [c] Cunighamo, [d] Itelricus Schonoverus Jo. Friderici, qui ad auxilia procuranda urbe exierat, frater et Rikii ſignifer, nec non [e] Miliendrus quidam, homicidio nuper patrato infamis, longius provecti, multis ex ſuis occiſis, intercipiuntur. Schonoverus vivus io hoſtium manus devenit; Miliendrus cum famulo occiditur, qui hero ſupereſſe non ferens raro fidei exemplo ſupra cadaver incubuit et confoſſus eſt. Quae dum fiunt, nullo non injuriae genere ac ſaevitiae in oppidanos, quibus arma ademerant, a praeſidiariis ſaevitur, nullo aetatis aut ſexus diſcrimine: quo fiebat, ut ſibi non minus ab oppidanis, licet inermibus, quam ab hoſtibus illi metuerent. Itaque paciſcuntur cum oppidanis, et ab injuria deinceps temperaturos promittunt: ſed pactis minime fides a liceotioſo milite ſervata. Rikius, capto Itelrico, qui fratrem in accelerandis auxiliaribus ſegniorem fore provideret, paene animo conciderat: nec minus angebatur animi Rennebergius, veritus, ne obſidio non ex animo ſuccederet. Itaque Itelrici captivi cauſa erebri ultto eitroque tympaniſtae mittuntur, ſi qua ratione ex colloquii occaſione diſcordiae inter praeſidiarios et oppidanos ſeri poſſent. Tandem, cum Bataviçae copiae domum petiiſſent, et ipſe innumeris difficultatibus conflictaretur, commodum ſupervenit legio Gallica Maximiliani [f] Eſturmeli, ductore [g] Glimeſio; nec non et Joannes [h] Cornupetus ex urbe Bredana venit, homo ſtrenuus et locorum muniendorum apptime peritus, qui [i] Aloſtum ante muniverat; cujus conſilium de vi ad portam [k] Bergenſem facienda cum non probarent duces, ut periculi plenum, et ſatis eſſe dicerent, ſi ſpecie oppugnatioois praeſidiarii terrereotur, et ad deditionem compellerentur, inſtituta eſt trans flumen verberatio; cui praefectus Symeo [l] Dordracenſis Zutphaniae ptaerot ſumma diligeotia rei incubuit, [m] porta arenaria per triduum labefactata, ita ut globi in ipſum uſque forum pervolarent. In hoc opiniooum fluctuantium ſalo cum nihil tuto tentari poſſe cetoeret Cornupetus, auctor Rennebergio fuerat, ut munitiones citca urbem extrueret, quibus commeatus in urbem importatio prohiberetur: cenſueratque, flumen navibus ac liburnicis inſidendum, praeſidiiſque idoneis in obſidione relictis, cum reliquis copiis obviam auxiliaribus properandum. Obſeſſi initio obſtinatis animis, quanquam ouncio de Auſtril morte accepto, nullis conditionibus ad deditiooem compelli poteraot; ne quidem eum cognoverunt, Jo. Ftidericum [n] Schonoverum jam ſemel cum iis, quas conſcribebat, eopiis ad [o] Bodorpam caeſum fuiſſe. Poſtea, cum intellexiſſent eum poſtremo a Joanne [p] Stupero, qui ſumma feſtinatione tranſmiſſo praeter opinionem Rheno ad [q] Lindorpam praeverterat, cum CIↃIↃ deletum eſſe, tandem, deſperatis auxiliis, inflecti coeperunt; et, cum operibus aſſiduis Cornupetum jam ad tuttis pedem perveniſſe, et in eo eſſe ut propugnacula, aqua derivata per cuniculos, miſſo pulvere nitrato ſubverteret, ad haec, penuria omnium rerum urgerentur, officio ſe ſuo ſatis et decori feciſſe rati, ſcriptis ad

Rennebergium

CIↃIↃLXXVIII.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Wyngaerden.* [b] *Duvenvoorde.* [c] *Cuningham.* [d] *Itelrich de Schoonaw.* [e] *Meylander.* [f] *d'Eſtourmel.* [g] *de Glimes.* [h] *de Cornput.* [i] *Alost.* [k] *la Bergh poorte.* [l] *de Dort droſſart de Zutphen.* [m] *la Sandt-poorte.* [n] *Schoonaw.* [o] *Botderps.* [p] *Stuper.* [q] *Lintderps.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

Rennebergium literis XVIII Kal. Dec. tertio poſtquam urbs obſideri coeperat menſe colloquium petunt. Quinto poſt die tranſigitur his conditionibus; ut praeſidiarii complicatis ſignis, de cetero funibus ſcloppetorum accenſis, vita et rebus ſalvis, exirent, et in tutum ad Germaniae limitem deducerentur, fide data, intra treis menſeis contra Ordines minime militaturos. Ii DC omnino erant; qui [a] Bucholtium uſque ad Imperii fineis deducti ſunt, curribus ad neceſſaria portanda perbenigne commodatis. Urbi impoſitae [b] Mulardi, Riſvodae, Eſchedae, Scageni, Oltoſi cohortes [c] Sicambrae, majorum ſacris addictae. Tum, perſoluto Gallobelgis, ob non numeratum ſtipendium urbis diripiendae occaſionem more ſuo quaerentibus, honorario, et extra provinciam dimiſſis, Rennebergius Antuerpiam, re bene geſta, laetus properat; ubi cum marchione Havreco paulo poſt aerario praepoſitus eſt. Tum, onus praeſidiariorum deprecantibus Campenſibus et Daventrienſibus, ipſe Ordinibus auctor fuit, ut, cautione literis conſignatis data, ſe, quandocunque proceribus viſum fuiſſet, praeſidium recepturos, in praeſens onus illud remitteretur: qua re non parvam a provincialibus gratiam inivit. Interea Groeningenſium et Ommelandenſium diſſidium, cujus cognitionem poſt Santaldegondani et [d] Sillae diſceſſum ſibi ſumpſerat Matthias, eamque Arauſionenſi, comiti Schuartſenburgio et Jacobo [e] Immano commiſerat, compoſitum eſt, his conditionibus, quas Matthias ratas habuit IX Kal. Nov. ut partes utrinque ab omni maleficio abſtineant; ſuas controverſias juris via diſceptent; idque coram delegatis ex concilio Ordinum, aut ſecretiore, ſenatuve [f] Mechlinienſi, qui intra duos annos eas dirimat finiatque: interea Groeningenſes praetenſi juris uſucapione ſine ullo impedimento, ſicut prius, maxime ante annum CIↄIↄLXXI, fruantur: viciſſim Ommelandenſes liberam bonorum antea occupatorum poſſeſſionem capiant: dimittantur omnes captivi, ac nominatim Bertelus Entenſius; literaeque et inſtrumenta omnia reddantur. Horum omnium executio Rennebergio demandata. Secundum haec captivi a Groeningenſibus dimittuntur; et Entenſius in primis libertati reſtituitur: cautionibuſque utrinque datis, quieturae partes videbantur, cum mox ex unionis [g] Ultrajectenſis occaſione anno inſequenti odia, quae ſopita credebantur, rurſus exarſerunt.

XXI. OB religionem et magnus hoc anno tumultus utcunque in Dacia ſedatus eſt. Magna erat iis locis diverſa et abſurda pro libidine in religione ſentientium licentia ſub Joanne [h] Scepuſio Tranſilvano adulta, et a Georgio [i] Blandrata admodum corroborata, qui, Geneva a Joanne Calvino exactus, Poloniam et inde ad illas partes confugerat, quo longius a luce, eo plures ſectatores, ut rebatur, habiturus. Hujus diſcipulus Franciſcus David damnata Arii dogmata ſcelerata audacia renovaverat, et leveis ac veri ignaras mentes hominum miſcuerat: quod [k] Bathorii, qui Scepuſio ſucceſſerunt, aegre, neque ut ille, ferentes, omni cura ac ſtudio enixi ſunt, ut, mitigatis ac prius ſaniore doctrina ſubactis inſanientium animis, eos ab errore in viam reducerent, et ab impoſtore illo paulatim alienarent. Itaque, hoc anno comitiis indictis, Chriſtophorus Bathorius, regis Stephani frater, eam doctrinam damnari curavit, ipſumque Davidem ac peſtilentis ſectae fautores capitali ſupplicio dignos pronunciavit. Inde David ille ad Cevae arcem perfugium habuit, in qua ex conſcientiae morſu in amentiam incidens, inter aſſidua ſpectrorum oculis obverſantium terriculamenta excarnificatus, dum latebras fruſtra quaerit, miſerabili exitu anxiam vitam finivit.

XXII. [α] NEC Britannica praetermitti debent. Eliſabetha, quanquam in propoſito res Belgicas componendi perſeverans, ad ſervandum cum Philippo vetus Burgundicum foedus,

VAR. LECT. [α] *Tota haec de rebus Britannicis per paginam et dimid. deducta narratio deeſt* D. ſ.

INTERPR. [a] *Bochelt.* [b] *Mulart, Rinſwoude, Eſchede, Scagen, & Oltolf.* [c] *de Gueldre.* [d] *le docteur Silles.* [e] *Iman.* [f] *de Malines.* [g] *Union d'Utrecht.* [h] *de Scepuſe.* [i] *Blandrata.* [k] *Bathory.*

foedus, cum videret Hiſpanos religionis ratione ab eo conſilio omnino alienos, ab CIƆIƆLXXVIII. [a] Andini ouptiis ſe minus alienam in dies oſtendebat; quippe quae mallet Andinum HENRICUS III. per matrimonium in poteſtate habere, quam Belgas per Andinum Gallorum imperio teneri. Miſſus primum Martellus [b] Baccavilla ex primaria [c] Neuſtriae proximae nobilitate; qui reginam, ad [α] [d] Melfordam [e] Cordalli aedeis in Suffolcia ruſticantem, convenit; et mox a rege Nicolaus [f] Angenєus Rambolietus: ab Andino ipſo tandem Joannes [g] Simieus, homo blandimentis et aſſentatiunculis innutritus aulicis; qui, cum praecipuo gratiae loco apud ipſum eſſet, praecipuo et honore ac familiaritate ab ea exceptus eſt: viciſſim miſſus in Galliam Edvardus [h] Staffordius, qui de rebus noſtris ac conſiliis coram cognoſceret: neque inter haec rerum Scoticarum cura intermiſſa, quam ad ſe proxime pertinere exiſtimabat. Itaque miſſus Thomas [i] Randolphus; qui, ſpecie de rebus pueri regis, ſtudiis ac progreſſu in literis percunctandi, qui ſtatus rerum eſſet in regno coram videret; [k] Mortooii proregis ſibi addicti auctoritatem firmaret; adverſae partis, quantum in ſe eſſet, factionem infringeret. Ille, de materno reginae in Jacobum affectu multa peramanter praefatus, cum [l] Argathelio agit, auctoritate ſua efficeret, ne Hebridiani opem rebellibus in [m] Hibernia ferrent; tum in occulto proregi perſuadet, ut ſuſceptas cum Argathelio et [n] Atholio et ejuſdem factionis ſociis inimicitias quamprimum deponat, ipſi damnoſas, et regno extremam, niſi deſiſtat, perniciem allaturas. Mortonius prudeotiam inſitam ac longo rerum uſu quaeſitam avaritiae ſordibus poſtremo foedaverat: eaque re cum odia procerum magis in dies intendi videret Randolphus, et poſtremo in reginam, quae Mortonium auctoritate ſua ſublevabat, recidere, ad leniendam invidiam, quam Angli propterea ſuſtioebant, procerum volnntati aliquid coodonandum cenſuit. Itaque unanimi Ordioum cooſenſu regni adminiſtratio, abdicante ſe poteſtate delata Mortonio, in regem, licet vix duodenem, tranſlata eſt: et XII e proceribus nominari, qui terni ſingulis trimeſtribus alternatim in regis concilio adeſſent; inter quos honorifice nominatus et ipſe Mortonius. Inde Jacobus per [o] Dunfermilinium in Angliam miſſum Eliſabethae pro tam propenſo in ſe animo, quem non tam ſanguinis proximitati quam religionis vinculo tribuit, gratias agit; rogatque ante omnia, ur foedus [p] Edimburgi anno LIX initum, cujus toties mentio repetita, ratum habeatur; ad prohibendas in limite armatas diſcurſationes, et pacem religionis turbantium molitiones refraenandas, jus aequabile inter partes utrinque conſtituatur; piraticis depraedationibus ablata reſtituantur; et aviti patrimonii [q] Matthaeo et Margaritae aviae in Anglia conceſſi poſſeſſio libera relinquatur. Ad haec reſponſum: de foedere Edimburgenſi confirmando et jure aequabili inter partes conſtituendo quod petatur, placere: de patrimonio, quoniam de eo lis ab Arbela Caroli patrui filia movebatur, placere item, id ut juri Anglicano decidendum relioquatur. Carolus is, poſt Matthaei patris obitum, Leviniae comitatum beneficiarium regis gratia acceperat; quae, Carolo mortuo, ſtatim revocata eſt; quod in praejudicium Arbelae aegre tulit regina, eoque ſe difficiliorem praebuit in gratia, quae viciſſim ab ipſa petebatur, concedenda. Tum mutuum foedus defenſionis pro utriuſque regni tranquillirate et religionis in iis receptae conſervatione contra rebelleis et invaſores ictum; additumque, quandoquidem Eliſabetha magnam in multorum principum offenſionem ob ſuſceptum regis pueri patrocinium, magno ſuarum rerum diſpendio, oec citra vitae propriae periculum, incurrit, ne, quamdiu in minori erit aetate, foedus cum quoquam faciat vel renovet matrimoniumve contrahat aut e Scotia tranſmittatur, inconſulta regina; eaque de re Scotiae Ordines

Eliſabethae

VAR. LECT. [α] Metfordias *D.* d. et *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *le duc d'Anjou.* [b] *de Bacqueville.* [c] *Normandie.* [d] *Melford en Suffolk.* [e] *Cordall.* [f] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [g] *de Simie.* [h] *Stafford.* [i] *Randolph.* [k] *le comte de Morton.* [l] *le comte d'Argyle.* [m] *Irlande.* [n] *le comte d'Athol.* [o] *l'abbé de Dunfermlin.* [p] *Edinbourg.* [q] *Matthieu Stuart, comte de Lenox.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

Eliſabethae idonee caveant. Quibus actis, [a] Mortonius, et ingenii fiducia et clientelarum potentia fretus, dum oihil, niſi quod ipſe faeir, recte factum putat, neglectis collegis et praeſcripta adminiſtrandi ratione, priſtinam auctoritatem ad ſe contraxit, et regem [b] Sterlini in poteſtate habere voluit, ceteris pro arbirtio aut admiſſis aut excluſis. Unde irritati proceres denuo coëunt; et, Atholio duce delecto, edictum proponuot, quo jubebantur omnes, qui ex ephebis exiiſſent et ſexagenariis minores eſſent, pro regis liberarione intra XV dies ad ſigna coovenire. Concurſu ingenti nobilitatis ad [c] Fawkirkam facto, ſuos, quos non exiguo numero habebat, oppoſuit Mortonius; jamque in eo erat ut confligerent, cum Robertus [d] Bovius Anglicus orator iotervenit, et ultro citroque commeando ptopoſitis cooditionibus eos a pugna continuit. Inde Mortonius, rerum pertaeſus, ſe domum recepit, non ſine ſuſpicione, quaſi veneno petitus eſſet. Eodem tempore Heoticus [e] Sidneius Hiberniae prorex, tandem venia impetrata, in Angliam diſceſſit, provincia Guil. [f] Drurio Momoniae praeſidi tradita, cum XI circiter annis inſulae magna prudentiae ac fortitudinis laude cum ſummo imperio praefuiſſet. Nec multo poſt, nam neque hoc ſileri debuit, Margarita [g] Duglaſſia, Henrici VIII e ſorore neptis, Matthaei Stuarti vidua, et Jacobi VI avia, anno climacterico ſuo e vita demigravit; inſigni pompa reginae expenſis elata, et [h] Weſtmonaſterii regio monumento condita; eximiae pietatis, patientiae ac pudicitiae foemina; quae ter in carcerem coojecta fuerat, oon de crimine majeſtatis poſtulata, ſed ob proprios aut alieoos amores indignum in modum vexata: ac primo quidem, cum Thomas [i] Howardus Thomae I Norfolciae ducis filius, ipſius amore exardeſcens, in arce Londinenſi periit: deinde, ob probatos primo Eliſabethae et ad extremum prohibitos Henrici [k] Darlaei filii cum Maria Scotorum regina amores: poſtremo, ob amorem Caroli filii junioris cum Eliſabetha [l] Candiſha, Arbellae matre; inter quos clandeſtinas ouptias conciliaſſe, cum ſeditiooem in Aoglia excitaverat Maria, inſimulabatur.

XXIII. APUD nos, poſt pacificationem ultimo Septembri factam in Delfinatu ut et in proxima [m] Septimania, ſtudia partium magis incenſa erant. Per internuncios inter Bertrandum [n] Simienam Gordium, Fraociſci Borbonii Delfini principis legatum, et Franciſcum [o] Bonam Diguierium, Proteſtantium ſummum in ea provincia ducem, ad purgandas praeteriri temporis ſuſpiciones hinc inde commeanteis, quod reliquum anni fuit inſumptum eſt. Tandem hoe ineunte, interventu Rogerii [p] Sanlarii Bellogardii equitum rribuni, placuit, ut ad edicti executionem ipſi ad [q] Buxetum convenirent. [α] Is initio regni Henrici tribunus equitum creatus fuerat, ut ſupra demonſtravimus; dein, regina annitente a priſtinae gratiae loco remotus, et ſpecie legationis Polooicae omnioo ab aula relegatus, in [r] Subalpinam provinciam coooeſſerat, caſum ſuum aegerrime ferens, et ulciſcendi doloris occaſionem, ſi ſe in manus daret, minime praetermiſſurus. Ei cum Emmanuele Philiberto Sabaudiae duce arctiſſima amicitia et familiaritas erat; eo majore ſtudio a prineipe illo culta, quod noſtris partibus infeſtus, cum antiqua odia animo reeoqueret, non alium ſibi ad pernicioſa contra nos exequenda conſilia magis idoneum miniſtrum a fortuna praeberi poſſe arbitrabatur: nam Bellogardius in regione Subalpioa priocipatum [ſ] Saluciarum cum ſummo imperio tenebat; et noverat ejus ingenium [β] Philibertus ad privaras injurias ulciſeendas paratiſſimum. Itaque jam ante, quo [γ] hominem ſibi devinciret, cum [δ] eum Margaritam

Saluciam

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur 53 circiter lineae uſque ad* Eodem tempore datum *deſunt D. f. d.*

[β] Philibertus, hominem in omne facinus, ſive ad libidinem explendam ſive ad privatas *MS. Samm.*

[γ] hominem perditae audaciae ac luxus ſibi *MS. Samm.*

[δ] eum inſano amore Margaritam *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *le comte de Morton.* [b] *Sterling.* [c] *Fawkirk.* [d] *Bowes.* [e] *Sidney.* [f] *Drury, preſident de Munſter.* [g] *Douglaſs.* [h] *Weſtminſter.* [i] *Howard, fils du duc de Norfolk.* [k] *le lord Darnley.* [l] *Candiſh.* [m] *Languedoc.* [n] *de Simiane, ſieur de Gordes.* [o] *de Bonne, ſieur de Leſdiguieres.* [p] *de S. Lary de Bellegarde.* [q] *Buys.* [r] *Piedmont.* [ſ] *Marquiſat de Saluces.*

Saluciam, quae Paulo Thermo ſaepius a nobis antea commemorato equitum tribuno avunculo ipſius nupſerat, deperire intelligeret, inceſtuoſarum nuptiarum inter utrumque ſe pararium praebuerat, et, poſt contractas nuptias, eis gratiam ut faceret, a pontifice impetraverat. Mutuam gratiam ut Philiberto rependeret Bellogardius, regi e Polonia venienti et per Subalpinam provinciam iter facienti auctor fuerat, ut [a] Pinarolium et Savillanum, de quibus tantopere pugnaverat Ludovicus Gonzaga [b] Nivernii dux, antiquo domino reſtituerentur: qua ex re hoc commodum conſecutus fuerat, ut, cum Nivernius praefecturam eorum locorum, quae reges noſtri in Subalpina regione tenent, ex ea occaſione ejeraſſet, ipſe eam a rege acciperet, eoque majore conſiliorum neceſſitudine cum Sabaudo conjungeretur, accedente ad veterem amicitiam recenti tanti beneficii nexu. [α] His vinculis conſtrictum Bellogardium tenens Philibertus, eum ad majora porro impulit. Sic autem inter eos convenit, ut Bellogardius tanquam equitum tribunus exequendi per [c] Provinciam, Delfinatum et Lugdunenſes edicti munus a rege ſuſciperet; ex eaque occaſione loca firma, quae a Proteſtantibus reciperet, validis praeſidiis impleret, fidis et ſibi addictis hominibus praepoſitis; atque ita provincias illas Italiae et Hiſpaniae objacentes, ob idque res novas molienti opportunas, in poteſtatem redigeret. Id vero ſibi factu facile perſuaſerat Bellogardius, modo aequos rebus ſuis Proteſtanteis haberet; quod ſe rurſus facile adſecuturum putabat: nam factioſis hoc inſitum eſſe, ut amicos ſibi non virtutis contemplatione concilient, ſed eos quaerant quos infeſtos adverſariis ſuis noverint. Itaque, cum cunctis conſtaret, quam acri injuriarum a rege reginaque parente illatarum morſu ipſe tangeretur, minime dubitabat, quin Proteſtantes ſuae potius quam alterius regi obnoxii fidei ſe commiſſuri eſſent. Hac fiducia fretus, cum [d] Diguierio agit; et, per amicos quaedam de injuriae cunctis notae acerrimo ſenſu praefatus, cujus in reginam parentem invidiam rejiciebat, ſibi a rege edicti nuper facti per eas, quas dixi, provincias executionem demandatam ſignificat: ceterum noluiſſe id oneris ſuſcipere, antequam ex ipſo ſincere cognoviſſet, an Proteſtantes edicto parere et juxta ejus leges oppida et munita loca reſtituere conſtituiſſent: nam, niſi de hoc ſibi certo conſtet, malle, ut cum honorifico adeo onere dedecus repulſae in alterum transferatur. Ad haec Diguierius, qui et Bellogardii ita animo affecti amicitiam ſibi utilem arbitraretur, neque tamen animi motum renudare tutum aut honeſtum hoc rerum ſtatu duceret, ambigue reſpondebat; et, ſi quidem qui circa regem ſunt ſincere ſecum agant, Proteſtanteis edicto in omnibus parere decreviſſe; ſin minus, loca munita retenturos eos, quouſque ipſis idonee caveatur: proinde ipſum Bellogardium etiam atque etiam videre debere, ut de regis, ac eorum qui circa eum ſunt, voluntate certus ſit, antequam id oneris ſuſcipiat: nam nolle ſe aut Proteſtanteis, ſi forte ſalutis tuendae neceſſitate coacti leges edicti implere detrectent, propterea in tantae dignitatis viri, cujus, tanquam publicae tranquillitatis ſtudioſiſſimi et partibus ſuis non iniqui, amicitiam colere quibus debeant ac poſſint officiis ſummopere ſemper expetiverint, offenſionem incurrere. Quo reſponſo accepto, Bellogardius, cum conſilia nondum ex animo procedere videret, tempus magis idoneum opperiens, [e] Villam-novam ex adverſo [f] Avenionis conceſſit; nec ad colloquium, ſicuti receperat, venit. Eodem tempore datum negotium fuerat Joanni [g] Monlucio Valentiae, ubi tunc erat, epiſcopo, ut per Septimaniam edicti executionem procuraret: qua de re et ille cum Bellogardio et Gordio ipſo

VAR. LECT. [α] Nuper vero, ut hominis libidinibus ancillari pergeret Sabaudus, cum ille poſt irritam Nemauſi obſidionem Aloiſiam Andronam, Nemauſenſis ſigilli cuſtodis uxorem, interfecto nefanda audacia Belloquadri marito, ſecum abduxiſſet, pari indulgentia, qua inceſtas Margaritae nuptias foverat, infames impudicae foeminae amores complexus fuerat. His tot ſcelerum et proditae jam patriae vinculis conſtrictum *MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Pignerol & Savillan.* [b] *de Nevers.* [c] *Provence, Dauphiné, & Lyonnois.* [d] *de Bonne, ſieur de Leſdiguieres.* [e] *Villeneufve.* [f] *Avignon.* [g] *de Monluc, evêque de Valence.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

ipſo egerat; miſſoque in aulam [a] Ralieto ab epiſtolis, ut mandata a rege acciperet, iis XVI Kal. Mart. acceptis, [b] Uticam ſe confert; ubi propter [c] Anaſtaſiae-fanum, nuper a Catholicis haud longe hinc interceptum, Proteſtanteis, paulum abfuit, ad ſeditionem ſpectanteis offendit; quos habita oratione ſenilis facundiae III Non. Mart. utcunque placavit; cujus exemplum ab actuario mox [d] Nemauſum et Monpelium tranſmiſſum eſt: ſumma autem ejus erat; ut cuncti bellum civile, quod omnium malorum inſtar eſſet, quod pietati et mutuae, qua civilis concordia et publica quies continetur, charitati adverſaretur, quod leges denique opprimeret, vere et ex animo deteſtentur; pacem a rege, nulla neceſſitate inſtigante, jam recepto fratre et nullis externis copiis regnum vaſtantibus, quae incommoda pacis ante biennium ſanciendae quaſi neceſſitatem impoſuerant, aequis conditionibus factam, et a ſincera dantis voluntate profectam, obviis ulnis amplectantur; eamque tanquam unicum tot calamitatum finem religioſe colant, et legibus in illa dictis bona fide obtemperent. Idem, ſed copioſiore oratione, quae et edita eſt, in comitiis provinciae [e] Biterris inſequenti Aprili celebratis ab eo factitatum. Secundum haec, poſt reditum ab aula [f] Marieti Averani, ab [g] Ordinibus Septimaniae in aulam delegati, qui eos de egregia regis, quieta omnia toto regno unice cupientis, juxta edicti leges, voluntate certiores fecit, Non. Apr. inter omneis tam Catholicos quam Proteſtanteis magna conſenſione conventum eſt, ut edictum ſuperiore anno Septembri menſe factum religioſe ſervaretur, ejuſque executio utrinque procuraretur; alteri alteros in patrocinium reciperent; caedium, rapinarum, maleficiorum, poſt edictum ab iis, qui privata auctoritate loca munita tenent, admiſſorum, quaeque deinceps admitti poſſint, in jure libera perſecutio eſſet; ad coſque, qui talia admitterent, perſequendos et comprehendendos utrique mutuas operas, opes ac vireis conferrent; eos, qui loca firma per vim occupant, tanquam publicae quietis perturbatores et hoſteis utrique haberent; eaque loca, poſtquam ſeu vi ſeu deditione a ſeditioſis recepta fuerint, ut eorum munitiones deſtruantur, ſuppliciter a rege poſtulent. His ita tranſactis et jurejurando utriuſque partis firmatis, publicum inſtrumentum conficitur, cui ſubſcripſere Ordinum, qui aderant, omnes delegati.

XXIV. INTEREA, appetente colloquii ad [h] Buxetum in Delfinatu condicti tempore, cum Gordius ſe in viam dediſſet, ad [i] Montelium Adaemari morbo urgente ſubſiſtere coactus eſt, ex quo paucis poſt diebus menſe Februario deceſſit; vir antiqui moris ac diſciplinae, et qui ſummam aequitatem in his turbis ſemper adhibuerat: ſed, extremis temporibus nonnihil irritatior, ob traditum veluti inimicorum irae mandatu reginae [k] Monbrunium, magnam, non ſolum inter Proteſtanteis verum etiam paſſim inter nobileis, invidiam ſuſtinuerat. In ejus locum ſuffectus eſt Laurentius [l] Maugironus, Franciſci filii, qui ſummum gratiae locum apud regem obtinebat, commendatione. Is aula, in qua tunc erat, ad praefecturam ſuam miſſus eſt; eique adjunctus Jacobus [m] Faius Speſſaeus, jam legatione Polonica clarus, et ſummo in rebus agendis judicio praeditus. Cum iis colloquium Buxeti inſtitutum; et, poſt multas contentiones, cum Maugironus in provinciae ingreſſu et primis novi magiſtratus auſpiciis ſuſpiciones antiquas purgare, et invidiam praeteriti temporis cum morte deceſſoris ſui extinctam cuperet, ultro cum Diguierio convenit, ut, donec edictum plene executioni demandatum eſſet, Proteſtantes in Delfinatu loca quae tenebant ſervare poſſent, et II aureorum CIↃ per ſingulos menſeis ad alenda praeſidia a rege exſolverentur. Quod ubi ex ipſius literis in aula cognitum eſt, regina parens, quae in eo erat ut ad Navarrum generum in [n] Aquitaniam ad res pacificandas proficiſceretur, aegerrime tulit; et, magnum negotio a ſe ſuſcepto praejudicium fieri rata, apud regem graviter ea de re expoſtulavit:

INTERPR. [a] *Raillet.* [b] *Uſez.* [c] *St. Anaſtaſie.* [d] *Niſmes & Montpellier.* [e] *Beziers.* [f] *Mariet d'Averano.* [g] *Eſtats de Languedoc.* [h] *le Buys.* [i] *Montelimart,* [k] *de Montbrun.* [l] *de Maugiron,* [m] *de Faye, ſieur d'Eſpeſſes.* [n] *Guienne.*

expoſtulavit: proptereaque ſeverius cum Maugirono actum iri plerique exiſtimavere, CIↃIↃLXXVIII.
nisi filii favor, qui patri praefecturam conciliaverat, eum a juſta regis ira texiſſet; qui HENRICUS III.
tamen, a matre incitatus, acerbe admodum per literas Maugirono ſuccenſuit, quod tam iniquis conditionibus cum [a] Diguierio tranſegiſſet: nam procul dubio fore, ut eo exemplo ceterae provinciae idem petant; et ita nunquam finis turbarum ſit futurus, manentibus penes Proteſtanteis locis firmis, quae armorum retinendorum et belli porro excitandi novas cauſas ſemper praebitura ſint. Tandem monitus a filio Maugironus, ut aliquod operae pretium faceret, quo prioris facti invidiam amoliretur, et reginae, odiis faces admoventis, gratiam apud regem imminueret, Proteſtantibus in Delfinatu perſuadere voluit, ut ſeorſim a ceteris cum rege agerent: ſic enim futurum, ut et idonee ipſis caveretur, et opimiores, quam quae edicto continerentur, conditiones ab eo ferrent. Verum illi ſe excuſaverunt, et, niſi mandatu Navarri, cum rege agere, aut cauſam ſuam a generali ceterarum, quas vocant, eccleſiarum cauſa ſeparare, ſe minime poſſe oſtenderunt. Tamen Maugironi ſive auctoritas ſive gratia tenuit, ut Proteſtantes ſcripto petitiones ſuas comprehenderent, quas ipſi prius communicatas ad Navarrum miſſuros ſe receperunt per delegatum e ſuo numero, qui ex ipſo ſciret, rataſne conditiones haberet, placeretve, ut ſeorſim ab aliis provinciarum delegatis cum rege ageretur: quod ſi placere reſponderet, nec aliter, cum rege acturos. Ad id delectus fuit Sofredus [b] Caligno, juvenis juxta prudens ac probus, et exquiſita in omni literarum ac ſcientiarum genere doctrina exultus, qui [c] Neracum ad Navarrum ſtatim profectus eſt; expoſitiſque mandatis, cum Navarrus Calignonis et Diguierii, a quo is miſſus fuerat, fidem aliis rebus ſatis perſpectam haberet, facile aſſenſit, ut de his conditionibus cum regina, quae interim Neracum jam venerat, ſeorſim ageretur. Sic enim judicabat, reginam, ut cauſam Delfinatum a Navarro ſepararet, benignius ad poſtulata illorum reſponſuram; et eo veluti praejudicio ceteras provincias ſubnixas idem a regina petituras: quod ſi minus benigne, nec ſecundum ſpem a Maugirono factam, qui et ob id [d] Sanſacum jam ad regem legaverat, ad poſtulata reſponderetur, res integras manſuras, ac liberum Delfinatibus fore, ut querelas ſuas cum ceteris provinciarum delegatis conjungerent. Nec ſagaciſſimi principis conjecturae eventus defuit. Nam in reſponſis ad poſtulata factis multa inerant, quibus poſtea ceteri delegati tanquam praejudiciis adverſus reginam uſi ſunt, et multa rurſus, quae minus ſatisfaciebant; quae cum Caligno accipere ſe non poſſe demonſtraret, a regina in aulam remiſſus eſt, ſpe facta, ut ex voto iis a rege plenius reſponderetur. Itaque permiſſu Navarri in aulam Caligno profectus eſt, cum commendatitiis reginae literis; qui et perbenigne exceptus et ampliora a rege reſponſa tulit, atque ejuſmodi, quae vel Calignonis ipſius judicio provincialibus ſuis ſatisfacere deberent. Cum tamen urgeret rex, ut Caligno fidem interponeret, Proteſtanteis in Delfinatu iis conditionibus ſubſcripturos, ille recuſavit; et mandatis ſuis quidquam tale promittendi poteſtatem ſibi factam negavit. Verum de iis omnibus, quae rex imperaret, et ipſe ex ſacri conſiſtorii ſenatoribus intellexiſſet, ſe ad ſuos ſincere relaturum recepit; et, ſi poſſet, effecturum, ut illi conditiones oblatas, quaſque ipſe aequas exiſtimaret, a rege acciperent. Inde Caligno ad ſuos reverſus, contra quam rebatur, longe aliter affectos eorum animos reperit; quippe qui idonee ſibi caveri non poſſe exiſtimarent, ſi arma deponerent, et loca, quae praeſidio tenebant, juxta edictum reſtituerent: et, quanquam ſe dictas edicto leges ſervare paratos oſtenderent, tamen regem oratum volebant, ut ſuae ſecuritatis rationem haberet; circumfuſam undique plebem, quae, ſive a Catholicis turbulentis ſolicitata, ſive praecedentium temporum injuriis exacerbata, ſimul atque arma depoſuerint, in inermeis ſit ſaevitura: itaque petere, quod praeſenti neceſſitate adacti

INTERPR. [a] *le ſieur de Leſdiguieres.* [b] *de Calignon.* [c] *Nerac.* [d] *de Sanſac.*

adacti faciant, ne id ipſis in odium vertat: langueſcere mora animos, et plebem, quod ipſi agnoſcant, ſuperiorum temporum licentia irritatam, tractu temporis mitigatam, aliquando quieturam: haec civile bellum incommoda ſecum trahere, ut etiam poſtes pacatas exulcerati mutuis injuriis animi non ita cito componi poſſint. Certe tunc temporis plebs per totam eam provinciam in armis erat, et ad rabiem efferata ob recentem caedium ac rapinarum memoriam: et potius dux ad ultionem de nobilitate, cui militaris licentiae culpam imputabant, ſumendam, quam animus deeſſe videbatur. [a] Caſtroduplum in [b] Dienſi dioeceſi tenebat [c] Prada quidam nomine, homo rapax, qui cum ſui ſimilibus nuſquam ducum dictis audiens eorum imperia ſuperbe hactenus contempſerat, pecuniam arbitratu ſuo imperans, et per inducias a partium ducibus factas nuſquam ab excurſionibus abſtinens. Id magnam Proteſtantibus, quorum ille partes ſequebatur, invidiam apud plebem conflabat. Itaque ſociis Maugironus perſuadet, quo cum plebe in gratiam redeat, ut ſecum vireis ad infamem latronem provincia expellendum conjungant: et tenuit, ut Caſtroduplum duceretur, quod tandem Prada, impunitate hactenus ferox, cum a Proteſtantibus ipſis ſe peti videret, ſumma ignavia dedidit, merita poſtea poena affectus. Quo facto aliquantiſper plebis ira placata eſt. Quod vero ejus gratiam popularitate inſucta captaret Maugironus, ob id Proteſtantibus, quibuſcum alioqui initio comiter et ſummo candore egerat, ſuſpectior in dies reddebatur: ſic enim prudentiores inter eos judicabant; longe diverſam factionum contra legitimam potentiam et ipſius legitimae potentiae contra factiones conditionem eſſe: nam nocentium caſtigatione quovis tempore facta juſtum imperium ſere firmari; at factionum ducibus, donec res omnino compoſitae ſint, et data cautione in tuto collocatae, neceſſitatem eam impoſitam, ut, ſi ſe ſalvos cupiunt, quicunque vel nocentiſſimi ſe ipſorum partibus adjunxerint, eorum maleficia excuſare et proprio periculo tueri teneantur: ſi ſecus fecerint, intempeſtiva juſtitiae affectatione factionis robur ſenſim debilitari. Idem ſenſus rerum in Navarri comitatu erat: nam, cum quoſdam ex ſuis latrociniis infameis poena affeciſſet, et praeſidia ex multis locis, ſub adventum in Aquitaniam Bironi a regina praemiſſi, deduxiſſet, ſero errorem ſenſit, cum pleroſque homines ſtrenuos ac manu promptos partes ſuas paulatim deſerere, et Bironum loca a ſe praeſidiis nudata ſtatim valido praeſidio firmare vidit. Nam ea fere erant, in quibus, quod Proteſtantes numero vincerent, tuendis minime praeſidio ſibi opus eſſe cenſebat Navarrus; quamvis ultimo edicto diſerte cautum fuiſſet, ne praeſidia ulla imponerentur, niſi iis in locis, in quibus Henrici II temporibus ordinata fuerant. Itaque ab eo tempore cum ſuis indulgentius agere, et loca praeſidiis occupata affectatis protelationibus retinere, conſtituit.

XXV. TUNC vero colloquium cum iis quos ſecum regina adduxerat, et eccleſiarum, quas vocant, delegatis inſtitutum eſt; quod tota ea hyeme ad ſequentis uſque anni initia duravit, ac tandem Februario ineunte terminatum eſt. Margaritam filiam, Navarri uxorem, quae in aula, viro diſcedente, remanſerat, ſecum duxerat regina parens; cui et [d] Burdigalae regali pompa ingreſſum parari curavit, rata ſe placatiorem maritum [e] Aquitaniae praeſidem habiturum, ſi ea in urbe, qua ſaepius nec citra contumeliam excluſus eſſet, uxor ejus honorifice exciperetur. Sub id menſe Julio tripartita, quam vocant, Camera [f] Aginni Nitiobrigum, juxta edicti [g] Bergeraciani XXII caput, inſtituta eſt, XII conſiliariis et duobus praeſidibus, altero majorum religioni, altero Proteſtantium doctrinae addicto, conſtans; quae ita jus diceret, ut tertia pars in ſingulis judiciis ex eorum numero eſſet qui Proteſtantium doctrinae addicti eſſent; quod ex aemulatione magnas in dicendis ſententiis contentiones et in judiciario ordine perturbationem afferebat, donec adventu judicum e ſenatu Pariſienſi lectorum, ſicuti eodem edicto convenerat, ea diſſoluta eſt.

XXVI. QUAE

INTERPR. [a] *le Chaſteau-double.* [b] *de Die.* [c] *la Prade.* [d] *Bourdeaux.* [e] *Guienne.* [f] *Agen.* [g] *de Bergerac.*

XXVI. QUAE dum cum Proteſtantibus procul aguntur, longe alia rerum facies in aula erat, ubi, dum rex privatis affectibus nimis indulgens Franciſcum [a] Andinum fratrem majora quam cuperet molientem averſari atque adeo reformidare prae ſe ferr, ſuſpicionem juveni vario ingenio praedito injecit, quaſi ipſum ſub cuſtodiam mittere ſtatuiſſet. Nec deerant in aula, qui odio praeſentium faces Andino crebris delationibus admoverent: vitae conſuleret, quam ſi negligeret, at ne decus regni ac regis exiſtimationem praepoſtera diſſimulatione perire ſineret: regnare in aula homines indignos, qui regis patientia non ſolum ad privatum commodum ſed contemptum ipſius et odium abutantur, fiduciaque inde concepta nihil non in publicam perniciem audeant; qui cum regnum regemque everterint, quid ei in affectata obedientiae oſtentatione praeſidii futurum? itaque obviam principiis iret, et ſe fratri per praecipitia in exitium ruenti mature opponeret: alioqui fore, ut vulnus, quod nunc celeritate curari queat, mora et tarditate immedicabile reddatur. Quae voces a bonis maliſque promiſcue, ut ſpe novarum rerum aut mali impendentis metu afficiebantur, jactatae alte in pectus Andini deſcendere, et ſuapte natura ad turbas promptum ingenium facile impulere. Itaque, cum paucis ex intimis re communicata, fugam capeſſit xv Februarii poſt coenam, in qua familiareis cum rege ſermones habuerat, cum minus putabatur, nocte intempeſta per humilem murum, qui [b] Sanjacobinam et Sanmarcellinam portas interjacet, delapſus. Quod ubi rex reſcivit, pejora veritus, claudi portas et primarios fratris conſiliarios comprehendi jubet; et in his Claudium [c] Caſtreum Biturigum praeſidem, qui, turbata aula et urbe, in [d] Baſtiliam conjectus eſt, ac ſtatim dimiſſus, poſtquam Andinus, qui interim [e] Alençonium in Aulereis profugerat, literis ad fratrem datis diſceſſum ſuum tam repentinum excuſavit, et, in fide futurum ſe pollicitus, ſui ut ſibi reſtituerentur ſupplex poſtulavit. Inde rex, quaſi de fratre ſecurus, ad otium ſuum revolvitur: quod quo minus ſolidum ac diuturnum eſſet, caſus, qui intervenit, minime paſſus eſt.

XXVII. JACOBO [f] Levio Antonii Cailuſii in Rutenis reguli filio, praeſtantis formae et virtutis expertae juveni, qui in gratia regis praecipue florebat, cum Carolo [g] Balſaco Dunenſi Franciſci Interamnatis fratre rixa in arcano intercedebat; qua ex cauſa [α] incertum. Cum vero alter ab altero de injuria ſibi, uſurpata apud nos inter nobileis ratione, ſatisfieri peteret, horam et locum duello condicunt; quo et duos ex amicis, inaudito apud alios more, ceterum vana decoris oſtentandi cupiditate, nunc nimis frequenti, ſecum pugnaturos adducunt. A Levii partibus ſtabant Franciſcus Maugironus is, de quo modo dixi, altero oculo captus, Joannes [h] Darſius Livarotus; cum Dunenſi venerunt Franciſcus [i] Daidius Riberacus et Georgius [k] Schombergius: qui ſummo ſilentio in equorum foro v Kal. Maii ad mutuam perniciem, vix orto ſole, certarunt. Cecidit inde Maugironus a Riberaco, inde Schombergius a Livaroto confoſſus, qui et ipſe grave vulnus in capite accepit. Levius lethaliter, ut et Riberacus, ſauciatus eſt: et hic quidem in [l] Guiſianas aedeis haud hinc longe delatus paulo poſt obiit: Levius accepta in pulmonis lobo plaga diutius decubuit, et, ad extremum ad miſerandam tabem adductus, ita ut prae macie, flore illo oris extincto, oſſa cute contracta extarent, in [m] Boëſianis aedibus deceſſit prid. Kal. Jun. Rex toto eo tempore decumbentem ſedulo inviſit, et ad pulvinar ejus aſſiduus dies noctesque neceſſaria

VAR. LECT. [α] incertum: niſi quod Margarita Navarri uxor, ut gratiam Andino fratri, quem prae rege diligebat, faceret, occultis delationibus, ut fit inter mulieres aulicas, quo juvenes incertae duelli aleae committeret, rixae occaſionem praebuiſſe et compoſitis verbis odia inter ipſos exacerbaſſe dicitur. Cum vero alter *MSS. Samm. Put. & Reg.*

INTERPR. [a] *le duc d'Anjou.* [b] *portes de S. Jacques & de S. Marceau.* [c] *de la Chaſtre, gouverneur de Berry.* [d] *la Baſtille.* [e] *Alençon au Perche.* [f] *de Levis, ſieur de Quelus en Rouergue.* [g] *de Balſac, ſieur de Dunes, frere du ſieur d'Entragues.* [h] *Darces de Livarot.* [i] *D'Aydie de Riberac.* [k] *de Schomberg.* [l] *Hôtel de Guiſe.* [m] *Hôtel de Boiſy.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III.

neceſſaria aegro propria manu miniſtravit, frequentiſſimo et latiſſimo vico catenis clauſo, ne praetereuntium equorum et carrorum ſtrepitu offenderetur: mortuumque tandem publice ſpectari voluit; qui honos non niſi primariis viris et ob magna merita deferri ſolet; et ſpectabili totius aulae pompa ad proximam B. Pauli aedem cum Maugirono tumulari juſſit. Ipſe funus ex feneſtra, nam regibus intereſſe funeribus apud nos infauſtum ducitur, ſpectavit. Inde ſub veſperam, cum [a] pontis operis admirandi, jamdudum deſignati, qui a [b] caio Auguſtinianorum per [c] inſulam Palatinam ad caium [d] Luparae XII arcubus porrigitur, fundamenta jeciſſet, ad Luparam moeſtus receſſit, et publico abſtinuit. Conſolationes etiam quaſi in domeſtico luctu admiſit; praeclaraque ſaeculi ingenia, et in iis Petrum Ronſardum et Philippum [e] Portam, precibus ac praemiis invitavit, ut caſum adeo ſibi lugubrem verſibus deplorarent. Poſtea et marmoreas eis ſtatuas, ut et Paulo [f] Stuarto Cauſſadae Sanmegrinio, qui ob [α] aliam cauſam noctu ex inſidiis ſub id interfectus eſt, in eodem templo erigi curavit, palam fremente plebe, quae jam ex odio in regis contemptum venerat: [β] incertumque fuit, majorene tunc regii nominis infamia ſtatuae illae erectae, an contumelia deinceps, excitata contra regem ſeditione, a furente vulgo dejectae ſint; et naribus ac auribus truncatae, paulum abfuit in profluentem protractae.

XXVIII. Ea re cum aliquandiu aulae laetitia turbaſſet, rex, novis affectibus ſuccedentibus, qui praeteritorum deſiderium leniebant, ad ingenium rediit; et, quaſi per pacem omni cura ſolutus, cum ſolum quietis fructum duceebat, ut opes prodigeret, et in omnem otii licentiam ſe effunderet, [γ] praecipuo ad id incentore et arbitro uſus Renato [g] Villoclaro, deteſtando regis adoleſcentiae, cujus alioqui indoles ad res magno principe dignas ſuopte impetu graſſabatur, [δ] corruptore: cui ſuccenturiatus eſt tandem gener tali ſocero dignus, Franciſcus [h] Dous juvenis contaminatiſſimus; qui, cum bona et pudorem in pueritia decoxiſſet, Villoclari commendatione, cum rex in Poloniam proficiſceretur, in ejus gratiam inſinuatus eſt; in qua poſtea aerario praefectus incertum reliquit, majorene arrogantia an rapacitate verſatus fuerit, bonis iniquus, luxu perditus, faſtu intolerandus, alienae vitae [ε] obtrectator: erat in fraudibus aulicis et comminiſcendis contra innocentes et modeſtiſſimum quemque calumniis, in novis vectigalibus excogitandis et tributis antiquis augendis tantum ingenioſus; quae dum diverſa diverſis temporibus et ob diverſas cauſas impoſita eſſent, regi auctor fuit, ut aboliris illis nominibus antiquis cuncta in unicum tributum confunderet, quo ſub antiquis illis nominibus nova ad libidinem imponens miſerae [ζ] plebi rurſus illuderet: in ceteris ſocors ideoque infeſtus literatorum hoſtis, quos deridendos ſoceri exemplo regi propinabat, quaeſtores, menſarios, collybiſtas, aleatores, quibus impenſe favebat, circa ſe habens. Per eos igitur in regis familiaritatem introducebantur illuſtri loco pueri ac juvenes praeſtanti indole: inter quos primum fuere Jacobus [i] Levius Cailuſius, Franciſcus Maugironus et Joannes [k] Darſius Livarotus, de quibus modo dixi, Franciſcus [l] Spinaeus Sanlucius, Paulus Stuartus Cauſſada Sanmegrinius;

VAR. LECT. [α] aliam nec honeſtiorem cauſam *MS. Samm.*

[β] *Quae ſequuntur 3 lineae deſunt D.* f. d.

[γ] *Quae ſequuntur 22 circiter lineae uſque ad* qui, ut quiſque *deſunt D.* f. d. *ubi tamen haec leguntur.* In aula tunc praecipua gratia erat Renati Villoclari et Franciſci Doi. Horum commendatione introducebantur illuſtres pueri ac juvenes praeſtanti indole; qui, ut quiſque——

[δ] corruptore, qui cruentas adhuc ſanguine uxoris ſuperiore anno Pictavii ob improperatam ſibi propudioſam vitam interfectae manus ad arcana regis attulit; pravorum conſiliorum, quae illi poſtremo in perniciem verterunt, ſuaſor et auctor; bonorum denique omnium juratus hoſtis, et honeſtiſſimi cujuſque et a ſuis vitiis alieni affectata ſcurrilitate coram rege deriſor: cui ſuccenturiatus *MSS. Samm. Put. & Rig.*

[ε] obtrectator, totaque vita infamis: erat *MSS. Samm. Put. & Rig.*

[ζ] plebi, cujus ad carnificinam homo inhumanus natus videbatur, rurſus *MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Pont neuf.* [b] *quai des Auguſtins.* [c] *Iſle du Palais.* [d] *le Louvre.* [e] *des Portes.* [f] *Stuart de Cauſſade, ſieur de S*[t] *Megrin.* [g] *de Villequier.* [h] *D'O.* [i] *de Levis, ſieur de Quelus.* [k] *Darces de Livarot.* [l] *d'Eſpinay de S. Luc.*

Sanmegrinius; et ſecundario loco, qui mox rerum potiti ſunt, Annas Jouſa, [a] Gulielmi Septimaniae ſub [b] Damvilla praeſide legati filius, et Bernardus ac Joannes Ludovicus [c] Nogaretii, Joannis Valetae ſaepius a nobis commemorati filii, digna patre ſoboles; qui, ut quiſque eorum, aut ſimul alter alterum impellens, quod in aula ſolemne eſt, in gratia flagrabant, ita regis ingenium moderabantur. Initio id in occulto, mox, creſcente licentia, juvenum inſolito favore ebriorum audacia regiae domus parietibus contineri non potuit; ſed gratia occulta non contenti, cum jam [α] regem ipſum poſſiderent, etiam in publico videri, ſalutari, et, rege patiente immo jubente, magno procerum comitatu deduci gaudebant. Tum ad eorum arbitrium honores, dignitates, magiſtratus, praefecturae diſtribuebantur; quarum ipſi primarias, quae meritis antea debebantur, ſibi ſumebant: ceteras aut venaleis turpi nundinatione habebant, aut indignis fere largiebantur; ita ut nemo in regno ſuo minus quam rex ipſe poſſe jam tum videretur. Interea nulla, quantumvis ampla, vectigalia tam profuſo luxui ac impenſis ſatis erant, [β] quamvis quotidie edicta fiſcalia proponerentur, et novi magiſtratus aut crearentur aut numerus eorum augeretur. De quibus edicta condita cum ampliſſimus ordo promulgare recuſaret, aut ſuperbis [γ] vocibus ab iis qui circa regem erant, inceſſebatur, [δ] aut a rege contra ſenatum incitato, contumelioſis verbis prius acceptus, parere jubebatur: cum nihilominus non obtemperaret, nam id ſenatui jus eſt ut in hujuſmodi rebus ſe neque poſſe neque debere reſpondeat, rex, genero et ſocero auctoribus, in ſenatum veniebat, ut, praeſente ipſo et in [d] juſtitiae, quod vocant, lectiſternio ſedente, edicta promulgarentur: quod, multoties factitatum, tantam ipſi invidiam et odium ac poſtremo contemptum concitavit, ut fauſti ominis voces vitam comprecantium, a plebe ad conſpectum regum in Francia ſemper antea uſurpari ſolitae, revulſa ſenſim illa ſtirpitus priſtina ex hominum animis benevolentia, in ipſorum ore eſſe deſierint.

CIϽIϽLXXVIII.

HENRICUS III.

XXIX. PRIMI, qui aut malum praeſens ſenſere, aut futurum exhorruerunt, ordines [e] Burgundiae fuerunt; in quo lecta nobilitas, libertati inſueta, oneribus inſolitis gravari, et juvenes nullis meritis ad honores provehi, aegre ferebat. Itaque, cum comitia hoc anno menſe Novembri [f] Divione haberentur, libellus ſupplex ad regem perſcriptus eſt; quo novorum tributorum et vectigalium ac ſalarii imprimis onera deprecabantur, antiqua minui poſtulabant, aut ad eum modum reduci qui ſub Ludovico XI fuit, quemque juxta provinciae libertates ac privilegia ſucceſſores ejus non egreſſuros ſe jurejurando ac repetitis ſaepius diplomatis confirmaverint: inſuper petebant, ut aerarii a rapinis vindicandi major cura in poſterum haberetur; a novis vectigalibus, quae quotidie in plebis necem ab regni hirudinibus excogitantur, imponendis abſtineretur; ſumptibus immodicis parceretur; nec immanibus in homines novos congeſtis profuſionibus aerarium exhauriretur, quarum commodum ad paucos, damnum ad univerſos pertineret; ſed aliqua pars in regni haud diu tardaturas neceſſitates ſeponeretur: dein ut juxta ordinum [g] Bloeſenſium decreta, quae concordibus comitiorum ſuffragiis placuerant, ea legis auctoritatem in regno haberent: aes alienum regis a delegatis expenderetur; quae legitime deberentur, ea de publico luerentur; quae ſecus, rejicerentur: in id pecunia ſingulis provinciis pro viribus ac facultatibus imperaretur, quae per delegatos bona fide ad aes alienum diſſolvendum adminiſtraretur. Haec palam acta. Additae querelae de honoribus, ac ſacerdotiis praecipue, in

indignos

VAR. LECT. [α] regnum *MS. Samm.* [β] quamvis nova quotidie proponerentur *D. f.* quamvis quotidie proponerentur *D.* d. [γ] vocibus ab illo, quem dixi, Fr. Doo inceſſebatur *MS. Samm.* vocibus a Villoclaro et Fr. Doo inceſſebatur *Put. & Rig.* [δ] aut a rege ab illo contra *D.* f. d.

INTERPR. [a] *Guillaume de Joyeuſe, lieutenant de Roy.* [b] *le mareſchal de Damville, gouverneur de Languedoc.* [c] *de Nogaret, ſieur de la Valette.* [d] *lict de juſtice.* [e] *de Bourgogne.* [f] *Dijon.* [g] *Eſtats de Blois.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

indignos collatis; de magiſtratibus, qui jus dicunt, multiplicatis, quibus et plebs multiplicitet gravetur et ſacri ordinis ac nobilitatis libertas non parum labefactetur. Qui libellum in aulam pertulerunt, cum verba apud regem ſacerent, multa dixerunt auribus impotenter dominantium et adulatorum, qui circa ipſos regnant, ingrata; ut illud Tiberii, boni paſtoris eſſe tondere pecus non deglubere; et illud horrida libertate ab Hybrea oratore M. Antonio triumviro, duplicari per Aſiam vectigalia imperanti, repoſitum reſponſum, ut nimirum geminam aeſtatem et geminum autumnum, hoc eſt, binas meſſeis et binas vindemias eidem anno imperaret. Quae aegre a rege audita, quanquam alte in pectus deſcendiſſent, tamen veritus ille, ne longius emanarent, et ceterae provinciae, ordinum Burgundiae exemplum ſecutae, imperium abſolutum et licentioſum, quod animo meditabatur, in ordinem cogerent, delegatos utcunque placatos cum bona in poſterum ſpe domum remiſit, revocatis, quantum ad eam provinciam ſpectabat, fiſcalibus edictis: eaque in re praecipue opera uſus eſt Caroli [a] Lotharingi Meduanae ducis ac Burgundiae [α] praeſidis. Pleriſque perſuaſum fuit, a Guiſianis Burgundiae ordinibus animos factos, ut in hanc libertatem adverſus regem erumperent, [1] popularitatem inde affectantibus, inde gratiam ex motu poſtea componendo apud regem ſperantibus; inter utroſque vero atque adeo inter regem et cunctos regni ordines jam tum rerum arbitrium ſibi eo facto ſumentibus.

XXX. PACE per regnum facta, bellum adhuc in archiepiſcopatu [b] Avenionenſi ac Venaſcinenſi comitatu et principatu Arauſionenſi ardebat, cunctatione pontificiorum, qui, dum Proteſtantibus in religione aliquid concedere probroſum putant, magnis calamitatibus eas provincias conflictari paſſi ſunt. Tenebat [c] Minerbiam munitum admodum caſtellum [d] Ferrerius quidam ordinum ductor, qui conditionibus ſtare noluerat ſuperiore anno interventu Danvillae conventis; quibus cautum erat, ut ad tempus Minerbia ipſius Danvillae fidei committeretur. Cum nihilominus, annitente Danvilla, tandem opimioribus conditionibus ad illius privatum commodum ſpectantibus cum eo tranſactum eſſet, dum res per inducias extrahitur, Albertus [e] Papa Santalbanus cum XXX delectis equitibus ſtationes regias, quibus Henricus [f] Engoliſmenſis Provinciae praeſes imperabat, perrupit, et auxilio obſeſſis venire ſe fingens, arrepta ex verbis audacius a Ferretio prolatis occaſione, ipſum pugione confodit; ab eoque tempore locum Proteſtantium nomine tenuit, quouſque utramque partem diſcurſationum et latrociniorum taedere coepit, et in proximo [g] Nemauſi Volcarum Arecomicorum convenere delegati Gulielmus [h] Momorantius Thoracus Danvillae frater, Franciſcus [i] Colinius Caſtellionaeus Gaſparis filius Monpelii praefectus, Gulielmus [k] Patritius a Georgio [l] Armeniaco cardinali vice-legato miſſus, Thomas [m] Eſtrantius Valero, [n] Dioletus junior, [o] Clauſonus, Santalbanus ipſe, [p] Columbaudus, Campobaldus, alii, tractatuſque habitus ac tandem VI Eid. Nov. XLII capitibus concluſus; quibus inter alia, poſt longas de libertate ad publicos conventus Proteſtantibus in ditionibus Romanae ſedi ſubditis altercationes, ſaltem Minerbiae et [q] Pilis, concedenda, cavetur, ne cui propter religionem moleſtia fiat: Proteſtantes bonis, poſſeſſionibus ac dignitatibus, a quibus ob eam cauſam dejecti fuerant, reſtituantur; in quibus ſi accidat

VAR. LECT. [α] praeſidis; qui nihilominus, ut et Henricus Guiſius frater Campaniae proximae praeſes, ambitioſa ab avis et praecipue a Carolo patruo cardinali tradita conſilia recoquentes, ad omnes caſus intenti erant, ut ex prave reipublicae adminiſtratae occaſione rerum novarum aucupia captarent; palam regis voluntati turpiter ancillantes, in occulto rumuſculos et populi favorem in ſpem turbarum colligentes. Ac pleriſque perſuaſum fuit, ab iis Burgundiae *MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Lorraine, duc de Mayenne, & gouverneur de Bourgogne.* [b] *Comtat d'Avignon & Venaiſſin.* [c] *Menerbe.* [d] *le capitaine Ferrieres.* [e] *Pape de S. Auban.* [f] *le chevalier d'Angoulaſme, gouverneur de Provence.* [g] *Niſmes.* [h] *de Montmorency, ſieur de Thoré.* [i] *de Coligny, ſieur de Chaſtillon, gouverneur de Montpellier.* [k] *de Patris.* [l] *le cardinal d'Armagnac.* [m] *des Eſtrants, ſieur de Valeron,* [n] *Dyolet.* [o] *Clanſonne.* [p] *les ſieurs de Coulombaud & de Chambaud.* [q] *Pilles.*

NOT. [1] Quae hinc ad verbum *ſumentibus* ſequuntur delenda cenſent Puteanus et Rigaltius.

accidat eos turbari, aut, quominus iis libere uti frui poſſint, impediri, in poſſeſſionem bonorum, quae pontificiae ditionis ſubditi in ditione regia habent, per judices locorum ad primum poſtulatum mittantur: quod capite XLVI ſecretorum articulorum Bergeraci anno ſuperiore conventorum cautum erat; et tunc repetitum eſt. Inſuper cautum, ut [a] Caprarienſes aliique vicani, ob religionis cauſam olim tantopere exagitati, eodem tractatu comprehenſi intelligantur; iiſque bonorum ab anno CIƆIƆXL ablatorum legitima perſecutio data eſt apud arbitros, de quibus inter partes conveniretur: liberum ſit bona ſua vendere; et in ditione pontificia, ſi Proteſtantes bona ſua vendere velint, collegia et ſyndici locorum, in quibus illa ſita ſunt, ea praeſenti pecunia ac juſto pretio emere teneantur: Proteſtantes cum petent reſtitui, jurisjurandi interpoſiti gratiam a judicibus eccleſiaſticis minime petere teneantur: de controverſiis Proteſtantium, tam civilibus quam criminalibus, non ad pontificiae ditionis judices, quippe ſuſpectos, ſed ad [b] Nemauſenſe tribunal, et, ſi appellabitur, ad [c] Cameram tripartitam in [d] Septimania a rege conſtitutam eatur; judices autem utrobique, non vice regia, ſed tanquam a pontifice delegati, judicent. Poſtremo conventum, ut conditiones a pontificiae ditionis Ordinibus ratae haberentur, et jurejurando firmarentur. Itaque juſſu ac mandato Armeniaci cardinalis et Dominici Grimaldi provinciae pontificiae rectoris convocati Ordines magna frequentia [e] Carpentoracti prid. Kal. Dec. in Jacobi [f] Sacrati epiſcopi aedibus Nemauſi tranſacta unanimi conſenſu probaverunt; et, ſi quidem iis contra eatur, neque Proteſtantes bonis ſuis reſtituantur, aſſenſi ſunt, ut Proteſtantes in bonorum poſſeſſionem, quae pontificis ſubditi in regis ditione habent, ad primum poſtulatum a judice regio mittantur. Rex poſtea, tanquam pontificiarum ditionum in regno protector, ſicuti convenerat, tractatum Nemauſenſem, cum Ollinvillae eſſet, ratum habuit XIV Kal. Dec. et pontifex, qui jam ante biennium de reſtitutione bonorum per bella aut in fiſcum redactorum aut quavis alia ratione Proteſtantibus ablatorum caverat, novo diplomate VII Eid. Feb. anni ſequentis ratum habuit. Rex etiam, qui nunc feliciter regnat, diu poſt, anno CIƆIƆXCV, cum [g] Axonae eſſet poſt Burgundiam pacatam, XI Kal. Sextil. caput de miſſione in poſſeſſionem denuo confirmavit. Haec palam tunc acta. In arcano conventum, Danvilla ſponſore, ne pontifex ad iniquas conditiones cogi videretur, ut Avenionenſes ob damna Arauſionenſibus data ad ſarciendas eorum ruinas et praeſidii neceſſitatem levandam VI CIƆ aureorum quotannis dependerent: quod diu poſtea tenuit.

XXXI. JACOBUS [h] Gobio Matignonus, inferioris [i] Neuſtriae praeſes, vir prudentia inſita praeſtans, et opibus in illa provincia potens, tunc equitum tribunus creatus fuit: quod non tam meritis ejus datum, quamvis ea jam tunc non mediocria eſſent, et poſtea longe maxima extiterint, quam impotenti [k] Doi deſiderio; qui, ut Matignonus illa praefectura in ſuam gratiam cederet, majorem in eum dignitatem conferri hac conditione procuraverat.

XXXII. DEMUM [α] exeunte Septembri, ſigillorum regiorum procuratio, abdicante ſe Renato [l] Birago cancellario, qui Februario ſuperiore in collegium cardinalium allectus fuerat, in Philippum [m] Huraltum Chevernium, primarium regis, etiam antequam

VAR. LECT. [α] exeunte Septembri, cum id ſaepius jam ſine exitu tentatum fuiſſet, tandem, Renato Birago cancellario nuper Februario menſe proximo in cardinalium collegium regis commendatione allecto, ſigillorum procuratio, ultro ſe abdicante ipſo, (ſic enim videri volebat, cum re vera cogeretur,) adempta, et in Philippum Huraltum Chevernium tranſlata eſt. Is, Henrici, antequam regnum adeptus eſſet, Chriſtophori Thuani ſenatus principis ſoceri, qui ea dignitate prius a Carolo rege ornatus fuerat, dein eam in generi gratiam ejeraverat, commendatione cancellarius creatus, eaque re ac multis aliis officiis tum ſedulitate tum obſequio gratiam regis promeritus fuerat. Eodemque tempore *MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Cabrieres.* [b] *Chambre de Niſmes.* [c] *Chambre tripartie.* [d] *Languedoc.* [e] *Carpentras.* [f] *Sacrat.* [g] *Auſſonne.* [h] *Goyon, ſieur de Matignon.* [i] *Normandie.* [k] *D'O.* [l] *de Biragues.* [m] *Hurault de Chiverny.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III. antequam regnum iniret, miniſtrum, tranſlata eſt. Eodemque tempore, cum Franciſcus [a] Garda Sagnius, ſenator Pariſienſis, non minus nobilitate quam doctrina clarus, antiqua in [b] Cadurcis familia ortus, violenti vi morbi deceſſiſſet, ipſe, cum tunc ſacris deſtinatus eſſem, in ejus locum ſuffectus et in ampliſſimum Ordinem cooptatus ſum, cum XXIV annum exceſſiſſem. Hic mihi primus ad honores gradus fuit, quos aut natura mea ſemper defugi aut delatos contempſi; ut qui ab omni ambitu alienus in honeſto otio, quo tamen privatis in Gallia vix frui licet, ac in recta conſcientia ſummum ſemper decus ac praeſidium repoſuerim.

INTERPR. [a] *de la Garde, ſieur de Saigne.* [b] *Quercy.*

Digitized by Google

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEXAGESIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

AMURATHES Selimi filius bellum Perſis infert. Perſici imperii, a temporibus Alexandri Mammaeae filii repetita memoria, ſucceſſio. II. *Superſtitionis Mahumetanae in duas ſectas diviſio.* III. *Perſici imperii quod nunc eſt fines, et ſatrapiae* LXX, *cum Tecmaſes deceſſit: nobilitas in eo potens: ingenium, mores, diſciplina, opes.* IV. *Tecmaſis liberi. Iſmail, a patre Mahameti Hodabendae praelatus, regnum a paricidio fratrum auſpicatur, et ſacra Turcica amplecti ſe, abjecta majorum religione, profitetur, ac tandem conjuratione procerum, non inſcia ſorore Peria Cocona, anno ſuperiore opprimitur.* V. *Eo mortuo, res omnis ad Hodabendam pervenit, Hametis patrem. Periae caedes. Defectio procerum. Curdi Chaldaei in Meſopotamia, ut Vaivodae in Dacia.* VI. *Conſultationes in Porta de bello inferendo.* VII. *Amurathes epilepticus. Muſtaphas bello Cyprio clarus deligitur ſummus dux.* VIII. *Hodabendae de pace ad Amurathem legatio. Tatari utrinque auxiliares evocati.* IX. *Ad Chelderenſeis montes conſerta pugna aequali utrinque damno. Muſtaphas ad oſtentationem propugnaculum ex hoſtium reciſis capitibus erigit horribili ſpectaculo.* X. *Manucciar Georgianus citatus in caſtra Turcica venit. Georgianorum regio intra Taurum et montana illius imperii exacte deſcripta. Eorum principes et religio.* XI. *Simo Georgianus captus, et regno ſpoliatus.* XII. *Atropatenae deſcriptio. Tauriſium ſive Ecbatana.* XIII. *Teſliſium verſus tendunt Turci, graſſante in caſtris peſtilentia. Teſliſium a Muſtapha munitur.* XIV. *Turci caeſi, ac mox Perſae.* XV. *Conaco trajecto, Atropatena a Turcis infeſſa. Sahamal, Alexander Leventes, Dedeſmitis regina vidua ſe Turcis ſubjiciunt.* XVI. *Reflexo itinere Muſtaphas Erzirum redit.* XVII. *Genuenſes in Tataria. Caſana bibliotheca. Tamerlanis ortus. Tatarorum regiones, hordae, prima initia, ritus, mores et civilis adminiſtratio.* XVIII. *Eorum in caſtra Turcica adventus.* XIX. *Emir Hameces Hodabendae grandior natu filius cum exercitu miſſus Erem vi recipit, Tatarorum caſtra profligat, Sumachiam capit ac delet. Abdilchairi in aula Perſica caedes.* XX. *Oſmanis in Sahamalem paricidium.* LXX CIↃ *Turcorum ea expeditione abſumpta.* XXI. *Amurathis de bello Perſico perſequendo conſultatio.* XXII. *Manucciar et Simo Georgiani a Chriſtiana fide deficiunt.* XXIII. *Hodabendae apparatus. Emangul Atropatenae praeſes ſummae rerum praeficitur.* XXIV. *Muſtaphae ſummiſſa auxilia, qui duodecimis caſtris Carſam venit et munit.* XXV. *Haſſan Teſliſio ſuccurrere juſſus magnis difficultatibus conflictatur. Aliculis dux viae, ſpe libertatis fruſtratus, Conſtantinopolim amandatur.* XXVI. *Ad Portam Muſtaphas in odium a Sinane adductus, qui et ei ſucceſſor deſignatur. Miſſos ad ſe comprehendendum eludit Muſtaphas.*

EX AUCTORIBUS,

Herodiano, Gulielmo Tyri archiepiſcopo, Laonico Chalcondyle, Strabone, Cl. Ptolemaeo, Onufrio Panvinio, Jo. Thoma Minadoio, Jo. Leunclavio, L. Annaeo Floro, Georgio Bruſchio.

LIBER

LIBER SEXAGESIMUS SEPTIMUS.

CIↃIↃLXXVIII.
HENRICUS III.

EODEM hoc anno infeſtiſſimum et maxime diuturnum bellum inter Turcos et Perſas inchoatum eſt: de cujus cauſis atque adeo de Perſici imperii, quod nunc eſt, origine, amplitudine, ſucceſſione, quantum ſat erit, quaedam altius repetita praemittere pretium duco. Perſarum imperii prima initia qui repetere velit, actum agat. Eo ab Alexandro deſtructo illa memorabili ad [1] Iſſum juxta [2] Amani pylas conſerta pugna, paulatim inter Alexandri ſucceſſores ſuccrevit nomen Parthorum: et Arſacidae inter eos Romanis ipſis formidoloſi in Armenia, Media, Perſia et aliis orientem verſus porrectis provinciis late regnarunt. Dein rurſus Perſarum nomen revixit ſub Alexandro Mammaeae, Artabano ultimo Parthorum rege, qui primus magni regis nomen ſibi ſumpſerat, duplicique diademate utebatur, pluribus pugnis ab Artaxerxe Perſa devicto ac tandem interfecto. Id anno XIV imperii Alexandri et ultimo accidiſſe ſcribit Herodianus, qui in annum a Chriſto nato CCXXXVI incidit. Is Artaxerxes, extincto Parthorum nomine, non jam ſe intra [3] Tigrim fluvium continuit; ſed ſuperatis Romani imperii finibus in [a] Meſopotamiam excurrere, [b] Syriaeque imminere, ac omnem Europae oppoſitam continentem, quae mari [c] Aegeo fretoque [d] Propontidos terminatur, atque Aſiae minoris nomen habet, ceu veterem Perſarum poſſeſſionem, et proinde majorum ſucceſſione ſibi debitam, vindicare coepit; quod jam inde a Cyro, qui primus imperium a Medis ad Perſas tranſtulit, ad Darium uſque extremum Perſarum regem tota olim Ionia Cariaque a Perſarum ſatrapis gubernaretur. Hos animos ſpiritusque ſervaverunt ejus ſucceſſores uſque ad Choſroem, qui Fl. Tiberii Mauritii imperatoris filiam, nomine Mariam, in uxorem duxerat, ſicuti prodidit unus, quod ſciam, Gulielmus Tyri archiepiſcopus, luculentus belli ſacri ſcriptor. Cum vero Phocas deteſtando paricidio ipſum Mauritium imperio, quod XXX annos geſſerat, abdicare ſe coactum, cum Petro fratre, liberis et uxore interfeciſſet, circa annum Chriſti IↃCIII, a Bonifacio III pontifice, cui inſigneis epiſcopi univerſalis titulos, quos nuper Gregorius in Joanne Conſtantinopolitano improbaverat, prolixe attribuit, ſcelere expiatus, dum rebus domi componendis intentus limitem interim negligit, occaſionem dedit Perſae, ultionem caedis ſoceri obtendenti, Syriam invadendi. Igitur toto ſeptennio, quo Phocas regnavit, in limitem Romanum Choſroes libere evagatus eſt, donec Fl. Heraclius, qui Phocae ſucceſſit, nobiliſſimam de eo victoriam reportavit.

II. SUB eo, qui et Monothelitarum labe infectus fuit, Mahometis peſtilentis ſectae auctor [4] exortus eſt, qui nimium quam multos ordine ſucceſſores habuit, Chaliſas dictos. Horum numero quartus Alis, Mahametis ipſius conſobrinus et gener, ex Fatima ejus filia duos filios ſuſcepit, qui utrique eandem dignitatem ordine tenuerunt. Ab eo ſciſſura in ea ſecta facta, ita ut Turci, qui hodie ſunt, ſe Muſulmanos, quaſi dicas orthodoxos, appellent, Perſas et Mamluchos, quamdiu eorum in Aegypto duravit imperium, ſemper pro haereticis habuerint. Inde odia et ex odiis bella infeſtiſſima inter eos nata. Ex poſteris Alis Abbaſidae, hoc eſt, ex [e] Abbaſis et Abubecheris, qui

INTERPR. [a] *Diarbequir.* [b] *Seria.* [c] *Archipel.* [d] *Bras de S. George*, ou *Mer de Marmora.* [e] *Abbas & Ebubekir.*

NOT. [1] *Iſſus* urbs Ciliciae, nunc *Ajazzo.* *Put.*

[2] *Amanus* mons Ciliciae, nunc *Monte Negro.* *Put.*

[3] Pas un n'eſt d'accord de ſon nom aujourdhui. Caſtaldo le nomme *Tegil*; Pinet *Sit.* Vide Ortel. *Put.*

[4] *Dele* exortus eſt, qui. *Put*

qui Mahametis ſocer et ſucceſſor fuit, familia Muhammed progenitus, [a] Bagdati in Seleuciae Babyloni vicinae ruinis fundata urbe ſedem fixit: ejuſque ſucceſſorum doctrinam amplectuntur hodie Turci. CIϽIϽLXXVIII. HENRICUS III. Ab Ali priore Abdala genus ducens, circa annum CCLXXXVI a migratione ſeductoris Mahumetis, ex [b] Semelia urbe, ut Tyri archiepiſcopus prodidit libro XIX, egreſſus, in Africam tranſivit, et, occupatis illis regionibus, vocavit ſe Mehedium, quaſi complanatorem dicas, qui univerſa ad quietem componeret, et vias ſine offendiculo faceret populo planiores. Hic etiam claſſe inſtructa Siciliam occupavit, et quaſdam [c] majoris Graeciae in Italia regiones depopulatus eſt, auſus ſe chalifam nominare, non tanquam Mahumetis, quem execrabatur, ſed veluti Alis eximii illius ac praecellentis vatis ſucceſſorem, cujus de ſanguine ſe procreatum gloriabatur. Hujus nepos [d] Abuthaminus, ſubjugata Aegypto per [e] Joarem militiae ſuae principem, Alcairum juxta [f] Memphim in altera Nili ripa condidit, quae chalifae alterius orientalis, qui Bagdati ſedem habebat, aemuli ſedes et aula deinceps fuit. Hi chalifae ſub ſe vicarios habebant, quos ſoldanos vocabant, principatum ſacerdotio annexum retinentes; de cetero, cum ſe ſatis religionis veneratione tutos exiſtimarent, inter foeminarum greges otio et luxu marcentes, reſignata in manus ſoldanorum omni civili et militari potentia. Sed, ut eſt fluxa in tanta potentia fides, Saladinus, Siraconi ultimi ſoldani ex Negemedino fratre nepos, cum primis magiſtratus auſpiciis ad chalifam dominum ſuom adiret, ut illi ſolitam exhiberet reverentiam, clava, quam manibus geſtabat, eum proſtraviſſe dicitur, multiſque vulneribus una cum ejus multiplici ſobole confoſſum occidiſſe anno Chriſti CIϽCLXXIII. Hic finis chalifarum in Aegypto fuit, et e paulo minus annis poſt chalifa Bagdatinus Tataris ingruentibus extinctus eſt, fame inter ingenteis ſuos theſauros enectus, quae prodigioſae illius avaritiae poena fuit. Chaliſis ſublatis, doctrina tamen eorum ſuos ſequaces habuit. Perſae ac Mamluchi doctrinam Halis retinuerunt, aliam omnem execrantes, adeo ut in precibus ſuis uſurpent, MALEDICTUS ABUBEKIR, OMER ET OSMAN: (ii poſt Mahumetem ordine chalifae ante Alim fuerant) ET DEUS ERGA HALIM CLEMENTIA UTATUR, ET IN EO SIBI PLACEAT. Et hodie apud Perſas Halis ſepulchrum ſumma in veneratione eſt, [g] Caſae duorum milliarium itinere a Bagdato diſtante oppido; et ad illud ventitantes reges antiqua ceremonia inaugurantur, ac gladio cinguntur. Azemiae autem regna, ſic Perſiam hodie vocant, invaſit ea lues, Tataris in eam ſe effundentibus; et duae familiarum e [h] Colchide ſupra [i] Trapezuntem ortarum, quae rerum in iis potitae ſunt, factiones extiterunt, [k] Mauroprovatum et [l] Aſproprovatum, ſic enim Laonicus Chalcondyles eas appellat, ipſi Acoioobegos et Caracoionbegos dicunt, ſicuti apud Anglos roſae albae et roſae rubrae factiones erant; quae ut illae in Henrico VII tandem conſuſae, ſic et in [m] Scacho Iſmaile Sophino ambae coierunt. Nam [n] Uſunchaſſanes ad Acoionbegos genus referebat, utpote [o] Tachretiniadae filius. Tachretiniades autem [p] Tachretinibegi, ſive Alexandri, ut eum vocat Laonicus, filius fuit; qui Alexander Tataro patri late ſupra Trapezuntem dominanti, et Eretini patruo Aſiae ſuperioris imperatori ſucceſſit. Sed cum, Alexandro uxoris inſidiis ſublato, ejus filius regno pulſus eſſet, [q] Temuris, quem vulgo Tamerlanem vocant, caſtra ſecutus, ab eo regnis reſtitutus eſt. At Iſmail ab Armeniae regibus originem repetebat. Is avum habuit [r] Tezuneiten, a nigrarum ovium familia genus ducentem, quae, ut Turcici annales tradunt, imperio dejecta fuit Oſmanis ſancti tempore, virum ſanctimonia vitae inter ſuos inſignem, tantaque celebritate nominis clarum, ut omnes populi proceresſque Turcorum religione quadam tacti

INTERPR. [a] *Bagdat.* [b] *Semelie.* [c] *la Calabre.* [d] *Abuthamin.* [e] *Joar.* [f] *le Caire.* [g] *Caſe.* [h] *Mingrelie.* [i] *Trebizonde.* [k] *du mouton noir.* [l] *du mouton blanc.* [m] *Schach Iſmael Sophi.* [n] *Uſun-Chaſan.* [o] *Tachretin.* [p] *Tachretin-beg.* [q] *Temyr.* [r] *Tzuneit.*

tacti donis eum colerent. Pari erga eum pietate et obſervantia ipſi Oſmanidae utebantur: quod, a deceſſoribus ſuis factitatum, cum Muhametes II facere deſtitiſſet, ex eo inter ipſum et Uſunchaſſanem bellum exarſit, quod cruentiſſimo proelio tandem diremtum eſt: in quo cum ſummo diſcrimine verſaretur Uſunchaſſanes, votum concepit, quo ſancte pollicitus eſt, ſi ſe periculo illo explicuiſſet, Martham nomine ex Catharina Comnena [a] Trapezuntinae deſpoenae filia ſuſceptam, [b] Chaidiri Tezmeitis filio in uxorem daturum: quod, ineolnmis cum ad ſuos rediiſſet, ut ſe voti religione exſolveret, reapſe praeſtitit; et ita factum, ut Mauroprovatum et Aſptoprovatum familiae, extinctis illarum factionibus, confuſae ſint. Nam ex eo matrimonio natus eſt Iſmail, primus ex iis quos Sophinos, quaſi purae religionis homines, vocant, qui [c] Imirzae Uſunchaſſanis, ex quo filio incertum, nepoti ac conſobrino ſuo ſucceſſit, et Halis doctrinam non ſolum renovavit, ſed et novis ſuperſtitionibus cumulavit. Is imperium Perſicum, poſt mortem Uſunchaſſanis, quamvis numeroſa ſobole ſubnixum, immanitate tamen Jacupis ac perfidia miſere laceratum, non ſolum inſtauravit, ſed et magna acceſſione locupletavit, ad antiquas ditiones adjuncta Armenia, Aſſyria, Meſopotamia ac Babylonia, et principibus illis, qui ad [d] mare Caſpinm pertingunt, in [e] Colchide, Iberia et Albania in ordinem coactis, et ortum verſus ac meridiem ad [f] Armeniam uſque prolatis finibus: de quo cum multa ut et de Uſunchaſſane Paulus Jovius ſcripſerit, eo mihi pauciora in praeſentia dicenda ſunt. Iſmailis imperium excepit anno hujus ſaeculi XXVI Scachus Tecmaſes filius, de quo aliquoties locuti ſumus; qui magnis damnis a Solimano affectus, et cunctis illis provinciis, quas pater imperio adjunxerat, ſpoliatus, ac [g] Tauriſio ipſo, in quo Iſmail regiam fixerat, quod tamen poſtea recepit, vix tandem pace a Turcis, vel iniquiſſimis conditionibus, redempta, et ante biennium, hoc eſt, anno hujus ſaeculi LXXVI, V Eid. Maias, mortalitatem explevit: quamvis alii anno ſuperiore ſcribant.

III. NUNC imperinm Perſicum, hoc eſt, quo tempore bellum coeptum eſt, a ſeptentrione mari Caſpio et Mengrellia regione terminatur. Ad occidentem habet [h] Carſam et [i] Chielderiuos montes. Inde tetracta intus, ac ſupra [k] Margianam paludem ducta linea, quae palus hodie Actamar lacus dicitur, et in qua [l] Vanum civitas eſt, Perſico imperio a Turcis erepta, [m] Core, dein [n] Salama, ac poſtremo [o] Sereſulium ad dextram meridiem verſus incedenti occurrit: tum ad [p] Euphratae uſque, in mare Perſicum juxta [q] Teredonam, hodie Beſſaram, ſe exonerantis, fauces extenditur. A meridie Perſico ipſo mari uſque ad [r] Techiſadanos montes clauditur. Hinc [s] Arianam et [t] Sandahari regnum ſive Paropaniſadas ab ortu complectitur, et reflexo ſeptentrionem verſus itinere [u] Coraſſanum et Samarcatam Tatarorum limitem in [w] Sogdiana attingit. In eo ambitu Iberia, Armenia et [x] Aſſyriae pars ab occaſu: a ſeptentrione [y] Atropatia, [z] Media magna, in qua Tauriſium eſt: ab ortu [aa] Hyrcania, Ariana et Paropaniſadae comprehenduntut: tum in medio ſunt Parthia, Caramania deſerta, [bb] Perſis, cujus hodie Siras metropolis eſt, quae ad meridiem pertinet. Talis tantique imperii tot provinciis a Turcis decurtati LXX ſatrapiae erant, cum [cc] Tecmaſes fatis conceſſit: ex quibus rurſus mirum, non amplius quam XL CIↃ equitum colligi; exiguum numerum, ſi ad tantae amplitudinis imperium ſpectetur. Sed in cauſa eſt, quod plerique in illo imperio reguli ſunt, qui militiam principis audacter detrectant; et nobilitas in eo potens eſt, ſecus quam in Turcico imperio, quae poſſeſſiones non precarias ſed hereditarias habet, et ſumptuoſe habitat, eoque minus dicto audiens eſt, nec

INTERPR. [a] *Dame de Trebizonde.* [b] *Haidar.* [c] *Imirze-Beg.* [d] *mer di Bacchu.* [e] *Mingrelie, Georgie & Zuiria.* [f] nunc *Turcomania.* [g] *Tauris.* [h] *Chars.* [i] *le Chielder.* [k] *mer di Vaſtan.* [l] *Van.* [m] *Coy.* [n] *Salmas.* [o] *Sereſul.* [p] *Euphrate r.* [q] *Baſſora*, ou *Balſora.* [r] *monts de Techiſnandan.* [s] *Heri.* [t] *royaume de Candahar*, ou *Perapaniſo.* [u] *Coraſſan & Samarcand.* [w] Mercator l'appelle *Maurenhaes*: Leunclavius & Minadoi l'appellent *Zayatoy.* [x] *Cuſſeſtan.* [y] *Sirvan.* [z] *Tauris & ſon territoire.* [aa] *Maſandran.* [bb] *royaume de Farſi*, ou *Farſiſtan.* [cc] *Tamas.*

nec ad ſigna cum tanta obedientia convenit. Rex circa ſe [a] Curdorum VI CIƆ habet, CIƆIƆLXXVIII.
ex nobilitate fere, ſub ducibus diverſis; quibus omnibus unus ex [b] purpuratis praeeſt. HENRICUS III.
Sunt et alii ad VII CIƆ inferioris ordinis, [c] Eſahali vulgo dicti, quibus et purpuratus alter praeponitur. Omne robur equitatu conſtat. Nam equi apud eos praeſtantiſſimi, veloces in curſu, longi ſpiritus, cultura faciles, inter pugnandum acres, domi mitiſſimi, ideoque inter eos ingentis pretii; quippe cum plerique CIƆ et CIƆ CC [d] ſechinis et amplius veneant. Peditatu fere nullo utuntur; qui in urbibus aut tuendis aut expugnandis valet: nam infirma inter eos loca: tantumque commiſſis proeliis limitem et provincias tueri, non praeſidiis urbes defendere noverunt. Itaque nec tormenta in uſu habent, quamvis nec ars conflandis nec materia deſit: quem pravum morem, quamvis tot damnis a Turcico pedite affecti et erroris ſui commonefacti toties periculo proprio, pertinaciſſime adhuc ſervant, et neſcio qua vanitate defendunt, ne aut virtutem majorem in hoſte aut diſciplinam meliorem agnoſcere videantur. Ingenia eorum levia, ſubdola et ad omneis turbarum occaſiones intenta. Crebrae inter eos contra principes ſuos conjurationes; nec in regia familia inter fratres aut filiis cum patribus pietatis officia conſtant. Cum a bello vacatio eſt, diſciplinis dant operam; et philoſophiae, medicinae ac mathematicarum artium ſtudiis oblectantur; multorumque Graecorum ſcripta, quae interciderunt, apud eos in Perſicam linguam tranſlata reperiri perhibentur. Totius regni vectigalia Tecmaſis tempore ad quadragies ſeu quinquagies centena millia aureorum excreverunt: ſed, poſt tot cladeis acceptas, tot amiſſis provinciis, et pleriſque regulis beneficiariis penſiones ſolvere recuſantibus, vix vicies centena CIƆ aureorum quotannis in aerarium [e] Caſmini hodie inferuntur; quae fere ſumptibus neceſſariis aut aequantur aut ſuperantur, ut res eo in regno in arcto eſſe neceſſe ſit.

IV. TECMASES autem moriens plureis liberos reliquit; et, praeter [f] Periam Conconam primogenitam virilis animi foeminam, XI filios; quorum tertius ordine [g] Chaider Miriſes nomine patri ſucceſſit, ad paucos dies ſuperſtes. Eum aetate praecedebat Mahametes Hodabenda, et Iſmail. Sed, cum parens Mahametis, ut religioſae vitae addicti, neque tam de tuenda majeſtate regia, quam par erat, ſoliciti, pertaeſus, Iſmailem ſucceſſorem nominaviſſet, a purpuratis mox Iſmail, [h] Cahaca, quo ob animi ferocitatem et infeſtas excurſiones in hoſticum ab eo fieri ſolitas relegatus fuerat, haud longe a Caſmino ſive Arſacia, evocatur, ut juxta patris teſtamentum regnum iniret. Dum veniret, Chaider Periae ſororis, nam ex [i] Sahamalis Georgiani ſorore uterque natus erat, ut ſibi videbatur, potentia fretus, quid faceret ignarus, inſignia regia ſumit: et jam ſtolida audacia ſolio inſidens regem agere coeperat, cum, ſero errore agnito, a ſorore fraudulenter connivente ſe deluſum ſenſit, obſeſſo jam a praetorianis infeſtis palatio. Itaque, quanta ſe temeritate et audacia ſpectandum regem praebuerat, tanta ignavia latebras inter foeminarum greges quaeſivit; ubi Samahel ipſius avunculus, qui Iſmailem ultorem metuebat, eum deprehenſum, cum conjurati, quorum Zalcanus princeps erat, interea animos ſumpſiſſent, ſine cunctatione interficit, et caput a cervice reciſum inter turbam ſuorum, ut erat adhuc cruentum, abjecit; atque ita tumultum jam palatium irrumpentium ſedavit. Juſtis Tecmaſi ritu gentis perſolutis, venit in urbem Iſmail, et regnum a paricidio VIII fratrum auſpicatus eſt, familiari Turcis, ſed inaudito hactenus in ea aula, ſcelere: nec eo contentus, cum ultionem metueret, adfineis, cognatos, amicos et fautores occiſorum continuo per urbem conquiri et productos pari immanitate trucidari juſſit; ita ut primariae domus ac familiae cruore paſſim foedatae, luctu in praeſens, ceteri triſti in poſterum cogitatione diſcruciarentur; et judicium paternum ac nominis aviti favor, unde fauſta

omnia

INTERPR. [a] *les Chiourdes.* Minadoi les nomme *Curthi.* [b] *Baſſas.* [c] *Eſebul.* [d] *zechini.* [e] *Caibin.* [f] *Peria-concona.* [g] *Haidar Mirize.* [h] *nella rocca di Cabaca.* [i] *Sabamal Georgiano.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

omnia populi animo praeceperant, ſtatim in odium et deſperationem verterit. Id tamen ut conſilio, non ferinae naturae inſtinctu, factum probaret Iſmail, ac ſe exemplo tueretur, ſtatim ſe alienum a Sophinorum religione profeſſus eſt, et ſacra Turcica amplecti voluit, Alis ſectam deteſtatus, et ut abominabilem et ad homines in errorem praecipitandos inventam execratus. Id aſtu ab eo factum quidam putavere, ut Meſopotamiae, [a] Babyloniae et Aſſyriae populos, ab Alis doctrina alienos, ea ratione ſibi conciliaret. Sed, ſive ob illam rationem ſive ut paricidia exemplo excuſaret religionem mutare voluerit, nulla re magis ſuorum animos alienavit, parvi caedeis ſuorum prae eo aeſtimantium. Odium incendit, quod, cum Caſmini chaliſa, ita primarii inter eos ſacerdotes nominantur, antiquum primorum peſtiferae ſectae fundatorum nomen retinentes, quibus [b] Muſtaeddinus, veluti Mophtis inter Turcos, quaſi legis principem dicas, praeeſt, primus Iſmailis conatibus reſiſtere auſus eſſet, regis juſſu mox oculis orbatus eſt, ſparſa fama, quaſi ipſe Bagdatum magna pompa profecturus eſſet, ut in ea urbe, ſicuti olim Solimanus Turcorum imperator, Mahumetani imperii inſignia caperet. Tot caedibus efferatus, cum, exagitata diris conſcientia, novae ſuſpiciones animo in dies obverſarentur, et, qui a multis timebatur, multos etiam metueret, rationem commentus eſt, cui haud abſimilem ſupra in Africana hiſtoria de [c] Mariemma Abdalae ſorore ad annum LVII retulimus, qua amicos ab inimicis poſſet diſtinguere, ſimulque de iis, quibus auctoribus ac delatoribus Tecmaſes pater cum quaſi carceri mancipatum ab aula relegaverat, poenas ſumere. Secretum locum petit, et emiſſariorum opera mortem ſuam publicari curat; cujus fama ſparſa, vultus procerum notari, et, prout quiſque aut luctu aut laetitia afficeretur, diligenter ab iiſdem obſervari imperat. Hoc inimicis ſemet indicio prodentibus illatum ab Iſmaile ſupplicium fuit. Ipſe etiam mox bello funeſtiſſimo, quod poſtea geſtum eſt, cauſam praebuit, recepto contra foederis leges [d] praetore Curdo, qui a Turcis defecerat, contra ſultanorum ſententiam, qui pacem illi religioſe cum Amurathe ſervandam magnopere ſuadebant; quorum pleroſque ob id ſupplicio affecit. His ſaevitiae et temeritatis odiis cum flagraret apud ſuos Iſmail, conjuratione [e] Calilis, Emeris, Piri Mahametis procerum, nec non et Curdorum purpurati, non inſcia ſorore [f] Peria, ſexto regni menſe oppreſſus eſt. Alii veneno ab ipſa ſorore propinato ſublatum, alii introductis habitu foeminarum conjuratis, dum ipſe in gynaeceo volutaretur, faſcia circundata ſtrangulatum memorant. Id accidit VIII Kal. Dec. anni praecedentis. Quo facto, Peria proceres ac purpuratos in concilium vocat, chanos ac ſultanos dicunt, et, ut de ſalute regni in commune conſulant, hortatur, eo in principem electo, qui et majeſtatem imperii tueri, et ſopitis internis motibus pacem conſtituere ac firmare poſſit. Longe aberat Muchemetes, cognomine Hodabenda, quaſi ſervum Dei dicas, ex Tecmaſis progenie ſuperſtes, ob oculorum imbecillitatem et alienum a civili adminiſtratione animum in ultimam Arianam, cui praeerat, a patre ſepoſitus. Is multos filios habebat; et in his Hametem grandiorem natu, magni et elati animi juvenem; qui temere excitati ab Iſmaile belli contra Turcos proſequendi patri auctor fuit; ab eo copiis ſummo cum imperio praefectus. Eum Miriſes Salmas, ſultanorum princeps, ſibi generum deſtinabat; ob idque, ut per parentem arceſſeretur, urgebat. Alii alios Hodabendae liberos, ut quiſque ex eo gratiam et fortunarum amplificationem ſperabat, in medium proponebant. Emires inter ſultanos erat in Periae gratia florens; quae, duorum jam fratrum caede nocens, prorſus animum, ſive ultionis metu ſive odio, a fratrum charitate abhorrentem habebat, et hominem, voti nimium, non ſub aliis potentiam affectantem, ſed ſibi ſupremum imperium ambientem, ardentiſſimis ſtudiis amplectebatur. Ejus deſideria adjuvabant erecti in ſpem novarum rerum paſſim animi,

INTERPR. [a] *Bagdat & Cuſſeſtan.* [b] *Muſtaed Dini.* [c] *Mariem.* [d] *Sangiac des Chiourdes.* [e] *Chalil Chan, Emir Chan, & Piri Mahomet.* [f] *Peria-concona.*

animi, qui, veterum dominorum pertaeſi, et partim recentem Iſmailis crudelitatem exeerati, partim ex turbis lucrum captantes, imperium ad alios tranſlatum malebant.

V. Interea Hodabendes, de Periae ſororis conſiliis certior factus a Meriſe Salma, magnis itineribus Caſminum contendebat, et, immanem ſororis perfidiam deteſtatus, quae alterum ex fratribus fraudulenta connivertia per ludibrium regem creatum certo exitio expoſniſſet, dein, altero per ſe ſublato, de transferendo ad externos imperio cogitaſſet, ut regiam tot fratrum ſanguine funeſtam aliqua ultione jam expiatam intraret, Meriſae, cui multum fidebat, mandat, ut ante ſuum adventum Periam comprehenderet, ejuſque morte fratrum manibus parentaret, capite ſervato, cujus grato ſpectaculo in regni ingreſſu ſe ſuorumque oculos paſceret. Quod ille haud ſegnirer fecit, reciſumque a cervice caput, ſparſis ad horrorem comis et oculis adhue poſt mortem torvum ruentibus rerribile, cum obviam regi prodiret, haſtae cuſpidi infixum, ad oblectamentum praetulit. Caſminum ingreſſus Hodabendes, cnm moderati animi ſpem initio feciſſet, a Meriſe Salma perſuaſus, fraternae mortis ſe ultorem futurum magno errore profeſſus eſt, dum potius privatis Salmae deſideriis obſequitur, quam ad ſtarus publiei tranquillitatem, quam praeteritorum oblivione ſanciri oporrebat, reſpicir: qua re multorum regulorum animos non ſolum a ſe alienavit, ſed ad deſperationem ac defectiones adegit. Sane [a] Sahamal ille Georgianus, Periae avunculus, cum de morte miſerae foeminae intellexiſſet, exemplum in ſe veritus, mox deſperata gratia, ad montana ſua confugit; quem [b] Leventes-begus unus et is ex Georgianis principibus, de quibus poſtea plura dicemus, et ſibi a novo principe ultionis deſiderio ardenti metuens, ſtatim ſecutus eſt: et nterque [c] Atropatiae Mediae populos, Turcico limiti vicinos, nec ſatis fidos, diſceſſu ſeu fuga ex aula ſua magno terrore implevit. Quibus de rebus omnibus factus certior [d] Huſreves purpuratus, Vani munitiſſimae ad [e] Margianam paludem urbis haud hinc longe praefectus, cum jam a morte Tecmaſis ad Amurathem diligenrer ſcripſiſſet, ille, ad innatam genti Oſmanicae fineis propagandi ambitionem accedente privata cupiditate, in principatus initio nova magnarum rerum auguria captans, eam ſibi quaſi a Deo oblatam occaſionem exiſtimavit, qua aemulum roto orbe imperium, concordia prius validum, nune domeſticis diſſenſionibus debilitatum, invaderet, et aut omnino ſubverteret, aut, magna parte deminuto eo, tantundem ſuum amplificaret. Belli materiam quaerenti nunquam occaſio deſuit. Vivo adhuc Selimo, Curdus quidam, [f] Abdalas nomine, regionis cujuſdam in Babylonia [g] praetor, ob quandam ſuſpicionem ad Oſmanicam portam evocatus fuit. Curdum Jo. Leunclavius interpretatur Chaldaeum, et [h] Curdiſtanam in hodiernis rabulis Chaldaeam: cum tamen Chaldaea in citeriore Euphratae ripa ſit infra Babyloniam, et Curdi iſti trans Euphratem longe ad Armeniae fineis portigantur, ubi Curtios, Caduſios, Tapiros et Amardos, montana, aſpera ac frigida loca incolenteis, reponit Strabo, a quibus an Curdi noſtri profecti nomen etiam retinuerint, harum rerum curioſis, quibus plus otii eſt, diſcutiendum relinquo. Longe praetorum illius limitis in Babylonia, [i] Amida, Meſopotamia, et aliorum per univerſum imperium Turcicum diverſa ratio eſt: quippe alii fere a Turcicis principibus conſtituuntur, et ad urbem revocantur. In eo limite Chaldaei illi praefecturas hereditarias poſſident; ut Vaivodae in [k] Dacia; er ad liberos tranſmittunt; quibus deficientibus, proximi agnatione aut cognatione ſuecedunt. In utroſque tamen aeque abſoluta ſummi imperatoris poteſtas eſt. Cum igitur Abdalas evocatus, quam ob cauſam ignorans, comparuiſſet, et Hadrianopolim ad Selimum veniſſet, cubiculariorum purpurato negotium datum

INTERPR. [a] *Sahamal Georgiano.* [b] *Levent-Ogli.* [c] *Sirvan.* [d] *Uſtreff Baſcha.* [e] *le Lac Aſtamar.* [f] *Abdala-Beg.* [g] *Sangiac.* [h] *Curdiſtan* Turcis: Arab. *Keldan.* [i] *Caramit,* ou *Cara-Hemid.* [k] *Tranſilvanie, Moldavie, & Valachie.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III.

datum fuit, ut hominem captum in carcerem conjiceret. Chaldaeus magno comitatu veneta; cujus comprehendendi commoditatem optimam ratus purpuratus, cum in templo preces faceret, ad [a] [1] Meſſitam ab Amurathe II illa in urbe exſtructam cum ſuis venit. Verum ille, ad inopinatum conſpectum perculſus, cum ſe gnaviter quaſi contra inimicos defenderet, et purpuratum interſecit, et cubicularios, [b] Zauſios vulgo vocant, partim caedit, partim vulneribus conficit. Quo ſacto irritatus Selimus Chaldaeo inaudito cerviccm praecidi juſſit. Eo mortuo, cum fratris filius in praetura ſucceſſiſſet, alius quaſi defuncti agnatus, adita Porta, et purpuratis munerum magnitudine, ut in illa aula ſaepe contingit, corruptis, eandem praeturam impetrat; continuoque alter citatur ad Portam. Verum is, qui ſcitet quod obſequii praemium patruus conſecutus fuiſſet, veritus ne abſque culpa ſua eandem poenam ferret, deſperata Turcorum gratia, ad Iſmailem, qui tunc rerum potiebatur, proſugit; a quo et perhumaniter exceptus eſt, et ſpes ab imprudenti principe facta, ut eum in avitam ditionem reſtitueret. Contra purpurati Turci illum juxta foederis pacta tanquam transfugam repoſcebant. Cum non dederetur, ab hoſtilibus excurſionibus initium belli factum. His accedebant antiqua utriuſque gentis odia, quae in tantum ereverunt, ut Turci idemque cum Turcis ſentientes in Tataria et Africa Sectarii ex ſui Muphtis ſententia ratum fixumque teneant, gratius et acceptius Deo eſſe religionis Mahumetanae cauſa Perſam unum ſive [c] Azemium occidi, licet profeſſione Mahumetanus ſit, quam ſi quis LXX Chriſtianos a Mahumetanis in religione prorſus diſſidenteis interficiat. Quam eandem ſententiam quidam novi theologi nuper tueri auſi ſunt, cum dicerent, bellum, quod communi Chriſtianorum conſenſu contra Mahumetanos geri oportuit, utilius ad Dei gloriam contra Sectarios, qui intet nos ſunt, omiſſis Turcis, verti debuiſſe. Quod quam pie et juxta manſuetudinem Chriſtianam dicatur, ipſi, qui conſcientias aliorum moderantur, conſcientiam ſuam rogent. Viciſſim Perſae, ab Hali doctore ſuo chaliſa ordine IV edocti, cujus doctrinam Chaidares et [d] Tezuneites Iſmailis Sophini pater et avus renovarunt, alios omneis Mahumetis Sectarios deteſtantur, eorumque libros ubicunque repertos flammis exurunt, et crudeliter in eorum obſervatores ſaeviunt. Ad belli-cauſas quidam addunt et ſomniorum ſuperſtitionem, quibus gens illa multum fidei tribuit: nam, Amurathem ſibi in medio mundi ſtare viſum, ſub arbore maxima, quae ramos duos longiſſimum ad intervallum exporrigeret; et alterum quidem ad extremos orientis, alterum ad occidentis fineis extenſum: poſtea ſibi viſum ſerpentem immenſae magnitudinis ab oriente ad ſe ante pedes provolutum, quem manu prehenſum interfecerit: ſic autem ſacerdotes ſuos illi ſomnium interpretatos eſſe, ut dicerent, medium mundi ſignificare ſedem ipſius Amurathis imperialem, atque adeo Conſtantinopolim, et arborem cum duobus maximis ramis denotare amplitudinem Mahumetani imperii: per ſerpentem ab oriente venientem intelligi Perſam, quem bello ſuperaturus ſit et occiſurus, regno ejus ad Oſmanicum imperium adjuncto. Hae belli cauſae perhibentur; quas fortuna adjuvit, ſciſſo tunc internis motibus Perſico regno, et contra firmo ac concordi Turcici imperii robore.

VI. IGITUR poſt ſubjugatam Cyprum, et Guletam in Carthaginienſi portu captam ac ſolo aequatam, cum jam fere totum quadriennium arma Turcica quieviſſent, induciae cum rege Pannoniae (hos enim titulos, non etiam Imperatoris nomen ſibi Caeſar ſumit, quando cum Turcis paciſcitur) durarent, novae ad triennium cum Philippo Hiſpaniae rege pactae eſſent, haud diu in ſultani concilio quaerendum fuit quo ea verti deberent. Nam [e] Mechemetes purpuratorum princeps, Selimi gener, magnae

INTERPR. [a] *Meſchit.* [b] *Chaous.* [c] *Azeme.* [d] *Tzuneit.* [e] *Mehemet Viſir.*

NOT. [1] *Meſchit*, templum Muſulmanorum, Italis *Meſchia. Put.*

magnae et propter aetatem et rerum uſum auctoritatis, ita cenſuit, et facilius bellum geri demonſtravit adverſus Perſas, ſere ſagittarios et enſiferos, raro ſcloppetis armatos ac nullis munitis locis defenſos, quam contra Latinos, ſic Chriſtianos vocabant, ferro flammaque cinctos et tormentorum fulminationibus oppida ſua aut propugnanteis aut aliena invadenteis, certioremque victoriam de Aſiaticis mollibus et deliciis otioque innutritis, quam de Europaeis aeſtus, frigoris, inediae patientibus ac robuſtis populis, reportari poſſe. Haec Mechemetis ſententia fuiſſe creditur: tamen Jo. Leunclavius, neſcio ex cujus fide, eum bellum contra Perſas maxime diſſuaſiſſe ſcribit; et ad alia argumenta ac rationes poſtremo adjunxiſſe elegans, quod Graecis et Turcis in uſu eſt, proverbium; caudam ſerpenti, qui dormit, non eſſe calcandam; alioqui futurum, ut excitatus capite ſurſum erecto pungat. Bello decreto, duae difficultates occurrebant; longinquitas itineris, et aſperitas locorum, per quae montibus et ſilvis impedita et ad inſidias opportuna in hoſticum penetrandum eſſet: tum majores multo, quam in alio bello, ſumptus faciendi. Sic enim diſputabat Sinan purpuratus; ad parta de Perſis conſervanda opus eſſe arces conſtruere, munitiones excitare, quae non niſi validis praeſidiis defendi poſſint; ad quae omnia non ſuffectura quae militi procedunt ex aerario ſtipendia, ſed ampliora extra ordinem numeranda, quo ſuſtentatus in opere aſſidue verſari, ſtationes obire, locum juſſum tueri, et alia longinquae militiae incommoda patienter ferre poſſit. Et, quantum ad ſumptus, cum Sinanis ſententiam ſumma prudentia et aequitate niti fateretur Amurathes, pecuniam in eos ex aerario minime defuturam ſpopondit. In priore difficultate ſolvenda plus negotii fuit, cum variae dicerentur ſententiae. Nam alii per Babyloniam exercitum immittendum ſuadebant; et inde recta [a] Syram, quam Perſepolim olim fuiſſe volunt, tendendum, eodem quo Alexandrum itinere in eas regiones penetraſſe monumentis proditum eſt. Alii recta Tauriſium ducendum, et urbem opulentiſſimam arcibus firmandam ac loca circumpoſita munienda cenſebant. Alii rurſus media ſententia utraſque illas complectebantur, et bipartitis viribus utroque invadendum hoſtem dicebant: ſic enim fore, ut ipſe vireis dividere coactus utrobique ad reſiſtendum impar eſſet. Sed Amurathes contra cenſuit: et, cum per [b] Iberiam et Armeniam duci neceſſe eſſet, quod ab ea parte Tatari, qui ſupra Pontum et ad mare Caſpium habitant, illac ſe conjuncturi eſſent, magnum momentum ad illud bellum allaturi, non niſi cum toto exercitu per loca tam infeſta ac difficilia tuto incedi poſſe exiſtimavit.

VII. CONSTITUTA tam longinqui et impediti itineris ratione, cuncti animi pendebant, quis dux tanto bello deligeretur. Amurathes enim ſe non iturum jam profeſſus fuerat, id tanquam novum mirante multum Sinane, quod magna ſemper bella, cujuſmodi illud eſſet, nunquam per vicarios, ſemper per ſe adminiſtraſſe ſultanos ex ipſorum annalibus conſtaret. Cauſam obtendebat ſultanus, imperii negotia, et periculoſam longe a domo tam diuturnam abſentiam, tot potentibus principibus ad occidentalem limitem oppoſitis: ad has cauſas addunt et familiaris mali epileptici ſaepius domi recurrentis conſcientiam, quo metuebat, ſi in caſtris manere cogeretur, ne frequentius vexaretur, et, emanante morbi intra palatii parietis latentis fama, ipſe inter ſuos contemptibilior ex eo evaderet. Igitur, cum intereſſe non poſſet, purpurati, qui aut virtutis fama aut gratia apud principem ſe ſuperiores putabant, tantam provinciam ſibi demandari exoptabant et ambiebant: inter quos praecipui eminebant Sinan nuper expugnata Guleta et Muſtaphas Cypro in provinciam redacta famoſi duces. Sed in praeſentia nihil de ſummo duce publice conſtitutum: tantum miſſi per veloces equos, qui Erzirumi, Vanni et Babyloniae purpuratis imperarent, ut infeſtis incurſionibus Perſarum fineis vaſtarent. Tandem hoc anno Muſtaphas dux ſummus pronunciatur, et magno honoris cauſa proſequentium comitatu Non. Aprilis

Conſtantinopoli

INTERPR. [a] *Siros.* [b] *Georgie & Turcomanie.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III.

Conſtantinopoli diſcedens [a] Chalcedonem tranſmiſit: inde per [b] Amaſiam et Sebaſtopolim facto itinere, Erzirumum ineunte Sextili venit; quam fuiſſe Simbram a Ptolomaeo memoratam credunt, in finibus Cappadociae et Armeniae ſitam; quo ceteri purpurati, praetores ac belli duces cum copiis quiſque ſuis tendere juſſi erant. Heic luſtratus exercitus more ſolito, et valetudinarii a validis, armis inſtructi ab inermibus, et fortes ex habitu et vultu ab imbellibus diſtincti, ita ut hoc diſcrimine rationem certam virium inire poſſet. Primi apparuere Meſopotamii; qui non plus quam XII CIƆ fuerunt, fere ſagittarii et falcatis enſibus armati; ceteroqui inermes, multum ſuccenſente praetori provinciae Muſtapha, quod tam exiguum numerum ſecum adduxiſſet. Eos ſequebantur Aſſyrii et Babylonii ad Euphratem et Tigridem poſiti, a [c] Teredona profecti, numero XIV CIƆ, eodem genere telorum inſtructi. Poſt Syri II CIƆ incedebant; pretioſius induti quam armati; qui proluſionibus excurrendo et in gyrum recedendo fere pugnant. Dein comparuerunt Aſiae minoris, quam Anatoliam hodie vocant, copiae, ex Magneſia, Bithynia, Ancyra, Lydia, Phrygia et Ponto ipſo collectae; quae XII CIƆ bellatorum optime inſtructorum efficiebant. His admiſti erant ex Judaea et Palaeſtina profecti velites, homines egentes, praedonum more excurrentes, CIƆ; et IV CIƆ [d] Cilicum, quod eſt immane genus hominum, praedis et ſanguini fundendo aſſuetum. Seorſim ab aliis, ut in quibus robur exercitus conſiſtebat, incedebant copiae, in Peloponneſo, Graecia, Macedonia ac Thracia ſcriptae, ſcloppetis egregie inſtructae, ad X CIƆ. Ultimo loco recenſita III CIƆ praetorianorum. Biranus Erzirumi praefectus ex Cappadocia et Armenia IV CIƆ militum collecta habebat, ut in limite continuis excurſionibus conſerendis cum hoſte pugnis aſſuetorum: qui omnes ſultani ſtipendiis militabant. Haud minor volonum numerus fuit. Nulli hoc anno ex Africa, Pannonia, Aegypto et [e] Arabia Felice ad ſigna convenerunt; et [f] praetoriani Damaſci in praeſidio manere juſſi ſunt, ad ſubita ſepoſiti. Praeterea Muſtaphas ſecum adduxerat IƆ circiter minora tormenta, per munitiones locis idoneis extruendas diſponenda, cum magna pecuniae vi, poteſtate facta, ut vectigalibus Alepi et aliarum civitatum in limite poſitarum ad ſumptus belli uti poſſet. Annonae et proſpectum, decimis per illas regiones et camelis ad portanda onera imperatis, et collectis paſſim magno numero foſſoribus ac cuniculorum agendorum peritis. Magna et frumenti vis navibus Conſtantinopoli impoſita, duce Uluzali claſſis Turcicae praefecto, et per mare [g] Euxinum [h] Trapezuntem advecta, quae urbs tantum IV dierum itinere ab Erzirumo abeſt: unde rebus ita inſtructis Muſtaphas diſcedens octavis caſtris ad [i] Carſam venit, locum commeatu abundantem, et ultima cum Solimano pacificatione, nam ita inter tranſigenteis convenerat, deſtructum. Ibi foedo imbre oppreſſus, glomerante ſe vento et vi inſolita paſſim tentoria dejiciente ac militem affligtante, ad triduum magno cum incommodo commorari coactus eſt; et inde, magno aegrotorum numero relicto, ad [k] Chielderenſeis montes vicinos conceſſit; ita diſpoſitis copiis ad vitandas inſidias, ut ipſe in planitie conſiſteret, Erzirumenſis purpuratus collem ad dextram, [l] Derviſius Amidae in Meſopotamia purpuratus alterum ad laevam occuparet, et cum iis Oſmanus, Mahametus, Muſtaphas ac purpurati, volonum et ſtipendiariorum duces, tentoria figerent, et quaſi duobus cornibus porrectis mediam aciem defenderent, et veluti in ſpecula hoſtem e longinquo venientem conſpicarentur.

VIII. QUAE dum apud Turcos geruntur, Hodabendes, qui de hoſtium conſiliis cognoviſſet et bellum fratris temeritate coeptum ſibi proſequendum neceſſario videret, tamen, ut ad illud paratior accederet, aliud agendum, aliud ſibi ſimulandum duxit,

INTERPR. [a] *Scutari.* [b] *Toccat & Sivas.* [c] *Baſſora.* [d] *la Caramanie.* [e] *l'Hyemen.* [f] *les Janiſſaires.* [g] *Mer Noire.* [h] *Trebizonde.* [i] *Chars.* [k] *monts de Chielder.* [l] *Dervis, baſcha de Cara-Hemid en Diarbequir.*

duxit, regno non ita pridem adito, nec ſatis compoſitis rebus, quas poſt inconſultam CIↃIↃLXXVIII.
Iſmailis nuper defuncti crudelitatem et ipſe imprudentia ſua, dum [a] Meriſae Salmae HENRICUS III.
voluntatibus nimis morigeratur, initio turbaverat. Itaque moderationem majorem prae ſe ferens, quaſi poeniteret, et turbis inter utramque gentem nuper exortis temedium adferre cuperet, legationem ad Amurathem decernit; non tam concordiae ſpe, quam ut tempus duceret. Verum ille, ſive a ſomniorum ſuorum interpretibus perſuaſus, ſive injuria Chaldaei non dediti irritatus, legatos vix admiſſos audivit, et cum minacibus verbis ad ſua remiſit. Interea Georgiani, in quorum fide magnum momentum erat, quod per ipſorum ditiones Turcis incedendum eſſet, literis et crebris nunciis ad tuendum imperium, cujus beneficiarii eſſent, ſolicitati, et Sahamal ac [b] Leventes, ſi qua ratione ſuſpiciones purgari poſſent, per amicos tentati: etiam cum Tatarorum imperatore longe omnium potentiſſimo, qui [c] Kitaius vulgo vocatur, foedus initum: eoſque bello contra Turcos gerendo ſibi ſocios adjunxit, captata occaſione, quod, ſive ob aemulationem Turcicae potentiae, ſive ob privatas injurias, Tataros tunc erga Turcos male affectos eſſe comperiſſet: nam alioqui Hodabendae majores continua cum Tataris bella geſſerant; et, licet ambo Mahumetani ſint, tamen quibuſdam de religione ſententiis inter ſe diſcrepant. Multos et auxiliareis ex ipſis Turcis non parvae auctoritatis ſibi conciliavit, qui ab aliis Turcis Oſmanicis in religionis cauſa diſſidebant, et in Sophinorum partes propendebant. Ita rebus fere utcunque pro tempore ordinatis, praefecti provinciarum citantur, ut cum copiis ſuis adſint; qui etſi initio militiam detrectarent, tamen communi periculo territi, hoſte tam propinquo, et mitigante odia novi principis et labentis imperii miſericordia, XX CIↃ egregie armis inſtructa ad ſigna convenerunt, quibus cum ſummo imperio qui praeeſſet delectus eſt [d] Tocmaces ſultanus Armeniae praefectus militari ſcientia clarus et ſaepius obitis ad portam Oſmanicam legationibus perſpectus, qui protinus cum iis, quas dixi, copiis ad limitem ducere jubetur.

IX. Is igitur per Tauriſium et [e] Gengam facto itinere Carſam venit, cum paulo ante ad [f] Chielderenſeis montes poſt cladem a coeli injuria acceptam Muſtaphas ſe contuliſſet. Inde miſſis exploratoribus, ut de hoſte cognoſcerent; ipſe ſubſequitur: cumque illi, procul Erzerumenſem et Derviſium purpuratos in collibus adverſis cum exiguo numero conſpicati, non etiam Muſtapham in planitie collibus tectum cum toto exercitu cernere potuiſſent, ad Tocmacem protinus reverſi, viſos ſibi praecurſores renunciant, quos ſi mature adoriantur, in facili fore victoriam. Deceptis exploratoribus deceptus et ipſe Tocmaces gradum accelerat, et protinus cum purpuratis, qui ad eum e longinquo conſpectum e colle quiſque ſuo deſcendentes accurrerunt, ad manus ſpe Muſtaphae citius venit. Nam ille, qui latere vellet, donec in provectos et ſolutis jam ordinibus palanteis, detectis inſidiis, impreſſionem faceret, cum aliquandiu ſuos denſatis plus juſto ordinibus continuiſſet, antequam eos laxare poſſet, multum temporis interceſſit, quo Turci, fruſtra Muſtapham auxilio venientem expectantes, magna ex parte caeſi ſunt: nam a meridie jam III integris horis pugnatum fuerat, cum Muſtaphas tandem cum toto exercitu apparere coepit. Tum ſero errorem ſenſit Tocmaces, ulterius provectus, quam ut pedem referre poſſet: tamen quod potuit periculum audacia diſcuſſit, et, contractis quas potuit poſt tam diuturnum certamen ad ſe copiis, fortiſſime tantae molis incumbentis impetum ſuſtinuit uſque ad noctem; cujus beneficio defenſus, V CIↃ ex ſuis deſideratis et II CIↃ captis, ad ſua ſe recepit. Nec Muſtaphas recedentibus inſtare, intendentibus ſe tenebris, voluit: ſed, cladem ſuam in occulto moerens, quippe plus XV CIↃ Turcorum eo die caeſa conſtat, et in iis VII provinciarum

INTERPR. [a] *Meriza Salmas.* [b] *Levent-Ogli.* [c] *Kitai.* [d] *Tocmaſes, ſultan chan, & gouverneur de Turcomanie.* [e] *Genge.* [f] *monts de Chielder.*

provinciarum praetores, ut eam elevaret, et hoſtium majorem probaret, datis interim ad Amurathem ea de re literis, novo er juxta immani commento uſus eſt. Poſtridie, cum capita v eↄ in pugna occiſorum a militibus de more allata eſſenr, et ea Perſarum eſſe ex colore ac tonſae barbae forma appareret, captivos coram ſe ſiſti juſſit, quibus mox juſſu ſuo interfectis capita a cervicibus recidi imperavit, et ex his omnibus ordine diſpoſitis in ſubjecta planitie propugnaculum conſtrui, cujus ſpectaculo et magnitudinem hoſtilis eladis oſtenderet, et ſui late terrorem vicinis populis intentaret. [a] Huic conſimilem rem narrat accidiſſe in Hiſpania L. Annaeus Florus, etiam inter barbaros foedam. Nam, poſt ingentem, diu nutante victoria, cladem a Pompeianis acceptam, cum profugi a proelio ſe Mundam recepiſſent, Caeſar victos ſtatim obſideri imperavit, deproperato ex congeſtis cadaveribus, quae pilis jaculiſque confixa inter ſe tenebantur, aggere: quod, licet ad horrorem factum, tamen obſidionis neceſſitate excuſari potuit. Jam ad Hodabendam, qui [a] Caſmini erar, nuncius pugnae a Toemace miſſus venerat, qui et regem de hoſtium virlbus ac conſiliis plene edoceret, et auxilia nova ſummitti peteret: quibus expediendis laetior, quam triſtior praeterito ſucceſſu Hodabendes, ſed in futurum ſolicitus, nullum tempus intermittebar.

X. INTEREA, dum propugnaculum ad horrorem deſignatum a Muſtapha erigitur, venere ad eum legati [b] Manucciaris alterius Georgianae viduae, cui [c] Dedeſmitae nomen, filii, adventum domini ſui nunciantes. Qua re ultra modum laetus in ſpeciem, Muſtaphas primores duces ei obviam prodire jubet, et tubarum ſonitu, tympanorum pulſu, ac feſta tormentorum diſploſione publicam laetitiam teſtari voluit. Ea pompa Manucciar ad tentorium imperatoris ita deducitur, *ut ſtruem illam* capitum videre cogeretur; et, quod erat conjiciens, poſt ſalutationes et debiri obſequii officia, continuo de pugnae ſucceſſu Muſtapham interrogavit: hoc enim velle ipſum intelligebat, et dictis ejus fidem ſe habere ſimulavir. Ad delatas autem ultro a Manucciare ſuas in hoc bello opes et operam Muſtaphas ſuperbe admodum reſpondit; et, converſis ad capitum acervum et exercitum in armis ſtantem ac bellicum omnem apparatum oculis, Haec omnia, quae vides, inquit, immenſo nec aliis conceſſo beneficio, Oſmanicae familiae principibus largiſſime Deus elargitus eſt, ut eſſent, qui toti terrarum orbi cum omnium admiratione ac ſtupore late imperitarent. Er prudenter feciſti, melius utique facturus ſi temporius veniſſes, qui tuum obſequium praepotenti regi defers: ac pergratum eſt, quod te ſocium meum in militaribus muniis obeundis offers: adventum gratulor, et viciſſim omnem benevolentiam a me tibi ſpondeo. Tum, acceptis ab eo allatis donis, ſupplici veſtem inauratam circumdari jubet, cumque haſta et clypeo egregie fabrefactis et artificioſe elaboratis donavit, cuſtodeſque ex mancipiis appoſuit, qui eum tanquam obſidem, quacunque incederet, obſervarent. Antequam ulterius progrediatur oratio, de Georgianis et regione quam poſſident, de Armenia proxima et Media, in quibus provinciis praecipue res hoc bello geſta eſt, quaedam praemittenda cenſui. Georgiani hodie Iberiam habitant, regionem montanam, convallibus, ſilvis, ſaltibus ſciſſam et impeditam; ab occaſu Colchide, nunc Mengrellia, a meridie Armenia, cujus et partem occupant, ab ortu Media Atropatena, ſive Sirvano, a ſeptentrione denique Albania, quae nunc Zuiria eſt, cinctam; ſerico, frugibus, feris et falconibus abundantem. Pluribus et magnis fluminibus irrigatur; inter quae Araxes eminet, qui ex [d] Tauro ortus verſus ortum tendens [e] Tormenim alluit; tum in occaſum et ſeptentrionem reflectitur, et [f] Cyrum, qui item Tauro a boreali parte ortus per plana labitur, minoribus amnibus [g] Alazonio, Sandobane, Rhoetace et Chane auctum excipit, et cubito, quem in flexu facit, [h] Seichim attingens, ubi fortaſſe olim Artaxata fuerunt,

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur ſex circiter lineae uſque ad* Jam ad Hodabendam *deſunt D. f. d.*
INTERPR. [a] *Casbin.* [b] *Manucchiar.* [c] *Dedeſmit.* [d] *Mont Tauro.* [e] *Tomenis.* [f] *Ciro r.* [g] *Alazon, Sandobane, Retace, & Chane.* [h] *Sechi.*

fuerunt, (nam ita ſitum ejus deſcribit Strabo) [a] peninſulam efficit, juxta campum [b] Araxeum; quanquam et Seumara inibi commemorat idem Strabo: inde ex adverſo Revani, quod his bellis famoſum fuit, et per campos [c] Calderanos effuſus, pugna Selimi cum Iſmaile Sophino conſerta nobilitatos, in mare Caſpium exoneratur. In Araxem et influit Canacus, quem Jo. Leunclavius Arem ſeu Caraſum, quaſi aquam nigram dicas, vocat, ſupra Erem ditiſſimam civitatem. Per anguſtias, quae [d] Cyrum et Araxem, antequam miſceantur, interjacent, (nam Araxem non Aragum eo loco ſcribi debuit) Cn. Pompeium, cum ex Armenia in Iberiam penetraret, et poſt eum Canidium Baſſum iter feciſſe ſcribit Strabo lib. XI. Omnes autem hi fluvii ex Tauro ſcaturiunt; qui, modicus in [e] Caria et Lycia, primum aſſurgit in ora Pamphyliae maritima juxta [f] Chelidoneas inſulas, et inde per [g] Ciliciam non ita magnus porrigitur: tum in duo brachia quaſi ſecatur, quorum dextrum [h] Amanus vocatur, ortumque verſus et meridiem ad Euphratem porrigitur, monte continuo, niſi quatenus medio fluvio abſcinditur. [1] Gordiaei montes eum excipiunt, et poſtea Maſius ſupra [i] Niſibin et [k] Tigranocerta ſitus, qui deinceps magis attollitur, et Niphates dicitur, dorſoque porrecto [l] Zagrium montem conficiens Mediam a Babylonia diſterminat. Poſt eum ſequuntur Elymaeorum et Paraetacenorum ſupra Babyloniam, ſupra Mediam Coſſaeorum montana. Ex Niphate ſcaturit Tigris, haud longe a fontibus Euphratis; (quippe tantum bis mille quingenta ſtadia Strabo numerat) ſed inde longis locorum intervallis ambo recedunt. Euphrates longiore tractu ac vario flexu quaquaverſum excurrit: Tigris recto magis et rapidiſſimo curſu labitur, et in voraginem incidens longo ſpatio abſorbetur; et, deſideratus diu, tandem longe remoto loco, non tamen dubius, an idem ſit, emergit; et infra Sereſulium nec non et ipſe Euphrates conjuncti Meſopotamiam efficiunt; tandemque in ſinum Perſicum exonerantur. Laevum Tauri latus ſeptentrionem verſus tendens Antitauri nomen ſortitum eſt, et Armeniam a Cappadocia et [m] Comagena dividit, et trans Euphratem in parte boreali rurſus varie ſcinditur. Nam ejus portio Polyarres ſive Polyadres ab occaſu et Cydiſes dicitur; pars Moſchicorum montium, pars Tibarenorum nomen habet, et uſque ad [n] Caucaſum montem excurrit. Alii rurſus montes et ipſi Tauri pars verſus orientem aſſurgunt, et regiones ad Caſpium mare ſitas cingunt ad Mediam uſque et Atropatenam. Parachoatri et pars horum montium ſunt, qui uſque ad portas Caſpias extenduntur, et praeterea ortum verſus [o] Ariam contingunt. Ita Armenia et Media in medio Tauri jacent intra tot montium abruptas crepidines ac profundas convalleis ſilvis horridis ac torrentibus diſtinctas, maxime ab auſtrali parte, qua Araxes per confragoſa loca praecipitatur, genteis innumeras complexae, quae jam tum Strabonis aetate ex rapto vivebant. In Armenia duo lacus ſeu paludes ſunt; [p] Margiana, de qua dixi, [q] Maeotidi magnitudine proxima, uſque ad Atropatenam pertingens, in qua ſal coit: eſt et [r] Thonitis ſive Arſena, quae et hodie hoc nomen retinet, nitroſa, ita ut veſtium ſordeis eluat, et fullonum operam iis purgandis praeſtet; ideoque minime potabilis; per quam Tigris ſumma velocitate labitur, nec miſcetur. Cum Arſena palude videtur haud citra errorem confundere lacum, Spantam dictum Straboni, Jo. Thomas [s] Minadoius Rodiginus, qui hoc bellum unus luculente deſcripſit; cum tamen eum Strabo in Media Atropatena reponat, et alium faciat a duabus illis paludibus, quas in Armenia collocat. Hunc autem potius eſſe crediderim, qui in tabula a Minadoio operi

INTERPR. [a] *peninſule de Chonac.* [b] *campagne d'Erex.* [c] *campagne de Calderan.* [d] *Ciro,* nunc *Chiur & Ser par ceux du pays.* [e] *Aidin-Ili & Mentes-Ili.* [f] *Capo delle correnti & delle Chelidonie.* [g] *Caramanie.* [h] *Monte di Scanderona,* al. *Monte Negro.* [i] *Nisbin.* [k] *Sultama,* al. *Sava.* [l] *Semirami.* [m] *Azar.* [n] *Mont Caucaſe.* [o] *Heri.* [p] *palus d'Actamar.* [q] *palus Meotide.* [r] *Arſen,* [s] *Minadoi de Rovigo.*

NOT. [1] P. Gillius vocat *Montem Nimbarum.* *Put. L.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III.

operi ſuo adjuncta [a] Giolii nomine indigitatur, et [b] Lorium ad ortum habet. Intra hos limites a natura poſitos, graſſante undique Mahumetani veneni potentia, Deus Chriſtiani nominis reliquias veluti concluſerat, ſitu inacceſſas, et, quamdiu concordes inter ſe fuerant, ut inexpugnabiles creditas: ſed, avaritia et ambitione ſtimulantibus, plerique in his regionibus reguli ac populi, qui ſacra Chriſtiana ſecundum ritus Graecos retinebant, finibus ſuis minime contenti, ſe extra ſe quaeſierunt; et, cum ad fores Perſicam opulentiam et magnitudinem haberent, eaque parte magis ad acceſſum paterent, haud enim longe hinc Tauriſium abeſt, tunc magni illius imperii regia, primo foedera cum Perſis iniverunt, quibus operam ſuam iis addicebant; et ita plerique cum pecunia paulatim abominandae ſectae peſtem intra viſcera receperunt. Unde diſcordiae inter eos exortae, quibus tandem effectum eſt, ut poſtea, Turcis adverſus Perſas praevalentibus, per diſſenſiones domeſticas ex ea cauſa ſeminatas, aditus ad ipſos invadendos patuerit. Principes in Iberia et Armeniae, quae a Chriſtianis inſidebatur, ſubjectae parte inter Georgianos tunc erant Dedeſmitis illa annoſa vidua Manucciaris et Alexandri parens, David et Simo [c] Lavaſappi filii, Alexander [d] Leventis filius Magnus cognominatus, [e] Joſephus Gorii filius, Sahamal, de quo modo dixi, Periae et Chaideris avunculus, et Baſſachineus. Sahamal montana et inculta habitat in Atropatenae finibus, Albaniam verſus, jam ante, licet Georgianus, Sophinorum ſectae addictus. Joſephus Gorii ſedem in Iberia hàbet, et ab oriente [f] Derbento, ab occaſu [g] Lychnitide lacu cingitur; et ab Oſmano ad ſummas anguſtias redactus poſtremo ſacra Chriſtiana deſeruit, impiaeque ſectae fidem obligavit.

XI. Dedesmitis illa longe maximum territorium occupat; et Carſam ad occaſum, ad ortum Simonis et Davidis fratrum ditiones habet: et, Manucciare altero ex filiis obſide ad Muſtapham miſſo, Alexandrum grandiorem natu imperio praefecerat; quo deinceps a Manucciare a Turcis incitato nefanda impietate ſpoliatus eſt. Altunchala regia eorum erat, quaſi aureum caſtrum dicas, [h] Periadrae radicibus, [i] Carſam et Teſliſium verſus, ac confragoſis ſaltibus cincta et naturali ſitu defenſa. Inde ortum verſus tendentibus et in Armeniam deſcendentibus Lavaſſapi ditio longe maxima intratur: quam cum parens Simoni grandiori natu filio pacatam teſtamento reliquiſſet, David injuriis et vi injuſta fratri controverſam et infeſtam fecit, latronumque manu contracta Simonem coëgit vicini regis, is tunc erat Tecmaſes, auxilium implorare. Is vero occaſionem potentis reguli aut evertendi aut in ordinem cogendi oblatam minime praetermiſit; opemque pollicens, ſatrapae fido ex ſuis mandata occulta dat, ut in Armeniam profectus Davidem aſtu comprehenderet; et, ſi quidem ad Sophinorum ſectam inclinare nollet, in Perſiam ſecum adduceret; quod ſi conditionem acciperet, eum in imperio fraterno principem conſtitueret, conditione tamen prius Simoni delata, ut, ſi et ipſe Sophinorum ſectae nomen dare vellet, in paterno regno Perſici regis beneficiatio confirmaretur, et David, qui illi de eo controverſiam movebat, in cuſtodiam truderetur. Id ſedulo exſecutus eſt ſatrapa, et captum Davidem ſubito conditioni aſſentientem habuit; quam eandem cum Simo a ſatrapa rogatus accipere nollet, et regna et opes, quibus vulgo felicitatem metimur, felicitati aeternae ſumma conſtantia poſthabuiſſet, David mox, impia ejeratione facta, circumciditur more gentis, et [k] Teſliſii chanus a ſatrapa conſtituitur. Simo, literis egregie ac philoſophiae ſtudiis inſtructus, quibus captivitatem ſuam cum Iſmaile Tecmaſis filio ſolabatur, [l] Cahacam in miſeram ſervitutem abductus eſt. In ea ditione primariae urbes ſunt Teſliſinm regulorum ſedes, in qua et majorum ipſorum ſepulchra viſuntur, Lorium,

INTERPR. [a] *lago detto Chielder Giol.* [b] *Lori.* [c] *Lavaſſap.* [d] *Levent-Ògli.* [e] *Giuſuf, figlio di Gori.* [f] *Derbent.* [g] *lago di Eſſecbia.* [h] *Periardo.* [i] *Chars & Teſlis.* [k] *chan de Teſlis.* [l] *nella rocca di Cahaca.*

Lorium, [a] Cheres, [b] Cyropolis, (nam huic nomini reſpondet Chiurcala) praeterea multa caſtella. Scorſim ab itinere et via militari ultra Lychnitidem lacum ſeptentrionem verſus [c] Baſſachiacum urbs eſt, a quo loci regulo nomen, qui in his bellis natura loci aſperi et inculti tutus quaſi ad ſpectaculum ſedit, nec publicae calamitati participavit; non utique ea quiete gaviſurus, ſi Tatari, ſicuti Turcis receperant, illac iter habituri in Armeniam et Mediam deſcendiſſent. In Armenia et ſita eſt Alexandri Leventis filii et [d] Iſſi fratris ditio, inter Teſliſium et Reivanum; ideoqne et Perſis inde et inde Turcis ad injurias aperta. Is vero, quem Perſae eodem, quo Simonem, aſtu imperio paterno ſpoliare tentaverant, Iſſo, quem ad impiam ſectam ſuam pertraxerant, in fratrem concitato, cum prius Perſico imperio maxime addictus fuiſſet, ab eo tempore neutrarum partium eſſe et feliciorem fortunam ſequi maluit. Itaque, cum ſe vi adverſus Iſſum defendiſſet, cum Turcis potentioribus obſequio delato ac donis tranſegit, quietemque et opes, quibus prae aliis abundabat, hac mercede ab avaris purpuratis redemit. Is [e] Zagenae ad [f] Canacum ſedem habet, qui poſtea in [g] Araxem ſupra [h] Erem, ſicuti jam dixi, influit. Atque hic eſt Georgianorum hodie ſtatus; quorum ditiones cum aditum ad Tauriſium, quo ducebatur exercitus Turcicus, ab occaſu et ſeptentrione veluti obſtruant, multum et Turcorum et Perſarum intererat ad utras partes illi ſe adjungerent.

XII. Post Georgianos Atropatena ſequitur, hodie Sirvani nomine indigitata, a Chaidere Sophino et Iſmaile in provinciam, expulſo antiquo domino, redacta, cujus metropolis eſt Sumachia, ad Caſpium mare poſita inter Derbentum, in cujus obſidione Chaideres interfectus eſt, et Erem ſerici opificio nobile oppidum, ipſa olim Symbace Straboni dicta, quam et indigenas ab Armeniis occupatam Romanorum ope recepiſſe tradit. Atropatenae magna Media ſubjacet, cujus caput hodie Tauriſium eſt ad Orontem montem, qui et pars Tauri eſt, nuper Perſarum regia; quam [a] Ecbatana eſſe multis et validis convincit argumentis Minadoius, in ceteris, quantum ad nomina antiqua, quae ſaepe confundit, non ita diligens. Jo. [i] Leunclavius tamen haeret, et Haitoni Armenii, qui Tauriſium in Perſarmenia, hoc eſt, in majore Armenia reponit, auctoritate rem ambiguam reliquit. Sed non vidit vir doctiſſimus, hodie Armeniae nomen non ſolum antiquos Armeniae fineis, ſed et Mediam, cujus ſemper magna cum Armenia et morum et naturae loci vel Strabone teſte conjunctio fuit, complecti; ideoque Armenios, quorum et Haitoni tempore et hodie nomen celebertimum eſt, Mediae nomine prorſus extincto, eam urbem ſibi jam tum addixiſſe. Nam alioqui ſitus et cetera, quae a veteribus de Ecbatanis dicuntur, maxime Tauriſio conveniunt, ut pluribus idem Minadoius oſtendit in epiſtola ad Marium Corradum ea de re ſcripta. Sunt et aliae duae viae, quibus Tauriſium itur: prior per Reivanum; inde orientem verſus per Naſſivanum et [k] Chiulfalium VIII aut IX dierum ad urbem iter eſt, quo et Ferhates purpuratus exercitum duxit, et Reivanum munivit: altera per Vanum et [l] Mantianam paludem; inde per [m] Coium, Metentium, et Soſianam itidem ad urbem IX dierum iter; quo et itinere exercitum Oſmanes duxit. Rurſus a Tauriſio meridiem verſus Salama, et poſtea [n] Perſepolis ortum verſus; [o] Caſminum hodie poſt Tauriſium amiſſum regni ſedes, et poſtea Caſſanum, et ultra Hiſpahanum, quod

INTERPR. [a] *Cheres.* [b] *Chiurgi-cala.* [c] *Baſſachiue.* [d] *Iſſe.* [e] *Zachen.* [f] *Canach.* [g] *Araſſo.* [h] *Eres.* [i] *Lewenclaw.* [k] *Chiulfol.* [l] *mer di Vaſtan.* [m] *Coy, Merent, & Soſſian.* [n] *Siras.* [o] *Casbin.*

NOT. [a] M. Deliſle a fait voir dans ſa Carte de la Retraite des dix mille, & dans le Diſcours qu'il lût au ſujet de cette Carte à l'Academie des Sciences, & qui eſt imprimé dans l'Hiſtoire de l'Academie, que Tauris ne pouvoit pas être Ecbatane, mais plutôt Gabris; & que la ſituation d'Ecbatane, étant ce que les anciens nous en ont dit, convenoit fort bien à Amadam grande ville de Perſe entre Tauris & Iſpahan.

CIↃIↃLXXVIII. quod XXIV dierum itinere a Tauriſio abeſt, et [a] Herium in Ariana occurrit. Nunc ad
HENRICUS III. rei coeptae ſeriem redeamus.

XIII. POST Manucciarem in caſtris Turcorum honorifice exceptum, Muſtaphas cum in eo eſſet ut caſtra Teſliſium verſus promoveret, vehementiore quam antea imbre ac turbinibus ventorum et crebris ſulgurum coruſcationibus oppreſſus, poſtquam totum quatriduum conſiſtere coactus eſt, quibus ex illo capitum acervo et cadaverum nec non mulorum ac camelorum paſſim enectorum confuſa multitudine aër circum peſtilentem foetorem contraxerat, tandem, coelo poſt tantam tempeſtatem ſerenato, vaſa conclamantur; et ad [b] Giolium lacum primis caſtris itur, cum itineribus luto corruptis neque cameli onuſti incedere, neque equi tormentis trahendis ſufficere lapſantibus veſtigiis poſſent. Poſtridie [c] Archichelecum ventum, Georgianorum olim caſtellum, nunc Turcicae ditionis, poſtquam Solymanus illud ultimis bellis occupavit. Ibi, ut in loco amico, per otium dum corpora curantur, recenſetur exercitus; et, poſt primam luſtrationem, aut proelio deſideratorum aut morbis abſumptorum aut a ſignis clam ducibus emanſorum inita ratione, XL hominum CIↃ ex priore numero deeſſe reperta ſunt. Inde ſecundis caſtris Trialam ventum, templis et ſacellis Chriſtianorum locum frequentem, in quibus adhuc tunc ſacra ritu Latino peragebantur, jam a temporibus belli ſacri, quod majores noſtri glorioſum magis quam fructuoſum in Aſia ac Syria praecipue et Judaea geſſerunt. Triala diſcedente exercitu, mons arduus et aſper, qui interjacet, ſuperatus, et ad Georgianorum caſtrum hoſpitium ſumptum; alteriſque caſtris in Teſliſii conſpectum venit Muſtaphas, quod oppidanis vacuum, Davide Chano, cujus erat, in montana cum ſuis dilapſo, offendit. Toto eo itinere a Georgianis Perſico nomini addictis, Davide ipſo, Joſepho, et, ut creditum eſt, Alexandro Dedeſmitis filio et Manucciaris, qui in caſtris Muſtaphae erat, fratre, maxime infeſtati Turci. Nam, ut quiſque commeatus inopia a caſtris longius pabulatum excurrebat, aut ob alias incommoditates in ultimo agmine ſeorſim a ſuis remanebat, ſtatim inſidiis undique per loca illa ſibi ignota incurrentibus carpebatur, et aut ſpoliabatur aut caedebatur. Ubi Teſliſium venit Muſtaphas, locum opportunum conſpicatus, arcem protinus firmare inſtituit; inſtauratiſque pro tempore muris, et C tormentis in ea relictis, Mahametum purpuratum [d] volonum ducem cuſtodiae ejus impoſuit cum VI CIↃ, partim ſtipendiariorum, partim ipſius Mahameti mancipiorum, praeſidio. Haec menſe Septembri acta. Dein Mediam verſus caſtra promota, dilapſis jam multis, qui incommoditatem pertaeſi, non petita a purpurato venia, a ſignis diſceſſerant; et in iis Syri fere ad CIↃIↃ, qui Alepo annonam in caſtra attulerant, duce [e] Naſſardino Chialebe, a Georgianis, dum ſe recipiunt, intercepti, et poſt obſtinatum certamen caeſi; pauci velocitate equorum periculo exempti, et in iis Naſſardinus ipſe, qui Alepum incolumis pervenit. Interea Muſtaphas, tranſmiſſo, qui Teſliſium alluit, fluvio, et ſuperatis urbi imminentibus montibus, ad ſubjecta loca paludoſa metatus caſtra, obvios habuit Alexandri Leventis filii Georgiani oratores, qui adventum heri ſui nunciarent, quos et ipſe mox ſecutus eſt. Eodem in ſpeciem honore, ac Manucciar prius exceptus, doniſque oblatis ac pari liberalitate remuneratus, cum ſe in fide Oſmanici imperii fore promiſiſſet, ad parandum in reditu commeatum domum remiſſus eſt. Inde Muſtaphas, continuato XII dierum per loca fere paluſtria itinere, ad Canacum fluvium, de quo dixi, venit; et in citeriore ripa ad reficiendum militem conſedit. Ibi ad eum venere [f] Sechinenſium civitatis in Atropatenae et Mediae confinibus poſitae primores, et ſe ac ſua Turcorum patrocinio permiſere; quos laudatos et veſtibus ſericis donatos in patrocinium ſuſcepit, ac domum ad ſua remiſit.

XIV. MILITI

INTERPR. [a] *Heri en la province d'Heri.* [b] *lago detto Chielder Giol.* [c] *Archichelec.* [d] *venturieri.* [e] *Naſſardin Chielebe.* [f] *Sechin en Sirvon.*

* XIV. MILITI, non ſolum viarum incommoditatibus fatigato, ſed victus penuria ad maciem et deſperationem fere adacto, ad recreandas vireis et animi et corporis aliquo laxamento opus erat. Itaque cum aliquot exploratores [a] Azemii capti, qui fortaſſe aſtu ab hoſtibus miſſi fuerant, ut Turcos in inſidias pertraherent, trans Canacum abundare commeatum affirmarent, Muſtaphas, fremente jam exercitu, ſeditionem veritus, cunctis, qui vellent, permiſit, ut pabulatum libere proficiſcerentur: tantum ſibi caverent; neque ſe in inſidias imprudenter inducrent. Secundum haec ad x CIↃ ex ſamulitio fere exercitus cum camelis, equis, mulis ad praedam portandam profecti ſunt: qui, cum ad confluentem Canaci et Araxis haud hinc longe veniſſent, et, collecta jam praeda, in eo eſſent, ut ad ſuos redirent, incumbente [b] Aliculis, Emangulis, Serapi, et aliorum procerum, qui ultimo praelio in [c] Chielderinenſibus campis Sextili proximo commiſſo interfuerant, et Caſminum profecti ab Hodabende ad Tocmacem remiſſi fuerant, globo intercepti, ad unum omnes caeſi ſunt. Ad ſtrepitum excitari Turci, conjectantes id quod erat; ſtatimque Muſtaphas ſigna canere jubet, magnoque curſu ad ſuos contendens, ſerius, ut eos periculo eximeret, quippe jam caeſos, ſed mature, ut ultionem de hoſte ſumeret, in Perſas praedae recipiendae intentos magna vi impreſſionem facit. Ad laevam Derviſius purpuratus juxta Araxis ripam, ad dextram in Canaci margine [d] Biranus purpuratus diſpoſiti erant: ipſe medius aciem regebat. Perſae nimiam ſuam moram in colligenda praeda ſero accuſantes, cum eadem ſigna, eoſdem homines, a quibus nuper victi fuerant, numero longe ſe ſuperiores, cum horridis clamoribus ad ſuorum ultionem adhuc calenti ſanguine ante oculos properanteis haberent, inde Araxe, hinc Canaco quaſi in peninſula cincti, nullum effugium a tergo videbant. Ducibus in varia conſilia raptatis, cum alii, in virtute et morte honeſta praeſidium ponentes, ad extrema ſe pararent, alii non tam decoris quam ſalutis publicae, quae in eo proelio vertebatur, rationem habendam dicerent, tandem, jam incumbentibus Turcis, cum nullus conſilio, quod in publicum juvaret, locus eſſet, quiſque qua potuit ſaluti conſulit. Tocmaces ipſe princeps et [e] Emires cum proceribus ac ducibus primariis, virtuti equorum confiſi, in Canacum ſe demittunt; et natatu in ulteriorem ripam ſalvi evadunt: quorum exemplum innumeri ſecuti, ſed diſpari eventu, quippe non eodem equorum ubique robore, qui, ſpiritu deficiente, cum ſeſſoribus fluvio hauſti ſunt. Qua re rurſus territi, qui ſequebantur, ferro perire quam aqua mergi honeſtius ducentes, frontem obvertunt; et, deſperatione vireis addente, fortiſſime aliquandiu reſtiterunt: ſed numero tandem victi partim interfecti ſunt, partim deditione in Turcorum poteſtatem venerunt, hoſtili primum moxque ſanguine ſuorum funeſtata peninſula, in qua uno die plus XXV CIↃ hominum occubuiſſe conſtat. Permulti praeterea in Canaco perierunt. Ex Turcis, praeter x CIↃ pabulatorum, ad III CIↃ in ultimo conflictu deſiderati. Poſt acceptam cladem Tocmaces protinus ad Hodabendam Caſminum mittit, qui magnitudine damni alieni proprium elevaret, et numero ſe quidem ſuperatum fateretur, ſed ita attritis hoſtium viribus, ut nihil amplius tentare poſſent, facta ſpe, ſi auxilium recens in tempore ſummitteretur, feſſis, languidis miſeriaque ac vulneribus confectis et procul a domo hoſtibus, facile debellatum iri. Ipſe Reivanum in ſuam praefecturam concedit; ejuſque conſilium ſecuti Emangulis Gengam, Serapus Naſſivanum diverſi abeunt, mandata ab Hodabende opperientes.

XV. AT Muſtaphas, ſucceſſibus inſiſtendum ratus, protinus ad Canaci ripam cum toto exercitu venit; ad quem tranſmittendum cum cunctis, ut poſtridie parati eſſent, edixiſſet, fremere miles, et tentorium ejus circumſtans perniciem certam deprecari: ille contra ſuos confirmare et detrectantium ignaviam carpere; non otio et luxu ſed

laboribus

INTERPR. [a] *Azemes.* [b] *Aliculi chan, Emanguli chan, & Serap chan.* [c] *campagne de Chielder.* [d] *Beyran baſcha.* [e] *Emir-chan.*

CIↃIↃLXXVIII.
HENRICUS III.

laboribus ac periculis decus quaeri, cui ſtrenuus quiſque vitam poſthabere debeat: ita Amurathem jubere, cui parere neceſſe ſit: ſe poſtridie fluvii vadum contari decreviſſe; et, ſi quidem in periculo pereat, obteſtari cunctos, ut ſe fluvio extractum in ulteriore ripa ſiſtant, ut, quod vivus exequi non potuerit, ſaltem mortuus impleviſſe dicatur, exemplo ceteris ducibus relicto, ne, dum ſalutis propriae rationem habent, publicum Imperii decus defraudent, ac regia mandata fruſtrentur. Cum hoc reſponſo dimiſſis militibus, ipſe poſtridie ante alios et poſt eum ceteri purpurati ac duces cum famulitio ac mancipiis rapidum flumen intrant ac tranſmittunt. Eum multi inſecuti, ſicuti accidit in tanta multitudine, confuſis ordinibus, ita ut eo die ad VIII CIↃ in tranſitu ſubmerſi ſint: XVII CIↃ ſcribit Leunclavius, quos vorticoſus amnis, praeter equos, camelos et mulos, abſumpſit, aequato Turcorum cum Perſis, ut nuper in terra, ſic et in aquis damno. Impedimenta, pecunia et tormenta in citeriore ripa remanſerunt, nocte ſuperveniente; quae die inſequenti cum reliquo exercitu ſine damno tranſmiſerunt, vado ſociorum periculo jam certiore. Superata non citra jacturam Canaco, dies ad quietem militi conceſſus: quo tranſacto, cum ſe in viam dediſſet, et inculta paſſim loca apparerent, major deſperatio oborta, militibus frementibus, non ſatis eſſe cum hoſtibus confligere, niſi ſponte aditis quotidie periculis ac poſtremo fami ab inexorabili imperatore objiciantur. Sed murmura illa ſequenti die evanuerunt, ex horridis locis pandente ſe laeta camporum omni arbotum et frugum genere conſitorum facie, quae et oculos ſpectantium gaudio et militem meliori in poſterum ſpe implevit. Inde Muſtafas ad [a] Erem venit, quae prima in [b] Atropatena a Georgianis deſcendenti occurrit. Urbem plerique ex oppidanis deſeruerunt, [c] Samirem praeſidem ſecuti, qui cum [d] Areſo Sumachiae itidem praeſide et aliis provinciae praefectis ad famam venientis Turcici exercitus in montana proxima ſe contulerunt, vicina regione circum ferro et igne vaſtata, conſilium ex occaſione capturi. Itaque neque vi in occupanda urbe uti Muſtafae neceſſe fuit, neque miles ex ejus praeda multum ditatus eſt, quippe aſportata jam ante pretioſiore ab oppidanis in tutum ſupellectile. Ibi moram XXII dierum fecit purpuratus; quos muniendae urbi impendit, excitata in ea arce, cui [e] Chaitam purpuratum volonum ducem impoſuit, cum CC ſcloppetariis grandioribus et V CIↃ praeſidio. Oſmanem dein purpuratum, volonum et ipſum ducem ſummum, Atropatenae praefectum creat, et [f] vezirem Portae, quod ſummis ducibus in expeditionibus facere jus eſt, dicit, dato negotio, ut Sumachiam provinciae caput neque longe diſſitam occuparet. In eam rem illi X CIↃ bellatorum attributa; et inſuper mandatum, ut Derbentum duceret. Ea eſt civitas ad Caſpium mare poſita, olim, ut quidam putant, Alexandria appellata, nunc etiam [g] Demircapium, quaſi portas ferreas dicas, quod in anguſtiis ſita ſit, quas ſubjectarum regionum principes portis ad prohibendas Scytharum illac ingruentium populationes clauſerant, ac praeſidio muniverant. Ibi juſſus Oſmanes Tataros ab Amurathe conductos operiri, quos jam in itinere eſſe vero ſimile fiebat. Venienti Oſmani Sumachia patuit, ultro ſe dedentibus, qui remanſerant, oppidanis: quos purpuratus, ut exemplum prodeſſet, amice habuit, prohibita omni injuria. Nec ſpe ſua falſus eſt: nam Derbentenſes mox, quamvis Perſis ſubditi, tamen ab eorum religione alieni, vicinorum fortunam ſecuti, et humanitate Oſmanis invitati, legatos ad eum mittunt, et imperata ſe facere paratos oſtendunt. Quibus cognitis, Muſtafas, poſtquam munitionem coeptam ordinaſſe et praeſidio locum firmaſſe ſibi idonee viſus eſt, praetorianorum et Graecorum militum precibus exoratus, jam inclinata tempeſtate, retro Erzerumum reverti ſtatuit; et per Alexandri [h] Leventiani ditionem, ſicuti convenerat, iter facere. Igitur, cum primis caſtris ad montis aſperi radices perveniſſet, inde ſabros

et

INTERPR. [a] *Eres.* [b] *Sirvan.* [c] *Samir chan.* [d] *Ares chan.* [e] *Chaitas baſcha.* [f] *viſir de la Porte.* [g] *Temir-Capi.* [h] *le pays de Levent-Ogli.*

et foſſores praemittit, qui ad Canacum pontem exſtruerent, quo ſine jactura exercitus traduci poſſet. Fluvio tranſmiſſo, Sahamali adventum ſuum renunciari curat, qui ex Bruſſiana ditione ſua fere montana ad purpuratum venit, et ſucceſſum gratulatus ſe patrocinio Turcico commiſit, moxque accepta veſte et militaribus ornamentis a Muſtapha donatus ad ſua reverſus eſt. Muſtaphas, noctem, quod ſerena eſſet, continuato itinere, mane Alexandri Leventiani ditionem ingreſſum ſe ſenſit; ubi re omni ad victum neceſſaria exercitus recreatus fuit. Viciſſim edicto propoſito imperatum a purpurato, ut ab omni maleficio erga agricolas per ea loca abſtineretur. Dum incedit, venere ad eum legati a Leventiano miſſi cum donis, qui, excuſato domino, quod morbo praepeditus venire non potuiſſet, obſequium omne ei prolixe ſuum detulerunt. Excuſationem in ſpeciem accepit purpuratus; et, [a] Zange, quae illius ſedes eſt, ad laevam relicta, Teſliſium contendit; ubi praeſidiarium fame attenuatum et ad extremam neceſſitatem adactum reperit, canum, catorum et ovillarum pellium eſu vitam miſere tolerantem, ſeveritate praefecti, qui militem pabulatum exire prohibebat, periculum, ut aiebat, ab inſidiantibus vetitus; re vera, ne fruges, quas interea ſumma diligentia colligi et aſſervari curabat, licentioſe conſumerentur. Eos ſolatus Muſtaphas et commeatu recreatos cum meliore ſpe in poſterum eſſe juſſiſſet, biduum Teſliſii commoratus, per campos ſubjectos iter habuit, cuncta circum ferro et flamma devaſtans: tantum ſepulchris majorum Simonis, quo primis caſtris venit, parcitum. Poſtridie per loca inacceſſa et montibus ac vallibus confragoſis impedita exercitus ductus, accedente ad alias difficultates denſiſſima nive, quae vento vibrata incedenreis multum infeſtabat, adeo ut multi cameli, equi ac muli, multi etiam homines toto triduo perierint, pleriſque, contempto inſidiarum periculo, ob coeli injuriam longe a caſtris ſeceſſum quaerentibus. Inde occaſione captata, Georgiani locorum gnari in ſecuros invadunt, et Haſſanem praefectum hoſpitio exuunt, occiſis mancipiis et omnibus impedimentis longe pretioſiſſimis captis. Ipſe, vix superventu Halac equitum praetorianorum praefecti periculo ereptus, ad tentorium Birani purpurati ſe recepit. Inde ad Ciurcalam promota caſtra, pleriſque e famulitio pabulatum dimiſſis. Tum legati a quodam Simonis agnato venere, venturum eum affirmantes, ſi ita Muſtaphae placeret. Cum, ſibi placere, reſpondiſſet purpuratus, non tamen ille comparuit: legatoſque ad explorandum veniſſe poſtea conſtitit: quorum indicio, qui pabulatum miſſi erant, ad unum fere caeſi ſunt. Itaque magna omnium rerum penuria ab illa die laboravit exercitus, per infeſta ſemper loca incedens, donec ad Dedeſmitis reginae fineis pervenit; ubi inter anguſtias montium, quas Araxes innumeris gyris in ſe reflexus ſecat, cum fragore inter ſaxa provolutus, pernoctandum fuit. Poſtridie per abrupta et margines glacie lubricas incedentes multi cameli, equi ac muli praecipitarunt. Tandem ad Altuncalam regulorum illius loci ſedem ventum; ubi poſt ſex dierum labores et extremam penuriam beneficio Dedeſmitis exercitus copioſo commeatu ſublevatus eſt. Ibi ad Muſtapham venit vidua cum Alexandro filio majore: quam perhonorifice ille acceptam ad latus ſedere juſſit, arceſſito Manucciare, qui, quam benigne tota expeditione illa ab ipſo acceptus eſſet, coram matre teſtatus eſt. Inde arrepta occaſione, Muſtaphas, Alexandrum, poſt benignos amplexus, uti apud ſe relinqueret, Dedeſmitim rogavit, quod ambos fratres Conſtantinopolim mittere decreviſſet, cum literis, quibus Amurathem de matris ac filiorum fide certiorem faciebat: et omni honoris et benevolentiae genere utrumque complexurum affirmabat. Id etſi aegre audiret, tamen juxta prudens ac generoſa foemina, cum ſe, quamvis ſtatu liberam, tamen adventu ad tyrannum ſuo libertatem priſtinam cum ſervitute commutaſſe, et jam alterum ex filiis in Turcorum poteſtate eſſe cerneret, vultum compoſuit, et affectata

CIƆIƆLXXVIII.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Zaghen.*

affectata laetitiae ſignificatione cuncta ſua in Amurathis fide futura promiſit; et utrumque filium, quando aliud non poterat, bonitati purpurati multum commendavit. Ita dimiſſa Dedeſmitis: et poſt bidui quietem militi conceſſam Muſtaphas Carſam verſus iter intendit, jam ab hoſte ſecuris omnibus, ita ut ſolutis ordinibus, et, quo commodioribus hoſpitiis uterentur, agminatim incederent. Primis caſtris Cliſcam ejuſdem ditionis caſtellum ventum. Cum non amplius cum hoſtibus aut commeatus penuria militi res eſſet, cum frigore deinceps luctandum fuit; multique in via defecerunt.

XVI. TANDEM, Georgianorum territorio egreſſi, bidui itinere [a] Bucardacham venerunt; ubi [b] Ramadanum feſtum, quod hactenus non potuerant, ſolitis ceremoniis celebrarunt: et inde quartis caſtris Erzirumum magna omnium laetitia pervenerunt, diſſoluto mox exercitu. Inde Muſtaphas ad Amurathem dat literas, ſucceſſuque rerum in majus aucto, Teſliſium, quod Damaſco ſumma vanitate comparabat, a ſe occupatum narrabat; duo magna praelia cum Perſis facta; Georgianos ad obſequium adactos; tumultum a praetorianis ac Graeco milite excitatum, et ſumma felicitate compoſitum; arcem ad Erem exſtructam, et, praeſidii cura Chaitae purpurato commiſſa, firmatam; Derbeotenſium et Sumachianorum propenſam obedientiam, quibus Oſmanem cum ſummo imperio praepoſuiſſet. His addebat, ſibi videri e re eſſe, ut Carſa muniretur; quippe locum eſſe opportunum ad exercitum per Armeniam et Georgianos immittendum, et commeatu ac omni re abundare. Tum amandatos ad Portam Alexandrum et Manucciarem Dedeſmitis filios, parentis et eorum fide multum laudata, commendat, monito interim Amurathe, ut Manucciarem prae Alexandro commendatum haberet, eumque fratri in regno praeponeret: nam et illum magis ſtrenuum videri, ut qui ſe ultro in provinciae ingreſſu militaturum obtuliſſet; et non levem ſuſpicionem eſſe, Alexandrum cum iis, qui pabulatores interceperant, in occulto conſpiraſſe. Quibus literis acceptis, Amurathes multum ob res geſtas gaviſus eſt, et, in poſterum rerum magnarum in ſpem erectus, cuncta ad tantum bellum neceſſaria ut diligenter pararentur curavit, conſiliis ac monitis in commodum tempus reſervatis.

XVII. INTEREA poſt Muſtaphae diſceſſum Oſmanes Tataros Precopienſeis auxiliareis praeſtolabatur; de quorum origine, moribus, tam domi quam in bello, diſciplina, antequam ulterius progrediar, quaedam praemittere pretium duxi. Per vaſtas Scythiae ſolitudines ad ſeptentrionem porrectas habitant Tatari in Europa et Aſia; quibus olim unus Chanus ſive dominus, nunc plures, ſciſſo imperio, dominantur. Proximi Polonis ſunt, quos et continuis excurſionibus vexant, Praecopienſes Europaei Tatari, qui inter [c] Tyram, hodie Neſterum dictum, et Beſſarabiae ſive Valachiae inferioris montes lacum [d] Vivodum et Bialogrodum civitatem ad pontum Euxinum habitant, et rurſus trans Tyram campos vaſtos inter eum et [e] Bogum occupant, In quibus [f] Oſcovia arx oppido celebri conjuncta, Olbiopolis olim Plinio et Ptolemaeo appellata, ad [g] Boryſthenis rapidiſſimi et latiſſimi oſtium ſita, qua in [h] Carcinitum ſinum influit. Supra Oſcoviam XV milliaribus Bogus Boryſthene excipitur, qui ſi Hypanis eſt, ut autumat Martinus Broniovius, corrigendae ſunt Ptolemaei tabulae, quae Hypanim trans Boryſthenem ortum verſus ponunt, cum Bogus ad occaſum Boryſtheni influat. In iis ſolitudinibus [i] Sauranenſes campi et Circaſſii ſunt, et trans Boryſthenem [k] Oſſovienſes ab arce et oppido dicti, quod in faucibus [l] Tanais, qui eſt Donus hodie, qua [m] Maeotidem paludem ingreditur, poſitum eſt. In iis ad peninſulam uſque, quam, [n] Dromon Achillei olim vocatam, Boryſthenes et ſubjectus Carcinitus ſinus efficiunt, per tuguria ac mapalia circiter XXX milliarium ſpatio late Tatari habitant. His adjacet Taurica Cherſoneſus, Peloponneſo paulo minor, olim feritate damnata

regio,

INTERPR. [a] *Biucbardacan.* [b] *la Feſte du Ramadan.* [c] *Nieſter r.* [d] *lac Vidove.* [e] *Bog.* [f] *Oczakow.* [g] *le Nieper.* [h] *golfo di Negropoli.* [i] *campagne de Sauran.* [k] *Oſſow.* [l] *le Don.* [m] *Mar delle Zabacche.* [n] *cours d'Achilles,* nunc *Fidoniſi.*

regio, et immani homines mactandi et immolandi ritu inſamis, in cujus ſaucibus [a] Precopia eſt, a qua Precopienſes Tatari appellantur, Heracleotis olim, ut creditur, dein Eupatoria et Pompeiopolis dicta, in qua Chani Tatarorum Palatinum ſeu praeſidem, quem illi Begum vocant, perpetuum habent, qui Boryſthenis et Tanais trajectus ſervat, firmo addito praeſidio, et foſſa ducta, in qua XVII turres excitatae, [b] Sachinbeicro Chano in peninſula imperante, qui Tataros [c] Noagienſeis in Aſiatica Tanais ripa de imperio illi controverſiam facienteis inſigni ac memorabili clade ad Precopiam olim profligavit. Eo, cum Chanus expeditionem aliquam ſuſcipit, copiae conveniunt; ſed nullum, niſi conſulto Turcorum imperatore et conſentiente, bellum ſuſcipere Chanus Tauticus poteſt, niſi adverſus Moſcum, poſtquam Selimus, peninſula in poteſtatem redacta, Chanos Precopienſeis juris Othomanici fecit: in qua praeter Precopiam dignitate antecellit [d] Beccaſarium, principum domicilio clarum, cui quaſi adhaeret [e] Salatica, et modico intervallo [f] Sortaſſus pagus adjacet, legatorum, qui ex Polonia, Moldavia, Moſcia adveniunt, diverſorio celebris, ubi plerique a Genuenſibus originem ducentes aedem Chriſtianis ſacris initiatam frequentant. Hinc non procul [g] Crimenſis arx viſitur, ubi argenteorum nummorum officina eſt. Nam aurum omne Turcis ex conditionibus pacis a Selimo poſt debellatos Tataros datae cedit. Eodem porro in oppido arx eſt, ubi, [h] Saro, ſic principem vocant, in bellum proficiſcente, uxores ejus cuſtodiuntur. Secundum iſtas urbes mediterraneas, praecipuae ſunt juxta mare Caſa, olim Theodoſia, Genuenſium colonia, portu et commercio inſignis, quam communi jure Turci cum Tataris adminiſtrant. In templo ingens ibidem et pretioſa veterum librorum ſupellex noſtra adhuc memoria erat, donec Italicorum ſacerdotum vel ſordibus vel contaminata vita effectum eſt, ut templum ad Armenios transferretur. Oppida deinde numerantur Sudagra, tribus arcibus munita, [i] Balachenum, [1] Jambolia, [k] Ingermenum, [l] Corſuna, quae et Cherſonitarum civitas appellabatur, olim ſplendore aedificiorum, marmoreis molibus ac templis regali ſuperbia elaboratis conſpicua, nunc ruderibus ac ruinis deformis, aſportatis a Turcis et aliis victricibus nationibus huc illuc marmoreis et aereis rari operis columnis: et a Chriſtianorum quidem reliquiis, quae inibi ſunt, conſtanter proditur, Vlodimirum Roxolanorum principem duas portas aeris Corinthii et imagines ex monaſterii templo praedae loco ablatas ſecum Kioviam deportaviſſe; quas Boleſlaus II Poloniae rex poſtea inde Gneſnam, ubi ad majores templi valvas hodie viſuntur, tranſtulerit: Vlodimirum autem illum eam urbem Joanni Zimiſcae Conſtantinopolitanò imperatori eripuiſſe; quam, Baſilii et Conſtantini Auguſtorum ſorore Anna in uxorem accepta, et ſacris Chriſtianis ritu Graecorum in eodem monaſterio a patriarcha quodam initiatus, poſtea reſtituerit. Ante urbem promontorium eſt, [m] Parthenium Straboni dictum, et poſtea [a] Margutium ſive [n] Mancopia, et ultima Carcinirum ſinum reſpiciens [o] Coſlovia. Vinum heic, nulla adhibita cura, copioſe creſcit; fruges, nullo labore, quaſi ſponte proveniunt; gregibus et armentis in peninſula innumeris paſcua abunde ſuppetunt, vireſcentibus etiam hyeme pratis, quippe cum aqua nec glacie nec nive pruinave concreſcat: quo coeli temperamento foecunditas ſoli maxime adjuvatur. Fructibus affatim ſuppetentibus non ſolum modice ſed etiam intra modum utuntur, et frugalitate valetudine firmata innatam fortitudinem tuentur, ab omni luxu et delicato victu alieni: atque adeo ebrietas inter eos grave crimen cenſetur; adulteria vero, quae luxum conſequi amant, capitè puniuntur. In civili adminiſtratione duo illa

VAR. LECT. [a] Magutium *D. ſ. d.*

INTERPR. [a] *Precopzki*, ou *Precopie*. [b] *Sachinbgier-chan*. [c] *Nagaiski*. [d] *Beccaſarai*. [e] *Salatic*. [f] *Sortaſſe*. [g] *Crim*. [h] *Sar*. [i] *Balach*. [k] *Ingermen*. [l] *Corſuna*. Les Turcs la nomment *Sangermen*, *fortereſſe jaune*. [m] *Capo Roſaphar*. [n] *Mancup*. [o] *Coſlovie*.

NOT. [1] Balachenum & Jambolia eſt une meſme ville; *Jamboli* Barbaris, Graecis *Balachenum*, quaſi piſcium arcem. *Put.*

CIↃIↃLXXVIII. HENRICUS III.

illa juſtitiae columina, ut ne cui noceatur, et communi utilitati ſerviatur, religioſiſſime omnium ſervant; et, quod magis mireris, in tam barbara et fera gente bellis et praedis aſſueta, nulla latrocinia aut furta ſunt, nullae res amiſſae deperduntur, adeo ut in ſolitudinibus illis iter facere quam in frequentiſſimis regionibus et urbibus verſari plerumque ſit tutius: ſiquidem apud eos cum telo ambulantes tanquam ſicarii coercentur. Cetera crimina, brevibus definita legibus, quarum cuſtodia et interpretatio penes Mahumetanae ſectae ſacerdotes eſt, ſevere vindicantur. [a] Chanus ipſe, qui et Sarus dicitur, in jure dicundo aſſiduus eſt: cui a dextra Galga, ita militiae praefectus vocatur, iſque maximus natu frater Sari eſt; a ſiniſtra ſoldani, qui filii principis ſunt, cum primum adoleverunt, cum aliis ſenatoribus, qui [b] Atali dicuntur, juri dicundo aſſidere ſolent: quorum rogatis ſententiis, ille decernit; nec niſi finita lite inde pedem cuiquam movere licet. Sunt et in oppidis judices [c] Hajonati vulgo appellati, qui jus inter nobileis [d] Murſos vulgo vocatos dicunt, et menſae a principe adhibentur, quod virtutis praemium in mediocribus hominibus minime pervulgatur. Ceterum ex iis majore in dignatione ſunt, qui plures captivos poſſident. Cum moriuntur, arma praeſtantiora cum equo praecipuo capit filius natu maximus, reliqua bona inter filios aequaliter dividuntur, tutela ad patruos delata. Principis frater, quem virtutis opinione jam ante Galgam deſignaverunt, decedente Saro, ad regnum vocatur, vel, eo deficiente, filius defuncti natu major: ceteris praeter ſoldani nomen honoremque nulla pars ditionis et imperii cedit. Princeps autem ipſe nulla praedia, nullum ex agris vectigal aerariumve habet, praeter equos ex ſingulis fontibus ſingulos, et portoria, quae ei cum Turcis communia ſunt: metalla item, praeter aurum, quod ex foedere Turci eſt, ejus propria, accedentibus ad haec decimis ex praediis omnibus; item ex ſingulis captivis majoris pretii III, ex vilioribus ſinguli aurei ſeu chequini Chano penduntur. Annonam populus domi et in militiam ſponte ſuppeditat: ex aerario etiam Turcico quinquies mille et IↃ aureos quotannis accipit, filio obſide dato. His tenuibus opibus immane quantum virium et copiarum ſuſtentatur, quae omneis Chriſtianos exercitus numero vincunt. Etenim, ſi educere exercitum eſt opus, CL CIↃ equitum, in ſingulis tuguriis tantum relictis ſingulis viris, qui focos et lares tueantur, celerrime conveniunt: quibus ſi Circaſſii et Aſtracani ſe conjunxerint, ut fere ſolent, bis centum erunt et amplius millia. Si quis ad diem indictum non convenerit, capitale eſt. Singuli porro plureis equos ducunt: ſuiſque ſubito, ne paſcua vaſtent, finibus excurrunt, annonam militarem trium menſium ſecum portantes, carnem ſcilicet exſiccatam, allium, caſeum, herbarum radices, quas aromatum loco habent; et a noſtris ideo Tataricae vulgo vocantur: ditiores etiam ſpecies alias addunt. De pane et vino ſoliciti non ſunt: aquam etiam nullam obeſſe poſſe exiſtimant, allio prius ſumpto. Ligna quaedam et una cum annona unico equo vehunt; quibus inſtar tugurii erectis, palea ſuperpoſita, foliis arborum aut gramine teguntur: quae ſi defecerint, detractis equorum ephippiis, capita, reliquo corpore intecto, cooperiunt. Aliis equis pharetras et arcum imponunt; alios, et fere viliores, initio aſcendunt. Ipſi de via fatigati ſumpto allio et iis, quas dixi, radicibus pro cibo utuntur, et vireis recreant, hauſto etiam pro vino ſanguine, et interdum equarum lacte; quod ſingulare adverſus famem, ſitim, aeſtumque praeſidium in deliciis habent. Pro vexillis dependenteis ex haſta crineis ac ſetas geſtant; excepto principis ſigno, quod a Turcorum imperatore acceptum ex holoſerico praeferri ſolet. Inter incedendum nullum aciei agminiſve ordinem ſervant, quoquo verſus circumſepto principe, globi inſtar; quo pabuli copia ſuppetit procedunt, nullis eos fluminibus, quae vaſtiſſima et rapidiſſima illis locis ſunt, nullis aquarum gurgitibus tardantibus; ita et equi et homines ſimul natandi periti ſunt. Et, ſi quidem alta et late patens aqua fuerit, caudis equorum ephippia cum ſarcinis adjunctis

INTERPR. [a] *Chan, ou Sar.* [b] *Atales.* [c] *Hajonats.* [d] *Murzes.*

adjunctis juncorum arundinumve faſciculis quibuſdam alligant. Ipſi jubis adhaerentes nudi, laxato fraeno, altera manu virga vel ipſo alvei curſu, quaſi gubernaculo, quo intendunt, equum impellente, tranſmittunt. Sicubi contra humilior aqua obtigerit, in equum ex flumine inſiliunt, paululumque interquieſcunt, dum equi ſpiritum ducere ac reſpirare poſſint. Principi autem tranſmiſſuro connexis equorum caudis et adjuncto juncorum plexu ſedes ſternitur. Ubi fretum aut mare ſuperandum occurrit, occiſis equis vilioribus, pelleis detrahunt; ex iiſque inverſis ac pinguedine oblitis, etiam coſtis trabis loco intextis, naviculas, conſuto crinibus celeriter corio, conficiunt; quibus ſingulis octoni homines, cum totidem extra utrinque ad latera attractis equis, tranſportari queunt. Sin autem currus et vehicula traducenda fuerint, rotis exemptis, crebros juncorum manipulos vehiculis imponunt, equorumque caudis annectunt; atque ita tanquam in navicula, perito natatore equos dirigente, trajiciunt. Si quid in tranſmittendo periculi inciderit, ſigno ex herbis poſito, ſocios, qui ſequuntur, praemonent; cujuſmodi notis et interdiu vias diſtinguunt, noctu, ut nautae in mari, ad parvam Cynoſuram profectionis curſum dirigentes. Arma illis in uſu ſunt arcus, machaera, clavus ferreus et globus, a fune aliquot ulnarum pendentes. Haſtas et ſeloppetos noſtros ſere negligunt, in quibus curandis plus operae quam in uſu utilitatis eſſe cenſent, atque adeo ad venationes domum relinquunt. Viros, quos hoſtili in ſolo obvios offenderunt, ne exploratas ipſorum copias enuncient, omneis occidunt, mulieres et pueros inviolatos relinquentes; neque, donec revertantur, de captivis aut praeda laborant; ſed omnia, niſi pactionibus aliter cautum fuerit, devaſtant ac perdunt. Ubi certamen incidit, neque proelii fortunam temere tentare nec niſi beno ominatis diebus periclitari ſolent; ac nunquam ſere univerſis copiis decernunt, ſed emiſſi aliquot, qui hoſtem velitatione pertentent, auxilia deinceps ſuis ſummittunt, quamdiu eminus pugnare datur: ſin cominus erit neceſſe, horrendis clamoribus editis et denſatis agminibus vim faciunt. Cum, re geſta, domum revertuntur, in finibus ante omnia, ex communi praeda, damna quae ſocii acceperunt, arbitrio principis compenſant: tum reſiduum inter ſe aequaliter dividunt; ubi, ſi quid quis ſocios celaverit, praedae partem cum vita amittit: quo fit, ut de victoria magis quam de praeda ſoliciti ſint. Quam infeſti vicinis et in hoſtico terribiles, tam domi pacate et inter ſe innocenter degunt; et hyeme quidem in tuguriis ſive mapalibus per vaſtos illos, quos dixi, campos ex materia tenui, limo, coeno vel pecorum et aliorum animalium fimo oblitis ac contectis ſe a frigoris aſperitate et coeli injuria defendunt. Ineunte Aprili cum uxoribus, liberis et omni familia, mancipiis, pecoribus et armentis in domibus rotundis vix quinque homines capientibus, pileata tentoria vocat [a] Laonicus Chalcondyles, quae rotis duabus ſuſtentantur, quaſi in plauſtris vagantur; unde olim Hamaxobii appellati. Ex ea gente prodiit famoſiſſimus ille orientis vaſtator, et, ſecundum Attilam Hunnorum regem, alterum Dei flagellum, [b] Tamerlanus, homo ſpecie deformis, et altero pede claudus, nec vegeto ſatis ingenio; qui, cum in Caramania ſeu Cilicia in ſchola operam literis daret, a condiſcipulis quaſi per ludibrium in ludo rex electus eſt, ceteris puerilem dignitatem refutantibus: qua ille tamen joco acceptа poſtea ſerio uſus eſt. Nam adultior in illa ſociorum frequentia animos vere regios ſumpſit, et, contractis jam penes ſe majoribus copiis, blandiente licentia etiam multos eorum, qui Bajazeti tunc militabant, ad ſe ludicri regni ſpecie pellexit; quibus poſtremo fretus, Bajazetem, qui parva haec initia imprudenter contempſerat, poſtremo ad proelium adactum fuſumque ac captum foediſſimam ſervire ſervitutem coëgit. Quod vero e literario ludo prodiiſſet, quibus iiſdem initiis et Scirifiorum, qui nunc in Mauritania regnant, imperium fundatum eſt, ut ſuo loco diximus, cum

Turcica

INTERPR. [a] *Nicolas.* [b] *Temir-leng.*

CIƆIƆLXXVIII. HENRICUS III.

Turcica lingua Thamer diceretur, Tamerlanus appellatus eſt, quaſi Thamer e ſchola dicas: nam Turcis lanus ſchola eſt: quamvis alii Temurem dicant, cui lengi, quod claudus eſſet, cognomentum additum ſit. Tatarorum autem nomen circa annum CIƆ CCXXVIII primum innotuit; quo bipartito agmine Europam et Aſiam eodem tempore invaſerunt: et, qui Aſiam petiere, Georgianam ſuperioremque Armeniam pervagati, [a] Iconium uſque Turcorum regiam pervenere. Alia manu, Batho duce, vaſtatis [b] Suſdalis et Smolenſibus, Moſcoviae provinciis, et Kiovia Ruſſorum metropoli funditus deſtructa, Poloniam et Hungariam ingreſſi, Sendomiria ac Cracovia a Boleſlao pudico deſertis, etiam [c] Vratiſlavia potiti ſunt, et Henricum Pium Quadorum ducem ſancti Heduigis filium ad [d] Lignitiam cum exercitu trucidarunt. Inde in [e] Marcomannos deſcendentes, in Hungaria conjunctis viribus etiam Belam IV profligant anno illius ſaeculi XLI: biennioque in ea conſumpto, per Valachiam et Podoliam domum redeunt. Quo tempore Innocentius IV pontifex Romanus, miſſis ex concilio Lugdunenſi legatis, Bathum, ut religionem Chriſtianam ſuſciperet, hortatus eſt, exiguo fructu. Nam ille quidem inducias aliquot annorum conceſſit: ceterum, Saracenis inſtigantibus, Mahumetanam perfidiam conſtanter amplexus eſt. Cum autem gens ea Scythica initio in VII veluti tribus ſeu hordas diſtributa eſſet, quarum haec erant nomina, Tatar, Tangur, [α] Cunat, Tatair, Sonich, Mongli, Tebeta, et anguſtam inter [f] Riphaeos montes et mare Caſpium pro multitudine regionem a Georgianorum regulis in Aſia incolerent, ſenex quidam prudentiae et ſanctitatis opinione inter eos inſignis ex tribu Tatar, [g] Changius nomine, ſocios ad libertatem vocavit, iiſque ſe ducem praebuit: qui ex anguſtiis illis egreſſi, cum felici victoriarum curſu late imperium in Aſia propagaſſent, Tatari a tribu ſua univerſi dicti ſunt. Alii a Tataro fluvio, cujus accolae Sumogli ſunt, dici volunt; et in iis Joannes Leunclavius, harum rerum diligens ſcriptor. Alii denique Tataros lingua Syriaca reſiduos ac reliquos dici autumant, quaſi hi ex Iſraelitarum faece reliquiae ſint: cui rei firmandae argumento eſt, quod illi etiam ante Mahumetis adventum circumciſione, utpote a Judaeis accepta, uterentur.

XVIII. AD Praecopienſeis redeo, qui ex Taurica Cherſoneſo per Maeotidem paludem deſcendentes, numero ad XX CIƆ, jam Colchidem emenſi, et per Caucaſi radices gelu concretas itinere facto, ad fineis Atropatenae pervenerant, duce [h] Abdilchairo, oris ſpecie et corporis robore praecellenti juvene. Inde ad Oſmanem ſecretos nuncios ſemel atque iterum repetitis vicibus mittit, ut quid ſibi praeſcriberetur intelligeret: quorum quidam in manus [i] Areſi Sumachiae prius praefecti venerunt; iiſque tortis, cum de Tatarorum adventu et numero eorum cognoviſſet Areſus, quanquam ultionis deſiderio arderet, et aliquo opere fidem ſuam ac virtutem approbare Hodabendae cuperet, tantum interfectis aliquot Oſmanis pabulatoribus, retro Canacum verſus tendit, ut primum Tatarorum impetum ac furorem devitaret: qui interim, ſic enim Abdilchairo cum Oſmane colloquio Sumachiae habito convenerat, celeritate conſueta praeter Areſi ſpem ad Canacum excurrentes, Perſas intra tentoria ſua opprimunt; et, antequam ſe ad defenſionem comparare poſſent, immani rabie trucidant, ipſo Areſo capto; qui continuo ad Oſmanem miſſus, ſtatim ejus juſſu ante fores [k] praetorii Sumachiae, cujus praeſes fuerat, laqueo ſuſpenſus eſt. Inde Tatari fluvium tranſmittunt, et, pari celeritate famam adventus ſui praevenientes, Emangulim Gengae praeſidem cum uxore et omni familia ac primaria urbis nobilitate, aprorum venationi intentum, offendunt; et, capta ejus uxore ac mancipiis ac pleriſque e comitatu ſuo, ceteros in fugam vertunt. Eodem impetu Gengam ipſam occupant; et,

VAR. LECT. [α] Cunar *D. f.*

INTERPR. [a] *Cogni.* [b] *Suſdal & Smolensko.* [c] *Breſlau en Sileſie.* [d] *Lignitz.* [e] *Moravie.* [f] *Montes Obi.* [g] *Changi.* [h] *Abdil-chirai.* [i] *Ares-chan.* [k] *le divan de Sumachie.*

et, omni ſaevitiae ac libidinis genere licentioſe in ea graſſati, ad extremum praeda onuſti diſcedunt, et, tranſmiſſo rurſus fluvio, Eremque praetervecti, in planitie ſubjecta montibus undique cincta figunt tentoria, atqne, ut labore ſeſſos equos ac corpora reficerent, ſecuri ſe quieti dedunt.

XIX. Id incidit in tempus, quo Hodabendes, jam de ſucceſſu omni certior factus, cum ipſe domeſticis negotiis occupatus expeditionibus bellicis intereſſe non poſſet, [a] Emirem Hamecem natu grandiorem filium cum XII CIↃ militum miſerat, qui injurias a Turcis illatas ulturus urbes in limite ab hoſte occupatas reciperet, et de iis, qui ſe ſponte in Turcorum manus tradidiſſent, poenas ſumeret. Jamque Hameces, Caſmino profectus, et duce viae Meriſe Salma [b] purpuratorum principe, in itinere per Areſum ante cladem ſuam de adventu Tatarorum cognoverat: quod illum aliquandiu ſuſpenſum tenuit; ſed, praevalente in juvenili pectore adverſus pericula inde laudis cupiditate, inde vindictae deſiderio, aliquid audendum ratus, ulterius nihilominus progreditur; et Erem ſpe patris et opinione Turcorum citius venit, ita ut Chaitam purpuratum loco a Muſtapha impoſitum, et qui tum ad praedas abigendas arce forte egreſſus fuerat, oppreſſerit, et poſt aliquod certamen omneis ſuos ad intèrnecionem cum ipſo duce deleverit, recepta arce, et CC grandioribus ſcloppetis captis, quos mox Caſminum ad parentem miſit. Hameces, relicta [c] Beguma matre, quae ipſum ſecuta fuerat, in urbe, per illum ſucceſſum ad majora audenda animos faciente fortuna, victrices copias nltra promovet; et in montes Tatarorum caſtris proximos evadit; ex quibus tam numeroſam gentem per tenroria diſperſam conſpicatus rurſus animi diu pependit, retro pedem referret, an proelii fortunam cum exiguis copiis contra tantum hoſtium exercitum tentaret. Sed tandem vicit decoris dulcedo, ſuorum alacritate confirmata; quos paratos conſpicatus, calcaribus additis, in Tataros invehitur, primiſque et alteris ſtationibus diſturbatis non citra certamen, ſecuros barbaros et ſomno ac laſſitudine quaſi ſepultos, longe ab equis, qui fraeno ſoluti huc illuc ad paſcendum vagabantur, oppreſſos, partim caedit, partim capit, aut in fugam vertit. Captus ipſe Abdilchairus, et ſub fida cuſtodia [d] Caſminum mittitur. Quo facto, Hameces nulla interpoſita mora ad Sumachiam uſque excurrit; et, deditione imperata, Oſmani, ſi pareat, vitam et res ſalvas pollicetur: ni pareat, vim et extrema omnia minatur. Ad haec Oſman, qui de Tatarorum clade adhuc ignoraret, conditionem ſe accipere reſpondit; ſed triduum ad componendas ſarcinas poſcit, quo temporis ſpatio Tataros ſuperventuros et Hamecem deleturos ſperabat: Hameces vero, ex animo loqui purpuratum ratus, quievit. At Oſman, qui nullo caſu in manus Perſarum venire vellet, et poſt biduum elapſum de Tatarorum clade ſuſpicatus, ad haec oppidanorum fidei diffidens, nocturna fuga ſe periculo eripuit, et per avia inter montes urbi vicinos elapſus cum omni gaza et pretioſiore ſupellectile Derbentum ſe recepit. Mane apertae portae Hameci patuere, qui perfidiam Sumachienſium deteſtatus, qui non ſolum ſponte Turcis ſe tradiderant, ſed Oſmani cum ſuis aufugiendi et pretioſa quaeque aſportandi, celato ejus diſceſſu, commoditatem praebuiſſent, iram in eos, jam cum Caſmino diſcederet conceptam, effundit, et in miſeram plebem ſumma ſeveritate animadvertit, novis et antiquis moenibus deſtructis et in ſolitudinem paene redacta civitate. Tum conſultatum inter duces, recta Derbentum duceret, an retro domum rediret: et placuit, ut exercitus reduceretur; quippe ingraveſcenre jam hyeme et feſſo milite urbem munitam tentari periculoſum videbatur. Itaque, Derbenti obſidione in aliud tempus reſervata, Hameces facto per [e] Erem et Sechiam itinere in civeis, quod ſe ſponte in Turcorum manus tradidiſſent, pari ac majori, quam in Sumachienſeis, ſeveritate animadvertit, ac tandem, ſatiato ultione animo, cum matre

et

INTERPR. [a] *Emir Hamze.* [b] *primo delle ſultani.* [c] *Begum.* [d] *Casbin.* [e] *Eres & Sechi.*

et toto exercitu triumphabundus Caſminum repetiit. Eo adductus fuerat Abdilchairus, et in regio palatio quaſi in libera cuſtodia honorifice aſſervabatur; jamque Hodabendae ipſi ob virtutem eximiam, formae praeſtantiam, et nobilitatem generis, quippe ſe Tatarorum Precopienſium imperatoris fratrem jactabat, placere coeperat, ita ut cum rege libere colloqueretur, et omni familiaritatis praerogativa uteretur. Aucta ea familiaritas, poſtquam Beguma cum Hamcee filio victore in aulam rediit. Nam illa, ut creditur, juvenis forma capta, eum coram viro laudare, in arcano cum eo loqui, ludere, ac libere verſari jam inſueverat. Neque belli ſermones ea de re per urbem ſerebantur, et ſultani, auguſtae impudicitiam peroſi, juvenem captivum oderant. Quarum omnium rerum gnarus rex, et natura uxorius, conſilium honorificum ſibi et utile, ſicuti rebatur, cepit, inſtigante conjuge, quo ſecretos amores tegeret, de libertate captivo reſtituenda, eique una ex filiabus in matrimonium danda. Sic enim fore judicabat, ut amicitia hoc adfinitatis vinculo cum Precopienſibus Tataris contracta tam potenteis amicos Amurathi ereptos ſibi conciliaret, et tanti roboris acceſſione imperium contra Turcorum potentiam firmaret. Id cum ſummopere conſilii regi placeret, nullis tamen rationibus efficere potuit, ut ſultani illud probarent; qui, ſive uxoris regiae impudicitiam deteſtati, ſive novi et externi hominis inſolentiam peroſi, adfinitatem eam averſabantur, ab eaque regem, quantum poterant, dehortabantur. Cum nihilominus regem in propoſito perſeverare cernerent, ultionem veriti, ſi, ſe invitis, tantus hoſpes ad hoc magnitudinis ac gratiae, imperio et familiae regiae aliquando exitialis, faſtigium eveheretur, una conſpirant, et palatium ingreſſi obvium Abdilchairum interficiunt, abſciſſis prius genitalibus et deformi utique ſpectaculo ad os applicatis. Beguma et cum eo, accenſis ſemel animis, occiſa creditur; certe ab eo tempore nuſquam conſpecta eſt; ſive id, mandante marito, factum, qui tandem indiciis certis de uxoris impudicitia cognoverit, (nam fere evenit, ut poſtremi omnium viri conjugum flagitia reſciſcant) ſive ſultani ob eas, quas dixi, cauſas id auctoritate privata patraverint, ne externis nuptiis imperium in exteram familiam transferretur reformidantes. Ut ut ſit, eam caedem magna odia domeſtica, multae ſimultates, multorum exitia et calamitates ſecutae ſunt. Quibus malis ut remedium afferret Hodabendes, bellum Turcicum omnibus ingerebat; quo, tanti periculi Perſarum cervicibus impendentis metu, quiſque, ſepoſitis privatis affectibus et odiis, ad officium rediret. Ipſe cuncta ad id gerendum neceſſaria ſtudioſe comparabat, et domi foriſque res ſumma, qua poterat, prudentia adminiſtrabat.

XX. Nec Oſman, qui, Sumachia deſerta, Derbentum profugerat, interea ceſſabat: ſed, cum Sahamalem Georgianum ſummae inter vicinos populos auctoritatis eſſe intelligeret, eum arctiore amicitia ſibi conciliare voluit; et ad eam ſanciendam Sahamalis filiam in matrimonium accepit. Poſtea ſuſpicio fuit, Sahamalem, qui aegre aulam Perſicam reliquiſſet, occaſionem quaerere, ut aliquo facinore inſigni amiſſam Hodabendae gratiam recuperaret: id vero facile factu fore, ſi Derbentum, quod eſt veluti non [a] Atropatenae ſed totius imperii ab illa parte propugnaculum, aſtu vel quoquo modo Perſici juris faceret. Id cum in animo habere putaretur, ſumma diſſimulatione nihilominus erga generum utebatur, nullis non minime ſucati amoris ſignis inter eos per mutua officia intercedentibus. Verum Oſman, homo ſuſpicax, qui ſe, tota Atropatena praeter Derbentum ab Hamcee modo recepta, in ſummo periculo verſari videret, eadem ſibi diſſimulatione erga ſocerum utendum ratus, indulgentia ſumma, qua uxorem tractabat, apud eam pervicit, ut in patris arcanum penetrans certiora de ipſius conſiliis expiſcaretur. Per eamque cognito, foederationem ſecretam cum Perſa Sahamalem continuare, id tamen negligere prae ſe tulit; et melius

INTERPR. [a] *Sirvan.*

melius conſultum ſenem aliquando mutaturum reſpondit. Interea, cum ultionem CIƆIƆLXXVIII.
animo meditaretur, uxori nihil tale ex verbis mariti conjectanti auctor fuit, ut patrem HENRICUS III.
ad feſtivitatem quandam invitaret; qui, ubi cum ſuis ad Oſmanem venit, ab immiſſis percuſſoribus ex equo deſcendens invaditur, et cum omnibus ſuis trucidatur. Quo facto, Oſman praeſidiarios in Sahamalis ditionem immittit, qui eam ferro et igni vaſtarent; filiumque ejus, ſi poſſent, in poteſtatem redigerent. Eam, quam dixi, cauſam ſceleratae impietati ſuae Oſman praetexuit; qua uxori illudens, ejus imprudentis ad patrem de medio tollendum miniſterio uſus eſt. Leunclavius aliter rem commemorat: Oſmanem, poſt Hamecis ex Atroparena diſceſſum, aſtute [a] Schemahilem, ſic ſocerum vocat, Derbenti regulum, natione Tatarum, ſibi amicum reddidiſſe, addictum Oſmanico nomini et Perſis infeſtum; ejuſque filiam uxorem duxiſſe, quae a viro perſuaſa poſtea patrem veneno ſuſtulerit: id vero duas ob cauſas ab Oſmane factum; primam, quod vereretur, ne ſucceſſu temporis Schemahil ipſum de medio tolleret; deinde, ut, in poteſtatem redacta Derbenti munitione ac ſoceri regione, eam beneficio Amurathis poſſidendam acciperet. Addit Leunclavius; conſilio eventum minime defuiſſe: nam mox Oſmanem per [b] Theodoſiam, ablegatis ad Portam veredariis cum literis, et, quae geſſerat, expoſitis, Amurathis conceſſione principem abſolutum, nemine impediente, in ſoceri ditione manſiſſe. Sed multa in his reprehendenda veniunt. Nam primum omnium conſtat, Sahamalem non Tatarum, ſed Georgianum fuiſſe, cumque, origine aut certe ejus majores Chriſtianos, primum in aula Perſica muſulmaniſſare didiciſſe, ut cum propter religionem adeo Perſis infeſtum fuiſſe minime vero ſit ſimile: deinde, eum cum familia regia Perſarum adeo conjunctum fuiſſe, Leunclavius ignoraſſe videtur; quod ſupra ex Jo. Thoma Minadoio retulimus; ubi et cauſam diſceſſus ſeu fugae ejus ex aula Perſica expoſuimus. Conſtat certe, Amurathem, morte Sahamalis intellecta, non mediocriter gaviſum eſſe, quod ab Oſmane perſuaſus crederet, Derbentum, de quo metuebat, eo caſu in tuto collocatum eſſe; eoque majorem de fide Oſmanis fiduciam cepiſſe, qui, quo res Turcicas in illis remotis regionibus firmaret, ne ſoceri quidem ſanguini pepercisſet. Itaque et cum alias res ei ad bellum neceſſarias mittendas curavit, tum etiam LX CIƆ Tatarorum miſit cum duobus fratribus ejus Tatariae regis; cum quo pari humanitate, qua erga ſocerum, poſtea uſus eſt. Sub id et Uluzalis, claſſis praefectus, qui Conſtantinopoli annonam per [c] Euxinum mare [d] Trapezuntem portaverat, ad Amurathem rediit; qui, ut et ipſe in partem gloriae veniret, in [1] Colchidem ſe navigaſſe, et munitionem ad [e] Phaſim, cognominem fluvio locum, qui et nunc nomen ſervat, ſe aedificaſſe, ex qua in Georgianos ab ea parte aditus aperiretur, magnifica aſſeveratione confirmavit. Et haec quidem anno belli hujus primo geſta ſunt, quo Turcorum, tam in proeliis quam et morbis et commeatus inopia, periiſſe ſupra LXX CIƆ proditum eſt.

XXI. CUM vero de bello proſequendo certus Amurathes, quod potius indictum CIƆIƆLXXIX.
quam magno cum fructu inchoatum videbatur, quippe mox receptis a Perſis fere citra certamen urbibus, quas vix tot hominum cruore effuſo Turci in poteſtatem redegerant, de ratione ejus diu conſultavit. Et erant, qui ſuaderent, ut, omiſſa [f] Atropatena, Georgianis interjectis acceſſu et expugnatu difficili, recta per ſuae ditionis provincias exercitum in Mediam immitteret, et, Tauriſio occupato, quod cum tanto exercitu haud difficile confectu apparebat, arces in eo exſtrueret: ſic enim fore, ut loca omnia, quae inter Erzirumum et Tauriſium poſita ſunt, per ſe infirma, intercluſo Perſis ad ea aditu, nullo negotio in Turcorum manus deditione ſeu vi venirent. Contra alii

INTERPR. [a] *Schemahil.* [b] *Caffa.* [c] *Mer Noire.* [d] *Trebizonde.* [e] *Faſſo.* [f] *Sirvan.*

NOT. [1] Minadoi p. 119. met; *haveva fatta la relatione della ſua navigatione in Colco, raccontando come haveva edificato un caſtello nel Territorio di Tatiano in confine di Ivrello.* Put.

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

alii diſputabant; et ad famam pertinere aiebant, ne loca ſemel juris Turcici facta omitterentur: nam, quod ea in re prudentia fieret, id infirmitatis conſcientiae vulgo tributum iri: nec vero tutum eſſe, mediis tot regionibus bellicoſa gente foetis, exercitum tam longe duci; ne, ſi quid ſiniſtri accidat, infeſtis inde Georgianis, inde Perſis incumbentibus, miſeri praeſidiarii a tergo et fronte caeſi, quo ſe recipiant, undique velut indagine cincti, non habeant. Vicit itaque ea tandem ſententia, quae et honeſtiora et tutiora ſuadebat. Itaque Muſtaphae negotium datum, ut Alepi, Damaſci, [a] Amidae et per omnem Syriam ac Meſopotamiam foſſores ac fabros ad XX CIↃ cogeret: et per provincias ad praefectos ſuperiore anno evocatos datae literae, ut cum copiis ſuis vere primo Erzirumum convenirent, a Muſtapha imperata facturi. Ad Aegypti et purpuratum in eandem rem ſcriptae literae, qui ſuperiore anno ad delectus citatus non fuerat. Proſpectum et largiori annonae ac rei pecuniariae, quod ab ea maxime laboratum fuiſſe in exercitu imperator meminiſſet.

XXII. POSTEA de duobus fratribus Georgianis ab Amurathe decretum: et, cum Manucciar, aetate minor, a Turcis ad ejerandam veram religionem ſolicitatus ſpe materni atque adeo fraterni imperii adipiſcendi facta, paratum ſe ad Mahumetanam impietatem transfugere demonſtraſſet, eadem conditio Alexandro propoſita eſt, ſi imperium, in cujus jam poſſeſſionem a parente miſſus fuerat, retinere vellet. Verum ille ſumma atque eadem, qua initio Simo, nam in ea ad extremum non perſeveravit, conſtantia id averſatus, quanquam aegerrime ferret ſe avito imperio exui, tamen potentiori impar et tempori cedens, loco gratiae petiit, ut ſaltem cum bona fratris gratia, quem Amurathes ſibi in imperio praelatum vellet, in eo ſolo vivere ac poſtremo mori ſibi liceret, in quo cum majorum oſſibus ſua aliquando commiſceret: quod et impetravit; quanquam reclamante Manucciare, qui, injuriae fratri a ſe factae conſcius, eum, quem ultorem aliquando metuebat, tam vicinum habere nolebat. Secundum haec ritu ſolemni circumciditur Manucciar; et ſaluti aeternae perfidioſa ambitione renunciat: quod ejus factum magna laetitiae publicae ſignificatione in palatio regio et per totam urbem celebratum fuit: ſumptoque Muſtaphae nomine et Altuncalae ac ceterae maternae ditionis praefecti titulo domum amandatus eſt, et fidei ejus Alexander frater commiſſus.

XXIII. DIVERSA parte, [b] Caſmini cuncta ad novos Turcorum impetus non ſolum ſuſtinendos ſed, ſi ſe occaſio in manus daret, vires in hoſticum vertendas parabantur: et Emangul Gengae praefectus, tanta injuria ac damno a Tataris affectus, cum ultionem quaereret, ultro ſe Hodabendae obtulerat, et capitis periculo [c] Atropatenam ab Oſmanis vi defendendam ſuſceperat; ac prohibiturum ſe pollicitus fuerat, ne munitiones a Turcis in ea provincia coeptae extruerentur. Itaque, illo toti Atropatenae praepoſito, vicinis [d] Serapo Naſſivani, [e] Emeri [f] Tauriſii, [g] Tocmaci [h] Revani praefectis mandatur, ut Emanguli ad omnia, in quibus ipſorum opera egeret, praeſto eſſent. Invitatus et ab Emanguli Sahamalis filius, qui poſt nefandam patris caedem ditionem ejus tenuerat: verum ille, qui propriae ſalutis quam injuriae in morte patris acceptae ſenſu magis tangeretur, hortatus amici et eandem cauſam ſuadentis inſuper habuit, et, de belli exitu veritus, neutrarum partium eſſe maluit. Cum vero praecipue Hodabendes a Teſiſio ſibi metueret, eumque locum ante omnia Muſtapham tentaturum perſuaſum haberet, eo quoque majora ſubſidia mittere decrevit. In ea deliberatione defixo, commodum accidit, ut Simo, omnium regis conſiliorum per amicos, quos multos in ea aula habebat, gnarus, operam ſuam obtulerit; quo et eadem via ſibi gradum ad regis gratiam faceret, et relictam a Lavaſſapo patre hereditatem, Turcis a fratre proditam, reciperaret, et Perſici imperii auſpiciis conſervaret. Is, [i] Davide
Chriſtianam

INTERPR. [a] *Cara-Hemid.* [b] *Casbin.* [c] *Sirvan.* [d] *Serap-chan, gouverneur de Naſſivan,* [e] *Emir-chan.* [f] *Tauris.* [g] *Tocmaſes.* [h] *Reivan.* [i] *Daut.*

Chriſtianam religionem ejerante, conditionem a Tecmaſe oblatam ſumma conſtantia repudiaverat, et privatus atque adeo captivus degere quam cum conſcientiae morſu et aeternae ſalutis diſpendio regnum ac libertatem in hac vita conſervare maluerat; ut jam ſupra diximus. Sed, cum in eundem, quo a Tecmaſe Iſmail, carcerem conjectus fuiſſet, ex fortunae ſocietate in arctiſſimam cum regio filio amicitiam devenit, et, ſive carceris taedio, ſive ut Iſmaili, quem inſano amore diligebat, et a quo ſe pariter redamari ſentiebat, gratificaretur, quod regni conſervandi cauſa facere recuſaverat, in amici gratiam fecit, et tandem fidem et ipſe Chriſtianam ejeravit. Verum, quo minus ſperato beneficio frueretur, invidit brevitas imperii Iſmailis, qui in ipſis regni auſpiciis de medio ſublatus gratiam amico minime rependere potuit. Ab eo tempore Simo, quamvis libertati reſtitutus, in aula Perſica manſit, occaſionem gratiae apud Hodabendam Iſmailis heredem conſequendae opperiens, quam tunc forte oblatam arripuit; et ab Hodabenda totius Lavaſſapanae ditionis Chanus pronunciatus, cujus antea Chriſtiano nomine princeps fuerat, et cum Alieule in Georgianam contra Turcos miſſus eſt, traditis ei ex iis, quae in [a] Erenſi arce capta fuerant, tormentis aliquot, et v CIↃ equitum ex vicinis praeſidiis. Quibus copiis fretus ubi domum venit, magna gratulatione a ſuis exceptus eſt; multis tamen ex Chriſtianis, qui alioqui ei bene volebant, inſanam hominis perfidiam deteſtantibus; quam ille frivolis rationibus excuſabat, et nihilominus Chriſtiano nomini favere in occuito credi volebat. CIↃIↃLXXIX. HENRICUS III.

XXIV. Jamque vere appetente copiae Turcicae undique Erzirumum conveniebant, et tormenta cum omni bellico apparatu, pecunia, commeatu, inſuper ad jumentorum ſuſtentationem proviſa annona. Serius venere ab Aegypto copiae; quae, in deſertis, quae Aegytum et Syriam interjacent, multa incommoda paſſae, et lue peſtifera paſſim graſſante Alepum, per quod iter habuerunt, miſerabiliter infecerunt, et, media plus parte deminutae, vix ſe Muſtaphae conjunxerunt: qui, tandem profectione denunciata, duodecimis caſtris per [b] Haſſani caſtrum itinere facto Carſam venit. Quem locum et Amurathi muniendum ſuaſerat, et tunc, accepto ab eo mandato, feſtinatis operibus inſtaurare coepit. Quam ad rem cum opera militum et praetorianorum uti vellet, parum res a ſeditione abfuit; cum ſe praetoriani non vilibus miniſteriis et terrae fodiendae, ſed ad arma expedienda et caſtra ſervanda deſtinatos, in hocque ſtipendia a ſummo imperatore accipere dicerent. Verum Muſtaphas, homo imperioſus, nihil de ſeveritate remiſit; et, nequaquam aucto ſtipendio, quod ille ſciebat ſeditioſos velle, ad opera continuanda ſubegit; tantaque diligentia rem adminiſtravit, ut xx dierum ſpatio munitiones ad juſtam altitudinem perduxerit, excavata foſſa et brachio Euphratae in eam derivato, turribus erectis ac productis moenibus, machiniſque per idonea intervalla in iis diſpoſitis; balneis etiam conſtructis, quorum ad valetudinem conſervandam, quae munditie maxime conſtat, frequens eſt inter Turcos uſus; cui rei etiam religionis opinio accedit. Sed in opere aſſiduis res intervenit VIII Kal. Sept. quae coeptas munitiones, niſi jam fere conſummatae fuiſſent, interturbare potuit. Nam inſolitae illo coelo ac tempore nives tanta copia effuſae ſunt, ob viciniam montium, ut operariorum manus frigore torperent, et vix movendis ligonibus et oneribus portandis vires prae gelu ſufficerent.

XXV. Tandem, opere perfecto, de ſubſidio Teflifium mittendo cogitatum fuit: quae deliberatio maxime perplexum Muſtaphae animum tenuit. Nam, ſi eum toto exercitu ipſe eo proficiſceretur, merito verebatur, ne ex eo vanitatis apud Amurathem inſimularetur, qui ſe Georgianos ad Turcicum obſequium redegiſſe ſuperiore anno jactaſſet: ſi aliquem ex purpuratis cum parte copiarum eo mitteret, ſi ille

INTERPR. [a] *Rocca di Eres.* [b] *la Strada di Haſſan Chaleſſi.*

ille offenderet, periculum in ſuam perniciem redundaturum ſciebat. Tamen, ut famam rei, ſicuti affirmaverat, feliciter in Georgia geſtae tueretur, Haſſanem Damaſci purpuratum, Mechemetis illius, qui tot annos ſumma cum gratiae et prudentiae laude Oſmanicae Portae clavum tenuit, filium, delegit, qui eam expeditionem ſuo periculo ſuſciperet. Is, magni ac nobilis ingenii vir, acceptis XX CIƆ delectis et magna farinae, hordei, riſi ac commeatus copia et XL aureorum CIƆ, in viam ſe dat cum [a] Reſvano purpurato, quem et illi attribuerat Muſtaphas. Cumque ad [b] Tomanis anguſtias veniſſet, a via declinavit, ne neceſſe haberet inter impeditos ſaltus et viam praecipitiis horrorem incutientibus plerumque abruptam incedere; ac per mediam ſilvam iter facere ſtatuit. Quam ingreſſus ſtatim ab Aliculе et Simone, qui, ultra copias Perſicas, III CIƆ equitum in locis vicinis conſcripſerat, circumfunditur; qui gnari locorum Turcos, nunc in latus et per frontem, nunc a tergo ferientes, varia peſte afflixerunt; ſigno etiam Muſtaphae [c] Caeſareae in Cilicia praefecti capto cum omnibus impedimentis ac mancipiis. Tandem, ſuperatis anguſtiis, Haſſan, qui inultus abire nollet, in veſtigio manere voluit, cum recta Teflifium tendere poſſet, metu ſimulato, ut Georgianos rurſus ad certamen eliceret: et, poſitis in anguſtiarum opacis maxime faucibus ex Graeco milite, cui Reſvanus purpuratus praeerat, inſidiis, cum biduum jam eo in loco morati eſſent Turci, et tertio ad iter Teflifium verſus ſe accingerent, Georgiani incumbunt per latus, ulteriuſque provecti medii inter Haſſanem et Reſvanum in inſidias praecipitant. Multi inibi occiſi; plures in fugam verſi; quidam capti; et in iis Aliculis ipſe Perſa cum omnibus ſtipatoribus ſuis, qui ardore pugnandi incenſus ad Haſſanem uſque penetraverat. Inde victor Haſſan undecimo, ex quo caſtris diſceſſerat, die Teflifium tranſmiſſo Araxe intravit, et adventu ſuo praeſidiarios jampridem cum fame luctanteis multum recreavit; quorum plerique jam inedia enecti, plures morbis debilitati muniis militaribus obeundis inutiles erant. Expoſito commeatu et confirmatis ad patientiam militibus et Mahamete inde educto, quod minus militi acceptus eſſet, ejuſque loco Achmete impoſito, Araxem tranſmittit: ſed, ubi ad anguſtias venit, cognito locum ducta foſſa tormentis ab hoſte munitum, admodum animo turbatus eſt, cum aliam, qua incederet, viam ignoraret, et in foſſa ſuperanda multum periculi ſubeſſe intelligeret. Haerenti praeſto fuit Aliculis, qui, libertatem pactus, ſi ex illis anguſtiis copias Turcicas extricaret, data ab Haſſane fide, eum in tutum per avia deduxit: quod tantum beneficium ingrata cavillatione rependit Haſſan; et in poteſtate ſua poſitum negavit, hominem in proelio a militibus ſultani manu captum libertati reſtituere; ſed rurſus fidem obligavit, omnem operam ſe daturum, et apud Muſtapham et Amurathem ipſum procuraturum, ut ipſe liber dimitteretur. Ita vitatis Simonis inſidiis, iter proſecutus eſt. Verum conſilium non proceſſiſſe indignatus Simon, qui neſciret, quo viarum duce Turci inſidias vitare potuiſſent, ultione ardens ultimum agmen carpit et impetu diſſipat, multis occiſis. Capta in eo conflictu Mahametis nuper Teflifii praefecti gaza, et ipſius Haſſanis impedimenta omnia; diſcurrente huc illuc Simone, ſi forte Aliculim, quem liberare in animo habebat, nanciſci poſſet. Verum is in primo agmine diligenter cuſtoditus longe jam praeceſſerat. Haſſan tandem octavo, poſtquam Teflifio profectus fuerat, die, in caſtra Carſam rediit, ob rem feliciter geſtam a Muſtapha multum laudatus. Tum Aliculis ante Muſtapham ſiſtitur; et Haſſan, ſive ex compacto ſive quod ita re vera cuperet, ut fidem liberaret, enixis precibus pro ejus libertate inſtitit: verum nihil ab inexorabili imperatore impetrari potuit; qui captivum in arcem [d] Erzirumenſem miſit, et inde mox Conſtantinopolim, ubi in arctam cuſtodiam

INTERPR. [a] *Reſvan Baſſa.* [b] *Stretto di Tamanis.* [c] *bei di Caiſar, luogo di Caramania.* [d] *fortreſſe d'Ertzirum.*

cuſtodiam conjectus eſt. Inde inclinata jam tempeſtate, et nivibus copioſe paſſim ſe effundentibus, cum miles fremeret, Muſtaphas ſeditionem veritus, alioqui ob inexplebilem avaritiam et ſupinam in procurandis annonis et aliis militum commodis ſocordiam ſumme inviſus, qui ſciret, de ſe necando in caſtris conſultatum fuiſſe, Erzirumum exercitum reducit; et propere, non exſpectato Amurathis mandato, militem dimittit; ad eumque diligenter de ſucceſſu omni perſcribit, laudata et commendata Haſſanis virtute, qui Teflisio ſuppetias tam opportune tuliſſet: ob idque poſtea Haſſan magnis honoribus ab Amuratho affectus et militaribus donis ornatus eſt. CIↃIↃLXXXIX. HENRICUS III.

XXVI. CUM vero Muſtaphas, magno ſe in caſtris et inter ſuos odio nec minore apud Portam invidia flagrare, non ignoraret, ſedulo apud Amurathem excuſaverat, quod tanta cum difficultate auxilia Teflisium introducta eſſent: nam non ideo minus verum eſſe, quod ſuperiore anno ſe confectum reddidiſſe affirmaverit; nimirum pacatam a ſe Georgiam, et ad Turcicum obſequium redactam: neque enim Georgianos eam pacem turbaſſe; ſed Simonem et Aliculim, duces a Perſa miſſos cum copiis, eam excurſionibus infeſtaſſe. Haec etſi ex parte vera erant, tamen quia longe aberat Muſtaphas, et ad Portam praepotentem aemulum ae gloriae ſuae obtrectatorem habebat, non perinde in bonam partem accepta ſunt. Is erat Sinan purpuratus, qui, quoties nuncii rerum in hoſtico infeliciter geſtarum venirent, aulicis artibus utens, per ſummam arrogantiam, ſe, ſi bello dux cum ampliſſima poteſtate praeficeretur, penetraturum vel ad intimam Scachi Perſici regiam Caſminum, indeque regem vivum in poteſtatem redactum ſultano ſuo miſſurum, jactabar. Quos ſermones a livore et vanitate profectos Amurathes nihilominus ſibi blandiens in omen vertit; adeo ut Sinanem parare ſe juberet, quod futurum eſſet, uti ſummo eum imperio contra Perſas mitteretur. Facta et ſpes, commendatione ſultanae, quae nimium quam multum apud uxorium maritum poterat, ſi praeſtaret quod toties recepiſſet, ut purpuratorum princeps crearetur. Itaque revocari placuit Muſtapham; qui ptius [a] Amaſiae hibernare juſſus contra mandatum Erzirumi remanſerat, dein, ſemel atque iterum arceſſitus, tamen, de ſignis minime dubiis iram ſultani et odium militum ex delationibus conjectans, moras nectebat: his accedebat male conſcius animus ob officia in exercitu pecunia vendita. Nam id juris eſt ſummis belli ducibus, ut minora majoraque militaria officia pro arbitrio, in quos velint, conferant. Cum igitur ob haſce cauſas veritus inſidias non compareret, mittitur in caſtra [b] Capizilariorum, hoc eſt, janitorum praefectus cum XV ex ſuis. Huic ab Amurathe diverſae datae fuerunt literae, quibus ad expediendum negotium ſibi commiſſum, prout ferret occaſio, prudenter uteretur. Unae ſic erant ſcriptae; ut ipſi Muſtaphae per occaſionem hanc ſtrangulando redderentur: alterae ſultani mandatum continebant, ne qua miſſis ab ſe hominibus vis inferretur, quo minus id, quod ipſis ab ſe imperatum eſſet, exſequerentur: tertiae et additae erant omnino diverſae. Cum his literis praefectus in caſtra, quae tripartita erant, venit; quo effectum, ut a primis ad altera tertiaque viciſſim perduceretur, nec tamen in Muſtaphae varias cauſas praetexentis conſpectum admitteretur. Tandem, cum ejus colloquium ſerio poſceret, Muſtaphas, qui cunctationi locum amplius nullum ſupereſſe cerneret, circulo deſcripto, intra quem nemini liceret ad ipſum propius accedere, ex intervallo mandatarium admittit, diſpoſitis undique ſatellitibus armatis, quod ei de legationis conſilio ſuboluiſſet. Igitur praefectus, qui primis et alteris mandatis commode ſe non poſſe

INTERPR. [a] *Tocat.* [b] *Capigilar Kibaia.*

poſſe uti videret, tertia profert, quo [a] cancellarium et rationalem, ii ſua propria nomina habent, Amurathis nomine ſibi dedi poſtulabat. Ibi tergiverſari Muſtaphas, et effugia, quae poterat, quaerere. Tandem, urgente praefecto, dediturum ſe promiſit; ſed conditione appoſita, ut de ipſorum vitae incolumitate caveretur. Qua conditione admiſſa, dediti et Conſtantinopolim adducti fuerunt ambo, et in [b] Heptapyrgi arcem, in qua ſultanorum theſauri recondi ſolent, incluſi, ibidem, ut fama erat, exquiſita cum ſeveritate de omnibus Muſtaphae factis examinandi.

INTERPR. [a] *Niſchanzim & Dephterdar.* [b] *chateau des ſept Tours.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEXAGESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

APUD nos, aula in luxum effuſa, rex novis rebus ſtudet. Ordo Sancti Spiritus, abolito conchyliato a Ludovico XI *inſtituto.* II. *Edictum poſt comitia Bloeſenſia in ſenatu promulgatum.* III. *Collatio Neraciana in acta curiae refertur.* IV. *Inter Turenium et Duracium atrox ſimultas.* V. *Jo. Monlucii Valentiae epiſcopi deceſſus, et elogium.* VI. *Regina Toloſanum ſenatum monet, ut de ſeveritate contra Proteſtanteis aliquid remittat: inde in Allobroges tranſit, et fruſtra cum Bellogardio et Damvilla agit.* VII. *Fr. Momorantii obitus, ingenium, virtutes.* VIII. *Navarri ad Mazeram in Fuxenſi comitatu conventus.* IX. *Buſſii caedes a Monſorello patrata.* X. *Juridici Auguſtoriti dies.* XI. *Condaeus Faram ad Eſiam occupat.* XII. *Conventus ſacri ordinis Meloduni.* XIII. *Tumultus Lutetiae ob negatas a ſacro ordine penſiones et decimarum praeſtationem, renovato in decennium contractu, compoſitus.* XIV. *Genevae patrocinium a rege in renovatione foederis Helvetici ſuſceptum.* XV. *Jo. Aumontius tribunus equitum creatus.* XVI. *Joannes Caſimirus in Britanniam tranſit. Poſt Carpam vi expugnatam Germani ad Endoviam caeſi, et minus honeſta pactione cum Farneſio tranſigunt. Caſimiri cum Ordinibus diſſidium, et e Belgio in Germaniam diſceſſus.* XVII. *Farneſius, Antuerpia tentata, ad Grobenduncam G. Schetti arcem vim facit, et pulſatam deditione capit.* XVIII. *Unio et pax religionis Ultrajecti, Arauſionenſe auctore, ſancitur. Silva-ducis unioni refragatur, ut et Gallobelgae.* XIX. *Tornacum et Cameracum in poteſtate Ordinum manent, Silva-ducis nutante.* XX. *Antuerpiae plebs ob ſupplicationem publicam tumultuatur: item Mechliniae.* XXI. *Ecmondanus irrito conatu Bruxellas tentat.* XXII. *Brugis res turbant.* XXIII. *Trajecti ad Moſam obſidioni inſtat Farneſius, ac tandem urbem capit ac diripit.* XXIV. *Coloniae inſtitutus de pace tractatus. Acta utrinque publicata. Plerique procerum ab Ordinibus deficiunt.* XXV. *Gandenſes ſolemnia inſaniunt. Mechlinia ab Ordinibus deficit: et Willebroca eodem tempore ab iis recipitur. Briela fruſtra tentata. Meningae ab Ordinibus receptae. Curtracum ab Alenio fruſtra tentatum. Warveca a Fr. Lanovio expugnata.* XXVI. *In Friſia res geſtae. Groeningenſibus unioni Ultrajectinae ſubſcribere recuſantibus bellum indictum, qui poſtremo eam acceperunt.* XXVII. *Ob militarem diſciplinam in Tranſiſelana motus.* XXVIII. *Ordines, irrito Colonienſis conventus exitu, de patrocinio alicujus principis praepotentis implorando cogitant.* XXIX. *In Hanſeatici foederis renovationem Vandalicae civitates formulam cum Edvardo* IV *initam urgent. Hamburgenſes poſt ſexennii diſſidium cum Dano tranſigunt.* XXX. *Andinus ad Eliſabetham venit exiguo comitatu. Perſcriptae matrimonii conditiones.* XXXI. *Anglia ob id religionis cauſa turbat. In Scotia et Amati Stuarti Albinii adventu res turbant.* XXXII. *Novi motus in Hibernia excitati a Fitzmoriſio. Hiberniae deſcriptio, ſtatus ab anno* CIↃ CLXXII. *Fitzmoriſii in rixa miſerabilis mors. Malbeii cum Deſmoniae comite geſta. Gul. Drurii morte res reginae conturbatae et foederati animos reſumunt. Gul. Pelhamus, accepto armorum imperio, contra Deſmonium ducit. Hiſpani ad Strangicallium caeſi.*

caeſ. XXXIII. *Nic. Baconi magni in Anglia ſigilli cuſtodis, Staniſlai Hoſii cardinalis, Jo. Hartungi, Eraſmi Oſirwaldi, Joannis Stadii, Ludovici Regii, Jo. Bapt. Hadrianii deceſſus.*

EX AUCTORIBUS,

Actis publicis, Actis curiae Pariſienſis, Imm. Meterano, Jo. Parvo, Actis publicatis, Silveſtro Giraldo, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae.

LIBER SEXAGESIMUS OCTAVUS.

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

DUM haec procul paſſim toto orbe gererentur, prid. Kal. Jan. apud nos rex, quo erat ingenio, vetera faſtidiens et novarum rerum ſemper cupidus, obſoleſcente [a] conchyliato ordine, ob communicatum promiſcue indignis hominibus jam a multo tempore hunc praecipuum nobilitati et militaribus meritis honorem debitum, novum [b] equitum collegium a ſe inſtitutum ac nomine Sancti Spiritus nuncupatum ſolemni luſtratione celebravit. Centenario numero abſolutum collegium, in eo comprehenſis rege ordinis principe, IV cardinalibus, IV antiſtitibus eccleſiaſticis, magno eleemoſynario, cancellario, praefecto ceremoniarum, magno theſaurario, [c] graphiario, ſeciali, oſtiario. Commendatorum nomine dicti equites; quod ab initio conſtituiſſet rex, ex opimioribus coenobiis detractis ampliſſimis vectigalibus, commendas ad Hiſpanienſium exemplum creare, conſilio ante quadriennium a cardinali Lotharingo, ſtatim atque in regnum venit, ſumpto; qui ea ſpe id conſilii regi dederat, ſicuti jactabatur, ut, cum opimiora regni, quae vocant, beneficia regum liberalitate poſſideret, ea veluti familiae ſuae propria per commendas faceret: idque illi ante mortem a ſacro ordine et ab amicis per literas exprobratum fuerat. Poſtea, eo mortuo, rex apud pontificem erebro per oratores ſuos egit, ut coenobiorum bona commendis illis auctoritate ſua interpoſita attribui pateretur: nam cum ordinem ad religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae amplificationem et Sectarii veneni exſtirpationem inſtitutum eſſe; idque equitum praecipuum jusjurandum eſſe: quod cum, reclamante ſacro ordine, impetrare non potuiſſet, nomen nihilominus manſit, et equites Sancti Spiritus commendatores, ſtatutis de eo ordine Decembri proximo promulgatis, appellati ſunt; ut ex eo, quid regi ab initio conſilii fuerit, poſteris conſtet; videantque ac caveant, qui poſt nos erunt, ne, quod ab ipſo tunc fruſtra tentatum eſt, ſub ſucceſſoribus exitum aliquando ſortiatur.

II. SECUNDUM haec, jampridem ſuſpenſis de comitiorum Bloeſenſium ante biennium celebratorum fructu animis, hoc anno edictum, Lutetiae Maio menſe ſuper ordinum poſtulatis factum, in ſenatum affertur, CCCLXIII capitibus comprehenſum; quod longa et aſſidua omnium claſſium tam matutinis quam pomeridianis horis congregatarum deliberatione ſerio examinatum, ac tandem VIII Kal. Febr. anni ſequentis promulgatum fuit: cujus pletaque religioſe in cunctis regni tribunalibus, quaedam licentia temporum, etſi ſanctiſſime decreta, locum non habuerunt. Cum autem Lutetiae prava conſuetudine invaluiſſet, ut in contractibus ſoli notarii duo ſubſcriptione fidem facerent, cognito, malitia hominum in tam populoſa urbe, totius regni ad eam confluente multitudine, alios pro aliis ſupponi poſſe, idque aliquot exemplis conſtitiſſet, Barnabas Briſſonius advocatus regius, ut obviam falſitatibus iretur, ſenatum rogavit, vellet juberetque, ut in poſterum partes contractibus, ut valerent, ſubſcriberent, et, ſi quidem a notariis interpellati contrahentes ſe ſcribere non poſſe reſponderent,

INTERPR. [a] *Ordre de S. Michel.* [b] *chevaliers du S. Eſprit.* [c] *le greffier, herault, & huiſſier.*

reſponderent, ejus rei mentio eodem in inſtrumento fieret. In eam rem decretum a ſenatu factum IV Kal. Febr. CIↃIↃLXXIX. HENRICUS III.

III. INTEREA regina, quae Neracum ad Navarrum ſuperiore anno venerat, ut audiendis Proteſtantium per illas regiones querelis vacaret, et pacandae Aquitaniae idonea remedia adhiberet, cum delegatis eccleſiarum agebat; tandemque poſt longas altercationes collatio Neraciana exitum habuit prid. Kal. Mart. XXVII capitibus abſoluta; qua multa ad ſuperioris edicti ante biennium facti interpretationem aut neceſſariam amplificationem adjecta ſunt. Ei cum regina nomine regis ſubſcripſere Armanus [a] Guntaldus Bironus, Gulielmus [b] Jouſa, Ludovicus [c] Sangelaſius Lanſacus, Bertrandus [d] Salignacus Motafenelonius, [e] Vidus Faber Pibracius: poſtea rex Lutetiae ratam habuit XIV Kal. Apr. ſine promulgatione pro tempore; quae, biennio dein elapſo, poſt [f] Flexianam collationem facta eſt, ſicuti ſuo loco dicemus.

IV. SUB id, cum regina, [g] Aginnum veniſſet, renovata inter Henricum [h] Turrium Turenae vicecomitem, qui proxima cognatione reginam contingebat, ac ſupremus Navarri legatus erat, et [i] Duracios atrox ſimultas, et cum exitiabili paene Turenii exitu terminata. Ante triennium amoto a [k] Caſtri-geloſi, quod [l] Labretani principatus oppidum eſt, praefectura [m] Savilliano, [n] Durfortius Roſanus in ejus locum ſuffectus fuerat. Is, metuens ne Savillianus praefecturae reſtitueretur, loco diſcedens [o] Garennio primario centurioni mandaverat, ne quem intra oppidum viribus praepollentem admitteret. Cum Turenius pro imperio, quod illi a Navarro datum erat, portas aperiri miſſo [p] Renerio juberet, Garennius hoc ſe reſponſo excuſavit: quod ille ad animum revocans, obvium poſtea juxta Aginnum Roſanum nactus, de injuria ſibi ſatisfieri poſtulavit. Res inde ad hunc annum extracta, quo Duracius Roſani frater Aginnum ad reginam ſalutandam venit, ac mox Roſanus eum ſecutus eſt. Vocatus a Duracio Turenius cum Joanne Guntaldo Birono Salignaco ad [q] arenarias in ripa [r] Garumnae ſubjectas extra urbem ſummo mane deſcendit XVI Kal. Apr. et poſt aliquantulam moram Duracii fratres eodem venere. Turenius cum Roſano, Duracius cum Salignaco pugnavit; iſque exitus pugnae fuit, ut Turenius multis vulneribus a tergo et in latus acceptis pro mortuo ſit relictus; in qua ille ſibi fraudem factam querebatur, quippe cum Roſanus lorica ſubtus tectus, contra quam adfirmaverat, veniſſet, et ipſe a pluribus circumventus atque adeo ab ipſo Duracio fuiſſet: quod et ſcripto publicavit. De quo conſultus H. [s] Momorantius Damvilla avunculus, cum [t] Agathae eſſet, procerum et aliorum e nobilitate militarium virorum, qui circa eum erant, rogatis ſententiis, reſpondit X Kal. Jun. quando tam indigne Turenius a Duracio ac Roſano fratribus habitus fuiſſet, licere ei alia quavis via, quam per uſurpatam inter nobileis duelli rationem, de percuſſoribus ac perfidis poenam repoſcere. Regina rem indigniſſime tulit, et legibus in fratres fugitivos agi volebat; ſed a Turenio exorata juris perſecutionem intermiſit.

V. INDE [u] Toloſam conceſſit, [w] Septimaniae ſenatus ſedem; ubi cum Joannes Monlucius Valentiae epiſcopus, qui ſuperiore anno ad res in [x] Septimania componendas praemiſſus fuerat, ad eam veniſſet, ut quo ſtatu res eſſent eam plenius coram edoceret, aegritudine, ſeu ex ſenio ſive ex nimia in negotiis contentione contracta, laborare coepit, quae ipſum aliquot poſt diebus abſumpſit. Ejus toties a nobis honorifice facta mentio non patitur, ut longa repetitione hoc loco utamur. Tantum hoc dixiſſe ſufficiet; fuiſſe virum doctrina et animo praeſtantem, et concordiae in eccleſia ſarciendae

INTERPR. [a] *de Gontaud de Biron.* [b] *de Joyeuſe.* [c] *de S. Gelais, ſieur de Lanſac.* [d] *de Salignac, ſieur de la Mothe-Fenelon.* [e] *Gui du Faur, ſieur de Pibrac.* [f] *conference de Flex.* [g] *Agen.* [h] *de la Tour, vicomte de Turenne.* [i] *de Durfort de Duras.* [k] *Caſtel-jaloux.* [l] *d'Albret,* [m] *de Savillan.* [n] *de Durfort de Roſan.* [o] *de Garenne.* [p] *de Renier.* [q] *au gravier.* [r] *la Garonne.* [s] *de Montmorency, mareſchal de Damville.* [t] *Agde.* [u] *Toulouſe.* [w] *parlement de Toulouſe.* [x] *Languedoc.*

ſarciendae perſtudioſum, qui ab adoleſcentia ſacris addictus, poſtquam in aulam venit, ſummis negotiis ſe parem praebuit, et, cardinalis Lotharingi, magnorum ingeniorum in ea fautoris, favore ſublevatus, permultis legationibus ſumma cum prudentiae ac felicitatis laude defunctus eſt; ac duabus in primis, nam Scoticam et alias omitto, Conſtantinopolitana, et altera Polonica; qua praeter omnium ſpem effecit, ut ad regnum toto Chriſtiano orbe potentiſſimum et ampliſſimum, quod, Sigiſmundo Auguſto ſine prole defuncto, ad electionem redierat, conſentientibus comitiorum ſuffragiis, dux [a] Andium Henricus, tot competitoribus rejectis, vocaretur. Verum Henricus, qui aulae Gallicae delicias contra quodvis regnum externum aeſtimaret, electione illa exilium ſibi a malevolis indictum interpretatus, malam gratiam Monlucio tanti honoris conciliatori rependit, et ſe ſemper deinceps alienum ab eo praebuit. Viciſſim Monlucius ipſe, qui honeſtam aetati emeritae quietem domi ſperare potuerat, imprudenter fecit, quod vellenti aurem Deo monentique ut receptui caneret, in tempore non paruerit, antequam, producta ad decrepitam ſenectam vita, cunctis deſpectus inter muliercularum greges in aula deficeret.

VI. Regina, rebus Toloſae ordinatis, compellatoque ſenatu ac monito ut de ſeveritate priſtina remitteret, et ſe deinceps in interpretatione edicti in Proteſtantium gratiam nuper conditi aequiorem praeberet, per [b] Carcaſſonam iter habuit; compoſitiſque praeſentia ſua, qui novi in dies ſuboriebantur, in Septimania inferiore motibus, in Delphinatum perrexit, ubi res magis calebant. Reginam ex Septimania, cujus praeſes erat, [c] Cularonam uſque, quae nunc Gratianopolis eſt, proſecutus fuerat Henricus Momorantius Damvilla; quo et ad eam venit Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux, ut per [d] Bellogardii abſentiam, cujus conſilia in occulto fovebat, colloquio interveniret, et excuſationi rerum nuper in [e] Saluciano principatu geſtarum viam ſterneret. [α] Bellogardius ſuperiore anno, ob eas quas dixi cauſas, quibus et novae, quas mox referam, acceſſerunt, ultionis occaſionem captans, poſt Gordii mortem, cum colloquio [f] Buxetum indicto non interfuiſſet, [g] Villam-novam juxta Avenionem conceſſerat; ubi homo otii impatiens, cum materiam rebus novis quaereret, de urbe opulenta tam vicina aſtu intercipienda cum Petro [h] Fangerio Anſelmio, [i] Gautio, [k] Beſſerio [β] et aliis perditae vitae hominibus conſilium ceperat; et paulum res ab exitu fuiſſe creditur, ſive ab eo privatae utilitatis cauſa tentata, ſive ut majorem de ſe fiduciam Proteſtantium animis imprimeret; quorum gratiam ad ea quae meditabatur exequenda ſibi neceſſariam ducebat. Nam, tam inſigni injuria pontifici illata cum regem neceſſario infeſtum habiturus eſſet, reſtabat ut operam ſuam Proteſtantibus atque adeo Navarro addiceret, cujus opibus ſe contra tot potenteis inimicos tueretur. Sed, re detecta, cum conſcii quidam in urbe ſupplicio affecti fuiſſent, mox, miſſo a pontifice [l] Pyrrho Malvetio cum novis praeſidiariis, conſilium Bellogardii irritum evaſit; ex quo tamen id commodi tulit, ut, cum inde in Subalpinam regionem tenderet, per Delphinatum itinere facto, arctiorem amicitiae cum Franc. [m] Bona Diguierio foederationem contraxerit; cujus et praeſenti ad id, quod inſtabat, opera uſus eſt: nam novae ad exacerbandum magis ac magis illius animum cauſae acceſſerant ex ea occaſione. Durante adhuc contra Proteſtanteis bello, ante pacificationem, cum Damvilla eorum partes deſeruit, accepto a rege exercitu, cujus pars Bellogardio commiſſa eſt, propoſita Damvillae conditio fuerat honorifica et maxime in ſpeciem fructuoſa, ſed eventu fallax, qua Damvillae ſimul et Bellogardio, qui ambo aeque

tegi

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur tres plus minus paginae uſque ad* Sub id de Franciſci Momorantii *deſunt D.* f. d. [β] et hujuſmodi ſui ſimilibus perditae *MS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR [a] *Anjou.* [b] *Carcaſſone.* [c] *Grenoble.* [d] *le mareſchal de Bellegarde.* [e] *de Saluces.* [f] *le Buys.* [g] *Villeneufve d'Avignon.* [h] *Fangier, ſieur d'Anſelme.* [i] *Gaut.* [k] *Beſſerie.* [l] *Pirro Malvezzi.* [m] *de Bonne, ſieur de Leſdiguieres.*

regi ſuſpecti erant, illudebatur; eaque in re ipſius Bellogardii tanquam pararii opera CIƆIƆLXXIX.
rex ex reginae parentis conſilio uſus fuerat. Ea erat, ut Damvilla Saluciarum princi- HENRICUS III.
patum tanquam Gallicae coronae beneficiarius a rege acciperet, et Septimaniae praefecturam ejeraret, quae inter Bellogardium et Gulielmum Jouſam Damvillae legatum ita divideretur, ut ſuperior Septimania Jouſae, inferior, quae amplior eſt, Bellogardio attribueretur, qui Saluciani principatus arces et oppida in Damvillae manus conſignare teneretur. At Damvilla, qui quid ſibi haec vellet permutatio non ignoraret, fraudem, de qua illi ſuboluerat, diſſimulavit; et Bellogardio ac per eum regi ſpem fecit, ut, quam primum res compoſitae eſſent, conditionem acciperet. Facta dein pace, res colloquiis ſecretis et per internuncios diu agitata fuit: et, cum multae difficultates inciderent, tum illam imprimis rem urgenti Bellogardio objiciebat Damvilla, quo ſe honeſte a fide data citra regis offenſionem excuſaret, quod regni legibus ſacrum coronae patrimonium alienare regibus non liceat. Itaque ante omnia petebat, ut ad permutatioοem illam ſive beneficii conceſſionem conſenſus ordinum accederet, et permutatio ipſa ſive cooceſſio in ſenatu [a] Pariſienſi ac curia Grarianopolitana ritu ſolemni promulgaretur. At regina, quae id confectum nollet, tergiverſari, et rem invidiae pleoam dicere: itaque expeditius videri, ut ab executione inciperetur: qua ſecuta, et ordines citius aſſenſuros, et promulgationem a regni curiis facilius obtineri poſſe: neque vero executiooem ipſam invidia carituram, oiſi cautio in ea adhibeatur: itaque rurſus expeditum videri, ut conſignatio locorum a Bellogardio noo recta in Damvillae, ſed in ſequeſtri a rege deligendi manus fiat, qui ea poſt ordinum conſenſum et curiarum promulgationem Damvillae tradat: quod eo conſilio fiebat, ut eodem tempore Bellogardius Salnciano priocipatu et Damvilla Septimaniae praefectura exuerentur, et liberum eſſet regi poſtea utramque provinciam quibus vellet attribuere. Aonas [b] Jouſa Gulielmo patri Septimaniam integram petebat. Bernardus autem [c] Nogaretus Valeta Joannis Ludovici frater Saluciarum principatus praefecturam ambiebat. Sed Bellogardius ambitione caecus fraudem, quam Damvilla praeſenſerat, oon videbat. Itaque, dum rem confectam cupit, facile paſſus erat, ut Carolus [d] Biragus Renati Biragi cardinalis frater, ſequeſter a rege delectus, Saluciarum civitatem et arcem poſſeſſum veniret. Quod cum viciſſim in Septimania facere recuſaret Damvilla, priuſquam de ordinum conſeoſu et curiarum promulgatione ſibi certo conſtaret, tum vero ſe deluſum ſero agnoſcens Bellogardius, qui utroſque decipiendi animum haberet, eo magis excanduit, et iojuriam ſibi factam vi aperta ulciſci ſtatuit. Itaque cum Diguierio agit; et, ſancito cum eo arctiore foedere, ſuperatis Alpibus, [e] Carmaniolam rendit, quam et feſtinatis operibus munire, rege non conſulto, coepit. Idem [f] Ravelii, Dragooeriae, Centalii et Demontii ejus juſſu factitatum. Et quia Bellogardius jam ulterius ſe provectum ſentiebat, quam ut tutum deiooeps ad regis gratiam regreſſum ſperare poſſet, inſtigante Sabaudo, dum ſimulat ſe Proteſtantium partibus ſtudere, [α] ſerio cum Gallici nominis hoſtibus agit. Quod poſtea illum ipſum, quo praecipuo ea in re miniſtro utebatur, Mathurinum [g] Carterium, qui aliquando ab epiſtolis Damvillae fuerat, proſtituti pudoris ac fidei hominem, qui tandem dignum anteacta vita exitum ſortitus eſt, cum una per Septimaniam iter faceremus, mihi narrare ſolitum memini. Igitur, quo rem magis tegeret Bellogardius, copias per [h] Angruniam, Pragelatenſem et Queracenſem valleis, ubi homines

fere

VAR. LECT. [α] ſerio cum Philippo Hiſpaniarum rege, Gallici nominis hoſte et aemulo, agit: et, L aureorum CIƆ in ſingulos menſes, durante bello, pactus, bellum ſe Proteſtantium viribus, quo eos magis falleret, ceterum ejus auſpiciis ac commodo, geſturum pollicetur. Quod *MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *parlement de Paris & de Grenoble.* [b] *de Joyeuſe.* [c] *Nogaret de la Valette.* [d] *de Birague.* [e] *Carmagnole.* [f] *Ravel, Dragoniere, Cental, & Demont.* [g] *Chartier.* [h] *d'Angrogne, Pragelas, & Querras.*

ſere Proteſtantium doctrinae addicti ſunt, conſcribit; et a Diguierio CIↃ CC pedites et CCC equites, duce [a] Turrio Guberneto, accipit: praeterea ex iis delectibus, quibus ad [b] Nemauſi obſidionem ante biennium uſus fuerat, delectos ſeligit, [c] Anſelmio, Gautio, Beſſerio ducibus, nec non et Balthaſare [d] Flota rupis comite; ita ut univerſae copiae ad VI peditum CIↃ et IↃ equites accederent. Cum iis et XII tormentis inſtructus [e] Carmaniola exit, et recta Salucias duxit; quas Carolus Biragus tenebat; qui, ſubito Bellogardii adventu territus, relicta urbe, in arcem ſe recipit; quam ſtatim, dedita urbe et admotis tormentis, dedidit: atque inde in Galliam profectus eſt. Eo diſcedente, cetera ditionis Salucianae loca mox in Bellogardii poteſtatem conceſſerunt; qui, datis ad regem Kal. Sextil. literis, in diſſimulatione perſeverans, factum multis rationibus purgare conatus eſt, privatas Biragorum injurias praetexens, et ad exiſtimationem regis ac ſuam pertinere dictitans, ne ſibi, tanta dignitate a rege ornato, ab exteris hominibus, quorum de fide merito Galli dubitare poſſunt, tam inſigni contumelia illuderetur. Ea adventum reginae in Delfinatum praeceſſerant: quibus et factum eſt, ut Bellogardius ad eam, cum Gratianopoli eſſet, non acceſſerit; verum Sabaudus officii cauſa in ſpeciem, re vera, ut animum reginae tentaret, et amici abſentiam ſuppleret, eo venit; et deſperatione gratiae apud regem ipſamque Bellogardium prohibitum dicit, quo minus vocatus non paruerit: id diffidentiae ob praeterita condonandum, quam primo quoque colloquio depoſiturus ſit: ſed tuto acceſſu opus eſſe; itaque, ſi reginae ita videatur, ut [f] Monluclii in Sebuſianis, quod Sabaudae ditionis oppidum erat, ſe ſiſtat Bellogardius, ſe rem confectam redditurum. Regina, quae jam de pernicioſis illius conſiliis aliquid incertis adhuc rumoribus inaudiverat, et alioqui ſuſpectum ambitioſi hominis ingenium habebat, cum ſibi neceſſario cum eo coram agendum intelligeret, conditionem accipit; eoque minus id ipſi grave fuit, quod, cum [g] Lugdunum cogitaret, haud longo inde itinere Monlucelium abeſſet. Itaque condicta ad colloquium die Sabaudus domum redit, ut Bellogardium conveniret, et, quid cum regina egiſſet, eum melius coram inſtrueret. Antequam diſcederet, etiam ſermonem de jure ſibi in Saluciano principatu competente injecerat, et, ante quadriennium receptis [h] Pinarolio et Savilliano, quaſi gradu ad altiora facto, jam ipſum principatum poſcebat, colorem ſcilicet controverſiae vel motibus ex ea mox orituris quaerens. Poſtquam regina Lugdunum venit, Carolum Biragum et Marium ac Ludovicum patrueleis obvios habuit, cum reliquiis Italorum; qui, quod Gallorum auſpiciis olim militaſſent, lare ac bonis dejecti in Saluciana ditione antiquam patriae veluti poſſeſſionem retinuerant; a qua nunc omnino a Bellogardio injurioſe exturbati nimium quam magnas querimonias contra ipſum inſtituerunt, occulta cum Sabaudo atque adeo cum Hiſpano conſilia eum agitare confirmantes; nec vera eſſe, quae cum Proteſtantibus habere ſe fingat, demonſtrantes, niſi ut regem et eos ſimul decipiat, et limitem Galliae Hiſpanis prodat. Haec, ut ab animis exulceratis profecta, non perinde accepta ſunt. Regina, ubi dies condicta venit, Monlucium magno comitatu profecta eſt. Cum ea erant, praeter eos quos dixi, Carolus Lotharingus [i] Meduanae dux, Franciſcus [k] Mandelotus Lugdunenſis provinciae praefectus, Laurentius [l] Maugironus, et Joannes [m] Bellevreus ſenatus Gratianopolitani primarius praeſes: poſt eam venit Sabaudus, Bellogardium ſecum ex compacto adducens. Bellogardius, ut affectata conſiliorum cum Proteſtantibus conjunctione longe pernicioſiora cum aliis conſilia tegeret, delegatos etiam Proteſtantium provinciae Delfinatus ſecum venire voluerat. Ibi, poſtquam crimina objecta in occulto

INTERPR. [a] *la Tour Gouvernet.* [b] *Niſmes.* [c] *les ſieurs d'Anſelme, Gaut, & Beſſerie.* [d] *de Flote, comte de la Roche.* [e] *Carmagnole.* [f] *Monluel en Breſſe.* [g] *Lyon.* [h] *Pignerol & Savillan.* [i] *Mayenne.* [k] *de Mandelot, gouverneur du Lionnois.* [l] *de Maugiron.* [m] *de Bellievre, premier preſident de Grenoble.*

occulto coram regina ſatis ſibi diluiſſe viſus eſt, et regina quaſvis excuſationes pro ſatisfactione accipere ſibi neceſſarium judicavit, de pace juxta edictum conſtituenda agi coepit. Hic, cum Proteſtantes alias ſuper alias de edicto per provincias violato querelas aggererent, Bellogardius, pacis ſtudium prae ſe ferens, in eorum partes propendere videri volebat. Tandem, poſt multas acerbitatis plenas contentiones, nihil decretum: res tantum amplius prolatae; cautumque, ut, ſalvo interim partium jure, nihil eo in negotio innovaretur; ſed omnia, quo ſtatu nunc eſſent, integra manerent, quouſque de iis amplius, re cognita, a rege decerneretur. Ita diſceſſum, animis potius ad ultionem quam ad pacem [α] inclinantibus.

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

VII. SUB id de Franciſci Momorantii morte allatum eſt. Vir fuit longe omnium procerum, qui tunc in aula erant, regia gratia digniſſimus; et in quo, ſive eximiam erga Deum ac patriam pietatem, ſive animi magnitudinem, liberalitatem, fortitudinem, ingenium praeſtans, et, quod rarum in illa fortuna apud nos, non mediocribus literis inſtructum, conſtantiam, et recti juſtique improbum amorem ſpectes, nihil merito deſiderare poſſes, praeter feliciora tempora, et aequiorem principum mentem, atque longiorem ipſi a Deo vitam conceſſam. Is, ob antiquas familiarum aemulationes, quae ad religionis cauſam accedentes bellis civilibus occaſionem praebuiſſe dicuntur, Lotharingis infeſtus, qua erat prudentia et animi magnitudine, eorum conatibus magna ſe conſtantia initio oppoſuerat; ſpretiſque rumoribus et plebis gratia, quam factioſi fere ſectantur, ut ſe contra praepotentum inimicorum potentiam muniret, Condaei et ſobrinorum partes amplexus, ob id in odium multorum incurrerat, quaſi Proteſtantium cauſae faveret; ſummus alioqui regiae auctoritatis vindex. Quod in tumultu Pariſienſi, cum cardinalem Lotharingum et Henricum Guiſium armis prohibitis inſtructos urbe faceſſere coëgit, inſigni exemplo patuit: quam injuriam cum ad animum revocaſſe Lotharingos appareret, tamen poſt emiſſum carcere Momorantium ſincera inter eos reconciliatio ſecuta eſt; et, cum paucis ante mortem menſibus Momorantius in ipſa regia Lutetiae, ubi diverſorium habebat, ictu ſanguinis oppreſſus eſſet, Guiſius tota nocte lecto decumbentis aſſedit, et omni officiorum genere benevolentiam erga eum teſtatus eſt. Momorantio dein ex eo morbo aliquantum convaleſcente, eum [a] Cantiliam deportatum Guiſius et ſedulo inviſit, et omni minime fucati amoris ſignificatione, quanquam conclamata jam ſalute, proſecutus eſt. Inde cum paulo ante e [b] Neuſtria, quo regis juſſu ad provinciae comitia, rebus ad motus internos [β] ſpectantibus, profectus fuerat, rediiſſet, Eſcovani in arce ſua recurrente morbo oppreſſus prid. Non. Maias, cum vix quinquageſimum aetatis annum attigiſſet, optime meritam de regno animam Deo reddidit, ultimi Gallorum elogio decoratus, veriſque lachrimis, etiam eorum qui vivo minus bene volebant, deploratus, ac multo tempore poſt ab rege, cum in ultima ſua vere calamitoſa tempora incidiſſet,

VAR. LECT. [α] inclinantibus. Venerat eo ab aula Renatus Villoclarus, aulicae corruptelae arbiter et moderator, *ad reginam ſecreta a rege mandata afferens, et Sabaudi largitionibus, quas ille ex Philippi pecunia, ad corrumpendos in aula pleroſque faciebat, participaturus*; qui, ut ad alia vitia arrogantiae inſigne ſpecimen adderet, boni alioqui principis, ſed per voluptates a ſe depravati, gratia abutens, etiam invidioſis honoribus, quibus indignum ſe tota vita reddiderat, ornari voluit: et, cum paulo ante Franciſcus Momorantius illuſtriſſimae tota Gallia familiae princeps deceſſiſſet, Lutetiae, quae regni caput eſt, et peninſulae Franciae praefecturam, quam ille et avitis et propriis meritis tenebat, a rege impetravit, frementibus paſſim bonis; qui Villoclarum vitiis ſuis contentum, quibus regis optimi ingenium faſcinaverat, in avaritia ſua explenda, quam cumulatis in dies a profuſo principe donis alebat, conquieſcere, aliis praemia virtutum, quae dignis debebantur, relinquere fas eſſe dicebant. Auxit indignationem deceſſoris et ſucceſſoris comparatio. Nam Franciſcus vir fuit longe *MSS. Put. & Rig. Ita quoque MS. Samm. niſi quod hic codex verba Italico charactere impreſſa prorſus omittit; quippe quae paulo inferius in textu leguntur.*

[β] ſpectantibus, adjuncto ei Pomponio Bellevreo, profectus *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Chantilly.* [b] *Normandie.*

CIƆIƆLXXIX.
HENRICUS III.

incidiſſet, ſerio deſideratus. [α] Huic diſpar ſucceſſor datus [a] Villoelarus ad reginam ſub id tempus venit, ſecreta a rege mandata afferens, et Sabaudi largitionibus, quas ille ex Philippi pecunia ad corrumpendos in aula pleroſque faciebat, participaturus. Tunc et [b] Meduanius de Tendae comitatu cum Sabaudo tranſegit, quem ille ex Honorati [c] Sabaudi Villarii maris praefecti ac ſoceri ſui nuper defuncti ſucceſſione ad uxorem devolutum poſſidebat, haud occulta reginae praevaricatione, quae ditionem in regni limite ad prolatandos ejus fineis commodam in externum principem jam tum rebus noſtris inhiantem transferri paſſa eſt, ab Anna [d] Ateſtina Jacobi [e] Sabaudi Nemoroſii ducis, ex quo filios duos habebat, uxore et Meduanii matre perſuaſa, quae Sabaudiae duci eo facto vel cum regni jactura gratificari cupiebat: et Meduanius libenter fecit, jam tum res novas animo cogitans, ut Sabaudiae ducem Philippi emiſſarium ſibi tanto arctiore vinculo conciliaret. Diſcedente regina, Sabaudus ad ſuos reverſus eſt. [f] Bellogardius per Delfinatum iter fecit, ut cum Diguierio colloqueretur, et fidem Proteſtantibus datam coram confirmaret. Cumque res ad bellum inclinatas oſtenderet, operam ſuam pollicitus pervicit, ut ad Navarrum conjunctim mitterent, et, ſi quidem is opera ſua uti vellet, mandatum cum plena poteſtate res belli in Delfinatu, Provincia et Lugdunenſi agro adminiſtrandi mitteret. In eam rem ad Navarrum [g] Monberaltus a Bellogardio, a Proteſtantibus [h] Caligno delegati ſunt. Monberaltus perhumane exceptus, ſic enim ex [i] Diguierii conſilio ut faceret, Navarro autor fuerat: Caligno mandatum, quale petebatur, quo, ſi ad bellum deveniretur, Bellogardius Navarri nomine uti poſſet, impetravit. Caligno in comitatu Navarri manſit. Jam Bellogardius, Septembri exeunte ſuperatis Alpibus, Carmaniolam redierat. Et ex majore ac prope ad regium praeter ſolitum accedente comitatu, crebroque commeantibus [k] Mediolano ac locis ſuſpectis ad ipſum nunciis, qui inter Proteſtanteis prudentiores erant, conjecturam faciebant, aliud agi, aliud ſimulari. Diguierius ipſe, vir ſagax, Navarrum monuerat, quotidie multa obſervari, quae Bellogardii fidem merito ſuſpectam facerent: verum eum metum mors nec opina ipſius ſuperveniens diſcuſſit. Nam exeunte [β] anno homo intemperans defecit, et vaſtis contra Gallicum nomen conſiliis ac vitae ſimul finem impoſuit.

VIII. INTEREA Navarrus [l] Mazeram in Foxenſi principatu conventum indicit. Eo ex compacto V Eid. Nov. venit Damvilla, quem Momorantium deinceps appellabimus, cum Nic. [m] Angeneo Rambulieto, Jo. Bapt. [n] Vadagnio, a regina ei attributis, Odeto [o] Foxio Carmanii comite, Franciſco [p] Valeta Cornuſſono, aliis; ut de querelis ordinum Septimaniae, quorum comitia nuper Carcaſſonae celebraverat, cum eo ageret. Nam paulo ante Proteſtantes pleraque loca circa [q] Pezenacum occupaverant, et inde continuis excurſionibus ac frequentibus latrociniis vicina loca infeſtabant. Itaque ante omnia petebat, ut in illos graſſatores tanquam publicae pacis perturbatores ſibi citra edictorum violationem et cum bona Navarri venia jure belli agere liceret. Alterum petitionum caput erat, ut urbes ac cetera loca ſecuritatis ergo Proteſtantibus ad tempus conceſſa exeunte tempore reſtituerentur. Poſt longas tergiverſationes ſive altercationes alterum vix tandem impetratum; alterum de locorum reſtitutione praefracte negatum, reſque ad regem remiſſa, ad quem delegatos miſiſſe ſe Navarrus dicebat. Quibus actis, Momorantius XI Kal. Dec. [r] Bellopodio, ubi tempore colloquii hoſpitium habuerat, diſceſſit. Navarrus, qui Mazerae remanſerat, auditis eccleſiarum delegatis et crebris allatis de edicto aut violato aut non ſervato provinciarum querelis,

cum

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur 29 lineae uſque ad* Interea Navarrus *deſunt D.* f. d. [β] anno ex immodico cum puella complexu homo *MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Villequier.* [b] *le duc de Mayenne.* [c] *de Savoye, marquis de Villars.* [d] *da Eſte.* [e] *de Savoye, duc de Nemours.* [f] *le mareſchal de Bellegarde.* [g] *de Montberault.* [h] *de Calignon.* [i] *le ſieur de Leſdiguieres.* [k] *Milan.* [l] *Mazeres en Foix.* [m] *d'Angennes, ſieur de Rambouillet.* [n] *Guadagne.* [o] *de Foix, comte de Carmain.* [p] *de la Valette, ſieur de Cornuſſon.* [q] *Pezenas.* [r] *Beaupuy.*

cum variae ſententiae dicerentur, aliis bellum ſuadentibus, aliis rem dubii eventus et plenam invidiae vitandam nec niſi extrema in neceſſitate tentandam cenſentibus, tandem tenuit, ut, quando nihil colloquio ultimo Monluelii profectum eſſet, et collatio Neraciana nuper facta jam a regni curiis et praefectis eluderetur, edicti vero ipſius executio negligeretur, ad bellum neceſſaria pararentur: quod tamen eo uſque ſuſpenderetur, donec per delegatos rurſus regis exquiſita voluntate rei amice componendae omnia remedia tentata eſſent; quae niſi proficerent, tum tempore ac die a Navarro deſignando belli gerendi initium fieret. Facto tacito decreto, Navarrus ſtatim Antonium [a] Plexium Lecam Septimaniae et Sofredum Calignonem Delfinatus delegatos in arcano evocat: et, duobus aureis in duas partes confractis, alteras dimidias penes ſe retinuit, alteras ad Franciſcum [b] Colinium Caſtellionaeum Gaſparis maris praefecti filium, et ad Franciſcum Bonam Diguierium perferendas dedit, additis mandatis, ut a quocunque alterae duae dimidiae ad ipſos poſtea adferrentur, ei de die ac ratione belli inchoandi fidem haberent: ſic enim fore, ut eodem tempore armis ſumptis majorem ſui terrorem injicerent, et urbibus aliquot interceptis aliquo operae pretio bellum inchoaretur; cujus ut initium eſſet, ita cetera ex fama ſecutura. Dimiſſo conventu, quiſque ad ſua diverſi abeunt, non abjecta omnino quietis ſpe; ceterum cuncta ad bellum paraturi: quod Aprili ſequenti ex occaſione, quam tunc dicam, inter nos recruduit. Jam regina in aulam ad regem redierat, quo paulo antea XVII Kal. Apr. Andium dux per diſpoſitos equos contra multorum ex ſuis ſententiam profectus fuerat, tam inopinato, ut, cum ſub veſperam veniſſet, et in [c] Lupara pernoctaſſet, mane ſparſa fama, tamen, quod non ita bene Andino cum rege fratre conveniret, adeo id a vero ſimili abeſſe videbatur, ut grandis pecunia a pleriſque, veniſſet necne, depoſita ſit. Ea fratris profectio, ut fiducia plena, regi ad otium inclinanti admodum grata fuit; qui, quietem quovis pretio redimere paratus, nihil fratri, modo ne turbas in regno excitaret, denegaturus videbatur. Nam ita deterſae praeteritarum ſimultatum nubeculae, et purgatae in praeſens ſuſpiciones. Nec Andinus, plus quam credi volebat aſtutus, ſibi defuit: verum occaſione uſus, regem, ut ſibi conciliandis cum Eliſabetha Angla nuptiis favorabilis eſſe vellet, et ad delectus, quos in Gallia ad bellum Belgicum facturus eſſet, conniveret, exoravit: quod et, annitente matre, vaſti animi foemina, obtinuit. Igitur ineunte Sextili aula digreſſus exiguo admodum comitatu in Britanniam ad Eliſabetham perrexit, peramanter ab illa exceptus, ſpe nuptiarum; ob quas anno ſequenti honorifica admodum legatio a rege ad Eliſabetham decreta eſt, et tabulae dotales confectae.

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

IX. [a] DUM adhuc Andinus in aula eſſet, literas per jocum regi oſtenderat a Ludovico [d] Claramontio Amboſiano Buſſio ad ſe ſcriptas; quibus pro ſumma, quae ei cum hero ſuo juvene erat, familiaritate ſignificabat, ſe feram magni venatoris, ita uxorem vocabat Caroli [e] Cambii Monſorelli comitis, quem ea dignitate Andinus paulo ante Buſſii commendatione ornaverat, indagine cinxiſſe, et in plagas conjeciſſe. Quas literas rex retinuerat, et Buſſii jam a longo tempore inſolenti arrogantia et petulantia irritatus, occaſionem inde ſumpſit veteres ab eo acceptas injurias ulciſcendi. Is ſiquidem, et dum in aula eſſet, nullo non contumeliae genere in proceres et gynaeceum etiam aulicum uſus fuerat, fiducia pugnacitatis, qua ſe terribilem cunctis reddiderat, ſed etiam poſtquam ſe ad comitatum Andini receperat, dum [f] Andegavi arcem toto illo tractu munitiſſimam et urbi populoſae impoſitam teneret, oppidanis et toti provinciae gravis ob crebras exactiones, quas privata auctoritate, non conſulto plerumque Andino ipſo, faciebat, ſummum omnium odium in ſe concitaverat. Igitur rex

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur 38 lineae uſque ad* Hoc eodem Sextili *deſunt D.* ſ. d.

INTERPR. [a] *de Pleix, ſieur de Lecques.* [b] *de Coligny, ſieur de Chaſtillon.* [c] *le Louvre.* [d] *de Clermont d'Amboiſe, ſieur de Buſſy.* [e] *de Chambet, comte de Monſoreau.* [f] *Angers.*

rex Monſorellum, qui tunc forte in aula erat, clam ſevocat, et literas Buſſii ei oſtendit; additque, ſe, decoris familiae et ejus dignitatis perquam ſtudioſum, noluiſſe rem adeo injurioſam eum celare; ceterum ſcire ipſum debere, quid conſilii in tali occaſione ſe capere deceat et oporteat. Nec plura elocutus hominem dimittit, qui, non ſolum injuriae tantae morſu perculſus, ſed monitis regis incitatus, quae ille tanquam ignaviae exprobrationem, ſi injuriam ferret, accipiebat, protinus domum revolat, ſummo ſilentio, ut Buſſium lateret: aſtuque per uxorem ad Buſſium literas dari curat, quibus ei horam ad ſecretum [a] Coſtanteriae condicebat; ea erat arx voluptuaria et venationibus opportuna: ad quam cum Buſſius cum [b] Colladone conſcio ſub veſperam XIV Kal. Sept. veniſſet, ab ipſo Monſorello et aliis loricatis oppreſſus: tamen, qua erat animi praeſentia, quamvis unus contra plures, ſumma vi percuſſores initio disjecit; tandemque numero victus, ſpiritu inter certandum deficiente, cum ſe in foſſam per feneſtram praecipitare vellet, a tergo interfectus eſt. Inde odia capitalia inter Buſſianos et Monſorellum [α] exorta: quorum exercendorum onus in ſe ſuſcepit Joannes [c] Monlucius Balagnius, epiſcopi [d] Valentini, de quo toties mentionem fecimus, filius naturalis, et tunc praecipuo gratiae loco apud Andinum pollens, ducta in matrimonium occiſi Buſſii ſorore, magni animi foemina, quae faces irae maritali ſubjiciebat: vixque poſt novennium certis conditionibus juſſu regis inter eum et Monſorellum tranſactum fuit. Morte Buſſii provinciales haud mediocriter laetati ſunt, et Andinus ipſe hominem jam gravem et moleſtum ſibi de medio ſublatum haud ita aegre tulit; et Andinm atque arcis ipſius praefecturam Joanni [e] Simieo attribuit, homini verſuto et induſtrio, qui eum in Angliam cum Gulielmo [f] Altamero Fervacio ſecutus fuerat, et in ipſius gratia tunc principem locum tenebat; quam tamen conſtanter retinere non valuit, anno proximo injurioſe nec citra vitae periculum de gradu dejectus.

X. Hoc eodem Sextili menſe delecti ex ſenatu Pariſienſi, qui, praeſide Achille [g] Harlaeo, viro eruditione, rerum uſu, prudentia, gravitate et integritate praeſtanti, ut [h] Auguſtoriti et provinciis deſignatis, more majorum rebus in curia prolatis, jus dicerent: quorum juriſdictio quamvis Martinalibus deſineret, diplomate in curia promulgato, ad natalem uſque Domini prorogata eſt. Multa ſeveritatis exempla a judicibus edita: et inter alios Andreas [i] Bellovallius Pimpeanus, illuſtri loco natus, ſed qui licentiae aſſuetus, et ſub Ludovico Claromontio Amboſiano Buſſio praecipuus exactionum tota illa regione miniſter fuerat, inter alia crimina caedis cujuſdam apparitoris convictus, capite luit.

XI. Dum juridici dies agerentur, Henricus Borbonius Condaeus, ſe in Picardiae praefectura jamdiu ludificari impatienter ferens, fano [k] Joannis Engeriaci Auguſtoritum venit obſoleto habitu, ac citatis equis [l] Faram Veromanduorum ad Eſiam, id eſt Navarri ditionis oppidum in limite illo munitiſſimum, tendit, et ad villam quandam oppido proximam cum delectis divertit; quo mox ad eum clam multi ex provincia conſcii venere. Oppido praeerat Michael [m] Govius Darſius, tunc abſens. Ibi cognito raras et infrequenteis ad portas ſtationes haberi, [n] Gennenſem ex ſuis virum ſtrenuum cum tribus aut quatuor praemittit, qui cum uno ex portarum cuſtodibus, quaſi de via incertus, conſerto ſermone hominem nihil tale cogitantem eo uſque detinuit, dum ſocii in propinquo eſſent. Tum, miſſo in terram aureo, dum ad illum colligendum ſtationarii confertim veniunt, diſploſione ſcloppeti ſignum conſciis dat, qui concurſu facto ſtatim portam occupant, et mox oppidum; oppidanos de periculo

ſecuros

VAR. LECT. [α] exorta, juris via, quod de regis voluntate illi cognoviſſent, veluti intercluſa: quorum *MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *la Couſtanciere.* [b] *Colladon.* [c] *de Montluc, ſieur de Balagny.* [d] *de Valence.* [e] *de Simié.* [f] *de Haultemer, ſieur de Fervacques.* [g] *de Harlay.* [h] *Poictiers.* [i] *de Beauvau, ſieur de Pimpean.* [k] *S. Jean d'Angely.* [l] *la Fere ſur Oyſe.* [m] *de Gouy, ſieur D'Arſy.* [n] *de Gennes.*

ſecuros eſſe jubentes: nam Condaeum adeſſe ſummum provinciae praeſidem, qui regis permiſſu in eam venerit. Ut verbis fides conſtaret, a direptione temperatum. Poſtridie, hoc eſt, pridie Kal. Dec. Condaeus ad regem dat literas; quibus, de fide ſua multa praefatus, adventus ſui eum certiorem faciebat. Rex, acceptis literis, ad Darſium, qui eodem tempore datis ad regem literis abſentiam ſuam excuſaverat, ſcribit; et, ut ad Condaeum ſe conferat, eique ad omnia tanquam provinciae praeſidi praeſto ſit, imperat: ſimulque ad ipſum Condaeum reſcribit; et mirari ſe dicit, quomodo ex Santonibus, ſe inſalutato, in Picardiam tranſierit, cauſaſque adventus ac tam repeotinae profectionis intelligere plenius ex ipſo cupere. Inde crebris utrinque per nuncios ultro citroque commeanteis expoſtulationibus res extractae, rege futuri anxio, ac jam de urbe obſidenda cogitante, et Coodaeo ad extrema quaeque ſe comparante.

XII. TUNC permiſſu regis [a] Meloduni conventus ſacri ordinis habebatur: ubi, cum crebrae de corrupto eccleſiae Gallicanae ſtatu querelae a diverſis et variis de cauſis inſtitutae eſſent, conſeſſus ſuffragiis delectus eſt Arnoldus [b] Pontacus Vaſatenſis epiſcopus, qui de iis apud regem publica actione expoſtularet. Is v Non. Quintil. libera admodum oratione coram rege duo malis idonea remedia propoſuit, diſciplinae collapſae inſtaurationem, et idoneorum tanto muneri praeſulum delectum: quod ad primum, non melius diſciplinam reſtitui poſſe, quam ſi ex oecumenicae ſynodi Tridentinae praeſcripto emendatio petatur; cujus proinde decreta ut in regno promulgentur, ſuppliciter ac demiſſe, quantum poſſint, rogent: in praeſulum delectu et perniciosiſſime peccari, nec ab ea culpa immunem eſſe regem ipſum; quippe XXVIII epiſcopatus in regno hodie numerari, qui praeſulibus deſtituti ſint, patrimonio eorum ab hominibus profanis poſſeſſo, et cultu Divino in iis omnino neglecto; plures eſſe in Aquitania et Septimania, in quibus epiſcopi aſſidui non ſunt; coenobia numero infinita eſſe, quae ab hujuſmodi hominibus teneantur, et magno cum dolore et publica offenſione miſere dilapidentur: paſſim vero in quibuſdam tribunalibus de rebus ſacris inter profanas perſonas litigari, et in judicio familiae erciſcundae etiam coenobiorum et hujuſmodi beneficiorum rationem haberi, et, quod dicere exhorreſcat, in ipſo principis conſiſtorio epiſcopatum illuſtri matronae, quaſi rem in commercio poſitam, adjudicatum eſſe: neque heic impetum licentiae ſtetiſſe; ſed, gradu facto, jam paſſim evulgari, quod clam, quod per fraudes agitur, et detectum juris caſtigationi ſubjectum erat, nunc, refractis modeſtiae vinculis, legitime et propalam, ut locum habeat, multos coiti; ſacrum patrimonium, ſi Deo placet, hominibus profanis et militiam profeſſis commendari, et Commendatores equites inde nomen ſortituros; quod inventum ſecuturam procul dubio rei eccleſiaſticae everſionem. Ad haec a rege, quem conceſſae ſacro ordini conveniendi facultatis ſera poenitentia ſubierat, benigne reſponſum; de promulgatione Tridentini concilii ſe mature deliberaturum; ac porro curaturum, ut ii praeſules deligantur qui munus tantum et ingenio et vita impleant; et contra, quae offenſionem vulgo pariunt, tempeſtiva emendatione corrigantur. Qua actione cum regem in ordinem coactum crederet ſacer ordo, inde ſumptis animis ulterius pergit; et quaſi hoc ſtrato fundamento porro alia ſuperſtruit, et per Nicolaum [c] Angelerium fani Brioci in Armorica epiſcopum, qui v Non. Oct. auditus eſt, promulgationi concilii inſtant, ut ad virus ſectarium exſtirpandum et collapſam diſciplinae inſtaurationem neceſſariae; et ut concordatis, quae vocant, inter Franciſcum I et Leonem X pontificem initis rex renunciet, permiſſa collegiis ſacris libera praeſules eligendi poteſtate: quod pluribus verbis epiſcopus ille amplificavit, minas

INTERPR. [a] *Melun.* [b] *de Pontac, evêque de Bazas.* [c] *l'Angelier, evêque de S. Brieu en Bretagne.*

minas precibus addens: tamdiu enim juxta Clodovei vaticinium regnum duraturum, quamdiu vera et Catholica religio in eo florebit: non aliter autem religionem ſtare poſſe, quam uno conſtituto, et altero ſublato, hoc eſt, publicato concilio, et abolitis concordatis. Heic rex, cui de concordatis injecta mentio animum perculiſſet, patientiam ſuam ſibi damnoſam et meticuloſis alioqui hominibus audaciam facere ratus, praeter morem exarſit, et ab aliquot epiſcopis, qui cum Angelerio venerant, vultu ſubiracundo quaeſivit, num, ſi penes collegia electionis jus fuiſſet, ipſi epiſcopi electi eſſent. Proinde illos ea dignitate beneficio ſuo ornatos ad moderationem hortabatur; monebatque, ne gratiam, quam a ſe accepiſſent, aliis inviderent: neque enim in dubium revocari poſſe, reges Chriſtianiſſimos, quicquid ipſi contra obtendant, primis temporibus eo jure uſos.

XIII. Ita dimiſſi delegati, cum nihil obtinere poſſent, de altero capite, cujus cauſa praecipue convenerant, deliberare coeperunt, de decimarum praeſtatione, et contractibus cum urbe Pariſienſi anno CIↃIↃLXI [a] Poſſiaci et ſexennio poſt Lutetiae factis: tandemque, praeter ſpem ac regis votum initis rationibus, ſic ſtatuunt, abunde ſe contractibus memoratis ſatisfeciſſe, neque amplius illis teneri, inſtrumentoque proteſtationis Eid. Octobribus facto, illud III Eid. Dec. praefecto mercatorum et urbis [b] decurionibus per apparitorem publicum ſignificandum curant. Qua re in urbe evulgata, immane quantum commoti ſunt omnium animi, paſſim frementium, ſacrum ordinem, qui ceteris bonae conſcientiae, fidei et charitatis laude praelucere debet, inſigni perfidiae et inhumanitatis exemplo ſe non ſolum traducere, ſed viduas, pupillos, tot egenos ac pauperes, quorum univerſam ſubſtantiam aerarium urbis hauſit, quaſi uno ictu jugulare: quid nunc dicturos Proteſtanteis? aes illud omne, quod CCCC aureorum annuorum CIↃ ſummam excedat, ad bellum contra Sectarios gerendum, auctoribus incentoribus et veluti ſponſoribus praeſulibus, contractum eſſe: nunc bellum ab iis ipſis, poſtquam neceſſitas ejus perſequendi iis, qui minus volebant, impoſita eſt, quam temere ſuſceptum, tam turpiter deſeri. Quae dum dicerentur, plebs ubique, quaſi hoſtis ad portas eſſet, diſcurſare, tabernas claudere, quidam etiam arma poſcere. Cumque res propior ſeditioni videretur, praefectus mercatorum, is tunc erat Claudius [c] Daubraeus, cum decurionibus in ſenatum venit: reque expoſita, ſtatim ampliſſimus ordo, convocatis jam die adveſperaſcente cunctis claſſibus, et perorante Auguſtino Thuano cognitoris regii nomine, S. C. condit, quo epiſcopi, qui extra territorium juriſdictioni curiae ſubjectum eſſent, in hoſpitiis ſuis ſiſterentur: (jam illi omnes, peracto conventu, [d] Meloduno in urbem redierant) qui intra territorium erant, urbe excedere vetantur; cunctique, ut ſe judicio ſiſtant, et ad cognitoris regii poſtulata reſpondeant, citantur. Haec extemporali ſeveritate ad placandam plebem, ne periculum commune neglexiſſe videretur, tunc a ſenatu decreta. De quibus cum quereretur ſacer ordo, quaſi indigne a ſenatu habitus, rex partes ſuas interpoſuit; et, adactis delegatis ad continuandam decennium proximum decimarum praeſtationem, querelis et impendenti ſeditioni remedium pro tempore attulit. Ita pernicioſiſſimus longe motus ſtatim natus, et eo, quo dixi, temperamento ſedatus, non tamen omnino extinctus eſt, renovata poſtea ante tempus a ſacro ordine proteſtatione, ſicuti ſuo loco dicemus.

XIV. Hoc anno de Geneva negotium retractatum: et tandem patrocinium ejus a rege ſuſceptum eſt. Jam ante Joanni [e] Bellevreo Altafortio, cum oratoris regii munere apud Helvetios fungeretur, mandatum fuerat, ut ea de re ageret. Bernates et Solothurnenſes, aliorum pagorum nomine, ad foedus et pacem perpetuam inter Franciae reges et Helvetiorum civitatem firmiore vinculo ſtabiliendam neceſſarium eſſe demonſtrabant, ut reges Franciae foederatas ob viciniam Helvetiis civitates et ipſi

INTERPR. [a] *Poiſſy.* [b] *eſchevins.* [c] *Daubray.* [d] *Melun.* [e] *de Bellievre de Hautefort.*

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

ipſi foederatas haberent, nec earum periculum negligerent: quo in numero praecipuam cenſendam Genevam, quae tanquam clavis et propugnaculum non ſolum Bernenſis ditionis ſed totius Helvetiorum civitatis inter eos habetur, et liberum inter regem et Helvetios aditum ſervat. Id propter [a] Cluſuras dictum, quibus is vere potitur, qui Geneva potitur. Itaque apud Altafortium inſtabant, ut ea urbs, quae propriis viribus contra potentiores ſecuritati publicae imminenteis ad ſe tuendam impar eſſet, pace generali comprehenderetur, ad ejuſque defenſionem rex peculiari tractatu cum Helvetiis ſe obligaret. Res tandem [b] Solothurni VIII Eid. Maias tranſacta per Altafortium et Nic. [c] Harlaeum Sancium, qui tunc apud Helvetios orator erat, his conditionibus: ut rex ad ditiones Bernatibus a Sabaudo ultima inter eos pacificatione conceſſas, perinde ac ſi foedere generali inter reges deceſſores et Helvetios inito nominatim comprehenſae eſſent, defendendas obligetur: in gratiam et favorem Bernatum et Solothurnenſium Geneva eodem generali foedere comprehenſa intelligatur; ita tamen, ut non propterea Genevenſes, quantum ad commercium, alio jure quam quo indigenae Franci utuntur, in regno uti poſſint: ſi ad publicam ſecuritatem pertinere ex foederatorum ſententia viſum fuerit, ut urbs praeſidio firmetur, qua in deliberatione regio oratori cum ſuffragii praerogativa intervenire jus erit, rex in V cohortes Helveticas, ſingulas CCC militibus conſtanteis, ſtipendium conferre, in eamque rem XIII CIↃ aureorum praeſenti pecunia Solothurni deponere teneatur: ſi contingat urbem ab aliquo aperta vi oppugnari, ad ejuſque defenſionem tam Bernates ac Solothurnenſes, quam alii pagi, qui huic novo foederi ſubſcribent, exercitum conſcribere cogantur, rex XV CIↃ aureorum ſingulis menſibus, quamdiu bellum durabit, adnumeret, V Helveticarum cohortium ſtipendio in iis confuſo: ſi qui ex Gallis in id bellum ſponte nomen dabunt, a rege non impediantur: ſi quis princeps hujus foederis ob Genevae patrocinium initi cauſa bellum aut regi aut foederatis Helvetiis indicat, Helvetii VI CIↃ peditum, rex X CIↃ aureorum ſingulis menſibusſuppeditare teneantur: Genevenſes vieiſſim pro tanto beneficio liberum acceſſum in itu et reditu copiis regiis, ſine maleficio et ſeriatim per urbem tranſeuntibus, trans Alpeis, et ubicunque opus fuerit, praebeant; obſequioque ac reverentia qua debent regis amicitiam colant. Antequam id decerneretur, res multoties ac diu in regio conſiſtorio agitata fuerat; quod eam apud pontificem alioſque principes invidia, inter factioſos in regno calumnia minime carituram appareret. Sed cum Solothurnenſes majorum religioni addicti, eoque minus ſuſpecti, oſtenderent, occupata a Sabaudo aut Hiſpanis Geneva, liberum in Galliam per Cluſuras auxiliaribus tranſitum impediri, ſicque foedus, tanto impendio utrinque magno Gallicae Helveticaeque rei bono toties renovatum, inutile et irritum reddi, rex natura in hujuſmodi rebus penſitandis moroſus, qui concionatores a factioſis ſubornatos ea de re ad aureis ſuas jam detonanteis ſibi audire videbatur, quod illi maligne et invidioſe poſtea certatim fecere, cum ſibi neceſſitatem a fortuna impoſitam videret, ut aut conditiones acciperet, aut auxiliis Helvetiorum, in quibus praecipuum praeſidium rebus turbatis ponebat, in poſterum careret, tandem pacta ab Altafortio et Sancio conventa ex parentis aliorumque procerum ſententia rata habuit. Extremo anno XVI Kal. Dec. in ſenatu promulgatum fuit diploma, quo [d] Juliodunenſis ſeu verius Loviodunenſis ditio ducatus titulo decorabatur: eoque Franciſca [e] Roana, quae litem de matrimonio olim Jacobo Sabaudo [f] Nemoroſii duci moverat, ornata eſt; inſtante Anna Ateſtina Guiſianorum parente, quae Nemoroſio poſt mortem primi mariti nupſerat, ea conditione, ut, conceptis fidei a Nemoroſio datae documentis, juri omni renunciaret, nec ipſa aut Henricus filius ex Nemoroſio ſuſceptus ſtatus quaeſtionem olim liberis ex ſe et Nemoroſio ſuſceptis

INTERPR. [a] *le Pas de la Cluſe.* [b] *Soleurre.* [c] *de Harlay Sancy.* [d] *Laudunois.* [e] *de Rohan.* [f] *Nemours.*

CIↃIↃLXXIX. HENRICUS III.

ſuſceptis intenderent: quod tamen, non impletis utrinque conditionibus, locum non habuit.

XV. Eodem anno Joannes [a] Aumontius, perilluſtri loco natus, ſed virtute et fide illuſtrior, equitum tribunus creatus fuit: quod Annae [b] Jouſae illum commendantis gratiae potius quam meritis optimi viri ab indulgentiſſimo principe tunc datum eſt; qui, cum tot homines plerumque indignos ingentibus beneficiis cumulaverit, in nullum ſua gratia digniorem beneficium tota vita contulit quam Aumontium, qui, turbatis poſtea rebus, cum alii cum fortuna diffugerent, unus inter paucos e proceribus fidem ſervavit, et regis, quamdiu vixit, regnique cauſam conſtantiſſime protexit. [α]

XVI. In Belgio, poſt Gandenſium motus Arauſionenſis interventu compoſitos, Jo. Caſimirus, qui ad eos venerat, et aegre finem diſſidiis impoſitum, ut credebatur, ferebat, inde diſcedit; et cum familia ſua in [c] Britanniam navigat, ubi magnifice ab Eliſabetha [β] exceptus, Londinum funalibus praelatis a ſenatu populoque in regiam deducitur; nulloque non ſpectaculorum, haſtiludiorum et conviviorum genere teſtata gratum ſibi tanti hoſpitis adventum, regina etiam ſuis manibus ſancti Georgii periſcelidem tibiae aſtrinxit. Dein, ſaepius communicatis cum eo conſiliis, cum aſſueta libertate percontaretur, qui factum eſſet, ut tantus Ordinum exercitus, nullo operae pretio facto, diſſipatus eſſet, ille culpam in noſtros rejiciebat, qui communia cum Jo. Auſtrio conſilia ſemper habuiſſent, et non tam auxiliares in Belgium quam ad turbandas afflictarum provinciarum ex compacto cum Hiſpanis res veniſſent. Id cum multa verborum acerbitate ſaepius repeteret, neque eſſet qui Gallorum cauſam tueretur, commodum affertur de Germanorum poſt ipſius e Belgio diſceſſum ignominioſa cum Farneſio facta pactione. Poſt [d] Carpam vi ab Octavio Gonzaga expugnatam VI Eid. Jan. et editum in ea inſigne ſeveritatis exemplum, exercitus regius, [e] Moſa tranſmiſſo, Ruremundam reverſus, [f] Halmontem venerat; quo capto, [g] Werdaque, praeſidiariiſque pari ſeveritate in furcam actis, poſtea [h] Turnohutum, Ranſtam et Endoviam verſus regii movent. Heic , qui Germanico equitatui per Jo. Caſimiri abſentiam praeerat, cum ab exploratoribus deceptus tantum CCCC cataphractos equites ex regiis proceſſiſſe crederet, [i] Araſchoti ex XVI vexillis, quae penes ſe habebat, XL ex unoquoque delectos ſumit, et ante Endoviam in aciem inſtruit; et, quamvis, ſero errore agnito, ſe periculo expoſitum videret, tamen audacia illud diſcutiendum ratus, fortiter pugnam capeſſit. Suſtinuit ejus impetum Camillus [k] Scafinia Mediolanenſis cum XXX circiter cataphractis. Eo in conflictu ipſe cum aliquot e ſuis deſideratus, pluribus e Germanis occiſis, qui cum in gyrum more ſuo deflecterent, Farneſius, dum aciem inſtruit, CCCC ſcloppetarios mittit, qui eos interea velitando diſtinerent. Ipſe cum omni robore incubuit: Germani vim non ſuſtinuere; ſed mox cedentes, ſervatis ordinibus, ad proximum lucum perfugium habuerunt, C ex ſuis amiſſis, et L captis. Inde Araſchotum reverſi, protinus conclamatis vaſis, in Flandriam deſcendunt. Igitur Farneſius, qui profunda nocte profectus ad Araſchotum fugienteis adſequi ſperabat, fruſtra fuit. Sed poſtridie Araſchotum ad eum mittunt; et, magno Philippi bono diſceſſum ſuum ceſſurum praefati, petunt, ut ſibi VII menſium ſtipendia numerentur; quibus acceptis, in Germaniam abituri ſint, intra tempus condictum contra Philippum minime militaturi. Stulta haec Farneſio viſa petitio: ad quam ille his verbis confeſtim reſpondit: Domini Germani, quibus ludus eſt Chriſtianam pacem turbare, quique ſpoliis innocentum hominum vobis nulla injuria obnoxiorum ditari gaudetis, ſcitote

VAR. LECT. [α] *Hic ſequuntur in D. f. Staniſlai Hoſii, Jo. Hartungi, Eraſmi Oſualdi, Jo. Stadii, Lud. Regii, et Jo. Bapt. Hadrianii elogia; quae in Ed. Gen. ad hujus libri calcem ponuntur.*

[β] exceptus, inſigni periſcelidis donatur; ſaepiuſque cum eo communicatis conſiliis, cum regina ab eo aſſueta libertate percontaretur *D.* f.

INTERPR. [a] *d'Aumont.* [b] *de Joyeuſe.* [c] *Angleterre.* [d] *Carpen.* [e] *la Meuſe.* [f] *Helmont.* [g] *Weert.* [h] *Tournhout, Ranſt, & Eindoven.* [i] *Arſchot.* [k] *Scaſigno.*

ſcitote vobis rem eſſe cum viris, qui infortunio, in quod culpa veſtra incidiſtis, vos mactare non deſiſtent, Deo freti, qui juſta arma ſemper adjuvat, quae vos victricia toties experti eſtis. Nec Francorum humanitatem erga hoſteis vobis proponite: nam nec nunc in Francia militatis, nec nobis animus eſt tam male principis noſtri rebus, quam illi faciunt, conſulere. Pecuniam, ut de provincia decedatis, a nobis petitis: nos contra, ut diſcedendi liberam poteſtatem vobis, vita ſalva, faciamus, pecuniam a vobis petimus. Quapropter vos quamprimum ad belli aleam ſubeundam parate. Nam in procinctu curſor eſt, nihil aliud expectans, quam ut occiſorum numerum in Hiſpaniam perferat. Hoc reſponſo ſuae petitioni contumelioſe illuſum cernentes Germani, cum in commune non poſſent, privatim ſibi quiſque conſulit; et, accepta tandem tuti commeatus a praeſide ſecuritate, huc illuc diverſi abeunt; et cum iis Lazari Mulleri legio, ignominioſiore diſceſſu, quam adventus eorum glorioſus fuerat. Rei nuncius cum ad Eliſabetham ſub id tempus veniſſet, quo Caſimirus adeo Gallos exagitabat, illa ſubridens, Atqui, cognate, nunc video, Germanos tuos, pro quibus tantopere urges, mea ſtipendia detrectare, quae a Farneſio et Hiſpanis accipere maluerunt: et praepoſtera calliditate contractum meum initum ſuppreſſerunt. Ceterum doleo vicem tuam, cui ſublevandae, quam ab amica regina debes et potes, omnem opem et benevolentiam ex animo defero. Id vero homo ſuperbus cum impatienter tulit, tum, quid reſponderet cum non haberet, aegre diſſimulavit; et, accepta nihilominus a regina honorifica penſione, ex Anglia [a] medio Februario diſceſſit, ab ejuſdem navibus Vliſſingam portatus; atque inde, Matthia et Ordinum proceribus inſalutatis, indignabundus in Germaniam ad ſuos contendit; ubi mutuis exprobrationibus, cum ille probroſam cum Hiſpanis pactionem objiceret, hi pecuniam ab Angla acceptam et interverſam regererent, parum res ab internecino malo abfuit.

XVII. Interea Farneſius, a Germanico equitatu ſecurus, Antuerpiam verſus tendit, praemiſſo Jo. Baptiſta [a] Montano, ex iis Montanis orto qui ad gentem Borboniam, cui regia apud nos ſucceſſit, nomen et inſignia in Italia referunt, qui circumpoſita oppida et caſtella in poteſtatem redegit. Inde ad pagum ſive ſuburbium, cui [b] Borgethotae nomen, ſeſquimilliari ab urbe venit; ubi Ordinum copiae vallo foſſaque defenſae ſtabant, ducibus F. [c] Lanovio, Joan. [d] Hangeſto Argenlio, Iſaaco [e] Valdraco Moio, et Jo. [f] Norritio: et, cum poſt levem pugnam equitatu inferiores eſſent, quam ut de ſumma decernere valerent, cedendo paulatim ſub urbis moenia confugere. Incenſa mox ab Hiſpanis illorum caſtra; qui ulterius provecti tormentorum ictibus ex urbe diſploſis repulſi ſunt. cccc circiter hinc inde, majorem partem ex regiis, cecidere. Id actum vi Non. Mart. ipſo Carnis-privii die. Farneſius dein, cum exercitus commeatus penuria laboraret, [g] Trajectum ad Moſam ducit; idque omni ratione expugnare ſtatuit, quod et ademptum Ordinibus aditum auxiliaribus e Germania venientibus adimeret, et contra res ſuas adverſus Ordines non mediocriter firmaret. In itinere [h] Grobenduncam Gaſparis [i] Scheti arcem tormentis admotis quatit, et deditione captam incendit, Gallis, qui in ea erant, commendatione [k] Serrani Galli, qui Hiſpanorum ſigna ſequebatur, gratia facta: Belgae laqueo quaſi perduelles ſuſpenſi. Inde Herentalam verſus tendit; quo Lanovius paulo ante venerat cum copiis aliquot, quorſum regii tenderent exploraturus; ac poſtremo ad Trajectum caſtra ponit iv Eid. ejuſdem menſis, quo rurſus, ſed fruſtra, Lanovius auxilia introducere conatus eſt.

XVIII. Interea,

VAR. LECT. [a] medio Februario *deſunt D. f.*

INTERPR. [a] *del Monte.* [b] *Borgerhout.* [c] *de la Nouë.* [d] *d'Hangeſt, ſieur d'Argenlieu.* [e] *de Vaudray, ſieur de Mouy.* [f] *Norris.* [g] *Maeſtricht.* [h] *Grobbendonck.* [i] *Schetz.* [k] *de la Serre.*

CIƆIƆLXXIX.
HENRICUS III.

XVIII. Interea, cum Ordines intelligerent, [a] Gallobelgicos proceres ad defectionem ſpectare, Arauſionenſi auctore, quo religionis pacem magis firmarent, [b] Ultrajecti x Kal. Februarias unionis foedus ineunt; prius praefati, eo minime pacificationi Gandenſi derogatum ſe velle. Inſtrumentum ea de re confectum, et XXVI capitibus diſtinctum; cui ſubſcripſere primum Joannes Naſſovius Geldriae et Zutphaniae praeſes et ceteri harum provinciarum delegati, inſuper [c] Bataviae, [d] Mattiacorum et Ultrajecti adjacentiumque locorum ac Friſicarum regionum inter [e] Amiſum et Lauverſam delegati. XIII articulo de religionis libertate additum commodae interpretationis cauſa, ab hac unione nequaquam excluſas intelligi provincias et urbes, quae tantum Catholicam Romanam religiooem ſervant; verum eas quoque ad unionem admittendas, modo in ceteris articulis ſe morigeras et patriae vere amanteis praebeant. Cavebatur inſuper XV capite de alimentis et jure ſuccedendi eorum, qui monaſticam vitam profeſſi eſſent et poſtea votum ejeraſſent: tunc vero ampliatum illud eſt in hunc modum; ut, qui coenobia aut collegia deſeruerant, ſi de donationibus aut conſanguineorum ſucceſſionibus litem moverint, negotium ſuſpcodatur, donec ab Ordinibus, re mature perpenſa, aliter ſtatutum fuerit. Poſtea unioni ſubſcripſere Gandenſes prid. Non. Febr. dein v Non. Maii Arauſionenſis eam [f] Antverpiae ratam habuit: conſimiliter Antuerpia ipſa, [g] Brugae, ſed non ſine tumultu, ut mox dicemus, [h] Iprae, [i] Breda ac vicinae civitates idem fecere; et Georgius [k] Lalanius Rennebergii comes, Friſiae [l] Groëningae et Tranſiſelanae praeſes, III Eid. Junii. [m] Silva-ducis in Brabantia reſtitit, adverſa factione praevalente, et incendente oppidanos fani [n] Gertrudis antiſtite, qui ad Colonienſem conventum profecturus, modo res integrae manerent, ſe quacunque ratione pacem ipſis procuraturum receperat. Itaque a Matthia et Ordinibus miſſus Joannes [o] Hornanus Boxtelius, qui magiſtratum mutaret, et urbem ad obſequium componeret. Is mox ob valetudinem adverſam urbe diſcedens Maximilianum filium vicem ſuam functurum reliquit. Tandem recepta ab oppidanis religionis pax: ſimulque inſtitutum gladiatorum collegium ex juventute fere, quae, urbe ab Hiſpanis occupata, Arauſionenſi militaverat; unde rurſus nova diſſidiorum ad perniciem mutuam ſemina jacta ſunt. Quae dum fiunt, auctore Arauſionenſi, ad Gallobelgicas provincias delegati ab Ordinibus mittuntur, qui eos ad religionis pacem amplectendam hortarentur. Verum illi ſe excuſant: et nihil a ſe, quod tranquillitati publicae praejudicet, factum multis verbis oſtendunt, culpa in Gandenſeis et eorum fautores rejecta, qui libertatem, quam ſibi ſumunt, aliis injurioſe adimunt, pacificatione Gandenſi violata; quam, cum ipſi procuraverint, eo magis ad ipſam ſervandam obligari. Itaque ſe tanquam patriae amanteis omnem concordiae viam inſiſtere paratos oſtendunt; atque adeo unioni ſubſcribere, quae univerſos aequabili jure juxta Gandenſem pacificationem complectatur: neque vero diſſimolare aut celare Ordines velle, ejus incundae aequas, ut ſibi videatur, a Philippo propoſitas conditiones: ea de re literas VII Eid. Febr. [p] Madriti datas accepiſſe; quibus rex eorum egregiam in Catholicae Romanae religionis et obedientiae cultu voluntatem laudet et probet, cupereque ſe teſtetur, ut juxta Gandenſe foedus pax in Belgio conſtituatur: itaque petere, ne reconciliationis hanc oblatam occaſionem negligant aut rejiciant; maxime cum, pace his conditionibus conſtituta, nulla juſta belli gerendi cauſa ſubſit: proinde rogare, ut ſuam mentem ſuper ea re ante XVII Kal. Apr. amplius declarent, an non Gandenſis foederis legibus ſtare velint: ni faciant, ſe eorum ſilentium pro recuſatione habituros, et rebus ſuis, prout juſtum aequumque videbitur, proſpecturos. Cum hoc reſponſo literarum regiarum exemplum mittunt, ſimulque mandatorum

Atrebatenſi

INTERPR. [a] *les ſeigneurs des Provinces Wallones.* [b] *Utrecht.* [c] *Hollande.* [d] *Zelande.* [e] *Ems & Lawer r.* [f] *Anvers.* [g] *Bruges.* [h] *Ypres.* [i] *Breda.* [k] *de Lallain, comte de Renneburg.* [l] *Groeninghen & Over-iſſel.* [m] *Bois-le-duc.* [n] *l'abbé de Ste Gertrude.* [o] *de Horne, baron de Boxtel.* [p] *Madrid.*

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

[a] Atrebatenſi epiſcopo, [b] Sellio et Valvonio aliiſque datorum, ut juxta Gandenſe foedus cum Belgii proceribus ac provinciis paciſcantur. Ad ea Ordines v Non. Mart. reſpondent; et, paci ſe Gandenſi inſiſtere paratos, neque aliam unquam ſibi mentem fuiſſe, oſtendunt: quod ad concordiam inter de religione diſſidenteis in Belgio ſtabiliendam, eam a Jo. Auſtrio primum violatam; id ſcire omneis atque adeo ipſos; neque proinde committere debere, ut falſis ex Hiſpania oſtentatis pollicitationibus, quas toties vanas experti ſunt, decepti potius juxta Eſcovedi votum ac vaticinium patriam membratim diſcerpſiſſe quam concivium ſuorum unioni conſervandae ſtuduiſſe videantur: quod cum Hollandis et Zelandis egerunt, id nequaquam Gandenſi pacificationi repugnare: id enim eà mente factum, ne ob religionem rurſus unio ſolvatur: videre itaque ipſos etiam atque etiam debere, qui adeo Catholicae religioni conſultum cupiunt, ne, ſi ab unione diſcedant, eam per internecinas diſſenſiones in periculum vocent: pace domeſtica religionem ſtare; quae ſi inteſtinis motibus turbetur, turbari et ipſam neceſſario religionem: itaque concordiae ſtudeant, et potius ſuorum quam externorum fidem ſequantur. Haec pluribus explicata et Antuerpiae publicata reſponſa multum ad permovendos animos ante periculo religionis praeoccupatos momentum habuere. Itaque, cum Bruxellenſes ad eos legationem honorificam decreviſſent, non ſolum legati non auditi ſunt, ſed ab Odardo [c] Capreſſo [d] Rigiaci praefecto et vicecomite Gandenſi Atrebatum praeſide tanquam ſeditioſi maledictis et conviciis excepti ac poſtremo ſine ullo reſponſo injurioſe dimiſſi ſunt. Jam antea anno ſuperiore foederi renunciaverat Valentinus [e] Pardeus Mota; ab eoque tempore cum Emmanuele [f] Lalanio egerat, ut ab Ordinum ſocietate diſcederet, facta ſpe, ut ccv florenorum cIↄ certis penſionibus in ſtipendium vi cIↄ peditum et cccc equitum, quos ſecum trahebat, adnumerarentur. Tandem viii Eid. Apr. foedus initur pro religione Catholica ſervanda et obſequio regi debito ejuſque per Belgium vicario praeſtando juxta pacificationis Gandenſis leges, addita clauſula, ut, niſi rex conditioni, qua cautum, ut Hiſpani, Itali, Epirotae, Burgundiones et alii milites provincialibus inviſi Belgio faceſſant, ſatisfaciat, foederi ac promiſſis non obligati cenſeantur. Id actum ad S. [g] Eligii montem; quod eſt coenobio haud procul a Rigiaco in Atrebatibus nomen. Poſtridie foedus in celebri ordinum Arteſiae et delegatorum [h] Duaci Inſularum et Orchiarum conventu publicatum eſt: eodemque tempore [i] Audemari-fanum Mota in fidem accepit, cum paulo ante a Franciſco Lanovio per Flandriam cum delectis bellum contra Gallobelgas acriter gerente multi ex foederatorum militibus haud longe a Dunkerka caeſi eſſent: quo in conflictu Iſaacus [k] Valdraeus Moius graviter vulneratus eſt. Inde foederati ineunte Aprili ad Ordines ſcribunt, et facti ſui rationes reddunt, id unum ſe animo agitare proteſtari, ut, pace patriae reſtituta, majorum religio ſervetur, regi debita obedientia conſtet, Hiſpani et exteri omnes Belgio excedant. Quas ad literas eodem menſe Ordines reſcribunt: et ſtudium quidem ipſorum laudant; ceterum prudentiam in iis deſiderant, qui toties vanis Hiſpanorum promiſſis decepti nunc [l] Sellii verbis fidem adhibeant: nam [m] Albani, et poſt ejus diſceſſum [n] Rodae, et aliorum Hiſpanorum pernicioſas machinationes, quas multis verbis exaggerant, notas eſſe; quorum veſtigiis inſiſtens Auſtrius ab Eſcovedo ita inſtructus nuper Gandenſem pacificationem, quamvis ei ſubſcripſiſſet, violaverit: nunc vero, diſcordia inter Belgas ſparſa, ab Eſcovedi diſcipulis ac ſectariis id agi, ut, qui univerſi una non poterant, ſinguli carpantur: nec exemplum longe petendum; tantum ad [o] Trajectum oculos convertant, quod, dum Belgium ſtudiis diverſis ſcinditur, Hiſpani conjunctis

INTERPR. [a] *d'Arras.* [b] *le baron de Selles, & le Vaſſeur ſieur de Valhuon.* [c] *de Capres.* [d] *Arras.* [e] *de Pardieu, ſieur de la Motte.* [f] *de Lallain, baron de Montigny.* [g] *Mont S. Eloy.* [h] *Douay, Lille, & Orchies.* [i] *St Omer.* [k] *de Vaudray, ſieur de Mouy.* [l] *le baron de Selles.* [m] *le duc d'Albe.* [n] *de Roda.* [o] *Maeſtricht.*

conjunctis viribus oppugnant, procul dubio expugnaturi, niſi ex alto ſopore expergefacti reſipiſcant, et, rejecta ab oculis nubecula, Hiſpanorum conſilia pervideant: id, Deum orare, ut ipſis concedat, cunctique, depoſitis odiis ac ſimultatibus, in commune conſultent: ſe quidem Coloniam delegatos miſſuros; idem ut ipſi faciant, rogare. Ad has literas et nummum cuſum ex aere in eandem rem addunt: in cujus antica parte Ecmundani et Hornani comitum capita reciſa et palis fixa; in poſtica duo equites ac totidem pedites dimicantes viſebantur, cum inſcriptione: Praestat pugnare pro patria, quam simulata pace decipi. Haec dum ultro citroque publice aguntur, Arauſionenſis privatim multos ex amicis monuit, ſibi ut in foedere ineundo diligentius caverent; ac praecipue Hannonios, qui ſerius foederi ſubſcripſere. Nam Philippus Lalanius comes provinciae praeſes, qui plurimum Arauſionenſi deferebat, parentem eum vocare ſolitus, initio reſtitabat. Tandem a Petro Erneſto Mansfeldio, Carolo [a] Lignio Arembergio, comitibus, [b] Montinio ipſo, conſanguineis et amicis, perſuaſus foederi x Kal. Jun. ſubſcripſit. Secundum haec reconciliatio ſancitur, xxviii capitibus comprehenſa, inter epiſcopum [c] Atrebatenſem, Sellium et Valvonium regis ac Farneſii nomine, et ordines et proceres [d] Arteſiae, Hannoniae, Inſularum, Duaci et Orchiarum: cui praeterea itidem ſubſcripſere vicecomes [e] Gandenſis Ricoburgi marchio nuper creatus, [f] Lalanius comes et Villervallae regulus provinciarum praeſides: eamque poſtea Farneſius iii Kal. Quintil. ratam habuit: et menſe demum Septembri promulgata eſt. Ea cavebatur, ut Farneſius ad ſex menſes gubernacula retineret, donec alius a rege ſubſtitueretur; rex a reconciliatis exoraretur, ut Matthias in gubernatione permaneret, qui quamprimum ad ipſos venire teneretur; [g] Buranus comes in Belgium remitteretur, ſacramento primum adactus, de pacificatione Gandenſi ſervanda.

XIX. Ne [h] Tornacum et Tornacenſis ager, qui conſimiliter ut Inſulenſes, Duacenſes et Orchienſes, provinciae loco hoc bello haberi voluerant, foederi accederent, interceſſit Petrus [i] Melodunenſis Spinoius princeps, vicecomitis Gandenſis frater, qui et majorum religionem retinuit, et ab Ordinum partibus nunquam deſcivit. [k] Cameracum quoque in Ordinum fide retinuit Carolus [l] Gaureus Incius, licet poſitu loci longe ab Ordinum provinciis abeſſet: nec non Juſtus [m] Soëtius Villerſius, Hiſpanorum odio, quos diſſenſione illa rurſus vireis reſumpturos providebat, [n] Buchanium oppidulum quantum potuit in officio continuit. At [o] Silvaducis, quod in Bataviae et Brabantiae quaſi confinibus ſitum undique Ordinum potentia circumfundebatur, non eundem animum ſervavit, quantumvis et gladiatorum collegium et praefecti omnem operam darent, ut concordi erga Ordines obſequio cives pacem colerent. Itaque, cum unio Ultrajectenſis, invita contraria factione, in urbe promulgata eſſet, acriter pugnatum eſt, cc et amplius utrinque ſeu caeſis ſeu ſauciatis. Tandem, cum auxiliares ex Gallis, Anglis et Scotis intra urbem admitti non potuiſſent, et [p] Briela evocati aut ſerius veniſſent aut nec ipſi recepti eſſent, pars, quae ab Ordinibus ſtabat, numero et auctoritate inferior, ſibi metuens et perfugium in propinquo habens, augente metum artificioſe contraria factione, huc illuc dilabitur: [α] urbs ad aliquot dies neutri parti addicta permanſit, donec, ſolicitantibus regiis, tandemque acceptis pacis Colonienſis conditionibus, Farneſiii interventu, regi reconciliata eſt; ex eo magnis incommoditatibus conflictata, cum Matthias et Ordines contra oppidanos tanquam hoſteis ac deſertores infenſi omnem rapiendi licentiam militi ſuo permitterent. Initio

Amerſvorda,

VAR. LECT. [α] et ſic urbs *D.f.d.*

INTERPR. [a] *de Ligne, comte d'Aremberg.* [b] *le baron de Montigny.* [c] *l'evêque d'Arras, le baron de Selles, & le ſieur de Valhuon.* [d] *Artois, Hainault, Lille, Douay, & Orchies.* [e] *Robert de Melun, vicomte de Gand, marquis de Richebourg.* [f] *le comte de Lallain, & le ſieur de Willerval.* [g] *de Buren.* [h] *Tournay & le Tourneſis.* [i] *Pierre de Melun, prince d'Eſpinoy.* [k] *Cambray.* [l] *de Gaure, ſieur d'Incby.* [m] *de Sotte, ſieur de Villers.* [n] *Bouchain.* [o] *Boiſleduc.* [p] *la Brille.*

[a] Amerſvorda, ditioni Ultrajectenſi ſubdita, nec non [b] Monfortium et Zutfania, quae urbes fere hominibus majorum ſacra retinentibus habitantur, paci ſubſcribere recuſabant. Itaque in eas duci placuit; ac primum Amerſvordam, tanquam Ultrajecto proximiorem, quod adverſam partem foviſſe, collationes denegaſſe, praeſidiarios ac Proteſtantium concionatores vi expuliſſe, ac clandeſtina cum hoſtibus foedera iniiſſe diceretur. Ea Non. Mart. corona cincta ſtatim imperia accipit, et ceteris exemplo ad praeſidium recipiendum praeivit.

XX. INTEREA Antuerpiae res pecuniaria conſcribendo militi quanta poterat diligentia expediebatur: ubi, cum majorum ſacris addicti, Matthiae et aliorum procerum favore freti, [c] ſupplicationem per omneis urbis vicos magna pompa habere decreviſſent, quantumvis diſſuadente magiſtratu, qui, potius ut pometium templi circumire contenti ab ampliore luſtratione abſtinerent, monebat, ſtationarii viam incedentibus obſtruunt: dein plebs arma ſumit, et, aliquot occiſis, ceteros magno tumultu in templum confugienteis et ſe invicem everteneis ac obterenteis compellit; vixque Arauſionenſis cum ſtipatu ſuo ſuperventu, ne ulteriora auderet, cohiberi potuit. Tandem trihorium a furente vulgo impetratur, dum ſenatus tribunique deliberarent. Vix eo elapſo, populus ad ingenium redit; et ſacerdotes expellendi facultatem poſcit. Abnuente ſenatu et Arauſionenſi, ipſi ſua auctoritate ad ee per [d] Cerviſiariam portam emittunt, et duobus ab urbe milliaribus abductos detinent, dum ſenatus decreviſſet. Contra Matthias fremere, de injuria ſibi facta queri, ac, niſi ſacerdotes ac monachi reducerentur, ſe urbe diſcedere paratum dicere. Igitur, re ipſi et Arauſionenſi a ſenatu permiſſa, tandem prid. Eid. Jun. ita convenitur, ut, pace quadam religionis promulgata, etiam templa quaedam ſacerdotibus reſtituantur, excluſis monachis et ſacrorum collegiorum ſodalibus. Antuerpianorum exemplo et mox ſeditioſi Mechliniae tumultuati: et, cum ſuperiore anno [e] Ultrajecti et Leovardiae ſtatuae et imagines a plebe furioſa dejectae eſſent, immane quam [f] Gallobelgae foederati commoti ſunt, multoſque ex ea occaſione in ſuas partes pertraxerunt, et in iis Philippum Ecmundanum comitem, Carolum [g] Gaurcum Freſinii regulum et [h] Pontium Noiellam Burſium.

XXI. ECMUNDANUS Bruxellis erat, copiis ad auxilium Trajectenſibus obſeſſis ferendum colligendis intentus; et turmam equitum circa ſe habebat, cum qua quotidie excurſiones in hoſticum faciebat. Eam intra urbem accipit ſpecie ſecretae alicujus expeditionis; cum eaque ſummo mane egreſſurus civium ſtationem, quae ad portam Antuerpianam excubabat, diſturbat, occupataque porta, in forum uſque procedit; foroque circumſeſſo, octoginta delectos, qui regiam in ſuperiore urbe ſitam invadant, mittit; quos Olivarius [i] Templeus urbis praefectus caſu inopinato perculſus cum xxx, quos circa ſe habebat, ſumma virtute repulit; et, quanquam milites, qui per diverſoria paſſim ſparſi erant, ab hoſpitibus conſciis retinerentur, ipſe ſuo exemplo civibus ad arma ſumenda praeivit intrepide paſſim diſcurrens. Inde ad portam ab hoſte occupatam mittit, propugnaculumque ad eam exſtructum [k] Saſſenii cujuſdam cauponis opera recipit. Superabat porta; qua exacti hoſtes hoc aſtu. Tres currus foeno onuſti inter ſe connexi in portam propelluntur, ſoeno ad terram uſque undique propendente, ut qui propellebant ab hoſtilibus ictibus tuti laterent. Propulſis ſub portam uſque curribus incendium mittitur, cujus denſo et tetro fumo defenſores intercepto ſpiritu exanimarentur. Porta recepta, et, ne Gallobelgae auxilio venientes per eam admitterentur, a civibus clauſa. Ecmundanus in forum undique compellitur, plateis et

INTERPR. [a] *Amersford.* [b] *Montfort & Zutphen.* [c] *une proceſſion.* [d] Le Quay appellé *Bierhooft.* [e] *Utrecht & Leeuwaerden.* [f] *les Malcontens.* [g] *de Gaure, ſieur de Freſin.* [h] *Pontus de Noyelles, ſieur de Bours.* [i] *de Tempel.* [k] *un bourgeois nommé* Beta, *hoſte de l'hoſtellerie de Saſſen.*

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

et vicis paſſim aggere et foſſa, ne exitus pateret, munitis; in eoque totam noctem obſeſſus cum [a] Mechlinia novas militum copias evocatas intellexiſſet, nec minus cives ab incendio et auxiliaribus quantumvis amicis ſibi metuerent, tandem convenitur, ut ipſe poſtridie cum ſuis incolumis dimitteretur; cum totam noctem eodem loco ac die inſomnis ſtetiſſet, in quo ante XI annos Albani odio et Hiſpanorum immanitate inaudita parens ejus de patria optime meritus indigno ſupplicio affectus fuerat. Quod cum ei crebro in os a civibus injurioſe exprobraretur, facti memoria ex loci et temporis occaſione in oculos et animum recurrente, quaſi ſpectaculo et ipſe tunc intereſſet, lachrimas ubertim profundere viſus eſt; quae tamen in juvene inconſtantis animi, cujus teſtimonia pleraque edebat, cito exaruerunt.

XXII. MAJORIS molis ſeditio fuit, quae ſub id [b] Brugis exorta eſt. Nam, cum Gandenſes et Iprenſes V Kal. Quintil. urgerent, ut unio nuper ſancita reciperetur, contra ſacer ordo et majorum ſacris addicti potius ad [c] Gallobelgicum foedus propendebant, hiſque magiſtratus [d] Franconatum ſavebat, eo quod agri ipſorum ac pagi ſui indefenſi ad Gallobelgarum incendia et praedas alioqui minitantium injurias paterent. In eo aeſtu magiſtratus Brugenſis, qui a partibus Ordinum ſtabat, conſulque eo anno Georgius [e] Verbrakelus Ultrarivius, cum Catholici, incendente eos concionatore quodam, [f] Cornelii, de quo alias dixi, ſectatore, ut ſibi tribuni militum creandi facultatem darent, inſtarent, tandem minis adactus imprudenter aſſenſit. Is fuit Hieronymus [g] Molleus, qui ſtatim, poteſtate accepta, impotenter ea uſus, cohortes a magiſtratu Brugenſi conſcriptas exauctorat, novas conſcribit, in Proteſtanteis ſaevit; Galli concionatoris aedeis trucidandi cum animo ingreſſus, cum hominem non inveniſſet, uxorem indignis modis accipit, pulſat, raptat, humique ſtratam pedibus calcat. Conſul ſero errorem ſentiens, mox ſuis rurſus ad ſigna vocatis, per Joannem [h] Vliſſichium [i] Aſininam portam occupat, et per Reinerum [k] Winkelmanum etiam [l] pontem Eſclanum ad portam uſque praeſidio firmat, miſſo Remigio [m] Aërtuikio, qui loca circa [n] macellum et plateam lapidariam, et Antonio [o] Oltramano, qui [p] pontem Querculanum in platea lanaria inſideret; quibus tribus recta in forum itur. His ſe jungunt alii, qui Aſininae portae claveis ad conſulem afferunt. Nec Molleus cum ſuis ceſſabat; qui Franconatum ope arcem occupant, et duos pontes [q] Marianum et Grutuſium muniunt. Ita utrique in armis ad veſperam uſque, cum de pace agi coeptum, permanſerunt, auxiliareis quiſque ſuos opperiens. [r] Mota [s] Roſelarium uſque ſeſquimilliare ab urbe venerat: ſed praevertit magiſtratus; et ex Ordinum caſtris VII Scotorum cohortes et turmam CL equitum, quae Turnohutum uſque proceſſerat, mane ante horam tertiam per Aſininam portam accipit, forumque et arcem invadit, excubiis adverſae factionis in fugam verſis. Molleus, cum et ipſe, ſtatione deſerta, fugiſſet, et collo tenus ſub aquis lateret, capitur, et coram magiſtratu ſiſtitur. Capti et Franconatum magiſtratus omnes, praeter [t] Natalem Charonium Schonvallium et Franciſcum Nanſium, virum egregie literatum, cujus ipſe, qui haec ſcribo, ſummam humanitatem, cum ante triennium Brugis eſſem, temporibus maxime turbulentis, expertus eram. Praeterea multi alii ſuſpecti capiuntur, et in [u] caſtrum Sluſanum cuſtodiendi mittuntur. Motani, qui hora tardius advenerant, Roſelario incenſo, indignabundi abeunt. Ex ea occaſione Brugenſes, Franconatum collegium, quod quartum Flandriae membrum facit, ut aboleretur et juriſdictio ejus urbi uniretur, inſtabant: nec Gandenſes et Iprenſes contra dicebant, ſpe concepta, ut, Franconicae juriſdictionis abolito

INTERPR. [a] *Malines.* [b] *Bruges.* [c] *ceux d'Artois & du Hainault*, al. *provinces Wallones.* [d] *le Conſeil du Franc.* [e] *de Brakel, ſieur de Haulterive, bourguemaitre.* [f] *Frere Corneille.* [g] *de Mol.* [h] *Vleyſch.* [i] *l'Eſel-porte.* [k] *Winckelman.* [l] *l'Eſel-pont.* [m] *d'Artrick.* [n] *la boucherie.* [o] *Outerman.* [p] *le pont d'Eyckhout en la rue Wolle-ſtraat.* [q] *ponts de Marie & de Gruythuyſe.* [r] *la Mote.* [s] *Rouſſelaer.* [t] *de Caron, ſieur de Schoonewalle, & le docteur Nanſius.* [u] *chateau de l'Eſcluſe.*

abolito magiſtratu, eam ſui juris utpote in ſuo territorio ſitam facerent. Sed Schonvallius et Nanſius magna conſtantia ſuorum jus libertatemque propugnarunt, Brugenſeis obteſtati, ne paucorum crimen in omneis diffunderent; et, cum non in ipſorum ſed potius externorum commodum rem ceſſuram oſtenderent, tandem diligentia ſua et aſſiduitate in aula et apud conciveis ſuos effecerunt, ut Franconatum collegium jus priſtinum ac dignitatem retineret.

XXIII. INTEREA [a] Farneſius [b] Trajecti obſidioni inſtabat. Urbs, ad Moſam porrecta et ipſa duplex, medio fluvio interluitur: citerior ad Brabantiam pertinet; ulterior, quae et [c] Vicus dicitur, [d] Leodicenſis epiſcopi juriſdictioni ſubeſt: utraque populo frequens, ac domibus affabre ſtructis ſpectanda; tum foſſa, moenibus et propugnaculis egregie munita. Eam tuendam ab initio ſuſceperat Lanovius: ſed ab Arauſionenſi, excitatis paſſim diſſenſionibus, et auxiliorum proinde incerta ſpe, periculum verito, prudenter revocatus eſt; miſſique Hiſpanus quidam nomine Moncada, cui plurimum fidebat, et Gallus nomine Sebaſtianus [e] Tapinus, ambo ſtrenui et fortis induſtriae duces, qui ſub [f] Schurburgio Herleo ex nobilitate proxima praefecto rem bellicam in ea adminiſtrarent. Erant in urbe CIↃ circiter praeſidiarii Galli, Angli, Scoti, Belgae, ex civibus CIↃCC armis egregie inſtructi. Crebris eruptionibus initio pugnatum. Ubi Farneſius venit, duos pontes ſterni, quibus hinc inde milites commearent, et in [g] ulteriorem partem Chriſtophorum Mondragonium tranſire jubet, attributa tormentorum et exercitus parte, cum quibus Vicum oppugnaret. Infeſta LIV omnis generis tormentorum diſploſione majorem partem Leodico ſummiſſorum dejectis paſſim loricis, propugnaculis, ac munitionibus, adhuc incertum erat, qua parte vis et impreſſio fieret. Tandem decretum, ut ad duo loca tormenta dirigerentur; ad portam Bruxellenſem, Leodico, a quo IV milliaribus abeſt, obverſam, et ad [h] portam Altam dictam, juxta flumen, quo etiam Mondragonius ab altera [i] Moſae ripa verberationem tranſverſam ſecus murum direxerat. Facta verberatione vallum intus apparuit, a Tapino erectum et loricis foſſiſque egregie munitum; quo violenta pulſatione verberato, in V Eid. April. totis viribus oppugnatio edicitur. Ad Bruxellenſem portam deſtinata legio veterana Hiſpanorum, foederata dicta, eo quod bello ex foedere contra Turcos geſto interfuiſſet, cum aliquot Germanorum et Gallobelgarum vexillis. Altera oppugnatio legioni Langobardicae cum aliquot item Germanorum et Belgarum ſignis attribuitur: eos Fabius [k] Farneſius Farneſii ſummi imperatoris gentilis ducebat. Continuata ad alteram poſt meridiem horam verberatione, Fabius cum delecta nobilitate primus cum vim feciſſet, mox aemulatione foederata legio vim fecit. Utrique ex turre ſemiruta, in quam obſeſſi quaſi neglectam globos comportari et minora tormenta clavis et catenis referta curaverant, admodum infeſtati: et, cum cuniculus a regiis paratus ignem concepiſſet, exiguo ſucceſſu, tamen illi rurſus aſtu graſſantur; et, ſimulac ad moenia labeſactata venerunt, quidam citato equo accurrit, et magna voce victoriam et S. Jacobum, quae eſt Hiſpanorum teſſera, inclamavit, quaſi legio Langobardica jam penetraſſet. Sed ea voce praeſidiarii, Moncada artes eas ſuorum eſſe praemonente, minime territi, et, Tapino pari virtute rem gerente, eo majoribus animis pugnam capeſſunt, et ſumma vi irruenteis Hiſpanos acriore impetu diſturbant. Multi occiſi, plures vulnerati; qui cum a lixis extra vallum per anfractuoſas foſſas efferrentur, ſuccedenteis ſocios miſerabili ſpectaculo exterrebant. Utrobique et caſus incidit, qui magnam formidinem ſimul et cladem incuſſit. Igne in cados pulveris tormentarii plenos fortuito injecto, dum, pulvere deficiente,

INTERPR [a] *le prince de Parme.* [b] *Maeſtricht.* [c] *bourgade de Wijck.* [d] *de Liege.* [e] *Tapin.* [f] *de Schourbourg, ſieur de Herle.* Meteren le nomme *Schwartſenburg.* [g] *du coſté de Wijck.* [h] *Haulte porte.* [i] *la Meuſe.* [k] *de Farneſe.*

deficiente, milites hinc inde funibus accenſis conferti eo accurrunt, plerique ambuſti, multi diſcerpti. Tandem nocte diremptum certamen, quod multo ſanguine regiis conſtitit. Cecidere Fabius Farneſius, Petrus Guſmanus, Jo. Manrices, Petrus [a] Pacecus, Vaſcus [b] Cunea, Jo. [c] Grimaldus, Marcus Ant. Simoneta, [d] Vidus Sangeorgii comes, Corradus Malaſpinae marchio, Petrus Onufrius [e] Montiſdolii comes, Auguſtinus [f] Scafinia, Marcus Ant. [g] Interamnas, Vincentius Macchiavellus, alii: graviter ſauciati Antonius Sunica, [h] Carolus Africanus, Bernardinus Mendoza, Joannes [i] Inicus Palentianus, Sanctius Leva, Fulvius [k] Alvertinus, Mandricardus Pallavicinus, Franciſcus [l] Antenoreus, Ambroſius [m] Landrianus, Ludovicus [n] Vicecomes, Ant. [o] Montacutus, Coriolanus [p] Sarena, Ant. [q] Caſtellus: CCCC amplius milites in valetudinarium ad id paratum ex ſtrage ſuperſtites, admodum vulnerati, ſunt delati; quorum major pars periit; quidam verbis tantum ſuperſtitioſis adhibitis, ſicuti in [r] Rupellae obſidione factum memoravimus, curati ſunt. Ex obſeſſis et non pauci deſiderati; praecipue cuniculatii et foſſores. Poſt tantam cladem a vi aperta aliquantum abſtinuit prorex, tumulo plano ex ceſpite ad portam Bruxellenſem excitato, ex quo diſpoſitis tormentis obſeſſos, ne ruinas ſarcirent, impedire conatus fruſtra fuit, cum illi nihil periculo territi ruderibus, lapidibus ac terra comportanda noctes diebus continuarent. Tumulo ſepimentum oppoſitum erat, aggere et foſſa egregie munitum, ex quo infeſta diſploſione regiis multum incommodabatur. Per quinque hebdomadas, contraria utrinque verberatione nuſquam intermittente, nulla dies abibat quin XX ad minimum utrinque caderent. Hujus ſepimenti diruendi variae rationes a Farneſio initae. Tandem eo potiti poſt crebras ſuffoſſiones ac varia certamina regii loricas ac moenia invadunt, ita ut cominus etiam manus utrinque conſeri poſſent. Tum cuniculi XXII acti, quibus ignem concipientibus et magna murorum ſtrages edita, et C ex obſeſſis in altum ſublati ac diſcerpti ſunt. Ante urbem inſula jacet, quam Farneſius cum occupare et munire moliretur, idque negotii Aegidius Barlemontius comes, ita [f] Hiergius, patre ſub id tempus mortuo, jam appellabatur, tormentorum praefectus, ſibi ſumpſiſſet, dum neceſſaria ad eam rem pararet, incumbente a defenſoribus glandium grandine, ictus ipſe periit; vir magni animi, et qui his bellis magnam militaris virtutis laudem meruerat. Inde novi cunicularii [t] Leodico, ubi peritiſſimi habentur, ac foſſores ad IV CIƆ acciti, [u] Gerardo Groesbecano epiſcopo, qui et tormenta commodaverat, nihil non agente, ut conatus regiorum in illa urbe, in qua et partem habebat, expugnanda ſuccederet; quanquam id Ordines veteri Leodicenſium odio potius tribuebant quam gratiae erga regem; quippe qui a Burgundionibus olim acceptorum damnorum memores occaſione oblata vindictam perſequebantur. At Farneſius, ſepimento occupato, jam remiſſius agebat, dum novae copiae advenirent, cuniculis et ſuffoſſionibus rem gerere et crebris inſultibus inſomneis praeſidiarios vexare contentus; qui, quantumvis nunciis crebris, dum licuit, et ſignis ac ignibus ſublatis, ad quas anguſtias redacti eſſent, ſignificarent, nulla ope juvari potuerunt. Nam diſſenſiones a Gandenſibus exortae, et poſtea a Gallobelgicis provinciis in majus auctae, tum poſt conſcripta IV CIƆ equitum in [w] Sicambris, quibus et peditum aliquot cohortes adjungendae erant, [x] Ecmundanus et Butſius nuper deficientes omnem auxiliorum ſpem Matthiae et Arauſionenſi praeciderunt. Sola in Colonienſi conventu ſpes ſupererat; ubi, cum Ordinum delegati inſtarent, ut, dum de pace agitur, obſidio per inducias intermitteretur, aut urbs conſignaretur in manus alicujus, qui neutri parti addictus eſſet, Carolus [y] Arragonius Terranovanus dux, Philippi legatus,

nihil

INTERPR. [a] *Pacheco.* [b] *d'Acunna.* [c] *Grimaldi.* [d] *Guido, conte di S. Georgio.* [e] *Montedoglio.* [f] *Scafigna.* [g] *da Terni.* [h] *Carlo d'Africa.* [i] *Inigo de Palenza.* [k] *Albertini.* [l] *Antinori.* [m] *Landriano.* [n] *Viſconti* [o] *da Montauto.* [p] *Serena.* [q] *Caſtello.* [r] *la Rochelle.* [f] *de Berlaymont, ſieur de Hierges.* [t] *Liege.* [u] *de Groesbecque.* [w] *Gueldre.* [x] *le comte d'Egmond, & le ſieur de Bours.* [y] *d'Arragon, duc de Terranova.*

CIƆIƆLXXIX. HENRICUS III.

nihil aliud reſpondit, quam ſibi pacificationis, Farneſio belli gerendi negotium commiſſum eſſe, qui incerta ſpe pacis et certa urbis expugnatione neque deberet neque poſſet ab obſidione diſcedere. Interea obſeſſi oppugnationibus, morbis, vulneribus ac vigiliis confecti, ad haec ita imminuti, ut ex CIƆ praeſidiatiis vix CCCC belli potentes ſuperarent, deficiente praeterea pulvere tormentario, et omni ſubſidii ſpe adempta, paulatim animis labare coeperunt: et, cum in tam diuturna obſidione tamque exiguo numero aſſiduis excubiis fatigati in pomoerio quieſcere ac cibum capere cogerentur, accidit, ut exeunte Junio, die qui BB. Petro et Paulo ſacer eſt, per eos, qui in ſepimento excubabant, Farneſio renunciaretur, vigilias hoſtium ſomno ſepultas facile invadi poſſe. Quo cognito, Farneſius ab omni parte vim fieri jubet. Nec ſucceſſu conatus caruit. Nam, quamvis pleriſque locis ab oppidanis animoſe admodum reſiſteretur, foeminis etiam virileis operas obeuntibus, et in extremo periculo minime ſe deſerentibus, tamen ad extremum poſt quartum menſem citerior urbs expugnatur, obſeſſis in ulteriorem per pontem pavide et confuſe fugientibus, ita ut pueri foeminaeque in eo oppreſſi in flumen ſubjectum a milite utrinque praecipitarentur: qui in eam evaſerant, cum nihil commeatus inveniſſent, mox ſe arbitrio victoris dediderunt. Ad treis horas a milite in obvios ſaevitum; nec foeminis, quod ſe et ipſae egregie defendiſſent, parcitum. Veſtigatus ubique diligenter Moncada, et mox ignominioſe patibulo ſuſpenſus. Sebaſtiani Tapini, cujus praecipua laus in ea obſidione fuit, diſpar fatum fuit; qui et captus perhumane ab Hiſpanis habitus fuit, et a Farneſio honeſtiſſimis praemiis invitatus, ut Philippo militare vellet; interim chirurgis, nam graviter ſauciatus erat, ut diligenter curaretur, commendatus: poſtea tamen e feneſtra, fortuito incertum, an quod conditionibus oblatis parere nollet, ſcloppeti ictu occiſus. Urbs crudeliter direpta, et, antea toto Belgio frequentiſſima, ex eo ad extremam ſolitudinem redacta, ut vix CCC oppidani in illa ſuperarent; qui et paulatim dilapſi ſunt. Mox a Leodicenſibus ac ruſticis habitari coepit, in dies confluentibus et domos vacuas occupantibus; quas tamen plerumque praeſidiarii lignorum penuria diruerunt, et igne conſumpſerunt. Ab eo tempore Farneſius viribus debilitatus nihil aggredi potuit; ipſeque ex aſſiduis obſidionis laboribus in gravem morbum incidit. Diverſa parte Martinus [a] Schenkius Tauttemburgus Sicamber, vir bellica laude clarus, qui Arauſionenſi initio militabat, cum mutaſſet, arce [b] Blienbeca ad Moſam occupata, ultra [c] Graviam vicina loca et flumina ipſa infeſtare coepit: tum, [d] Deutecomio proximo Quintili aſtu intercepto, cum majora in dies moliretur, a Philippi Hohenloi militibus circumventus cum aliquot ordinum ductoribus ſuis capitur, paulo poſt [e] Curbachii Sileſienſis reguli ope liberatus.

XXIV. JAM Coloniam ad conventum ſuperiore anno indictum delegati convenerant: a Caeſare [f] Colonienſis et Trevirenſis archiepiſcopi ſeptemviri, Julius [g] Herbipolenſis epiſcopus, Willelmi Clivenſis nomine [h] Wernerus Gymnicus, Otho [i] Schuarſtburgius comes; a Philippo Terranovanus dux, Maximilianus [k] Longavallus Vallius, Joannes [l] Fonkius, Chriſtophorus Aſſonvillius, conſiliarii, et Urbanus [m] Scarenbergius ab epiſtolis; a pontifice Jo. Bapt. [n] Caſtanetus archiepiſcopus Roſſanenſis; a Matthia et Ordinibus Philippus Croius Araſchoti dux, [o] Jo. Lindanus S. Gertrudis et [p] Marollianus praeſules, [q] Buco Aita D. Bavonis praepoſitus, Gaſpar [r] Schetus, Adolfus [s] Mecherkerus equites et Ordinum conſiliarii, Bernardus [t] Merodius Rumenius, Adolfus

INTERPR. [a] *Schenck, ſieur de Tauttembourg, Gueldrois.* [b] *Blyenbecque.* [c] *Grave.* [d] *Dortecom.* [e] *de Curtzbach de Sileſie.* [f] *de Cologne & de Treves.* [g] *de Wirtzburg.* [h] *Werner, ſieur de Gimmich.* [i] *de Schwartzenburg.* [k] *de Longueval, ſieur de Vaux.* [l] *Fonck.* [m] *Scarenberg ſecretaire.* [n] *Caſtagna, archevêque de Roſſano.* [o] *de Linden, abbé de St Gertrude.* [p] *l'abbé de Marolles.* [q] *Bucho Ayta, prevoſt de S. Bavon.* [r] *Schetz.* [s] *Meetkercke.* [t] *de Merode, baron de Rumey.*

CIↃIↃLXXIX. HENRICUS III.

Adolfus [a] Gotaeus equites, Hadrianus [b] Milanus, et Haggaeus Albada, juriſconſulti, ab Hollandiae ordinibus miſſi. Caeſarei legati inſtabant, ut ad praeparandos in pacis conditionibus accipiendis animos et acerbitates mitigandas, dum deliberatur, induciae pangerentur: et conditiones de [c] Trajecto in Caeſaris manus conſignando ab Ordinibus oblatas maxime probabant. Sed Terranovanus nunquam adduci potuit, ut obſidionem intermitti pateretur; unde, ſecuta miſerabili urbis direptione, non parum animi, quos clementia et benignitate potius conciliari oportebat, a pacis rationibus alienati ſunt. Tandem, cum utraque pars capita propoſuiſſet, ea decimo poſt die, hoc eſt, xv Kal. Sextil. legati Caeſarei aliquantum mutata Ordinum delegatis tradunt ac ſummopere commendant, ſeque ulterius nihil a Terranovano impetrare potuiſſe teſtantur. His decernebatur; ut pacificatio Gandenſis ante triennium vi Eid. Nov. facta, eamque ſecuta unio Bruxellis v Eid. Januarii proximi, et edictum perpetuum eodem anno menſe Februario conditum, ac regis confirmatio ſervaretur: praeteritorum omnium oblivio ſanciretur: rexque Belgas ſibi ſubditos in gratiam reciperet, et jura, libertates, privilegia, immunitates antiquas civitatibus et ſingulis ac univerſis confirmaret: exteri omnes, Hiſpani, Itali, Germani, Angli, Scoti Belgio confeſtim excederent: nova tributa et vectigalia abolerentur: cuncti, tam eccleſiaſtici quam alii, bonis omnibus mobilibus ac ſoli reſtituerentur: cuncti conſimiliter ad dignitates et munera, a quibus bellorum occaſione depoſiti fuerant, reciperentur. Additum, ut nulli, niſi indigenae, ad praefecturas, magiſtratus ac munera publica admittantur: omnes captivi dimittantur ſine pretio, niſi prius de eo convenerit: [d] Buranus comes, poſtquam cum Arauſionenſi tranſactum fuerit, intra trimeſtre libertati reſtituatur: Matthiae et Ordinum acta omnia tanquam legitima rata habeantur; quod de iis, quae non directe ad regis perſonam pertinent, aut contra patriae jura ac libertates decreta erant, intelligatur: ſuprema majeſtas, auctoritas et obedientia regi deferatur. Rex, quem velit gubernatorem ſupremum deligere poſſit, qui ſecundum patriae jura ac leges, pacificationem Gandenſem et hoc reconciliationis edictum, item ad formulam a Carolo v et Philippo ante has turbas propoſitam jus dicat: huic autem abſque omni dilatione arces, urbes, munitiones, tormenta, naves armatae regiae, apparatus bellicus tradantur: nulla ſit bonorum regiorum aut vectigalium belli tempore perceptorum repetitio, aut in jure perſecutio: pacificatione hac executioni demandata, Ordines omnibus foederationibus ac contractibus cum exteris principibus belli hujus occaſione initis renunciare teneantur: hac item pacificatione Angliae regina et dux Andium comprehendantur. His actis, legati, cum fruſtra iterum inducias a Terranovano, dum de iis capitibus ab Ordinibus deliberaretur, interponi petiiſſent, ad Ordines ſcribunt, et conditiones perſcriptas ut accipiant multum rogant. Tum, quia ab Ordinibus civitates ſuper ea re conſulentibus tardius reſponſa adveniebant, inde occaſione ſumpta, Philippici apud Caeſareos inſtant, ut ipſi auctoritate ſua literas ad ſingulas civitates et ſingulos proceres mittant, quibus et Terranovanus ſuas junxit: quod, clam delegatis Ordinum factum, ut Philippicas partes confirmavit, ita Ordines, quo minus propoſitas a Caeſareae majeſtatis legatis conditiones acciperent, aut in bonam partem interpretarentur, omnino deterruit; cum religionis cauſae, quae motibus occaſionem in Belgio dediſſet, non ſatis conſultum dicerent, nec de mitiganda placitorum ſeveritate ulla ſpes illis fieret. Nam diſerte hoc volebat Philippus, Catholicam Romanam religionem, quam a majoribus ſuis acceperit, in cunctis ſuae ditionis provinciis, praeterquam in Hollandia, Zelandia, Bomelia, quas in pacificationis Gandenſis diſpoſitione relinquebat, excluſa omni alia religione, locum habere. Acta pacificationis [e] Coloniae ſtatim publicata a Caeſareis et Philippicis miniſtris: dein

Antuerpiae

INTERPR. [a] *de Goer.* [b] *Vandermilen, & de Albada, docteurs en droit.* [c] *Maeſtricht.* [d] *le comte de Buren, fils aîné du prince d'Orange.* [e] *Cologne.*

[a] Aotuerpiae et Lugduni Baravorum anno ſequenti ab Adolfo [b] Mecherkero, qui actioni interfuit, ſtudioſe congeſta; quibus et annotationes pleraſque ac probationes pro defendenda Proteſtantium et Ordinum in Belgio cauſa ac libertate addidit, cum praeſatione, qua maxime nititur demonſtrare, Belgas ob tumultus exortos, quorum culpam in Albanum ac ceteros regis miniſtros rejicit, aut divinae laeſae majeſtatis aut perduellioois crimini minime affineis eſſe; inprimiſque de templis expilatis et imagioibus ac ſtatuis paſſim dejectis, quod, qui potuerunt, non prohibuerint, crimen objectum refutat; et factum quidem ipſum nunquam probaſſe moderatiores dicit, aut non infectum voluiſſe; ſed altius penetranti et judicia divina, quantum homini licet, rimanti in confeſſo eſſe, Deum hoc facto Ordines, populum, regemque ipſum docere ac convincere voluiſſe, ſi tam grave periculum apud Hiſpanos cenſetur, ſtatuas ac imagines lapideas ac ligneas frangere ac demoliri, quanti pluris apud ipſum Deum fuerit, ſpiranteis ipſius imagines, hoc eſt, homines Chriſtiano nomine inſignitos, nullo aetatis aut ſexus diſcrimine, per tot cruciatus, poenas, exilia tot annos miſerabiliter divexaſſe ac evertiſſe. Et haec ad confirmandos in Ordinum fide, qui nutabant, animos dicta ac jactata ſunt. Complures tamen, praeſertim ex proceribus, ex eo ab Ordinibus deſciverunt; et Araſchotanus ipſe ac Gertrudis fani ac Marollii antiſtites, nec non et Gaſpar Schetus, cum ceteri delegati collegae Antuerpiam profecti eſſent, Coloniae remanſerunt, et Philippo reconciliati ſunt.

CIƆIƆLXXIX.
HENRICUS III.

XXV. CUM vero Gandenſes diſſenſionum praecipui incentores porro tumultuare non deſinerent, rurſus ad eos Arauſioenſis ex Matthiae et Ordinum decreto delegatus eſt. Ii, auctore Joanoe [c] Imbiſio, de quo jam dixi, cum Gallobelgae in fineis eorum cootinuas excurſiones facerent, VII Eid. Mart. denunciatione facta, pacem ſuperiore anno extremo ab Arauſionenſi ſancitam abruperunt, eccleſiaſticos bonis ſpoliaverunt, templa diripuerunt, coenobitarum bonis in praedam ubiqoe graſſanti militi conceſſis: quod cum ut ſine magiſtratus auctoritate factum plerique ex Proteſtantibus improbareot, ob id ab Imbiſio non citra vitae diſcrimen urbe ignominioſe ſummoti ſunt. Lanovius ipſe, qui pro eorum ſalute ac libertate tam ſtrenuam contra Gallobelgicas provincias quotidie operam navabat, cum Imbiſium admoneret, ut moderatius in eo ſe negotio gereret, nocte intempeſtiva urbe excedere ab eodem Imbiſio injurioſe coactus eſt. Cumque ſub id tempus Henricus [d] Guſerius Bonivetus, ab Andino ad Ordines miſſus, facto per [e] Atrebates itinere, [f] Gandavum veniſſet, cum in urbe per biduum manere conſtituiſſet, ut magiſtatum principis ſui nomioe ſalutaret, et univerſos ad pacem ac concordiam hortaretur, injurioſe pariter exactus eſt; et, quamvis ſecuritatis literis acceptis, vix ſicariorum ab Imbiſio, ut creditum eſt, immiſſorum manus fuga evaſit, uno et altero ex domeſticis in conſpectu ipſius inſidioſe ioterſectis. Idem Imbiſius quoſdam in [g] Axelana ditione, quos privatim oderat, quaſi Philippicis partibus addictos per Jacobum [h] Milgenium cohortis ſuae vicarium comprehendi mandat, ac diuturnam captivitatem minatus, extorta pecunia, ad Amandi fanum jugulat, et ſub patibulo terrae mandari jubet. Itaque, cum poſtea Milgenius ob id accuſaretur, mandatum Imbiſii cauſatus meruit, ut, mortis poena commutata, tantum deportaretur. His tot atrociter factis ſive inſoleſcens ſive ſibi metuens Imbiſius XIV Kal. Sextil. copias tam equeſtreis quam pedeſtreis in urbem, inconſulto ſenatu, introducit; tum magiſtratum praecipitato ordine contra privilegia ac jura antiqua mutat, ſeque ſupremum ſenatorem conſtituit, Proteſtantibuſque ipſis, qui pacis cooſilia ſectabaotur, objectis calumnioſe criminibus, negotium faceſſit: cumque Arauſionenſis literae ipſo oatalis Jo. Baptiſtae die allatae eſſent, quibus ſigoificabat ſe ad urbem venturum, intercessit; et capita proponit typis expreſſa, ob quae in urbem admitti

INTERPR. [a] *Anvers & Leyde.* [b] *Meetkercke.* [c] *le ſieur d'Imbyſe.* [d] *Gouffier de Bonnivet.* [e] *Artois.* [f] *Gand.* [g] *Axele.* [h] *de Myegen, ſon lieutenant colonel.*

CIƆIƆLXXIX. admitti non deberet, quibus multa illi praefracta impudeotia ac dementia affingebat; HENRICUS III. et intet alia illi exprobrabat, quod Gallis faveret, et Belgium Hiſpanorum jugo liberatum ſub jngum Gallorum et Andini mittere meditaretur; quod exercitibus ducendis impar eſſet; quippe qui, cum validiſſimas haberet copias, ſe ſemper in urbe continuerit. Verum, rejectis impudentis ac ſeditioſi hominis importunis criminationibus, [a] Rihovius, qua auctoritate ob moderationis ac prudentiae opinionem inter ſuos valebat, tenuit, ut Arauſionenſis certis conditionibus in urbem reciperetur. Eae erant; ut nullum quacunque de cauſa in urbem praeſidium introduceret, aut introduci pateretur; oihil privilegiis, libertatibus, ac praerogativae atque adeo principatui ad ſe nuper devoluto, ulla in re derogaret; de religione Proteſtantibus caveret; nihilque in eo negotio, etiam quantum ad eccleſiaſticorum bonorum uſum, in praeſentiarum innovaret; ob praeterita nihil ulli imputaretut: capita haec ante ſuum in urbem ingreſſum jurejurando adprobaret. Antea etiam Gandenſes apologia publicata de pecuniae collationibus ſe excuſaverant, et inita ratione oſtendebaot, ſe, qoi tantum quartam partem totius Flandriae faciant, in communem reipublicae uſum a XVIII Kal. Sextil. anni ſuperioris uſque ad VIII Eid. Junii proxime elapſi CCCCXXIVCIↃ et LVI libras Turonenſeis ſive florenos, ſingulis florenis XL groſſis Flandricis aeſtimatis, pependiſſe, praeter hoſtileis excurſiones, quas a Gallobelgis ſeditioſis intra VIII menſium ſpatium paſſi eſſent, quae damna CCC florenorum CIↃ et pluris aeſtimabant: ad quam rationem ſi reliqua Flandriae membra cootuliſſent, ex principe illa provincia trigeſies centena flotenorum millia et amplius cogi debuiſſe; et, ſi rurſus ad eam rationem ceterae Belgii provinciae impoſitas collationes, ut aequum erat, exſolviſſeot, totam ſummam ad oonagies eentum florenorum millia et ultra excurſuram fuiſſe. Quos vero in uſus tam ingens pecunia inſumpta eſſet, quaerebant; et, ſi reliquae provinciae oon exſolviſſent, iniquum eſſe, ut a Gandenſibus, quod aliae non facerent, exigeretur. Inſuper muniendae urbi impenſa CCXXC florenorum millia allegabant. Verum hanc Gandeoſium meram venditationem ac oſtentationem plerique contra vituperabant, et privati tantum commodi et affectus tam ingenteis ſummas non in uſum publicum expenſas arguebant: oam in conſcriptos propria auctoritate milites, invitis et contradicentibus Ordinibus, ad Gallobelgas vexandos jam ante irritatos hanc pecuniam inutiliter et damnoſe conſumptam; cum ipſi interea nuſquam Lanovii monitis ac juſſis obtemperaverint, nec in uſum militis pro ipſorum ſalute excubantis ac pugnantis quidquam contulerint; ſed ſacerdotibus, monachis ac virginibus devotis in urbe bellum facere contenti, per petulantiam ac laſciviam pecuniam publicam omnem conſumpſerint, officio ſuo ſatis ſibi feciſſe viſi, ſi ſe ut Hiſpanorum ſic et Gallorum infeſtos hoſteis intempeſtiva oſtentatione profiterentur: quod noo ſolum Ordinum res maxime labefactavit, ſed Hiſpanos, qui ſeditioſos, quod Gallis adeo inſenſi eſſent, laudare non deſinebant, ad majora inter ipſos tentanda et ſperanda impulit. Tandem Arauſioneoſis iter ad eos Sextili menſe inſtituit. Quo cognito, Imbiſius occaſione navium ſtationis inviſendae ac muniendae urbe diſcedit; ſed mox ab amicis revocatur, facta ſpe, ut nihil ioclementius contra eum ab Arauſionenſi decerneretur. Ubi venit Arauſionenſis, magiſtratum vitio creatum abdicat, oovumque inſtituit. De nobilibus captivis eo minus negotium fuit, quod plerique et in iis [b] Raſſingemus, Suevigemus et Erpeus Cortracenſis Junio menſe, jam carceris cuſtodibus corruptis, aufugerant. [c] Campaniacus ex fuga retractus fuerat, ſed Arauſionenſis adventu libertati reſtitutus fuit. Imbiſius, qui, ne rationum repetundarum poſtularetur, metueret, ad Joannem Caſimirum in Germaniam profugit cum Petro [d] Datheno, cui non minima pars pravorum conſiliorum imputabatur. Tunc et

tentatum

INTERPR. [a] *Ribove.* [b] *de Raſſinghem, le ſieur de Swevegem, & le bailli de Courtray* nommé *Erpé.* [c] *le ſieur de Champigny.* [d] *Dathenus.*

tentatum a Gallobelgis [a] Gandavum, pleriſque ex proceribus ſpecie amicitiae hoſpitia ſibi in urbe aſſignari depoſcentibus, quos copiae militares ſubſequebantur, et, niſi in tempore Arauſionenſis portas claudi juſſiſſet, de ipſo urbeque actum fuiſſet. Inde [b] Brugas tendit: unde, rebus in urbe ordinatis et magiſtratu conſtituto, [c] Antuerpiam reverſus eſt. Ne vero [d] Gallobelgae nihil eo conatu egiſſe viderentur, Aloſtum intercepcrunt; quo et comes Lalanius Sextili menſe venit, magnam tum etiam aequitatis in pace conſtituenda ſpeciem prae ſe ferens. [e] Rotornacum dein populoſum pagum invadunt, et obvios quoſque obtruncant. Tum haud longe ab Aloſto ad [f] Boſrodem cohortes quaſdam Gandenſium caedunt, pagumque populati incendunt. Quae dum agerentur, Farneſius aeger, Bruxellarum obſidione, quam animo agitare illum fama erat, ſed, exercitu obſidione [g] Trajectenſi paene infracto, omiſerat, in aliud tempus rejecta, [h] Inſulenſeis, Duacenſeis, Orchienſeis ſolicitabat, ecquid illis procerum unione et conditionibus Coloniae propoſitis ſatisfactum eſſet, hiſque contenti principi ſuo reconciliari vellent: utque eos magis incitaret, praeſidia externa ex Gallobelgarum urbibus et arcibus deducit, eaque ad ſe evocat. Qua re cum promiſſis ſatisfeciſſe videretur, multos in ſuas partes pertraxit, et in iis [i] Pontium Noiellam Burſium, qui [k] Mechliniae praeerat, quae cum eo ab Ordinibus defecit. Urbe recepta, Farneſius copias e praeſidiis deductas et [l] Epirotarum aliquot equitum cohortes, qui oppidanos défendant, eo mittit: cum iis circumquaque [m] Aloſtum verſus, [n] Herentalam et Dermundam excurrens vicinum agrum populatur; et, munitione ad [o] Willebrocam in alvei Bruxellenſis ingreſſu occupata, [p] cataractas, quibus tanquam firmiſſimis portis aquae pro uſu ac commoditate ſecluduntur, emittuntur, retinentur, in poteſtatem redigit. Eas, cum antea Bruxellenſes Antuerpiam commeantes per Mechliniam tranſire neceſſe haberent, ut ſe ſuperbo vicinorum quaſi jugo eximerent, magno ſumptu et grandi aere contracto conſtruxerant: cumque foſſione illa ſe magna injuria a Bruxellenſibus affectos Mechlinienſes exiſtimarent, occupatis cataractis abunde ſibi de injuria illa ſatisfactum putabant. Igitur in eam commeatum dum comportant Hiſpani, cum Ordines impedire molirentur, caeſi ſunt. Difficili tamen adeo ſubvectione factum eſt, ut Hiſpani et Germani, qui obſidionem a Lanovio metuerent, urgente omnium rerum penuria, locum deſerere tandem coacti ſint, tormentis aeneis prius corruptis, ne hoſti uſui eſſe poſſent. Eo mox Matthias cum Lanovio venit, et, libera ab Antuerpia Bruxellas navigatione reddita, de loco muniendo cogitare coepit: et ita gaudium de vindicta ex Bruxellenſibus ſumpta a Mechlinienſibus conceptum brevi tempore evanuit: ipſoſque rurſus in ſummas anguſtias conjecit. [q] Briela et magni momenti oppidum maritimum Hollandiae tunc tentatum, aſtu praefecti, qui condicto tempore [r] Hannoniae et Arteſiae foederatis, ſi cum claſſe advenirent, et quaſi ab Arauſionenſi miſſi adpellerent, traditurum ſe locum promiſerat. Cum igitur illi adveniſſent, Batavi a praefecto moniti incubuerunt, et partem navium depreſſerunt; pars cum adverſa tempeſtate luctata periit. Eodem tempore [s] Meningae pagus, ad Liſam, loco ad bellum opportuno, ab Emanuele Lalanio [t] Montinio ſuperiore anno occupatus ac munitus, ex hac occaſione ab Ordinibus receptus fuit. Cerviſiarius pagi incola nomine Petrus [u] Cruſius, ob religionem a Gallobelgis vexatus et criminis capitalis poſtulatus, [w] obſoleta veſte ad ſtationem venit, et audaci ſolertia bipennem uni excubitorum extorquet, qua et duos alios opprimit, ac manus cuſtodum evaſit. Brugas dein profectus Jacobum [x] Buſſaulium urbis conſulem

CIƆIƆLXXIX.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Gand.* [b] *Bruges.* [c] *Anvers.* [d] *Wallons.* [e] *Rouſe.* [f] *Boeſrode.* [g] *de Maeſtricht.* [h] *Lille, Douay & Orchies.* [i] *Pontus de Noyelles, ſieur de Bourt.* [k] *Malines.* [l] *Albanois.* [m] *Aloſt.* [n] *Herentals & Dermonde.* [o] *Willebroeck.* [p] *les eſcluſes.* [q] *la Brille.* [r] *Hainault & Artois.* [s] *village de Menin, ſur la Lys.* [t] *le baron de Montigny.* [u] *Ver-cruyſſen.* [w] *veſtu en payſan.* [x] *Breucſaux, bourgmaiſtre de Bruges.*

CIƆIƆLXXIX. HENRICUS III.

conſulem adit, et rationem munitionis Meningenſis intercipiendae oſtendit. Homini ultione ardenti initio non habita fides: verum, inſtante eo, et re cum Matthia et Ordinibus communicata, negotium datur Buſſaulio, ut comparatis ſcalis ope Scotorum, qui haud longe hinc hoſpitium habebant, rem tentet. Condicta die in arcano Jacobus [a] Balfurius Scotorum praefectus cum Buſſaulio et Petro ac Jodoco ejus filiis ſummo mane ad locum in ampla via lapidibus ſtrata venit, quae [b] Roſelarium ducit, quo eadem hora IV Flandrorum cohortes [c] Curtraco navigiis vectae ſummo ſilentio convenerunt, et ad horae quartae matutinae pulſum unanimiter ſumma alacritate et vi moenia duobus locis invadunt, excubitoreſque inopinato caſu perculſos in fugam vertunt, et, nemine ex ſuis vulnerato, loco potiuntur. Praeda magna parta, quam Galli noſtri, qui ſuperiore anno ab Andino dimiſſi ad foederatos tranſierant, in eo praeſidio congeſſerant. Facilem confectu reddidit conatum contrarius ab hoſte ſuſceptus, quo factum, ut pauci praeſidiarii tunc Meningae remanſerint: ſiquidem [d] Erpei ſuaſu et [e] Alenii ductu, evocatis [f] Waſtenae, Warvecae, Cominii praeſidiis et ad ea junctis Meningenſibus, eodem tempore et hora Curtracum tentatum fuerat; cumque Alenius moenibus ſucceſſiſſet, et foſſae profunditatem contis exploraret, [g] Pottelſperghus Curtracenſis praetor, qui ex turri ſuperiore Meningenſis expeditionis eventum opperiebatur, ignarus tam prope hoſteis eſſe, excubitores alta voce, ecquid audiviſſent, interrogat: quam vocem, quaſi conſilia ſua detecta eſſent, interpretatus Alenius ad ſuos redit; et, dum cum iis deliberat, tubas, tympana et rumorem ad Meningam exaudit; quodque erat conjectans, antequam hoſtes, praedae, ut vero ſimile fiebat, intenti, ſe moviſſent, eo locum recuperaturus tendit. Verum aëris obſcuritate deceptus, cum equitatum ex tubarum ſonitu jam adveniſſe crederet, ab incepto deſtitit; et moerens irritum conatum Warvecam cum ſuis rediit. Id actum XI Kal. Nov. Nuncio caprae Meningae allato, Arauſionenſis laetus ſucceſſui inſtandum cenſuit; moxque evocatis Willebroca, cui jam minus metuebat, Gallorum et Anglorum copiis, eas cum aliquot Flandrorum Meningam tendere et, Lanovio ductore, victoriam proſequi jubet. [a] Is ſub auroram Warveeam venit XVIII Kal. Decembres. Erant Belgarum duae omnino cohortes in templo, et totidem in ipſa arce in altera fluminis Liſae ripa, ad quam per pontem medium tuto milites commeabant. Templum primo a Gallis cinctum, ex ſuperioribus pagi aedibus ac templi feneſtris aliquandiu infeſtatis. Spe auxiliorum ad defenſionem ſe obſeſſi initio parabant: ſed, cum [h] Halewinenſes, qui ſubſidium ſociis mittebant, Meningenſibus in itinere occurrentibus, ſuos revocaſſent, re cognita, [i] Lanovius ſcalas admoveri jubet, vique facta templum expugnat eodem die hora pomeridiana quarta. XL in primo furoris fervore occiſi; CL capti, et in iis [k] Carondeletus Ecmundani legatus. Quo conſpecto, qui arcem tenebant, cum neque viribus ſuis nec auxiliis multum fiderent, ſub veſperam locum incenſum deſerunt, et Cominium ad ſuos ſe recipiunt. Inde Lanovius Liſam tranſmittit cum CCC equitibus et CCCC peditibus Gallis, et Halewinam verſus iter intendens in [l] Arſchotani et Lalanii equitum turmas incidit, aliaſque inſuper duas nuper conſcriptas; quas acriter invadit, et in fugam vertit, pleriſque occiſis, quod ex equitibus a [m] Setonio Scotorum duce et [n] Mornavio [o] Meningam perductis conſtitit. Quibus cognitis, Halewinae praeſidiarii protinus, domiciliis incenſis, fuga dilabuntur. Idem fecerunt, qui [p] Becelaram et Waſtenam tenebant. His expeditionibus tantos animos Gallis ſuis fecerat Lanovius, exemploque ſuo ad verum decus et militarem gloriam incenderat, ut, contempta praeda et ſtipendiis propriis,

VAR. LECT. [a] Is igitur, copiis inſtructus, ſub auroram *D. f.*

INTERPR. [a] *Balfour.* [b] *Rouſſelaer.* [c] *Courtray.* [d] *le ſieur d'Erpe.* [e] *le ſieur d'Alent.* [f] *Waeſtene, Wervijcke, & Comines.* [g] *Pottelsberg, grand bailli de Courtray.* [h] *ceux d'Halewin.* [i] *de la Noue.* [k] *Carondelet.* [l] *du duc d'Arſchot, & du comte de Lallain.* [m] *Seaton.* [n] *Mornow ou Mornew.* [o] *Menin.* [p] *Becclare.*

propriis, ad omnia tanti imperatoris dicto audientes, periculis quibuſque ſuperatis, ſe promptos ſtrenuoſque ſine murmure ubique praeberent, et, cum Meningam ſtipendia ſua advecta nunciatum eſſet, non pecuniam nnmerandi ſed rem fortiter gerendi tempus inſtare reſponderent. Huic ſane viro permultum debuit Gallia, qui, dum ceteri proceres ac belli duces apud nos ſive aevi ſive aulae vitiis corrupti gentis ſuae exiſtimationem decoquerent, unus antiquum Gallici nominis decus innocentia vitae, fortitudine, adſtricta militari diſciplina, ac prudentia, quae cunctae ſimul virtutes in eo incomparabiles et ſine fuco fuerunt, domi foriſque aſſertum conſervavit.

XXVI. NEC ceſſabatur in Friſia, ubi res ex veterum odiorum et novae unionis [a] Ultrajecti ſancitae occaſione turbavere. Nam cum in eam Omelandenſes juraſſent, Groëningenſes ſtudio contradicendi potius quam certo conſilio eam recuſarunt. Igitur ab Ordinibus Georgio [b] Lalanio Rennebergio provinciae praeſidi mandatum, ut diſſentienteis ab aliis in officio contineret, et rationes concordiae conſtituendae inter eos iniret. In id comitia [c] Wiſcvlietae indicta; ad quae citati Groëningenſes cum privilegia ſua cauſati non comparerent, Rennebergius id pro rebellione accipiens militem conſcribit. Idem illi faciunt per [d] Wineenbergium militiae ſuae praefectum. Eo forte, antequam quidquam tentaret, Archemae capto, Rennebergius ad eos III Non. Maii [e] Niorta ſcribit; et excuſato, quod non Groëningae ſed Wiſcvlietae comitia indixiſſet, ob comprehenſos ſpreta praeſentia ſua ultimis in urbe celebratis Omelandenſeis, ad componendas diſſenſiones e duobus alterum poſcit, ut aut praeſidium accipiant, aut obſides tradant. Ad haec, [f] Camerae regiae conveniendi poteſtatem interdicit. [g] Delfezielam item et Winſumam rurſus, (ita quippe ſibi ab Ordinibus mandatum) munire aggreditur; idque negotii Joanni [h] Cornupeto demandat. [i] Damum praeterea vallo et foſſa cingi coeptum, quod hnc uſqne moenibus foſſaque caruerat, ex quo, a [k] Meinardo Hammeo et Bernardo [l] Hacforto Caroli Ecmundani Geldriae dncis nomine munitum, a Georgio Schenkio, duobus his tribunis a proprio milite in Schenkii manus perfidioſe traditis, moenibus munimentiſque nudatum fuit anno CIϽIϽXXXV. Cum Rennebergius ad rebellionem apertam Groëningenſeis ſpectare cerneret, aperto quoque bello eos invadit, et XI Kal. Jun. urbem corona cingit, duce [m] Vlieto, Oltofio, Entenſenio, Rinſvoda, Cornupeto, Hottinga, Eſcheda, Weda, Scageno. Ea, primum muris cincta anno CIϽ CX et longo poſt tempore alto latoque aggere ac propugnaculis munita, in ſolo pabuli frumentique feraci ſita eſt, duobuſque ex nigris [n] Drenthae paludibus prodeuntibus fluminibus alluitur; quorum alterum ad Delfezielam in [o] Amiſum labitur; alterum in amnem [p] Lauverſam tendens ac [q] Marnam praetervectum in oceanum effunditur. Urbs hodie ſpatioſa et civibus ditibus frequens, olim epiſcopi Ultrajectenſis juriſdictioni ſubjecta, dein, ob potentiam excuſſo jugo, toti Friſiae occidentali, excepta [r] Franikera, quodammodo dominari viſa eſt, variis a dominis viciſſim poſſeſſa, ab [ſ] Emdenſi aliquando comite, qui et arcem in urbe exſtruxit, dein a Geldriae duce; ac poſtremo Carolum V in principem accepit anno, quem dixi, hujus ſaeculi XXXV, ceremonia publice ea de re VII Eid. Junii celebrata. Primum a Rennebergianis abacti greges: hoc belli infeſte gerendi initium fuit Kal. Jun. contra qnos egreſſi Groëningenſes cum magno ruſticorum nnmero ab exigua militum manu repreſſi caeduntur. Inde totis viribus eruptio tentata, foeminis etiam conatum adjnvantibus: quod cum ſemel atque iterum illis infeliciter et magno accepto damno ſucceſſiſſet, demum, infractis animis, petitum ab obſeſſis colloquium; et a Rennebergio, qui, [t] Trajecto capto, ne [u] Farneſius eo vireis

INTERPR. [a] *Utrecht.* [b] *de Lallain, comte de Renneburg.* [c] *Wiſchvliet.* [d] *Winkenberg.* [e] *Nieuort.* [f] *chambre du Roy.* [g] *Delfziel & Winſum.* [h] *le capitaine Cornput.* [i] *Dam.* Meteren le nomme *le Dain.* [k] *Meinart de Hain.* [l] *Hacfort.* [m] *Vliet, d'Olthof, Entens, de Rinſwoude, de Cornput, de Hottinga, d'Eſcheda, de Weda, & de Scaghen.* [n] *Marais de Drenthe.* [o] *Ems r.* [p] *Lauwer r.* [q] *la Marne.* [r] *Franeker.* [ſ] *d'Embden.* [t] *Maeſtricht.* [u] *le prince de Parme.*

vireis verteret, metuebat, facile conceſſum. Itaque his conditionibus fit deditio; ut obedientiam Groëningenſes Matthiae, Arauſionenſi, Ordinibus ac Rennebergio jurarent; praeſidium, ſi opus eſſet, admitterent; pacem religionis acciperent; diſſidia cum Omelandenſibus ac circumpoſito territorio arbitris ac diſceptatoribus amicis decidenda committerent. In id VI obſides arbitrio Rennebergii dati; qui fere ex iis delecti, qui Hiſpanorum partibus favere credebantur. Ita B. Joannis feſto die Rennebergius, re confecta, Groëningam ingreditur. Paulo ante Drentenſes IV Rennebergii cohortes expulerant, vim et contumelias ab iis illatas cauſati. Igitur praeſes Kal. Quintil. cum aliquot copiis et III tormentis caſtrenſibus per [a] Drentam recta [b] Coëvordam tendit; ubi fere magiſtratus ex Hiſpanorum fautoribus erant; qui adventu ejus territi aufugerunt. Oppidani mox in fidem ejus conceſſere. Solae [c] Oldenzela et Lingena ne quidem Groëningae exemplo ſapere potuerunt; ſed praeſidii onus deprecatae blandis utcunque ſermonibus ſe excuſaverunt. Cum minas intentaret praeſes, niſi parerent, nihil durius tamen in eas ſtatutum eſt: quod arcani foederis jam tum initi et defecturi ab Ordinibus Rennebergii pleriſque ſuſpicionem auxit. Coëvordam, quod iter ex Friſia et Omelandia in Germaniam facientibus opportunus locus videretur, et parum Oldenzelae et Lingenae fideret, ſibi cum primis muniendam duxit praeſes: idque negotii Cornupeto dedit; qui arcem cum quinque propugnaculis loriciſque ac profunda foſſa condendam delineavit: verum opus ob varias difficultates potius inchoatum quam perfectum. Urbem antea Theodorus [d] Sonoius munire coeperat, ob loci opportunitatem, quippe quae in aliarum urbium quaſi umbilico poſita a Lingena V milliaribus, totidem ab Oldenzela, [e] Daventria IX, [f] Swolla V, [g] Steenvica VI, [h] Groëninga VII diſtet. De ea olim magnae controverſiae fuerant. Itaque ſaepe capta ac recepta, ſaepe diruta et inſtaurata eſt: demum hujus ſaeculi anno XXXVI Georgio Schenkio a praefecto [i] Silvagio Sicambro tradita, Philippi poſtea juſſu, quod [k] Lingam pro limite conſtituiſſet, ſolo aequata fuit. Rurſus a Sonoio proximo anno, uti dixi, muniri coepta, a [l] Bertelo Entenſio omiſſa munitione, arx fundamentis a Cornupeto jactis regia amplitudine ſuperaedificata eſt.

XXVII. NEC quietior fuit Tranſiſelana proxima, ruſticis ad deſperationem ob militum paſſim ferro, rapinis et incendio graſſantium licentiam adactis. Praecipua vis a Germanis nuper in Brabantia dimiſſis facta, quibus praeerat regulus [m] Kurbachius, qui ob non ſoluta ſtipendia miris ac violentis exactionibus paſſim ſaeviebat, fortuito tandem caſu pulvere nitrato ignem concipiente abſumptus. Nec mitiores erga populareis ſuos Entenſenii milites erant: contra quos arma capiunt ruſtici, eoſque et duas equitum turmas Coëvordam uſque inſecuti, impedimenta, equos et currus ultione ardentes diripiunt. Verum, incumbente poſtea Bertelo Entenſenio, ipſi viciſſim in fugam verſi et magna clade affecti ſunt; Drentenſibus etiam ad ſolutionem XVIII florenorum CIↃ a praefecto imperatorum deploranda agrorum depopulatione adactis: quorum querelis aſſiduis victus Rennebergius poſtremo iis, jam tum, ut creditur, de defectione cogitans, poteſtatem fecit, militibus quibuſque, etiam ſuae legionis, niſi ſpecialia mandata, de quibus ruſticis conſtaret, ab eo haberent, manu armata reſiſtendi: nec tamen tot damnis affecti Friſii ea facultate uſi ſunt. Soli Tranſiſelani, quod ſe ſatis armis inſtructos crederent, defenſionem parant, factione, cui deſperatorum nomen fecere, inſtituta, ſignis etiam impreſſa factionis ſuae nova ruſticiſque digna nec omnino abſurda teſſera: nam in iis gladius ſtrictus depictus erat, et media ovi teſta, vitello effuſo prope adjacente: quo ſignificabant extrema neceſſitate ad arma compulſos deveniſſe; quippe qui, quod ob ovum ipſum hactenus noluiſſent,

tandem

INTERPR. [a] *le Drenthe.* [b] *Coevorden.* [c] *Oldenzeel & Lingen.* [d] *Sonoy.* [e] *Deventer.* [f] *Swoll.* [g] *Steenwijck.* [h] *Groningue.* [i] *Solbach Gueldrois.* [k] *Lingen.* [l] *Bertel Entens.* [m] *le baron de Kurtzbach.*

tandem ob teſtam depugnare cogerentur. Eos ut cohiberet, ab Arauſionenſi, exemplum CIↃIↃLXXIX. verito, neque tameo juſtam cauſam ſubeſſe infiëiante, miſſus Hohenlous comes. Con- HENRICUS III. ditiones nullas admittentibus ruſticis eum vim adhibere vellet, a majore numero circumventus periculum vitae adiit. Sed mox belli rudeis ad monaſterium [a] Sionis et [b] Roltam pagum inſtructior invadens, ſemel atque iterum plus CIↃ ex iis lameotabili ſtrage deletis, poſtremo, pecunia imperata, etiam arma deponere coëgit.

XXVIII. INTEREA Ordines poſt irritum Colonienſem conventum undique anguſtiis preſſi, cum nec pecunia io militem, oec miles, pecunia deficiente, ad hoſtium vim ſuſtinendam ſuppeteret, et, provinciis paſſim deficicotibus, ulteriora metuerent, de potentis alicujus principis patrocinio implorando cogitare coeperunt. Itaque Arauſiooenſis, eum adhue Gandavi eſſet, ſuper capitibus ab unitis proviociis de pacificatione, pecuniarum collatiooe, cootractu cum Andium duce et provinciarum adminiſtratione conſultus, reſponſionem ſuam publice edendam euravit.

XXIX. HOC anno conventu [c] Lubecam indicto, quamvis rari co civitatum foederatarum legati veniſſent, de [d] maritimae ſocietatis foedere renovando actum eſt; et formula, ultimo conventu ante ſeptennium ab Hermanno [e] Vecheldio juriſconſulto urbis eonſule conſeripta, demum ſemel atque iterum lecta et approbata eſt. Soli Colonienſes ſe anni LVII foederationi ſtare, nec ſine conſenſu civitatum ſuae dioeceſis oovae ſormulae aſſentiri, ant in formam in jure procedendi adeo anguſtam cogi poſſe reſponderunt. Majus oegotium fuit in deliberatione de Londinenſi emporio et Anglorum commerciis. Nam, cum Angli inſtitores totum jam deeennium Hamburgi ſedem certis conditionibus habuiſſent, et regina conditiones ſeu privilegia a ſenatu Hamburgenſi eoneeſſa exeunte jam deeennio renovari ae prorogari peteret, Hamburgenſes rem ad civitatum conventum tejecerant, ſine quarum conſenſu, ſalvis ſocietatis juribus, nihil ſtatuere poſſent. Igitur Vandalicae civitates ad Eliſabetham ſcribunt, et ad ſormulam Ultrajecti inter Edvardum IV et ſocietatis civitates anno CIↃCCCCLXXIV cooventam appellant, modumque ea praeſcriptum ſervari et privilegia ſua vieiſſim confirmati petunt. Ad haec regina; negare ſe quidquam conceſſuram, priuſquam libertatem ſuis Hamburgi manendi et privilegia hue uſque coneeſſa coofirmata intellexerit: hane repulſam ad injuriam Anglorum pertinere, qui, ſi civitate ea ejiciantur, aliquid ſua eulpa feciſſe vulgo credantur neceſſe eſt, ob quam indigni conceſſa ſemel gratia videantur. Hoc reſponſo dato, deeretum promulgat, niſi conſul ae ſenatus ſocietatis Londini inſtitutae ante diem viceſimnm quintum Martii idooee reginae caveat, Anglos inſtitores Hamburgi et in aliis ſocietatis civitatibus eandem libertatem manendi ac negotiandi habituros eſſe, quam alii ſocietatis mercatores Londini habeant, eo die elapſo, etiam ſocietatis mercatoribus libertatem priſtinam in Anglia ademptum iri, eoſque pari cum reliquis peregrinis inſtitoribus conditione fore. Suſpenſa decreti executio, rogante Lubecenſi ſenatu, uſque ad Kal. Maias, quo, in eonventu conſilio communicato, reſponſuri eſſent: eeterum a regina additnm, oeminem ad illarum mercium exportationem importationemve ulterius admiſſum iri, niſi praedibus datis, ſi minus idonee civitates reginae ex conventu reſpoodiſſent, nec ipſius voluntati ſatisfeciſſent, reliquum id omne vectigal depenſum iri, quod interea minus quam ab aliis peregrinis penſitatum inveniretur. Tandem in hoc conventu, poſt honorifieam praefationem de cultu, obſervantia ac conjunctionis cum Anglorum regno deſiderio, reſpondent; non ſua tantum ſuorumque eivium privata ſed publica vicinorum omnium non ferenda amplius jactura ipſam abunde expertam eſſe, libertatem manendi Anglis ſupra deeennium factam citra plurimorum civium damnum,

INTERPR. [a] *Sion.* [b] *Rolte.* [c] *Lubeck.* [d] *la Hanſe Teutonique.* [e] *Vecheld.*

damnum, diſcordiam, aemulationem, ſociarumque civitatum querelas continuari non poſſe: proinde communibus votis orare majeſtatem ſuam aequo ac candido animo ferat, ſi intra antiquarum tranſactionum limites, quamdiu religioſe ſervatae ſunt, utriſque juxta honeſtarum ac ſalutarium, civitates manere cupiant, ac novarum rerum incommoda ac diſcrimina ſubterfugienda exiſtiment. Ea reſponſione quanquam legati ſe officio-defunctos et reginae plane ſatisfactum putarent, tamen illa non ſolum non placata eſt, ſed retentis Hamburgenſium navibus poſtea ſe magnis difficultatibus ac controverſiis cum ſocietate implicuit. Actum et ibi de emporii [a] Bergenſis in Norvegia oneribus, et de ſede in Livonia reſtituenda; de tollendo item vectigali novo, quod irrecuperabili civitatum damno in [b] Helleſponto Danico exigebatur; ac poſtremo de collationibus pecuniarum. [c] Emdenſis quoque civitas, ſitu opportuna in [d] Caucis ad [e] Amaſi aeſtuarium ſita, per Onnonem [f] [1] Tibureum urbis ſenatorem in ſocietatem recipi poſtulavit. Is vero interrogatus, an plenam a ſenatu poteſtatem ſine ullo comitum ſuorum impedimento haberet, cum id gratum comitibus fore reſpondiſſet; viciſſim et legati reſponderunt, gratam ſibi et comitum ac civitatis voluntatem eſſe, quae ſocietati aggregari cupiat: verum, cum uſu receptum ſit, ne ulla civitas in foedus recipiatur, priuſquam ſenatus Lubecenſis et ſociarum civitatum auctoritas acceſſerit, de conditionibus quidem inpraeſentiarum agi placuit, ceterum rejecto negotio in tempus, quo legatis de comitum Emdenſium voluntate et Lubecenſium ac civitatum conſenſu conſtaret: ſed, cum ſequenti anno, ejectis Hamburgo Anglis, Emdenſes ab Eliſabetha ſolicitati ſedem in ſua civitate attribuiſſent, id ad injuriam revocantes ſocii gratiae quoque promiſſae ſpem praeciderunt. Eodem tempore Hamburgenſes, jam totum ſexennium regis Daniae mandatu a portubus Daniae, Norvegiae et Iſlandiae, maximo negotiantium civium damno, excluſi, [g] Flensbergum miſſis legatis cum rege tranſegerunt, interventu Auguſti Saxonis ſeptemviri et Ulrici [h] Megalopolenſis, his fere conditionibus; ut naveis eorum liberas dimitteret; novum vectigal ſali impoſitum deinceps remitteret; iiſque in gratiam acceptis libertatem commerciorum in ſuis provinciis, qualem a prima tranſactione anni CIƆIƆLXII habuerunt, reſtitueret. Quas conditiones illi in grati animi teſtimonium (hic color honeſtus quaeſitus) L Joachimicorum CIƆ in quinquennium dependendis redemerunt. De altera controverſia, quae ad liberam [i] Albis navigationem pertinet, ad conventum proximo anno [k] Kielae inſtituendum rejectum negotium; ad quem et ceteri Holſatiae principes pro jure quiſque ſuo convenirent; interim utraque pars jura ſua illibata citra violentiam aut maleficium in Albi retineret. Id actum Nonis Quintilibus. [α]

XXX. E BELGIO et Germania jam tandem in Britanniam deſcendamus, ubi regina inter graviores curas, a quibus nunquam ceſſabat, a Joanne [l] Simieo [m] Andini heri ſui juſſu de nuptiis ſolicitabatur, aſſidue ad ejus aureis excubante, non ſine aulicorum fremitu, qui tantam cum homine externo familiaritatem haud aequis oculis aſpiciebant. Acciditque, ut quidam e ſatellitio reginae in perniciem Simiei a [n] Leiceſtrio ſubornatus diceretur, quod edicto locum dedit, quo enixe jubebatur, ne quis dicto factove Simieum, ejus famulos aut comitatum laederet. Poſtea cum phaſelo per [o] Tameſim, cum Simieo, [p] Lincolniae comite, [q] Hattono, juxta [r] Greenwicum deveberetur, ſcloppeto a juvene inconſiderate diſploſo, et brachio remigis glande perſtricto, ſuſpicio aucta; ſtatimque juvenis ad patibulum ductus, cum nihil conſilio [a] factum

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur 56 circiter lineae, uſque ad* Hibernia Graecis, *deſunt D. f.*

INTERPR. [a] *Berghen.* [b] *Deſtroit de Dannemarck*, al. *le Sund.* [c] *Emden.* [d] *Ooſt-Friſe.* [e] *Ems r.* [f] *Tibaren.* [g] *Flensburg.* [h] *le duc de Mecklenburg.* [i] *l'Elbe.* [k] *Kyel.* [l] *de Simié.* [m] *le duc d'Anjou.* [n] *le comte de Leiceſter.* [o] *la Thamiſe.* [p] *Lincoln.* [q] *le chevalier Chriſtophle Hatton.* [r] *Greenwich.*

NOT. [1] Tibarenum *Put.*

factum conſtaret, exorante Simieo, culpaque facile a regina condonata, dimiſſus eſt: non enim temere de ſuis quidquam ſiniſtri aut alienum a fide ſibi perſuadebat; vulgoque dicere ſolebat, nihil de ſubditis credere, quod de liberis credere parentes nolunt. Mox et ipſe Andinus ea fiducia, parvo admodum comitatu, ut a nemine cognoſceretur, in Angliam venit, et, in arcano aliquoties cum Eliſabetha collocutus, nutantem poſtremo ad nnptias impulit. Itaque tandem perſcriptae a [a] Cecilio, [b] Suſſexio et Leiceſtrio cum Simieo conditiones. CIƆIƆLXXIX. HENRICUS III.

XXXI. ANGLIS, qui ab Andino alieni erant, religio obtendebatur, quam nuptiis illis in periculum vocari aiebant: nec minus Scoti ob eandem cauſam ſibi metuebant, alterius Galli in Scotiam adventu, quem a Proteſtantium doctrina alienum ſciebant: pontificis ac Guiſianorum inſtigatu eo miſſum Eliſabetha ipſa ſuſpicabatur, nt res, religione mutata, non ſolum in Scotia, ſed etiam in Anglia novaret. Is fuit [c] Amatus Stuartus, Joannis [d] Albinii filius, et Albinii, qui bello Neapolitano, Carolo VIII rege, magnam fortitudinis laudem meruit, abnepos, qui Catharinam Balſacam [e] Interamnatis viri primariae apud nos nobilitatis et Guiſianis addicti ſororem ante octo annos in uxorem duxerat. Enm tex puet ob conſanguinitatis proximitatem ſua benevolentia complexus opimis praediis ſtatim donavit et a conſiliis adhibuit, Scotiaeque camerarium et [f] Britannoduni, quae munitiſſima in tegno arx eſt, praefectum conſtituit, ac poſtremo [g] Leviniae comitem et mox ducem creavit. Tot cumulatis honoribus ac beneficiis ei conflata invidia apud proceres, ex eo aucta, quod ille ſtatim ſe [h] Mortonii adverſariis applicuit, et de Thoma [i] Ketro Fernihurſtio, qui Scotorum reginae partes conſtantiſſime tutatus fuerat, ab exilio revocando mentionem injecit. Nam contra pugnabat Mortonius, qui Hamiltoniis profligatis bene ſibi de tege ac regno meritus videbatur. Is Hamiltoniam arcem et [k] [a] Daffraninm, dedentibus quibuſdam e nobilitate, qui eas ad ſui defenſionem tenebant, nuper receperat; quos et [l] Moravii et [m] Matthaei proregis caedis reos ſenatus judicio peregerat; verum illi in Angliam confugerunt, et apud reginam elementiſſimam, quae harum rerum judicium ſibi reſervaverat, tutiſſimum perfugium habuerunt.

XXXII. MAJOR ab Hibernicis turbis eo anno metus, nbi Jacobus [n] Fitz-moriſius, qui ſe ſupplicem [o] Perotto Momoniae praeſidi ante biennium ſtiterat, et fidem obſequiumque teginae tum prolixe detulerat, totam inſulam paene commovit. Is fidem Perotto datam cum ſtatim irritam feciſſet, in Galliam primum venerat, regi ac Guiſianis pollicitus, ſi ſuppetiae ferrentur, ſe [p] Hiberniam ſceptro Franco-Gallico adjuncturum et teligionem Romanam in inſula inſtauraturum: vanitatem a noſtris ſuam derideri cum doleret, in Hiſpaniam tranſiit, ubi majore credulitate exceptus et exigua aliqua pecunla donatus ad pontificem remiſſus eſt. Romae, Nic. [q] Sanderum et [r] Alanum Hibernum presbyteros nactus, quod voluit facile impetravit: nam et Sanderus arcana legati dignitate auctus; et ipſe, conſecratum a pontifice vexillum conſecutus, inde protinus in Hiſpaniam cum literis commendatitiis revolat; et, VII ex Cantabrica legione cohortibus a Philippo acceptis, cum iis circa Kal. Quintil. in Hiberniam ad [ſ] S. Mariae vicum in Kerriae peninſula appulit, et in loco rite a ſacerdotibus conſecrato munimentum erexit, ſubductis juxta navibus, quas Thomas [t] Courtneius, qui haud hinc longe ſtationem habebat, confeſtim aggreſſus cepit, et captis navibus Fitz-moriſium maris beneficio exeluſit. [β] Hibernia Graecis Iërne dicta, Britanniae

VAR. LECT. [a] Dumfrizlum *D.* d. Ed. Gen. [β] *Quae ſequuntur* 14 *circiter lineae, uſque ad* Midia, *occurrunt ſub finem lib.* LXX *in D.* f.

INTERPR. [a] *Cecil, baron de Burghley.* [b] *le comte de Suſſex.* [c] *Eſme Stuart.* [d] *le ſieur d'Aubigny.* [e] *François de Balſac, ſieur d'Entragues.* [f] *Dunbritton.* [g] *Lenox.* [h] *le comte de Morton.* [i] *Ker, ſieur de Fernihurſt.* [k] *Daffrane.* [l] *le comte de Murray.* [m] *Matthieu, comte de Lenox.* [n] *Fitzmorris.* [o] *le chevalier Jean Perrot, preſident de Munſter.* [p] *Irlande.* [q] *Sanders.* [r] *Allen.* [ſ] *S. Marie-wick, al. Smerwick en Kerry.* [t] *Courtenay.*

CIƆIƆLXXIX.
HENRICUS III.

Britanniae ad occaſum verſus ſeptentrionem oppoſita, [α] ccc milliaribus in longitudinem, CL in latitudinem porrigitur. Cum inteſtinis diſſenſionibus olim vexaretur, in Henrici II Anglorum regis, [a] Penbrochiae comite in ea bellum adminiſtrante, poteſtatem conceſſit anno Chriſti CIƆCLXXII, ut ſcribit Sylveſter Giraldus Cambrenſis, ipſius Henrici contemporaneus, et ab eo cum Joanne regis filio in Hiberniam miſſus. In praecipuas V provincias, et hae ſingulae in comitatus diſtinguuntur. Momonia ad meridiem ſita eſt, in qua [b] Deſmoniae comes a pontifice et Hiſpaniae rege ſtimulatus huic bello initium fecit. In ea [c] Caſſilienſis archiepiſcopus, et ſub eo [β] XII ſuffraganei. [d] [γ] Lagenia ad ortum [δ] VII comitatus ſub ſe continet; habetque [e] Dublinium metropolim, proregis, ſupremi ſenatus et archiepiſcopi ſedem. [f] Ultonia omnium ampliſſima ad ſeptentrionem, olim a ſilveſtribus tantum indigenis inhabitata, nunc coloniis Anglorum eo deductis ſenſim manſueſcit; ac ſub ſe X comitatus complectitur, archiepiſcopique ſedem [ε] [g] Armachae habet: in ea B. Patricii antrum diris et horrendis ſpectaculis famoſum. [ζ] [h] Connachtia ad occaſum: in ea metropolis [i] Tuama. [*] [k] Midia, quae et Media dicta, in medio ſita eſt: in ea Laberus antiquae memoriae, hodie Kil-lair, ut creditur, in ipſo inſulae umbilico, et [l] Trimma. Fama de pontificii ducis adventu, ſic enim ad ciendos plebis ruſticae animos jactabatur, per inſulam ſparſa, Joannes et Jacobus Deſmonii comitis, qui in occulto expeditioni favebat, fratres, cum parva Hibernorum manu ſtatim ſe [m] Fitz-moriſio adfini conjungunt: Deſmonius, qui initio diſſimulabat, ſuos convocat, quaſi obſtiturus: ubi vero [n] Clancariae comitem cum delectis copiis contra hoſteis venientem vidit, eum ſubdole mora injecta amolitus eſt. Prorex, ubi de re per nuncios comperit, ad Deſmonium et fratres ſcribit; iiſque per Henricum [o] Davillium imperat, ut munimentum a perduellibus in peninſula erectum conjunctis viribus e veſtigio adoriantur. Rurſus artificioſe mora a fratribus injecta. Diſcedentem Davillium ſubſequitur Joannes, et ad [p] Trallium oppidum nactus publico in hoſpitio cum Arturo [q] Carteto Momoniae [1] tribuno altum dormientem opprimit, ipſumque, fidem ejus implorantem, ac filium cum aetatis praerogativa, ſicuti inter commilitones aſſolet, fruſtra vocantem, multis vulneribus conficit. Totaque familia trucidata, ad Hiſpanos, qui cum Fitz-moriſio venerant, adhuc cruentus redit; et de re glorians, En meae, inquit, in vos et hanc cauſam fidei pignus. Sanderus, qui aderat, hoc ut ſuave coram Deo ſacrificium laudare viſus, cum Fitz-moriſius caedis rationem maxime improbaret, et rixa in via excitata quam in [2] tecto id factum mallet: Deſmonius vero frater toto animo deteſtatus eſt. Hiſpani, qui viderent triſtem ubique ſolitudinem, contra quam Hiberni ſacerdotes promiſerant, et amiſſis navibus nullibi mari effugium, terra omnia infeſta, ſe captos inclamare, fidem datam repoſcere, immanitatem inſulanorum, cujus in ſe ultionem metuebant, palam execrari: quos melius ſperare Fitz-moriſius, quantum in ſe erat, jubebat; factaque auxiliarium copiarum, quae brevi venturae erant, ſpe, voti, quod in Hiſpania fecerat, religione attineri ſe dixit, cujus ſolvendi cauſa iter ad

S. Crucem

VAR. LECT. [α] c miliaribus in longitudinem, hoc eſt a Randanicorum montium ora ad Columbae promontorium, L in latitudinem ab urbe Dublino ad D. Patricii colleis porrigitur. *D.* f.

[β] IX *D.* f.

[γ] Langenia *D.* f.

[δ] X comitatus *D.* f. VI comitatus *Ed. Gen.*

[ε] Armacanae *D.* f.

[ζ] Connactiae ad occaſum metropolis Teutmonia *D.* f.

[*] *Quae hic ſequitur de rebus Hibernicis per duas amplius paginas deducta narratio deeſt D.* f. *qui tantum habet haec verba.* In umbilico ſive Media Leberi ſive Cilari et Drogdae ſiti ſunt. Juxta Limricum exſcenſione facta, munitionem eo in loco excitari placuit, quae et ſitu firma et propugnaculis convenienter diſtincta brevi in eam altitudinem perducta eſt, ut contra magnas vireis defendi poſſet.

INTERPR. [a] *Pembroke.* [b] *Deſmond.* [c] *Caſhels.* [d] *Leimſter.* [e] *Dublin.* [f] *Ulſter.* [g] *Armagh.* [h] *Connaught.* [i] *Tuam.* [k] *Meath.* [l] *Trim.* [m] *Fitz-morris.* [n] *Clan-carty.* [o] *Davill.* [p] *Trally.* [q] *Carter, lieutenant du mareſchal de Munſter.*

NOT. [1] *Lege* protribuno. *C.* [2] lecto *Camd.*

CIƆIƆLXXIX. HENRICUS III.

[a] S Crucem Tipporariae ſe ſuſcipere ſimulavit, re, ut ruſticos per Connachtiam et [b] Ultoniam ad ſeditionem cieret. Parvo comitatu, cum per terras Gulielmi a [c] Burgo affinis, qui priore conjuratione cum eo fuerat, ſed poenitentia ſubeunte ad obſequium redierat, incederet, deficientibus jumentis, obvios equos ad aratrum junctos ſolvi jubet; quod fruſtra impedire conati ruſtici clamore ſublato viciniam ad ſua recuperanda convocant; inter quos filii Gulielmi juvenes animoſi, qui hoc ad injuriam ſuam pertinere exiſtimabant, ſubito conſcenſis equis, advolant; et poſt mutuas utrinque exprobrationes, cum equos reddere Fitz-moriſius recuſaret, Theobaldus fratrum maximus haſta contorta in eum irruit, et accenſo certamine Theobaldus cum uno e fratribus ac nonnullis ſuorum occubuit: ipſe Fitz-moriſius, capite glande plumbea icto, cum pleriſque e ſuis cecidit, cadavere membratim diſſecto: caput amputatum palo ad Kilmaloci portas ſuffigitur, ubi paulo ante fidem in templo tam diris cum obteſtationibus Perotto dederat. Eliſabetha de morte filiorum Gulielmum per literas amantiſſimas conſolata cum baronis [d] Caſtro-Conelli titulo ornavit, et annua penſione muneravit; qui haud diu cladi ſuorum ſive regiae gratiae ſuperfuit. Interea Drurius prorex ad [e] Kilmalocum caſtra promoverat; quo Deſmonium adhuc in ſimulatione perſeverantem ad ſe evocat, et fide accepta ad ſcribendum militem dimittit. Is vero nuſquam poſtea comparavit: tantum filius unicus et heres obſidis loco ab uxore datus. Joannes ejus frater Fitz-moriſii loco dux ſuffectus primum virtutis periculum fecit contra [f] Herbertum et Priſium Anglos, quos inſidiis exceptos cecidit: ipſe leve vulnus in facie accepit. Prorex adfecta valetudine cum militem novo per [g] Devoniam delectu ſuppleviſſet, Perotto ex Anglia cum VI navibus ad oram maritimam tuendum appulſo, [h] Waterfordiam extrema neceſſitate compulſus divertit; et exercitum Nic. [i] Malbeio veteranae militiae duci impigro tradidit, ipſumque [k] Momoniae praefectum conſtituit. Malbeius ante omnia comitem [l] Deſmonium, de quo adhuc dubitabat, officii admonitum, ut ad ſe veniat, jubet. Illo imperium detrectante, nihil cunctandum ratus per [m] Conilonem ſilveſtrem regiunculam contra hoſtes ducit; ubi Joannem Deſmonium pontificio vexillo explicato incedentem aggreſſus, collatis cum eo ſignis, acriter conflixit. Anglis ceſſere ad extremum Hiberni et Hiſpani: ipſe Joannes fuga ſe periculo eripuit, ſuis ad occiſionem relictis; inter quos [n] Alanus presbyter repertus, qui promiſſa victoria ſuos ad pugnam fortiter capeſſendam incitaverat. Proxima nocte Deſmonius comes, in propinquo rei eventum opperiens, nondum animo omnino renudato, literas ad Malbeium mittit, quibus ei de ſucceſſu gratulabatur, et ſubinde, ut inde caſtra moveret, ſubmonebat: quem remiſſo ſtatim nuncio Malbeius denuo ut ad ſe veniat rogat, et vires conjungat: nam, cur inde diſcedant, cauſam ſe videre nullam. Quatriduum in veſtigio moratus, cum comes non veniret, ad [o] Rekelium Deſmoniae oppidulum caſtra movet. Tum vero comes ſimulationem abrumpit: ejuſque defectione audaciores hoſtes redditi Anglica caſtra nocte jam profunda oppugnant. Irritus fuit conatus; quippe optime munitis caſtris: et opportunum viſum, ut locus ad disjungendas hoſtium vireis praeſidio firmaretur. Inde Malbeius ad [p] Askettenum in rupe caſtrum poſitum cognomine fluvio circumfuſum ducit, quod manu armata a comite tenebatur, prius monito eo, ut ſe reſpiceret, nec familiae perantiquae decus ac majorum gloriam rebellionis infamia foedaret: adhuc integra illi apud clementiſſimam reginam conſtare omnia, quae procul dubio praecipua ſit ipſum benevolentia complexura, ſi exemplo ſuo fratres et reliquos inſulanos in officio contineat. Dum Malbeius monitis comitem urget,

comes

INTERPR [a] *St Croſs in Tipperary.* [b] *Ulſter.* [c] *Burgh.* [d] *Caſtle-Conell.* [e] *Kilmalock.* [f] *Herbert & Pryſe.* [g] *Devonſhire.* [h] *Waterford.* [i] *Malbey.* [k] *Munſter.* [l] *de Deſmond.* [m] *Conilo.* [n] *Allen.* [o] *Rekel.* [p] *Asketten.*

CIↃIↃLXXIX. HENRICUS III.

comes animum in propoſito obfirmat. Mors proregis intervenit, viri bellicis expeditionibus in Gallia, Scotia et Hibernia clari: eoque mortuo, intermoritur una Malbeii in Momonia auctoritas; et ipſe continuo in [a] Connachtiam provinciam ſibi commiſſam receſſit: cujus diſceſſu Deſmoniani priſtinos animos reſumunt, et Jacobus [b] Adarum, ubi Gul. [c] Stanleius et Georgius [d] Carewus ſtationem habebat, corona cingit; ſed crebris obſeſſorum eruptionibus fatigati hoſtes poſtremo ab obſidione diſceſſerunt. Inde praeſidiarii, qui fame premebantur, libere ad praedas effuſi; acriterque inibi certatum, ipſo Jacobo graviter ſauciato. Interea [e] Dublinii inter regni conſiliarios de ſumma rerum conſultatum, populis, vacua belli ſummo duce provincia, ubique tumultuantibus: et, dum novus prorex a regina mitteretur, placuit, ut Gul. [f] Pelhamus, qui juri dicundo cum ſumma auctoritate in inſula praeerat, ſummum armorum imperium haberet, et [g] Ormondiae comes Momoniae praeficeretur: qui Deſmonii filium obſidem a [h] Drurio ſibi traditum Dublinii ſtatim ſub cuſtodia miſit. Pelhamus novo imperio auctus in Momoniam ducit, et Deſmonium per literas accerſit; qui cum ſe per uxorem excuſaret, Ormondius ad eum mittitur, additis conditionibus, ut [i] Sanderum belli incentorem dederet, militem extraneum dimitteret, [k] Carigo-Foilum, et Askettenum arces Pelhamo traderet, ſine conditione ſe ſubjiceret, ſuaſque vireis contra fratres ac reliquos perduelleis verteret. His legibus praeteritorum gratia promiſſa: ſi recuſaret, perduellis pronunciaretur. Cum ille tergiverſaretur, ineunte Nov. criminis horrendi ſententia in eum fertur, qua proditor et laeſae majeſtatis reus declaratur, additis cauſis; quod de patria oppugnanda cum externis principibus egiſſet, Sanderum et Fitz-moriſium ſuſtentaſſet, Hiſpanos ad [l] S. Mariae munimentum excepiſſet, fidos reginae ſubditos ſuſpendio necaſſet, contra reginam pontificis Romani vexillum extuliſſet. Tum Ormondius bellum perſequi juſſus, qui Conilonem unicum rebellantium perfugium ingreſſus cuncta longe lateque vaſtat, armentis abactis et praeda militi conceſſa, inde [m] [α] Yoghaliam, jam ante a Deſmonio direptam, venit, et praetorem loci, quod Anglorum praeſidium admittere recuſaſſet, pro foribus ad terrorem ſuſpendi juſſit, ac oppidum praeſidio firmavit. Tum admota caſtra ad [n] Strangicallium, quod ab Hiſpanis tenebatur; qui, periculum vitaturi cum dilaberentur, ad unum omnes inſequentibus Anglis occiſi ſunt, et rebelles tota [o] Momonia atrociter exagitati.

XXXIII. HAEC eo anno in Hibernia acta; qui ultimus fuit Nic. [p] Bacono, magno ſigilli cuſtodi, de quo jam multoties locuti ſumus; viro ſingulari prudentia, ſumma eloquentia, judicio acerrimo et tenaci memoria praedito; qui ſecundum [q] Cecilium, alterum regii concilii columen habebatur. Huic in munere cancellarii titulo ſuccenturiatus Thomas [r] [β] Bromleius. [γ] Suſtulit et hic annus Staniſlaum [ſ] Hoſium, [t] Cracoviae natum; qui [u] Patavii, dein [w] Bononiae, ubi literis eodem tempore operam dabant Alexander Farneſius, Chriſtophorus Madrucius et Otho Truchеſius, (omnes hi in collegium cardinalium poſtea cooptati) juriſprudentiae induſtriam primo addixerat, et lauream ſub ipſo Hugone Boncompagno, qui ſanctae ſedi Gregorii XIII nomine dein praefuit, poſtremo adeptus eſt. Inde domum reverſus maximis legationibus ad Carolum V, Ferdinandum et Philippum Caroli filium, Sigiſmundi Auguſti nomine, magna fidei et prudentiae laude defunctus, ab eoque Warmienſis epiſcopus creatus eſt. Ejuſdem opera, ob raram eruditionem et Theologicarum rerum ſcientiam, Pius IV uti voluit in ſynodi Tridentinae negotio; cui et poſtea cum aliis praefuit, miſſo eo ad Ferdinandum

Caeſarem

VAR. LECT. [α] Jogaliam *D.* d. Togaliam *Ed. Gen. prior.* [β] Brumleius *D.* f. d. *Ed. Gen.* [γ] *Sequentia, uſque ad finem libri, habentur in medio hujus libri, ad p. 303.* *D.* f.

INTERPR. [a] *Connaught.* [b] *Adar.* [c] *Stanley.* [d] *Carew.* [e] *Dublin.* [f] *Pelham.* [g] *d'Ormond.* [h] *Drury.* [i] *Sanders.* [k] *Carigo-Foyle.* [l] *Smerwick.* [m] *Youghall.* [n] *Strangical.* [o] *Munſter.* [p] *Bacon.* [q] *Cecil, baron de Burghley.* [r] *Bromley.* [ſ] *Hoſius.* [t] *Cracow.* [u] *Padoue.* [w] *Bologne.*

Caeſarem et Maximilianum Bohemiae regem, ob idque cardinalem creavit, cum eandem dignitatem antea, Paulo IV deferente, rara hoc aevo modeſtia, enixe deprecatus eſſet. Tandem admodum ſenex, quippe ſeptuagenarium ſextum annum ingreſſus, [a] Capranicae, quo ob nimios urbis aeſtus ſeceſſerat, Non. Sextil. in Deo obdormivit; vir pius, patriae amans, et in amicitiis colendis officioſus. Corpus Romam tranſlatum ad [b] S. Mariae trans Tiberim ſepelitur. Thomas [c] Treterus popularis in mortui laudes orationem publice habuit. Secundum eum commemorandi veniunt duo doctrina praeſtantes viri; Joannes Hartungus [d] [α] Miltenburgi ad Maenum in Franconia natus, qui Heidelbergae primum, dein [e] Friburgi Briſgoiae, literas humaniores Graecas magna cum laude profeſſus, etiam ſcriptis excoluit; et Eraſmus Oſvaldus, in [f] Pannonia ſuperiore, quae hodie Auſtria eſt, ortus, qui primum in patria, dein [g] Ingolſtadii, Lipſiae, Baſileae ac Memingae ac poſtremo Friburgi itidem profeſſus eſt; Mathematicarum artium, quas et ſcriptis illuſtravit, et pariter linguae ſacrae ſcientia, exemplo Sebaſtiani Munſteri praeceptoris ſui, clarus; ut amicitia ac domicilii ejuſdem ratione, ſic et tempore mortis cum Hartungo conjunctiſſimus, eoque ſeptennio minor deceſſit. Paulo poſt Joannes Stadius [β] Antuerpianus, utroque junior, quippe annos tantum LIV natus, Lutetiae Pariſiorum naturae debitum perſolvit prid. Kal. Dec. mathematicarum artium ſcientia cum primis clarus, et inſigni ephemeridum ab anno CIↃIↃLIV ad annum CIↃIↃCVI ſumma diligentia putatarum opere toto orbe celeberrimus. Is primo Lovanii profeſſus, poſtea, cum apud nos, promulgata profeſſione Ramaea, plerique praemio honorifico ad pulcherrimam concertationem invitati eſſent, et ipſe Lutetiam venit, et ea aetate cum junioribus ſe et in primis cum Mauritio [h] Breſſio Gratianopolitano in pulverem hunc deſcendere minime dubitavit; et, judice et auctore Franciſco [i] Foxio Candalla, illuſtriſſimo ſimul ac doctiſſimo viro, qui actioni interfuerat, brabeion cum adverſario ſumma animi aequitate partitus eſt: ſed nonnihil de tanta laude delibavit, quod, dum proceribus noſtris in aula, tam viris quam foeminis, abſconſa, incerta atque adeo futurorum eventa curioſius rimantibus, nimis ſe morigerum praebet, a recta ac certiſſima ſcientiarum, quas profitebatur, via deflectere quodammodo viſus eſt, et mathematicorum, ut olim Caeſarum temporibus, nomen odioſum ſimul ac deteſtandum reddidit. His addam Ludovicum [k] Regium Conſtantienſem, qui utraque lingua doctiſſimus, cum ad eas etiam diſciplinarum omne genus adjunxiſſet, patriae linguae ornandae et excolendae animum applicuit, et Platonem ac Ariſtotelem libris compluribus eorum tranſlatis Gallice loqui docuit, commentariiſque eruditiſſimis explicavit; ac poſtremo, dum mente a vilium rerum cogitationibus abducta rem domeſticam negligit, qui neminem tota vita ſuperiorem ferre potuerat, jam ſenex, aliena quadra vivere coactus, luctuoſa quidem reipublicae literariae, ceterum minime ipſi importuna morte ereptus eſt. In Italia paulo ante V Kal. Quintil. Jo. Baptiſta [l] Hadrianius, patritia gente natus, Florentiae obiit, ad S. Franciſci extra muros ſepultus, cum annos LXVIII explevisſet; vir literis egregie excultus; qui Fr. Guicciardini, poſt antiquos nemini meo judicio poſthabendi, hiſtoriam accurata diligentia perſecutus eſt; hoc eſt, ab anno hujus ſaeculi XXXVI res in Italia geſtas ex commentariis plerumque, ut apparet, Coſmi, magni Etruriae ducis, ingentis animi ac profundae prudentiae principis, luculento opere explicavit; ex quo multa me ſumpſiſſe atque adeo plura quam ex quovis alio in hoc opus tranſtuliſſe ingenue profiteor; incorruptum quippe judicium in iis, quae perſpecta habuit, et fidem cum candore ac ſinceritate animi ſumma conjunctam in hoc ſcriptore deprehendiſſe mihi viſus, ut mirer eum minore inter Italos, quam par ſit, in pretio haberi.

VAR. LECT. [α] Mildeburgi in Franconia *D. ſ. d.* [β] Atuaticus *D. ſ. d.*

INTERPR. [a] *Caprarola* [b] *Santa Maria Tranſtevere.* [c] *Treter.* [d] *Miltenburg ſur le Mein.* [e] *Fribourg en Briſgau.* [f] *Hongrie.* [g] *Ingolſtadt, Leipſick, Baſle, & Memingen.* [h] *Breſſius de Grenoble.* [i] *de Foix, ſieur de Candalle.* [k] *le Roy, de Coûtances.* [l] *Adriani.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER SEXAGESIMUS NONUS.

EPITOME.

STEPHANUS Poloniae rex injurias a Moſco acceptas ulturus ad bellum ſe parat. Magni Holſati in Livonia motus. II. *Moſci ad Polonum ſuperbiae et vanitatis plena epiſtola. Miſſa Romam ad frangendam Moſci potentiam legatio. Joannes Podokoua cum Niſoviis in Poloniam excurrit et capitur.* III. *In comitiis Warſavienſibus decretum contra Moſcos bellum.* IV. *Inde Stephanus Leopolim venit, adducto ſecum Zauſio Turcico; et, ut Amurathem placatum haberet, Podokouam captivum coram Zauſio capite plecti jubet. Moſcis denuo in Livoniam irrumpentibus, Magnus Holſatus impar ſe Stephano ſubjicit. Petrus Wallachiae principatu ut indignus exuitur.* V. *Ad Wendam Moſci caeſi.* VI. *Rebus in regno ordinatis, Stephanus ſummum armorum ducem Nic. Mieletium Podoliae Palatinum dicit; et bellum Moſco denunciat, additis cauſis. Tatari regi operam ſuam ex foedere pollicentur. Gotardus Ketlerus in fidem accipitur.* VII. *Suiri de Moſco invadendo deliberatur, principio a Polotia facto. Ejus ditio, ſitus et obſidio, et tandem ſecuta deditio. Crudelitatis inauditae veſtigia. Bibliotheca Polotiana. Eccleſiae Romanae religio reſtituta, et templi cura ſodalitio Jeſuitico attributa.* VIII. *Mieletii et Bekeſii aemulationes. Socola et Suſa a Polonis captae.* IX. *In comitiis Warſavienſibus belli ſuſcepti invidia Stephanus laceratur. Jo. Samoſcii pro rege oratio; et regis apologia. Niſcerda a Polonis recepta.* X. *In Luſitania rex novus comitia celebrat. Gubernatores creati. Plebs Philippo infeſta. De matrimonio apud pontificem intercedit Philippus.* XI. *In ſucceſſione competitores. Henrici cardinalis averſus ab Antonio Crati Priore animus. Reginae regum noſtrorum parentis jus amplius diſcuſſum. An Portugalliae regnum in electionem cadat.* XII. *Enricis Jeſuitae, qui ei a ſacris confeſſionibus erat, ſuaſu inductus Henricus ad Philippi partes propendet.* XIII. *Odio Caſtellenſium occultus Luſitanorum erga Antonium favor. Peſtilentia Oliſſiponae graſſatur.* XIV. *Impar adminiſtrationi publicae Henrici animus, ac tandem obitus: ſtatimque apertae ante* VIII *menſeis teſtamenti conditi tabulae, quibus ſucceſſorem in ambiguo relinquebat. Antonius ab Henrico pulſus in Luſitaniam redit.* XV. *Philippus bellum parat, dum interim Jeſuitae et Franciſcani in diſcutienda miſeri regni ſucceſſione ludicris diſceptationibus Compluti et Salmanticae fatigantur.*

EX AUCTORIBUS,

Reinholdo Heidenſtenio, D. Chytraeo, H. F. Conneſtagio, Antonio Errera, Petro Beloio.

LIBER

LIBER SEXAGESIMUS NONUS.

BELLO inter Polonos et Moſcos hoc anno initium factum; quo Stephanus Livoniam juris Polonici antea effectam, ſed inde a Suecis inde a Moſcis miſere laceratam, aſſeruit, et imperio firmavit. Is, ſimul ac regni Polonici gubernacula ſuſcepit, more inter principes recepto ad reges ac vicinos principes literas dederat, quibus regnum ſibi delatum ſuamque erga illos benevolentiam ac pacis ſtudium declarabat; et in primis ad Joannem Baſilii filium magnum Moſcorum ducem miſerat Stephanum [a] Grudeſcenſcium Polonum et Leonem [b] Bucoviecium Lithuanum cum literis, quibus eodem, quo erga alios principes Chriſtianos, animo ſe affectum ſignificabat; et, ſi quae inter ipſum et Poloniae regnum a majoribus utriuſque tranſmiſſae controverſiae intercederent, de iis ut ex aequo ac bono tranſigeretur, petebat. Ad quae Moſcus reſpondit; etſi audiviſſet Maximilianum Caeſarem in regem electum, quo minus tamen eum ipſo ſolita amicitiae jura coirent, non recuſare: itaque placere, ut majorum more legati mitterentur: interim ab injuria ac maleficio utrinque abſtineretur. Quo reſponſo accepto, Stephanus, ut ſibi videbatur tutus, ad [c] Gedanenſium motus, de quibus diximus, componendos toto animo propendebat; ob idque conventum [d] Thorunam indixerat, in quo ex ſenatus auctoritate decreta ad Moſcum legatio. Verum Moſcus ex occaſione Dantiſcani motus, legatis non exſpectatis aut contemptis, Magnum Holſatiae ducem in Livoniam cum exercitu mittit, fama ſparſa, ut, ſi Livoni ſe ei ultro dederent, ad exemplum Boruſſiae ducis beneficiario jure Livoniam regendam ei traderet; ut auctoritas et adminiſtratio omnium penes Magnum, nomen et majeſtas imperii penes Moſcum eſſet. Qua re effectum, ut populares, ſive externae dominationis taedio, ſive ejuſdem linguae ac nationis magiſtratus deſiderio, impellentibus aliquot e nobilitate, praeſidia fere ex omnibus oppidis et arcibus ejecerint; et [e] Wendam, ubi tum Magnus erat, ſe contulerint, nomen illi tituloſque et inſignia regia attribuentes, et ſacramento in ejus verba fidem obligantes. Magnus is regum Daniae ſanguine prognatus, cum [f] Curoniae et Oſiliae epiſcopatum in Livonia teneret, in adoleſcentiae calore promiſſis Moſci adductus ad ejus partes tranſiit; a quo et Andreae patruelis, quem ille cum omni maſcula prole ob ſuſpiciones de medio ſuſtulerat, filiam in uxorem accepit. Tunc vero, dum Stephanus ad Gedani obſidionem haereret, ad [g] Rigam obſidendam miſſus irrito conatu inde diſceſſit: poſtea, cum pleraeque urbes ſe ultro Magno dedidiſſent, eaſque ille proprio nomine in fidem adegiſſet, indignatus Moſcus cum potenti exercitu Livoniam intrat, viam illi Magno patefaciente, acceptiſque deditione [h] Marienhauſio, Roſitenio, Ludſenio, Duneburgo, Kokenhauſio, Aſcherotum uſque ſine maleficio penetrat, ut initio rerum gerendarum clementiae famam colligeret. Aſcherotum magnus utriuſque ſexus ac conditionis hominum, in primis matronarum ac virginum, numerus confluxerat: quo potitus Moſcus, omnibus, qui arma ferre poſſent, trucidatis, imbellem ſexum Tataris promiſcue conſtuprandum objecit. Inde exercitus Wendam progreditur: ubi cum oppidani ad tantae immanitatis famam territi portas clauſiſſent, Magnus deprecator pro iis egreſſus eſt, et genibus ſupplex advolutus pro gratia convicium, etiam verbere in os ab ipſo principe ingeſto, excepit. Qua re cognita, oppidani cum nihil in Magno praeſidii,

INTERPR. [a] *Grudecenski.* [b] *Bukowiecz.* [c] *Dantzick.* [d] *Thorn.* [e] *Wenden.* [f] *Courlande & Oſel.* [g] *Riga.* [h] *Marienhaus, Roſitten, Luczen, Duneburg, Kokenhaus, & Aſcherod.*

CIƆIƆLXXIX.
HENRICUS III.

praeſidii, nullam gratiae in Moſco ſpem viderent, deſperatione adacti pulverem tormentarium fundamentis ſubdunt; quo ſuccenſo, magna urbis pars everſa, et cum ea Livonicae nobilitatis flos abſumptus eſt. Ruinis Wendae Moſcus potitus [a] Rumburgum, quod Wendae imminet, ſtatim deditione capit; ita ut, Riga et [b] Revalia pauciſque circa eas caſtellis exceptis, totius Livoniae compos eſſet. Nam mox poſt Henrici diſceſſum [c] Parnoviam, dein [d] Waſſenſteinium munitiſſimum caſtellum de Suecis, [e] Narvam et multo ante [f] Torpatum, Felinum, Marieburgum de epiſcopo Torpareoſi et [g] Marianis equitibus receperat. Ex eo controverſiarum inter duos potentiſſimos principes et belli origo nata; quod, aliquando per ioducias poſitum, dein varia fortuna in Livonia et Lithuania geſtum, io hunc uſque regem tranſmiſſum fuit.

II. JAMQUE Moſcus ad ſua redierat, abducto ſecum Alexandro [h] Polubenſcio [i] Chodkevicii legaro aliiſque Polonis Livoniae praefectis, ex itinere datis ad Stephanum literis, quibus ſuperbe ei praeſcribebat, ut a Livonia abſtineret. Literis ad abſurdam vanitatem additum, majores ſuos ad Pruſſum quendam Octavii Caeſaris fratrem genus referre, qui [k] Mootis-regii et Marieburgi quondam et in reliqua [l] Boruſſia late imperitaſſet: ac proinde imperii ſui jura ad Pruſſiae uſque fineis extendebat. His novis injuriis ad veteres aceedentibus, a Stephano legatis mandatum, qui interea iter ſuum perſequebantur, ut de damno induciarum oſtentatiooe facto ſatisfieri poſtularent. Miſſus et eodem tempore Romam Paulus [m] Saionskovius, qui de Moſci frangenda potentia cum pontifice ageret: et in annom ſequeotem indicta Warſaviam comitia, recepto interea Duneburgo a Botiſſio [n] Sava et Willelmo [o] Platero, qui Moſcos, miſſa officii ac comitatis ſpecie amphora vini cremati, cum ex eo praeſidiarios ad ebrietatem bibituros, quod evenir, conjectarent, noctu iogreſſi loco pepulerunt. Capta et Wenda a Matthia [p] Dembinio et Jo. [q] Buriogio, cum ſabri cujuſdam induſtria cera clavibus oppidi impreſſa ad earum exemplum alias paraviſſet. Dum comitia Warſaviae agerentur ineuote anno proximo, de Niſoviis ſeu Coſacis per incurſiones loca [r] Boryſtheni circumpoſita infeſtantibus allatae crebrae querelae. Magis pupugit regis animum Joannis [s] Podikouae genere Walachi, eum tamen Polonum facit Jo. [t] Leunclavius, temeraria audacia, qui obſcuro alioqui loco natus ſola toboris fama nomen quaeſiverat, qood ſerreas equorum ſoleas diſrumpere diceretur. Is, ſui ſimilium mann cootracta, in Walachiam deſcendit, et Petrum Vaivodam Stephani foederatum nihil tale expectantem occupat, et, priuſquam ad defenſionem parare ſe poſſet, imperio exuit. Eam injuriam cum ad animum revocaret oovus rex, continuo Chriſtophorum fratrem Tranſilvaniae principem ad opem Petro ferendam per literas ſolicitat. Nec ſegniter res geſta. Nam, cooſluentibus undique auxiliaribus, Podikoua, [u] Nimirouam Poloniae oppidum recipere ſe coactus, poſtremo in Nic. [w] Sienavii [x] Kamenecenſis praefecti, qui finitimae iu Ruſſia militiae praeerat, promiſſa incolumitate, manus venit, ab eoque ad regem miſſus eſt, triſti, ut mox dicemus, exitu.

III. IN comitiis rex ſigillatim de Moſci et Tatari, qui poſt Henrici diſceſſum tempore interregni [y] Volhiniam infeſtis excurſionibus vaſtaverant, injuriis ad Ordines tulit; bellumque cum his, an cum utro horum veliot, rogat. Cum Moſco bellum ſcitum; cum Tataro ad praeſens dilatum. Nam quem ex hoſte inope et vago fructum ſperari poſſe: potius eo bello arma Turcica provocari, qui ſoli, in quo inſiſterent, ipſos fiduciarios poſſeſſores eſſe diceret. Ex Moſco, quo major ejus potentiae fama, eo majorem gloriam in praeſens, nomen in futurum parari; urbibus ac opibus florentiſſimam

INTERPR. [a] *Runeburg.* [b] *Revel.* [c] *Pernau.* [d] *Weiſſenſtein.* [e] *Nerva.* [f] *Derpt, Felin, & Marienburg.* [g] *les chevaliers de l'Ordre Teutonique.* [h] *Polubenski.* [i] *Chodkewitz.* [k] *Konigsberg.* [l] *la Pruſſe.* [m] *Saienskowski.* [n] *Save.* [o] *Plater.* [p] *Debinski.* [q] *Buringe.* [r] *le Nieper.* [s] *Podikoue.* [t] *Lewenclaw.* [u] *Nimirow.* [w] *Sieniawski* [x] *Kaminiek.* [y] *Volhinie.*

florentiſſimam provinciam, et cum aliis opportunitatibus tum maris commodis abundantem, victoriae praemium peti. Secundum haec delecti a ſenatu, qui, quanto in bellum milite, quanto in militem ſtipendio opus eſſet, diſpicerent. Tum tributum in ſingula jugera et cerviſiam impoſitum, majus quam antehac ullus meminiſſet; in quod tamen omnes conſenſerunt, praeter Cracovienſem, Sandomirienſem et Siradienſem delegatos, quod nulla hujus tributi ſciſcendi mandata a ſuis habere dicerent. De judiciis et actum; quorum hic olim ordo erat; ut judiciis municipalibus ad conventus Palatinatuum, ad quos quodque municipium pertineret, et inde ad regem in comitiis provocatio eſſet.' Sed, cum Sigiſmundus Auguſtus ob incommodam valetudinem parum in jure dicendo aſſiduus eſſet, ut ex ſuo numero conſtituere ſibi judices liceret, nobilitas petierat; quod tamen ab eo impetrare non potuerat. Sed, ſecuto mox inrerregno, priuſquam Henricum in regem eligeret, intet alias hanc quoque de tranſlatione judiciorum conditionem ei tulerat; iſque accepetat. Rex igitur, qui magnam ex eo rerum perturbationem animadverteret, in cauſa minime integra pro re nata optimum ratus, ſi ad unam formulam omnia revocaret, ſummo temperamento ſanxit, ut non per ſingulos Palatinatus judicia haberentur, ſed in ſingulis Palatinatibus majoribus bini, minoribus ſinguli tam ex ſenatu quam ex reliqua nobilitate quotannis delecti primum a B. Martini ſeſto ad Paſcha Poloniae majoris nobilitati [a] Petricoviae, minoris deinde a Paſchatos celebritate uſque ad meſſem Lublini jus dicerent; ſicque privatarum cauſarum judicia penes nobilitatem deinceps eſſent: publica ac juris regii fiſcique in eo, quo antea ſtatu fuerant, penes regem manerent. Supererat certamen inter ordinem ſacrum ac civilem; cum hic eodem, quo reliquam nobilitatem, eccleſiaſticos jure uti vellet; illi judicia haec nobilitatis, quae cum diverſae religionis hominibus communicari intelligebant, multis nominibus ſuſpecta ſibi, obligarique illis nolle confirmarent. Tandem ex Jo. Sarii [b] Samoſcii ſententia res ita compoſita; ut, quoties eccleſiaſtica res in judicium veniret, ad VI ex nobilitate, totidem e ſacro ordine, qui pari auctoritate de ea cognoſcerent, adjungerentur; quorum ſi pares ſententiae extitiſſent, ad regem in comitiis ampliaretur. Quibus conſtitutis, nec prius, nobilitas in tributum impoſitum conſenſit. Interea legati a Stephano miſſi in Moſcoviam pervenerant, qui a Moſco ingenio per ſe feroci et ſucceſſibus ſuperbiente indigniſſime habiti ſunt. Cumque ex inſtituto utriuſque gentis lautia legatis praebere ſolita ſint, emere ad victum neceſſaria nec moris ſit, nec, ſi velint, in Moſcovia poſſint, non niſi viliſſima eſculenta iis apponi mandabat. Tandem, cum de induciis triennalibus in colloquio conveniſſet, etiam ea in re fraude uſus eſt. Nam inſtrumentum ea de re confectum, qnod legati obſignare debebant, ſine ulla conditione perſcribi juſſit. Tum aliud, quod legatis tradirurus erat ſub ſigillo ſuo, ſubjicit, conditionibus hiſce in eo adjectis; ut univerſa Livonia una cum Riga ac Curlandia, quae minime in poteſtate Moſci erant, et quidquid ad fineis uſque Boruſſiae pertineret, rex ſibi cederet, Livonum nullum opem ac praeſidium ſuum implorantem nullamque civitatem juvaret aut reciperet. Hoc vero, cum ex more placita jurejurando confirmare deberet, ſolum profert, illo amoto, in quod legati prius juraverant, in idque ſe ſacramento obſtringit; atque ita legatos non amplius ad colloquium admiſſos contumelioſe dimittit. Eodem tempore ad Wendam oppugnandam novas copias mittit; ſed irrito ſucceſſu, quippe auxilio ſuperveniente Matthia [c] Dembinio: qui cum initio ſuis perſuadere non poſſet, ut urbem ingrederentur, tandem, ut propius ſaltem ſecum accederent, ſi forte excubias et caſtra hoſtium turbare poſſent, impetravit; eoque aſtu uſus, cum eos ſilenti agmine ſub portis urbis ſtitiſſet, jam illuceſcente die, cum ab hoſte videri coepiſſent, oſtendit facile a tanta multitudine circumveniri poſſe: itaque nullam aliam ſalutis viam ſupereſſe, quam ſi locum ingreſſi virtute ſua urbem contra hoſtem

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Pietricow.* [b] *Zamoyski.* [c] *Debinski.*

CIↃIↃLXXIX. HENRICUS III. hoſtem et urbe ſe tuerentur. Captum ex neceſſitate conſilium; urbemque ingreſſi eam ſubitario opere muniunt, et Moſcum jam vere appetente ab ejus obſidione diſcedere cogunt. Nec multo poſt Magnus iis, quas dixi, injuriis alienatus, et quod indicio reſciviſſet, Moſcum de ipſo bonis omnibus exuto in [a] Scythiam deportando cogitare, ab eo deficiendi conſilium cepit; paulatimque e poteſtate Moſci ſe ſubducens [b] Lempſaliam et Rigam ac fineis regios propius acceſſit, et per Curlandiae ducem de voluntate ſua regem certiorem facit. Miſſus eo confeſtim Nic. [c] Radevillius Palatinus Vilnenſis, qui, quod in re praeſenti e republica eſſet cum perſpexiſſet, cum eo conſtitueret. Cum ille in Curlandiam veniſſet, Radevillius eum cum omnibus ditionibus regio nomine recepit, et in regis verba ſacramento adegit. Quibus confectis, Stephanus Georgium Haraburdam ad Moſcum mittit, qui non aliter ſe induciis iis teneri velle renunciaret, quam ſi de Livonia conditionem, quae nec a legatis accepta eſſet, remitteret. Retento Haraburda, Moſcus legatos ad regem mittit, et pacta induciarum cum conditione confirmari petit, interim miſſo ad [d] Wendam oppugnandam validiore quam antea exercitu.

IV. REX Warſavia digreſſus, cum [e] Leopolim tenderet, in itinere, ut Cracovienſes et Sandomirienſes et Siradienſes in tributum conſentirent, quod non fecerant, habitis conventibus effecit. Ubi Leopolim venit, quo et una Amurathis [f] Zauſium ſecum adduxerat, Tatari legatos audivit; et amicitiam pacemque iiſdem legibus, quibus majores ſui eam coluiſſent, ſe obſervaturum donativaque illis praeſtari ſolita daturum verbo reſpondit. Cautum et de [g] Niſoviorum excurſionibus. Ii genus hominum ſunt, qui ad inferiorem [h] Boryſthenis partem, ad quam diverſarum gentium confinia pertinent, ad praedas confluunt, ita ut totus ille tractus incultus et ob latrocinia deſertus jaceat. Ex aliis gentibus, tum etiam Polonis et Lithuanis conſtat, ut quiſque eſt egentiſſimus aut rerum capitalium damnatus, aut ſi quos ipſorum fortuna aut opinio aliunde ſpes in patria eſſe non ſinit. Itaque a tot ſaeculis inter tot nationum haud ſatis concordem colluviem, quamvis annitentibus vicinis principibus, pax conſiſtere nunquam potuit. Repoſcente tunc ob injurias illatas Turcico legato Podokouam, quem modo ad regem miſſum diximus, altercatum fuit in ſenatu; cum plures cenſerent, nequaquam hominem Chriſtianum, ſtrenuum ducem et robore admirabili praeſtantem barbaro certam ad necem prodendum, Zauſioque quam commodiſſimis rationibus fieri poſſet reſpondendum; omni denique modo conſulendum miſeri ſaluti, qui ſalvi commeatus regii fide fretus Warſoviam venire non dubitaſſet. Contra rex; ſub fide quidem publica Podokouam acceſſitum fateri; ſed aliter eam datam non intelligi, niſi quatenus juſtam cauſam ſuam probare poſſet: nunc, cum appareat eum contra foederis leges feciſſe, quod indigniſſime Amurathes ferat, non debere foedifragum et publicae pacis violatorem ſalvi commeatus beneficio frui. Quibus rationibus rex inductus, qui bello Moſcovitico implicitus non tanti vitam Podokouae aeſtimaret, ut propterea novas inimicitias cum potentiſſimo hoſte ſibi temere cumulandas cenſeret, Podokouam, inſpectante Zauſio, capite plecti juſſit. Quae dum fierent, ab Alexandro Podokouae fratre, quem Coſaci ſibi ducem conſtituerant, rurſus Petrus regno exactus fuerat, et ſtatim a Turcis reductus, capto ipſo Alexandro, qui et palo ſuffixus eſt, Coſacis, qui capi potuerunt, ad remum addictis. Nec propterea Petrus, homo ſecors et ignavus, regnum toties receperatum ſervare potuit; vel ob id eo indignus habitus, quod toties illud amiſiſſet. Itaque tandem poſt Mechemetis purpuratorum principis mortem ab Achmete, qui Mechmeti in primaria dignitate ſucceſſit, principatu ſpoliatus eſt, [i] Jancola quodam e Saxonibus Tranſilvanis oriundo, ſed qui non modo Walachicam nationem verum etiam genus

principum

INTERPR. [a] *Tartarie.* [b] *Lempſel.* [c] *Radzivil, Palatin de Vilna,* al. *Vilenski.* [d] *Wenden.* [e] *Leopoli.* [f] *Chaoux.* [g] *Coſaques.* [h] *le Nieper.* [i] *Jancola.*

principum Walachiae ementiebatur, in ejus locum ſuffecto. Stephanus, compoſitis in Ruſſia Polonica rebus, jam Cracoviam redierat, cum legati Moſci ad eum venerunt; qui faſtu inſolito ad regem admiſſi verbum ſe facturos negarunt, niſi prius rex aperto capite aſſurgens de valetudine principis ſui ipſos interrogaſſet. Id moris Moſco eſt, cum aliorum principum legatos excipit; ad quod faciendum et alios principes per legatos ſuperbe adigere volebat. Verum Stephanus, et ipſe elati animi vir, praeter rei indignitatem, minime ſibi committendum arbitratus, ut ad hoſtis barbari et tantos ſpiritus ſibi ſumentis, ut vix ferri poſſet, arrogantiam obſequio ſuo quidquam adderet, conditionem rejecit; et, cum illi in ſententia perſtarent, inauditi dimiſſi, et, re infecta, lentis itineribus per Lithuaniam domum remiſſi ſunt. Cum vero rex, putatis rationibus, animadverteret, tributum, de quo tamdiu pugnatum fuerat, non ſolum praedicatione nonnullorum inferius, ſed ipſi bello, quod inſtabat, par non fore, et ſerum eſſet, atque adeo difficile, majorum ſubſidiorum ſpe conventus ordinum denuo indicere, legatos ad principes vicinos mittit, et arctiore cum iis amicitiae vinculo ſociare ſe ſatagit: et ab Auguſto Saxone ac Joan. Georgio Brandeburgico ſeptemviris, ut in belli pro decore nominis Germanici ac Polonici et Livonorum libertate contra barbarum hoſtem ſuſcepti conſilio perſeveraret, confirmatus etiam a Brandeburgico tormenta accepit. Ad Amurathem miſſos Mechmetes prudentiſſimus tot imperatorum conſiliarius benigne excepit; et, laudato Stephani propoſito, ei etiam belli fauſta initia ac ſucceſſus proſperos precatus eſt: ceterum rem magnam ſuſcipi; neque, ſecundum ſuum principem, ullum toto terrarum orbe Moſco potentiorem ſe exiſtimare.

V. SUB id tempus nuncius partae ad Wendam victoriae allatus eſt. Eam cum majoribus quam antea copiis Moſcus inſideret, miſſis ad exercitum ſummae auctoritatis IV Palatinis, Petro [a] Tatouo, Baſilio [b] Voroncio, Petro [c] Choroſcino et Andrea [d] Skolkanouo, noſtris ſui colligendi et cum Suecicae militiae praefecto Georgio [e] Boio conſilia communicandi ſpatium dederunt. Ii Stropam, ubi tum erat [f] Buringius, et Andreas [g] Sapchea earum, quae tum in Livonia erant, copiarum legatus, et Marthias [h] Dembinius; ex Livonis praeter Buringium Nic. [i] Korfius, Platerus, alii conveniunt; quibus aliquot equitum turmae et Suecicae copiae ad [k] Goviam flumen medio inter [l] Wolmatiam et Wendam itinere ſe conjungunt, et recta ad hoſtem ſub ſignis ad Wendam haerentem ducunt. Ibi cum acerrime pugnaretur a Polonis, Lithuanis ac Suecis ad ulciſcendas hoſtis injurias, Livonis ad libertatem, cunctis ad gloriam ſe mutuo cohortantibus, poſtremo Moſcicus equitatus pellitur, facto fugae a Tataris initio. Sed, cum ſub noctem Palatini militem ex fuga colligere caſtriſque continere vellent, hortarenturque, ut pro inveterata gentis gloria, pro militari ſacramenti religione extremam potius fortunam experirentur, quam caſtra apparatumque bellicum a principe fidei ſuae commiſſum desererent, metum periculo per tenebras augente, et nocte pudorem et flagitium tegente, nec jam ſe contineri patiente multitudine, Choraſcinus et Scholkanouus cum equitatu, cui praeerant, in fugam ſe ejiciunt; reliqui duo, quibus tormenta commiſſa erant, ea amplexi, mane, cum obſeſſi in munitiones invaderent, vivi cum caſtris apparatuque bellico ac XXX machinis in poteſtatem venerunt. Inſigne et fidei documentum pixidiarii, qui exonerandis tormentis inſerviunt, dederunt, qui funibus, quos ad os tubi ſingulis tormentis in terra defoſſis ducta ante foſſa aptaverant, collo inſertis ultro ſibi mortem conſciverunt. In omen rei feliciter gerendae accepta haec victoria: quam Moſcus mox aliis copiis conſcriptis et novis tormentis conflatis ſarcivit, ad potentiam ſuam oſtentandam pertinere exiſtimans, nihil

INTERPR. [a] *Tatow.* [b] *Voroncz.* [c] *Choroski.* [d] *Scholkanowski.* [e] *Boye.* [f] *Buringe.* [g] *Sapieha.* [h] *Debinski.* [i] *Korff, & Plater.* [k] *Gow.* [l] *Wolmar & Wenden.*

nihil ſibi a fortuna ademptum videri, quod non brevi a facultatibus ſuis vel cum inſigni acceſſione expleri poſſet. Revalienſes frumenti c oneribus a rege ſoblevati, cujus penuria laborabant, ob continua bella intra moenia ſua compulſi a communi hoſte, et commercio omni intercluſo, cultuque agrorum neglecto, jam a multo tempore in extremas anguſtias redacti.

VI. CUM vero prorex legibus regni creari non poſſet, rex per ſuam in hoſtico abſentiam, ſi quid accidiſſet, cum primoribus regni communicaturum ſe pronunciavit. Pacem item publicam ſevere ſanxit, maxime Cracoviae, ne, quod aliis temporibus acciderat, inter diſſidenteis de religione tumultus aliquis exoriretur. Proxima fuit de ſummo duce deligendo cura. Dictus a rege, ſenatu prius conſulto, cum Cracovia Warſaviam diſcederet, Nicolaus [a] Mielecius Podoliae Palatinus, magnam ſuperioribus annis, cum a Turcis et Walachis circumventus incolumem exercitum reduxiſſet, laudem adeptus; qui, cum ob valetudinis tenuitatem initio ſe excuſaſſet, tandem in eam tantum expeditionem imperium accepit. Inde rex [b] Grodnam venit; et, cum aerarium belli ſumptibus non ſufficeret, pecuniam undique mutuo ſumit, et, quam ſepoſitam in privatos uſus habebat, liberaliter confert. Tum militem paſſim per Poloniam ſcribi jubet; et ad Chriſtophorum fratrem Tranſilvanum mittit, ut veteranorum per Pannoniam aliquot cohortes et alas equitum conſcribat. Idem Chriſtophoro [c] Roſdraſevio et Erneſto [d] Weiero, ut per Germaniam facerent, mandatum. Lithuanici proceres voluntarium militem in id bellum obtulerunt, quotque ſinguli adducturi eſſent, ediderunt; quorum numerus ad X CIↃ fere acceſſit. Dein Vilnam venit; et Nicolao [e] Radevillio Palatino Livoniae praefecturam Joanni [f] Chodcevicio ademptam ad tempus demandat, et Chriſtophoro ejus filio exercitum, qui in Livonia fuerat, tradit. Is cum ſub id tempus excurſione ad [g] Torpatum facta [h] Kirempeſium intercepiſſet, atque evertiſſet, vaſtato circum agro, triumphabundus ad regem ac patrem Vilnam venit; quem mox exercitus ſtipendia flagitans ſecutus eſt, adnumerata aliqua pecunia a rege utcunque placatus. Tum fundendis tormentis modum, quem accommodatiſſimum experientia didicerat, praeſcribit; et [i] Caunae pontem, quo in expeditionibus ſequentibus uteretur, conſtrui jubet, ea ratione, ut ex ſingulis navibus componeretur, quae deinde tabulatis ita inter ſe conjungebantur, ut, quoties opus eſſet, ſeparari, curribuſque ſingulis una cum tabulatis impoſitae binis jumentorum jugis non incommode in quemcunque locum transferri poſſent. Cum vero frigus, quod intenſiſſimum eo anno fuit, vix VII Kal. Quintil. remiſiſſet, nec ullae herbae adhuc efflorerent, cauſis Lithuaniae audiendis aliquandiu temporis interea inſumptum eſt. Miſſus dein ad Moſcum Baſilius [k] Lopatinſcius, qui bellum juſtum ei denunciaret. Cauſae additae, quod induciarum oſtentatione provinciam Livoniam ferro et igne vaſtaſſet, legatis ſuis contumelioſe habitis ad extremum duplice confecto induciarum inſtrumento impoſuiſſet; eodemque tempore, novo in Livoniam miſſo exercitu, Wendam oppugnaſſet; ſua legatione novam ad priores injurias contumeliam ac ludibrium adjunxiſſet. Sub id remiſſus Haraburda, quem Moſcus huc uſque retinuerat, nullo cum alio reſponſo, quam quod paulo poſt hominem ſuum ad regem ablegaturus eſſet. Is ubi venit, inducias pactas confirmari petiit, et, ſi quid ſuper Livonia controverſiae eſſet, de eo per arbitros amice tranſigeretur. Sed, cum eas ludificationes non admitteret Stephanus, hominem remittit: et Tatari legatos audivit, ex foedere, quo regibus Poloniae militare contra quoſvis hoſteis, unico Turcorum imperatore exempto, tenentur, operam ſuam adverſus Moſcum deferenteis, et donativum petenteis, ac de [l] Niſoviorum injuriis expoſtulanteis: ad quos reſponſum; quod operam ſuam contra Moſcum Tatarus polliceretur, facere eum ex officio ſuo;

donativum

INTERPR. [a] *Mieleczki.* [b] *Grodno.* [c] *Roſdrazowski.* [d] *Wierzeyski.* [e] *Radzivil.* [f] *Chodkiewicz.* [g] *Derpt.* [h] *Kiremps.* [i] *Kowno.* [k] *Lopatinski.* [l] *Coſaques.*

donativum datum iri; Niſovios in regis poteſtate non eſſe, quippe ex colluvie omnium nationum collectos, quibus et Turci et Tatari ſe aggregare comperti ſint: tum operam datum iri, ut, quantum fieri poſſit, eorum incurſiones prohibeantur. Inde aliqua pecunia adnumerata et certus veſtimentorum numerus: quibus acceptis, non tamen Poloniae regi in hoc bello adfuit, Perſico, de quo dixi, a Turco occupatus. Gotardus [a] Ketlerus Curlandiae et Semigalliae dux et huc venerat, ut tanquam regni Poloniei beneficiarius in fidem reciperetur; quem rex [b] Diſnae ſubſiſtere juſſit, et de ea re interim ad ſenatum retulit. Jam peditatus ex [c] Pannonia venerat a Chriſtophoro regis fratre miſſus, et [d] Mieletius Poloniſcos delectus urgebat, qui ob auctoramenta tardius accepta ſerius ad edictum comparuit. Rex prid. Kal. Quintil. Vilna [e] Suirum venit; ubi de belli ratione, et quo primum ducendus exercitus videretur, inter duces conſultatum fuit. Et Lithuani fere omnes Pleſcoviam per Livoniam eundum cenſebant, urbem ampliſſimam et magni nominis; et tamen contra vim parum munitam, muris vetuſtate neglectis, quod loco tutiſſimo et ab omni belli metu remoto procul ſita eſſet; qua proinde rex haud magno periculo et nihilominus magno laboris pretio potiturus eſſet. Rex contra exiſtimabat; et, eum hoc unum eo bello propoſitum eſſet, ut Livonia in libertatem aſſereretur, ſi per terram Livoniam bellis ſuperioribus vaſtatam et commeatu omni exhauſtam exercitus duceretur, ſic judicabat, magnis difficultatibus cum conflictaturum, et interea provinciam eam, nec non Lithuaniam, quae ad [f] Boryſthenem pertinet, longe a tergo relictam, hoſtium furori expoſitum iri; nec, ſi offenderet, facilem receptum, nec e propinquo paratum ſubſidium fore. Contra, ſi [g] Polotiam in Livoniae ingreſſu ad [h] Dunam fluvium poſitam peteret, utrumque ſe conſecuturum providebat, ut et proximos ad Livoniam et Lithuaniam aditus in poteſtate haberet, et deinceps intercluſo ad eas hoſti aditu ulterius in Moſcoviam tuto progredi poſſet; nec longius a Lithuania diſcedens utrique ad prohibendas hoſtium excurſiones ſemper praeſto eſſet. His accedebat et alia commoditas navigationis Dunae fluminis, qua ſola Rigenſis portus continetur, et Livonia univerſa opportunis ſubvectionibus maxime ſublevatur, ea belli ratione conſervandae; quod ſecundum recuperationem provinciae vel maxime rex animo agitabat: cum vero ſitum et loci ingenium eſſe, ut ab ejus praeſidio Dunae magna pars infeſtetur, ex eo auxilia ac commeatus ad Kokenhauſium aliaque Livoniae caſtella, quae Moſci tenent, ſummittantur, excurſiones fiant, et Vilna ac Riga omni commercii libertate potiantur: itaque ea capta Lithuaniam fere libertati reſtitui; Livoniam vero quaſi totam recipi videri. Sed rurſus replicabatur; et difficultates in Polotiae omni re ad reſiſtendum inſtructiſſimae obſidione futurae objiciebantur, ut periculoſum eſſet, a tam difficili rerum gerendarum initio bellum inchoari: nam plurimum in ipſis initiis ad famam momenti eſſe, quibus ad utramvis partem fere homines impelluntur. Ad haec, rex, qui nihil non virtute ſuperabile putaret, quo majores difficultates propoſitas intelligebat, eo majus re bene geſta decus et feliciores deinde ſucceſſus ſecuturos confidebat; et, ſi quid inopinati accidiſſet, pacatis a tergo provinciis, minore cum periculo occurſurum ſe ſperabat. Igitur edictum proponit IV Eid. Quintil. quo, repetitis prolixe Moſci injuriis, remiſſis inſidioſis induciarum literis, bellum Joanni Baſilii filio magno Moſcorum duci denunciat: et, ut oſtendat ſe minime eorum, qui Moſco parent, Chriſtianorum hominum aut calamitatem expetere aut ſanguinem ſitire, declarat, ſe hoc in armis temperamento uſurum, ut iis, quantum fieri poterit, nequaquam ii violentur, qui non aut in praeſidiis aut in acie contra ſe ſteterint. Tum milites ad rem fortiter gerendam hortatur, certa hinc gloriae reportandae, hinc benevolentiae, gratiae ac munificentiae a principe conſequendae ſpe. Inde praemiſſo Nic. [i] Radevillio ac

Chriſtophoro

INTERPR. [a] *Ketler, duc de Courlande & de Semigalle.* [b] *Dziſna.* [c] *Hongrie.* [d] *Mieleczki.* [e] *Suire.* [f] *le Nieper.* [g] *Poloczko.* [h] *la Duine.* [i] *de Radzivil.*

Chriſtophoro filio cum Lithuanicis copiis, et Gaſparis [a] Bekeſii Pannonico equitatu, qui urbem corona cingeret, et retento in caſtris [b] Mieletio [c] Suiro, [d] Diſnam verſus movet, ea incedendi ratione, ut, cum a dextra viae imminerent [e] Craſna, Suſa, Tutoülia, Moſcico praeſidio inſeſſa loca, Mieletius ab ea parte cum exercitu, in primo agmine Joanne [f] Sbaraſio praeire juſſo, tenderet; rex laeva iter faceret. Diſnae cenſitus Polonicus exercitus, quem rex a Mieletio in aciem inſtructum et ſub ſignis decurrentem magna cum oblectatione ac proſperi ſucceſſus omine vidit. Eo Lithuanicae copiae convenerunt; et delectus in Germania a [g] Roſdraſevio et Weiero raptim et ſine publica facultate habiti. Heic, quanquam alii rem differendam cenſerent, Curlandiae dux in fidem ac clientelam receptus eſt; cautumque, quantum ad juriſdictionem ſpectat, quam in ſuos habet, ut ad conventum Livoniae, quem, ſi reliquam Livoniam rex adjungeret, inſtituturus in ea eſſet, provocaretur. Interim Moſcus Pleſcoviam profectus partem copiarum in Livoniam praemiſerat; quae, [h] Duna flumine ad [i] Kokenhauſium raptim tranſmiſſo, rejectis ſtationibus [k] Seelburgenſique ducis Curlandiae, ac [l] Birſenſi Chriſtophori Radevillii agro vaſtato, propere trans Dunam ſe receperunt. Viciſſim a rege miſſi Joan. [m] Taluoſſius Samogitiae praefectus in Livoniam, Philo [n] Kmita, qui [o] Orſae praeerat, ad [p] Boryſthenem, qui excurſiones hoſtium prohiberent. Jamque Vilnenſis Palatinus Dunam ponte [q] Caunae ex navibus ſtrato ad Diſnam tranſmiſerat, nemine impediente; paulumque progreſſus, cum ſilvae continuae eum aliquandiu moratae eſſent, arboribus paſſim agricolarum incuria enatis, quas per Pannonicum peditatum ſecuribus caedi imperat, ad Polotiae conſpectum venit.

VII. Ea antiquitus ſuos duces habuit, et ſub annum Chriſti IƆCCCCLXXX, vel, ut Ruſſici annales putant annos, a conditu mundi CCCCLXXXVIII ſupra VI CIƆ, [r] Rochuoldo duci paruit, qui ab Vlodimiro magno ob negatam in matrimonium Rochmedam filiam bello petitus imperium vitamque ac duos filios amiſit. Ab eo tempore Ruſſi principes eam tenuerunt, donec, eorum exſtincta ſtirpe, Lithuanis, ut quaedam aliae Ruſſiae ditiones, ceſſit. Dein, Jagellone Poloniae rege electo, cum Andreas ejus frater Polotiae dominatum arripuiſſet, recepta eſt; et inde uſque ad annum hujus ſaeculi LXIII in fide regum Poloniae permanſit, quo a Joanne Moſcorum duce capta fuit. Solo juxta amoeno ac foecundo ſita eſt; et fluvios navigabileis habet Dunam, qui in Moſcovia haud longe a [ſ] Tutopecia ortus portum Rigenſem efficit; ſecundum cum [t] Driſſam, Uſviatam e Moſcovia; e Lithuania Diſnam, [u] Ulam; a Smolenſco [w] Caſplam: qui omnes in Dunam influunt. Territorium L paſſuum CIƆ in longitudinem ac totidem in latitudinem patet. Antequam in Moſcorum poteſtatem veniret, una arce atque urbe Polotia, a Polota cognomine amne ſic dicta, et [x] Jeſeriſciae caſtro continebatur. Jeſeriſcia, Moſcoviam verſus in lacu, ex quo [y] Obolia oritur, ſita, ab una parte aditum anguſtiſſimum, et ad quem vix expedito iter eſt, habet. Poſtquam a Moſco capta eſt, utrinque caſtella aliquot excitata et praeſidiis firmata, partim ad locum muniendum, partim ad navigationem tuendam. Contra, a Sigiſmundo Auguſto Diſna ad cognominis fluvii et Dunae confluentem, [z] Woroneceium ad flumen [aa] Uſaciam, [bb] Lepelium in inſula lacus, qui a Lepelio fluvio efficitur, Lithuaniam verſus conditum fuit. Per eam Lithuaniae partem duo fluvii navigabiles, quorum fontes non plus V CIƆ paſſuum intervallo diſtant, in duo longe diſſita maria tendunt: Lepelius in Ulam fluvium itidem navigabilem influens cum eo in Dunam indeque ad Rigam in mare Balticum exoneratur: alter [cc] Bereſina in diverſam partem raptus

INTERPR. [a] *Bekes.* [b] *Mieleczki.* [c] *Suire.* [d] *Dziſna.* [e] *Kraſne, Suſa, & Turowla.* [f] *Sbaraſi.* [g] *Roſdrazowski & Wierzeyski.* [h] *la Duine.* [i] *Kockenhaus.* [k] *de Seelburg.* [l] *de Birſen.* [m] *Talwoski.* [n] *Kmita.* [o] *Orſſa.* [p] *le Nieper.* [q] *Kowno.* [r] *Rochwold.* [ſ] *Toropecz.* [t] *Driſſa & Uſwiata.* [u] *Ula.* [w] *Kaſpla.* [x] *Jeſeriſcie,* al. *Ozierziiſcie.* [y] *Obolia.* [z] *Woronecz.* [aa] *Uzacza.* [bb] *Lepel.* [cc] *Bereznia.*

raptus cum Boryſthene in pontum Euxinum effunditur; ita ut, ſi pacatae gentes eſſent per quarum terras fluvii labuntur, in tanta eorum propinquitate, tranſportandarumque ex uno in alterum mercium, conjungendorum denique eorundem facultate, ſeptentrio univerſuſque occidens facillime cum oriente commerciis jungi poſſet. Ad ea loca Moſcus caſtella quinque exſtruxerat, [a] Socolam in via [b] Pleſcovienſi, [c] Niſcerdam ad lacum cognominem xxx a [d] Sovolocia paſſuum millibus, [e] Sitnum in [f] Lukenſi via; [g] Coſſianum deinde loco ab Obolia flumine velut circino circumducto, et Uſviatam ad fluvium cognominem; illud contra Ulam, hanc contra [h] Witepſciam et Suraſſium: cis Dunam [i] Turoüliam ad cognominis amnis caput; [k] Suſſam denique Lithuaniam verſus, in lacu qui Turoüliam emittit. His Craſnam adjunxerat, quam Coſaci Lithuani, duce Franciſco [l] Suko, ad belli ſuſcepti famam ex improviſo ſcalis noctu admotis ceperunt. Eodem ſucceſſu et Coſſianum trans Dunam arx repentina Coſacorum excurſione capta ac deleta eſt. Sub id Lithuani et Hungari, qui cum Vilnenſi Palatino jam ad Polotiam venerant, via quae Pleſcoviam ducit excurrentes, Sitnum repentina invaſione captum incendunt. Cum vero rex incedens Socolam ad laevam haberet, et metueret, ne inde ſummiſſis Pleſcovia ſubſidiis in Polotiae obſidione infeſtaretur, de eo in itinere capiendo cogitaverat: verum moram ſuſceptis rebus damnoſam veritus conſilium illud omiſit; et tertiis caſtris [m] Diſna Polotiam pervenit, ubi plenum horroris et crudelitatis ſpectaculum obviam habuit. Nam Moſci captivos Polonos, quos jamdiu in ſqualore et compedibus habuerant, per cruciatus interfectos et trabibus alligatos ſecundo Duna demiſerant, ea re terrorem incutere ſe rati, qui contra in ultionis deſiderium vertit. Locum cum Joanne Sario [n] Samoſcio et Gaſpare [o] Bekeſio contemplatus rex, qua parte oppugnatio tentanda eſſet deliberavit. [p] Polotia duas arces habet; alteram editiore loco poſitam, eamque mediam; alteram ſcloppetariam Moſcorum lingua dictam; et oppidum [q] Sapolotam: a meridie Dunam ſpectat. Polota a ſeptentrione verſus ortum ſub ſcloppetaria arce tendens rurſus inde ad Boream declinat, radiceſque collis, cui ſuperior arx inſidet, complexa; eandemque ab oppido ſeparans meridiem verſus paulo inferius cum Duna commiſcetur. Ita arx media a meridie Duna, a ſeptentrione et ortu Polota fluvio oppidoque Sapolota, ab occaſu ſcloppetaria arce, undique monte, cui imminet, praerupto, altiſſimiſque foſſis ac vallo continebatur, muris et propugnaculis ex aliquot devinctis validiſſimorum roborum ordinibus cincta. Arx inferior declivi loco poſita ponte cum ſuperiore conjungebatur. Oppidum ſubjacebat inter duas arces poſitu triangulari, ita ut latus unum Duna, alterum verſus ſummam arcem Polota fluvius, tertium foſſae turreſque tuerentur. Ab arce ſuperiore, in quam omnis commeatus ac bellicus apparatus comportatus fuerat, oppugnationem incipi placebat regi, quod ea capta alteram arcem et oppidum mox in poteſtatem venturum apparebat. Nihilominus Bekeſius Sapolotam ante tentandam cenſuit, quod ſecundum Dunam venientibus primo loco occurreret; qua capta, commodis ad arcis obſidionem hoſpitiis miles uteretur. Dum deliberatur, Germanus miles, ducum injuſſu, Polotam tranſgreſſus, locum ab oppido averſum ex adverſo arcium ad Dunam caſtris capit; ibique ut contra oppidum munitiones agerentur, rex, tumultum ex nationum aemulatione veritus, permiſit. Ita vero caſtra ordinata erant. Hungari ad Dunam verſus Sapolotam conſederant, loco ad ſubvectiones commodo, quippe pacata inferiore fluminis parte, quod et ponte ſtratum erat. Infra Hungaros cis Polotam Nic. [r] Radevillius cum Chriſtophoro filio et Lithuanicis copiis ſpatium omne compleverat. Ultra

INTERPR. [a] *Sokol.* [b] *de Pleſcow.* [c] *Niſcierda.* [d] *Zawolocze.* [e] *Schitno.* [f] *de Luki.* [g] *Kozian.* [h] *Witepsk & Suraſi.* [i] *Turowla.* [k] *Soſſa,* al. *Suſa.* [l] *Suk.* [m] *Dziſna.* [n] *Zamoyski.* [o] *Bekes.* [p] *Ploczko.* [q] *Sapoluta.* [r] *de Radzivil.*

Ultra Polotam intra flumen et lacum quendam regia caſtra erant; in quibus ſenatores ac equites Poloni, ut quiſque poteſtate et honore antecedebat, ita proximum regi locum ceperat. Haec cum terni tormentorum ordines ambientes binorum vicorum pari inter ſe ſpatio diſtantium ſeriem efficerent, binis etiam portis ad eos aditus relictus fuerat: totidem portae caſtrorum ſtationibus et excubiis militum firmatae erant. Exterum caſtrorum latus currus circundati cateniſque ferreis inter ſe colligati more gentis Polonicae muniebant, foſſa etiam ad majorem ſecuritatem ducta. Supra caſtra Germani eo, quo dixi, loco conſederant; quibus et IↃ delecti ſupervenere, a Georgio Friderico Boruſſiae duce ſummiſſi: ſupervenit et Conſtantinus [a] Oſtrogiae ducis filius e Podolia cum lecta equitum ala. Cum Bekeſius oppidum oppugnare pergeret, praeſidiarii de defenſione deſperantes, protinus exportatis quae potuerunt, et illo incenſo, in ſuperiorem arcem ſe recipiunt. Capto ſeu deſerto oppido, productae munitiones, praecipue Pannonici militis opera, qui labori ac tolerantiae aſſuctus diem nocti in opere aſſiduus continuabat. Interea Bekeſius arcem tormentis quatiebat: quod cum minus ex voto ſuccederet, quod muri fere e materia conſtructi perforarentur potius aliquibus locis quam tormentorum vi ſternerentur, idem incendii e longinquo excitandi artificium, quo ante biennium regem in arce maritima [b] Gedanenſium exurenda uſum diximus, tunc et rege auctore inſtitutum eſt, ſed non eodem ſucceſſu: nam ſuperior murorum pars tantum a globis ignitis infeſtabatur; inferior, quae a clivo prominenti defendebatur, ictus e caſtris regiis multo inferioribus directos frangebat, ita ut globi igniti quaſi ſolo acciperentur. Ad haec, Zephyro flante, effuſis copioſis imbribus, incendii minor vis erat; et Polota, ubique prius pediti vadoſus, vix ab equite tranſmitti poterat, aquarum intumeſcentium vi disjectis paſſim pontibus, praeter unicum a Joanne Bornemiſſa ſubitario opere e ſublicis et trabibus repertis conſtructum, qui molarrina objecta ab infeſta tormentorum ex arce diſploſorum fulminatione defendebatur. Itaque tandem manu rem geri oportuit, hortante ſuos Bekeſio viro impigro, ut in clivum enixi incendium in munitiones ejacularentur, et fundamenta murorum, quae tormentis peti non poterant, exurerent: quod cum ſumma alacritate Polonorum et Lithuanorum certatim fieret, non minore ſtudio obſeſſorum in defendenda arce reſiſtebatur. Ibi acriter et obſtinate in ejaculando et reſtinguendo incendio ab utraque parte certatum, adjuvante obſeſſorum virtutem pluvioſa maxime tunc tempeſtate: quod illi in ſuperſtitionem vertebant, quaſi praeſens eos Numen tueretur. Deſideratus in ea oppugnatione ex Polonis Michael [c] Vadaſius Hungarorum praefectus, homo ſtrenuus. Nec imbrium ſola in oppugnationibus incommoditas ſentiebatur, ſed et in annonae e longinquo comportatione maxime, cujus anguſtia jampridem in exercitu laborabatur. Nam corruptis adeo itineribus jumenta vix luto ſe extricare poterant, et plerumque labori immoriebantur: et Moſci in praeſidiis vicinis diſpoſiti pabulationes ac frumentationes infeſtas reddebant, ita ut plerique equorum carnibus veſci cogerentur. In hac rerum omnium difficultate ſumma tamen bellatorum erat alacritas; praeſertim Pannonicorum, quibus Bekeſius alioqui natura imbecillus ſuo exemplo praeerat. Nam ille ſemper apud tormenta eſſe, ibi cibum ſumere, ibi quieſcere, et media inter pericula quaſi ſecurus aſſidue verſari. Re ad concilium a rege relata, multis placebat, ut corona facta omnibus ex partibus univerſi exercitus junctis viribus oppugnatio tentaretur: verum rex contra dicebat; quod vereretur, ſi id fruſtra ſuſceptum eſſet, in quo cuncti ſpem extremam ponerent, ut, tanquam omni exhauſta vi ac potentia, nihil praeter diſceſſum reliquum poſtea videretur: itaque, prius omnia tentanda ratus, rurſus delectos, et in his Hungaros praecipue hortatur maximis praemiis propoſitis, ut muros ad ignem immittendum, ſicuti

INTERPR. [a] *Oſtrog.* [b] *Dantzick.* [c] *Vadaſy.*

ſicuti ante, ſubeant; neque prius ſe recipiant, quam incendium ignis conciperet. Ita miles magno ardore ſub moenia arcis, taedas quaeque in eos uſus jam ante praeparata erant alia prae ſe ferens, ſuccedit: commodumque accidit, ut, quaſi inclinata fortuna, pluviae ſub id momentum remitterent; quo factum, ut ignis fundamentis illatus murorum inferius latus mox corripuerit; quod longe lateque amplexus totum eum diem cum illud depaſceretur, fruſtraque obſeſſi reſtinguere conati eſſent, jam ſe a Numine deſeri cernentes, de deditione agere coeperunt. Rex vero, qui metueret, ne, incendio paſſim excitato et longe collucente, hoſtes, qui [a] Pleſcoviam cum magnis copiis venerant, quorum et partem, ducibus Boriſſo [b] Scino et Theodoto [c] Seremeto, [d] Socolam praemiſerant, incendii luce moniti, auxilio laborantibus accurrerent, omneis copias in aciem inſtrui et extra caſtra in campo ſub ſignis conſiſtere jubet. Ipſe ab ea parte, qua Socolam itur, cum aulico omni comitatu Polotam tranſmittit, relicto ad vallum ſervandum idoneo militum numero. Interim decem ex muris ſe dejiciunt, de deditione cum rege acturi; quos Pannonii, qui ſpem tam opimae praedae jam animo devoraverant, veriti ne tot laborum praemium ſibi per deditionem eriperetur, tanquam transfugas trucidant, ut ceteros a deditione deterrerent; et, cum propter incendium in ruinam aſcenſus periculoſus videretur, in craſtinum diem oppugnatione dilata, Pannonii tamen praedae avidi injuſſu ducum per medias flammas irrumpunt, et ſemiambuſti in arcem evadunt. Verum a Moſcis, qui foſſam intra pomoerium duxerant, et tormenta ad latera diſpoſuerant, repulſi, et, quanquam Polonis aliquot ſuccedentibus, poſtremo cum damno deturbati ſunt; quantumvis rex, qui cum Samoſcio tunc extremum vitae periculum adivit, omnem operam daret, ut Pannoniorum temeritate coeptus motus minore cum damno finiretur. Is, ſuperveniente rege, tandem ſuppreſſus; ſed inſigni animorum converſione, cum Moſci hoc ſucceſſu elati, priſtinos animos reſumentes, ſpatio, quod ignis abſumpſerat, munito, et lateribus propugnaculorum conjunctis, ſe rurſus ad defenſionem pararent; Poloni alii in alios culpam rejicientes mutuae diſſenſioni propiores quam oppugnationi viderentur. Pannoniorum tandem virtute, quorum culpa caſus intervenerat, damnum ſarcitum; qui partem montis, quem Moſci interim inſederant, impetu capiunt, ab eaque deinde, quemadmodum juſſi erant, ſecundum proximum latus munitiones proferunt, Petro Racio nobili Hungaro ſuis praeeunte; quo duce, in propugnaculum, in quod primum incurrerant, rurſus ignem injiciunt, qui tota nocte graſſatus eſt. Mane, cum non ſolum latera antea integra nudata, ſed et munitiones intus ductae ad tormentorum ictus paterent, ita ut defenſores in iis amplius conſiſtere non poſſent, tandem per legatos deditio fit III Kal. Oct. in has leges: ut, vita ſalva, cum ſingulis veſtimentis milites dimitterentur. Deditionem diſſuaſerunt Cyprianus epiſcopus et Palatini, magis ſeveritatem principis ſui veriti, quam Polonorum metu, obfirmatis ad inſigne facinus animis; quippe ignem pulveri tormentario ſubjicere, communique incendio arcem ſeque omneis, qui in arce erant, abſumere conati, a milite prohibiti fuerunt; et ad extremum, cum in deditionem conſentire nollent, ad D. Sophiae ſe collegerunt, non prius, quam inde vi abſtraherentur, diſceſſuri. Rex, retentis legatis, mittit, qui epiſcopum et Palatinos ad ſe adducerent: qui, ubi in conſpectum venerunt, in faciem procidentes more patrio regem ſalutant; et mox Laurentio [e] Woinae Lithuaniae quaeſtori cuſtodiendi traduntur. Miſſi dein delecti ex Hungaris ac Polonis, qui arcem accipiant: quam poſtridie, poſt grateis Deo publice actas, rex, quo minus ingredi poſſet, foetore cadaverum in ea jacentium prohibitus fuit; quibus purgari eam ante omnia oportuit. Inter illa reperta unum et alterum Germanorum corpora tradit Reinoldus Heidenſtenius, qui has res accuratiſſime deſcripſit, quos crure tenus lebeti impoſitos igne circumjecto aqua ferventi

vivos

INTERPR [a] *Pleſcow.* [b] *Sein.* [c] *Seremet.* [d] *Sokol.* [e] *Woine.*

vivis coxerant, manibuſque eorum fune per lacertos trajecto a tergo evinctis, ventrem totumque corpus miſerorum hominum crebris in longum per id factis vulneribus ad ſciſſi thoracis modum foediſſime laniaverant. Qua re cum ad ultionem fremeret miles, rex tamen fidem ſemel datam nulla ratione violandam ratus dedititiis vitam incolumem ſervavit, optione delata, et duplici aſſignato loco, in quorum alterum, qui in regis ditionem ac fidem venire, in alterum, qui in Moſcoviam redire vellent, concedebant: utriſque item poteſtate facta, ut de ſe commodiſque ſuis ac facultatibus libere ſtatuerent. Pauci tamen manere apud regem voluerunt. Major pars reditum in patriam et ad principem ſuum eligebat, inſigni in utrumque fide ac perſeverantia, cum nemo eorum eſſet, qui non ad certiſſimam necem et exquiſitos cruciatus proficiſci ſe exiſtimaret. Tamen iis Moſcus pepercit; ſeu quod extrema neceſſitate adactos deditionem feciſſe crederet, ſeu quod, adverſis rebus, ut de animo, ita de ſeveritate remiſerat; eoſque per vicina praeſidia [a] Lukos, Savolociam, Uſviatam et Nevelam diſtribuere ſatis habuit, ubi [b] Polotiae deditae ignominiam virtute delerent. Fidei ſervatae et humanitatis ac clementiae magnam in ea expugnatione laudem apud hoſteis meruit Stephanus; quo magis ignotae eae virtutes inter Moſcos duriſſima ſervitute oppreſſos conſpiciuntur, eo magis illas in rege hoſte admiranteis. Minor fama in arce reperta praeda, quae fere militi ceſſit, excepta bibliotheca libris ex Graeca in Slavicam linguam a Methodio et Conſtantino, ſic Ruſſorum annales ferunt, converſis inſtructiſſima, e doctoribus fere Graecis. Moris eſt apud eos, ut ſacerdotes non ex ingenio publice populum adloquantur, ſed conciones ex patribus Graecis ex ſcripto lingua populari recitent; ſeu quod homines nullis literis eruditi proprio ingenio minus confidant, ſeu ne pro ingenii humani curioſitate ſtudio nova inveniendi ab antiquitate ac veritate recedatur. Addunt, et ne, concionatoribus facultate populum pro arbitrio alloquendi facta, in principem et magiſtratus dicendi, quod pernicioſiſſimo exemplo apud nos invaluit, libertas conceſſa videatur. Capta Polotia, rex ad res provinciae ſtabiliendas intentus a religione principium fecit; et templum in arce ſatis amplum et pro loci captu magnifice lapide exſtructum, quod a Graeci ritus hominibus tenebatur, magna et diuturnae poſſeſſionis praeſcriptione ſe tuentibus, ejuſdem profeſſionis epiſcopo Ruſſo, qui ante jam templi illius titulum [c] Witepſciae ipſe agens uſurpabat, permiſit; ea maxime ratione, quod, cum longius a domo bellum in Moſcoviam inferre cogitaret, intelligeretque quantum ad animos in omneis partes permovendos religio momentum haberet, verebatur prudentiſſimus princeps, ne Moſci religionis amore, ſi eam relinquendam exiſtimarent, a deditionibus abſterrerentur: ac Romanae eccleſiae cultoribus novum attribuit, aſſignatis poſſeſſionibus; et ſocietatis Jeſu ſacerdotibus, quibus impenſe favebat, ejus curam credidit; quorum opera multa in religione et in moribus, quae ab iis populis prave inſtructis peccabantur, emendaturum ſe ſperabat; in primis ad prohibendas vagas libidines, quarum etiam inter ruſticos licentia invaluerat. Poſtea munitiones ad oppugnationem factas dirui, foſſas compleri, murorum dejectam partem inſtaurari juſſit, pecunia in id aſſignata. Tum praefectos deſignat; ac poſtremo Palatinatum Polotiae reſtituit, cum aliquanto tempore ante captam eam a Moſcis tantum a legatis regiis, ſicuti Kiovia, regeretur.

VIII. ITA rebus ordinatis, cum exercitus regius hoſtem pro tempore foris non haberet, inter ſe mutua pernicie paene concurrit; atque a jurgiis inter Polonos ac Pannonios ortis, quod illi ab his ſe contemni quererentur, res ad arma devenit. Rixa donativo a rege compreſſa, longe pernicioſiores ſimultates inter duces ipſos exarſerunt. Nam et [d] Mieletius Polonus, etſi cum Nic. [e] Radevillio Lithuano arctiſſima

neceſſitudine

INTERPR. [a] *Luki, Zawolecze, Uſwiato, & Newel.* [b] *Poczko.* [c] *Witepſk.* [d] *Mieleczki.* [e] *de Radzivil.*

neceſſitudine conjunctus, ex communione muneris nonnihil alienationis contraxerat; CIƆIƆLXXIX
interque eundem et Samoſcium ſubortae etiam ſimultates occultae erant, quod ille HENRICUS III.
non ſatis auctoritatem ſuam ab hoc juvari exiſtimaret: nec minus ex aemulatione [a] Bekeſii angebatur [b] Mieletius, a quo imperii militaris majeſtatem ſibi commiſſam imminui moleſte ferebat. Natus is in Tranſilvania, ac in familia [c] Petrovicii provinciae reguli educatus, adulta aetate Joannis Sigiſmundi Tranſilvaniae principis adeo gratiam demeruit, ut, cum ſine herede decederet, eum ſucceſſorem deſignare non dubitaret: verum, ab ordinibus provinciae cum Stephanus ei praelatus fuiſſet, inde odiis exortis, dum ſtatum publicum turbat, caſtellis aliquot ab eo exutus ad Maximilianum Caeſarem ſe contulerat; coactiſque in Germania aliquot copiis principatum vi Stephano eripere conatus fuerat; a quo profligatus turſus ſe in Germaniam receperat. Poſtea, cum Stephanum aemulum ad regnum Poloniae evectum, et extra omnem invidiam in altiorem locum virtute conſcendiſſe intellexiſſet, poſitis cum aemulatione odiis, unum eum, cujus magnitudinem animi perſpectam habebat, elegit, cui et ſe crederet, et a quo ornamenta omnia et amplificationem fortunae exſpectandam ſibi ſtatueret; eaque fiducia ſuam illi fidem ac operam detulerat. Nec vero ille ſpe ſua falſus eſt. Nam rex, qui virtutem Bekeſii viciſſim cognitam haberet, non modo omnem erga ipſum offenſionem ex animo depoſuit, ſed benigne ſuſceptum opibus ac dignitate cumulavit: quod indigne ferebant Poloni; quos per otium tumultuanteis ut negotio in officio contineret, rex ad caſtella vicina, quae adhuc hoſtium praeſidiis tenebantur, recipienda mittit. Mieletius, Polono et Germano peditatu aſſumpto, [d] Socolam ducit. [e] Turoüliam cum Martinus [f] Gurtius cum Coſacorum manu et Conſtantino [g] Lucompſcio peteret, praeſidiarii, reſtincto [h] Polotiae incendio, arcem deditam conjectantes, locum injuſſu ducum deſerunt. Suſam ad praeſens omitti placuit, tormentis per Dunam ad [i] Driſſam cognominem fluvio arcem devectis, indeque jumentorum ope Socolam deductis, ponte Nicolai [k] Vrovecii induſtria Driſſae impoſito exercitus a Mieletio traducitur. Eodem tempore Jo. [l] Sbaraſius Palatinus Braſlavienſis cum parte equitatus flumen tranat; et Pleſcoviam verſus in excubiis conſidet, ut Moſci illac excurrentis impetum remoraretur; qui, contentus ad terrorem oſtentare diverſarum nationum copias, ut Kaſanorum et Aſtracanorum nuper a ſe ſubjugatorum, eaſque ſuo quaſque nomine citare, nullum praeterea operae pretium fecit, tentoriis tantum fixis, non etiam caſtris munitis. Cum [m] Drobroſſolovius, qui rei tormentariae praeerat, treis globos candenteis, quorum ſupra rationem explicavimus, periculi faciendi cauſa ejaculatus eſſet, ex his duo, cum incendium feciſſent, a Moſcis ſuppreſſi ſunt; tertius imo fundamento adhaeſit, qui non animadverſus haud multo poſt in muro ex abiete et arida materia conſtructo latiſſimum incendium ſparſit. Quo conſpecto, cum Mieletius quaſi ad impetum faciendum tuba ſignum dediſſet, pavidi defenſores, cum reſtinguere incendium non poſſent, tantumque repentini periculi objiceretur, diverſis portis ſe ejiciunt. Seremetus cum parte equitatus Pleſcoviam ſe recipiens in Sbaraſium, Boriſſus Seinus ab altera parte in Germanos inciderunt. Seinus a Germanis ultione ardentibus et recenti crudelitatis Polotienſis exemplo efferatis interfectus eſt; et cum eo Andreas [n] Palecius, Michaël [o] Lycus, Baſilius [p] Crivoborſcius Palatini cecidere. Qui in arce remanſerant, cum ſupplices vitam rogarent, Germani irrumpunt; et, cum promiſcue cunctos caederent, Moſci deſperata ſalute cataractam ferream demittunt, concluſoſque intra arcem ad 10 Germanorum trucidant, antequam [q] Roſdraſevius et [r] Wierus, porta effracta, ſuis accurrere

INTERPR. [a] *Bekes.* [b] *Mieleczki.* [c] *Petrovich.* [d] *Sokol.* [e] *Turowla.* [f] *Kurtz.* [g] *Lucompski.* [h] *Ploczko.* [i] *Driſſa.* [k] *Vrowecz.* [l] *Sbaraſy, Palatin de Braſlaw.* [m] *Drobroſſolow.* [n] *Paleczki.* [o] *Lyque.* [p] *Crivoborski.* [q] *Roſdrazowski.* [r] *Wierzeyski.*

accurrere potuiſſent. Qua patefacta, Germani quam antea efferaciores irruunt, et obvios quoſque, nulli gratia facta, caedunt. Multi in ignem ſe praecipitantes conflagraverunt. Saevitum et in occiſos; inter quos cum plerique obeſo corpore eſſent, focariae Germanorum, apertis corporibus, ad notas vulnerum medicationes, ac in his Scino ipſi, adipem detraxerunt; quod poſtea Moſcorum princeps ſcripta epiſtola Polonorum regi exprobravit. Parta ingens praeda, militeque ex ea ditato, Mieletius ad regem cum victore exercitu rediit; qui Polotia [a] Diſnam profectus eſt, ubi Adolfi [b] Holſatiae ducis et Henrici ordinis Teutonici magiſtri legatos auditos Vilnam rejecit. Cum initio regni eae difficultates Stephanum excepiſſent, quae, quo minus in tempore bello Livonico occurreret, eum prohiriturae viderentur, [c] Radevillius Vilnenſis Palatinus, qui tot annos bellum in Livonia magno ſumptu ac ſine ullo fructu geri videret, Adolfum ſuſcitarat, qui beneficii titulo eam a rege peteret, bellumque contra Moſcum ſuſcepturum ſe polliceretur: hujus aemulatione Joannes [d] Chodkevicius, paulo ante mortuus, Henrico, ut idem faceret, auctor fuerat: quorum poſtea petitiones rex, cum Warſaviae in comitiis eſſet, ex occaſione petitae ab iis mutuae in hoc bellum pecuniae eluſit. Tunc vero conſcenſo Diſnae navigio ſecundo [e] Duna, fluminis amoenitate delectatus, Drucam, et inde per [f] Braſlaviam terreſtri itinere Lithuanicam Vilnam venit; ubi obvium habuit legatum pontificium Andream [g] Caligarinm cum pluribus ex nobilitate. Civitas Vilnenſis tota in gratulationem effuſa et compoſita oratione Deum comprecata eſt, quod benignitate nuper capta Polotia fuiſſet, ut eos magna moleſtia liberaret, idem mox, amoto a cervicibus ſuis [h] Kaukenhauſto, ad publicam ſecuritatem firmandam perficeret. Poſtquam Moſcus nuncium de capta [i] Polotia et praeſidio [k] Socolae caeſo accipit, Pleſcovia, quo venerat, in interiorem Moſcoviam conceſſit, datis ad Suſae praeſidiarios, quibus Petrus Theodori filius Coliceus Palatinus praeerat, literis, quibus eos monebat, ut, quando captis undique praeſidiis auxiliorum ſpe omni intercluſi eſſent, in tempore ſibi conſulant, corrupto ante omni inſtrumento bellico, et imaginibus ac ſacris, ne a barbarorum, ſic ceteros prae ſe habet, ludibrio objiciantur, in terra defoſſis. Id cum pluribus ſignificaſſet, unae ex iis in Mieletii manus pervenerunt, qui inde occaſione capta eo ducit. Moſci imperata fecere; vitamque et ſingula veſtimenta pacti locum cum omni inſtrumento bellico, quod ſupererat, tradiderunt prid. Non. Oct. Mieletius, his actis, exercitum in treis partes diſtributum in hyberna deducit, dato negotio Conſtantino [l] Oſtrogiae duci, ut in hoſticum cum clientaribus copiis excurreret; qui, [m] Boryſthenem tranſgreſſus cum Michaële [n] Wiſnovecio, tota [o] Severenſi ditione vaſtata, etiam populationibus [p] Starodubam et circumpoſita loca paſſim infeſtavit. Idem et a Philone Kmita [q] Orſanenſi praefecto factitatum; qui, praeda ingenti abacta, ad Smolenſcum uſque provectus, et duobus pagorum millibus incenſis, praeter agri ſolum nihil iis in locis reliquum fecit.

IX. REX interim, qui bellum in ſequentem annum pararet, cum Vratiſlaviae eſſet v Kal. Oct. comitia Warſaviam indixerat ad IX Kal. Dec. Tumque magiſtratus ac dignitates, quae per Joannis Chodkevicii mortem vacabant, inter proceres diſtribuit; iiſque Radevillios Lithuanos prae ceteris ornavit: quod non mediocrem illi apud Polonos invidiam conflavit, vigente adhuc inter duas nationes, quamvis ſub idem imperium conjunctas, aemulatione. Inde Vilna [r] Grodnam movit; quo loco venationibus aliquandiu ſe oblectavit; quarum et praeteritorum laetitiam nonnihil turbavit Gaſparis Bekeſii, de quo modo dixi, obitus; qui moriens uxorem ac duos impuberes filios regi ac Samoſcio multum commendavit. Tandem ad comitia ventum; in

INTERPR. [a] *Dziſna.* [b] *Holſtein.* [c] *de Radzivil.* [d] *Chodkewicz.* [e] *la Duine.* [f] *Braſlaw.* [g] *Caligaro, veſcovo di Bertinoro.* [h] *Kockenhaus.* [i] *Plozko.* [k] *Sokol.* [l] *Oſtrog.* [m] *le Nieper.* [n] *Wiſnowecz.* [o] *de Severie.* [p] *Starodub.* [q] *Orſa.* [r] *Grodno.*

in quibus cum incommodis ſermonibus criminationis ſpecie ſe differri rex intellexiſſet, eos dilui quam diſſimulatione valeſcere maluit. Pleriquc, quibus aut effuſa regis liberalitas non ſatisfaciebat, aut qui, cum regem ſuffragiis juviſſent, ab eo honoribus non affici ad injuriam pertinere arbitrabantur, aut denique [a] Mieletium, [b] Samoſcium et Radevillios ſolos honoribus participare non ferentes, in eo regno, in quo, quod quiſque ſentit, pati libertate dicere poteſt, omnia dicta factaque regis ſecus interpretabantur. Nam et, cum initio Leopolim in Ruſſia proficiſceretur, eum taedio praeſentium, aſportata omni Sigiſmundi Auguſti gaza, in Tranſilvaniam cogitare; dein, cum [c] Suiri diem militi ad conveniendum dixiſſet, non bellum ſerio ab eo ſuſcipi, cui gerendo impar eſſet, ſed pecuniis colligendis et novis tributis colorem quaeri aiebant. Quidam et altius provecti reginae animum tentaverant, ſuſpicione injecta, quaſi rex ejus aetatem ſpernens divortium meditaretur, eaque de cauſa Petrum [d] Volſcium epiſcopum Ploſcenſem ad pontificem miſiſſet. Addebant et, minime ſatisfactum conditionibus in regno ineundo ab ipſo jurejurando confirmatis: homines adventitios ad honores ac dignitates provehi; nec in accipiendo in fidem Curlandiae duce ſervatum regni legibus praeſcriptum modum. Quae omnia eo pertinebant, ut negato tributo belli perſequendi facultas regi adimeretur. Itaque, turbidis initiis praevertendum ratus Samoſcius, primo, quo agi de republica coeptum, comitiorum die luculentam ad ordines orationem habuit; qua et victoriam de hoſte partam in majus extulit, et belli perſequendi, antequam Moſcus vireis et animos colligat, neceſſitatem validis rationibus approbavit, et univerſos ac ſingulos ad rempublicam tali in neceſſitate fortiter capeſſendam hortatus eſt: conſcientiam pro ſolatio in praeſens ac regem beneficum, in poſterum gloriam pro praemio habituros: ſic autem omneis ſtatuere debere, obtrectationibus ac praepoſteris rempublicam turbandi ſtudiis, quae virtuti ac bonis artibus debentur, praemia ſub bono principe ſperari non poſſe. Quod ex compacto cum rege a Samoſcio dictum cum cuncti intelligerent, priſtina querelarum libertas paulatim remiſit. Rex nihilominus, quae publice jactari inaudiverat, diluere voluit: et, cum Leopolienſem profectionem et Suirenſem expeditionem, ut pleraque alia, jam tempus refutaſſet, et conſtaret, regem multa de privatis commodis in publicos belli uſus contuliſſe, nihilque ſeparatum a republica in hoc bello habuiſſe, quantum ad militaris imperii imminutionem et exteros honoribus cumulatos, quod Bekeſium hoc dicto notari videret, ſic factum excuſavit, ut diceret, Bekeſium praefeciſſe ſe Hungaris, non ut ſua auctoritate bellicarum quid rerum adminiſtraret, ſed ut ducis Poloni imperio ſubeſſet, et quaſi interpretis munere apud Hungaros fungeretur: externi porro militis uſum praecipue peditis ad hoc bellum fuiſſe neceſſarium; quippe cum hoc regnum prae ceteris equitatu, non perinde peditatu valeat; et, re ſaepius in ſenatu agitata, tandem tenuiſſe, ut externae opes ad domeſticum robur firmandum adſciſci poſſent: neque enim eſſe ſapientis, quod externorum periculo conſequi poſſis, civium ſanguine quaerere velle: hac ratione maxima imperia coaluiſſe: hoc ipſo in regno multas primarias familias ſe tempore inſinuaſſe; inter alias clariſſimam [e] Tarnoviorum domum ad exteros originem ſuam referre. Quibus verbis compreſſa murmura, ſilentiumque ea de re in poſterum fuit, cum nemo eſſet, qui peditem externum neceſſarium negaret. De Curlandiae item duce oſtenſum, quod actum eſſet, nihil a legibus et majorum exemplis alienum eſſe. Purgati et coram de Plocenſis epiſcopi legatione ſiniſtri et ad invidiam compoſiti rumores. Itaque, nullo repugnante, triburum ſcitum eſt, clauſula, ne auctoritas praeſcriberetur, adjecta, ut rex per legatos bellum adminiſtraret: quod indignum magnitudine animi ſua judicans, non ſolum ſibi decorum, ut ipſe bello intereſſet, ſed etiam ad accendendos tot nationum animos, aemulationes tollendas et diſſidia ducum componenda neceſſarium multis

rationibus

INTERPR. [a] *Mielecki.* [b] *Zamoyski.* [c] *Suire.* [d] *Volski, evêque de Plocko.* [e] *Tarnow.*

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

tationibus demonſtravit. Sub exitum comitiorum de Niſcerda capta allatum eſt, prodente [a] Coſſonio quodam, non corpore ſolum ſed animo etiam ſupra agreſtem valente; qui, capta olim Polotia, cum reliquis oppidanis in Moſcoviam deportatus, dein, cum amorem domini priſtini exuiſſe putaretur, patriis ſedibus cum filiis reſtitutus, ſimulac de urbe a rege recepta intellexit, quomodo cum aliquo operae pretio ad prius imperium rediret, cogitare coepit; [b] Coſaciſque Polotienſibus auctor fuit, ut ad locum perfectis nondum munitionibus debilem, eo citra negotium potituri accederent: et promiſſis eventus reſpondit. At Coſſonius, qui nihilominus inter Moſcos fortuitum Coſacorum adventum exiſtimanteis impune verſaretur, de Savolocia eadem ratione occupanda cum iiſdem Coſacis agere voluit: ſed, re detecta, nec ſucceſſus par fuit, et ipſe nimiae apud hoſteis morae poenas luit, cum duobus filiis in caſtelli conſpectu palo ſuffixus.

X. ET haec quidem in oriente ac ſeptentrione dum geruntur, res haud paulo quietiores ad occidentem erant, ſuſpenſis in Hiſpania ac vicinis provinciis de regno Luſitano in familiam externam brevi transferendo animis. Comitiis ad Kal. April. indictis, rex Henricus, cardinalis habitu et ſceptrum manu geſtans, cum [c] Bracantiae duce ac magno comitatu venit, et in pegmate ad id parato ſub uraniſco conſedit. Ibi coram delegatis Alfonſus [d] Caſtroblancus ſacerdos, a rege dicere juſſus, orationem abſurdae atque adeo impiae adulationis plenam habuit; et, deplorata praeteritorum memoria, laudatoque rege a charitate, juſtitia, miſericordia, et, quaſi ſe pro ſuis immolaſſet, cum rege coelorum comparato, etiam conventum ordinum cum ſacroſanctis ſynodis comparavit; ac proinde illarum exemplo non poſſe errare impudenter affirmavit. Tum, cujus rei cauſa conveniſſent, exponit; ſeorſimque, ut more majorum de republica conſulerent, hortatur. Variabant ſententiae. Nam alii, ut motibus praeverteretur, nulla dilatione interpoſita, in praeſentiarum de regni ſucceſſione decernendum cenſebant. Alii in eo negotio cautius progrediendum eſſe ſentiebant, viamque juris ſervandam, ut, qui jus in eo ſibi arrogabant, citari audirentur, et, omnium partium rationibus intellectis, inſtructaque rite et ordine lite, mature de ea ſtatueretur. Alii rurſus, quod litem in longum protelatum iri providerent, ſi quid interim humanitus contingeret, expeditum videri dicebant, quo tumultibus obviam iretur, ut regni gubernatores crearentur. Alii denique, qui turbas malebant, indeciſa ac confuſa omnia cupiebant. Mediam viam elegit rex; ut nihil in praeſentiarum de ſucceſſione decerneretur; ſed, qui in eo jus ſibi competere contendebant, citati prius audirentur; interim gubernatores crearentur. Secundum haec ab ordinibus nominati XV; ex quibus rex V delegit; quorum nomina ſecreta, ſic enim poſt multas contentiones renuit, in capſam conjecta ſunt, [e] Oliſſiponenſis magiſtratus cuſtodiae traditam. Nominati rurſus XXII; ex quibus rex XI delegit; qui, ſi regem ante litem de regni ſucceſſione terminatam mori contingeret, cum plena poteſtate eam dijudicarent, ridicula prorſus ratione; quippe cum conſtet, juriſdictionem regiam morte mandantis exſpirare: ejuſque rei in Caſtellae regno inſigne exemplum perhibetur, ubi, cum Iſabella regina leges condidiſſet, quas poſt mortem ſuam locum habere volebat, eae tamen defectu poteſtatis locum in eo regno non obtinuerunt. Nihilominus a rege Bracantiae dux ceterique proceres, antiſtites ac ceteri ordines ſacramento adacti, gubernatoribus a rege creatis, et ei, ſecundum quem delecti judices pronunciaſſent, tanquam legitimo regi, ſe parituros. Antonius ipſe [f] Crati prior, cum initio, petito prius cum rege colloquio, jurare detrectaret, tandem tactis ſacro-ſanctis evangeliis ceterorum exemplo fidem obſtrinxit. Heic rurſus pro plebeio ordine, qui a Philippi partibus admodum alienus erat, quidam conſurgens, ſugillata obnoxiorum fide, qui

decus

INTERPR. [a] *Coſſon.* [b] *Coſaques vers Ploczko.* [c] *Braganza.* [d] *Caſtel-blanco.* [e] *de Lisbonne.* [f] *Crato.*

decus et libertatem regni privatis affectibus poſthaberent, conventum rogavit, ut ad CIↃIↃLXXIX.
honorem ac jura regni tuenda ſecum conſilia, vireis, animos gnaviter ſociarent; et, HENRICUS III.
quod idem jam factum fuerat, petulanti inſolentia XV CIↃ hominum ad eos quos deſignabant in ordinem cogendos, et eorundem domos, ſi opus eſſet, incendendas ac evertendas ſui ordinis nomine obtulit. Id tamen a prudentioribus excuſatum, qui plebis ingenio, quam violento tam facile mutabili, ignoſcendum putabant. Actum et de regis matrimonio: et gratiae a pontifice impetrandae cauſa miſſus Romam Edvardus Caſtro-blancus. Ipſe rex multoties medicos ſuper valetudine ſua conſuluit, an ea aetate liberorum procreationi habilis eſſet: et, quanquam caſtitatem tota vita profeſſus, ad excludendum externum heredem de ducenda uxore cogitabat. Quibus de rebus certior per oratores ſuos et imprimis per Chriſtophorum Moram tunc ad eum oratorem factus Philippus, cum videret regem et ordines a ſe averſos eſſe, protinus ad oratorem ſuum, qui Romae erat, ut omni ratione pontificem a gratia ducendae uxoris Henrico facienda dimoveat, ſcribit: eodemque tempore ad ipſum Henricum avunculum in occulto mittit Ferdinandum [a] Caſtellium Dominicanum, qui eum a propoſito ducendae uxoris revocaret, vel ea maxime ratione, quam, licet ineptiſſimam, tamen apud hominem ſuperſtitioſum valituram putabat, quod, veneno ſectario paſſim pullulante, periculum eſſet, ſi ſacris addictus uxorem duceret, id in exemplum a pernicioſis hominibus traheretur. Verum Dominicanus ille non perinde ab Henrico, ut ſibi Philippus perſuaſerat, acceptus eſt: ſed ſtatim cum offenſionis ſpecie dimittitur, ſuppreſſa tamen legationis cauſa.

XI. JAMQUE citatis competitoribus, oratores eorum aderant: pro Philippo Petrus [b] Giro Oſſunae dux, cum iis quos dixi; pro Philiberto Sabaudiae duce Carolus [c] Roboreus; pro Ranutio Farneſio Alexandri filio Ferdinandus Farneſius Parmae epiſcopus, qui, re [d] Patavii inter juriſconſultos celeberrimae illius academiae deliberata, conſultationem validiſſimis rationibus, ut ſibi videbatur, confirmatam publicaverat. Et Sabaudus quidem de jure ſuo Philippo concedebat; quippe ex Iſabella grandiore natu Emmanuelis regis filia progenito: tantum petebat, ut, ſi contingeret Philippum ante Henricum communem avunculum decedere, eo caſu juris ſui ratio haberetur: de cetero iiſdem cum Philippo argumentis contra Bracantiae ducem, qui Catharinam Edvardi Henrici fratris filiam in uxorem duxerat, et Ranutium Edvardi nepotem ex Maria ejus grandiore natu filia procreatum nitebatur. Nam, ſublato repraeſentationis beneficio, quod multis rurſus argumentis convellebant, tanquam gradu proximi et maſculi, ceteris praeſerri debere ambo contendebant. Repraeſentationis rurſus beneficium urgebatur a Bracantino et Ranutio; qui Ranutius eandem rationem poſtea contra Catharinam materteram reflectebat, ipſe ex grandiore natu Edvardi filia natus. In gratiam Bracantiae ducis, cui et in occulto favere Henricum intelligebant, [e] Conimbricae academiae juriſconſulti ſcripſerant; editaque conſultatione multis argumentis Philippi et Sabaudi primum ac rurſus Ranutii jus refutabant. Univerſi autem Antonium Crati Priorem, qui et citatus aderat, tanquam ſpurium, et Ludovico quidem Henrici fratre, ſed ex contubernio mulieris, quam nunquam uxorem duxiſſet, prognatum a ſucceſſione rejiciebant. Catharinae regum noſtrorum parentis nomine, quamvis minime citatae, adfuit Urbanus [f] Sangelaſius Convenarum epiſcopus, Lud. Sangelaſii Lanſaci nothus filius; qui poſt multas difficultates tandem ab Henrico admiſſus eſt; eique permiſſum, ut per procuratorem in cauſa ad probandum jus ſuum intervenire poſſet. Sic autem affectus Henricus videbatur, ut in Bracantini gratiam cunctos excluſos vellet; rurſus, ut Philippum excluderet, omneis promiſcue ad petitionem

INTERPR. [a] *de Caſtello.* [b] *Giron, duc d'Oſſune.* [c] *della Rouere.* [d] *Padoue.* [e] *de Coimbra.* [f] *de S. Gelais, evêque de Comminges.*

petitionem admitteret. Regina, origine longius petita, jus ſuum referebat, ut ſupra jam diximus, ad Robertum Alfonſi III ex Mathilde [a]Bononiae comite natum, a quo genus ducebat: nam ceteros Alfonſi liberos ex Beatrice Guſmana, Mathilde ſuperſtite, prognatos illegitimos fuiſſe: qua re non ſolum injuriam tot Alfonſi ſucceſſoribus regibus faciebat, ſed Henrici ipſius tunc regnum tenentis jus quaſi in dubium revocabat, ut multi non immerito et reginae, et eorum qui circa ipſam erant, prudentiam in ea legatione decernenda deſideraverint: nam quam gratiae ab eo conſequendae ſpem ſubeſſe, quem tam atroci injuria laeſeris? aut quam victoriam exſpectari poſſe contra tot litiganteis, qui jus ſuum ex proxima ſucceſſione metienteis, ſi ratio juris a regina praetenſi habita fuiſſet, ſtatim a limine judicii excludebantur? Igitur cum eas rationes minime pondus habituras provideret legatus noſter, alias a rege literas ad [b]Oliſſiponenſem cameram ſcriptas profert; quibus rex operam ſuam toti regno liberaliter deferebat, et, ne ſe potentiorum jugo opprimi paterentur, maximopere Luſitanos hortabatur: quas literas, quo minus camerae redderentur et publice recitarentur, Henricus prohibuit. Id aemulatione a rege factum interpretati ſunt Hiſpani: cumque per oratores ſuos et apud pontificem et alios Chriſtianos principes et Amurathem adeo Turcorum imperatorem ac Feſſanum regem egiſſe ſcribit Antonius Errera, ut auctoritatem aut arma ſua interponerent, prohiberentque ne Philippus tanta acceſſione imperium jam ſatis per ſe formidabile locupletaret. Nec ceſſabat Philippus, qui per Petrum Vanegam Cordubenſem ſtatim poſt Sebaſtiani mortem Marochum miſſum arctiſſimam amicitiam cum novo rege contexerat. Et, quanquam Eliſabetha Anglorum regina, jam tum, quod evenit, animo praeſagiens, ut infeſtiſſimum bellum cum Philippo haberet, omnem operam daret ne Hametes tam potentem vicinum, tunc domi turbatum, et, quam primum quietem in Hiſpania nanciſci poſſet, contra ipſum arma verſurum, in otio relinqueret, tamen nihil impetrare potuerat; cum ille, ab Andrea Gaſpare Corſo, quem dixi, perſuaſus, tantum principem ultro bello laceſſere, nondum compoſitis in regno novo rebus, minime ſibi tutum arbitraretur. Apud Luſitanos Hiſpani injurias a Gallis acceptas in majus extollebant: interceptam Petri Caſtroblanci Indicam navem tot gemmis onuſtam, quas et in digitis Franciſci I ipſius multi viderant; deinde ſub Henrico II Franciſco Pereirae Luſitano legato itidem gemmas furto ademptas, quas regina per ſummam contumeliam retinuerit: denique interceptas a Proteſtantibus Gallis naveis ab inſula S. Thomae et Braſilia venienteis; idque impune fuiſſe piratis, qui poſtea in aula regis triumphantes viſi ſunt; fruſtraque de tanta injuria queſtos Luſitanos nullam a rege ſatisfactionem impetrare potuiſſe. Haec et alia, ſive falſa ſive ex vero trahentia, in Gallici nominis invidiam artificioſe comminiſcebantur Hiſpani, et per oratores ſuos paſſim diſſeminabant. Ad oratores ſuperiore anno miſſos Philippus adjunxerat Rodericum [c]Vaſcum et Ludovicum [d]Molinam juris peritos, Joanne Silva, qui olim apud Sebaſtianum regius orator proelio ipſi interfuerat, et, captus ac multis vulneribus ſauciatus, ab [e]Hamete in Philippi gratiam nuper dimiſſus fuerat, penes ſe retento, haud occulto eorum, qui circa regem erant, ut creditur, livore; et Chriſtophori Morae inprimis, qui negotii a ſe inchoati decus in alium transferri aegre patiebatur. Is igitur commendatione aulicorum oratoris titulo, antea cubicularii regii dignitate ornatus, in Luſitaniam ablegatur. Magno errore, ab Henrico, ut pleraque alia in civili adminiſtratione peccavit, factum prudentiores exiſtimant, quod plenam de ſucceſſione cognitionem non ſibi reſervaverit; ſed eam doctoribus per ſcholas agitandam et ad extremum a judicibus a regno deligendis decidendam permiſerit: ſic enim portam ad turbas et factiones in regno apertam. Atqui conſtare ipſi debuit, non juris peritorum opinionibus dari aut adimi imperia: verum ea armis quaeri, et parta iiſdem armis aequabili

INTERPR. [a] *Boulogne.* [b] *de Lisbonne.* [c] *Vaſquez.* [d] *de Molina.* [e] *Muley Hamet.*

aequabili jure temperatis conſervari. Sed quid aliud expectari potuit ab homine vitae otioſae innutrito, jam ſene, minime ad imperia nato; qui proprias ſacrifici virtutes, nullas veri principis haberet, qoi alieno potius quam ſuo ingeoio regeretur, et odiorum in cunctos ſemel cooceptorum tenax, poſt regnum adeptum, neque ea deponere neque dignc ulciſci ſciret? Itaque et in ipſum, licentia graſſante et ad odium accedente contemptu, multa jactari coepta; quod quietem regni negligeret, per magiſtratus venaleis rempublicam adminiſtraret, in rebus nihili tempus tereret, neceſſarias aut noo intelligeret aut inſuper haberet: quod regni ſucceſſionem, de qua motam quaeſtionem primo quoque tempore a ſe regia auctoritate, nemine citato, deciſam oportuit, tot petitoribus ad ambiendum invitatis ad ſeditiooes domeſticas et potentiorum invaſionem expoſuerit: quod gubernatores intempeſtive creaverit; et ita factionibus regnum ipſe ſciderit. In eam rem ſcripta ſed ſuppreſſo auctoris nomine evulgata: quae cum ad regis notitiam veoiſſent, cognitionem perverſo ordine inſtitutam, quae lentius antea procedebat, urgere coepit, eamque tandem in ſcenam ipſe fortunae ludibrio quaſi rex in theatrum productus deduxit. Primi incedebant Philippi oratores; dein Sabaudi; poſt Ranutii Farneſii; tum [a] Bracantiae ducis procuratores; poſtremi omnium, qui Antonii cauſam defendebant: cum Henricus Almadae in ulteriore Tagi ripa ex adverſo urbis degentem longius [b] Cratum ſedere juſſerat, veritus, ne ex odiis, quae ipſi cum Bracantino intercedebant, ſi propius accederet, ad arma deveniretur: et, cum eſſet averſo ab eo animo, metuebat, ne ille in aula inter nobileis et praecipue apud plebem, cui odio externorum competitorum ſummopere acceptus erat, partes ſereret. Itaque, quamvis citatus, nunquam impetrare a rege potuit ut ad urbem veniret, coram jus ſuum diſceptaturus. Jus autem a regina praetenſum, etſi longius petitum, quia alios excludebat, illud aote omnia refutari placuit. Sic autem argumentabantur Philippici doctores: jus illud longiſſimi temporis praeſcriptione intermortuum fruſtra nuoc a regina ſuſcitari; de quo tot [c] Bononienſium comitum, qui Mathildem exceperant, nemo hactenus controverſiam moviſſet: et vero, ſi penitius in veritatem rei inquiratur, conſtiturum, Mathildem nullos ex Alfonſo III liberos ſuſcepiſſe; ac magoopere falli, alioſque in errorem ſecum ducere, qui ſcripſit ad S. Dominici Oliſſiponae infantem filium Mathildis ſepultum eſſe: nam, ut in vivis fuerit, tamen apparere vel ex aetate vel ex habitatiooe nullos illum liberos reliquiſſe: et oullos quidem Mathildem liberos ex Alfonſo ſuſtuliſſe probari ex ipſius teſtamento, quod in publicis archivis ſervatur; in quo nulla mentio liberorum habetur; tum ex libello ſupplici Urbano V a regni ordinibus oblato, quo poſt Mathildis mortem petebant, ut interdictum revocaretur, et filii ex Beatrice ab Alfonſo ſuſcepti tanquam legitimi ad regni ſucceſſionem admitterentur: quod procul dubio fruſtra petiiſſent, ſi qui ex Mathilde ſuſcepti in vivis tunc fuiſſent: igitur inde ſequi, Robertum illum, ad quem genus ſuum regina referat, non Mathilde ſed Aliſa Mathildis ſorore prognatum eſſe. Ita reginae jure exploſo, reſtabat Antonius, qui, ſi probare jus ſuum potuiſſet, ceteros a limine judicii repellebat. Itaque Henricus, impetrato a pontifice diplomate, quod feciſſe poſtea poenituit, de cauſa ante omnia cognoſcere voluit: et cum ex quatuor teſtibus ab Antonio productis, et matrimonium Ludovico patri eum matre ejus interceſſiſſe affirmantibus, duo ſe ab illo ſubornatos et promiſſis ac pretio corruptos falſum teſtimonium dixiſſe confeſſi fuiſſent, alteri duo merito ſuſpecti eſſent, quippe cum matris ſoror, in teſtem allegata, nec conſentanea cum tertio teſte diceret, et alioqui Ludovicus pater eum tanquam ſpurium extremis tabulis nominaſſet, Henricus tandem auctoritatem ſuam interpoſuit, et Antonium non legitimum ſed illegitimum pronunciavit, eique ſuper foedere matrimonii et natalium quaeſtione perpetuum ſilentium impoſuit, ſalvo ſibi contra falſos

CIƆIƆLXXIX.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Bragança.* [b] *Crato.* [c] *de Boulogne.*

CIↃIↃLXXIX.
HENRICUS III.

falſos teſteis et ipſum, qui eos ſubornaſſet, perſecutionis jure. Qua re cognita, Antonius non tamen quievit; ſed Alexandri Formenti pontificii oratoris ei in occulto faventis commendatione aliud diploma a pontifice impetrat, quo prius diploma revocabatur; et, quaſi mandatum egreſſus eſſet Henricus, qui ſententiam pronunciaſſet, ei mandabatur, ut litis acta Romam tranſmitteret. Qua re ultra modum irritatus ſero errorem ſenſit, qui pontificia ac non propria et regia auctoritate de cauſa cognoviſſet. Itaque, cum novum diploma a pontifice veniſſet, quo rei de integro cognitionem oratori ſuo et Georgio [a] Almeidae archiepiſcopo Oliſſiponenſi attribuebatur, ita excanduit Henricus, ut ab oratore pontificio vix placari potuerit: ſed, citato Antonio, ut ad perduellionis crimen reſponderet, cum non compareret, de cetero quam honeſtis poterat ſe rationibus excuſaret, ſtatim Edvardo [b] Caſtroblanco lictorum praefecto negotium dedit, ut ipſum comprehenderet: et, cum comprehendi non potuiſſet, in contumacem, tanquam rebellem, inobedientem et publicae tranquillitatis perturbatorem ſententia non pontificia ſed regia auctoritate fertur, qua dignitatibus, honoribus, titulis ac bonis privatur et extra regnum deportatur. Ceſſit irae impotentis ſenis Antonius, ne geminata contumacia ſe jure praetenſo indignum redderet, et abſentia ſua majus ſui deſiderium apud plebem excitaret. Reſtabat Philippus, Sabaudus, Ranutius et Bracantinus; qui, dum quiſque contrariis rationibus ſe invicem oppugnant, jus ſuum in dubium revocabant. Tandem poſt ſcenicas illas concertationes cum nihil decerneretur, ſinguli conſultationes pro jure ſuo ad pontificem et principes Chriſtianos mittunt. Inde occaſione ſumpta, regni ordines et praecipue Oliſſiponenſes, quaſi extincta maſcula prole et incerto ſuccedentium jure, rem ad electionem deductam contendebant; idque ſibi juris arrogabant: nam ſic olim poſt Ferdinandi obitum, legitimis heredibus deficientibus, Joannem licet ſpurium concordibus ordinum ſuffragiis in regem electum eſſe; ab eoque, qui regnum huc uſque tenuerint, genus ducere. Contra replicabant Philippici; electioni nunquam locum eſſe, quamdiu legitimi heredes exiſtant; et, ut detur, hereditatem jacere propter incerta partium jura, non propterea inde ſequi, ut ipſi jus eligendi habeant: nam Portugalliae regnum ab initio ipſos Luſitanos minime conſtituiſſe; ſed portionem eam [c] Galleciae eſſe, quam Hiſpaniarum reges Henrico comiti conceſſerint, quamque ſucceſſores ejus poſtea multis acceſſionibus amplificaverint: itaque aequum eſſe, ſi res ad caduci cauſam recidiſſe dicatur, ut Portugalliae regnum, inſpecta origine, [d] Legionenſi regno accreſcat, et tanquam membrum olim ab eo avulſum cum ipſo nunc tandem conglutinetur. Et ita quidem primus fabulae actus utcunque tranſactus fuit: cetera ſerio acta ſunt. Nam Philippus, qui ſtatuiſſet jus ſuum armis perſequi, pluſque momenti in potentia quam in jure ſuo et juriſconſultorum ſententiis poneret, jam ſatis famae et hominum opinioni, ſatis ſcenae et ineptae regis imperiti voluntati datum ratus, Henricum petita audientia per ſuos legatos adoritur, et, Oſſunae duce verba faciente, orat eum, ut, quando de ſuo jure adeo manifeſto et ipſi et omnibus conſtare debeat, eum regni ſucceſſorem deſignet, et in ipſius verba cunctos ordines jurare jubeat: id magno Luſitaniae bono ceſſurum; quae, cum Hiſpaniarum pars ſit, nulli melius quam Hiſpaniarum regno convenire queat: Philippum in Hiſpania et matre Luſitana natum, uxorem etiam ex Luſitania habuiſſe, ut nullum eorum, qui hoc regnum frivolis ex jure petitis rationibus ambiunt, majore charitate ac benevolentia Luſitanos complexurum appareat: Michaëlem olim Emmanuelis ex Iſabella Ferdinandi Arragonii et Iſabellae Caſtellenſis majore natu filia natum, maſcula prole deficiente, in ſpem ſucceſſionis tot regnorum educatum; et tanquam Hiſpaniarum principem, avis ſuperſtitibus, deſignatum prono Hiſpanorum favore acceptum cultumque;

INTERPR. [a] *de Almeida, archevêque de Lisbonne.* [b] *Don Duarte de Caſtel-blanco merino mayor del reyno.* [c] *Gallice.* [d] *de Leon.*

culmumque; nunc vice verſa, ſi Deus Philippo Luſitana matre orto regnum legitima ſucceſſione deferat, aegre id Luſitanos minime ferre debere: cum vero omnium principum, tum vero ſuae majeſtatis pietatis ſtudiis ſemper a puero innutritae hanc praecipuam eſſe curam, ut omnia conſilia ſua, cogitationes, vota, conatus ad Dei gloriam tanquam ad ſcopum dirigat: at longe maximam eſſe, quae ex Luſitaniae cum reliqua Hiſpania conjunctione ad nomen Chriſtianum redundatura ſit, utilitatem; quippe cum unitis utriuſque regni viribus et opibus in orientaleis ac occidentaleis Indias, adde his Africae oram maritimam, et tot munitiones in Africae faucibus a Caſtellenſibus et Luſitanis quondam ſeparatim excitatas, promiſcue nunc Hiſpanis omnibus aditus pateat, quo Chriſti nomen in his longinquis et veri luce deſtitutis provinciis facilius promulgetur, et firmiore cum robore barbarorum a vera religione alienorum impetus propulſari, piraticae depraedationes non ſolum in oceano ſed etiam in mediterraneo mari prohiberi, et, ad evertendas Turcorum Europae imminentium vireis, etiam in Aſiam bellum inferri poſſit. Tum Oſſunae dux Philippi nomine promittit, ſi amice res tranſigatur, et ipſe citra armorum neceſſitatem legitimus ſucceſſor declaretur, fore, ut jura integra omnia, libertates, privilegia, immunitates Luſitaniae ſalvae maneant, et a principe ſuo confirmentur: quod utique facturus non ſit, neque vero poſſit, ſi res ad arma deveniat. Quapropter demiſſe et enixe, quam poteſt, regem obſecrat, ut in hoc negotio Chriſtianae rei, regno, patriae ſimul conſulat; et non tantum veluti judex inter partes ſedeat, ſed tanquam parens inter liberos jus dicat ac Philippo tanquam primogenito filio regnum legitima ſucceſſione, quandocunque ipſum Henricum decedere contigerit, delatum adjudicet. Hac veluti honeſta, ut ſibi videbatur, belli denunciatione praemiſſa, Philippus cuncta ad id neceſſaria parat; et [a] Inico Lupo Mendozae Mondejatis marchioni regni Neapolitani et M. Antonio [b] Columnae Siciliae proregibus mandat, ut veteranos claſſi impoſitos cum apparatu bellico ad [c] Baeticae litora quam primum mittant. Item marchioni [d] Aiamontis [e] Mediolani proregi negotium datur, ut copias, quas penes ſe habeat, Genuam verſus tendere jubeat. Per Petrum Medicem Franciſci Etruriae ducis fratrem IX CIƆ peditum in Italia, ducibus Proſpero Columna, Vincentio Carafa, et Carolo Spinellio; per Hieronymum Lodronii comitem VI CIƆ in Germania conſcribi curat. Miſſi mox diverſis itineribus delecti tribuni, qui aditus in Portugalliam omni ex parte diligenter obſervent, civitates, oppida, arces, ſitum earum, ſoli commoditatem, loca commeatus ſubvectioni et caſtrorum metationi opportuna notent, et ad regem referant. Ii fuere Franciſcus [f] Valentia, Alſonſus [g] Varga, Petrus [h] Bermudes Sanctius, Jo. Baptiſta [i] Antonellus locorum muniendorum valde gnarus. Tum Franciſco Alabae rei tormentariae praefecto mandatum, ut [k] Hiſpalim profectus, quod ſui muneris ſit expediat. Commeatus per praefectos vicinos in plureis menſeis proviſus. Juſſi et Gabriel [l] Nonius, [m] Ludovicus Enrices, Franciſcus Valentia, Petrus Aiala, Martinus [n] Argotes, Antonius [o] Morenus, et Rodericus [p] Sapata Legionenſis, ſinguli ſingulas legiones per Caſtellam conſcribere: ſummaque omnia faciebat Philippus, ne, quod ſibi damno vertiſſe in bello Granatenſi et Guletae expugnatione nuper meminerat, imparatus opprimeretur; potiuſque ducebat, vel cum immenſis ſumptibus periculo in tempore praevertere, quam, dum ſumptibus parcitur, tantae occaſioni deeſſe. Cum tamen ſciret, potentiam ſuam ceteris principibus formidoloſam eſſe, nec ſperatam tanti regni acceſſionem parum invidiae apud eos conciliaturam, colorem tantis apparatibus quaerebat; famamque ſpargi curaverat, ſibi cum

Hamete

INTERPR. [a] *Inigo Lope de Mendoça, marquis de Mondejar.* [b] *Colonna.* [c] *Andalouſie.* [d] *de Aiamonte.* [e] *Milan.* [f] *de Valentia.* [g] *de Vargas.* [h] *Bermudes de Santis.* [i] *Antonelli.* [k] *Sevile.* [l] *Nunno.* [m] *Don Luis Enriquez.* [n] *de Argote.* [o] *Moreno.* [p] *Sapata de Leon.*

[a]Hamete Cheriſio optime convenire, et conjunctis viribus ex compacto expeditionem Algerianam ſuſceptam, ut dejectis Turcis ad commune bonum Hiſpaniae et [b]Africae oram utrinque pacatam redderent; et ita credi in Italia volebat: et ſaepius percontanti pontifici, quorſum tanti apparatus pertinerent, reſponſum a Philippico oratore fuerat, ad bellum in Africa contra Turcos gerendum deſtinatos eſſe.

XII. AT Henricus, qui ex [c]Oſſunenſis verbis et apparatibus belli, quid ſibi Philippus vellet, non ignoraret, et Antonio ultra modum ob ea, quae dixi, infeſtus eſſet, Catharinam vero Bracantini ducis uxorem percharam ſibi ſed imparem contra Philippi potentiam animadverteret, paulatim labare coepit, a Leone Enrice ex ſocietate Jeſu, qui ei a ſacris confeſſionibus erat, potius quam a legatis Philippicis, ut creditur, perſuaſus; qui coelos inde meritis ſuis apertos oſtentans, ſi ad eccleſiae Romanae amplificationem Philippum ſibi ſucceſſorem deſignaret, et inde minas miſcens, ſi tam potentis et conjuncti ſibi principis preces negligeret, ſuperſtitioſum ac meticuloſum ſenem toto affectu initio in Catharinam propendentem paulatim ab ea alienavit. Is tamen animo aeſtuans, et in incerto cogitationum ſalo adhuc fluctuans, ne cogi videretur, ut majeſtatem ad paucos dies tueretur, cauſatus ſibi ab Antonio inſidias ſtrui, et conſilia eum contra publicam quietem pernicioſa agitare, novas copias ad palatii regii ſecuritatem appoſuit, haud ſatis fidens iis quas Oliſſiponenſes obtulerant, quas Antonio in occulto favere cognoverat, ac proinde ſuſpectos habebat. Igitur, inſtante Oſſunenſi et Chriſtophoro Mora apud Henricum, ut Philippus ſucceſſor declararetur, tandem manus dedit: ſed in eo laborabat, qua ratione errorem, re in judicium publicum, quam ſibi ſervare debuerat, deducta, admiſſum emendare poſſet. Itaque in arcano, plebis tumultum veritus, cum Philippicis tranſegit, additis conditionibus de certis dignitatibus, quae in regno ſolis Luſitanis attribuerentur: petiitque tempus, dum indictis [d]Almerini, nam in urbe jam lues contagioſa graſſari coeperat, comitiis tutius et majore cum ordinum approbatione declarationem evulgare poſſet. Conditiones continuo Madritum praelatas etſi ratas habere prae ſe ferret Philippus, tamen probare Henrici conſilium non poterat, qui declarationem in comitiis fieri volebat. Nam ſciebat averſos a ſe Luſitanorum animos; itaque fruſtra eorum voluntates ac vota exquiri: id auctoritate regia poſſe Henricum; cui ſi quid ab ordinum conventu auctoritas accedere debuit, id ultimis comitiis abunde factum eſſe: tantum ſupereſſe, ut ipſe poteſtate ac jure ſuo utatur. Quae etſi crebro in aurem a Philippicis anxio ſeni inſuſurrarentur, tamen in propoſito manſit; et ſyndicos civitatum Almerinum convenire juſſit, ratus ſe eos ſeorſim compellatos in ſententiam ſuam pertracturum. Interea [a]pontifex per Philippum Segam ſuum apud Philippum oratorem agit: et, quanquam apparatus bellicos, quos faciat, ad bellum Africanum deſtinatos ſciat, tamen providere ob controverſam regni Portugalliae ſucceſſionem motus novos ſuboriri poſſe: itaque ſui officii duxiſſe, eo in negotio auctoritatem ſuam interponere, ac petere, ut ſibi rei inter ipſum et Henricum componendae arbitrium deferatur. Gratum in ſpeciem ſibi initio pontificis officium eſſe ſimulavit Philippus, Joannis Silvae conſilio uſus; et, quouſque cum Henrico tranſegiſſet, variis protelationibus urgentem Segam ludificatus eſt. Ubi vero cum Henrico tranſegit, tum, renudata voluntate, reſpondit, in tam juſta ac clara cauſa, cum propenſa Henrici in cauſae aequitate perſpecta ſit benevolentia, non opus eſſe, ut ſacra ſedes partes ſuas interponat: ceterum pro tam egregia voluntate gratias illi agere; neque recuſare, ſi quid inciderit, quod tanto vindice indigeat, quin officium ejus imploretur. Suſpecta regi erat pontificis, ut et aliorum principum, in eo negotio voluntas: et praejudicium

juri

VAR. LECT. [a] pontifex, ex ſedis Romanae inſtituto, quae nullam potentiae ſuae per regum diſſenſiones amplificandae occaſionem praetermittere conſuevit, per Philippum *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Muley Hamet Cherif.* [b] *Barbarie.* [c] *le duc d'Oſſune.* [d] *Almerin.*

juri ſuo in praeſens, regiae majeſtati in poſterum fieri exiſtimabat prudentiſſimus princeps, ſi de his rebus in pontificem cõpromitteret, eoque exemplo illum regnorum arbitrum et quaſi judicem conſtitueret. Itaque, jam de Henrici voluntate certus, et potentiae ſuae, rebus in omnem eventum proviſis, confiſus, comitiorum, quae impedire non poterat, exitum exſpectabat. Inrerea ad loca exploranda miſſi ad Philippum redierant. [a] Bermudes, qni per [b] Galeciam in [c] Luſiraniam deſcenderat, per [d] Roderici civitatem exercitum commode [e] Oliſſiponam verſus incedere poſſe confirmabat. [f] Varga, qui ab altera parte aditus luſtraverat, potentem exercitum ſecundum [g] Tagi ripam per Badajos, Pacem Auguſtam olim dictam, immirrendum cenſebat. Valentia ab Aiamonte per [h] Turdetaniam, hodie Algarbium, ad urbem uſque expedirum iter eſſe aiebat; et interim triremeis per [i] Anam fluvium [k] Mertolam, quam Juliam Myrtilini fuiſſe volunt, appulſuras; ita ut, tam modico ſpatio interjecto, IX leucarum videlicet, exercitus terreſtris a marino commeatu juvari poſſit. Poſtremo [l] Antonellus tutiſſimum et carris ac tormentis trahendis accommodum iter per [m] Pacem Auguſtam verſus [n] Setubalium, olim Cetobrigam, magna aſſeveratione confirmabat. Alii per Galeciam exercitum in Luſitaniam immittendum ſuadebant. Diſſidenribus ducum ſententiis, tandem placuit, ut Antonellus in Caſtellenſium confinibus aditus exploraret, et a Galecia Aiamontem uſque limitem luſtraret, ſi quidem tutus ab ea parte in Portugalliam acceſſus eſſet. Quae dum ſedulo fiunt, caſus incidit, qui gubernatotum ab Henrico nominatorum ſecreta hactenus nomina ante tempus revelavit. Nam, cum rex Almerinum profectus exeunte Novembri in periculoſum ex deliquio morbum incidiſſet, ut parum a mortuo abeſſe crederetur, miſſi protinus, qui capſam in majore urbis templo depoſitam afferrent: qua aperta, gubernatorum nomina palam recitata ſunt. Ii erant Georgius Almeida urbis archiepiſcopus, Franciſcus [o] Sada cubiculariorum regiorum princeps, [p] Joannes Telius, Joannes [q] Maſcaregna, et [r] Didacus Lupus Soſa ſenatus juridici praeſes; qui mox ſacramento adacti, ſe juxta regis mandata regnum adminiſtraturos. Mox, ut rex ad ſe rediit, jam de Philippo ſucceſſore declarando certus, [s] Paulum Alfonſum Villam-vicioſam ad [t] Catharinam mittit, qui renunciaret, apud animum ſuum conſtituiſſe, Philippum, de cujus jure ſibi plene conſtaret, regni ſucceſſorem declarare: id illam ſcire voluiſſe, ut ſecundum hoc rebus ſuis utile conſilium capiat, et, dum res adhuc integrae ſunt, cum Philippo agat.

XIII. APPETENTE comitiorum die, varii motus animorum erant. Nam alii Antonio ſavebant, et miſericordia ejus a patruo moroſo indigne habiti tangebantur: cum ſolum ex regia familia maſculum ſuperare, et, quamvis ſpurium, tamen, ne regnum ad exteros deveniat, aliis praeferri debere: votis ſacri ac plebeii ordinis cum ſublevari; nec nobilitatem niſi metu aut ſpe reclamare; quae ſi evanuerint, facile in illum conſenſuram: tantum opus concordia eſſe, quae et ſperari poſſit, ſi Antonius Catharinae Bracantinae filiam in uxorem ducat: ſic enim utrique ſatisfactum, et decori Luſitani nominis atque adeo libertati publicae conſultum iri. Sed prudentiores, qui jus ex potentia metiebantur, in Philippi partes propendebant; et nobilitas, quo magis de dignitatis ac fortunarum amiſſione periclitabatur, eo plus de ſucceſſu ſolicita ad eas inclinabat: multaque in utramque partem diſputabantur, quae, cum a privatis palam dici periculoſum eſſet, per ſcripta ſub incertis nominibus evulgabantur. Hiſpani praeter jus ſuum commoditates inde ad Chriſtianum nomen et privatam Luſitani regni utilitatem redituras in medium proponebant: contra, ſi recuſarent, periculum, quod imminebat,

INTERPR. [a] *Bermudes de Santis.* [b] *Gallice.* [c] *Portugal.* [d] *Ciudad-Rodrigo.* [e] *Lisbone.* [f] *de Vargas.* [g] *Orilla de Tajo:* les Portugais diſent *Aquen-Tajo.* [h] *Algarbes.* [i] *Guadiana.* [k] *Mertola.* [l] *Antonelli.* [m] *Badajos.* [n] *Setubal.* [o] *de Saa camarero mayor del Rey.* [p] *Don Juan Tello.* [q] *de Maſcarennas.* [r] *Diego Lopez de Souſa, preſidente del Conſejo de juſticia.* [s] *Pablo Alfonſo, doctor de ſu Conſejo.* [t] *la ducheſſe de Bragance.*

CIϽIϽLXXIX. HENRICUS III.

imminebat, multis extollentes: nam quam potentiam Hiſpanis patem? qui quoties arma moverint, Franciam captivam facere, proceres Germaniae in triumphum ducere, Turcum in fugam vertere, Melitam e barbarorum manibus eripere, exercitus hoſtileis diſſipare, idque diuturno adeo bello Belgico occupati, poſſint: quomodo illis reſiſtere poſſe Luſitanos? et, ut animum ad bellum ſuſtinendum obſtinaverint, quem exitum fore; niſi ut reguli Indiarum litora a Chriſtianis inſeſſa interea occupent, Mauri loca in Africae ora devaſtent, Galli et Angli in Inſulas invadant, et tantum imperium miſere in partes laceratum magno nominis Chriſtiani dedecore ac jactura omnino diſſolvatur? Multa et in odium Gallici nominis addebantur; quippe Hiſpanis nullam nos exagitandi occaſionem pro more ſuo praetermittentibus. Ad ea et contrariis ſcriptis reſpondebatur: et potentia adeo formidoloſa Hiſpanorum elevabatur; foris eos potenteis et in praeſidiis ſervandis occupatos eſſe, domi non perinde valere; ubi nec propter ſoli ſterilitatem exercitus ali, neque ob aſperitatem locorum commode deduci poſſunt: id bello Granatenſi nuper experimento inſigni conſtitiſſe, quod contra exiguum hominum numerum ſuſceptum, vix externis opibus toto triennio, nec niſi per ſubornatos inſidiatores prius occiſis ducibus, confici potuit: arma ad terrorem Philippum oſtentare, quae, ſi movere neceſſe ſit, cogitaturum prudentiſſimum principem, quantum periculi ei hoc bello ad Belgium accedente occupato, inde a Mauris, inde a Gallis et Anglis, ac poſtremo ab Italia, quae ad famam tantorum motuum fortaſſe rebellatura ſit, eodem tempore impendeat. Et haec ita ab utraque parte in vulgum jactabantur: miraque erat affectuum in ſingulis ac ſibi pugnans diſparitas; cum nobilitas, quae confuſione regnorum priſtinam dignitatum praerogativam amittere et in ordinem cogi videbatur, tamen de futuro anxia Philippo ſtuderet; plebeius et ſacer ordo, qui magna ex parte ex plebeio conſtat, quique magnas commoditates et non incerta lucra ex ea unione ſperare poterat, praepoſtero externi dominatus odio in Antonii partes infauſto et inauſpicato amore ferrentur. At Philippus, qui ſibi cum clerico, ſic Henricum vocabat Joannes Silva, cum populis plus lingua quam facto ferocibus, de regno nullis munitionibus firmo, nec ullis belli apparatibus inſtructo, et ob recentem calamitatem omni fere pecunia exhauſto rem eſſe intelligeret, declarationem clam promiſſam per legatos urgebat; qua impetrata, voti compos evadebat; negata, juſtum armis abunde praeparatis colorem praetexebat.

CIϽIϽLXXX. Jamque inierat annus a ſalute humana ſupra milleſimum et quingenteſimum octogeſimus, multis rebus geſtis toto orbe memorabilis, ſed Luſitaniae in primis, non ſolum bello funeſtiſſimo, ſed ſterilitate ac lue contagioſa, quae [a] Oliſſiponae praecipue ſaeviit, fatalis. Correpti ea ſtatim exanimabantur; et incerta fere remedia erant: tandem lenientia magno profectu adhibita, et ſalutarem unicornis et lapidis Beſoarii in potu uſum multi experti ſunt. Urbs cadaveribus paſſim ſcatebat, adeo ut, coemeteriis paſſim plenis, extra pomoerium corpora exportari neceſſe fuerit. Magna interim magiſtratus ſocordia; qui nec civitate per ſe ſpurca vias purgari, neque domos ſuſpectas notari, aut infectas mundari curabant. Deſerta urbs, vili tantum et inopi plebe in ea relicta. Cumque vere adoleſcens malum tota aeſtate magnas ſtrages edidiſſet, ſub autumnum remiſit. Emmanuel [b] Portugallus et Didacus [c] Salena a civitate ad comitia delecti fuerant; quos Henricus admittere noluit, tanquam ſeditioſos; eoſque honoribus indignos pronunciavit: in quorum locum ſuffecti ſunt Phoebus [d] Munis et Emmanuel [e] Soſa Pacecus. Salenae regem interpellanti, quaſi de jure ſucceſſionis, inconſulto populo, tranſegiſſet, cum rex reſpondiſſet id captum populi ſuperare, ſuperbe replicaverat; Atqui non de captu populi ita judicabas, cum te in regem aſſumpſit: quam vocem non ſolum libertatis ſed arrogantiae plenam Henricus ad animum revocaverat. Portugallorum autem omnem familiam rex ſumme ſuſpectam

INTERPR. [a] *Lisbone.* [b] *de Portugal.* [c] *de Salenna.* [d] *Munis.* [e] *de Souſa Pacheco.*

ſuſpectam habebat, ex Joannis [a] Gardae epiſcopi occaſione hominis ſuperbiſſimi, qui et Henricum, antequam rex eſſet, prae ſe contempſerat, et, ab eo minus honeſtae vitae convictus cum Romam citatus eſſet, in viaque ad Philippi aulam deflectens ad regis conſpectum admitti non potuiſſet, ideo contra utrumque regem odium capitale conceperat; in partemque conſiliorum contra ipſos initorum cum Alfonſum fratrem pertrahere oequiviſſet, Franciſcum [b] Vimioſi comitem filium ejus et univerſam familiam ab Henrico et Philippi partibus alienaverat, et, ut Antonii cauſam adjuvarent, magno ſuo infortunio perſuaſerat. Tandem v Eid. Jan. factum comitiis initium ab Antonio [c] Pinerio Leirienſi epiſcopo; qui compoſita oratione coram delegatis, qnamobrem eo rex veniſſet, aperuit, ut de ſucceſſore in regem deſignando concordibus omnium votis ageretur. Inde poſt gratias conventus nomine ab Emmanuele Soſa Pacceo actas diſceſſum eſt, et ad [d] Fanum-Eirenes, olim Scalabim, ſeu Julium praeſidium dictum, in altera Tagi ripa aſſignatum delegatis hoſpitium. Ii porro ad S. Franciſci coovenicbant, ut de republica capita conferrent. Cognito interim Henricum ad Philippi partes propendere, immane quantum multorum animi commoti ſunt; ac praecipue Conimbricae, ubi de Antonii in regno jure jam licentius, quam par erat, plerique loquebantur. Quam libertatem fruſtra per Martinum [e] Corream Silvam eo miſſum refraenare rex conatus eſt, etiam Aria [f] Conſalvo Macedonio urbis ſyndico in carcerem ob id conjecto, qui mox dimiſſus eſt. Poſt aliquot dierum ſpatium Leirienſis epiſcopus ad civitatum procuratores venit Henrici nomine; et Philippum ſaepius eum interpellaſſe dicit, ut ſe regni ſucceſſorem deſignaret: ſed regem ſemper tem diſtuliſſe, donec de jure partium contendentium plene edoceretur: id eum ſedulo ab eo tempore feciſſe, et, mature penſitatis et examinatis in medium undecunque allatis rationibus, exploratiſque peritorum ſententiis, tandem comperiſſe, inter Philippum et Catharinam Bracantini ducis uxorem controverſiam remanere; quam ſententia dirimere cum varias ob cauſas periculoſum ſit, ſupereſſe, ut amice et pacata via res tranſigatur: proinde illos monere, ut in commune conſulant, quo ex eorum ſententia de re omni ad Dei gloriam et Luſitani regni decus ac tranquillitatem deinceps ſtatuat. Is inopinatus nnncius animos ſyndicorum ſummopere perculit; quippe qui rem integram eſſe rati hoc agi putabant, ad electionem necoe admitterentur. Itaque miſſus e ſuo oumero [g] Phoebus Munis regem rogavit, ut ſui rationem in electione haberet; quod cum iracunde juxta et arrogantet feciſſet, rex ſuccenſens iracundiam ejus minus modeſtam increpuit; quam ille ingenue agnoſcens, tanquam a juſta cauſa profectam excuſavit, quod ipſum videat conſtituiſſe, Caſtellenſem non Luſitanum regem deſignare: id illos non ſolum ad iram, ſed ad deſperationem adigere; nam ſe expetere, ut regem, quem velit deſignet, modo Luſitanum, cui poſt ipſius mortem ſint parituri. Verum geminatus ab Henrico mox nuncius non ſolum hanc dubitationem diſcuſſit, ſed majore perturbatione commotos jam animos cumulavit. Nam idem Leirienſis epiſcopus in eo res eſſe dixit, ut niſi tranſactiooe compoocrentur, rex primo quoque tempore pronunciaret. Qua ſignificatiooe commotiores quam antea alios ordines adeunt, et in re communi advocationem poſcunt. Tandem rex, qui ita affectis animis pronunciare intempeſtivum exiſtimaret, et ſyndicis, ut de re amice componenda cogitarent, neque perſuadere, neque rem ad paucorum judicium, ſicuti tentaverat, adducere poſſet, petitioni procuratorum aſſenſit; et, ut ipſis rationes, ob quas ad electionem admitti deberent, allegare intra triduum liceret, conceſſit. Laeti ea gratia ſyndici, quod ſe regem arbitrio ſuo creaturos confiderent, regem adeunt; gratiiſque actis, inſtrumenta ex actis publicis ut ſibi deſcribere liceat, tempuſque [i] bidui produci petunt.

De

INTERPR [a] *de la Guarda.* [b] *Vimioſo.* [c] *Pineyro, evêque de Leyra.* [d] *Santaren.* [e] *Correa de Silva.* [f] *Gonçalez de Macedo.* [g] *Febo Munnis.*

NOT. [i] *forſan* tridui.

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

De priore aſſenſum; alterum negatum. Unde ſpe nova impleti Antonius et Bracantinus factiones per regnum renovant, et amicos quiſque ſuos bono animo eſſe jubent.

XIV. SED haud diu gaudio ſolido frui illis licuit, prid. Kal. Febr. Henrico extincto; qui ſub mediam noctem hora et momento a ſe praedictis in deliquium incidit, cum eodem tempore Luna deliquium pati inciperet: quo deliquio Lunae deſinente, et Ipſe in vivis eſſe deſiit, cum eadem hora ante LXVIII annos, ſicuti a curioſis obſervatum fuit, in lucem editus eſſet. Is publica calamitate ad regnum vocatus, regendo imperio minime par, et, cum illud olim, Sebaſtiano puero, adminiſtraret, cunctis deſpectus, et quamdiu illud tenuit odioſus, tandem, cum XVII menſeis regnaſſet, regnum non tam legitimo ſucceſſori adjudicandum quam potentiori occupandum reliquit. Poſt Henrici mortem ſtatim apertae teſtamenti ante VIII menſeis conditi tabulae; quibus ille ſucceſſionem regni ei deferebat, qui cauſa in jure diſceptata vinceret, niſi ipſe ante mortem cauſa plene cognita jam cum nominaſſet. Recitata etiam quae gubernatoribus data fuerant mandata, ut interregni tempore duces, comites, marchiones creare, archiepiſcopos et epiſcopos inſtituere, commendas et alia beneficia, quae CXXV ducatorum annuorum reditum excederent, conferre, de aerario ob belli tantum neceſſitatem ſtatuere poſſent. Tum miſſus officii gratia ad gubernatores a ſyndicis Martinus Conſalvus [a] Comara, qui, olim ſub Sebaſtiano rerum gubernaculis admotus, ob aſperos mores et inexorabile ingenium poſtea loco motus fuerat; ceterum a Philippica factione alienus, ideoque plebi gratus. Per eum a gubernatoribus petitum, ut [b] Almerino diſcederent, et [c] Fanum-Eirenes concederent; ad ſumptus minuendos conducti ab Henrico ſtipatores dimitterentur; praeſidia in limite firmarentur; legatio ad pontificem decerneretur, ut partes ſuas interponat, et Philippum, quo minus bello res geratur, auctoritate ſua impediat; altera item ad Philippum decernatur legatio, qua belli neceſſitatem deprecari jus ei ſuum ſalvum fore promittant; contra prenſatores et ſuffragiorum corruptores ſevere anquiratur. Ad ea reſponſum a gubernatoribus, ſe quam primum Almerino diſceſſuros, ſed quo ituri ſint neque dum conſtituiſſe, et ne nunc evulgetur expedire: ceterum non poſſe dimittere militem ab Henrico conductum ad tutelam ſuam, et eorum qui de regno contendunt, neceſſarium: de firmandis in limite praeſidiis praecipuam curam fore: legationem jam ad Philippum decretam; delectoſque [d] Conimbricae epiſcopum et Emmanuelem [e] Melonem: ad pontificem non opus videri ut legati pro tempore mittantur. Ad ultimum in prenſatores ac malis artibus ſuffragia captanteis ſevere animadverſuros ſe recipiunt. Petierat et Phoebus Munis, ut tres ex gubernatoribus tanquam ſuſpecti removerentur, aliique in eorum locum deligerentur: ſed, contra inſtante legato, et rem firmam moveri hoc rerum ſtatu periculo minime carere dictitante, nihil innovari placuit. Aderant Bracantinus et epiſcopus Parmenſis; et pro parte quiſque ſua negotium urgebant. Inſtabant et Philippi oratores, ut ſecundum regem ſuum quam primum pronunciaretur. Comparuit ſub id tempus et Antonius, qui antea latebat Henrici iram veritus; et [f] Oliſſipona, quo in occulto venerat, quod multos jam amicos ex plebe circa ſe habere diceretur, a gubernatoribus faceſſere juſſus Almadam conceſſit. Inde e [g] Bethlemitico monaſterio ad comitia et gubernatores dat literas; et, quod ad urbem venerit, excuſat, pietatis officium, ut patruo juſta redderet, cauſatus. Tum, ut ſe commendatum habeant, enixe rogat; ſuamque operam pro regni tranquillitate, quam demiſſe poteſt, defert.

XV. ANTE Henrici mortem, cum Jo. Bapt. Antonellus ad Philippum rediiſſet, tandem decretum fuit, ut per [h] Pacem Auguſtam exercitus pedeſtris [i] Cetobrigam duceretur,

INTERPR. [a] *de la Comara.* [b] *Almerin.* [c] *Santaren.* [d] *Coimbra.* [e] *de Melo.* [f] *Lisbonne.* [g] *de Belem.* [h] *Badajos.* [i] *Setubal.*

duceretur, eodemque tempore maritimae copiae ad Oliſſiponam appellerent: eam ut regni caput ſic belli arcem ante omnia petendam; qua capta, mox alias civitates ac caſtella ad obſequium conceſſuras. Per Beturiam, quae Eſtremadura hodie eſt, regionem commeatu abundantem, tormenta et carri deducti, ejus rei cura [a] Teiadae et Villadarae Sarmiento praefectis attributo. Tum proceribus mandatum, qui arces in Luſitaniae finibus habent, ut conſcripto ex ditione ſua quiſque milite undique in limitem hoſtiliter invaderent. Petrus [b] Caſtrenſis Lemoſii, Gaſpar Fonſeca [c] Montisregalis comites ex Galecia impetum facere; Garſias Sarmientus, Ferdinandus Montenegrius inſulam in [d] Minii oſtio occupare; Joannes [e] Pimentellus Beneventi, Didacus Toletanus Albae comites per montana ingredi; ex [f] [1] Carpetanis Beltramus [g] Cueva Albuquercii dux, Ferrandus [h] Enrices Villanovae marchio ſuos mittere juſſi ſunt. Idem factum a Franciſco [i] Zunica Beſarii et Alfonſo Guſmano Medinae Sidoniae ducibus, [k] Aiamontio et Gibraleonio marchionibus; qui per Hiſpalenſem agrum in [l] Turdetaniam ingreſſi ſunt. Contra [m] Beiam, olim Pacem-Juliam, oppoſitus Joannes [n] Pacecus Seralvi marchio. Ubi vero de Henrici morte cognovit Philippus, ſtatim ad gubernatores, ordinum conventus et cameram Oliſſiponenſem dat literas, eodem fere exemplo; quibus petebat, ut ſe juxta Henrici avunculi voluntatem, quando de jure ſuo cunctis abunde conſtaret, ſine dilatione regem declararent: quod ſi facerent, paratum ſe privilegia ac libertates ab Emmanuele avo conceſſas confirmare, et novas, ſi opus eſſet, his addere: ſi recuſarent, armis jus ſuum perſequi decreviſſe: viderent igitur, et quod e re ſua eſſet eligerent. Ad ea univerſi reſpondent; et vim deprecati Philippum monent, tantiſper ſuſtineat conſilium, dum legati ad eum miſſi auditi fuerint. Rurſus heic partes ſuas pontifex interponere voluit per Philippum [o] Segam, quem ut prius ludificatus Philippus eo magis ſibi accelerandum duxit: et, cum jam copiae ex Italia accerſitae [p] Gadeis veniſſent, quas Fabritius [q] Columna, qui ſub id tempus ex morbo deceſſit, et Jo. Cardona adduxerant, Hiſpanis in Cordubenſi agro, Germanis in [r] Xerenſi ſive Eſurenſi tractu, Italis in [s] Hiſpalenſi territorio, et [t] foſſoribus juxta [u] Alcalam Flumentanam hoſpitium attribuit. Tanto exercitui conſcripto opus erat imperatore, quem rex cum animo ſuo diu luctatus tandem eſſe voluit Ferdinandum Alvarum [w] Toletanum Albae ducem, [x] Uzedam, ob eas, quas ſupra dixi, cauſas relegatum, cui per Gabrielem [y] Saiam et Joannem [z] Delgaldum ab epiſtolis ſignificavit, ut ad [aa] Erenam in Beturia ad exercitum ſe conferret, ibique mandata ſua operiretur. Is tot rerum geſtarum gloria famoſus dux, ſive occulta invidia, quae ſummis viris in illa aula pro virtutis praemio rependi ſolet, ſive ob faſtum et nimiam arrogantiam regi inviſus, (nam quod de Friderici filii culpa, cui pater participavit, memoratur, levius eſt, quam ut adverſus tot merita praevalere potuerit) exilium ſuum impatienter admodum ferebat; et, cum videret nec pontificis aliorumque principum externorum nec multarum Hiſpaniae civitatum preces apud irritatum principem hactenus valuiſſe, occaſionem aliquam dari peroptabat, qua et libertatem conſequeretur et ſingulari aliquo facinore ad antiquas palmas addito intermortuam tanti nominis famam renovaret, ſimulque priſtinum gratiae locum apud regem reciperaret. Itaque ab initio ſtatim poſt Sebaſtiani cladem non ceſſaverat per literas et amicos bellum urgere, dicterio, cum de exequiis mortuo faciendis ageretur, addito, debere regem

CIƆIƆLXXX.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Alcaldes de Tejada y Villadares Sarmiento.* [b] *de Caſtro, comte de Lemos.* [c] *de Monterrey.* [d] *Minno r.* [e] *de Pimentel, conde di Benevente.* [f] *Eſtremadura.* [g] *de la Cueva, duc d'Albuquerque.* [h] *Hernando Enriquez, marquis de Villa nueva.* [i] *de Zuniga, duc de Bejar.* [k] *de Aiamonte & Gibraleon.* [l] *les Algarbes.* [m] *Vexa y Beja.* Herrera met *Vera.* [n] *de Pacheco, marquis de Ceralvo.* [o] *Sega.* [p] *Cadiz.* [q] *Colonna.* [r] *campagna de Xeres.* [s] *de Seville.* [t] *les gaſtadores.* [u] *Alcala del Rio.* [w] *de Tolede, duc d'Albe.* [x] *Uceda.* [y] *de Zayas.* [z] *Delgado.* [aa] *Erena en Eſtremadura.*

NOT. [1] *Carpetani.* C'eſt Caſtillia la nueva & le royaume de Toledo: mais en cet endroit Herrera & Coneſtaggio mettent *Eſtremadura.* *Put.*

regem Sebaſtiano regi [a] Oliſſiponae juſta perſolvere: deque belli neceſſitate et gerendi ratione diligenter perſcripſerat, hac ſpe ac fiducia, quam virtutis ſuae conſcius ipſe de ſe conceperat, ut, cum rex prudentiſſimus ad hoc bellum ſummo duce opus haberet, non alium quam ſe tota Hiſpania deligere poſſet. Nec opinione ſua falſus eſt. Cum tamen ſummae gratiae loco peteret, ut ſibi in itinere ad regem adire ejuſque manum deoſculari liceret, id minime a ſevero principe impetrari potuit. Itaque mox ſe ad exercitum, ſicuti juſſus erat, ſine mora contulit. Rex initio ad exercitum venire ipſe decreverat; et in id Ferrandus [b] Silva Cifontis comes evocatus fuerat, qui pro tatione officii regium vexillum regi ad exercitum proficiſcenti praeferret: ſed poſtea mutavit, in [c] Beturia vicina ſubſiſtere contentus. Itaque, ordinatis [d] Mantuae Carpetanorum negotiis, eorumque cura Antonio [e] Perrenoto cardinali commiſſa, IV Non. Mart. cum uxore, [f] Didaco filio, in cujus verba regnorum Hiſpaniae ordines paulo ante jurejurando adegerat, et duabus filiabus ad Aquas Lupias, hodie Guadalupem vocant, profectus, ubi juſta Henrico avunculo facere decreverat, venit XI Kal. April. Paulo ante, a Catharina [g] Bracantina ſobrina exoratus, libertatem Theodoſio filio [h] Barcellenſi, in proelio capto, ab [i] Hamete Cheriſio impetraverat. Eum [k] Gadeis profectus [l] Sidoniae dux non ſolum comiter ſed et magnifice excepit, et in ſuae ditionis caſtellis, quae plurima in illo tractu habet, inter ludos et convivia complures dies detinuit; quod ſtudioſe a Sidonio ita juſſo fieri cum crederent parentes, ut ſpecie hoſpitalitatis eum tantiſper, dum rex eo veniſſet, in poteſtate haberet, filium per fidos monent, ut ad ſe nulla mora interjecta contendat, omiſſo etiam ſalutandi regis bene meriti officio: quod poſtea illi apud Philippum id ad alieni a ſe animi ſignum referentem excuſarunt, et impatienti filii viſendi deſiderio condonari petierunt. Dum ſerio ſe ad bellum accingit Philippus, duobus potentiſſimis exercitibus terra marique incedentibus, tamen, cum minime ignoraret, quam ſiniſtri rumores de ſe paſſim non ſolum in Luſitania ſed etiam per Italiam ſpargerentur, aliquid famae dandum ratus, familiari ſub diſſimulatione, quaſi poſt tantos apparatus poenitentiae locus eſſet, totum negotium rurſus ad conſcientiae normam examinare voluit: quippe inde a pontifice ſolicitabatur, ut rem controverſam arbitrio ſuo committeret, inde opinione hominum praegravari ſe ſentiebat, quaſi vi alienum regnum invaderet, calcata juris ratione, cui ſe infirmiores competitores ſubjecerant, atque adeo oppreſſa regni, quod ambiebat, libertate; cujus ordines ea in re jus ſuum eripi ſibi conquerebantur, et alioqui jurisjurandi religione teneri ſe dicebant, quo minus dictis et imperio ipſius audientes eſſent. Quibus difficultatibus ut citra difficultatem ſe expediret, rem theologis ſuis [m] Complutenſibus, Jeſuitis patribus et Franciſcanis, dum nullam bello inchoato moram interponit, per otium diſcutiendam permiſit. Itaque animi gratia quaerebat ab iis, ſi, cum ſibi de jure ſuo in regni Portugalliae ſucceſſione per mortem Henrici delata certo conſtaret, conſcientia obligaretur, alicui ſe tribunali ſummittere, quod illi regnum adjudicaret, et in ejus poſſeſſionem ipſum mitteret: dein, ſi, Portugalliae regno recuſante eum in regem admittere, antequam in jure cum aliis competitoribus re diſceptata contrario judicio obtinuerit, propria auctoritate regni poſſeſſionem ſumptis contra reſiſtenteis armis apprehendere poſſit; hoc poſito, quod nullo ſcrupulo ſe teneri ſentiat: et, quia gubernatores et ceteri Luſitaniae ordines jurisjurandi religione prohiberi ſe dicebant, quo minus eum in regem admitterent, qui non in jure regni heres declaratus eſſet, maxime reclamantibus competitoribus, qui ſe juris auctoritati offerebant, quaerebatur item, an praetenſum jusjurandum excuſationis loco, quod regem legitimum non reciperent, accipi deberet. Ad quae theologi

INTERPR.. [a] *Lisbonne.* [b] *de Silva, comte de Cifuentes.* [c] *Eſtremadura.* [d] *Madrid.* [e] *de Perrenot, cardinal de Granvelle.* [f] *el principe Don Diego.* [g] *la ducheſſe de Bragance.* [h] *le duc de Barcellos.* [i] *Muley Hamet Cherif.* [k] *Cadiz.* [l] *Medina Sidonia.* [m] *de Alcala de Henares.*

theologi prorſus voto Philippi congruentia reſpondebant : et nullo eum conſcientiae vinculo obligari affirmabant, ad ſubjiciendum ſe alterius juriſdictioni aut arbitrio, quippe cum propria auctoritate regnum ſibi adjudicare et poſſeſſionem ejus adipiſci poſſet : nullas in eo eſſe partes pontificis, cum res mere ſoli ſit, neque quidquam admiſtum habeat, cujus reſpectu ſacri fori debeat intercedere auctoritas ; neque vero quidquam cauſae eſſe, cur ſe ordinum Luſitaniae judicio ſummittat : nam, electis ſemel regibus, iis et in eos eorumque ſucceſſores omne jus tranſlatum intelligi, ut penes ipſos omnis ſit juriſdictio, nec ab aliis judicari poſſint : quando igitur conſtat Philippum verum ac legitimum regni heredem eſſe, et hoc verum eſſe, nullius alterius tribunalis, praeterquam proprii ſui, juriſdictionem ſubire debere : delegatis autem illis undecimviris jus nullum eſſe de cauſa tanta cognoſcendi ; nam a ſe non habere juriſdictionem, verum a rege mandatam ; eamque, ut ipſo ſuperſtite valuerit, una cum extincto expiraſſe ; idque ex juris regula conſtare : neque enim juriſdictionem regum poſt mortem prorogari poſſe. Denique, quantum ad tertium caput, ſic ſtatuebant ; nulla jurisjurandi religione teneri Luſitanos, quo minus Philippum regem admitterent, cum ex ſupra dictis conſtaret, neminem eſſe vel dignitate vel poteſtate ac jure in hac cauſa Philippo ſuperiorem, qui de ea poſſet cognoſcere. Quae theologorum ſeu ſententia ſive cenſura poſtea publicata eſt ; ejuſque auctoritatem rex ad arma jam ſumpta, quibus plus fidebat, etiam accedere voluit. Ut exercitus terreſtris Albano, ſic claſſis imperium Alvaro [a] Baſſano Sanctae Crucis marchioni, Hiſpanicarum triremium praefecto, et bello nuper contra Turcos multum laudis adepto, commiſſum eſt. Is cum ad [b] S. Mariae, quem Meneſthei portum fuiſſe credunt, claſſem appuliſſet, Erenam ad Albanum venit, ut ſimul de belli gerendi ratione in commune conſulerent. Colloquio habito coram [c] Ludovico Barriento ſummo exercituum curatore placuit, ut rurſus ad [d] Cetobrigam convenirent. Inde, aſſumptis ſecum Franciſco [e] Valentia, Roderico Sapata, Martino [f] Argote, legionum tribunis, qui in claſſe militarent, Sancta-crucius ad claſſem redit. Ceteri tribuni penes Albanum remanſerunt.

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *de Baçan, marquis de Santa-Cruz.* [b] *puerte di Santa Maria.* [c] *Luis de Barrientos.* [d] *Setubal.* [e] *de Valentia.* [f] *de Argote.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEPTUAGESIMUS.

EPITOME.

LEGATI Luſitani ad Philippum belli neceſſitatem deprecantes. Comitia turbulenta et irrita. II. *Philiberti Emmanuelis Sabaudi obitus; ejus laudes, ingenium, extrema vita mores.* III. *Baretus ad Carolum filium ab ordinibus regni miſſus fruſtra fuit. Pontificis et Imperatoris advocatio fruſtra imploratur.* IV. *Tumultuarie ad bellum ſe parant Luſitani. Gubernatores Antonium nolunt admittere.* V. *Ad Julium praeſidium ſpecie munitionis conſecrandae rex per tumultum renunciatur; et e veſtigio Oliſſiponae inauguratur.* VI. *Albanus, belli dux a Philippo dictus, in Luſitaniam deſcendit. Loca in limite capta, et pretioſa Bracantini ducis ſupellex direpta.* VII. *Bracantinus cum Philippo tranſigit. Cetobrigae Antonius magna pompa receptus.* VIII. *Cetobriga mox ab Albano capta, laetitia illa victrice in luctum verſa.* IX. *Pontifex per legatum in Hiſpaniam miſſum partes ſuas interponere vult; et a Philippo eluditur.* X. *Albani res geſtae; qui ſucceſſum urgens Oliſſiponam ipſam capit, ſuburbio per triduum direpto. Antonius in pugna vulneratus Julium praeſidium conceſſit; vixque admiſſus et ſtatim dimiſſus eſt.* XI. *In Albanum poſt tantam victoriam invidioſe ab aemulis jactata.* XII. *Philippi, qui in proximo erat, periculoſus morbus; quem Annae uxoris ſtatim obitus ſecutus eſt.* XIII. *Antonius Portum venit; et regie adhuc in eo ſe gerit. Sanctius Avila contra eum miſſus. Regno excidit, et ſugam parat.* XIV. *Philippus, recuperata valetudine, Elvam venit. Pretium in Antonii caput edicto conſtitutum. Bracantino magiſtri equitum dignitas confirmatur.* XV. *Ad Ludovicum Ataidem Indiarum proregem ſcribit Philippus. Azorae ab eo alienae, et Antonio addictae.* XVI. *Militis licentioſe diſcurſantis laſcivia compreſſa. Excuſationes belli ducum.* XVII. *Ex proſperis Philippi in Luſitania ſucceſſibus capta a pontificiis occaſio belli in Angliam transferendi. Stucleio marchione, quem Sebaſtianus ſecum duxerat, in pugna Africana deſiderato, Sanjoſephus exercitus curator in exercitu, qui ſupererat, principatum ſibi ſumpſerat. Sub id in Hiberniam ad oſtium Shanoni deſcendit; cui Deſmonius et fratres ſe adjungunt. Contra eos Pelhamus cum Ormondio ducit. In Momonia ſucceſſus. Arturus Greius in inſulam prorex a regina miſſus. Ejus vario eventu ſucceſſus. Ormondius contra Sanjoſephum miſſus. Munitio, a Fitzmoriſio inchoata et a Sanjoſepho ad defenſionem perducta, poſt primam verberationem Greii arbitrio ſumma ignavia deditur. In dedititios ſevere actum. Multa et ſevere in aliis inſulae provinciis a prorege geſta.* XVIII. *In Scotia factio Anglicana labefactatur, Levinio, cui rex puer ſavebat, cum Jacobo Stuarto Ochiltrio reconciliato. Ad eum accuſandum miſſus ab Eliſabetha Robertus Bovius nec auditus eſt. Mortonius ab Ochiltrio accuſatus in carcerem conjicitur.* XIX. *Henrici Arondelii comitis deceſſus: ejus gens antiquiſſima et mores ac forma. Inſolitus in Anglia diverſis locis terrae tremor. Edictum de revocandis pueris, qui extra inſulam in diverſis orbis partibus per Jeſuitarum ſcholas literis operam navabant.*

EX AUCTORIBUS,

H. F. Conneſtagio, Ant. Herrera, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae.

LIBER

LIBER SEPTUAGESIMUS.

VENERAT jam Guadalupem Philippus, quo ad eum epiſcopus [a] Conimbricenſis et Emmanuel Melo a regni Luſitaniae rectoribus miſſi fuerant. CIↃIↃLXXX. HENRICUS III. Initio ambiguum fuit, an tanquam legati admitterentur, qui ſubditi eſſent. Tandem auditi: vimque deprecati a rege petierunt, ut per [b] rectores et undecimviros, Henrici beatae memoriae teſtamento ad id ordinatos, cauſam de regni ſucceſſione decidi pateretur: id enim ad tranquillitatem ac libertatem regni pertinere. Quibus datum reſponſum XVI Kal. Maias: quando conſtaret de jure ſuo, nec legitimus ac competens judex in hac cauſa alius eſſet, nec ipſi jurejurando in praejudicium majeſtatis ſuae ſacto tenerentur, ſcirent e duobus alterum eligendi neceſſitatem impoſitam eſſe; aut bellum habere, aut, quod ipſorum cauſa mallet, Philippum in regem admittere, et privilegiorum, libertatum, immunitatum prolixe ac liberaliter conceſſam confirmationem a benignitate tanti regis accipere. Cum hoc reſponſo legati [c] ordinum perturbato animo ad ſuos redierunt. Epiſcopus Conimbricenſis, jam ab Henrico antequam moreretur perſuaſus, non ita alienus a Philippo putabatur. Sed Ferdinandus Silva, qui in aula regis erat titulo oratoris, quod ſe ſperni neque ad publicas ceremonias admitti videret, indignationem ſummam animo conceperat. Creſcente interim popularis ordinis arrogantia, et jam graſſante licentia, rectores confuſarum rerum pertaeſi poteſtatem ſuam ampliari ab ordinibus petunt: quo negato, comitia dimiſſa ac ſoluta pronunciant. Quod admodum aegre tulere [d] Antonius, epiſcopus Parmenſis, et [e] Bracantinus; nihilque non fecerunt, ut ordinum delegati manerent, pecuniam in ſumptus et alia large polliciti; quod ſcirent, ſolutis comitiis, quae a Philippi cauſa averſa erant, praevalente in eis plebeio ordine, omnia in Hiſpanorum poteſtate fore. Tandem defectu poteſtatis cum ſyndici fruſtra ſe eſſe cernerent, prius proteſtati contra rectorum decretum, ad ſua quiſque redierunt. Horum diſceſſu cum ſumma rerum penes rectores eſſet, illi, ut munus ſuum implevisse viderentur, in ſpeciem cuncta ad defenſionem parabant; potius ut plebis ſolemniter inſanientis furorem ea diligentia placarent, quam quod ullum inde operae pretium ſperarent. Itaque miſſus Franciſcus [f] Baretus in Galliam ad regem, qui delectum peditum auxiliarium ab eo peteret. Is inde in Italiam tranſire, et cum novo Sabaudiae duce Carolo Emmanuele eodem officio defungi juſſus eſt.

II. PHILIBERTUS Emmanuel paulo ante III Kal. Sept. deceſſerat, cum aetatis annum LII ageret; princeps magni animi et ſolertis ingenii; cujus parens Carolus, cum omni ditione fere a Franciſco I et Henrico II ſpoliatus eſſet, ipſe virtute ſua ac meritis eam pace anno hujus ſaeculi LIX inter Henricum et Philippum facta reciperavit, ducta Margarita Henrici ſorore, ex qua Carolum ſuſcepit: et, cum initio principatus praepoſtero obſequii pontifici approbandi ſtudio temere [g] Convallenſibus populis ſuae ditioni ſubditis in religione diſſidentibus bellum indixiſſet, re utcunque uxoris lectiſſimae foeminae et [h] Raconii comitis interventu compoſita, ab eo tempore ſemper pacem coluit; et [i] Pinarolium ac Savillianum paternae ditionis oppida, quae cautionis loco reges noſtri retinuerant, occaſione captata in Henrici ex Polonia adventu recepit: dein animum ad majora appellens, et ex calamitatibus noſtris et prava regni adminiſtratione,

INTERPR. [a] *de Coimbra.* [b] *los governadores.* [c] *las Cortes.* [d] *Antonio, prior di Crato.* [e] *le duc de Bragance.* [f] *Barreto.* [g] *ceux des Vallées d'Angrogne, Perouſe, & Pragelas.* [h] *Raconis.* [i] *Pignerol & Savilian.*

adminiſtratione, quae turbas exinde conſecutas procul dubio ſecum trahebat, omen capiens, jam tum perniciosa conſilia contra nos agitare coepit, injecta primum juris, quod in [a] Saluciano principatu ſibi competere aiebat, alieno maxime rebus noſtris tempore, mentione, et ſolicitata [b] Bellogardii fide, cujus miniſterio ad bellum contra nos excitandum utebatur. Verum ea pro tempore conſilia diſcuſſit inopinata Bellogardii mors ſub anni initium; cui haud diu poſt Philibertus ſuperfuit, accedente ad dolorem ex tanti amici fato conceptum lethali morbo, quem homo in voluptates effuſior, cum ingruente aetate et calore vitali imminuto vires deſiderio non ſatisfacerent, ex vini generoſioris et ciborum, potius ad incendendum quam alendum calorem inſervientium, copioſo uſu contraxerat. Moriens, quanquam haud magno ſuarum rerum ſenſu, conſilia, quae Bellogardii et morte ſua imperfecta reliquerat, ad filium tranſmiſiſſe viſus eſt; quae ille opportune, ut ſibi videbatur, majore noſtro incommodo quam in rem ſuam profectu poſtea reſumpſit.

III. Igitur Baretus cum ad Carolum profectus eſſet, nullum ab eo, quippe qui Philippi gratiam captabat, et a Philippo jam ſpe nuptiarum ſolicitabatur, reſponſum, quod ad guſtum faceret, tulit; cum ille tanti regis de familia ſua optime meriti magnitudinem ad excuſationem praetexeret, et poſt Henrici et patris mortem nullum ſibi in eo regno jus ſupereſſe animadverteret. Inde Baretus Romam perrexit, opem a ſpirituali pontificis gladio contra Philippi arma imploraturus. Sed Gregorius, miti ac prudenti animo ſenex, quanquam aegre faceret ut occaſioni tantae deeſſet, et non auctoritatem pontificiam tali negotio interponeret, tamen, pertentata ſaepius Philippi voluntate, cum eum ad omnia ſua monita obſurduiſſe cerneret, veritus, ſi ferri Apoſtolici aciem intempeſtive diſtringeret, ne ea contra tantam Philippi potentiam irrito conatu hebeſceret, ſe excuſavit, et infirmitatis ſuae conſcius cum ambiguo reſponſo legatum dimiſit. Miſſus et ad Caeſarem [c] Eliſeus Portugallus, qui Luſitaniae ordinum nomine advocationem ejus poſceret. Etiam cum Eliſabetha Anglorum regina actum, ut opibus ſuis afflictos ſublevaret, et in alieno periculo proprii admoneretur, daretque operam, ne tanti regni acceſſione locupletatus Philippus vireis ſuas aliquando contra ipſam verteret.

IV. In regno et a rectoribus ad defenſionem proviſa omnia. Ludovicus [d] Caeſarius curator cum ampliſſima poteſtate delectus eſt: Didaco [e] Meneſae [f] limitis Beturiae oppoſiti tuendi, Joanni [g] Baſconcelo [h] Mirandae et [i] [*] Beiae cura commiſſa: Emmanueli Portugallo oſtium Tagi ſervandum datur: Georgio Meneſae claſſis attributa. Praeterea firmata in limite praeſidia; et praecipue [k] Sanjuliana arx. Verum omnia, ut in republica duce deſtituta, lente et confuſe adminiſtrabantur; haud occulta Caeſarii tergiverſatione, qui haud dubie Philippi partibus addictus erat. Ut autem officio ſatisfeciſſe viderentur rectores, ultimum defenſionis telum adhibent, decreto ad epiſcopos, curiones ac ſacerdotes directo, quo mandabatur, ut in omnibus conventibus, allocutionibus publicis, concionibus per civitates, oppida, municipia, pagos, populum ad libertatem ac ſalutem regni tuendam hortarentur. Quae res magnas offenſiones et turbas peperit, dum plebs et ſacer ordo, qui fere ex plebe conſtat, ſatis per ſe concitati, eo, quaſi libertate a magiſtratu facta, concitatiores, ſoluta diſciplina, et metu ac verecundia omni exuta, inde ſacerdotalis modeſtiae obliti, inde calcata obſequii reverentia, nihil non dicere et facere audent, magiſtratu ipſo ſpreto, qui libertatem ſemel factam et in ipſum ab inſana multitudine retortam poſtea revocare aut moderari minime potuit. Jamque paſſim caedes, furta, rapinae, latrocinia impune erant,

ſacerdotibus

VAR. LECT. [*] Berae, quam Pacem Juliam fuiſſe autumant, cura D. f.

INTERPR. [a] *Marquiſat de Saluces.* [b] *le mareſchal de Bellegarde.* [c] *Eliſeo Portugais.* [d] *Ceſſar, proveedor general.* [e] *de Meneſes.* [f] *provincia de Alentejo, que confina con Eſtremadura.* [g] *de Vaſconcelles.* [h] *Ciudad de Miranda.* [i] *la Beja,* al. *Vera.* [k] *Rocca di Sanjuliano,* Hiſp. *San Gean.*

ſacerdotibus ac concionatoribus publice in magiſtratus, qui maleficos in jus vocarent CIↃIↃLXXX. aut caſtigarent, ex ambone invehentibus. Cujus rei mox inſigne exemplum editum HENRICUS III. eſt, cum quidam Antonius Suares nomine, ab Antonio Crati Priore, ſicuti in tormentis confeſſus eſt, ſubornatus, Ferdinandum [a] Pinam praecipue auctoritatis virum [b] Oliſſiponae in via publica interfecit. Nam, cum morti addictus a Damiano [c] Aguiare ad ſupplicium duceretur, ſacri collegii ſodales cruce praelata ex proximo [d] Magdalenae fano egreſſi obviam lictoribus proceſſerunt, diriſque ex libro publice recitatis interceſſerunt: inde a verbis ad manus ventum, ita ut patibulum ſit dejectum. Quo conſpecto, Damianus homo invicti animi, dum hinc inde circa patibulum lictores et ſacrifici certantes occupantur, Suarem interea turbae ſeductum ad tignum proximarum aedium ſuſpendi juſſit: quod et ſacro ordini probroſum fuit, et in magnam Antonii infamiam ac contemptum vertit, qui ultionis avidum animum morte hominis ira ſua indigni explevit, nec promiſſam percuſſori impunitatem praeſtare potuit. Antonius Almerinum venerat, et a rectoribus petierat, ut de ſtatu ſuo amplius quaereretur: quem cum illi viderent populum paſſim ad ſeditiones concitare et partes in regno fovere, non aliter de ejus jure cognituros ſe reſponderunt, quam ſi ab aula faceſſeret, neque propius x ad eam leucis accederet; veriti ſcilicet, ne, ſi praeſentem illum adeſſe paterentur, majorem favorem illi apud plebem concitarent, et motibus ejus cauſa excitandis cauſam praeberent. Ei ſtudebat maxime Joannes [e] Tellus, unus ex rectoribus, qui in ſumma rei pecuniariae penuria, inde militi ſtipendium flagitante, inde peſte per urbem graſſante, gemmas regias vendendi auctor fuit. Sed, Chriſtophoro Mora intercedente, et Philippi gemmas eſſe eoque inconſulto vendi non poſſe clamitante, conſilium Telli irritum fuit. In hoc ſalo fluctuantibus animis, qui ex rectoribus Philippo favebant, optimum factu cenſuerunt, ut conditiones, quas Philippus per oratores ſuos [f] quinqueviris Oſſunae manu ſubſcriptas obtulerat, et ipſi admodum regno honeſtas et utileis exiſtimabant, a Philippicis publicarentur: ſic enim judicabant, et fidem Philippi publicatione illa obligari, et plebem ac ſacrum ordinem iis cognitis placari poſſe. Verum optimo conſilio eventus defuit. Nam Philippus conditiones non admiſſas poſtea revocavit; et in ipſis vix adulti mali initiis, cum nondum ejus ſenſus ad univerſos perveniſſet, concitati imperitae multitudinis animi propterea mitigari non potuerunt. Itaque Oſſunae dux, relicto Mora ac ceteris oratoribus, ad regem coram ipſum conſulturus perrexit. Rex [g] Guadalupe [h] Auguſtam Emeritam venerat; ubi ad eum ſalutandum, ut Albanus accederet, tandem ab amicis ejus exoratus permiſit. Igitur, cum veniſſet, magna benevoli animi ſignificatione acceptus et tegere caput mox a rege, quod ſummi honoris loco illa in aula habetur, et quia ex podagra debilis erat, prope ſe ſedere juſſus eſt. Poſt colloquium in arcano habitum, et res in exercitu ex Albani ſententia ordinatas, ille ad exercitum, rex [i] Pacem Auguſtam conceſſit XII Kal. Jun. ubi cum rurſus ad eum legati Luſitani veniſſent, et [k] Cetobrigam [l] comitia indicere conſtituiſſe ſignificarent, rex eos ad conſpectum admittere noluit; ſed reſponſum ad eos ſcriptum miſit, quo pluribus verbis de eorum contumacia querebatur, et ſeditioſos, ut ſe reſpicerent, hortabatur: nam ſe veniſſe, non ut bellum Luſitanis amicis olim atque adeo Hiſpanis inferret; ſed ut regni ſucceſſione delati poſſeſſionem adipiſceretur, et bonos ac obedienteis ſibi ſubditos regia benevolentia complecteretur. In eoque praecipue laborabat oratio, ut de comitiis convocandis conſilium ſibi non placere oſtenderet. Nam comitiorum nullas partes eſſe, ubi de legitimi ſucceſſoris jure conſtaret. Itaque inſtabat, ut, omiſſo de comitiis conſilio, quod non ſolum infructuoſum ſed damnoſum regno eſſe recenti exemplo

eorum,

INTERPR. [a] *de Pinna.* [b] *Lisbonne.* [c] *de Aguiar.* [d] *l'eglise de la Magdeleine.* [e] *de Tello.* [f] *les gouverneurs du royaume.* [g] *Guadalupe.* [h] *Merida.* [i] *Badajox.* [k] *Setubal.* [l] *las Cortes.*

eorum, quae Oliſſiponae nuper dein [a] Almetini habita ſunt, pateat, aliud rebus ſuis magis utile caperent, et nulla dilatione interpoſita ſe in regem acciperent: ſic enim fore, ut praeſenti armorum vi devitata ſanguini Hiſpano parcatur; quem, ſi parcant, glorioſo magis conatu et exitu contra Chriſtiani nominis hoſteis anno proximo profundendum reſervate in animo habeat. Hoc accepto reſponſo [b] quinqueviri cum ad belli neceſſitatem ſe redactos viderent, et, Hiſpano milite ad portas ſedente, intra muros Antonio plebem contra ipſos concitante, animi penderent, conſultum viſum eſt, ut, graſſante Almetini peſte, quippe jam aeſtate adulta, locum nullis moenibus cinctum ut inſeſtum nec ſatis tutum relinquerent, et Cetobrigam concederent, oppidum moenibus firmum et portu opportunum. Qui Philippo favebant, hanc et ſecretam rationem habebant, quod eo propiores Hiſpanae claſſi portus Luſitaniae ſubeunti viam aperirent, et quaſi e longinquo venienti manus porrigerent. Dum deliberant, mors Joannis [c] Conſalvi Camarae comitis Calietae ex contagione extincti diſceſſum acceleravit: et quinqueviri cum [d] Bracantino et Parmenſi epiſcopo ceteroque comitatu Cetobrigam profecti ſunt; quem locum cuſtodibus ad portas appoſitis firmarunt. Diverſa parte, rex certus de vi tentanda exercitum ipſe ad [e] Cantillanam luſtrare voluit, jam magna ex parte morbis imminutum: et pegmate in campo extructo cum uxore ac liberis et Alberto Auſtrio cardinali quaſi in ſolio ſedens copias ordinate incedenteis ſpectavit, praeeunte Albano tot palmarum duce; qui, licet admodum ſenex, tamen cruda ac viridi ſenectute et toto corporis habitu juvenilem ardorem referebat, militique ad victoriam ſumma alacritate properanti animos exemplo ſuo faciebat, paludamento cyaneo argento trilici diſtincto ornatus et criſtis plumarum ſupra caput nutantibus inſignis. Cum eo erant Ferdinandus prior filius, Petrus et Ferdinandus Toletani gentiles, Sanctius Avila, et Ludovicus [f] Ouara a magno Etruriae duce miſſus. Albanum, cum pegma praetervcheretur, rex ad ſe vocat, et aſcendere juſſum infra ſe ſedere voluit, ut ipſe exercitum, cujus imperator eſſet, ex loco honorifico contemplaretur. Heic agitatum fuit, an rex ad expeditionem ipſe proficiſci deberet. Et multa praeſentiam regis requirere videbantur: magnitudo rei; quippe cum de regno opulento, vicino et ad innumeras occaſiones opportuno ageretur: ſpes certa ſucceſſus; qui humanis opibus ac rationibus, quibus et jus in regno competens addebant, res metienti certus et inevitabilis videbatur: et per alium quam per regem ipſum expediri negotium tantum poſſe haud facile apparebat: quippe cum Philippus in hac expeditione non tanquam ad hoſteis debellandos, ſed tanquam princeps ad ſubditos ad officium cogendos proficiſceretur; qui praeſentia ſua ex amicis fidos ſubditos, ex neutris amicos, ex inimicis neutros effecturus eſſet; cum contra cuncti merito metuerent, ne Albanus, vir bello praeſtans, ceterum Luſitanae nationi multis nominibus inviſus, qui amici eſſent, neutros, qui neutri, inimicos, qui denique inimici, ad deſperationem obſtinatos perduelleis redderet. Contra diſputabatur; minore VI CIↃ bellatorum, quam putabatur, exercitu, et difficili adeo per loca inſeſta commeatus ſubvectione, non ita ſpem certam ſucceſſus eſſe: regem tunc intereſſe debere, cum praeſentia ejus ſola ſtatim poſſe debellari ſpes eſt: ſerum eſſe, ut veteranae copiae ex Belgio venturae expectentur: nam, ſi paulum ceſſetur, nec in tempore Tagus tranſmittatur, in alterum annum expeditionem differri: itaque rem in eo eſſe, ut victoria non a regis praeſentia, ſed e proelio quamprimum committendo, ſperanda ſit; a cujus alea abeſſe eum, et rem per legatum tutius confici, inter prudenteis non ambigi. Itaque regem longius a periculo ſeponi placuit, ubi eventum in tuto opperiri poſſet. Tum publicatur regis ſuper bello ſuſcepto declaratio; qua, repetita praeteritorum memoria, neceſſitate et pro communi nominis Chriſtiani et Luſitaniae ipſius bono ad hoc bellum inclinaſſe

ſe

INTERPR. [a] *Almerin.* [b] *les cinq gouverneurs du royaume.* [c] *Gonçalez de Camara, comte de Calieta.* [d] *le duc de Bragance.* [e] *Cantillana.* [f] *d'Ouara.*

ſe demonſtrabat, ut, tegni legitima ſucceſſione delati poſſeſſione capta, fidos ſibi ſubditos ab injuria in pace tueretur, et rebelleis in ordinem cogeret. Secundum haec Ludovicum [a] Molinam mittit, qui apud Antonium et Bracantinum ac quinqueviros de damnis in rempublicam et nomen Chriſtianum ex eo bello ſecuturis proteſtaretur: a quibus ut ſe toto animo abhorrere cunctis approbaret, mox XVII Kal. Quintil. leges militareis per exercitum promulgari mandat, quibus dejerationes et voces contra Numen ac cultum divinum offenſionis plenae mortis addita poena interdicebantur, et res ac ſacrae perſonae ab omni maleficio et injuria item ſoeminarum pudor a vi aſſerebantur, et in ceteris res ad veterem et adſtrictam diſciplinam revocabantur. Inde rex, incedente Luſitaniam verſus exercitu, [b] Pacem Auguſtam concedit, ſolicitato interim per interpoſitos amicos Antonio, ſcriptis etiam a rege literis et per Oſſunam in manus ejus traditis, ut honorificis admodum conditionibus cum Philippo tranſigeret: et ille quidem initio, cauſae ſuae diffidens, cum Bracantinum, quicum irreconciliabile illi odium erat, ſi res judicio undecimvirorum decideretur, obtenturum provideret, aſſentiebatur: ſed ab epiſcopo [c] Gardenſi et aliis familiae Portugalliae proceribus, innata nominis vanitate Caſtellenſi nomini infeſtis, magno ſuo et totius Luſitaniae malo mutavit. Solicitati et clam a quinqueviris Portugalli, ut ſe reſpicerent, neque ſe privatis odiis et ambitione ac regnum ſimul in apertum exitium praecipitarent. Promiſſis et tentati Didacus et Georgius Meneſae: verum illi, qui ab initio animum ad decus nominis Luſitani tuendum obfirmaſſent, poſtea viribus ſuis confiſi etiam magnam ſpem de ſucceſſu concepiſſent, ad extremum, ſpe illa evaneſcente, et cum ea obſtinatione remittente, de gratia apud Philippum conſequenda deſperabant: nec homines elati animi, et qui contumeliam plus morte horreſcerent, ut aliter crederent, ab amicis perſuaderi poterant. Aderat et Edvardus [d] Caſtrenſis, juvenis ſtrenuus, qui, totis facultatibus, quas ampliſſimas habebat, inſana regis amici demerendi ambitione exhauſtis, ad ſummam egeſtatem redactus et de gratia deſperans, vitam, quae ſuperabat, pro Antonio profundere parvi faciebat. His conſiliariis ſive impulſoribus Antonius, quo minus ſalutare ſibi conſilium caperet, impediebatur. Inter quinqueviros vero aſſiduum inter pares diſcordiae malum et aemulatio regnabant. Tres ex iis, qui Philippo favebant, ita affecti erant, ut, cum inde populi furorem averſarentur, inde Hiſpanorum violentiam metuerent, Philippum quidem ad regnum admitti, verum ut illud beneficio ſuo accipere videretur, praepoſtera ambitione cupiebant. Alii, deſperata in praeſens gratia, quid agerent incerti, ex rerum eventu conſilium capturi videbantur; ſatiſque pro tempore habebant, ſi primum Hiſpanorum impetum frangerent. Itaque Joannes [e] Tellus omnem operam dabat, ut pecuniam, a qua maxime aerarium laborabat, undique corraderet. Emmanuel Portugallus Tagi oſtium feſtinatis operibus muniebat. Didacus Meneſes, cum [f] Elvam initio muniendam ſuſcepiſſet, difficultate deterritus ab incepto deſtitit, rebus in limite, quantum per anguſtias licebat, confuſe ordinatis.

V. Interea quinqueviri comitia [g] Cetobrigam, quo jam ipſi venerant, indixerant: ſed, quo minus civitatum ſyndici eo proficiſcerentur, Antonius cum Portugallis impediebat; qui [h] Julium praeſidium, quod tenebat, ab epiſcopo Gardenſi homine turbidi ingenii perſuaſus, munitione exſtructa firmare inſtitit. Eo et cum illo venerat epiſcopus Parmenſis, a Bracantino, qui cum quinqueviris erat, alienatus. Ea praeſtacti de Antonio rege creando conſilii occaſio quaeſita. Gardenſis, cui nulla niſi in publica perturbatione ſalus, homo inquietus, proprium metum ac periculum univerſorum facere volebat; et, compellato Antonio, apud quem nimium poterat, cum a Philippo et Bracantino, uter horum regnaret, aeque exitium imminere oſtendiſſet,

urendum

INTERPR. [a] *de Molina.* [b] *Badajox.* [c] *de la Guarda.* [d] *de Caſtro.* [e] *de Tello.* [f] *Elvas.* [g] *Setubal.* [h] *Santaren.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III. utendum ſortunae beneficio ſuaſit, nec exſpectandum comitiorum judicium; cui nec ſtare Philippus velit: illum externis viribus, ſpreta omni juris actione, alienum regnum invadere: Antonio ad proprium tuendum ipſius regni opes, quae validiores ſunt, contra injuſtam vim opponendas eſſe, et regem cum rege componendum: ipſum favore plebis ſublevari; quo flagrante, minime ei committendum, ut cunctatione fructum ſperatae gratiae amitteret: rege Luſitano adverſus externum hoſtem opus eſſe; quo ſemel conſtituto, longe aliam, quam nunc ſit, rerum faciem fore: nam, qui nunc, incerto adhuc rege, diſſident, concordeis regis electi auſpiciis conjunctas regni vireis ad communem hoſtem propulſandum oppoſituros; tantum auderet, et ſe ab amicis regem ſalutari pateretur. Ita vero compoſitum negotium. Munitione juxta delubrum deſignata, et in eam conſentientibus Petro [a] Contino loci praefecto ac urbis decurionibus, et ipſo epiſcopo Parmenſi conſilii ignaro, Gardenſis, ſacro magna ceremonia in delubro celebrato, orationem ad aſtanteis, qui magno numero erant, habuit; qua eos, de quinqueviris multa indigna praefatus, ut fortiter defenſionem patriae capeſſerent, hortatus eſt, et, quod felix fauſtumque eſſet, munitioni decretae principium darent, eique tanquam regni archipraefecto, qui defenſoris regni titulum ſumeret, imponerent: id vero nulli melius convenire quam Antonio, et dignatione praecipuo et charitate erga patriam, in qua et principatum jure ſucceſſorio ſibi arroget, praecellenti. Ad quam vocem cum ex compacto ad delubri fores comparuiſſet Antonius, duo epiſcopi obviam ei proceſſerunt, ſtolam manu geſtantes; eaque honorifice delata, ad locum conſecrandum pergunt. Dum inaugurationis ceremoniae peraguntur, Antonius [b] Bracanus centurio, ſtricto gladio, et linteolo in aciem quaſi vexillo ſublato, Antonium regem inclamavit. Quo viſo auditoque, innumeri, qui aderant, ſive vim prohibituri, ſive exemplum ſecuti, et ipſi ferrum ſtringunt, diſſono rumore et propiore ad ſeditionem quam ad laetitiam murmure. Cumque Antonius initio ſive modeſtia ſive metu regii nominis invidiam a ſe amoliretur, Petrus Continus regis nomen ulterius inclamari prohibuit, et ita velle Antonium pronunciavit. Verum Bracanus, qui acclamationi initium fecerat, a Gardenſi ſtimulatus, ſcloppetum contra Continum ſtatim direxit; cumque turba excedere coëgit. Eo diſcedente, rurſus Antonio tanquam regi acclamatum eſt: et ipſe in equum inſiliens, baculumque pro ſceptro gerens, titubante ad primum egreſſum equo, paene concidit: quod ſiniſtri ominis loco acceptum eſt. Inde vix ſibi credens, epiſcopo Gardenſi, Emmanuele Silva, Ludovico Portugallo, Emmanuele Perera, qui aderant, animos facientibus, et Emmanuele Acoſta vexillum quaſi inſigne regium praeferente, ad majus templum tendit; ibique rex iterum ſalutatur. Poſtea ad aedeis publicas pergit; quas clauſas nactus effringi juſſit, Contino, quem ad noxam ut alienum a ſe petebat, jam elapſo: et, fide de conſervandis regni juribus, quae [c] fora Portogallenſia vulgo vocant, interpoſita, ſtatim ad civitates ac praefectos dat literas; quibus regis nomine ſubſcripto mandabat, ut militem conſcriberent, et imperata facerent. Scripſit et ad quinqueviros et Bracantinum ac [d] Villae regalis marchionem, ut ſibi tanquam regi pro defenſione regni contra hoſteis exercitum inſtruenti praeſto eſſent. Id actum XIII Kal. Quintil.

VI. QUAE dum fiunt, [e] Albanus cum exercitu progreſſus per Petrum [f] Velaſcum [g] Julii praeſidii praefectum [h] Elvam, ab Helviis Gallis dictam, factionibus ſciſſam, quae prima urbs in limite occurrebat, tentandam curat. Eam tenebat Antonius Melo, a Philippo alienus, ut plerique e nobilitate. Contrariae factionis, quae potentior erat, duces in urbe erant Georgius et Joannes Rodericus [i] Paſſani fratres. Velaſcus ad Antonium, epiſcopum urbis, ac nobilitatem literas attulerat; quae tandem poſt

INTERPR. [a] *Cotinno, Alcayde de Santaren.* [b] *Baracho.* [c] *los Fueros de Portugal.* [d] *Villareal.* [e] *le duc d'Albe.* [f] *Velaſco.* [g] *Santaren.* [h] *Elvas.* [i] *Paſſano.*

poſt aliquot concertationes acceptae ac recitatae ſunt. Sed praefectus, qui ſe imparem CIƆIƆLXXX.
videret, tergiverſari, ac ſe excuſare, quod jurisjurandi religione teneretur, accepto a HENRICUS III.
Didaco Meneſe et quinqueviris loco tuendo; ac proinde petere tempus, ut eos conſulat. Contra inſtabat Velaſcus; et, jam vicino exercitu, moram interponi non poſſe citra vaſtati agri periculum oſtendebat; et, quo oppidanos jam tumultuanteis magis terreret, IↃC equites ſub muros urbis excurrere juſſit. Quo viſo, tanquam ſigno dato Philippicae factionis duces plebem incendunt; et Paſſani templum, in quo Ant. Melo cum epiſcopo conſultabat, circumſtant, ipſum egredientem interfecturi, niſi a nepote cognomine monitus et ab epiſcopo confirmatus de deditione aſſenſiſſet, ſcriptis a decurionum collegio legibus de libertatibus ac immunitatibus novis urbi a Philippo concedendis, et Velaſco, ut in eas juraret, propoſitis. Is vero, ne alacritatem eorum remoraretur, handquaquam poteſtatis defectum cauſatus, quamvis nulla de ea re mandata haberet, pactus, fidem quam poterat interpoſuit. Miſerat interim ad Didacum Meneſem Melo, qui auxilium peterent: ſed, jam Garſia [a] Çardena a Philippo introducto, miſſi a Meneſe auxiliares fruſtra fuerunt. Inde miſſus [b] Oliventiam Velaſcus, oppidum ad [c] Anam loco plano ſitum cum arce ac muris admodum debilibus; cujus praefectus [d] Nonius Alvares comitis [e] Tentuguelii filius, cum oppidanos ad Philippum inclinare cerneret, paulo ante diſceſſerat. Factionibus itidem ſciſſa erat urbs, ejuſque rei ignorantia impegerat in hanc Velaſcus, quippe qui ſibi hoſpitium in alterius factionis hominum aedibus ſumpſerat, literis regis in eorum manus conſignatis; quo factum, ut alteri, qui non tam unum ex competitoribus fovebant, quam alium ab eo, quem inimici elegiſſent, volebant, ex ea Velaſco adverſari coeperint. Sed tandem minis ſeu promiſſis [f] Fratini et M. Ant. Juſtiniani Italorum interventu placata factio adverſa; et iiſdem conditionibus, quibus cum Elvenſibus convenerat, cum iis tranſegit. Eodem tempore miſſus [g] Campum majorem Hieronymus Mendoza oppidanos in fidem accepit: quorum exemplum ſecuti ſunt [h] Aruncani, Portalegrenſes, Morani, Serpani et vicini municipes. Cumque ad Albanum allatum eſſet a [i] Ciſnero centurione [k] Villam-vicioſam Bracantini primariam arcem, per ſe infirmam, admodum debili praeſidio teneri, facileque intercipi poſſe, miſſi IↃ equites et CCC pedites, duce Sanctio Avila, cui adjuncti Ferdinandus et Franciſcus Toletani, Garſias Cardena; qui quaſi [l] Elvam profecti, ut magis fallerent, ſub noctem loco juxta olivetum propinquant; admotaque ſcala, cum nullas vigilias reperiſſent, ulterius provecti Joannem [m] Tovarem praefectum, quaſi in media pace ſecurum, vixque jam capta arce ſe ſomno excitantem, opprimunt. Capta ingens ac pretioſa Bracantini ſupellex; et inter alia repertae IX capſae porcellana Indica plenae. Pleriſque perſuaſum fuit, antea Ciſnero in occulto cum praefecto ſpe praedae inter ſe dividendae conveniſſe; tamen rem coram Albano diſſimulatam, cum Ciſnerus ſolertiae ſuae, et praefectus ignaviae ac incuriae potius quam perfidiae id tribui mallet. Quod ſi verum eſt, Sanctius Avila, qui ſupellectilem pretioſam in arce repertam juſſu Albani deſcribi curavit, aſtute utriuſque diſſimulationi imprudens illuſit. Impoſitus loco Gaſpar [n] Gomecius cum CXX praeſidiariis. Quo facto, Avila ad exercitum redit. Interea quinqueviri, acceptis Antonii regis literis, temeritatem ejus mirati, admodum commoti ſunt; ſtatimque ad Joannem [o] Tellum, qui [p] Bethlemi erat, ſcribunt; videat, ne qui ex eo motus [q] Oliſſiponae oriantur. Ille, qui Antonio in occulto faveret, et nihilominus intempeſtive ab eo factum putaret, quod, contempta rectorum et comitiorum auctoritate, regia inſignia ſumpſiſſet, Petro [r] Acuneae urbis praefecto mandat, ut ejus ſecuritati conſular; auctorque

INTERPR. [a] *de Cardenas.* [b] *Olivença.* [c] *Guadiana r.* [d] *Nunno Alvarez.* [e] *Tentuguel o Tentugal.* [f] *Fratino.* [g] *Campo-mayor.* [h] *Aronches, Portalegre, Mora, & Serpa.* [i] *Ciſneros.* [k] *Villa-vicioſa.* [l] *Elvas.* [m] *de Tovar.* [n] *Gomez.* [o] *Tello.* [p] *Belen.* [q] *Lisbonne.* [r] *de Acunna.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III. auctorque fuit, ut Franciſcus Meneſes et Didacus Soſa ad eum mitterentur, rogarentque Telli nomine, ut defenſoris nomine contentus regis nomine abſtineret. Verum is, neglecto amici conſilio, ſtimulantibus [a] Portugallis, protinus Oliſſiponam contendit; quo illum Caſtellenſium odio procul dubio receptum iri ſui affirmabant: quod et evenit. Nam [b] Julio praeſidio profectus cum in comitatu legatorum veniſſet, Emmanuelis Portugalli, cui [c] Tagi oſtii ſervandi cura commiſſa erat, populi gratiam pro eo captantis, favore, Joannis Telli ignavia, et Petri Acuncae negligentia, culpam in Tellum rejicientis, effectum eſt, ut citra certamen in urbem admitteretur VIII Kal. Quintil. moxque admiſſus templum majus ad preces concipiendas ingreditur; et inde, majore plebis concurſu facto, ad aedeis regias perrexit; ubi laudatus eſt ab Emmanuele Fonſeca, quod tot adverſitatibus in vita conflictatus, tot periculis ereptus, nuper irae Henrici, antea Sebaſtiani odio, et e Maurorum poſtremo manibus exemptus, haud ſine manifeſto Dei, cum ſolum ex Luſitanorum regum familia ſuperſtitem poſt tot calamitates tantae felicitati reſervantis, Numine ad regnum vocatus eſſet. Id magno plebis laſcivientis plauſu auditum, quae per vicos, et ex palatio, ab ipſo Fonſeca ſublato per feneſtras vexillo regio, inſanis clamoribus eum tanquam regem proſequebatur; ignara, tam propinquo hoſtili exercitu, brevi fore, ut quam laete cantaſſet tam moeſte ad Philippi adventum recantaret. Secundum haec Antonius rurſus ad [d] Bracantinum et ejus uxorem et ad [e] Montis-regalis marchionem dat literas, quibus opimas conditiones eis offerebat; quas uterque melius conſulti reſpuerunt. Mali et ominis loco acceptum, quod, cum in itinere eſſet juxta [f] Sacabemum VI ab urbe leucis, dum cum Franciſco Almeida perchao ſibi ac maxime fido colloquitur, ſcloppeto, a quo diſploſo incertum, ipſe Almeida interfectus eſt. Poſt juramentum ſolemni more praeſtitum, cum rari ad eum magiſtratus, pauci ex nobilitate ad palatium confluerent, nam fere omnes male praeſagi aut diffugerant, aut per urbem latebant, ille indignatus novos magiſtratus ex fidis ſibi, ſed vilibus fere et indignis, creat, epiſcopatus ac commendas inter eos diſtribuit, Philippum hoſtem publicato diplomate pronunciat, et eos, qui illius partes ſequerentur, tanquam perduelleis proſcribit. Joannes Tellus, qui haud longe hinc a [g] Bethlemi erat, cognito Antonium regem in urbe declaratum, ab eo per literas ſolicitatus ſpem ad ipſum adeundi dedit: ſed mox, clam cum Didaco [h] Lupo Siguera trium triremium, quae in portu erant, praefecto pactus, aſportatis ſecum XL aureorum CIↃ, quae undique corraſerat, cum [i] Leirienſi epiſcopo, Antonio [k] Caſtrenſi Caſcaii domino, Martino [l] Conſalvo Camara, Emmanuele [m] Tele-Bareto, Franciſco Meneſe, Edvardo [n] Caſtroblanco et Lud. [o] Caeſario [p] Cetobrigam ad rectores contendit. Verum, portus ingreſſu prohibitus cum exſcenſione facta per terram ad collegas veniſſet, et, quod Oliſſiponae Antonius rex ſalutatus eſſet, quaſi populari ſeditione factum excuſaret, culpa in urbis praefectum rejecta, qui viciſſim ſe ea, Telli notata ignavia, exonerabat, ſuas tamen excuſationes apud rectores approbare non potuit, et, quamvis ultro oblata pecunia, magiſtratu ab iis motus eſt, ab eoque tempore privati e nobilitate non quinqueviri loco in ſenatu ſententiam dixit. Ea in re ſola magiſtratu uſos eſſe rectores ab Henrico inſtitutos obſervatum eſt, cum huc uſque ſeu metu ſeu conniventia, quae in extremis neceſſitatibus ſemper pernicioſa eſt, diſſimulatione cuncta tranſegiſſent; et tamen intempeſtive; cum in eo eſſent, ut brevi ſuprema auctoritate, quam male utendo amiſerant, prorſus exuerentur. Obſervatum rurſus ab eo id factum, qui haud diutius poteſtate, qua rectores ſpoliaverat, gaviſus fuit; quippe qui, repudiatis, quae a Philippo offerebantur, opimis adeo conditionibus, nihil eſſe, quam non regnum vel ſcenica oſtentatione deguſtare, maluerit. Interea Antonius,

INTERPR. [a] *ceux de la maiſon de Portugal.* [b] *Santaren.* [c] *Boca di Tajo.* [d] *le duc de Bragance.* [e] *Monter-rey.* [f] *Sacabem.* [g] *Belen.* [h] *Lopez de Siqueira.* [i] *de Leyria.* [k] *de Caſtro, ſeunor de Caſcaes.* [l] *Gonſalez de Camara.* [m] *Tellez Barreto.* [n] *de Caſtel-blanco.* [o] *Ceſar.* [p] *Setubal.*

Antonius, elapſo cum pecunia Tello, cum ab ea maxime laboraret, ſumma omnia CIↃIↃLXXX.
faciebat, ut vel per vim pecuniam ab invitis mercatoribus in urbe extorqueret, et mi- HENRICUS III.
litem quem poſſet conſcriberet. Aperti carceres, et maleficis in hoc bellum ſpe impunitatis arma conceſſa. Afri, Mauri et [a] Aethiopes ſervi, quorum plurimus in ea urbe uſus, jugo dominorum ſoluti et ad militiam auctorati: juvenes honeſtioris familiae fere tirones, quantumvis detrectantes, arma ſumere coacti. Quae omnia a ſacrificis et monaſticam vitam profeſſis, majorene religioſi nominis dedecore an imprudentia incertum, violenter adminiſtrabantur; quippe qui non providerent, in his omnibus ob rei militaris imperitiam et incertam fidem parum roboris aut fiduciae eſſe. Et vero malefici et ſervi cuncti fere ad Albanum transfugerunt; adeoque omnium mentes furor invaſerat, ut poſtremo ipſi monachi ac ſacrifici, qui alios in bellum incitabant, ad arma tractanda auctorati ſe belli hujus ſaevitiae miſcuerint. Miſſi et in Angliam et Galliam, qui Antonium regem [t] electum et auxilia novo regno firmando peterent, pecunia ad id in manus Petri Dorae conſulis Galli, qui in urbe ſedem habet, conſignata. Ipſe Antonius ad rectores ſcribit; et, ad ſe tanquam regem ut veniant, jubet; Georgio Meneſe, qui ab illis ſummus exercitus dux creatus fuerat, quod de ejus fide dubitaret, capto, et paulum abſuit, plebe a monachis concitata, interfecto. Tum exercitus cura Didaco gentili commiſſa eſt; quod illi paulo poſt in exitium vertit. Furentem Antonium et turbide cuncta adminiſtrantem incendebant monachi ac ſacrifici, furiis et ipſi accenſi; plebſque eorum exemplo inſaniens, et academiae [b] Conimbricenſis theologi, utriſque faces admoventes, ita ut cuncta ſibi licere exiſtimarent: et, ut voti compotes evaderent, omnia divina et humana jura ſumma ſacri ordinis inſamia miſcebant: quorum favore ſubnixus Antonius, animi caecus et fortuna ebrius, in perniciem ruebat. Is et ſcripſerat ad Triſtanum [c] Vaëm Vegenſem, qui [d] Sanjulianam arcem in oſtio Tagi a rectoribus commiſſam ſervabat, ut eam ſibi traderet: verum ille jusjurandum et contrarium imperium cauſatus ſe excuſaverat: itaque ex delectibus urbanis ad CIↃIↃ illuc ſub ducibus inexpertis tumultuoſe miſſi.

VII. [e] CETOBRIGAM vero, cum ad literas non parerent rectores, miſſus Franciſcus Portugallus Vimioſi comes: cujus adventu id quod evenit conjectans Bracantiae dux, qui aderat, protinus inde diſcedit, et [f] Portellam ſuae ditionis arcem confugit. At Vimioſus, cum rectores ad Antonii partes pertrahere non poſſet, remedio, quo ſolo fortuna ac potentia Antonii nitebatur, uſus, per ſacerdotes ac monachos plebem in urbe ad ſeditionem excitat. Occupatae repente portae, ſtationibus paſſim dejectis; et, cum rectores quaſi regni proditores confuſo vulgi clamore ad poenam poſcerentur, illi, ut furorem populi devitarent, huc illuc per domos ab amicis tecti dilabuntur; et tandem per funeis ſe ex moenibus in foſſam demittunt; miſerabili prorſus ſpectaculo, ita ut, qui nuper regnum cum ſuprema poteſtate moderabantur, nunc ad omnem injuriam viliſſimi cujuſque arbitrio inferendam expoſiti eſſent: Tellus tamen et archiepiſcopus urbis Antonii amicitiae fiducia Cetobrigae remanſerunt: Franciſcus [g] Sada, Joannes [h] Maſcaregna et [i] Didacus Lupus Soſa trepidi Aiamontum Philippici juris oppidum uſque confugerunt. Mox, ex pavore collectis animis, cum ad Philippum recta profecturi crederentur, honeſtiore ſibi et utiliore rebus Philippi conſilio [k] Marini caſtrum in Turdetanis ditionis Luſitanae ſe contulerunt; ubi auctoritatem priſtinam retinentes decreto facto Philippum legitimum Portugalliae regem et Antonium hoſtem ac publicae quietis perturbatorem pronunciarunt: quo cognito, pleraque oppida ad primum Albani imperium deditionem fecere. Superabant Cetobrigae legati principum, et Philippi in primis; ad quorum domos cum concurſus a plebe fieret, Vimioſus injuriam prohibuit, et eos urbe dimiſſos in tutum deduxit. Rectores

abeunteis

INTERPR. [a] *Negros.* [b] *de Coimbra.* [c] *Vaez de Vega.* [d] *S. Gean.* [e] *Setubal.* [f] *Portel.* [g] *de Saa.* [h] *de Maſcarennas* [i] *Don Diego Lopez de Souſa.* [k] *Caſtro Marino ẽs Algarbes.*

NOT. [t] electum nunciarent, et

CIƆIƆLXXX.
HENRICUS III.

abeunteis ſecuti fuerant Antonius [a] Caſtrenſis Caſcaii dominus, [b] Edvardus Caſtro-blancus, Didacus Lupus [c] Siguera, Ludovicus [d] Caeſarius, Ferdinandus [e] Norogna, Petrus Meneſes, alii ex praecipua nobilitate: qui continuo ad Philippum tranſierunt. Hunc caſum varii ac longe diverſi motus ſecuti ſunt. Nam, cum ex quinqueviris tres Philippo regnum auctoritate ſua detuliſſent, contra Triſtanus Vaës, qui Sanjulianam arcem, quinquevirorum ſtante tribunali, tradere recuſaverat, diſſipato ſenatu, et ita ſoluta eorundem, ut rebatur, poteſtate, cum Antonio pactus IV CIƆ aureorum acceptis, locum in Sebaſtiani [f] Britonis manus tradidit. Mox et Caſcaium, quod uxor Antonii Caſtrenſis tenebat, cum ad diſceſſus mariti famam locum deſeruiſſet, ab Ant. [g] Enrice deditur. Inde Cetobrigam profectus Antonius locum portu commodum et ſitu firmum ac ad res gerendas opportunum praeſidio munivit. At Bracantinus, qui rem a juris via ac ratione ad apertam vim deductam videret, et fruſtra juris ſui fiducia hactenus cum Philippo tranſigere, ab uxore impotentis animi ſoemina impeditus, diſtulerat, tandem, amiſſa Villavicioſa, ſero errorem agnoſcens, cum perinde emendare non potuit. Nam miſſo ad Philippum, qui, quod hactenus diſtuliſſet, petitis ex vero rationibus excuſaret, et jus ſuum ei ſe cedere paratum aequis conditionibus oſtenderet, Philippus Bracantini tarditatem increpuit: ea enim effectum eſſe, ut res ad arma devenerint, ſibi ob immodicos ſumptus, Luſitaniae ob belli incommoda damnoſo exitu; et ceſſione juris ſui, quo minime ad proprium firmandum opus haberet, elevata: tamen, ut ſe erga [h] Catharinam proxima ſibi cognatione conjunctam bene affectum amplificandaeque ejus ſamiliae cupidum oſtenderet, ut de conditionibus ageretur, permiſit: quae cum nimiae viderentur, et Philippus ante omnia peteret, ut Bracantina ſe regem agnoſceret, conveniri pro tempore non potuit. Interea Albanus poſt oſtentatum rurſus Philippo in aciem inſtructum exercitum, [i] Caia rivulo tranſmiſſo, qui [k] Caſtellam a Portugallia ab ea parte dividit, in viam ſe dederat V Kal. Quintil. et tertiis caſtris, Petro [l] Manrice Padilla et Petro Aiala praemiſſis, [m] Elvam venit. Inde Alvarum Lunam [n] Eſtremoſium mittit; ad cujus adventum oppidani, [o] Landinis annitentibus, primariae auctoritatis inter oppidanos, et Philippi partibus addictis, confeſtim deditionem fecere. Sed Joannes [p] Acebedus Thalaſſiarchi Luſitaniae filius admodum adoleſcens cum praeſidiariis et commeatu in arcem confugerat, eam tueri certus, donec a rectoribus, a quibus acceperat, illam tradere juberetur. Fruſtra cum eo a Chriſtophoro Mora et Ferdinando Toletano de deditione actum: tandem, admotis tormentis, cum milites aliquot ſe per murum demiſiſſent, imperitus juvenis, cautione non petita et obſidibus minime acceptis, cum Joannem [q] Maldonatum quaſi de deditione acturum intra arcem duxiſſet, ab eo circumventus et captus eſt; paulumque ab ignominioſae mortis periculo abſuit, Albano monachorum quorundam precibus et Morae ipſius interventu exorato, ut deſtinatam poenam aetati condonaret. Itaque ſub cuſtodia Villam vicioſam miſſus eſt. [r] Mons-major mox venienti Albano patuit; quo exercitus prid. Non. Quintil. venit, relicta ad laevam Ebora, quae et Liberalitas Julia olim dicta, peſte admodum infeſtata; ad quam tamen miſſus Henricus Guſmanus, qui civeis in fidem acciperet: quod magno concurſu factum, [s] Didaco Caſtrenſi urbis praefecto e ſuburbanis hortis, quo cum reliqua nobilitate ob contagionis metum conceſſerat, ad majus templum accedente, et ceteris exemplo ſuo praeeunte. Confectum ea de re inſtrumentum, Conſtantini Britonis urbis ab epiſtolis manu ſubſcriptum. Inde quartis caſtris Albanus, recepto in itinere a Ludovico [t] Acoſta [u] Alcazaſio Doſalio, loco ſitu munito, ad Cetobrigam caſtra metatur, nuſquam comparente ad defenſionem Didaco Meneſe; cujus tamen adeo magnum

INTERPR. [a] *de Caſtro, ſennor de Caſcaes.* [b] *Duarte de Caſtel-blanco.* [c] *de Siqueira.* [d] *Ceſar.* [e] *de Noronna.* [f] *de Brito.* [g] *Enriquez.* [h] *la ducheſſe de Bragance.* [i] *Caya.* [k] *Caſtille.* [l] *Manrique de Padilla.* [m] *Elvas.* [n] *Eſtremos.* [o] *Landini.* [p] *de Acevedo.* [q] *de Maldonado.* [r] *Monte-mayer.* [s] *Diego de Caſtro.* [t] *de Acoſta.* [u] *Alcaçar Doſal.*

magnum nomen inter ſuos erat, et qui proregis Indiarum dignitatem, quam maxime CIƆIƆLXXX.
omnium Luſitani proceres ambiunt, recuſaverat, ut defenſioni regni operam navaret. HENRICUS III.
Verum ille rectorum tergiverſationes et incerta conſilia ac rei nummariae penuriam pro excuſatione praetexebat, quibus effectum eſſet, ut, cum, rebus dubiis, militem dicto audientem ſub ſignis non haberet, nec loca munire ac praeſidio firmare nec hoſti occurrere potuerit. Sub id Antonius [a] Cetobriga in urbem redierat, quam regia pompa tunc primum ingreſſus eſt, Cetobriga, [b] Sanjuliana arce, et locis circumpoſitis in poteſtatem redactis, ovans, et, quaſi omnino debellatum eſſet, inter peſtem bellumque intempeſtiva licentia exultans. Inter triumphaleis apparatus, quibus exceptus eſt, ſpectabilis in primis fuit mulierculaum merces in platea vendentium pompa, Amazonico cultu inſignium; quarum quae dux erat, haſtilis loco palam geſtabat, renovata per hoc [c] Algibarotanae pugnae memoria, in qua Luſitani Caſtellenſeis vicerunt, et furnaria una ſeptem Caſtellenſeis pala ſua occidiſſe traditur. Inter ludos et haſtiludia cum de Albani adventu nunciatum eſſet, Antonius [d] Praeſidio Julio metuens, eo copias auxiliareis, quas Cetobrigam potius miſſas oportuerat, male de ſummi imperatoris conſiliis judicans, miſit; et, quo propius periculo, eo res magis confuſae erant, [e] Gardenſi epiſcopo, [f] Vimioſo comite, Emmanuele Portugallo et Didaco [g] Botello ſeniore cuncta licentioſe adminiſtrantibus. Nobilitas, quamvis reſtitans, militiae nomen dare coacta: qui arma ferre non poterant bonis ſpoliari. Mundus regius omnis dilapidatus; et in primis immanis pretii ad eqoum regium ex gemmis pretioſiſſimis et raro artificio in India elaboratus apparatus. Ne quidem locis ſacris parcitum, ipſis monachis ac ſacrificis pecunias viduarum ac orphanorum apud ſe depoſitas prodentibus. A miniſtris regiis avaritia caecis et tanquam ſub brevi imperio feſtinantibus vexati cives, quod edictis regiis, quae quotidie nova ab iis cudebantur, non parerent, plerumqoe legibus duriſſimis additis, et, cum eas implere non poſſent, quaſi in eaſdem commiſiſſe convicti gravius mulctabantur; ita nt jam cooverſis voluntatibus Sebaſtiani tempora et ipſum Henricum nnper, dum viveret, adeo inviſum, in his anguſtiis, comparatione deterioris, cuncti palam deſiderarent.

VIII. ALBANUS cum vicum, cui [h] Aquae albae nomen, veniſſet III a Cetobriga leucis, inde Ferdinandum [i] Toletanum, Petrum Medicem et Sanctium Avilam cum ipſorum copiis, Petrum Conſalvum Mendozam cum XI Neapolitanis vexillis et Petrum a [k] Soto-majore cum VII Siculis et [l] Inſubribus et Ludovicum [m] Enricem cum ſua legione, profunda jam nocte, praemiſerat; qui tenebris defenſi hoſpitium citra periculum in hortis ſuburbanis ab ea parte, quae ſeptentrionem reſpicit, ſibi ſumpſerunt. Albanus poſtridie cum reliquo exercitu advenit, relictis aliqnot copiis, quae impedimenta ſervarent. Oppido praeerat Franciſcus Maſcaregna, cum quo erat Didacus [n] Botellus junior, qui, infirmitate loci perſpecta, cum videret civeis male animatos, et ad Hiſpanorum vineas paſſim caedentium et ſalinarum canaleis rumpentium conſpectum dedere ſe paratos, et ipſi ad primam Albani, cuncta ſalva ſi parerent pollicentis, ſi imperium detrectarent extrema omnia interminantis, denunciationem miſſo Anglo milite de deditione agere coeperunt. Diſcordi milite, çum Simo Miranda omnem operam daret, ut cum Albano amice tranſigeretur, ipſe vitae periculum adiit, in flnvium ſubjectum a furiali multitudine praecipitatus; vixque ſcapha arrepta ſervatus eſt. Jamque tormenta advecta erant, cum ſuperveniente nocte duces de eventu veriri quiſque ſaluti ſuae diverſi conſulunt. Captus inter fugiendum Botellus; et Didacus [o] Salena a Philippi partibus maxime alienus, cum diu monachi veſte tectus latuiſſet, poſtremo deprehenſus. [p] Maſcaregna fuga ad Antonium evaſit. Oppidum

in

INTERPR. [a] *Setubal.* [b] *San-Gean.* [c] *Algiba-rotta.* [d] *Santaren.* [e] *evêque de la Guarda.* [f] *de Vimioſo.* [g] *Botello el viejo.* [h] *Agua alba.* [i] *de Tolede.* [k] *de Soto-major.* [l] *de Lombardie.* [m] *Enriquez.* [n] *Botello el moço.* [o] *de Salenna.* [p] *de Maſcarennas.*

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

in praedam militi ceſſit. [a] Santacrucius, cum ex [b] Meneſthei portu VIII Eid. Quintil. ſolviſſet, Aiamontium venerat; ubi, conſilio cum Alfonſo Guſmano Medinae Sidoniae et Roderico Silva Paſtranae ducibus, Gibralconis marchione, Antonio [c] Caſtrenſi Caſcaii domino, Edvardo [d] Caſtroblanco et aliis Luſitanis equitibus habito, placuit, ut aliquot naves armatae ad inſulas Azoras mitterentur, quae claſſem ex India venientem exciperent. Interim Santacrucius iter ſuum perſequitur, et litus legens [e] Turdetaniae loca maritima in poteſtatem redigit. Accepta in fidem [f] Tavila, Farum, Villanova, Lagos, caſtra ab [g] Anae oſtio ad [h] promontorium S. Vincentii. Capto Cetobrigae oppido, reſtabat [i] Turris in faucibus portus poſita, et ad hodiernam muniendi rationem tribus propugnaculis egregie firmata; ad haec, loco aſpero, et, ut credebatur a praeſidiariis, tormentis inacceſſo ſita. Praeerat Mendus Mota; quem, fruſtra juſſum ſemel atque iterum arcem dedere, tertio datis ad ipſum literis per ſobrinum ſuum tentat Albanus: cum nihilominus recuſaret, poſtremo vis adhibita; et praeter opinionem Jo. Bapt. Antonelli induſtria tormenta in arduum collem impoſita ſunt modico ab arce intervallo; moxque Siculae et Langobardicae legiones, duce Proſpero Columna, in oppoſito colle conſederunt. Arci, qua mare deſpicit, ſuberant tres triremes egregie inſtructae, duce Ignatio [k] Roderico Veloſo, quae portum tuebantur; quarum una, quae praeter navaleis ſocios XC milites et XXX ahenea tormenta, ad haec buccellati, carnis ſalitae, vini magnam vim et multos [l] Aethiopes portabat, ad primum claſſis Hiſpanicae conſpectum ventum ſecundum nacta portu ſe ejecit; et, quamvis infeſta diſploſione tormentorum ex arce facta, non mediocri damno accepto, ad hoſteis transfugit: ſuperveniente dein claſſe, aliae duae exemplum tertiae ſecutae ſunt: in quibus reperta XXC tormenta, majorem partem ahenea, et CXXX milites; quibus, vita ſalva, res et arma adempta ſunt. Quo animadverſo, Mendus, cum praeter ſpem admota jam tormenta et ad teli jactum hoſtem ſuccedere videret, poſtremo cum Proſpero Columna agit; et vitam reſque ſibi ac ſuis ſalvas pactus arcem dedit. Non placuere Albano conditiones, iis indignum poſt admota tormenta Mendum judicanti; quas tamen Columnae reſpectu ratas habuit, et loco Joannem [m] Molinam antea [n] Pignonis Velezii praefectum impoſuit. Mox, appulſa claſſe, poſtquam portum ſubiit Santacrucius, Joannes Cardona, Alfonſus Leva, Ludovicus [o] Barrientus ad Albanum ſalutandum exſcenſionem fecere: nec multo poſt [p] Palmelenſes, apud quos [q] coenobium ordinis S. Jacobi nobile eſt, miſere, qui ſe imperata facere paratos oſtenderent. At Antonius, qui jam omnem trans [r] Tagum [s] Baeticam verſus [t] Luſitaniam in poteſtate hoſtium videret, urbes intra [u] Minium et Durium, praeter [w] Conimbricam, paucas rebus ſuis ſtudere, [x] Portum nondum ad obſequium redactum, primarios ex nobilitate quotidie ad Philippum transfugere, Bracantinum in eo eſſe ut cum Philippo tranſigeret, Villae-regalis marchionem toties invitatum non adeſſe, ad haec, diſcordeis ac turbatos ſuos, plebem jam nutare, ſacrum ordinem, qui tantopere favere videatur, non tam animos facere, quam cunctis offenſionis cauſam praebere, auxiliareis ex Gallia et Anglia ſperatas copias nuſquam comparere, pecuniam belli nervum deeſſe, cujus expediendae non alia quam per plebis oppreſſionem et injuriam privatorum ratio ſuperſit, ſero errorem ſenſit, et regia inſignia ſumpſiſſe, cum Defenſoris titulo contentus eſſe debuiſſet, poenituit. Verum quid ageret? Ventoſae plebis aura et inſanientium hominum impulſu non ſponte ad ſummum faſtigium enixus erat, ex quo non niſi per praecipitia deſcenſus eſt. Tum intra ſe cogitabat;

regna

INTERPR. [a] *le marquis de Santa Cruz.* [b] *puerto de Santa Maria.* [c] *de Caſtro, ſennor de Caſcaes.* [d] *de Caſtel-blanco.* [e] *la coſta del Algarbe.* [f] *Tavola, Faro, Villanova di Portimaon, & Lagos.* [g] *Guadiana r.* [h] *Cabo de San Vincente.* [i] *Torre de la barra del puerto.* [k] *Rodriguez Veloſo.* [l] *Negros.* [m] *de Molina.* [n] *Penon de Velez.* [o] *de Barrientos.* [p] *ceux de Palmela.* [q] *convento de la orden de Santiago de Portugal.* [r] *Tajo r.* [s] *Andalouſie.* [t] *Toda la parte d'Alentejo.* [u] *Minno & Duero.* [w] *Coimbra.* [x] *Ciudad del Puerto.*

regna majore periculo amitti quam quaeri: alios homines, ut veſteis, ſic honores ac dignitates impune induere ac exuere; regna non niſi cum vita deponi: in ſolium intranteis caput inferre; inde, niſi protractum pedibus, qui ſemel intraverit, efferri non poſſe. Qui circa eum erant, non tam anxium ſolabantur quam, deſperata Philippi gratia, ad extrema quaeque ſubeunda obfirmabant; et Gardenſis epiſcopus in primis, qui praefracta arrogantia alienum omne conſilium reſpuebat, ex ſuo pendere ceteros volebat. Is, Albano jam ad portas ſedente, tamen ſacrificos et monachos incendebat; qui per vicos plerumque ſtrictis gladiis more bacchantium diſcurrentes cunctos ad militiam non tam hortabantur quam invitos cogebant. Tum in templis ex ambone et pulpitis in Caſtellenſeis abſurda et ridicula multa effutiebant: gentem imbellem, neque cum Luſitana comparandam; decem Luſitanos contta centum Caſtellenſeis componi poſſe, neque dubiam illorum de his victoriam fore: pro aris, focis, pro liberis conjugibuſque certamen eſſe: patentibus jugum et exilium, reſiſtentibus pro praemio libertatem proponi: tantum vellent, nam victoriam ex concotdia et bona voluntate pendere. Sed multo abſurdiora coram Antonio epiſcopus ingerebat: non tantam quam jactabatur Philippi potentiam eſſe: novos milites ac fere tirones circa ſe habere; nam veteranos in Italia remanſiſſe, verito Phllippo, ne per belli Luſitani occaſionem in regno Neapolitano et Mediolanenſi principatu tumultuetur: paucos Italos et Germanos in exercitu eſſe; nam numerum eorum infeſta tempeſtate et graſſante peſte multum imminutum: jam vero ad famam hujus belli Italiam, mox Arragoniam et Navarram procul dubio rebellaturas; et Turcum inde in Siciliam, inde in [a] Salentinos exſcenſionem facturum: nec Caſtellam ipſam jampridem intolerandis tributis oppreſſam ad hos motus quieturam: in armis cunctos in Gallia, Anglia ac Germania eſſe, qui, ſimul audierint Antonium concordibus populi votis in regem electum, protinus auxilio ſint advolaturi, et commune periculum, quod a principe ambitioſo tanti regni acceſſione locupletato cunctorum cervicibus immineat, communibus viribus propulſaturi. His et talibus ſomniis infatuato miſeri regis animo ſupervenit Franciſcus [b] Baretus, a quinqueviris legatus ad principes extetnos miſſus, qui verba ex Italia operae ſuae pretium ad Antonium attulit; tantumque legationi, a pontifice poſtea decretae, occaſionem praebuit. Is vero, cui pecunia ad conducendum apud nos militem numerata fuerat, eam in bellum inutile abſumendam in ſuos uſus verterat. Vimioſus comes, tanto in diſcrimine ambitione caecus et de publica ſalute ſecurus, tantum in id animum intendebat, quomodo ſummum armorum imperium ad ſe contrahere poſſet: cumqne id, ut hominis importune officioſi deſiderio ſatiſfaceret, ſummopere percuperet Antonius, tamen non videbat, qua honeſta ratione eam dignitatem a quinqueviris Didaco Meneſae delatam et a ſe confirmatam citra injuriam et invidioſae levitatis notam bene merito de ſe viro criperet; cui malo ſi quam praeſens remedium fortuna attulit, tam aliis longe gravioribus, quae regem ludibrio creatum circumſtabant, inveniſſet, multo cum illo felicius actum fuiſſet. Hanc ſolicitudinem major metus ex improviſo ortus diſcuſſit, incertum fortuito an ex induſtria ad pertentandos civium animos, ecquid adventante Albano reſiſtere auderent. Nam, ſub veſperam ejus diei quo [c] Cetobriga dedita eſt, cum Caſtellenſes inſtitores, qui in urbe erant, ſe parum tutos exiſtimarent, et, tranſlatis in amicorum aedeis rebus ſuis, de fuga cogitantes diſcurſarent, ſparſus rumor, quaſi hoſtes adeſſent. Itaque ſtatim ad arma conclamatum; concurſuque omnis ſexus et aetatis facto, inter confuſas percontantium et paventium voces cum pars moraretur, pars, tenebris metum augentibus, feſtinaret, univerſi ſe invicem per vias anguſtas impedirent, tanta trepidatio fuit, ut, cum nullae ſtationes ex diſciplina militari inſtitutae in tam populoſa civitate

INTERPR. [a] *le royaume de Naples.* [b] *Barreto.* [c] *Setubal.*

CIƆIƆLXXX. diſpoſitae eſſent, ſi hoſtis in eo tumultu ac ſtrepitu ſuperveniſſet, citra magnum nego-
HENRICUS III. tium urbe potiturus credatur. Vano terrore cum luce evaneſcente, verus ſucceſſit, periculo facto, quid, Albano ſerio accedente, futurum eſſet. Itaque, cum cubicularius quidam Antonii, cui Didaco [a] Cercamo nomen, natione Caſtellenſis, hero fidus, ſed qui accenſo bello perduellionis crimen veritus, perita ab Antonio venia et integra ei ſervata fide, patriam repetierat, ſe medium interpoſuiſſet, et jam ante captam ab Albano Cetobrigam cum hero permiſſu Philippi egiſſet, rurſus ſpes ex eo concordiae excitata eſt.

IX. SUB id tempus Alexander [b] Riarius cardinalis per diſpoſitos equos, nam res urgebat, a pontifice ad Philippum venit: nam, Philippi Segae, ordinarii oratoris, cum parum auctoritas apud regem valuiſſe videretur, placuit, ut cardinalis lateralis legati titulo ad eum mitteretur. Huic in mandatis datum, ut, ſi qua ratione poſſet, Philippo deponendi arma et ſe judicio ſanctae ſedis ſummittendi conſilium inſinuaret: id ſi ratione a Philippo impetrari non poſſet, ut peritis rerum aeſtimatoribus vero ſimile fiebat, Riario ſubſidiarie mandatum erat, ut ſibi ad regni Portugalliae ordines proficiſcendi neceſſitatem a pontifice impoſitam ſignificaret. Sic enim judicabat pontifex, ſi Philippus ſanctae ſedis obſervantiſſimus conſiliis ſuis acquieſcere nollet, fore, ut ſaltem reverentia legati, quamdiu is in Luſitania eſſet, a bello gerendo abſtineret; et ita, praecipitante aeſtate, cum claſſis, in qua praecipuum Philippici exercitus robur erat, haud diu citra ingens periculum in eo mari conſiſtere poſſet, procedentis victoriae curſus illo anno interrumperetur, et in alterum rejiceretur. Quod ſi contingebat, non parum ſe profeciſſe exiſtimabat: quippe in praeſens victricis Philippi fortunae impetum inhiberi; et hyeme ſecutura tantundem Antonio temporis concedi, dum turbatos ſuorum animos componere, res confuſas ordinare, cum principibus vicinis ex aemulatione Philippo infeſtis agere, et auxiliareis copias comparare poſſet; ac tandem eo res adducere, ut Philippus, qui nullas nunc conditiones viribus potior admittat, confirmata et aequata per eam moram aemuli potentia, aleam praelii veritus, ſanctae ſedis arbitrium poſtremo ſubire cogatur. Haec ita inter otioſos homines et praecepta de prudentia propria opinione credulos Romae agitata fuerant. Poſtquam legatus [c] Pacem Auguſtam venit, aſſignatum ei fuit ad monaſterium vicinum extra urbem hoſpitium. Inde [d] Trajanum Marium ad Philippum ſalutandum praemittit; qui, cum jam legatum toto itinere ſummis paſſim a civitatibus delatis honoribus aliquantum diſtinuiſſet, rurſus ſeu vero ſeu ſimulato morbo aliquam colloquio a legato tantopere expetito moram interpoſuit, dum interea Albanus rem conficeret. Et ſane longe alia, quam putarat pontifex, rerum facies tunc in Hiſpania erat; quippe rebus non amplius integris; Antonio rege creato, et exercitu Philippico jam Luſitani regni dimidia parte potito. Itaque legatus ad pontificem ſcripſerat, et nova mandata opperiebatur: intereaque colloquium urgebat; quod tandem poſt multas affectatas moras conceſſum. Et, quia nondum ſolita pompa cardinalis urbem de more ingreſſus erat, ſub veſperam in curru velato ab Oſſunae duce et Didaco Ferdinando Cabrera [e] Bobadilla Chinconis comite ad Philippum in lecto decumbentem deducitur. Ibi poſtquam legatus mandata expoſuit, Philippus, perhumane excuſato morbo, quo factum eſſet ut non ei obviam proceſſiſſet, quod pontificis deſiderio obſequi non poſſit, ſe excuſare: optaſſe ab initio, ut res citra vim componerentur; ſed, Antonio creato rege, et calcata ac violata regni ordinum per illam vitioſam creationem auctoritate, res amplius integras non eſſe: belli neceſſitatem ſibi ab Antonio impoſitam; quod inchoatum intermittere, perinde eſſe, atque ſi victoriam, quam jam obtinet, hoſti

INTERPR. [a] *de Cercamo.* [b] *Riario.* [c] *Badajox.* [d] *Trajano Mario, protonotario apoſtolico.* [e] *de Bovadilla, comte de Chinchon.*

hoſti traderet. Cum igitur cardinalis prudentiſſimo principi nihil in rerum ſuarum praejudicium perſuaderi poſſe cerneret, ad alteram mandatorum partem deſcendit; et ſibi in Portugalliam tranſire a pontifice imperatum demonſtrat. Quo a conſilio Philippus eum officioſe dehortatus eſt; quippe cum minus ei honorificum eſſe diceret, hoc rerum ſtatu, ad populos proficiſci, ut legitimo principe ſic omni rectore deſtitutos, ubi inter arma et turbidos ſeditioſae plebis clamores vox ſummi paſtoris exaudiri nequeat, ejuſque ſacroſancta majeſtas tanquam inter indignos projecta vileſcat. Quo reſponſo cum ſatis intelligeret cardinalis, nullo caſu regem cordatum, neque tam jure ſuo quam viribus confiſum, arma depoſiturum eſſe, omiſſa omni rei conficiendae ſpe, contrarium mandatum a pontifice cauſatus Romam revertitur. CIƆIƆLXXX. HENRICUS III.

X. INTEREA Albanus, capta [a] Cetobriga, cum [b] Tranſtaganam omnem regionem quaſi in poteſtatem redactam videret, de tranſmittendo fluvio conſultare coepit. Aliis ad [c] Almerinum et Praeſidium Julium ſupra [d] urbem; aliis infra urbem ad [e] Caſcaium tranſitus magis placebat. Contra Ludovicus [f] Douara claſſem ad Almadam arceſſi, et ejus ope in alteram ripam exercitum citra periculum tranſportari debere cenſebat. Cumque in diverſis illis ſententiis aut difficultatis ac morae aut periculi ratio haberetur, Albanus de claſſe ad Almadam arceſſenda conſilium, quamvis tutiſſimum, ut tardius rejecit, et omne in celeritate momentum victoriae ratus, periculumque morae anteponens, Caſcaium verſus, Antonio Caſtrenſi loci domino ſuadente, tranſmittere ſtatuit. Temerarium pleriſque id conſilium viſum; nec abnuit ipſe Albanus: ſed, quod ſibi cum inexpertis rem eſſe judicaret, audendum ratus, periculum animi praeſentia diſcuſſit; et nocte concubia magno ſilentio exercitum cum omni apparatu bellico v Kal. Quintil. claſſi imponit; totaque nocte cum vento contrario luctatus, ſuadente Santacrucio ut violentiae cederetur, tamen pervicit ut in ulteriorem ripam tenderet: tandemque, albeſcente die vento remittente, claſſis appulit; et, tantum ſingulis ex Caſcaii et S. Antonii ac [g] Sanjuliana arcibus tormentorum ictibus diſploſis, totus exercitus citra certamen in terram expoſitus eſt. Collis oppoſitus erat, poſt quem Didacus Meneſes latebat, cum collecta multitudine ex tironibus fere conflata, quae CCC equites, III CIↃ peditum conficiebat, diſpoſitis inter ſaxa ac vepreta minoribus tormentis, quibus exſcenſuros Hiſpanos infeſtaret. Sed, ſive is non eſſet Didacus qui putaretur, liberalitate potius in India quam virtute militari laudem meritus, ſive ſuorum virtuti diffideret, Hiſpanos, quamvis ex jactatione maris nocturna nauſeanteis, aggredi noluit: ſed Caſcaium poſt levem admodum e longinquo velitationem ſe recepit. Albanus, cum primi in terram inſiliiſſent Proſper [h] Columna, Sanctius Avila, Rodericus Sapata, Petrus a Soto, Jo. Bapt. [i] Antonellus, ſic ſuos inſtruit, ut anguſta fronte paulatim forma triangulari ſe extendente collem verſus incederetur: idque negotii datum Sapatae, ut aciem duceret; quem ſubſequebantur Germani ſariſſophori. Recedente Didaco, eo alacriores Hiſpani in collem evadunt, et relicta tormenta capiunt: quod rurſus Didaco magno dedecori vertit. Superato cum monte periculo, quod in exſcenſione, ſi Didacus occaſione uſus eſſet, Hiſpani adierant, Ludovicus [k] Barrientus veteranus dux et Albano perfamiliaris in aurem ejus inſuſurraſſe dicitur et rogaſſe, ecquid ſibi longo uſu experti ſummi ducis, an juvenili fervore incitati militis, is conatus videretur. Ad quem renidenti ore converſus Albanus ſcite reſpondit, bono imperatori aliquando prudentia ſenili, aliquando juvenili ardore utendum eſſe. Inde ad Caſcaium poſita caſtra; juſſique dedere ſe praeſidiarii cum initio recuſaſſent, admotis duobus tormentis majoribus et mediocri uno, paulo poſt ſublato vexillo candido obſeſſi colloquium petierunt: verum, jam Antonello foſſa potito,

cum

INTERPR. [a] *Setubal.* [b] *Tout ce qui eſt delà le Tage vers la Caſtille.* [c] *Almerin & Santaren.* [d] *Lisbonne.* [e] *Caſcaes.* [f] *D'Ouara.* [g] *San Gean.* [h] *Colonna.* [i] *Antonelli.* [k] *de Barrientos.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

cum verberatio non intermitteret, eo, qui vexillum ſuſtulerat, a ſcloppetariis Hiſpanis interfecto, rurſus alterum ſed cautius ſublatum eſt. Sed, cum nec ſic a verberatione ceſſaretur, tandem praeſidiarii, qui viderent muros proſtratos, non expectato ut de conditionibus ageretur, portas aperiunt. Locus direptus, contra quam ab Albano promiſſum fuerat Antonio [a] Caſtrenſi loci domino: et Didacus Meneſes in eo ſorte repertus, qui magna fiducia, cum ſe nihil peccaſſe crederet, petito cum Antonio Caſtrenſi colloquio, ut ſecum belli jure ageretur, et ut coram Albano ſiſteretur, rogavit; ſed, recuſante Albano, et ut ſe ad extrema compararet admonente, ille nihilominus, qui Philippum opera ſua egere exiſtimaret, priſtinos animos ſervavit, donec poſtridie erecto pegmate ipſe ad ſupplicium ductus, et cum Enrice [b] Pereira arcis praefecto et aliquot aliis ad terrorem ceteris incutiendum ſupremo ſupplicio affectus eſt. Severitas ea Albano peculiaris, ſive ad regii ſive proprii nominis terrorem ſpargendum, Philippo in Belgio detrimentoſa fuit, et Albano ipſi ejuſque filio perpetuam crudelitatis infamiam peperit, tantumque Hiſpani nominis odium excitavit, ut motibus licet obnoxii Belgae tamen principum ſuorum ſemper obſervantiſſimi ad extremum externos dominos ſibi aſciverint. Et ſane multorum judicio cum Didaco mitius agi potuit, viro illuſtri familia nato; ex qua ii, qui patriae liberatores apud Luſitanos appellantur, et Joanni I olim regnum conciliaverunt, propagati ſunt: quod et illi ad Antonii cauſam fovendam animos fecit, ut, ſicuti olim majores ſui regem in Luſitania conſtituiſſent, ſic ipſe, regia familia deficiente, regem, qui ipſi tantum beneficium deberet, in ſolio collocaret. Addunt ad Albani ſeveritatem privatas ſimultatum cauſas; quod Didacus auditus eſſet de ipſo minus dignos ſermones habuiſſe, cum contumelioſe ac contemptim vulgo diceret, velle ſe ſuum enſem contra Albani enſem metiri ac periculum cum eo facere, an perinde facile ſit illi, ut Belgas, ſic Luſitanos ad arbitrium circumagere. Mortuo Didaco, haud diu quaerendus fuit ei ſucceſſor; quippe cum jamdiu Franciſcus [c] Portugallus Vimioſi comes huic praefecturae inhiaret. Cumque in urbe jam magiſtratus et plebs ipſa fremeret, haud occultis ſermonibus, tam vicino Albano, Antonium ſtimulantibus, ut aut contra hoſtem ſe defenderet, aut cum eo paciſceretur, Antonius, fruſtra petita a magiſtratu pecunia, tandem Bethlemum progreditur. Ibi dum deliberatur quid facto opus ſit, cenſentibus pleriſque, ut retro cederent, et bellum ducendo tempus extraherent, reſque integras, ſi fieri poſſet, in annum ſequentem ſervarent, Vimioſus audacia intempeſtiva inſurgens, manu capulo enſis admota, eos ſe interfecturum dixit, quicunque de receptu in poſterum loquerentur. Non plus VIII CIↃ hominum penes ſe habebat Antonius ex omni numero, fere imbellium ab urbe [d] Aethiopum, et ruſticorum; rari duces bello experti. Ad belli famam ad eum ex Italia venerat [e] Sfortia Urſinus, ſtrenuus juvenis; ſed qui plus dextra quam conſilio valeret. Poſt tridui moram, cum nulli ad eum ex diverſis regni praefecturis, quamvis repetitis edictis citati, ad ſigna convenirent, conſultius quibuſdam viſum, ut ad [f] Sanjulianam arcem ſe conferret; quae unicum regni propugnaculum ſupererat, quam et praeſentia ſua tueretur, et a qua ipſe defenderetur. Verum Urſinus ad Alcantaram potius caſtra munienda cenſuit, Norbam Caeſaream olim, ut quidam cenſent, dictam, haud longe ab urbe, et a via per quam Albanus veniebat, torrente praealtis et praeruptis ripis cincto diviſam, ut et urbem a tergo proximitate ſua in fide contineret, et ripis torrentis tanquam vallo defenderetur. Interea Albanus, per Ferdinandum filium luſtrata Sanjuliana arce, quam [g] Triſtanus Vaes Vegenſis CCCC hominum praeſidio tenebat, ad eam expugnandam ducit. Haud longe a Caſcaio, quo claſſis Hiſpana appulerat, ſita eſt arx in citeriore Tagi ripa; in qua et urbs, in tumulo IV exiguis propugnaculis diſtincto, et XXX machinis

INTERPR. [a] *de Caſtro.* [b] *Pereyra.* [c] *de Portugal, comte de Vimioſo.* [d] *Negres.* [e] *Sforza Orſino.* [f] *San Gean.* [g] *Triſtan Vaez de Vega.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

machinis firmata. Ad [a] Bethlemum haud hinc longe claſſis Antoniana ſuberat, quae machinarum ictibus Hiſpanos initio infeſtabat; ſed, vallo ducto contra longinquos ictus, ad arcem foſſa producitur. IV Eid. Sextil. coepta pulſatione, auxilio ſuis ſupervenit Antonius, et poſt equeſtre aliquot horarum certamen ſe ad ſua recepit, muniendis caſtris intentus, quae caeſis arboribus et ſepibus inter ſaxa interjectis ad inſtar murorum Gallicorum firmabat, de urbe, quam ad ſeditionem ſpectare intelligebat, quam de hoſte magis ſolicitus. Nam paulo ante Philippus, ut per transfugia bello periculoſo finem imponeret, diploma per Luſitaniam publicari mandaverat, quo plenam praeteritorum gratiam faciebat iis, qui ad obſequium ſibi debitum rediiſſent, et Antonii partes deſererent. Exceptus a gratia Antonius, et ii, qui circa ipſum erant, qui ſeditionibus in [b] urbe, [c] Cetobrigae, et ad Julium praeſidium excitatis cauſam dederant. Ut vero Philippus Luſitanorum proprios ſibi reges expetentium ambitioni aliquid daret, titulos tantum regibus Portugalliae hactenus uſurpatos ſibi ſumpſerat, omiſſis quos vulgo in Hiſpania uſurpat; et, cum actis publicis, EGO REX, ſcribere ſoleret, tantum regis nomen ſubſcripſit, cum quinque ſignis, quae quinque plagas vocant, more Luſitaniae regum, ut vel in minimis rebus ſe Luſitanos mores, ritus, conſuetudines induere velle ſignificaret. Haec anxium de urbis fide Antonium tenebant, ut ad Didaci [d] Cercami monita aures magis paterent; quas rurſus obſtruebant [e] Gardenſis epiſcopus, Emmanuel Portugallus, Vimioſus, Emmanuel Silva et [f] Botellus. Tandem Antonius fiduciarias ad Philippum literas dedit, Antonii tantum nomine ſubſcriptas. Datum autem negotium erat Cercamo, ut rogaret Philippum, poſtquam de conditionibus conveniſſet, contentus eſſe vellet, ut ipſe regni, quo honeſtius caderet, ordinibus ſignificaret, ſe imparem contra Philippi potentiam eſſe; proinde ipſis liberum eſſe, ut rebus ſuis conſulant. Verum Philippus, qui jam ſucceſſu inflatus conditiones nullas vellet, Cercamum ad Albanum remiſit, qui variis ludificationibus miſerum regem poſtremo ad proelii aleam ex deſperatione adegit. Nam, cum Antonius Albani colloquium peteret, nunquam de loco colloquii convenire potuit; et, cum in trireme convenire deberent, rurſus novae difficultates inciderunt, cum Albanus ad Antonium ſcribendo ei Excellentiae nomen, qui [g] Celſitudinis titulum apud ſuos ſumpſerat, attribuere recuſaret, et Antonius Albani fidei haud ſatis fidens ſuperbo reſponſo contemptum ejus ultus eſſet. Nam, renunciari ei juſſit, reges eſſe reges, et belli duces eſſe belli duces: ceterum Deum, qui utriſque ſuperior ſit, victoriam, cui velit, dare. Ita, concordia deſperata, quod cupiebat Albanus, utrinque diſceſſum eſt. Jamque X tormentis et mox XX verberari coepta arce Sanjuliana, In eo erant praefectus et praeſidiarii ut de deditione cogitarent: et Albanus, qui, miſſo tubicine, et a praefecto non admiſſo, de exitu verebatur, occaſionem colloquii expetebat, cum commodum accidit, ut vidua quaedam vicana, quae generum et filium in arce habebat, ab Albano incitata ſive charitate ſuorum incertum, ab ipſo petiit, ut ſibi ad arcem ire et inde filium ac generum educere liceret, et interea a pulſatione ceſſaretur: qua gratia impetrata, ad arcem contendit, et, ſicuti juſſa erat, Albani nomine Triſtanum monuit, ſe reſpiceret, nec temeritate obſtinata ſe ſuoſque perditum iret. Quo nuncio laetior quam vultu praeferebat, colloquium cum Albano petiit; et, fide data, ad eum venit: a quo, iiſdem conditionibus, quas ab Antonio ſperabat, in arcano impetratis, ſe palam melius de Philippi jure inſtructum fingens ad ſuos redit; et fidem decuſque vita et commodis ſibi cariora praefatus cunctis auctor fuit, ut in Philippi, tanquam legitimi Portugalliae regis, verba jurarent. Gabriel [h] Ninius cum legione ſua loco impoſitus. Dedita Sanjuliana arce, Petrus [i] Barba, qui munitionem, alteri, cui [k] Caput ſiccum nomen, ſubjectam, praeſidio tenebat, cum deditionem facere antea juſſus recuſaſſet,

ad

INTERPR. [a] *Belen.* [b] *Lisbonne.* [c] *Setubal & Santaren.* [d] *de Cercamo.* [e] *de la Guarda.* [f] *Botello.* [g] *d'Alteſſe.* [h] *Ninno.* [i] *Barba.* [k] *Cabeça ſeca.*

CIↃIↃLXXX HENRICUS III.

ad primum claſſis Hiſpanae conſpectum, conſulto prius Antonio, et abductis ſecum tormentis, locum deſerit, et in caſtra ad eum contendit. Sub id tempus allatum eſt, naveis ex India mercibus ingentis pretii onuſtas ad Azoras appuliſſe, quae ſi a claſſe Hiſpana interceptae fuiſſent, plures in urbe inſtitorum nobilium familiae omnino bonis evertebantur. Itaque commune votum erat, antequam inde Hiſpaniam verſus vela facerent, ut fortuna de hoc bello pugna commiſſa decerneret. Igitur inſtare magiſtratus apud Antonium, ſe et civitatem reſpiceret, et miſeriis tandem finem imponeret: in propinquo eſſe exercitum, nec longe abeſſe Philippum: aut fortunae aleam, ſi expediret, aut concordiae viam tentaret. Sed rurſus belli incentores reclamabant; et monachi, qui, non jam in confeſſionibus et ex ambone, ſed ipſis militibus immiſti in claſſe, in exercitu, ridiculo prorſus habitu, inde cucullati crucem aut aliud templi donarium geſtantes, inde ſemiermes et gladios ſtrictos rotantes, populum jam reſtitantem, religione furori ſuo praetexta, ad extrema ſubeunda animabant. Antonius, qui ſe nec cum Philippo convenire poſſe, et ab omnibus deſeri, in urbe confuſa, in caſtris pavida omnia videret, quid ageret ambiguus, ex metu in ſuſpicionem proximorum venit; ſeque proditum in horas credens, graſſante licentia, in fidos aeque ac ſuſpectos ſaeviebat. Et, cum forte incendium haud longe a palatio conceptum eſſet, in ea regione urbis in qua Belgae habitant minime omnium ſuſpecti, tamen id inſidioſe ab iis ex compacto factum credens, ex [a] Emmanuelis Suaris nuper in urbis ſenatum allecti delatione, miſeros homines magno ſuarum rerum detrimento hoſpitia mutare ſubegit: paulumque abſuit, quin a furenti plebe eorum aedes omnino direptae fuerint. Id cum intelligeret Albanus, huc uſque ſumma celeritate uſus, in caſtris ſedebat, occaſionem opperiens, qua eadem levitate, qua defecerant populi, fortuna Antonium deſerente, contra ipſum rebellarent, atque ita citra certamen omnino debellari poſſet, tentatis interea [b] Bethlemi praeſidiariis, nec non claſſis Antonianae praefectis, et conſertis per octiduum a Sanctio Avila levibus proeliis exiguo utriuſque partis damno. Tandem, cum Petrus Bermudes, quem [c] Cetobrigae reliquerat Albanus, cum equitatu adveniſſet, luſtrata turre quae Bethlemum tuetur, exiguo propugnaculo et foſſa firmata, ad eam tria tormenta admoventur; infeſtatique praeſidiarii, cum quibus jam convenerat, mox locum dediderunt: [d] Caparica etiam turris, quae Bethlemiticae quaſi frontem tegebat, dedita. Quo facto, Albanus ad monaſterium [e] Hieronymianorum ſodalium, ab Emmanuele magnis ſumptibus exſtructum, monumento etiam in eo ſibi ac ſucceſſoribus parato nobile, hoſpitium ſumpſit. Tum ipſe Antonii caſtra oculis luſtrare voluit: inſtructaque acie cum ea praeterveheretur, aliquot tormentorum ictibus diſploſis, nec alio memorabili certamine facto, in caſtra ſua rediit; animadverſo interim locis aliquot non ita bene in vallo munitis vim inferri poſſe. Adverſum Tagum claſſis Hiſpana ſubiens exercitum ſemper comitabatur, quae LXVI triremibus, XXVI onerariis navibus et aliis minoribus conſtabat. In Antoniana erant IX majora navigia, quae remis agebantur, V triremes, et XXXVI naves onerariae egregie tormentis et omni alia re inſtructae, quae urbem et caſtra tegebant, ita ut ab ea parte Antoniani citra periculum peti non poſſent. Interjacebat et [f] Alcantarae ſubjectus torrens, praealtis ripis vallatus. Cum igitur ab una parte periculoſa eſſet caſtrorum oppugnatio, ea diverſis partibus uno eodemque tempore tentari placuit. Dicta dies ad VIII Kal. Septembris, cum pridie ad vallum uſque Albanus excurriſſet, pulſatis nocte media tympanis, ut Luſitani vigilia fatigati ad pugnae diurnae laborem debiliores eſſent. Alcantara vicus, a quo nomen torrenti, in ipſo angulo ſitus eſt, quem torrens in Tagum influens facit, ibique ponte lapideo jungitur. Eum

Luſitani

INTERPR. [a] *Suarez, un de los nuevos Veedores de la Camera.* [b] *Belen.* [c] *Setubal.* [d] *Torre de Caparica, que eſta frontera de la de Belen.* [e] *Hieronymitos.* [f] *rio de Alcantara.*

Luſitani ſervabant, exercitu, in quo ad X CIↃ hominum erant, ita diſpoſito, ut a meridie Tago et claſſe proxima, ab occaſu, qua parte Albanus veniebat, torrente tegeretur; ducto introrſum vallo non ita munito. Ceterum ſoli poſitus montuoſus, etſi non aſpero aſcenſu, diverſis collibus diſtinguitur, qui binc inde ſe ab utraque torrentis ripa reſpiciunt. Albanus, qui dextrum tenebat, Franciſco Alabae tormentorum praefecto negotium dederat, ut tormentis apte per loca deſignata diſpoſitis inde in lapideum pontem, inde in objectam planitiem, in qua aeies Luſitanorum ſtabat, inde in vallum infeſta diſploſione fulminaret. Tum Santacrucio ſignificatum, attributis ei CIↃIↃ ſcloppetariis Italis et totidem Hiſpanis, ut ad ſignum, quod ſublato vexillo albo daturus eſſet Albanus, eodem tempore claſſem Antonianam invaderet: quod, adverſo vento, nihilominus in tempore facere haudquaquam potuit. Ipſe totum exercitum in treis acies diſtribuerat; quarum duae peditatu, tertia equitatu conſtabat; quae non alia poſt aliam, ſed aequata fere fronte, quantum locorum anguſtia patiebatur, incederent. In media erat imperator cum toto peditatu Hiſpano et parte ſariſſophorûm Germanorum, quae VI CIↃ complectebatur; quae rurſus in quatuor agmina diviſerat, quae non ſeriatim, ſed conſertim et aequata fronte itidem incedebant. Dextram aciem ducebat Proſper Columna, fere Italis conſtantem et Germanis ac Hiſpanis, qui ſupererant, eodem numero et ordine. Siniſtra et ultima ex equitatu conſtabat; cui praeerat Ferdinandus Albani naturalis filius, qui ſupremam ſecundum patrem in exercitu poteſtatem exercebat: cui et ſingulis ducibus enixe injunctum erat, ut, quantum Philippo gratificari vellent, operam darent, ſi Deus victoriam annuiſſet, ut urbem a direptione intactam ſervarent. Additum ab Albano, ut magis ducum animos inflecteret, ſi aliter contingeret, optare ſe, ut primo quoque ſcloppeti diſploſi ictu potius tranſverberaretur, quam direptioni tantae urbis ſupereſſet. Non ſolum ordo in incedendo, ſed in pugnae principium dando momenta ſingulis ducibus etiam ſeripro tradito ab Albano praeſcripta erant, ut omnes intelligerent, in ordine illo ac momentis victoriam ſtare. Diverſa parte Antonius, qui neque duces nec milites belli peritos circa ſe haberet, ad haec heſterno labore et proxima noctis vigilia fatigatos, quorum ob viciniam urbis plerique ad domos proprias diverterant, non mediocriter animi angebatur, inter urbem, cui, ne rebellaret, metuebat, et hoſtem medius: quod unum poterat, aciem ſed ſegniter inſtruebat, ratus, Albanum ſe in caſtris minime oppugnaturum, ſed tantum ut ſuperiore die velitando laceſſiturum. Tandem ad Garderiſem epiſcopum, qui, dum ludibrio creatus rex ſub dio et pellibus pernoctaret, interim in urbe ſub uraniſco regnabat, mittit, ut cunctos ad ſigna redire cogeret. Is fatigatis tota nocte aſſidua pulſatione tintinnabulis cum miſeram plebem inſomnem tenuiſſet, mane ad ſtrepitum tympanorum volenteis non volenteis ad exercitum quaſi tot pecudes ad macellum cogebat, pleriſque in itinere dilabentibus, ita ut propterea minime exercitus numero creſceret. Jamque Albanus propinquabat; qui, conſpecto nondum, ut putabat, Antonianos in aciem inſtructos eſſe, nec proinde Alabam infeſta diſploſione adeo hoſti, ſicuti ſibi perſuaſerat, incommodaturum, nihilominus, conſilio in re praeſenti capto, ulterius promoto exercitu, proclii aleam tentare ſtatuit; Columnaeque, qui in dextra erat, imperat, ut per pontem impetum faceret, et quantum poſſet progrederetur. Tum Sanctio Avilae negotium datum, ut ab altera parte cum II CIↃ ſcloppetariorum ex media acie ſelectorum, paulo ſupra, qua ripae humiliores erant, tranſmiſſo torrente, in latus Antonianos aggrederetur. Juſſus et Ferdinandus ſuperius torrentem ſuperare, et eodem tempore Luſitanos tranſverſa oppugnatione ad certamen prolectare. Verum Columna citius Avila ad pontem perveniens, ſive quod longum et magis impeditum iter Avilae faciendum erat, ſive decoris Hiſpanis praeripiendi ardore Italis gradum accelerantibus, imperium

antevertit,

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

antevertit, et, impreſſione facta, cum ad eam partem Luſitani florem exercitus oppoſuiſſent, initio male mulctatus eſt, Albano ex tumulo in ſella deſpectante et temeritatem Columnae increpante; cui ſtatim Ludovicus [a] Ovares, impetratis ab Hieronymo [b] Lodronio aliquot loricatis Germanis, praeſto fuit, eorumque ope Columna pontem ſuperavit, et molatrina proxima praeſidiarios, amiſſis aliquot e ſuis, dejecit; anxio interea Albano; quippe qui vereretur, ne [c] Avila, homo ad iram promptus, Columnae caſu cognito, non ſicuti juſſus erat in latus, ſed impatientia victus per frontem in hoſtem duceret. Verum Avila dicto imperatoris audiens fuit; et cum Roderico Sapata et Petro Conſalvo Mendoza eoſque mox inſequente cum equitatu Ferdinando acrem impreſſionem fecit: ubi, quanquam Antonius, qui antea ad pontem pugnabat, mox vireis vertiſſet, tamen Luſitani, cognito jam pontem a Columna occupatum et hoſteis eodem tempore caſtrorum latera invadere, ad aciem mediam ſe contrahunt; atque ibi rurſus diſploſione a Franciſco Alaba inſtituta infeſtari coeperunt, a fronte ac lateribus circumventi; eumque equitatu a Ferdinando praemiſſo, ut ſe medium inter eos et urbem interponeret, etiam a tergo peti viderent, ſolutis ordinibus in fugam ſe conjiciunt. Ipſe Antonius cum Vimioſi comite, Emmanuele [d] Portugallo, [e] Botello ſeniore et Edvardo [f] Caſtrenſi ſine ullo certamine ſugientibus immiſtus ad urbem tendit; et ab inſequentibus in itinere ictu haſtae in facie accepto ſauciatus, ac parum abſuit ab Italis volonibus captus tandem evaſit; et, cum reliquiis exercitus per unam portam ingreſſus, per alteram mox egreditur, carceribus in tranſitu aperiri juſſis, quaſi poſt tantam hominum ſtragem in pauculis maleficis aliquid ſpei ſupereſſet; inter quos nihilominus multi erant nullo alio crimine notati quam quod Philippicis partibus favere dicerentur. Artifices et alii e plebe, abjectis armis, in urbe remanſerunt, et ad uxores ſuas ac liberos perfugium habuerunt: ceteri ad templa ſe receperunt. Magna ſtrages in fuga edita, neque tamen pro numero. Nam tantum CIↃIↃ ex Luſitanis deſiderati, haud amplius ex Philippicis C. Almadae in ulteriore Tagi ripa coenobium Dominicani ſodalitii colli ſuperſtructum eſt, cui Franciſcus [g] Forerius Oliſſiponenſis eundem ordinem profeſſus praeerat, magnae eruditionis theologus, et non ſolum ſcriptis editis, ſed ſynodi Tridentinae, cujus pars magna fuit, actione clarus. Is a Caſtellenſium partibus maxime omnium alienus ex ſuperiore loco tanquam ex ſpecula commiſſas utrinque acies anxie ſpectans, ubi ſuos partim caeſos partim in fugam verſos vidit, tam vehementi ſeu pavore ſeu moerore correptus eſt, ut, ſella, in qua ſedebat, prae indignatione everſa, retro averſus ſupino corpore corruerit, et defixis in coelum oculis obrigeſcens nulla voce emiſſa ſubito exſpiraverit, haud multum ſexagenario major. Ferdinandus, ſicuti juſſus erat, cum delectis e veſtigio ad urbem tendit, ut irrumpentem militem inhiberet; hoſtium globum adhuc ſuperare et colligere ſe e longinquo inter eundum clamitans, donec moenia ſubivit, et cum magiſtratu collocutus, vitamque ſalvam tantum pollicitus, cetera victoris arbitrio reſervans, ne a milite circumfuſo obſtreperetur, aliquos ex iis primarios funibus demiſſos ad Albanum patrem miſit, qui ampliores conditiones ab eo impetraverunt. Secundum haec ipſius juſſu appoſiti ad S. Catharinae portam veluti cuſtodes primarii duces, qui auctoritate ſua militem furentem reprimerent, [h] Cetoniae marchio, Ferdinandus [i] Toletanus, Sanctius Avila, Julius Spinola, Ambroſius [k] Grimaldus, Garſias [l] Cardena, Petrus Bermudes, Franciſcus [m] Landrianus, [n] Coſmus Centurio, Franciſcus et Didacus Toletani. In urbem introducti Petrus Medices, Petrus Toletanus et alii proceres, qui milites, ſi qui ingreſſi erant, praeſentia ſua a rapinis abſtinerent. Nec ſegniter rem mari geſſere Santacrucius et Alſonſus [o] Leva: et, poſt feſtam tormentorum diſploſionem, Antoniana

classis

INTERPR. [a] *Luis d'Ouara.* [b] *de Ledron.* [c] *de Alava.* [d] *de Portugal.* [e] *Botello el viejo.* [f] *de Caſtro.* [g] *Foreyro de Lisbonne.* [h] *Cetona.* [i] *de Tolede.* [k] *Grimaldo.* [l] *de Cardenas.* [m] *Landriano.* [n] *Coſme Centurione.* [o] *de Leyva.*

claſſis, cum, ſuga ſuorum conſpecta, vela feciſſet, fere citra certamen in Hiſpanorum poteſtatem venit. Quidam ex claſſiariis urbem ingreſſi, cum ad praedas diſcurrerent, a ducibus coërciti ſunt, duobus ad ceterorum terrorem in ſurcam actis. Negato urbis ingreſſu militi, vis contra ſuburbium, quod meliorem urbis partem conficit, verſa; atque id per treis dies continuos crudeliter direptum, ingenſque praeda in eo facta eſt, a mercatoribus, ut in talibus caſibus fieri ſolet, vili pretio redempta; quippe claſſe propinqua, in quam pretioſa quaeque impoſita, et in exteras oras juſto pretio vendenda tranſportata ſunt. Major ſpe et opinione praeda fuit, quod plerique ex urbanis mercatoribus merces pretioſiores ob luis graſſantis periculum in ſuburbium tranſtulerant. Teloneum ab Alfonſo Leva ſervatum. Parcitum et religioſis locis ab Italis et Germanis: et, cum ad Rochi fanum, quod erat ſodalium Jeſuitarum collegium, multi locum religione tutum fore ſibi perſuaſiſſent, ſua pretioſiora eorum fidei crediderant; quae tamen Hiſpani, qui Italos inde expulerant, ſpecie amicitiae, quippe ad ſervandum locum a ducibus miſſi, furto ſubrepta noctu in proximam claſſem avexerunt. Quaſdam etiam domos intra ipſam urbem in praedam conceſſas ſcribit Errera, eorum, qui maxime a Philippi partibus alieni et ſeditioni cauſam praebuiſſe arguebantur. Antonius, curato ad [a] Sacabenem vicum vulnere, recta [b] praeſidium Julium conceſſit; quo cum ſecuti ſunt [c] Gardenſis epiſcopus, [d] Vimioſi comes et Simo [e] Maſcaregna Eborae decanus, cum XL circiter equitibus; ubi vix acceptus eſt, adjecta conditione, ut quamprimum alio ſe conferret; inſigni ac juxta deplorando inconſtantiae rerum humanarum exemplo, ut, quo loco Antonio ante duos menſeis tanto populi concurſu ac favore tanquam regi acclamatum erat, eidem vix privato tutus receptus eſſet.

XI. MULTI in eo Albani diligentiam deſiderarunt, qui fugientem inſecutus non ſit. Sed, poſt tantum ſucceſſum et onuſto praeda milite, difficile fuit, imo periculoſum, longius a tanta urbe exercitum deducere, in qua et conſtans fama erat, Antonium alicubi latere. Itaque veſtigata omnia coenobiorum et religioſorum locorum latibula, et veſtigationis illius colore rapinae ingentes factae: quod magnam rurſus invidiam Albano creavit, plerisque apud Philippum rei geſtae magnitudinem elevantibus, et contra errorem ſeu culpam ejus in majus extollentibus: nam vana eſſe expugnatarum arcium et urbium, caeſorum hoſtium, et nuper ad Alcantaram commiſſi proelii nomina, cum haec omnia, nemine fere reſiſtente, confecta ſint: illam vero Luſitanorum inconditam multitudinem, hominibus fere ad ſigna vi coactis et ex plebe a ſacrificis ac monachis in ſacris confeſſionibus et ſeditioſis concionibus decepta et quaſi ad macellum ab inſanis belli incentoribus, qui ſe etiam duces illi praebuerant, protracta conſtantem, oon mereri exercitus nomen: oec viciſſe illum videri, qui vilia adeo capita aut trucidaverit aut diſturbaverit: itaque ſucceſſum Philippi fortunae, non ducis virtuti imputandum: ſed hanc propriam ejus eſſe culpam, qnod urbem opulentiſſimam, et quae ſervata non ſolum Philippo gloriam et ſummam erga Luſitanos benevolentiam conciliabat, ſed etiam magno uſui rebus ſuis eſſe poterat, per totum triduum militi depraedandam conceſſerit, ut militis gratiam magno principis ſui damno, iiſdem artibus olim in Belgio quaeſitam, aucuparetur, et cognatorum ac amicorum, qui plus in urbe expilanda quam in victoria perſequenda laboraſſe dicebantur, commodis ſerviret. Haec et alia hujuſmodi, quae juſtas ac legitimas excuſationes ſuas habebant, ad obſcurandam tanti viri laudem et meritorum ipſius memoriam inducendam in aula jactabantur; quae pronis auribus, ut ab invidis et aemulis, accipiebantur. Praeter ſpem et tunc accidit, ut naves Indicae ex Azotis, ignarae quid in Luſitania ageretur, ad urbem appulerint; non utique fortaſſe venturae, ſi certiores de ſucceſſu factae fuiſſent; quippe cum in victore victoque aeque depraedationis periculum metueretur.

XII. SED

INTERPR. [a] *Sacabem.* [b] *Santaren.* [c] *de la Guarda.* [d] *Vimioſo.* [e] *de Maſcarenhas.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

XII. SED tantam laetitiam inopinata triſtitia ſuccedens paeue evertit, Philippo ſub id tempus in periculoſiſſimam aegtitudinem prolapſo, ita ut de ejus ſalute a medieis deſperaretur: quod rurſus magna anxietate non ſolum Albanum, ſed omneis etiam quorum ſottunae ex tanti ſaſtigii imperio pendebant, adflixit. Nam, ſi eontigiſſet tnnc Philippum mori, filiis vix in inſantia relictis, rebus Belgii turbatis, et inquietos noſtrorum animos ad res novas ſolicitante Franciſco [a] Andium duce, nec recentem novi regni acceſſionem ſtabilem nec a domeſticis tumultibus tantum imperium tutum fote apparebat. Conſtituerat cum animo ſuo Albanus, ſi ita caſus tuliſſet, reginam ac principem e veſtigio Oliſſiponam arceſſere; quorum praeſentia fretus, et iis, quae penes ſe habebat, armis ſubnixus, in officio reliqua tegna ſe continere poſſe ſpetabat. Interea adacti omnes in verba Philippi ritu ſolemni III Eid. Septembris; ac mox, pulſatis per urbem tympanis, praecunte cum vexillo tegio magiſtratu, Philippi regis nomen inclamatum, ſed voce languida et triſtitiam potius quam laetitiam teſtante; ita ut gemitus, ſuſpiria ac lamenta inter clamores illos violentia extottos paſſim exaudirentur. Antonius, cui ad bteve momentum ad [b] ſanum-Eirenes conſiſtere conceſſum erat, inde [c] Conimbricam pergit; ubi nec diu manere ſibi aut civibus, quantumvis erga ſe bene affectis, tutum cum videret, continuo [d] Montem majorem concedit; ubi ſama ſparſa copias novas ipſum parare, Albanus ſuas dividete noluit, ſed ſtatim Sanctium Avilam contra eum mittere ſtatuit. Convaleſcente dein Philippo, caſus incidit, qui triſtitia magna res cumulavit, et remotam rurſus aliquam iis gerendis attulit. Nam Anna regis uxor, dolore et vigiliis ob viti motbum attenuata, accedente populari catarrho, ſic enim is morbus in Hiſpania vocatus eſt qui totum occidentem eo anno pervagatus peſtem graſſantem pleriſque locis pracivit, vitam eum motte commutavit VI Kal. Nov. relictis Didaco et Philippo filiis ſere in cunis.

XIII. OCCASIONE inde ſumpta, Antonius inter [e] Durium et Minium ttactus illius incolas fatigabat; et, ſequacibus ad ſe contractis, rurſus novi exercitus ſpeeiem oſtentare coepit; Conimbricamque jam cum fortuna nutantem tantiſper eo metu continuit, ne legatos ad Albanum mitteret; quod jam poſt ejus diſeeſſum ſeeerant Santarenenſes, in fidem ab Albano accepti. Jamque ad IX CIↃ omnis generis hominum ad Antonium confluxerant; cum quibus ille Averum tendit, quod initio reſiſtere auſum majore quam unquam alibi ſeciſſet vi oppugnavit; impetuque facto, cum fruſtra fuiſſet, poſtremo ſeqnacium ſuorum intervenru ab oppidanis admiſſus eſt, cum Pantaleon [f] Sada cum auxilio [g] Portu profectus ſerius adveniſſet. Multi in oppido ab eo capti; multa avare et crudeliter geſta; nec multum res a direptione abfuit. Quo ſueeeſſu plebs ruſtica, rantum ligonibus, fuſtibus ac marris armata, tantos ſpiritus ſumpſit, accedentibus de Philippi aegritudine non ſecundis rumoribus, ut nihil ſibi impervium putaret, et Oliſſiponam ipſam recepturam ſe ſponderet. Nec ceſſabant Philippici: et, cum ante regis morbum in [h] Africam et ad [i] Fortunatas inſulas uſque miſſi eſſent, qui praeſidiarios et oppidanos illorum locorum in fidem acciperent, euncti ſere in Philippi verba juraverunt. Secundum haec, jam praecipitante autumno, Germani ab Albano [k] Cetobrigam ablegati, et Itali ac Hiſpani pet Oliſſiponae ſuburbia diſtributi ſunt; dato negotio Sanctio Avilae, ut cum IV CIↃ et IↃ peditibus et CCCC equitibus Conimbticam verſus ad perſequendas belli reliqnias proficiſceretur: quem ſecutus eſt Emmanuel Soſa Paccus cum duabus equitum alis, adjunctis CIↃIↃ peditibus, duce Didaeo [l] Cordubenſi; qui Conimbricam ingreſſus civeis ad obſequium adegit. At Antonius, qui [m] Averi erar, cognito Avilam adventare, Portum verſus tendit; ubi, praevalente amica factione, honorifice admiſſus eſt. Pantaleon Sada, Ferrandus [n] Nonius Barretus

INTERPR. [a] *d'Anjou.* [b] *Santaren.* [c] *Coimbra.* [d] *Monte-mayor.* [e] *Duero & Minno.* [f] *de Saa.* [g] *Ciudad del Puerto.* [h] *coſte de Barbarie.* [i] *Canaries.* [k] *Setubal.* [l] *de Cordoua.* [m] *Avero.* [n] *Nunnez Barreto.*

Barretus et Joannes Rodericus Sada ſtatim ſub adventum fuga dilapſi in Galeciam ſe CIƆIƆLXXX. receperunt. Mox Antonius adverſarios in carcerem conjecit, eorum bona diripuit, HENRICUS III. naveis ſaccharo onuſtas capit et in Galliam amandat, quoſdam extremo ſupplicio afſecit, ac poſtremo c aureorum ciↃ urbi imperavit: in quorum exactione cum nullo non injuriae genere uteretur, et civibus ad deſperationem adactis extrema omnia tentaturus eſſet, nuncius de [a] Conimbrica et [b] Monte-majore, quem Didacus Botellus defenſurum ſe receperat, in verba Philippi ab Avila adactis venit; quod Portuenſeis periculo exemit. Nam Antonius, jam de ſalute propria ſolicitus, conſilium vexandorum civium omiſit; et Antonium [c] Portugallum Gardae epiſcopum [d] Vianam praemittit, qui milite undiquaque ex proximis agris collecto [e] Limae pontem inſideret, et hoſtem advenientem [f] Durii, qui medius inter eos erat, tranſitu prohiberet. Quae dum fiunt, Albanus [g] Oliſſiponae magiſtratus ab Antonio creatos abdicat, novos in eorum locum creat, et vetus caſtellum novis operibus firmat, tranſlatis eo tormentis ac bellico apparatu, ac praeterea praeſidiariis Hiſpanis; qui dum ad portas civitatis ſtabant, crebris inter Luſitanos et Caſtellenſeis rixis occaſionem praebuerant. Jamque Avila [h] Avero propinquabat, quo ad eum ſtatim oppidani venere ſe et ſua Philippo obſequioſe oſferentes. Refecto milite, in Durii tranſitu magnae difficultates occurrerunt, quod et flumen nuſquam vadoſum et rapidiſſimum eſſet, et rara in eo navigia reperirentur; quas vero ſecum portaverat naveis plicatileis, vectione carrorum ſolutae nullo uſui eſſe poſſent: rurſus et illud incommodum acceſſit, quod, cum ad veſtiganda per flumen navigia miſiſſet, ab armatis Antonii navigiis huc illuc diſcurrentibus vis facta eſt, quo minus aut locus ad tranſitum opportunum notari aut navigia parari poſſent. Verum illi, fontes verſus paulo ſuperius, quo penetraturos Hiſpanos minime rebatur Antonius, progreſſi, navigia diverſae formae repererunt; et Antonius [i] Serranus ad id ab Avila miſſus ex inſidiis quaedam intercepit. Sed, iis repertis, rurſus temerarium ducibus videbatur, tam vicino hoſte, rem periculi adeo plenam tentare, qui bellum ſat cito ſi ſat bene confectum iri dicebant. Avila contra inſtabat; et, [k] Edvardum Lemoſium, Martinum [l] Lupum Azevedam et Antonium [m] Suſam Contignum ac alios Antonii ſequaces militem paſſim cogenteis antevertere cupiens, omnem in celeritate rei conficiendae ſpem reponebat; et oratione habita ſuos ad audendum confirmabat; omnem quippe moram in eo negotio damnoſam eſſe, tam propinqua hyeme, qua efficiatur, ut nec claſſis in eo mari tuto conſiſtere, nec, per ejus diſceſſum ſublata commeatus ſubvehendi commoditate, terreſtres copiae durare valeant: itaque praevertendum; et Antonium, qui ad extremos Luſitaniae fineis confugerit, non ſolum omni regno controverſo ſed tota Hiſpania exturbandum eſſe: alioqui fore, ut, ſi longior mora interponatur, hyeme appetente, ipſe exteras copias paret, et bellum, quod hoc anno confici oportuit, in alterum et ſequentes dilatum dubio eventu inſtauret: nec periculo militem, qui ad decus veramque gloriam virtutis via graſſetur, terreri debere; nullam quippe glorioſam in facili victoriam; cuncta ardua virtuti propoſita; nihil fortibus invium eſſe: neque tamen ſe adeo vani decoris aura tranſverſum agi, ut temeritate ſua victoriam jam partam corrumpere velit; quin potius in eo laborare, ne tanti ſucceſſus fructus, qui in celeritate omnis poſitus eſt, praepoſtera ac moroſa prudentia amittatur: tantum velint, et virtute ſua innixi tum juſtae cauſae confiſi eum iis ſibi rem eſſe perſuadeant, quos hoc eodem anno tot arcibus ac oppidis citra negotium expugnatis et inſigni nuper victoria ad Alcantaram parta devicerint, et porro victuri ſint, dum ne cunctatione intempeſtiva procedentis victoriae curſus interrumpatur.

His

INTERPR. [a] *Coimbra.* [b] *Monte-mayor.* [c] *de Portugal, evêque de la Guarda.* [d] *Viana.* [e] *puente de Lima.* [f] *Duero.* [g] *Liſbonne.* [h] *Avero.* [i] *Serrano.* [k] *Duarte de Lemos.* [l] *Lopez de Açevedo.* [m] *de Souſa Coutinno.*

His verbis tum in primis bello experti ducis auctoritate accenſo milite, de tranſmittendi ratione conſulratur. Diſpoſita in ripa civitatis tormenta, quae totum illum tractum infeſtum defenſoribus redderent. Ipſe Avila tertiam partem exercitus [a] Vintam verſus ducit, cum qua ad locum ſuperiorem convectis illuc navigiis fluvium tranſmiſit, inde Luſitanos per latus petiturus. Reliquus exercitus, qui ad [b] Petramſalitam ſtabat, duce Roderico Sapata, ad tranſmittendum in Luſitanorum conſpectu fluvium ſe parare juſſus, alligatis per capiſtra ad navigia equis; ita tamen, ut non prius remis impellerentur, quam Luſitani ab Hiſpanis ex ſuperiore ripa jam tranſmiſſa venientibus per latus peterentur. Haud plus negotii in [c] Durii quam in [d] Tagi tranſitu ſuit. Nam, cum primum Luſitani Hiſpanos per latus ruenteis viderunt, nemine ipſorum ſere reſiſtente, protinus, vix x e ſuo numero deſideratis, terga verterunt; atque ita Hiſpani incolumes citra certamen exſcenſionem fecere. Quo cognito, Antonius rebus deſperatis amicos in conſilium vocat, non tam ut ipſorum ſententias exquireret aut voluntates periclitaretur, quam ut iis vale diceret, et, diſceſſionis ſuae ratione explicata, melius ſperare in poſterum juberet. Igitur de duritia Philippi multa praefatus, qui de jure ſuo deſperans vim ad Luſitanos in ſervitutem redigendos attulerit, ſeque ab ordinibus regem creatum et publicae libertatis defenſorem electum injurioſe regno ſpoliaverit, cedere ad tempus decreviſſe oſtendit, ne ipſos et ſe, ſi ulterius pertendat, in manifeſtum exitium praecipitet: imparatum ſe a viribus magnis ſubnixo et diu ante praeparato hoſte oppreſſum: inde tot cladeis ſecutas; quas auxiliaribus acceptis brevi ſarcire ſperet, modo iidem ſint, qui fuerunt: ſe quidem in propoſito ad ultimum uſque vitae ſpiritum perſeverare adverſus fortunae ictus inconcuſſum ſtatuiſſe; nec ullis conditionibus cum tyranno et infeſto Luſitani nominis hoſte tranſacturum. Quibus dictis cum lachrimas circumſtantibus excuſſiſſet, cunctis prae moerore ſeu pavore ſilentio defixis, ex conſeſſu ſe proripuit; et [e] Arucanenſe coenobium profectus per [f] Barcellum obliquato itinere poſtremo Vianam tendit; quo ante Gardenſem epiſcopum praemiſerat. Jamque Avila [g] Portum venerat, ingreſſu initio ab oppidanis prohibitus: verum poſtquam illi copias omneis diſſipatas intellexerunt, tandem vitam ac res ſalvas pacti in Philippi verba jurarunt. Tum miſſi equites, qui Antonium fugientem inſequerentur: quibus Vianae propinquantibus, cum Antonius cum mari luctari quam in Hiſpanorum manus incidere potius duceret, navem conſcendit; ſed tempeſtate ſuborta in terram rejectus, quantumvis equites Hiſpani intra oppidum admiſſi ad eum comprehendendum ſumma celeritate accurrerent, tamen, dum de conditionibus deliberatur, tantum temporis interceſſit, dum ipſe, nautica veſte ſumpta ac barba raſa, praeterea diſtributa inter ſuos, quam exiguam habebat, pecunia, et aſportatis ſecum majoris pretii gemmis, ſe inſequentium manibus eriperet. Quaedam tamen majoris ponderis monilia et gemmis inſignia ornamenta relinquere coactus eſt, quae a militibus redempta in Philippi poteſtatem venerunt. Ipſe per domos nobilium ac coenobia tam virginum quam monachorum intra Durium et [h] Minium, diverſoria ſubinde mutans, ab eo tempore uſque ad Maium inſequentem latuit, tanta ſive ſuorum charitate ac fide ſive Hiſpani nominis odio, ut nullius praemii ſpe proditus fuerit, et quamlibet diligenter a diſcurrente huc illuc milite perveſtigatus nunquam reperiri potuerit, ac poſtremo ſalvus in Galliam navigaverit.

XIV. Interea Philippus ex morbo convaluerat; et, quamvis uxoris morte moeſtus, cujus corpus [i] Laurentii regalis fanum deportandum per Oſſunae ducem curaverat, [k] Madritum etiam remiſſo principe filio et filiabus, curaque eorum Franciſco Sapatae [l] Ciſnero Barajae comiti et [m] Cordubenſi epiſcopo attributa, Luſitaniam

tandem

INTERPR. [a] *Avyntes.* [b] *Piedra Salada.* [c] *Duero.* [d] *Tajo.* [e] *monaſtere d'Arouca.* [f] *Barcelos.* [g] *Ciudad del Puerto.* [h] *Minno.* [i] *San Lorenzo el Real.* [k] *Madrid.* [l] *Ciſneros, comte de Barajas.* [m] *de Cordoua.*

tandem ingreſſus [a] Elvam venit Non. Dec. in regni ſtatim aditu pretio in caput Antonii tanquam perduellis et tranquillitatis publicae perturbatoris xxc ducatorum CIↃ conſtituto, ei, qui aut illum interfeciſſet, aut vivum ſtitiſſet, exſolvendo: cujus edicti ſive ſeveritatem ſive invidiam ut mitigaret, eodem die altero edicto vectigal mercium, quae ex Caſtellenſi agro in Luſitaniam et contra importabantur, cum regna diviſa eſſent, inſtitutum, quod portum ſiccorum vulgo dicunt, quaſi Luſitania cum ceteris Hiſpaniae regnis unita et confuſa, abolevit, magnam ea re a popularibus gratiam ſe conſecuturum ratus. Exiguo admodum comitatu venerat in Luſitaniam cum Alberto cardinali et paucis proceribus Hiſpanis, ut laxius in ipſius aula Luſitani verſarentur. Cumque ad eum honoris cauſa acceſſiſſent Joannes Bracantiae et Theodoſius filius Barcelli duces, eos et peramanter excepit, et, dum res ſacra fieret, intra cortinam ſeu velum, qui honos non niſi principibus viris defertur, admiſit, et magiſtri equitum regni dignitatem a majoribus acceptam tanquam hereditariam confirmavit: quae vani honoris inſignia, plenioris remunerationis tantum pignora initio credita, pro omni ſatisfactione illi poſtremo ceſſerunt. Inde indicta [b] Tomarium regni [c] comitia ad XVII Kal. Maias anni inſequentis.

CIↃIↃLXXX.

HENRICUS III.

XV. JAM ante literas ſtatim poſt Henrici mortem Philippus dederat ad Ludovicum [d] Ataidem Indiae orientalis proregem, virum auctoritate et rei militaris ſcientia inter ſuos praecipuum; qui bello Africano dux a Sebaſtiano deſtinatus de exitu ob praeceps ac temerarium regis ſui ingenium male auguratus, praefecturam Indicam, quae eodem tempore deferebatur, praeoptaverat, ne ruentis in perniciem principis conſiliis ac culpae participaſſe videretur. Iis literis et juris ſui in regni ſucceſſione rationes explicabantur; et multa inſuper addebantur, minis et promiſſis ſimul admiſtis, quae prudentem virum, qui potentiam Philippi quam jus pluris aeſtimabat, permoverunt, ut ex fortuna conſilium ſibi capiendum exiſtimaret: itaque, cum eodem tempore Antonius per emiſſarios ſuos eum in partes ſuas pertrahere tentaſſet, fruſtra fuit. Tunc et miſſi ad alios Indiae praefectos, qui Philippum ab omnibus regni ordinibus, provinciis et civitatibus regem renunciatum ſignificarent, et ut idem facerent rogarent juberentque. Magno errore a Philippicis miniſtris peccatum fuit, quod, ſive inſita in explicandis negotiis tarditate, ſive re male penſitata, ſpretis Luſitanorum, qui Philippum initio adierant, monitis, ſerius ad Azoras inſulas miſerunt; quas omnes, praeter [e] Sanmichaëliam, a ceteris c paſſuum CIↃ Hiſpaniam verſus disjunctam, et epiſcopi illorum locorum opera in Philippi obſequio conſervatam, Antonius in verba ſua adegerat, miſſo a [f] Vimioſo ex domeſticis [g] Cypriano Figeredo, qui [h] Tertiam longe ſitu et fertilitate ceteris ſuperiorem curatoris titulo adminiſtraret. Is literis excultus et rerum agendarum peritus [i] Angram Tertiae primariam urbem venerat, et ope Franciſcanorum Antonio addictorum inſulanos homines ſuperſtitioſos et ſtolide credulos ita faſcinaverat, ut, licet abſurda et ſibi pugnantia pletaque miſcens, tamen id efficeret, ut a Philippi partibus alieni eſſent. Nam et modo Sebaſtianum minime mortuum aut e mortuis ſuſcitatum brevi ad eos venturum per homines ad id deſtinatos miſerae plebi inſuſurrabat, modo Antonium in regem electum affirmabat. Et, quanquam ad Antonium miſſis Stephano [k] Silvera et Melchiore Franciſcano homine concitandis turbis idoneo, qui inſulanorum nomine obſequium ei tanquam principi ſuo deferrent, jam de Sebaſtiani morte certi eſſe debuiſſent, tamen apud rudem et ſuperſtitionibus innutritam plebem tantum aut Hiſpani nominis odium aut contra Luſitani amor valuit, ut a vili fabro a Franciſcanis impoſtoribus ſubornato et vaticinandi virtutem profeſſo ſibi perſuaderi paſſi ſint, Sebaſtianum intra VI Eid. Mart. comparitiurum. Accendebat inſulanorum inſaniam Melchior ille, qui apud cordatiores,

cum

INTERPR. [a] *Elvas.* [b] *Tomar.* [c] *las Cortes.* [d] *de Atayde.* [e] *l'Iſle de S. Michel.* [f] *le comte de Vimioſo.* [g] *Cebrian de Figueredo.* [h] *Iſle de la Tercera.* [i] *Angra.* [k] *Silvera & Melchiore.*

cum ex legatione eum Silvera rediiſſet, cognito jam famam Alcantarenſis pugnae ad cos perveniſſe, ejus caſum artificioſe elevabat, Antoniumque inrra [a] Durium et Minium conceſſiſſe, et jam XXX CIↃ in armis circa ſe habere affirmabat. Apud plebem vero ambiguis ſermonibus ſparſis opinionem de Sebaſtiano falſo conceptam adjuvabat: et, cum ſacra faceret Blaſius [b] Camellus, unus ex ejus emiſſariis, pro Sebaſtiano conjunctim et Antonio preces publiee coneipiebat: rogantibuſque ex plebe qnibuſdam de Sebaſtiano, eum et vivere et prid. Non. Sextil. Angrae ſtiturum ſe confirmabat. Ita plebe veſaniente et ejus ingenio aburentibus Antonianis ae maxime omnium Franciſcanis, ſupervenit Ambroſius [c] Aguiar, a Philippo, ſed ſero, miſſus cum literis, quibus gratia praeteritorum fiebat, modo in regis verba jurarent. Et plerique primo audiendum eum eenſebant: ſed, tumultuanre plebe, et legatum quidem admittendum ſed mox in carcerem conjiciendum clamitante, prudentiores, qui ad repulſae injuriam carceris ignominiam addi neque honeſtum neque fas exiſtimabant, Ambroſium non admirtere contenti eum ſine reſponſo remiſerunt. Poſtea, eum navis in alto apparuiſſet, ſublata per urbem vox quaſi Sebaſtianus a ſabro promiſſus adveniret; concurſuque ad litus facto, quanquam ab inſula deflecteret navis, oppidani ſive inſaniae ſuae blandientes ſive ab aliis deecpti affirmabant, navem quidem praetervectam eſſe, eeterum per ſcapham e nave treis homineis demiſſos, qui ad inſulam ſub veſperam appuliſſent, et ad Franciſcanorum eoenobium divertiſſent: eos aurem eſſe Sebaſtianum ipſum, Chriſtophorum Tavoram et Cherifium credebant. Tum Franciſcani, ut fidem vulgi opinioni aſtuerent, in aurem credulo cuique obmnrmurare, veniſſe hoſpites magni nominis, qui eognoſci nolint; ad cos excipiendos ſtragula, lectos holoſericos, ſupellectilem argenteam undique conquirere; januas coenobii ſolito diligentlus clauſas tenere; denique omnia ſacere, quo ſuſpicionem appulſi regis ac ſociorum augerent. His Franeiſeanorum impoſturis eum ſe Jeſuirae patres aeerrimi ſemper Hiſpanicae dignitatis ac potentiae propugnatores opponerent, vetiti per urbem vagari ac poſtremo in monaſterium ſuum concluſi ſunt. Quae cuncta co pertinebant, ut, dum fatuae plebis animi vana ſpe lactantur, inſulani a Philippi partibus alienarentur. Itaqne ut ſera ſic irrita Ambroſii Aguiaris legatio fuit: quod non mediocriter Philippi animum angebat, qui ſuorum tarditate effectum dolebat, ut bellum, quod hoc anno in regno cirra negotium fere confectum fuerat, deineeps extra Luſitaniam dubio eventu recrudeſceret.

XVI. INTERIM, ſive ut querelis multorum ſatisfaceret, ſive adfectata juris ſeveritate gratiam a Luſiranis promereretur, et ſimul Albani hominis ſibi inviſi, et cujus opera neceſſitate potius quam ſponte in hoc bello uſus fuerat, ſuperbiam novo ſucceſſu ſe efferentem comprimeret, Franeiſeum [d] Villafagnam ſenatus Caſtellenſis conſiliarium Oliſſiponam, et Franciſeum [e] Tedaldium Galeciae tribunalis aſſeſſorem ad Avilae exercitum miſit, qui de militibus praeter diſciplinam licenrioſe admiſſis inquirerent. Id etſi non ſolum militem, ſed et duees ipſos, in quotum caput haec fieri credebantur, ultra modum exacerbaret, tamen Albanus et Avila, dolore prudenter diſſimulato, rem militi irritato exagitandam reliquerunt. Itaque paſſim per exercitum exaudiri voces; novam judicii formam conſtitui; nam ant exercitus contra ducem partes futuras, aut hoſtium contra exercitum: atqui neque exereitum contra ducem de ſe bene meritum, et quem merito parentis loco colat, audiendum; et hoſteis victos contra exercitum ad accuſaudum admitti quis ferat? qui ſi admittuntur, eum judicii exitum fururum, ut ipſi fidi habeantur, exercitus victor perduellionis crimine notetur. Quod vero Albani crimen eſſe? aut enim imperatoris id eſſe, aut ducis: at enim imperatoris nullum crimen eſſe; quippe cum omnia ex ducum conſilio decreta ſint: ſi ducis

id

INTERPR. [a] *Comarca tra Duero & Minno.* [b] *Camello.* [c] *de Aguiar.* [d] *de Villafanna.* [e] *Tedaldi Oydor de l'audiencia de Galicia.*

id arguatur, jam novas a juris conſultis leges praeſcribi, et jus militare cum jure civili confundendum eſſe: verum non hoc agi: nam Albanum innocentia ſua ac meritis ſatis tutum eſſe; militem peti, et occaſionem quaeri, qua praemio pro re bene geſta debito fraudetur: has eſſe aulicorum artes, qui, dum in principis comitatu per aeſtatem nivem vino admiſcent, periculum aliorum ex tuto vident, neque ſatis aequo judicio militum ad ictus, vigilias, aeſtum expoſitorum labores aeſtimant: atqui apud ſe illos expendere debuiſſe, quanti militi ex Italia in Hiſpaniam advenienti fames, immodici in [a] Beturia calores, peſtis in Luſitania, et ſupra omnia Albani adeo ipſis ob virtutem exoſi ſevera diſciplina et ad omne leviſſimum delictum parata furca, conſtiterit; quibus effectum ſit, ut regnum Luſitaniae intra LVIII dierum ſpatium, quaſi regnum coelorum jejunio et vita buccellato et aqua ſine maleficio tolerata, vicerint. Quae in invidiam Petri [b] Gironi Oſſunae ducis, et Chriſtophori Morae jactabantur, Albani gloriae obtrectantium, qui extra pericula poſiti debita virtuti bello rem gerentium et ſanguinis pretio regna Philippo quaerentium praemia invidebant, et per calumnias ſibi addicebant. Nam tunc fama percrebuerat, revocato Joanne Mendoza, Oſſunae ducem regno Neapolitano proregem deſignatum eſſe, et Moram in camerae nobilium numerum a rege cooptatum; qui ampliſſimi honores ſunt; ceteras dignitates inter literatos et baccalaureos, ſic vulgo conſiliarios regios vitam pacatam ſectanteis vocabant, ſpretis militaribus viris, dividi. Has incitati animi et ſeditioni proximas voces nec omnino a vero abludenteis expoſtulationes Villafagna et Tedaldius prudentia ſua compreſſerunt; uterque ea moderatione uſus, ut nec Philippum conſilii temere ſuſcepti, et militem querimoniae quantumvis juſtae poenituerit.

XVII. ITA Luſitania tota ad obſequium redacta, cum copiae ex Belgio et Italia ante rem confectam evocatae ſerius adveniſſent, occaſionem ceperunt pontificii miniſtri, ut cum Philippo agerent de bello in Britanniam transferendo; quod Angli exules maxime urgebant. In id pontifex theſauros eccleſiae, [c] Cruciatam, quam vocant, ſuaque et aliena pollicebatur; et in primis decies centies millia aureorum remiſſurum ſpondebat, quae ex archiepiſcopatu [d] Toletano, pendente Bartholomaei [e] Carançae ob crimen ſectarium poſtulati lite, quaeſita ſibi deberi contendebat. Verum prudentiſſimus princeps, qui de ſuo nil largiri pontificem videret, et in Luſitania nuper parta non ſatis adhuc bene confirmatus, hoc eſt, in ſuo occupatus, in alieno temere bellum ſuſcipere haud conſultum exiſtimaret, ſe excuſavit, et Italos, quorum ad praeſens opera minime indigebat, perſoluta ſtipendiorum parte, dimiſit. Inchoatum fuerat ſuperiore anno bellum in Hibernia, ſed infelici ſucceſſu a pontifice captum ante conſilium perſequente. Siquidem eodem, quo infeliciter in Africa pugnatum fuit, anno, cum copiae Italorum ad bellum contra Eliſabetham Anglorum reginam a pontifice conductae, ductore Thoma [f] Strucleio marchione Anglo, [g] Oliſſiponam appuliſſent, Sebaſtianus ſeu vi ſeu precibus tantiſper eas diſtinuit, dum expeditionem ſuſceptam confeciſſet, ſicut ſupra demonſtravimus. Poſtea deſiderato in ea ſtrage marchione, Italis tamen fere periculo elapſis, res omnis ad Sebaſtianum [h] Sanjoſephum exercitus curatorem redierat, qui rei militaris ignarus et tanto oneri impar tamen ambitioſe ei expeditioni praefici affectavit; idque a pontifice facile, qui copias illas diſſipatas putaret, impetravit; qui et cum oratore Philippico egit, ut ſupplemento aliquo Hiſpanorum juvaretur. Sed in apparatu totus annus ſequens inſumptus eſt, innata Hiſpanorum tarditate, et Philippo jam tum bello Luſitano intento. Tandem, acceptis VII ex Cantabrica legione cohortibus, non prius menſe Septembri hoc anno ſolvit; et pontificiis auſpiciis, cujus inſignia in vexillo praeferebat, in [i] Hiberniam appulit ad oſtium

INTERPR. [a] *Eſtremadura.* [b] *Giron.* [c] *la Croiſade.* [d] *de Tolede.* [e] *de Carança.* [f] *Stukeley.* [g] *Liſbonne.* [h] *Sanjoſephe.* [i] *Irlande.*

CIƆIƆLXXX.
HENRICUS III.

oſtium [a] [α] Shanoni in [b] Kirria, maximi tota inſula fluvii, qui occaſum verſus tendens in oceanum [β] infra [c] Limiricum portum exoneratur. Spes ſacta fuerat a [d] [γ] Fitzmotiſio novo [e] Lageniae marchione, et a Jacobo [f] Giraldino [δ] inſulae regulo, qui ſtragi Africanae ſuperfuerat, expeditionis hujus auctoribus, ſimul ac copiae auxiliares in Hibernia comparuiſſent, protinus populareis in occidentali parte, ubi fere majorum ſacris addicti ſunt, quippe a Britannia remotiores, arma ſumpturos; idque [g] Deſmoniae comes confirmabat. [ε] Sed, marchione miſerabili caſu occiſo, et Gul. [h] Drurio prorege eodem fere tempore morbi vi extincto, [i] Pelhamus, ſummae rerum ab inſulae conſiliariis praepoſitus, rem militarem cum [k] Ormondiae comite adminiſtrabat. Is cum Deſmonium denuo officii admoneret, et ut fratres deſereret aut ad officium cogeret hortaretur, illi communi reſponſo aperte declarant, Catholicae ſe fidei patrocinium ſuſcepiſſe, idque pontificis Romanae auctoritate et Catholici regis auſpiciis; ipſumque proinde Pelhamum viciſſim monent, ut in cauſa tam pia, et quae cunctis aliis praevertere debeat, ipſis ſe ſocium adjungeret: id ſuaviter irridens Pelhamus in [l] Momoniam ſine mora deſcendit; nobileſque convocatos apud ſe detinet, nec dimittit, niſi obſidibus datis, ſecum et cum Ormondio fidam contra rebelleis operam navaturos. Secundum haec [m] Lixnawus regulus ad deditionem compulſus. Dein ad [n] Carigo-Foilum promota caſtra, quod Julius Iralus cum paucis Hiſpanis defendebat; qui loci tam debilis quod moenia pulſari paſſus eſſet, macerie vi majorum tormentorum dejecta, et loco impetu capto, cum praeſidiariis qui e caede ſuperfuerant in furcam actus eſt. Inde metu injecto, [o] Balliloghum ad primum Anglorum adventum a deſenſoribus deſertum et incenſum: [p] Askettenio a Deſmonianis relicto Petrus [q] Carewus et Georgius ejus frater cum novo Anglorum praeſidio impoſiti. Eodem ſucceſſu [r] Mac-Auleii territorium vaſtatur; et inde per uliginoſum montem, cui [ſ] Sleulughero nomen, Pelhamus in Kirriam ingreditur, magnoque pecorum abacto numero, pleroſque ex rebellibus perimit. Diverſa parte Jacobus Deſmonii comitis frater per [t] Muskeroiam territorium, quod Deſmoniis ex lege ademptum [u] Cormaco Mac-Tigo, ut bene de patria contra rebelleis merito, attribuerat Pelhamus, praedas agit; dumque licentioſus evagatur, in [w] Donellum Cormaci fratrem incidit ad praedam recuperandam venientem, a quo et lethaliter ſauciatus poſtremo capitur, et [x] Warhamo a Sancto Leodegario Momoniae tribuno et Waltero [y] Raleigho traditur. Illi vero captivum in jus vocant, et laeſae majeſtatis peractum reum ſupplicio afficiunt, capite ad [z] Corcagii portam ad ſpectaculum expoſito. Tot adverſis caſibus conflictatus comes frater, loca ſubinde mutans ne caperetur, tandem uxorem ad Pelhamum veniae implorandae mittit; et cum [aa] Wintero, qui cum claſſe in proximo Hiſpanos venturos prohibiturus ſtabat, egit, ut ſe in Angliam ad reginam ſupplicem tranſportaret. Sub id Arturus [bb] Greius prorex ab Eliſabetha delectus venit: quod ubi reſcivit Pelhamus, tradito Georgio [cc] Burcherio exercitu, modicis itineribus ad ſalutandum eum [dd] Dublinium proficiſcitur. Ibi ex communi conſilio prorex, ut in inſulae ingreſſu famae inſtaret, priuſquam gladium et imperii inſignia caperet, cognito quoſdam ductu

Fitz-Euſtatii

VAR. LECT. [α] Siunae maximi *D. f.*
[β] juxta Limbricum *D. f.*
[γ] Fitzmoriſio novo Lageniae *deſunt* *D. f.*
[δ] Scoto, qui ſtragi *D. f.*
[ε] *Hic locus ita ſe habet in* *D. f.* Sed, fama rei ſparſa, jam Arturus Graius ab Eliſabetha miſſus fuerat, inſulae gubernator, initio cum tantum CIƆ bellatoribus, numero nequaquam ad expugnandam munitionem ſatis valido: verum mox novae a regina cum milite, commeatu ac bellico apparatu ſummiſſae; quibus confirmatus ille locum corona cingit v Non. Novembris; ductoque vallo tormenta locis idoneis diſponit, quorum diſploſione Sanjoſephus territus ſtatim de deditione cogitare coepit: *ceteris Hiberniam ſpectantibus per duas fere paginas ſequentes deductis, uſque ad* Initio Hercules Piſanus, *omiſſis.*

INTERPR. [a] *le Shannon.* [b] *Kerry.* [c] *Limerick.* [d] *Fitz-morris.* [e] *Leinſter.* [f] *Fitzgerald.* [g] *Deſmond.* [h] *Drury.* [i] *Pelham.* [k] *Ormond.* [l] *Munſter.* [m] *le baron de Lixnaw.* [n] *Carigo-Foyle.* [o] *Ballilough.* [p] *Asketten.* [q] *Carew.* [r] *Mac-Auley.* [ſ] *Slewlougher.* [t] *Muskerry.* [u] *Cormac Mac Tegh.* [w] *Donell.* [x] *Warham S[t] Leger, mareſchal de Munſter.* [y] *Raleigh.* [z] *Cork.* [aa] *Winter.* [bb] *Artus, baron Grey de Wilton, lord lieutenant.* [cc] *Bourchier.* [dd] *Dublin.*

[a] Fitz-Euſtatii et Pheogi-Mac-Hughi numeroſae [b] Obrinorum familiae principis ad CIƆIƆLXXX. praedam excurrere, et perfugium ad [c] Glandilogham xxv a Dublinio milliari auſtrum HENRICUS III. verſus habere, eo cum obviis ad ſe venientibus tendit. Praedones, cognito ejus adventu, palantes ad latebras ſuas confugerant. Ea vallis eſt graminoſa et ſaginandis pecoribus maxime idonea, magnamque partem intus ſubuvida, ſaxoſa de cetero crepidine ac declivi praecipitio, arboribuſque et arbuſtis denſis undique circumſita, vix incolis ad eam tramitibus perviis aut cognitis. Cum ad locum ventum eſt, [d] Coſbeius Hibernorum peditum, quos Kernes vocant, expeditorum ductor, quam periculoſi rem ſucceſſus aggrediatur ſocios monet, nec ſecius audendum ratus, ipſe cum ſuis irruit, ceteris ſubſequi juſſis. Cum jam in vallem penetraſſet, ex arbuſtis horrenda glandium tempeſtate undique circumfunditur, hoſte non viſo: pars maxima cecidit, pars per crepidines impeditiſſimis viis eluctati ad proregem evaſerunt, qui in colle oppoſito eventum opperiebatur cum [e] Kildariae comite et Jacobo [f] Wingfeldio tormentorum praefecto; qui non ignarus periculi Georgium Carewum alterum nepotem penes ſe retinuerat invitum, ad majores poſtea honores reſervatum: nam Petrus junior frater, Georgius [g] Morus, [h] Audleius et Cosbeius ipſe in illis anguſtiis deſiderati ſunt. Sub id de Sanjoſephi in inſulam adventu ad proregem allatum; qua re non mediocrem ſeu negligentiae ſeu diſſimulationis invidiam ſuſtinuit Winterus, qui ad prohibendam Hiſpanorum exſcenſionem cum claſſe deſtinatus aequinoctio praeterito temporius in Angliam tranſmiſerat. [i] Ormondius actutum eo miſſus, qui munitionem recens coeptam diſturbavit, et Sanjoſephianos ad [k] [α] Glaningelliam vallem deflectenteis nactus ex iis aliquos cecidit, alios cepit; ex quorum confeſſionibus cognitum ſeptingentos in inſulam deſcendiſſe, arma vero, quae v CIƆ ſufficerent, ſecum attuliſſe; plures ex Hiſpania propediem venturos; pontificem et Philippum conſtituiſſe Anglos ex Hibernia deturbare; in id grandem pecuniam miſiſſe, a Sandero pontificis legato in Deſmoniae comitis et Joannis ejus fratris manus traditam. Illi, quo tenderent ignari, tandem per tenebras ad munitionem ſuperiore anno a Fitz-moriſio coeptam repedarunt. Ea ſitu firma et propugnaculis convenienter diſtincta feſtinatis operibus jam ad eam altitudinem perducta erat, ut contra magnas vireis defendi poſſet. Acceptus a praeſidiariis Sanjoſephus locum tuendum ſuſcepit. Ormondius fugienteis inſecutus caſtra circum ponit; ſed, a rebus ad oppugnationem neceſſariis imparatus, proregis adventum exſpectare ſtatuit. Ille v Non. Nov. cum [l] [β] Zouchaeo, Raleigho, Denio, Mac-wortho, Achino, aliis militum ductoribus in caſtra venit; miſſoque intra munimentum tubicine, percunctatur, quid illis in Hibernia rei, quinam eos miſerint, cur locum in Eliſabethae regno munirent; ſimulque imperat, ut inde quam primum abſcedant. Ad id ab obſeſſis reſponſum; alios a ſanctiſſimo patre, alios a Catholico rege miſſos, cui Hiberniam pontifex donaverit, Eliſabetha quippe ob haereſim publice damnata, et omni, quod in Hibernia habebat, jure privata: itaque certum ſibi eſſe, quod tenent juſte, armis tueri, et ſi poſſint plura quaerere. Dum in eo ſunt, Winterus ex Anglia revertitur cum pulvere, machinis et novo militum ſupplemento: ex cujus conſilio prorex vallum extemplo ducit: tum per claſſiarios colubrinae nocte concubia, aggere per litus perfoſſo, eductae, et locis idoneis diſpoſitae: milites itidem ex alia parte muralia tormenta librant, eruptione ſemel atque iterum ab Hiſpanis cum damno ſuo facta, neque ex Anglis ullo deſiderato praeter Joannem [m] Cheeum forma et virtute praeſtantem juvenem, Joannis

VAR. LECT. [α] Glamingelliam *D.* f. d. [β] Zochaeo, Rauleio, Denecio *D.* f. d. Ed. Gen. 1620.

INTERPR. [a] *Fitz-Euſtace & Pheog-Mac-Hugh.* [b] *des O-Brins.* [c] *Glandilough.* [d] *Cosbey.* [e] *Kildare.* [f] *Wingfeld.* [g] *Moore.* [h] *Audley.* [i] *le comte d'Ormond.* [k] *Glaningelly.* [l] *Zouch, Ralegh, Deny, Mackworth, & Achin.* [m] *Cheeke.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

annis eruditiſſimi equitis filium. Quatuor diebus continuis pulſatum tormentis munimentum: quorum diſploſione Sanjoſephus territus, cum promiſſa a [a] Deſmonio auxilia nuſquam comparere cerneret, ſtatim de deditione cogitare coepit. Initio [b] Hercules Piſanus aliique ductores reclamabant; remque ignominioſam ſibi ac rei Chriſtianae porro detrimentoſam dicebant, ſi ad primam pulſationem attoniti locum munitum et omni re inſtructum dederent: nam ſocios in armis eſſe, ac brevi, ſi deliberationem ſuſtineant, comparituros: et vero rem ſe indignam facturos, ſi, qui aliis et inſulanis praecipue animos facturi venerint, ad primum hoſtium conſpectum animis deficiant: igitur duraret, et ſe ad defenſionem ſtrenue pararet. Contra Sanjoſephus, ne potius ignavia quam conſilio peccaſſe videretur, cum rationes idoneas non haberet quibus optima juxta et honeſta ducum monita refutaret, per ſuos clam milites, quorum ſibi ſalutem propria chariorem eſſe dicebat, ſolicitat; et temeritate ducum eo rem adductam eſſe demonſtrat, ut, niſi contra ipſorum obſtinatam pervicaciam vim opponant, de univerſis actum ſit: non ſe a pontifice miſſum, tantiſque copiis praefectum, ut ſe ſociosque in manifeſtam perniciem praecipitet: non parum ea expeditione profectum, ſi, locis exploratis et tentata popularium voluntate, ſe ſecundis rebus reſervent, et opportuniorem rei gerendae occaſionem opperiantur. Quibus dictis miles, ſub duce ſtrenuo alioqui fortior, animis ſtatim concidit, et de ſalute ſua ſolicitus duces circumſtat, vique ſeditioſe intentata eos ad aſſenſum compulit. Itaque ex propugnaculo vexillum erigitur; quo conſpecto [c] Greius cum colloquium peti intelligeret, cautione data, unus ex ducibus emititur, qui, interrogatus, cujus imperio et auſpiciis militarent, pontificis nomen praetexuit, et ſacroſanctam auctoritatem communis omnium parentis, cui a Deo uni commiſſum ſit, ut homines pia inſtructione in viam reducat, vel, ſi eam non admittant, vi et armis ad obſequium ſubigat. Tum Greius, reſponſo indignationem accendente, multa in pontificem injurioſe tanquam dirum reipublicae Chriſtianae tyrannum invectus, qui aliena interdictis ſibi a Deo armis invadat, poſtremo hominem, conditionibus ab eo propoſitis ſuperbe rejectis, intra munitionem ſuam remittit; et ſine conditione, extrema cuncta, ni parerent, interminatus, locum dedi poſtulavit. Quod cum obſeſſos rebus adhuc integris ad defenſionem animare debuiſſet, tamen ſemel pudendo capto conſilio cuncti adeo animis infracti ſunt, ut Sanjoſepho liberum fuerit de deditione cum Greio tranſigere. Is ergo, plus de ſalute quam de decore ſolicitus, vitam ſibi ac ducibus pactus, miſeros milites, quos deditionis auctores habere voluerat, arbitrio victoris permiſit. Greius ex omnium dedititiorum numero XX exemit, qui captivi retenti ſunt: ceteri ad unum, ut Itali ſcribunt, obvio furore trucidati, exceptis XVII, qui ad majorem terrorem et exemplum in furcam acti ſunt. Ingens in munitione apparatus et copioſus in complures dies commeatus a Greio repertus; et quatriduo poſt aliquot naves in alto apparuerunt, Scotorum, ut creditum eſt, exulum, auxilio obſeſſis venientium: quod eo magis probroſam Sanjoſephi idemque cum ipſo ſentientium ignaviam reddidit. [α] Tanta in dedititios, quanquam id belli jure liceat, ſeveritate atque adeo immanitate proregem uſum intellexit aegre Eliſabetha, [d] Suſſexio aemulo nullam exagitandi eum occaſionem praetermittente, et diritate hominis factum dictitante, ut non ſolum externi principes pernicioſa contra Anglos odia ob id concipiant, ſed etiam reginae ſubditi ab ejus obſequio alienentur. Nam paulo poſt, cognito [e] O-Conoros in [f] Ophalia res novas moliri, eo profectus Hugonem [g] O-Moloium pervicaciter ſeditioſum et latrociniis infamem ex lege morte afficit, tota regione [h] Magohiganorum et O-Caroli, terrore inde ſparſo, ſeu placata ſive pacata, et adulta jam conjuratione paucorum ſupplicio compreſſa. Siquidem ex claris in [i] Lagenia familiis nonnulli, ac plerique Anglicae originis, partim

VAR. LECT. [α] *Cetera ad uſque hujus libri finem deſunt D. f.*

INTERPR. [a] *le comte de Deſmond.* [b] *Ercole da Piſa.* [c] *le baron Grey de Wilton.* [d] *Thomas Ratcliff, comte de Suſſex.* [e] *O-Conors.* [f] *Ophalie.* [g] *O-Moloy.* [h] *Magohigans & O-Carol.* [i] *Leimſter.*

partim antiquae religionis, cujus interdictam libertatem impatientiſſime ferebant, ſtudio, partim Anglorum odio, qui eos tanquam mere Hibernicos praefecturis ac magiſtratibus contra legis latae ſententiam excludebant, de prorege cum familia trucidando, arce Dublinienſi, in qua totus belli apparatus aſſervabatur, intercipienda, et Anglis ad internecionem delendis, clam conſilium iniiſſe arguebantur; ex iiſque nominatiſſimus fuit Jo. [a] Nogentus Fiſci baro, aemulorum falſis criminationibus, ut Hiberoi perhibent, circumventus. Mitius cum [b] Turlogho Leinigho actum, qui tumultum in [c] Ultonia excitaſſe dicebatur. Nam is in gratiam receptus: et ejus exemplo [d] O-Brini, O-Mori et Caveoaghi in Lagenia rebellantes obſidibus datis pacem ſupplices petierunt.

XVIII. De Scotia et laboratnm fuit, ubi factio Anglicana non mediocriter infracta, invaleſcente apud regem puerum novi [e] Leviniae ducis gratia; cui cum Jacobus [f] Stuartus ex [g] Ochiltraea familia ſatellitii praefectus ſe opponeret, rex, qui et huic bene vellet, compoſitis diſſidiis, amicitiam inter eos ſarcivit. Itaque adverſae factionis proceres, qui ab utroque ſibi metuebant, apud Eliſabetham inſtant, partes ſuas interponeret, et pupillum principem cognatione ſibi proximum io tempore periculi admoneret, in quod propenſiore in Levinium benevolentia ſe, religionem ac regnum praecipitatum ibat: illum a Guiſianis ſummiſſum, ut religionem labefactet, reginae matris libertatem procuret, et concordiam inter utrumque regnum diſſociet: illum veniſſe, ut Scotos Anglis amicos opprimat, excurſiones in limite foveat, et regem ad ouptias in Gallia vel alibi clam Eliſabetha contrahendas inducat; quibus ille fretus negotium Angliae aliquando faceſſat, et accedente aetate regni Angliae titulos, ut olim mater, ſibi aſſumat: quod ſi accidat, majus ab eo quam a matre periculum imminere; quippe qui ad certam utriuſque regni ſpem natus plures ſibi conciliaturus ſit fautores, et Scotos armis domeſticis et Belgicis innutriros ad militaria munia jam habeat exercitatiores: nunciari [h] Balfurium ab eo accerſitum, ut [i] Mortonio periculum creet; nam Balfurium ſyngrapham neſcio quam habere, qua Mortonium regicidii coovinci poſſe ſperatur: nec alio conſilio [k] Britannoduni praefecturam illum obtinuiſſe, quam ad copias externas in Britanniam accipiendas, aut regem e Scotia in Galliam tranſmittendum: regi illum quotidie per aſſcotationes inſuſurrare, ut regnum, quo contra jus ac peſſimo exemplo a ſubditis parens ejus fuit ſpoliata, matri cedat, fide accepta, ut illud a matre momento legitima abdicatione recipiat; ſic enim futurum, ut citra controverſiam regno potitus, extioctis factionibus, rex legitimus ab omnibus agnoſcatur: itaque conſultum videri, ut Levinii gratia et auctoritas apud eum infringatur, ipſe vero ſine ulla mora toto regno exturbetur. His rationibus perſuaſa Eliſabetha, Robertum [l] Bovium Bervicenſis praeſidii quaeſtorem protinus in Scotiam mittit, cum ampliſſimis mandatis, nt Levinium apud regem accuſaret. Dato ſcoatu, cum Levinium, in quem dicturus erat, excludi peteret, minime auditus eſt; quippe novum et inauditum videri, ut regis conſiliarius indicta cauſa a coocilio excludatur. Jactatum inſuper in illa aula, has eſſe malevolorum artes, oeque diſerte hoc ab Eliſabetha legato ſuo praeceptum, qui, documenta ea de re exhibere juſſus, ea niſi regi aut uni et alteri exhibere recuſavit. Cum non audiretur, oec opinanti regi vale dixit, multum conqueſtus, quod ſalutaria reginae bene meritae monita eſſent rejecta. Perculſi qui circa regem erant tam praecipitato legati diſceſſu, Alexandrum [m] Humium hominem reginae minime ingratum in Angliam ſtatim legant, qui factum excuſaret, et ſalutaria illa monita ac mala impendentia ediſceret. Verum is minime admiſſus, et ad [n] Cecilium remiſſus,

qui

INTERPR. [a] *Nugent, baron de l'echiquier.* [b] *Turlogh Leinigh.* [c] *Ulſter.* [d] *O-Brins, O-Moors, & Cavenaghs.* [e] *le duc de Lenox.* [f] *Stuart.* [g] *Ochiltree.* [h] *Balfour.* [i] *le comte de Morton.* [k] *Dunbritton.* [l] *Bowes, treſorier de la garniſon de Berwick.* [m] *Hume.* [n] *Cecil, baron de Burghley.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

qui eum humane increpuit; et non admiſſum quidem dixit, non quod ipſe teginae ſuſpectus eſſet aut inviſus; nam oemioem ad eam mitti potuiſſe, cujus magis perſpecta fides erga principem et religionem foret; ſed quia ſe ab rege male conſulto deſpectui habitam ſentiat, legati fide in dubium vocata; qui cum ſe intra ptaeſeriptos legationis limites continuerit, mirari, quomodo legationis ſuae documenta juſſus ſit exhibere: ceterum culpam ſe in novos ac pravos cooſiliarios rejicere, regemque ob aetatem ab ea facile abſolvere; atque optare, ut ille ſanis ac ſalutaribus reginae, quae vere materno in eum ſit animo, in poſtetum monitis auſcultet; neque illam cognato poſthabere Gallorum ſubdito et Gallicanae ſactionis, atque adeo Gallicae mulieris connubio implicato, et, quantavis diſſimulatione utatur, religiooe pontificia, et qui ptocul dubio, Hamiltoniis amotis, in ſpem venerit, ut ſecundus a rege deſigoetur: meminiſſe debere regem, non aliam ambitione flagrantiorem in animis hominum cupiditatem ardete, et recentem adhuc eſſe memoriam turbarum quas Galli io Scotia excitarunt, majores utique futuras, ni tegina prudentia ac potentia ſua pracvertiſſet: quae ab ioſeſto oomini Gallico homine addita, ut et Levinium ſuſpectum redderet, et Mortonii ad injurias expoſiti jaeentem apud regios conſiliarios fortunam etigeret: qui tameo mox ab Jacobo [a] Stuarto Araniae comite, hos enim ille titulos, vero Araniae comiti mentis parum compoti curator datus, ſibi ſumebat, majeſtatis poſtulatus eſt, et in carcerem ut cauſam in vinculis diceret conjectus.

XIX. INEUNTE hoc anno Henricus [b] Arundeliae comes matura ſcoectute obiit; in eoque oobiliſſimae [c] Fitz-Alanorum familiae nomen defecit, quae, ab [d] Albaniis antiquis Arundeliae et Suſſexiae comitibus orta, per CCC circiter annos ab Edvardi I temporibus in Anglia floruerat. Is, honorum ſatur, omnibus regibus ſub quibus vixit a ſanctioribus conſiliis fuit, ſub Henrico VIII [e] Caleti praefectus, exercitus tribunus in [f] Bononienſi expeditione, et camerarius, in Edvardi VI inauguratione Angliae mareſchalli et conneſtabilis munere defunctus, nec oon et io ioauguratione Mariae, ſub qua et concilii praeſes fuit et regiae ſeneſeallus: etiam ad aetatem vergens Eliſabethae nuptias ambivit; et poſtea, neſeio qua animi facilitate lapſus, in Mariae cum [g] Norfoleio clam agitatas nuptias cum aliis conſenſit, et, quantum in ipſo fuit, ſe [h] Andini matrimonio oppoſuit, innato in Gallos odio, cum palam diceret, ſe a patre in Suſſexia Galliae vicina nato edoctum, ne Gallis credetet. Liberos tres ſuſcepit, quos ordine naturae turbato extulit; Henricum optimae indolis juvenem, qui Bruxellis deceſſit; Joannam, [i] Lumleo regulo elocatam; et Mariam, quae Thomae Howardo Norfolciae duci peperit Philippum Arundeliae comitem, de quo deinceps erit dicendi locus. Magnus et eo anno terrae motus ſeu ttemor in Anglia fuit; quod tamen raro in inſula accidit: principium VIII Eid. April. hora poſt meridiem ſexta citra [k] Eboracum coelo admodum ſereno factum; quod trans mare in [l] Belgium, [m] Coloniam uſque proſerpſit, tanto tremore, ut lapides plerumque ex aedificiis diſſilireot, tintinnabula in turribus templorum agitata ſonitum darent, mare ipſum antea placidiſſimum repentina vehementia ſuccuteretur: ac nocte inſequenti, et Kal. Maii nocte intempeſta, in [n] Cantio terra tremuit. Subterraneas illas ventorum colluctatiooes occultos animorum motus portendiſſe, Angli, qui in ejuſmodi rebus lubentiſſime hariolantur, interpretabantur. Jam enim majore numero et ardote ſacerdotes, qui Romae a Gregotio XIII, inſtituto ſeminario [o] Duaci in Belgio, [p] Dutocortori Remotum apud nos alebantur, in Britanniam confluere videbant; qui oon contenti religioſis operibus ad pacandas conſcientias in occulto deſungi, quaſi pracparatis ad defectiooes animis, de regni ſucceſſiooe et debita magiſtratibus obedientia palam diſputabant,

INTERPR. [a] *Stuart, comte d'Arran.* [b] *Arundel.* [c] *Fitz-Alan.* [d] *d'Albeney.* [e] *Calais.* [f] *de Boulogne.* [g] *le duc de Norfolk.* [h] *le duc d'Anjou.* [i] *le lord Lumley.* [k] *York.* [l] *Pays-bas.* [m] *Cologne.* [n] *Kent.* [o] *Douay.* [p] *Reims.*

diſputabant, ut ſeminaria illa non ad inſtituendos ad pietatem homines ſed horrendum Pii v contra Eliſabetham decretum, quo illa regno privabatur, executioni demandandum atque adeo ejus caedem et ciendas tota Anglia ſeditiones ab initio excogitata viderentur. Fidem his aſtruxit, quod [a] Nelſonus ſacerdos et [b] [a] Sherwoodus ob ſeditioſas voces comprehenſi coram judicibus reginam ut ſchiſmaticam et haereticam obſirmato animo perſtrinxerant, qui capite luerunt. Itaque, re a populari jactatione ad reginae concilium deducta, edictum menſe Junio conditum, quo jubebantur omnes, qui liberos, pupillos, cognatos aut alios in tranſmarinis partibus habeant, poſt decem a promulgatione dies ordinario exhibere, et intra quatuor menſeis domum revocare, idque, ubi reverſi fuerint, ordinario itidem ſignificare; non revertentibus pecuniam neque ipſi neque per alios ſuppeditent: additum, ne quis ſacerdotes ex ſeminariis illis emiſſos et Jeſuitas hoſpitio excipiat aut opibus ſuis ſuſtentet; qui contra fecerit, perduellium loco habeatur. Haec in praeſens utcunque ad tranquillitatem publicam conſtituta. Renovatae et leges ſumptuariae adverſus luxum in dies invaleſcentem. Et, Londinium, multitudine in urbe undique confluente, cum ultra modum aedificiis excreſceret, ceteris Angliae urbibus paulatim ad ſolitudinem vergentibus, metu ex eo etiam injecto, ne peſtis in ea frequens contagione per confertas adeo aedeis violentius ac periculoſius ſerperet, promulgato edicto vetitum, ne qua ad habitandum aedificia intra III milliaria ab urbis portis de novo exſtruerentur, neque plures quam ſingulae familiae ſingulas domos incolerent, poena carceris et materiae ad aedificandum paratae amiſſionis adjecta.

VAR. LECT. [a] Shirwodus *D.d.* Ed. Gen. 1620.
INTERPR. [a] *Nelſon.* [b] *Sherwood.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEPTUAGESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

FR. DRAKI felix, toto orbe circumnavigato, poſt triennium in patriam reditus. II. *In Belgio de Andino in principem aſciſcendo deliberatur; eaque de re Arauſionenſis ſcriptum ad Ordines.* III. *Secundum haec de obedientia Philippo renuncianda actum.* IV. *In Friſia et Sicambris res turbant. Curtracum aſtu a regiis interceptum. Diverſa parte Niniva cum Ecmondano comite a Fr. Lanovio capta.* V. *Mechlinia ab Anglis capta et direpta.* VI. *Lanovius, ad Engelmonſterum poſitis caſtris, dum ad Inſulam intercipiendam excurrit, in reditu, Risborgio incumbente, pugnat acriter ac tandem capitur. Dieſta, Sichemum et Araſchotum in Ordinum poteſtatem veniunt.* VII. *Bruxellae et Gandavum fruſtra a regiis tentantur.* VIII. *Nivella recepta. Ad Buchainum infelix conatus, capto Sellio.* IX. *Sellii in carceris taedio morientis de Hiſpanis querimonia. Buchainum tandem vi aperta oppugnatum, et a Villerſio deditum.* X. *Andinus tandem in principem, annitente Arauſionenſi, ab Ordinibus deligitur. Cuſi in eam rem nummi.* XI. *Matthias de diſceſſu cogitans ſcriptum publicat, quo Auſtriacae familiae in conſiliis capiendis rationem haberi petit.* XII. *Gul. Hornius Heſaeus, dum partes regias relictis Ordinibus ſequitur, ex ſuſpicione captus eſt, ac Queſnoiae ſecuri percutitur.* XIII. *Rennebergius Friſiae praeſes a Cornelia ſorore ad defectionem ſolicitatur. Arauſionenſis, ut occaſionem deficiendi Rennebergio eriperet, arces per Friſiam demolitur.* XIV. *Tandem Groeninga Rennebergii defectione in regiorum manus venit, mox a Jo. Cornupto ſed irrito conatu obſeſſa. Rheno ab Ordinibus clauſo, Hohenloi per Friſiam et Rennebergii contrariae expeditiones.* XV. *Ad Herdenbergam adverſum ab Hohenloo proelium contra Mart. Schenkium commiſſum.* XVI. *Stenvica, quam Proteſtantes tenebant, obſeſſa, tandem crebris eruptionibus fugati hoſtes diſcedunt.* XVII. *Hattuma capta, et e veſtigio recepta.* XVIII. *In Luſitania Antonins a Philippo denuo proſcriptus: item Arauſionenſis; qui edita apologia, in qua pleriſque nimius viſus eſt, innocentiam ſuam tuetur.* XIX. *Anabaptiſtarum Sectae cunabula et dogmata. Jo. Willelmi inter eos regis vita ac dignus vita exitus.* XX. *Gerardi Grosbekii Leodicenſis epiſcopi, Jo. Moroni cardinalis, Hieronymi Wolfii, Emmanuelis Tremellii, Hier. Suritae, Alvari Gomecii, Hier. Oſorii deceſſus.* XXI. *Ferdinandus Ferdinandi Caeſaris filius poſt Philippinae Velſerae obitum Annam Catharinam Gulielmi Mantuae ducis et Helionorae ſororis filiam in uxorem ducit.*

EX AUCTORIBUS,

Fr. Draki navigatione, Imm. Meterano, Jo. Parvo, Actis publicatis.

LIBER SEPTUAGESIMUS PRIMUS.

PROSPERUM in Hibernia Anglorum ſucceſſum cumu- CIƆIƆLXXX.
lavit Franciſci [a]Draki equitis Angli felix ac glorioſus poſt Henricus III.
triennium, circumnavigato toto terrarum orbe, in [b]Britanniam reditus. Is anno CIƆIƆLXXVII, ſive rei faciendae ſive nominis propagandi cauſa, [c]Plimoutha cum claſſe v navium, quae CLXIV bellatores portabant, ſolvit Eid. Decembribus; et XVII dierum navigatione ad [d]Cantinum promontorium in Africa pervenit; et ad inſulam [e]Mogadoram vulgo dictam tutam ſtationem habuit; ubi et ex materia ex Anglia comportata navem aedificavit. Inde exeunte Decembri ſolvens [f]promontorium Album ſuperavit XVI Kal. Febr. et quinto poſt die obviam factam navem Luſitanam, Caravellam vulgo vocant, quae ſalem ex [g]Viridi inſula vehebat, capit. Ad eandem inſulam poſtea appulit V Kal. Febr. ubi maturas et dulciſſimas uvas reperit: quod noſtro coelo admirabile, ob poſitum loci naturae aſſignari debet; quippe cum inſula haud procul a Cancri tropico et linea aequinoctiali diſſita aeſtu ſolis perpetuo incaleſcat. Naſcitur et in ea [h]arbor, ramis prorſus et foliis carens, ſed in cacumine manipulos quoſdam magnitudine inſtar capitis humani ferens, cujus extremum putamen multis fibris et ſerraturis diſtinctum eſt: eo perforato, nucleus eruitur ſolidus, dulcis et albus, amygdalis non abſimilis; quo indigenae non citra voluptatem veſcuntur. Pridie Kal. Febr. Dracus ad [i]Sanjacobinam inſulam deflectit; in qua et navem Luſitanam capit: eademque nocte inſulam [k]Ardentem vulgo appellatam, ejuſdem cum Aeoliis et Liparaeis in mari Siculo naturae, accedit; de cetero fertilem et a Luſitanis frequentatam. Huic adjacet inſula [l]Brava, fontium ſcaturiginibus irrigua, et fluviis magno ſe alveo in oceanum prorumpentibus, tanta profunditate, ut anchorae in aeſtuario naveis fundare non poſſint. Inde longo tempore mari jactatus, et nunc placidam nunc adverſam tempeſtatem nactus, in [m]Braſiliam deflexit, ſub gradu XXXIII polum antarcticum verſus ſitam; et in ejus conſpectum Nonis Aprilibus venit, ubi adverſis procellis aliquandiu periculoſe conflictatus ad [n]Laetitiae promontorium claſſem huc illuc disjectam collegit. Litus inſulis frequens, et attagenibus, cervis et lupis marinis abundans, magnas commoditates navigantibus praebuit. XII Kal. Quintil. S. Juliani portum ingreſſis et patibulum quoddam procul conſpicientibus, Magellani memoria mentem ſubiit, quod eo loci olim Magellanus de quibuſdam rebellibus ſupplicium ſumpſiſſe diceretur. Severitatis illius in talibus expeditionibus, ſi rem ſalvam duces cupiunt, contra imperia ducum detrectanteis neceſſariae memor Drakus exemplum ejus edere voluit in Thomam [o]Doughteium nobilem Anglum; quem, facta diligenti inquiſitione, ex ducum, qui aderant, conſenſu ad mortem damnavit, gratia facta, priuſquam ſupplicio afficeretur, ſacrae ſynaxi more inter eos recepto participandi. Poſtea XIII Kal. Sept. fretum Magellanicum ſubit, ſpecie curvum et ſinuoſum, ideoque ventis in dies mutantibus infeſtum, ita ut velorum nullus in eo uſus eſſet. Terra ex utraque parte aſpicientibus tantae altitudinis eſt, ut nubium treis ordines ſe invicem contingenteis referre videatur. Ex altera parte tantum inſulas eſſe quidam ex navigantibus crediderunt, ex quibus unam Eliſabethae nomine Drakus inſignivit, ſcopulis praealtis vallatas, ut alpium ningidarum noſtrarum ſpeciem e longinquo praebeant: et ita in tabulis tunc depictis locorum poſitus deſcriptus

INTERPR. [a] *Drake.* [b] *Angleterre.* [c] *Plimouth.* [d] *Cap de Cantin en Barbarie.* [e] *Mogador.* [f] *Cap Blanc.* [g] *l'Iſle de Mayo, une des Iſles du Cap Verd.* [h] *coco.* [i] *Santiago.* [k] *Iſla del Fuego.* [l] *Iſla Brava.* [m] *Breſil.* [n] *Cap de Joie.* [o] *Doughtey.*

deſcriptus erat, ut nulla terra Auſtralis ex adverſo appareret. Tantum viſi crebri ignes in inſulis circumpoſitis, quae, cum continentis ſpeciem referrent, occaſionem terrae igneae indigitandae dederunt. Circa hoc litus diu jactati Angli, et inde in Auſtrum rejecti, tandem illinc diſcedentes verſus Septentrionem curſum direxerunt: atque v Non. Oct. treis inſulas obvias habuerunt; quarum in una notaverunt, ſolem ad minimum VIII gradibus a tropico Capricorni abeſſe, et noctem ultra duas horas non durare. Inde cum Drakus Aquilonem verſus tenderet, ſperans hoc ſeſe curſu Peruvianum regnum feliciter aditurum, toto coelo deerrare ſe ſenſit; deprehenditque recenteis tabulas geographicas ea in parte aut mutilatas aut non fideliter deſcriptas eſſe, erroremque ad minimum XII gradus excedere, et diſcriminis maximi credulis hominibus cauſam praebere. Perſequenti iter ſuum poſtea [a] Mucha inſula occurrit III Kal. Decembris; unde [b] Chilem verſus navigavit, et navem Hiſpanam in anchoris ſtantem cepit, haud longe a [c] Jacobi-fano: locoque ipſo direpto, dum ulterius tendit, navem captam ſcrutatus auri infecti ad XXXVIICIↃ aureorum pretium reperit. Dein [d] Taurapaſam tranſmiſit; atque inde Limam appulit Eid. Febr. anni CIↃIↃLXXIX; ubi in portu XII naveis ſtanteis diripuit: cognitoque haud hinc longe navem Pyrobolum nomine in Paitac portum ſe recepiſſe, eo quam citiſſime contendit, et Panamam uſque eam fugientem inſecutus eſt, capta in itinere nave Hiſpana, in qua XXCI auri librae erant et aureum Chriſti cruci affixi ſignum pretioſis unionibus ac ſmaragdis ornatum. Tandem ad S. Franciſci promontorium, quod CL leucis a Panama diſtat, Pyrobolum aſſecutus eſt. In ea pretioſiſſimas gemmas et uniones imprimis, XIII argenti facti arcas, optimi auri libras XXC cepit. Fuitque non infacetum mediaſtini Hiſpani dicterium, qui ad Drakum converſus, Non jam, inquit, noſtra navis [e] Pyrobolos, ſed [f] Argyrobolos, quaſi argentum ſpuens, vocabitur: veſtra autem Pyrobolos ut vocaretur, capta noſtra, meruit. Tum occaſum verſus navigans Drakus navem linteaminibus, bombycinis et patinis Chinenſibus onuſtam offendit; ex quibus, quantum ipſi placuit, abſtulit. Dein [g] [α] Aguatulcum petit: et exſcenſione facta judicem jus in foro dicentem nactus eum cum aliis in naveis abduxit; indigenaſque pago exire ſubegit, donec aquam ſumpſiſſet. Aquatione facta, [h] Cocledem inſulam verſus navigans navem ad Philippicas inſulas tendentem cepit. Quibus peractis, cum apud ſe reputaret, per Magellanicum fretum, irritatis expeditione ſua Hiſpanis, haud ſibi tutum domum redire, ad Molucas navigare, et poſtea, ſuperato Bonae Spei promontorio, via a Luſitanis trita in patriam curſum dirigere ſtatuit. Heic cum maximam ventorum tranquillitatem experiretur, ſeptentrionem verſus curſum intendit: leucaſque IↃC permenſus in longitudinem a XVI Kal. Maias ad III Non. Junii navigavit, ut idoneum ventum nanciſceretur: biduoque poſt, cum ſub XLII gradu latitudinis arcticum polum verſus navigaret, tantum frigus ſenſit, ut, mari relicto, terram petere cogeretur; tandemque ulterius progreſſus ſub XXVIII gradum loco amoeniſſimo anchoras jecit, ab indigenis obvio favore exceptus. Rex ipſe pompa magna ad eum venit, pellibus cuniculorum tectus; quem ſceptriger, et poſt eum magna turba nudorum ſtipatorum, facie variis coloribus fucata, ſequebatur cum numeroſo mulierum comitatu, quae ex carminato junco, quaſi ex carminata apud nos cannabe, textis veſtibus pendulis amictae erant, ſupra humeros pelle cervina cruda rejecta. Harum aliae, ad conſpectum Anglorum os diſtorquentes, genas lacerantes, et comis paſſis ſe affligentes, incantationibus, quod, graſſante inter eos humani generis hoſte, ſolemne eſt, operam dabant: aliae ad pulſum tympanorum inſulſis geſticulationibus ſaltabant. Drakus ad radices montium tabernaculum exſtruxerat, et ſuos quaſi in aciem ordinaverat. Ad eum ſalutandum

eum

VAR. LECT. [α] Cratulcam *D. f. d.* Ed. Gen.

INTERPR. [a] *la Mocha.* [b] *Chili.* [c] *S. Jago.* [d] *Taurapaca.* [e] *Caca-fuego.* [f] *Caca-plata.* [g] *Guatulco.* [h] *l'isle de Cockles, ou de Canne.*

cum rex ea pompa acceſſiſſet, Drakus regem quaſi in ſolio circa ſe ſedere juſſit: colloquioque habito, et peracta ſaltatione, conferti barbari ad Anglum properant, cumque corona impoſita regem ſalutant: eam inſulam [a] Albionem ob candenteis ſcopulos, et quia olim Britannia ita ob eandem cauſam appellabatur, Drakus vocavit: in appulſuſque ad illam ſui memoriam monumentum quoddam argenteum exſtructum; cui reginae nomen, diem adventus et ſpontaneam illam indigenarum obedientiam ac regni delationem inſcripſit. Eo in loco vix glebam terrae attingas, quae non aliquid auri aut argenti admiſtum habeat. Inde ſolvens III Eid. Oct. ad inſulam quandam, quae VIII gradus a linea aequinoctiali Boream verſus ſita eſt, navigavit; ex qua ad claſſem ex terra adverſa multi indigenae lembis monoxylis venerunt, longe diverſo a noſtris cultu. Nam, praeterquam quod nudi erant, aurium inferiora in rotundum circumvolvunt, et carnes illas cum quibuſdam rebus pendulis circa genas nutriunt; ungueis digitorum longitudine pollicis porrectos alunt, in eoque decorem adſectant, ut et in dentium, quos apud nos candificare praecipua cura eſt, nigredine: eos pice nigriores efficiunt, pigmento ex herbis idoneis confecto ad id adhibito. Inde [b] Taguldam, Zelonam, Zevaram, Luſitanae juriſdictionis inſulas, XV Kal. Nov. praetervectus longa navigatione ad Molucas pervenit, admonitus a vicario regis Ternatenſis obvio facto, ut [c] Ternatem ante omnia peteret. Is late iis locis imperitat, et LXXI inſulas ſibi parenteis habet. Ad claſſem magno paratu et comptu acceſſit ſenioribus comitatus; et ſymphoniacis, quos Drakus ſecum adduxerat, admodum delectatus eſt. Ibi acceptis ad vitam neceſſariis, verſus Auſtrum a latere inſulae [d] Celebes claſſis ad aliam inſulam pervenit maximis et craſſiſſimis arboribus conſpicuam, quae nullos in ſummo cacumine ramos habebant. Vermibus lucidis hinc inde noctu volitantibus eae ſcatent, qui, licet muſcas vix magnitudine excedant, tam radioſum lumen ſpargunt, ut totidem candelas ardere putes. Veſpertilionum heic praeterea haud gallinis minorum copia: cancri item tantae craſſitudinis, ut ſinguli vel voraciſſimi cujuſque famem expleant. Cum Drakus ad Molucas tenderet, tempeſtate immani in brevia abreptus extremum periculum adiit; et navis praetoria ipſa V Eid. Jan. hujus anni ad ſcopulum illiſit; vixque, ingenti mercium numero ad levandam navem et VIII tormentis in mare projectis, vento paulatim adjuvante, in altum ſe ſubduxit. Demum VI Eid. Febr. oſtium [e] Baratevae inſulae penetravit, quae auro, argento, cupro, ſulphure, nucibus odoratis, zingibere, pipere longo abundat; ex quibus quantum potuit in naveis impoſuit Drakus, humanitatem ſummam indigenarum expertus. Hi metallorum a ſe invicem diſcutiendorum et operum fabrilium valde periti ſunt. Hinc progreſſus Javam majorem appulit; cui multae inſulae circumpoſitae ſunt, quibus quinque reges ſumma concordia inter ſe amicitiam colentes imperitant. Enſibus, ſcutis ac pugionibus miro artificio elaboratis heic homines armati incedunt. Lue venerea valde infeſtantur, quam ea ratione curant: a decima hora diei uſque ad ſecundam pomeridianam ardentiſſimo ſoli ſe aegri exponunt, et ita peccantem ac malignum habitum deſiccando exhauriunt. A Java majore ad promontorium Bonae Spei claſſis proſpero curſu pervenit: quod non ſolum citra periculum ſed etiam incommoditatem praetervecta eſt, contra quam a Luſitanis, rem aut ad admirationem aut ad deterrendos a navigatione alios in majus exaggerantibus, proditur. Nam nuſquam tota illa navigatione aequos magis ventos expertus eſt Drakus. Aquaque ibi ad [f] Anguillarum caput ſumpta, ſolvit XIV Kal. Jul. et XI Kal. Sextil. ad inſulam promontorio Africae, Hannonis navigatione, ut Luſitani volunt, olim cognito, et nunc monti [g] Leonino dicto, oppoſitam appulit. Inde poſtremo continuata navigatione in Angliam poſt integrum triennium incolumis rediit III Non. Novembris, magna gratulatione et laetitia ab

Eliſabetha

INTERPR. [a] *la nouvelle Albion.* [b] *Tagulada, Zelon, & Zewarra.* [c] *Ternate.* [d] *Celebes.* [e] *Barateve.* [f] *Cabo de las Agullas.* [g] *Sierra Leona.*

CIƆIƆLXXX.
HENRICUS III.

Eliſabetha regina exceptus; quae et illum ob expeditionis tam feliciter ſuſceptae gloriam laudatum equeſtri honore decoravit, et praetoriam ejus navem in armamentario ſuo ad perpetuam rei memoriam inſigni ceremonia conſecravit. [a] Inter tot gratulationes et cumulatos honores malo habuit Drakum, quod primarii aliquot in aula viri oblatum ab eo aurum et munera reſpuerunt, quaſi piratico ſcelere, ſic enim aiebant, partum; cum alii dignum laude et admiratione ejus conatum celebrarent, non minus glorioſum exiſtimantes Anglicani nominis decus, quam imperii fineis ampliaſſe. Bernardinus ſane Mendoza Philippi tunc in Anglia orator, homo non plus militari, quam bellis Belgicis quaeſierat, laude, quam in ciendis apud principes, ad quos divertebat, turbis ſolertia praepollens, facto ultra modum excanduit, et res a Drako praedone raptas vehementi cum expoſtulatione repetiit, jam tum molitionibus occultis, quas coquebat, ſive occaſionem ſive excuſationem quaerens. Summa querimoniae erat; quod Angli per Indicum oceanum, quod ſolis Hiſpanis liceat, impune navigarent. Cui reſponſum; Hiſpanos perfidia ſua et in Anglos immanitate, quos contra jus gentium commercio prohibebant, haec ſibi mala acceſſiſſe: Drakum ſemper praeſto futurum, ut in jure, ſi quid contra jus egiſſe certis indiciis ac teſtimoniis convincatur, reſpondeat; eoque conſilio opes illas ſepoſitas, ut Hiſpanis, ſi opus fuerit, ſatisfiat; licet regina grandiorem multo pecuniam, quam Drakus intulerit, in bellum inteſtinum per Hiſpanos in Anglia et Hibernia contra fidem publicam excitatum profuderit: quod autem in Indias navigare Anglos conqueratur, non intelligere reginam, cur aut ſui aut aliorum principum ſubditi in Indias navigare prohibeantur; quas Hiſpanici juris eſſe ex pontificis donatione perſuadere ſibi non poſſit. Nam quis eum judicem inter partes, non vocatis ceteris principibus aut conſentientibus, conſtituere potuit? nullam certe ſe illius in hujuſmodi cauſis praerogativam agnoſcere, nedum auctoritatem, ut principes obliget, qui nullum ei obſequium nec deferunt nec debent: nam quo jure Hiſpanos eas quaſi beneficiarias a pontifice accepiſſe? an quod primi ad eas appulerint, caſulas poſuerint, flumen aut promontorium de ducis aut duci nomine appellaverint? atqui hanc rei alienae donationem, quae nullum jus tribuit, atque adeo imaginariam proprietatem, obſtare non debere, quo minus alii principes commercia in illis remotis regionibus exerceant, et colonias, ubi Hiſpani non habitant, jure gentium nequaquam violato, deducant, et, cum ut aëris ſic maris uſus ſit omnibus communis, per vaſtum illum oceanum libere evagentur; quippe in his rebus tantum intelligi praeſcriptum eſſe, quantum ſit poſſeſſum. Haec ita inter eos agitata. Regina tamen, quae pacem cum Hiſpanis quam bellum mallet, diſſimulante, aliquanto poſt major pecuniae a Drako allatae pars Petro [a] Seburae Hiſpano, qui, licet nulla ab inſtitoribus mandata haberet, procuratorio nomine reſtitutionem perſequebatur, numerata fuit; quam dominis minime reſtitutam, ſed in Mariae captivae et rebellium per Belgium exulantium uſum converſam fuiſſe, ſero fuit deprehenſum.

II. DELIBERABATUR interea in Belgio de Franciſco Andium duce in principem deligendo. Nam res Ordinum per diſſenſiones profligatae omnino videbantur, partim Gandenſium temeritate, partim procerum et [b] Gallobelgicarum provinciarum incogitantia. Quibus unitis, ſpes certa de pace a principe ſuo aequis conditionibus impetranda affulgebat; ſeparatis, neceſſitas alterutri parti non jam externi principis alicujus opem, ut antea, implorandi ſed dominationem accipiendi imponebatur. Cum igitur adhuc [c] Gandavi eſſet Arauſionenſis Septembri proxime elapſo, ſuper pacificatione, pecuniarum collatione, contractu cum Andino et publica provinciarum adminiſtratione conſultus ſcripto reſponderat; invidiamque ob pacis non acceptas conditiones

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur 36 lineae uſque ad* Deliberabatur interea *deſunt D. f.*
INTERPR. [a] *Sebura.* [b] *Wallones.* [c] *Gand.*

conditiones his praecipue rationibus a ſe amoliebatur: quod iis receptae inter Proreſtanteis confeſſionis nſus interdiceretur, et libertatibus Belgii multum praejudicaretur: nam alioqui neminem ſe pacis cupidiorem unquam fuiſſe aut eſſe debuiſſe, ut qui per bella tot incommoda, jacturas, clades et publice et privatim acceperit: nam ſua bona omnia ab hoſtibus occupari, nulla eorum compenſatione accepra; toties chariſſimos his bellis fratres, quorum deſiderium in dies magis creſcat, interfectos; dilectiſſimum denique filium, cujus videndi ardore non mediocriter, ut par eſt, inflammetur, et morae interim impatientia torqueatur, contra jus faſque captivum tot annos in Hiſpania detineri; quem, niſi pace facta, recipere deſperet: ſed contra haec omnia praevaluiſſe hactenus religionis et patriae libertatem; quibus ſi idonee caveatur, cui dubium relinqui, quin, et quietis, ad quam jam vergente aetate propendeat, amore, et belli, a quo tot damna paſſus ſit, deteſtatione, pacis aequas conditiones libentiſſime ſit admiſſurus? quod ad pecuniarum collationem, totum negotium ad delegatos Ultrajecti congregatos remittere: de Andino ſic ſtatuere; ſi quidem pax ſecura a Philippo impetrari aut ſperari nequear, neminem omnium principum eſſe, quem, ſi externi alicujus patrocinium implorandum ſit, ſive potentia et opes, non e longinquo petendae, ſive ingenium viri et ſtatus temporum ſpectetur, ei anteferendum exiſtimet: nam et optime ipſi cum ſereniſſima Angliae regina convenire, et Eliſabetham per ſuos oratores ac literas hunc principem crebro commendare: quod ad provinciarum gubernationem pertinet, ante omnia occurrendum exitiali malo, quod ab inobedientia proficiſcatur; nam eo factum, ut, dum pecuniae a provinciis aut in alios uſus, quam in quem deſtinatae ſunt, erogantur, aut denique fraudulenter retinentur, tot ac tam florentes exercitus, nulla re geſta, diſſipati fuerint, potiuſque damno quam defenſioni Belgio fuerint: neque vero ſe ignorare ejus rei culpam ab invidis aut rerum imperitis ſumma ingratitudine ſibi calumnioſe imputari; quod tamen hactenus pro charitate, qua univerſos complectitur, quamvis acerrimo tantae injuriae ſenſu, diſſimulaverit: nunc, cum ſibi ſummi per Belgium vicarii munus deferatur, quid ſibi evenerit memorem, non mediocriter animo angi, potiuſque optare, ut quivis alius tantae dignitati idoneus deligatur, ad quem promovendum ipſe omnem operam ſit adhibiturus; quod ſi in eo perſeverent, ut ſibi oneris ſuſcipiendi neceſſitatem imponant, nolle ſe quidem neque religionis neque patriae libertatis communi cauſae deeſſe: ceterum ſui officii ducere, illos quarundam rerum commonefacere; et in primis, quod quaedam urbes omnino praeſidia nolint admittere: inde magnas importatas cladeis; id [a] Mechliniae, Aloſti et Athae recentibus exemplis conſtare: alias rurſus eſſe, quae praeſidia quidem admittant, ſed exiguo adeo numero, ut eruptiones adverſus hoſtem ad portas uſque diſcurrentem et late omnia vaſtantem facere non audeant; ſed muros intra concluſi deliteſcant, et armorum deſuetudine torpeſcant: idem minora oppida et municipia, praepoſterae licentiae exemplo graſſante, facere: quo fiat, ut miſeri per agros coloni ad praedas pateant, nullumque a tot copiis, quae tamen maximis impendiis conſtant, levamentum ſentiant: itaque conſultum videri, ut in limite locis idoneis valida praeſidia conſtituantur, quibus hoſtium depraedationes atque excurſiones prohibeantur, et pacatae reliquae regiones ac ſecurae a tergo relinquantur; militi in tempore ſtipendium repraeſentetur, ut ejus ſolutione in officio et diſciplina contineatur: proinde petere, ut ad res in limite ordinandas ſibi plena poteſtas fiat; introducere et educere praeſidia per urbes quocunque tempore arbitrio ſuo liceat: conſultum item videri ad vitandas in expediendis negotiis damnoſas procraſtinationes, ut ex Ordinum decreto concilium inſtituatur cum plena poteſtate de omnibus in dies exorientibus negotiis vocum ſuffragiis decernendi;

INTERPR. [a] *Malines, Aloſt, & Ath.*

decernendi; niſi ſi quae ſibi provinciae ſervent, de quibus ad ipſas referti oporteat. Petit poſtremo, quando rei pecuniariae penuria factum ſit, ur tot copiae auxiliares et aliae ſine ullo operae pretio diſſipatae ſint, collationes ſevere exigantur; et, quandocunque communi conſenſu decretae fuerint, in eos, qui partem ſuam non conferent, legibus agatur; reſque abſque ulla dilatione executioni demandetur. Haec capita cum Arauſionenſis proximis comitiis ad conventum, qui Antuerpiae habebatur, miſiſſet, nihil tamen pro tempore definitum fuit. Itaque, cum, rebus confuſis et diſſipata auctoritate, eam quiſque ad ſe traheret, et ita exercitus ſine ducibus, concilia ſine impetio eſſent, v Eid. Jan. rurſum coram Ordinum delegatis capur de concilio inſtituendo urget; demonſtratque, niſi firmata auctoritate mature rebus proſpiciatur, fore, nt ad incommoda, quae jam ob eum defectum Ordines paſſi ſunt, alia longe periculoſiora accedant: nam [a] Tornacenſem agrum et occidentalem Flandriam ae [b] Trajectum ad Moſam nuper amiſſa, alias longe graviores incommoditates ſecururas: cui malo ut obviam eatur, opus eſſe inſigni exercitu, praeter praeſidiarios, qui non niſi periculoſe educi poſſint: cum autem XII CIƆ peditum, IV CIƆ equirum, II CIƆ foſſorum et cunicAlariorum conſtantem ex Germanis praecipue conſcribi oportere; quanquam et aliae nationes admiſceri poſſint; et militem ſacramento adigendum, praeſcripta formula, ne aliud regi praeſtitum jusjurandum cauſari queat.

III. QUATRIDUO poſt de re longe graviore conſultatio fuit; de obedientia Philippo, qui ob injurias ab Hiſpanis Belgio antea illatas, et quas porro inferre in dies conatur, jure ſuo exciderit, renuncianda, et novo principe in ejus locum deligendo. Eo autem res addnctas his fere rationibus demonſtrabant qui conſultationis auctores fuerant: quod, ſciſſo factionibus Belgio, et male convenientibus procerum et plebis ſtudiis, bellum, quod tantum ad defenſionem ob eas difficultates geti poterat, non niſi diuturnum et proinde dubii eventus habendum eſſet; tractuque temporis exhauſto aerario ac defectu ſtipendii tandem ad pacis rationes devenire oporteret: quod ſi contingat, rurſus jugum Hiſpanorum ſubeundum, et provincias periculo, quod vitatum cupiebant, exponi: nam conditiones Colonienſi pacificatione propoſitas hanc admiſtam habere neceſſitatem: itaque, ad excutiendum infeſti adeo hoſtis jugum cum bellum confici potius quam componi expediat, id vero pet ſe ac propriis viribus Ordines non poſſint, ad externas opes confugiendum eſſe, et principis alicujus potentis et erga Ordines bene affecti auxilium et patrocinium implorandum, rebus adhuc ſtantibus et integris, antequam mora longiore deliberationi interpoſira opprimantur: alioqui fore, ſi diutius cunctentur, ut ne iniquis quidem conditionibus cum externo principe paciſci poſſint: ex omnibus vero, qui auxiliatores accerſi poſſunt, [c] Andinum regis Franciae fratrem primum occurrere; cui et ad bellum adverſus Hiſpanos gerendum potentia, Gallorum favor ob ſucceſſionis ſpem, regi liberis nondum natis, et voluntas abunde ſuppetit; et a quo libertatum, quantum ad religionem attinet, privilegiorum item, jurium et immunitatum confirmationem ae ſecuritatem certius ſperare poſſint: quae omnia ab Hiſpanis quo minus conſequi valeant, multa obſtare; arctam cum praeſidibus pleriſque provinciarum Valentini [d] Pardaei Motae et aliorum aſtu foederationem initam; qua fiat, ut illi, ſpe divitiarum, qua jam corrupti fuerunt, et gratiae ab Hiſpanis ineundae, patriae jura ae libertatem prodituri, et contra Proteſtanteis etiam ſint ſaevituri: quam eandem potentiam, quam rex jam in Belgio habet, lôngo annorum ſpatio vix collecturus ſit Andinus, ut eadem conſilia ſubjugandi Belgii animo agitaturum eum minime vero ſimile fiat: Philippum opibus longe praepollere, Luſitano regno, quod jam tenet, ſubnixum; qui facile ipſos, ſi defenſore praeputenti deſtituantur, ſub jugum ſit miſſurus: illius vero infeſtum animum nemini occultum eſſe poſt tot caedeis ae proſcriptiones et exempla cruoris ab Hiſpanis ad

ulrionem

INTERPR. [a] *le Tourneſis.* [b] *Maeſtricht.* [c] *le duc d'Anjou.* [d] *de Pardieu, ſieur de la Motte.*

ultionem ſparſi ex Granatenſibus ac [a] Mauris Baeticis, Indiis occidentalibus, Italia ipſa ob oculos paſſim verſari: adhuc calere ſanguinem tot procerum et aliorum, quos gladius, laqueus et exquiſita tormentorum atrocitas abſumpſit. Haec, innocentibus adhuc Belgis, pattata: quid poſt juſtae defenſionis neceſſitate irritatos Hiſpanorum animos nnnc expectandum? prudeutiſſime a ſapientiſſimo principe dictum eſſe, regis iram mortis nuncium eſſe; raroque ac fere uunquam accidere, ut praepotentes reges illatam a ſubditis injuriam relinquant inultam: diſſimulare eos aliquando, uunqnam injuriae ſenſum deponere: id exemplo Chriſtierni Daniae regis probari poſſe, qui ob tyrannidem regno pulſus et certis conditionibus reſtitutus regnum aliquanto tempore manſuete adminiſtravit; poſtea, occaſioue captata, proceres ad convivium vocatos inter ſacra menſae oppreſſos carnificis manu obtruncari, trimos etiam quadrimoſque infanteis crudeliſſime enecari juſſerit: olim in Belgio Maximilianum Caroli v avum, inſigni injuria a Brugenſibus affectum, cum ſupplicibus principum ſeptemvirorum interventu tranſegiſſe, ipſoſque in gratiam accepiſſe, inſtrumento ea de re confecto et jurejurando ſolemui firmato; poſtea tam inſigni vindicta animum nihilominus expleviſſe, ut rei narratio nunc etiam horrorem audientibus incutiat: uec aliud in cauſa fuiſſe, cur nuper Carolus rex Franciae tam atroci ultione in Colinium et ceteros Proteſtantium duces totque innocentium capita ſaevierit, neque duorum annorum pace, arcium et oppidorum teſtitutione, non ipſis ſororis cum rege Navarrae nuptiis placari potuerit, quo minus conceptum ex fuga [b] Meldenſi dolorem vel cum Gallici nominis infamia princeps alioqui generoſus exſatiaret: idem vero magis facturos Hiſpanos, natura per ſe ad ultionem prouos, quod ita fore ſperent, ut uon adeo gravibus et inſanis ſumptibus ad Belgium ſervandum opus habeant, deſtructis paſſim oppidorum munitionibus, ſicuti a Carolo v in [c] Gandavi ſeditioue anno hujus ſaeculi XXXIX factum fuit: ut fidem contra interponat Philippus, et inſtrumentis ac ſigillis promiſſa ſignet, cui dubium eſſe, quin pontifex cum ſacramento ſolvat? nam ſcitum eſſe iu aula Romana, haereticis, quales Proteſtantes cuncti habentur, minime fidem ſervari debere; idque ſcriptis ſuis paſſim urget is, qui Cornelii Callidii Chryſopolitani uomine [d] Santalgondani orationi uuper in [e] Wormacienſibus comitiis habitae reſpondit; idem clamitate Joannem [f] Lenſaeum, nec non et [g] Cunerum Leovardienſem epiſcopum: nec Philippo, licet promiſſam fidem ſervare in animum induxerit, liberum per pontificem [α] et inquiſitorii officii miniſtros id fore; quinimo illos conſcientiae ſcrupulum religioſo principi injecturos, eumque ad bellum contra Sectarios gerendum tandem vel iuvitum compulſuros: eodem quippe aſtu illos uſos, ut regem Chriſtianiſſimum nuper contra datam fidem ad ſacinus Lutetiae et exemplo graſſante tota Gallia patratum impellerent; cujus ipſum poſtea poenituit: nam ingenium provinciae uon eſſe tale, ut in Gallos tam diri ſaciuoris cogitatio cadat: id conſilii in Italia praemeditatum et in Hiſpania recoctum ad regem offenſione irritatum aliunde tranſmiſſum fuiſſe: igitur in Philippo nullam ſincerae reconciliationis et gratiae ſpem ſupereſſe: nam, ſi natura talis eſt, ut tot caedium, exactionum, proſcriptionum in Belgio auctor fuerit, procul dubio fieri, eum ſemper ad ingenium rediturum, et naturam vel furca expulſam uſque recurſuram: quod ſi alieno inſtigatu neque ſponte ad ea impulſus fuit, cui dubium relinqui, quin eorundem, quorum ſe aſtu tranſverſum agi ſiverit, porro conſilio ſit uſurus, et pontificis inquiſitorumque hortatu eadem, qua prius, immanitate contra Belgas ſaeviturus? quam vero formidabilis ipſius potentia ſit, documento eſſe Joannis Auſtrii in Belgium adventum, qui ſi tectius aliquantiſper diſſimulaſſet, neque literae, quibus de couſiliis ejus occultis conſtitit, interceptae fuiſſent,

VAR. LECT. [α] et ſacri officii *D. f.*

INTERPR. [a] *Maures de l'Andalouſie.* [b] *de Meaux.* [c] *Gand.* [d] *le ſieur de Ste Aldegonde.* [e] *Diete de Wormes.* [f] *Lenſaeus.* [g] *Cunerus, eveque de Leeuwaerde.*

ſuiſſent, prudentiores ita judicant, cum tot civitatum jam potentem toto Belgio potiri potuiſſe; et, cum [a] Mechliniam peteret, ſi ad [b] Antuerpiam deflexiſſet, urbem cum arce in poteſtatem redacturum fuiſſe: contra, in Andino multa eſſe quae ipſi in principe eligendo optare debeant; nihil fere quod provincialibus formidinem incutere poſſit: nam cum externum nullas privatas cum indigenis inimicitias habere: itaque admiſſum univerſos obvio favore complexurum, extinctis factionibus, quae Belgium hodie lacerant: nullas illum arces aut munitiones habere; potiuſque enixurum ut animos bene merendo ſibi devinciat, quam ut urbes, quae ſe illi ultro ſubjiciant, vi occupet: bello quaeſitis provinciis, ad eas retinendas arcibus opus eſſe: at Andinum ultro accerſitum nihil ab indigenis, tantum ab hoſtibus, quod metuat, habiturum: ceterum ejus opes ad tuendum Belgium valde opportunas ob viciniam; et, rege fratre non omnino iniquo, procul dubio eſſe, Gallicam nobilitatem decoris cupidam et otii natura impatientem ipſius caſtra ambitioſe ſecuturam: quod ad religionem attinet, quod praecipuum eſt, conſtare, cum a Proteſtantibus minime alienum eſſe, aut ſaltem eorum cauſae non ita infeſtum; quippe cum multos amicos in Gallia et extra regnum huic religioni addictos habeat; et aegre lanienam Pariſienſem ſpectaverit; ut ſpes ſit, eum, utramque religionem ſub fratre rege domi ferre aſſuetum, de ea Proteſtantibus idonee cauturum eſſe: id ſpondere indolem regiam; nam eum manſuetum ac clementem praedicari, et a belli conſiliis, quae contra Proteſtanteis in Gallia agitata ſunt, quamvis iis ad tempus participaverit, alienum, ut non tam bellum geſſiſſe quam occaſionem belli cauſas praecidendi inde arripuiſſe appareat; et, ut Proteſtantibus non ita aequus ſit, tamen eum, vel neceſſitate adactum, et metu factionis Hiſpanae, ſemper Proteſtantibus patrocinaturum: igitur optime conſultum videri, ut is in principem recipiatur: ſic enim Galliam Hiſpanis clauſam fore; ex qua conſtat commeatum, arma ac alias belli commoditates eos hactenus habuiſſe, et in [c] Trajecti obſidione offenſuros fuiſſe, niſi e Gallia ad oppugnationem neceſſaria fuiſſent ſubminiſtrata: praeterea [d] Hannonios et Atrebates ad concordiam, aſſumpto Andino, redituros; quos nec illum ceteris praelaturum eſſe, ſi primi eum elegerint, metuere debeant, nec confidere multum amicum, ſi exſpectent, dum is ab illis a reliquo corpore ſeparatis provinciis, deſperata aliquando ab Hiſpanis ſalute, in principem recipiatur: quod vero quidam objiciunt, Andinum fortaſſe pacificationi Gandenſi non ſubſcripturum, neque aliter Belgas placatam Anglorum reginam habituros, niſi caput de foedere Burgundicae domus cum Angliae regno ſervetur, iis reſponderi poſſe, nihil cauſae videri, cur Andinus pacificationem repudiet, quippe quae contra Hiſpanos inita ſit: nam et Burgundiae duces ex eadem Franciae gente prognatos ſumma fide commercia cum Anglis ſervaſſe; et apparere, reginam Angliae ab Andino minime alienam eſſe, quippe jam tractatu de nuptiis cum ipſo, rege fratre conſentiente, habito; qui ut exitum non habeat, tamen proceres Angliae ob religionis cauſam ſemper Andinum contra Hiſpanum optaturos, ſicque judicaturos, Gallum contra Hiſpanos occupatum nihil aut in ſuam aut in religionis perniciem moliturum; eoque magis, quod jam decretum ſit, quemcunque Belgae in principem elegerint, ut conditionibus ei proponendis regina Angliae comprehendatur: quod vero de clandeſtino Philippi cum Andino foedere a ſuſpicioſis jactatur, quaſi is ope aut potius proditione Gallorum amiſſam Belgii dominationem recuperare conſtituerit, abſurdum eſſe, neque ulla vero ſimili ratione niti: nam dicta factaque Andini contrarium arguere; neque quidquam cauſae ſubeſſe, cur Philippus Belgium a Gallo gravioribus conditionibus, quam nunc ei offeratur, recipere velit. His rationibus contendebat Arauſionenſis e re communi videri, quando externi principis patrocinium neceſſario implorandum eſſet, Andinus in principem admitteretur; petebatque, ut quamprimum ſuper ea re ab

Ordinibus

INTERPR. [a] *Malines.* [b] *Anvers.* [c] *Maeſtricht.* [d] *ceux de Hainaut & d'Artois.*

Ordinibus mature deliberaretur. Dum Ordines conſultant, Alexander Farneſius CIƆIƆLXXX.
prorex ope provinciarum regi conciliatarum [a] Mortaniam in Hannonia obſidet, HENRICUS III.
quae III Anglorum et Scotorum cohortibus tenebatur. Ea vi expugnata, [b] Amandi ſanum petit, quod, [c] Morgano tribuno deditionem faciente, mox receptum eſt. Ipſe Morganus cum aliis militum praefectis captivus retinetur. Inde exercitus [d] Tornacum verſus tendit, nulla re memorabili geſta: tantum ager circa [e] Inſulas vaſtatus, ſuburbiis et molarrinis paſſim incenſis: [f] Hoſcota praeterea et alii populoſi vici exuſti: reliqui paria veriti ſe grandi pretio ab incendio redemere. Quo facto, circa Trajectum ad Moſam et Limburgum Hiſpanorum copiae recenſentur, et, ut fidem ſuam Farneſius Hannoniis et Atrebatibus approbaret, e Belgio dimittuntur. [g] Cameracum munitiſſimam civitatem in regni confinio tenebat Carolus [h] Gaurus Incius: qui, cum nullis rationibus a [i] Montinio et Mota perſuaderi potuiſſet ut Ordinum partes deſereret, et tamen longe ab auxiliis poſitus, ne tota belli moles in ſe incumberet, merito vereretur, cum Andino paciſcitur, et auxiliareis Gallorum equitum ac peditum copias ſummiſſas intra urbem accipit; quae crebris excurſionibus per Atrebates factis late ſui terrorem ſparſerunt, et incendium vicinis interminatae grandem pecuniam ab iis extorſerunt. Eodem tempore Bruxellenſes [k] Nivellam aſtu intercipiunt, et [l] Glimeſium praefectum vinctum in urbem abducunt.

IV. [m] SICAMBRI et ope vicinorum tentaverant arcem [n] Bleienbekam, quam Martinus Schenkius ſtrenuus bellator tenebat, et ex qua crebro erumpendo Moſae et Rheni navigationem popularibus infeſtam reddebat: ſed, ſupervenientibus a Farneſio ſummiſſis auxiliaribus, obſidionem ſolverunt. In Friſia ac locis circumpoſitis cum res ob diſſidia inteſtina turbarent, Arauſionenſis de exitu veritus ad eas componendas eo iter intendit: Bredamque profectus Matthiam officii cauſa eo uſque ipſum proſecutum perhonorifice excepit. Matthia inde per [o] Bergas [p] Antuerpiam revertente, ipſe [q] Dordracum et Campenam petit, ut diſſidia ubique componeret. Nam [r] Drentenſes ac vicini ruſtici arma ceperant, ut ſe ab injuriis militum et Caſimirianorum equitum in primis tuerentur; ſumptaque ex numero et robore fiducia imperatas pecuniae collationes recuſabant, et ad pacificationem Colonienſem inclinare videbantur. Georgius Lalanius Rennebergii comes provinciae praeſes [s] Lingenſibus et Oldenſelenſibus, ni pacem religionis admitterent, dira minabatur. [t] Bertelus Entenſſenius trans Rhenum [u] Bergenſeis et Monaſterienſeis ruſticos hoſtilibus excurſionibus vexabat. Philippus Hohenlous comes Drentenſeis et [w] Tranſiſelanos, cum nullas conditiones acciperent, vi armiſque domuit. Nec ceſſabant in Flandria et Atrebatibus nuper regi reconciliati, qui Politici et Male-contenti vulgo vocabantur; qui conjunctis cum prorege viribus [x] Curtracum fruſtra prius tentatum randem aſtu ceperunt. Praeerat loco [y] Pottelbergius; qui, cum III Scotorum cohortes penes ſe haberet, nec plures admittere vellent oppidani, ſecretis ad Ordines datis literis majores copias ſummitti petierat; eaſque per campum, in quo candificantur lintea juxta arcem accipere decreverat. Eae literae a prorege interceptae loci capiendi commoditatem praebuerunt. Nam condicta die et loco, noctu regii habitu ſigniſque mutatis amicos ſe ſimulantes venerunt; ad urbemque ſummo ſilentio accedenteis praefectus admiſit; quos non prius hoſteis ſenſit, quam illi in loco confirmati fuiſſent, adempta praeſidiariis reſiſtendi facultate. Scoti tamen in foro conglobari ſe

INTERPR. [a] *Mortagne.* [b] *S. Amand.* [c] *Morgan.* [d] *Tournay.* [e] *Lille.* [f] *village de Hontſchoten.* [g] *Cambray.* [h] *de Gaure, baron d'Inchy.* [i] *le baron de Montigny, & le ſieur de la Motte.* [k] *Nivelle.* [l] *de Glimes.* [m] *ceux de Gueldre.* [n] *Bleyenbeeck.* [o] *Bergen-op-zoom.* [p] *Anvers.* [q] *Dort & Campen.* [r] *payſans de Drenthe.* [s] *ceux de Lingen & d'Oldenzeel.* [t] *Bertel Entens.* [u] *ceux de Berg & de l'eveſché de Munſter.* [w] *Over-iſſel.* [x] *Courtray.* [y] *Pottelberg, bailli ou gouverneur.*

ſe quatuor horarum ſpario gnavitcr defenderunt: tandem victi numero ad unum miſere trucidantur, cum iiſque magna oppidanorum multitudo. Tum urbs diripitur, ac valido praeſidio munitur, impoſito [a] Pontio Noiella Burſio. Mox alternavir fortuna; et dolorem ex Curtraco amiſſo lenivit ſucceſſus novus. Sub id cum Dunkerkam veniſſent e Gallia copiae,, iis ſubnixus Franciſcus [b] Lanovius, cognito Philippum Ecmundanum comitem cum uxore, ſocru, fratre Carolo, [c] Noiellae regulo, aliiſque proceribus [d] Ninivae ſecurius agere, id oppidulum eſt inter [e] Geertbergam et Aloſtum, de loco intercipiendo cogitare coepit: praemiſſoque [f] Turſio et Mortanio cum aliquot cohortibus, qui vadoſa foſſae loca percontarentur, nocte, quae XIII Kal. Apr. praeceſſit, admotis ſcalis muros ſuperat, et unam urbis portam occupat; qua aperta equitatus, in quo erant aliquot Arauſionenſis turmae, introducitur. Heic, obviis quibuſque et qui reſiſtere auſi caeſis, Ecmundanus capitur; qui, Gandavi in arce aliquandiu aſſervatus, et poſtea in Ramekana arce Zelandiae, vix tandem poſt quinquennium libertati reſtitutus eſt. Carolus frater et Noiella cum toto gynaeceo ſtatim dimittitur.

V. Nec multo poſt [g] Mechlinia, quae anno ſuperiore ab Ordinibus defecerat, in eorum poteſtatem venit miſerabili caſu. Orta inter praeſidiarios ac civeis diſcordia, Matthiae et Arauſionenſi conſultum viſum fuerat, quo graviori malo praeverteretur, praeſidiarios illos dimitti, alioſque Ordinum arbitrio in eorum locum ſubſtitui, datis a Mechlinienſibus obſidibus de fide Ordinibus ſervanda. Et opportuna fuit illa dimiſſio. Nam praeſidiarii ſub illud tempus Bruxellas venerant, quo urbem occupare conabatur Ecmundanus; unde cum damno et dedecore repulſus eſt, ut ſuo loco diximus. Sed poſtea, [h] Petro Lupo Carmelita incentore, Mechlinienſes fidem Ordinibus datam parvi fecerunt; et illius impulſu [i] Alveringo ab urbis praefectura remoto, ſpretiſque Joannis [k] Caprealis ac poſtea Nicaſii [l] Sillae a Matthia et Ordinibus ad ipſos miſſorum precibus ac monitis, et Antuerpienſium ac Bruxellenſium vicinorum legatis injurioſe contemptis, cum urgeri ſe ſentirent, in proregis fidem a concionatore illo perſuaſi conceſſerunt; a quo et quaſdam pedeſtreis copias et [m] Epirotarum equitum aliquot turmas acceperunt, quae in vicinum agrum effuſe circa Aloſtum, [n] Herentalam, Teneramundam diris populationibus graſſatae ſunt. [o] Willenbrocana item munitio expugnatur. Burſius vero, qui in defectionem conſenſerat, ſtatim ob levitatem ſuſpectus, quod is eſſet qui Antuerpienſem arcem antea Ordinibus tradiderat, ob idque Mechliniae praepoſitus fuerat, ea praefectura exuitur, et in ejus locum [p] Roſſignolius ſufficitur. Ne tamen omni publico munere ſpoliatus videretur, [q] Curtraco nuper capto primum praefectus eſt, poſtea ob ſuſpectam inconſtantiam ignominioſe inde amotus, ſuffecto ei Franciſco [r] Halewino Suevigemo. Mechlinienſes, qui, auctore Petro Lupo, defecerant, eodem conſultore etiam in re bellica utebantur. Is vero tum aſſiduis concionibus plebem ad bellum incendebat, tum etiam omnia munia militaria profeſſionis ſuae oblitus impigre obibat: et, cum a re pecuniaria, qua ſine bellum geri non poterat, laboraret, oppidanis perſuaſerat, ut cimelia templorum pretioſa conflarent, neque ullis opibus, tam ſacris quam aliis, parcerent, ad bellum tam juſtum gerendum. Itaque et in [ſ] thecam S. Rumoldi magnae venerationis et ingentis pretii, quam et Hiſpani et ipſe poſtea Arauſionenſis intactam reliquerant, manus injecit; tantoque auctore ſacrilegium a Mechlinienſibus excuſatum eſt. Quae dum magna confuſione in urbe agerentur, ordines Antuerpienſium inſtigatu de ea capienda conſilium ineunt: et, quanquam regii juxta oppidum continuo diſcurſarent,

et

INTERPR. [a] *Pontus de Noyelles, ſieur de Bours.* [b] *de la Noué.* [c] *le ſieur de Noyelles.* [d] *Ninove.* [e] *Gheertsberghe & Aloſt.* [f] *les ſieurs de Tourſy & de Mortagne.* [g] *Malines.* [h] *Pierre le Loup, provincial des Carmes.* [i] *Alveringhe, eſcoutete de la ville.* [k] *Carpereau.* [l] *le docteur Silles.* [m] *Albanois.* [n] *Herentals & Dendermonde.* [o] *Willebroeck.* [p] *le ſieur de Roſſignol.* [q] *Courtray.* [r] *d'Halwin, ſieur de Sweveghem.* [ſ] *chaſſe de S. Rombaut.*

et turma equitum [a] Necerſpoelae in ſuburbiis excubare non ignoraretur, tamen Angli CIϽIϽLXXX.
[b] Lira evocantur, qui, duce Joanne [c] Norriſio, viro ſtrenuo, et qui poſtea apud nos HENRICUS III.
militavit, tandem, accepto ſtipendio, rem ſuſceperunt. Et, cum Olivetius [d] Templeus Bruxellenſium praefectus cum ſuis et [e] Vilvordae praeſidiariis, et Carolus [f] Lievinius Famarſius cum ſua equitum ala ſe conjunxiſſet, v Eid. Apr. primo diluculo ad urbem conveniunt; conſilioque inito, partiti operas, Angli ſublato clamore et ingenti tumultu excitato ab una parte ad arma proclamant, dum Templeus ex compacto ab altera prope Bruxellenſem portam moenia ſcalis admotis ſcanderet. Heic acriter pugnatum, antequam porta, qua equitatus introduceretur, aperiri poſſet: qua reſerata poſtquam ulterius in urbem perventum eſt, magnus oppidanorum, ſacerdotum ac monachorum in forum fit concurſus; quibus univerſis is, quem dixi, Petrus Lupus, ſpretis externis auxiliis, praeerat. Ii, ut pro vita, quanquam belli rudes, poſt obſtinatum potius quam acre certamen cum aliquandiu reſtitiſſent, fere cuncti caeſi ſunt: cecidit et ipſe Petrus Lupus, poſtquam diu armis inſignibus conſpiciendus incredibili audacia ante alios ſuis animos faciens depugnavit. Roſſignolius et praefectus urbis aliique auxiliares, dum miſeri ſacerdotes ac monachi Anglos vitae periculo remorantur, cum [g] Epirotarum equitum turma repagulis portarum effractis incolumes evadunt. Ita expugnata urbs, deſideratis circiter in longo conflictu c praeſidiariis, ex oppidanis majore numero. Tum Angli ad praedas verſi, quanquam cum iis ab initio promiſſis aliquot menſium ſtipendiis actum fuerat, ſi urbem capi contingeret, ne eam diriperent. Verum illi, cum numero ceteros vincerent, erant quippe IϽCCC delecti, nullam promiſſorum rationem [α] habuerunt, majore intemperie, quam uſpiam toto Belgicorum bellorum tempore, graſſati. Itaque urbs direptione hac altera paene ad ſolitudinem redacta, cum nec miles praedandi finem faceret, nequicquam prohibentibus tribunis ac praefectis, nec templis ac locis religioſis et ſepulchris ipſis parceretur. Exorta inter haec inter Oliverium Templeum, et Famarſium, qui urbi praefectus deſignatus erat, cum Joanne Norriſio Anglorum tribuno contentio, quae poſtremo in acrem et peracerbam rixam evaſit; paulumque res a mutua pernicie abfuit; eique haud aliud remedium quaeri potuit, quam ſi interim miles in praedis agendis occuparetur. Igitur non ſolum urbs direpta, ſed omnia pretioſa ab Anglis avecta, et in Angliam aſportata: ingens pretium praeterea ex captivis conflatum: idque totum paene menſem illis per ducum contentiones liberum fuit; quae vix tandem a Famarſio interventu Antuerpienſium componi potuerunt, edicto propoſito, ut a praedis abſtineretur, et eodem tempore Angli per unam portam, Templeus per alteram ad tintinnabuli pulſum emitterentur.

VI. ID actum prid. Non. Maias: quod et in cauſa fuiſſe creditur, ut ingentem cladem ſub id tempus Ordines acceperint, milite praeda onuſto in caſtra, uti ſperabatur, minime ad ſigna conveniente. Franciſcus Lanovius ſummus militiae Ordinum imperator, expedito exercitu collecto, Anglos, qui Mechlinia diſceſſerant, opperiens, [h] Engelmonſterum ad [i] Mandetam ſitum caſtellum a regiis occupatum obſidione cinxerat; valloque ducto et tormentis admotis ac pulſatione inchoata, negotium omne Marqueto vicario commiſerat. Ipſe occaſionem nactus cum delecta peditum et equitum manu ad [k] Inſulas ſpe urbis potiundae excurrerat: ſed cognito, marchionem Risborgium, is erat [l] Petrus Melodunus, ante vicecomes Gandenſis dictus, auxilio ſuperveniſſe cum xv Epirotarum equitum turmis, quem aliquot delectae peditum cohortes ſequebantur, mature Engelmonſterum verſus caſtra ſua repetiturus tendit.

VAR. LECT. [α] habuerunt; et in praedas effuſi majore *MSS. Samm.*

INTERPR. [a] *Neckerſpoel.* [b] *Liere.* [c] *Norris.* [d] *de Tempel.* [e] *Vilvorde.* [f] *de Liewin, ſieur de Famars.* [g] *Albanois.* [h] *Engelmunſter.* [i] *Mandero.* [k] *Lille.* [l] *Pierre de Melun, vicomte de Gand, & marquis de Richebourg.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

tendit. Quia vero trans [a] Liſam erat, longo circuitu deſcendens et per inferiora loca, ubi Mandera in Liſam influit, ripam legens, ſub veſperam ad [b] Vacanam pagum divertit. Quod ubi Risborgius reſcivit, Liſa ad Curtracum tranſmiſſo, via compendioſiore Engelmonſterum petit. Feſtinabat in itinere Lanovius, tandemque multa nocte ad ſua caſtra rediit; ſed pleriſque ſuorum ex itinere defeſſis Vacanae relictis, qui et ibi pernoctarunt. Ubi in caſtra venit, mox [c] Marqueto mandat, ut pontem Manderae impoſitum ocius abrumpat: verum ii, quibus id negotii datum fuerat, rem ſegniter executi ſunt; ſatiſque habuerunt, pontem praeſidio munire; quo a ſuperveniente Risborgio dejecto, confeſtim actis in caſtra fit impreſſio. Lanovius, cum praeter ſpem accidiſſet ut Risborgius pontem tam cito ſuperaſſet, quippe qui abruptum eum, ſicuti juſſerat, putaret, tamen cum exiguo numero, quem circa ſe habebat, erant autem IↃC pedites et II equitum turmae, dum ceteri, quos Vacanae reliquerat, advenirent, fortiter initio hoſtium impetum ſuſtinuit. Is praeceperat Scotis, quo diutius hoſtem remoraretur et incurſum aliquanto tempore averteret, ne ſimul, ſed ſenſim ſcloppetos diſploderent; quod nequaquam illi fecere; ſed celeritet emiſſis glandibus retro ceſſere: ſolaeque in veſtigio circa imperatorem remanſere veteranae aliquot Gallorum cohortes ad exiguum numerum redactae, quippe cum vix ſingulae X aut XII militibus conſtarent, (nam reliquae Vacanae ſubſtiterant) quae ſtrenue admodum rem geſſerunt, et poſt obſtinatum certamen ſine dedecore ac damno evaſerunt, ceteris diſſipatis ac caeſis. Lanovius, qui res deploratas videret, ne quid tamen in ſummo imperio indecorum admitteret, Odeto [d] Telinio filio dimiſſo, qui cum veteranis Gallis incolumis ſe recepit, a cunctis deſertus minime ſe deſeruit; ſed ad locum, in quo tormenta bellica erant, conceſſit, ſi forte eorum, qui Vacanae remanſerant, ſuperventu proelium reſtituere poſſet; ſtrenueque pugnans ad extremum capitur. Captus et cum eo Marquetus, cujus praecipue culpae tanta clades imputata eſt, quod praeſens pontem, ut juſſus erat, abrumpi non curaſſet, ſed aliis id commiſiſſet. Is tandem poſt longam in [e] Hannonia captivitatem effracto carcere libertatem reciperavit. At Lanovii iniquior conditio fuit, qui a Risborgio in proregis manus traditus vix poſt multos annos et duris admodum dictis ab Hiſpanis legibus dimiſſus eſt. Quo facto non levi invidia apud compluteis laboravit Risborgius, quod virum bonum et ſibi adfinitate conjunctum non ſolum in miſeram ſervitutem abduci paſſus eſſet, ſed et procerum ab Ordinibus captorum, quos niſi liberato Lanovio dimitti nulla ſpes erat, libertatem remoratus fuiſſet. Ea clades, quae in VI Eid. Maias incidit, parvi Ordinibus, ſi Lanovium captum excipias, conſtitit. Nam pauci admodum occiſi; et exercitus tunc diſſipatus ſtatim recolligi coepit; cujus ope et accedentibus ad eum Hetentalae, Bruxellarum, Mechliniae nuper captae praeſidiariis, [f] Garda Gallo peditum et Alſonſo Hiſpano equitatus ducibus, [g] Dieſta capitur. Ea humili ſitu in paludoſo loco poſita eſt: ad quam cum ſummo mane VI Eid. Jun. veniſſent copiae, ſcalis admotis fit impetus; moenibuſque ſuperatis, excubitores ad [h] Sichemenſem portam obvii trucidantur: mox refracta porta Alfonſus cum equitatu admittitur. Aliquandiu tamen pugnatum, fortiter reſiſtentibus II Belgarum cohortibus, III Germanicis; et Lodroniana in primis, quae jam totos XIV annos Philippo in Belgio militabat; quae omnes tandem in eodem, quo ſtabant, veſtigio ad internecionem caeſae ſunt. Nec incruenta Ordinibus victoria fuit, caeſis non paucis eorum ducibus, ac multis vulneratis. Sichemum deinde et Araſchotum in Ordinum poteſtatem venere. [i] Halenum item oppidulum a praeſidiariis regiis deſertum; ſed ſtatim, diſcedente Ordinum exercitu, receptum.

VII. PAULO poſt IX Kal. Quintil. in nocte pervigilii B. Joannis regii, inito quotundam

INTERPR. [a] *la Lys.* [b] *Wackene.* [c] *Marquette.* [d] *de Teligny.* [e] *Hainaut.* [f] *le colonel la Garde.* [g] *Dieſt.* [h] *de Sichem.* [i] *Halen.*

CIϽIϽLXXX. HENRICUS III.

quorundam inſtigatu de Bruxellis intercipiendis conſilio, ex [a] Hannonia ad deſignaram portam veniunt. Inſtigatores Otho [b] Bakerus, Jac. [c] Curtius et Arnoldus [d] Prunius erant; qui et clavium illius portae formam cerae impreſſam [e] Emmanueli Lalanio Montinio et [f] Risborgio ipſi tradiderant, remque interea ad [g] Arauſionenſem, [h] Santalgondanum et Templeum urbis praefectum indicaverant. Locis ob id idoneis diſpoſitae machinae, et excubiae, quae hora ac momento condictis in venienteis impetum facere debebant: ſed pluvioſa admodum ea nox fuit, ita ut ſeloppetarii, extinctis funibus, et ex via ac madore feſſi, rem non tentaverint, certo exitio, quod rem tentaturis imminebat, a coeli injuria prohibito. Eodem tempore Condaeus, qui ex [i] Santonibus diſſimulato habitu in Picardiam praefecturam ſuam venerat, et [k] Faram Veromanduorum occupaverat, impoſito loco praeſidio, in Belgium deſcendit, et inde in [l] Britanniam tranſmittit cum [m] Scregelio Joannis Caſimiri ſeptemviri Palatini fratris legato; ubi cum ſereniſſima regina poſtquam diu de auxiliis egerunt, ambo in Belgium reverſi [n] Sluſas appulerunt; et inde [o] Gandavum venerunt III Eid. Quintileis. Quo cognito, Risborgius ſucceſſu elatus conſilium de urbe intercipienda inivit, ut tanto hoſpite capta urbe potiretur. Nullum praeterquam oppidanorum in ea praeſidium erat, et munitiones plerîſque locis inchoatae potius quam perfectae, ita ut ſubita vi per eas perrumpi poſſe ſpes eſſet. Cum igitur ſummo ſilentio ad portam urbis veniſſet, validis copiis inſtructus, tamen ſtrepitum praeſenſere oppidani, armiſque in tempore correptis Risborgii conatum irritum reddiderunt. Condaeus honorifice dimiſſus Antuerpiam contendit, et inde per [p] Dordracum facto itinere in Germaniam perrexit.

VIII. TUNC et Nivellam introductus a Bruxellenſibus commeatus, qui in reditu XXX circiter [q] Epirotas ad certamen egreſſos ceperunt. Nivella a prorege ſtatim recepta et a Petri Erneſti [r] Mansfeldii militibus crudeliter direpta eſt. Tentatum et a regiis [s] Buchanium, (cui praeerat Juſtus [t] Soëtius Villerſius, qui Nivellae admodum egregie ſe geſſerat,) ſed infelici ſucceſſu; quippe prodente eos [u] Grobbendonkio praeſidiario, cum quo de una portarum tradenda pacti erant. Is rem cum Villerſio aperuiſſet, locus et hora condicuntur: et, quo facilius in fraudem regii pertraherentur, Villerſius partem praeſidiariorum oppido emiſerat, delectis penes ſe idoneo numero ſervatis; quo major ſpes de proſpero ſucceſſu regiis facta; qui armis egregie inſtructi cum veniſſent, intra urbem, ſicuti convenerat, accepti, tanto numero, ut iis ſuperandis praeſidiarii pares eſſent. Continuo cataracta demittitur; et, qui ſimul intrare nitebantur, haſtis, gladiis ac glandibus repelluntur: jam intromiſſi a diſpoſitis opprimuntur: pars interfecti, pars armis exuti; qui extra remanſerant, ab emiſſis praeſidiariis a tergo clauduntur, et intra tormenti jactum compelluntur: plurimi, qui ſocios jam oppido potitos exiſtimabant, dum accurrunt, et ipſi capiuntur. Inter captivos fuit Joannes [w] Noërcarmius Sellius [x] fani Audemari praefectus, is qui nuper ex Hiſpania redierat, et nobilitati Belgicae cum Philippo reconciliandae auctor fuerat, aliquot praeterea ex nobilitate, multique cives [y] Duacenſes, et alii ex oppidis vicinis, qui ſpe certae praedae eo advolaverant; quos Villerſius, loco diffiſus, et veritus, ne ex ea occaſione ejus obſidendi regiis voluntas ſubiret, [z] Cameracum in tutiorem cuſtodiam miſit: quidam ex iis minoris nominis, pretio accepto aut permutatione facta, dimiſſi ſunt. Sellius [aa] Ecmundanus et Campaniacus pro Lanovio ab Ordinibus dimittendi

INTERPR. [a] *Hainaut.* [b] *de Backer.* [c] *le Court.* [d] *le Pruyn.* [e] *Philibert Emanuel de Lalain, baron de Montigny.* [f] *le marquis de Richebourg.* [g] *le prince d'Orange.* [h] *les ſieurs de Ste Aldegonde & de Tempel.* [i] *Saintonge.* [k] *la Fere en Vermandois.* [l] *Angleterre.* [m] *Scregel.* [n] *l'Eſcluſe.* [o] *Gand.* [p] *Dort.* [q] *Albanois.* [r] *le comte de Mansfeld.* [s] *Bouchain.* [t] *de Soete, ſieur de Villers.* [u] *Grobbendonck.* [w] *de Noercarmes, baron de Selles.* [x] *S. Omer.* [y] *de Douay.* [z] *Cambray.* [aa] *le comte d'Egmond, & le ſieur de Champigny.*

CIↃIↃLXXX. dimittendi offeruntur, magno humanitatis erga hominem externum exemplo, ſed
HENRICUS III. majore opinionis de ejus virtute conceptae teſtimonio; quae effecit, ut Philippus a Granvellano cardinali, ſicuti creditur, perſuaſus de tantae exiſtimationis duce liberando aſſentiri noluerit: quod rurſus provinciae oobilitatem noo mediocriter exacerbavit, quae periculoſe quotidie exponi, exigua vitae, nulla libertatis, ſi caperetur, ſpe, indignabatur.

IX. ITAQUE Ecmundanus et Sellius in arcem [a] Ramekenſem ſub arctiore et firmiore cuſtodia amandantur, ubi Sellius quadriennio poſt ex moerore deceſſit, ingratitudinem ſubinde Hiſpanis exprobrans, et ſua fratriſque merita tam parvo apud regem in pretio eſſe ſaepius ante conqueſtus. Ecmundanus cum prae deſperatione paene ad amentiam vergeret, ſororum enixe inſtanterque rogantium precibus in Bataviam ex Zelandia avehitur, ubi paulo poſt cum Lanovio permutatur, ſed duris admodum conditionibus, quemadmodum ſuo loco dicemus. Inde ob infelicem [b] Buchaini ſucceſſum omnis irae moles ad locum verſa; quodque aſtu regii nequiverant, vi perficere aggrediuntur. Caſtra ad oppidum poſita, et admotis tormentis pulſari coepta moenia. Tandem Villerſius Non. Sept. arce certis pactionibus dedita armatus exit, et ad Cameracum ſe recepit. Sed cum non ita caute conditiones perſcriptae eſſent, oeque additum, ut ſine fraude integra omnia in oppido manerent, Villerſius funeis accenſos convenienti menſura ac diſtantia a pulvere tormentario latenter diſpoſuerat, ut poſt ſuorum diſceſſum conſumptis funibus tandem concepto igne pulvis violentam flammam ſpargeret. Qua re cum oon mediocri damno et oppidum et regii affecti eſſent, e veſtigio abeunteis infeſtis animis inſecuti ſunt; qui tamen jam in tutum recepti regiorum iram evaſerunt. Verum Villerſius injuriam ſibi factam et fidem datam eo facto violatam cauſatus, protinus inſequentibus denunciat, ſe pactis nequaquam ulterius teneri.

X. SUB id tempus, cum diu de principe aliquo externo deligendo deliberatum eſſet, tandem in Franciſcum [c] Andium ducem regis fratrem, Arauſionenſi annitente et auctore, cuncti conſenſerunt: decretoque menſe Junio facto de transferendo in eum certis conditionibus provinciarum imperio, delegati ſunt prid. Eid. Sextil. in conventu Antuerpiae ab ordinibus Brabantiae, Flandriae, Hollandiae, Zelandiae, Mechliniae, Friſiae habito, Philippus Marnixius Santalgondanus, [d] Natalis Charonius Franconatus conſul, Gaſpar [e] Vosbergius, alii, cum plenis mandatis, ut cum Andino agerent. Ii in Galliam profecti ad [f] Pleſſium in Turonibus altero a Caeſaroduno lapide III Kal. Oct. Aodioum adſecuti ſunt, et conditionibus inter partes cooventis tranſegerunt; quas poſt [g] Flexianam collationem, de qua mox dicemus, [h] Burdigalae, quibuſdam additis, confirmarunt. Cuſi in rei memoriam in Brabantia, cujus inſigne eſt leo, nummi aerei, in quorum antica parte leo collari ad columoam alligatus viſebatur, victoris ſtatua ſuperſtante; collare rodebat mus, inſcriptione circulo addita, ROSIS LEONEM LORIS MUS LIBERAT. In poſtica pontifex et Philippus facta ſanctae pacis ſpe leoni collare alligare ſatagebant, cujus inſcriptio erat, LIBER REVINCIRI LEO PERNEGAT. Cuſi et alii Gandavi, in quibus annuli duabus manibus junctis colligati, cum hac ab antica parte inſcriptione; PRO CHRISTO, LEGE, GREGE ET PATRIA: in poſtica querna corona erat cum hac inſcriptione; RELIGIONE ET JUSTITIA REDUCE, VOCATO EX GALLIA PACATA OUCE ANOIUM BELGICAE LIBERTATIS VINOICE. Cum vero legibus de oavigatione et commercio etiam cum Hiſpanis et Luſitanis latis ex ordinum ſententia Zelandiae populis et Batavis, quorum opes fere negotiatione conſtant, optime conſultum eſſet, cuſi etiam ex aere in Zelandia oummi, quorum antica pars provinciarum inſignia praeferebat, videlicet leonem

INTERPR. [a] *Ramekens.* [b] *Bouchain.* [c] *d'Anjou.* [d] *Noel de Caron, bourgmaiſtre du Franc.* [e] *de Vosberg.* [f] *Pleſſis lès Tours.* [g] *la conference de Flex.* [h] *Bourdeaux.*

leonem ſuper aquas ſuſpenſum cum inſcriptione, Vos TERRA, AT EGO EXCUBO PONTO. In poſtica viſebatur arbuſculorum putator, et a tergo pileus libertatis ſignum lanceae impoſitus cum inſcriptione, SI NON NOBIS, SALTEM POSTERIS. CIƆIƆLXXX. HENRICUS III.

XI. HIS actis, Matthias, qui videret ſe a Belgica ſive [a] Valonica nobilitate, a qua initio evocatus fuerat, deſertum, neque pacificationem Gandenſem ſervari, in Caeſare ac fratribus et ceteris Imperii principibus nihil opis aut ſubſidii eſſe, coque fieri, ut Ordines extrema neceſſitate coacti ad externi principis patrocinium confugerent, fruſtra ante Caeſare ac ceteris Imperii principibus praemonitis, niſi de Belgii ſuſcipienda tutela cogitarent, fore, ut externi principis opem implorare cogerentur, tandem honeſte e provincia diſcedere ſtatuit, abdicata in ſe ab Ordinibus collata adminiſtratione. Itaque jam ante XI Kal. Quintil. ſcriptum ediderat, quod per Petrum [b] Melodunum Eſpinoii; principem Ordinibus tradi curavit. Eo ſe evocatum et, poſt delatam communibus ſuffragiis adminiſtrationem, omnibus conditionibus appoſitis ſatisfeciſſe dicebat, et ad praeſentem rerum ſtatum ſe accommodaſſe, ac publicae tranquillitati nulla privati commodi ratione, nec citra vitae periculum, ſemper ſtuduiſſe: dolere ſibi, quod tempeſtatis majorem ope ſua vim avertere nequiverit; ceterum, quantum in ſe fuerit, cunctos ad concordiam et unionem hortatum eſſe: nunc, quando audiat Ordines ac proceres conventum celebrare, in quo de ſumma rerum deliberant, huic, ne legem illis imponere velle videretur, intereſſe noluiſſe; tantum eos rogatos ac monitos cupere, ne externae dominationi ſe temere committant, neque ſacroſancti foederis, quo Belgium cum Imperio conjunctum eſt, obliviſcantur, aut illuſtriſſimae gentis Auſtriacae, cujus ipſe membrum ſit, et a qua tot beneficiis cumulati ſunt, partes deſerant: petere inſuper, ut, quod de ſe ac familia ſua ſtatuerint, quo rebus ſuis in tempore conſulere poſſit, declarent, ſumptuumque a ſe factorum ac penſionis promiſſae rationem habeant. Ad haec, Ordines, honeſtum aequumque reputantes Matthiam optime de ſe meritum honeſte a ſe dimittere, ei gratias prolixe agunt; debitaque ab eo contracta ac promiſſa ut exſolvantur decernunt, penſione item, qua ſe familiamque ſuſtentet, ampla attributa, ac epiſcopatus [c] Ultrajectenſis aſſignatis in poſterum proventibus. Cum tamen lente ac ſerius haec ab Ordinibus adminiſtrarentur, diſceſſus Matthiae in annum ſequentem dilatus fuit. Interea tentatum ab Arauſionenſi [d] Trajectum ad Moſam; ſcaliſque comportatis, alio ſuperveniente negotio revocatus, (nam praeſens intereſſe cupiebat) inde diſcedere cogitur. At Eſpinoius Tornaci praefectus majore ſucceſſu [e] Condatum aggreſſus eſt, quod [f] Stellae opera ſcalis admotis capit VIII Kal. Novembris: verum, ſupervenientibus regiis, antequam milite et commeatu locum firmare poſſet, e veſtigio captum deſeruit. Venerat jam menſe Auguſto in Belgium Margarita Parmenſis, mater proregis, olim Belgii gubernatrix, a Philippo fratre miſſa, ut contractui cum reconciliatis provinciis inito ſatisfaceret. Eam, propter priſtini magiſtratus magna cum Belgarum ſatisfactione geſti ſanctam ac recentem adhuc memoriam, huic negotio maxime idoneam frater judicaverat; proceresque ejus fidem ſecuturos et ſub ejus imperio ad officium redituros ſperaverat: verum, poſtquam Namurcum venit, et Alexander filius ad eam ſalutandam magno et militari comitatu acceſſit, diſſidentibus utriuſque in rei expediendae ratione ſententiis, aemulationes inter matrem filiumque exortae ſunt, quae poſtremo effecerunt, ut, evulgato Ordinum de novo principe eligendo decreto, cum res potius ad bellum quam ad pacem ſpectare viderentur, Hiſpanorum, qui turbas quam quietem in Belgio malebant, inſtigatu Philippus Margaritam revocaverit, et filium in Belgio cum ſumma praefectura confirmaverit.

XII. ERAT

INTERPR. [a] *Wallonne.* [b] *de Melun, prince d'Eſpinoy.* [c] *d'Utrecht.* [d] *Maeſtricht.* [e] *Condé.* [f] *le ſieur d'Eſtelles.* Meteren le nomme *le ſieur d'Eſtrelles.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III. XII. Erat inter proceres regi reconciliatos Gul. [a] Hornius Heſacus, juveois ſupra conditionem ſuperbus et elato ingenio praeditus, qui ante quadrieouium Bruxellis concilii regii ſenatores in cuſtodiam conjecerat, et ab eo tempore modo his modo illis partibus addictus potius magnam quam bonam de ſe famam toto Belgio excitaverat. Is, cum promiſſa a [b] Montinio et Mota pro rege paciſcentibus noo repraeſcotarentur, innata levitate protinus, ab Ordioibus et Andino ſolicitatus, cum iis agit; et, communicato cum [c] Warruxio Tianae regulo, qui [d] Caſletum praeſidio tenebat, conſilio, de arcibus et oppidis aliquot tradeodis fidem obligat: ſed, re detecta, Warruxius mature aufugit: Heſacus, fiducia majore ſeu potius temeritate cum remanere ſuſtinuiſſet, a [e] Risborgio et Montinio comprehenditur, et, inſtante prorege, qui proceres cum Ordinibus committere et omnem reconciliationis inter eos futurae ſpem praecidere ſatagebat, rei convictus, [f] Queſooiae, quod eſt Hanooniae oppidum, VI Eid. Oct. ſecuri percuſſus eſt. [g] [1] Haulſii regulus eidem coojurationi participaſſe creditus in tempore periculo praevertit, et in arcem [h] Liecercanam ſuam haud longe a Bruxellis confugit; quam et ab Oliverio [i] Templeo urbis praefecto, qui ipſius ſororem in matrimonio habebat, perſuaſus ad majorem ſui ſecuritatem Ordinibus tradidit. Sed poſtea, uxore levis et inconſtantis ingeoii foemina ad multa eum ſtimulante, cum ſuſpicionem Ordinibus de ſe moviſſet, in carcerem ab iiſdem coojicitur; ex quo vix interventu Templei, hoc meritis ejus Ordinibus condooantibus, liber dimiſſus eſt; et in Fraociam ad nos migravit. Tot rerum vario eventu geſtarum, et mutati taodem principis caſum, poſt tam longam et a ſeditionibus crebro repetitis coeptam defectionem, portendiſſe plerîſque viſus eſt iogens terrae motus; quo non ſolum Belgium a Colonia uſque quaſſatum, de quo ſupra demonſtravimus, ſed ipſum mare, quamvis nulla aura commoveretur, fluctibus praeter ſolitum ab imo in altum elatis turbatum eſt: in mediterraneis vero tanto fragore bis terra tremuit, ut templorum et turrium lapides diffiſſi paſſim ac labefactati ſint.

XIII. Nec motibus Friſia, cui Georgius Lalanius Rennebergii comes praeerat, et ceterae trans Rhenum provinciae hoc anno caruerunt. Nam initio anni cum [k] Cornelia Rennebergii ſoror ad ipſum veniſſet, conditiones a prorege afferens, hortatibus minas ac poſtremo blanditias, ut fratrem ab Ordinum partibus abſtraheret, mira efficacia miſcuit. Nam, quouſque ejus fidem, quam Deo et ſecundum Deum principi ſuo debet, deſideraturos ſuos? quouſque cum Sectariis operam oavaturum? aut quamdiu pellionibus, textoribus, cerdonibus et ceteris plebeiis artificibus praeter gentis decus ſerviturum? ſatis jam factionibus datum, et juſtis in ſpeciem pro libertate contentionibus: nunc eo rem deductam eſſe, ut religioois et fidei, ooo pro patria, ſit certamen; in quo qui peccaverit, is divinae legis tranſgreſſor oon ſolum exiſtimationis, quae in hac vita verſatur, naufragium faciet, ſed praeter infamiam de aeterna ſalute periclitatur: hooores, opes, dignitates a rege ſperare eum debere; a plebe ignominiam, contumelias, et pro ingrati laboris praemio ſeram poeoitentiam: ſapiat igitur tandem, et ceterorum procerum de religione bene ſentientium exemplum ſequatur. Tum marchiooatus inaoeis titulos, et incertas Mariae [l] Brimeae Megenſis, quae [m] Ladiſlao Barlemootio nuper defuocto vidua erat, nuptias oſtentare. Ita Rennebergius paulatim infractus de deſerendis Ordinum, hoc eſt, Proteſtantium partibus cogitare coepit: ne tamen id ſine aliquo operae pretio faceret, rem ab ioitio celatam voluit. Praeſenſerat, qua erat ingenii ſagacitate, rem Arauſionenſis: itaque jam

INTERPR. [a] *de Hernes, ſieur de Heſt.* [b] *le baron de Montigny, & le ſieur de la Motte.* [c] *Waroux, ſieur de Thian.* [d] *Caſſel.* [e] *le marquis de Richebourg.* [f] *Queſnoy.* [g] *le ſieur d'Auxy.* [h] *chateau de Liedekercke.* [i] *de Tempel.* [k] *Cornelia de Lalain.* [l] *de Brimeu, conteſſe de Meghem.* [m] *Lancelot de Berlaymont.*

NOT. [1] *Lege* Auxii. *C.*

jam tum in Friſiam proficiſci ſtatuerat, quaſi ob alias cauſas, ne Rennebergii conſilia praecipitaret, quae ita ſe irrita redditurum ſperabat, eademque ratione Rennebergium a propoſito revocaturum, ſi, vocatis ad libertatem per Friſiam oppidanis, arces ubique dirueret: ſic enim fore, ut, adempto fraeno, quo praefecti urbes ad libidinem circumagebant, Friſia, libertate recuperata, in Ordinum poteſtate eſſet, et Rennebergius, cum promiſſa proregi praeſtare non poſſet, defectionem ſuadentibus minime aures praeberet. Multum autem et ad famam et ad res ſuas intereſſe exiſtimabat Arauſionenſis, ſi primariae nobilitatis virum, alioqui probum et ſtrenuum, tunc in flore aetatis, ut facile ſpe et blanditiis tranſverſus ageretur, conſtitutum, in officio contineret: nam ea indole eſſe, ut, ſi tantula temerariis conſiliis mora injiceretur, ſubeunte poenitentia, ad bonam mentem redire poſſet. Itaque, mobile viri ingenium tractandum et ducendum potius quam cogendum ratus, ſic cum eo agere ſtatuit, ut non tanquam cum hoſte declarato rem gereret; ſed ei alienandi ſe ab Ordinibus materiam et facultatem praeriperet. Principium a [a] Leovardia factum; ubi arx ex improviſo per [b] Bovingam et Fernonem militiae praefectos a tergo cingitur; oppidani frontem occupant, et ſacerdotes, monachos et praeſidiariorum arcis mulieres in primo agmine ſtare jubent; mox, vallo producto atque aggeribus excitatis, foſſas complent. Ita oppreſſus [c] Scagenus, qui poſt [d] Mateneſſae mortem arci praeerat, de exitu veritus locum dedidit, vitam et res ſalvas annuamque penſionem pactus. Oppidani arcem citius ſpe ingreſſi moenia urbem verſus deſtruunt, foſſaque repleta, reliqua moenia cum oppido conjungunt. Ea anno CIↃCCCCXCIX ab ipſis oppidanis exſtructa propriis ſumptibus fuerat, cum a Groëningenſibus deſerti, et a [e] Willebordo Scovembergio Alberti Saxoniae ducis praefecto victi, jugum liberis cervicibus accipere coacti ſunt. Diruta arce, Franciſcani extra portas a milite laſciviente cum tympanis ac tibiis ignominioſe deducti et omnino urbe exacti. Id actum ineunte Februario: ac poſtridie [f] Benninckus, [g] Caminga aliique praefecti cum IV peditum cohortibus [h] Harlingam petunt; juſſiſque deditionem facere praeſidiariis, cum recuſarent et hoſtiliter reſiſterent, commodum accidit, ut Rennebergius, qui conſilia ſua latere ſperaverat, Friſiorum motu attonitus, [i] Ballium ſibi fidum Leovardiam ablegaret, quaſi rerum componendarum cauſa. Is ſubito comprehenſus cum chartis puris tantum nomine et ſigillo Rennebergii obſignatis, fraudi occaſionem dedit, qua Harlingenſes decepti ſunt. Nam Ballium metu mortis intentato in harum chartarum una ſcribere ad [k] vicarium Oiemburgi, qui tunc Groëningae erat, cogunt, ut arcem protinus traderet. Nec homo incautus abnuit; nihilque de fraude ſuſpicatus, nec exſpectato alio mandato, quod cautiores faciunt, arcem tradit Non. Febr. quae olim a Groëningenſibus, cum toti Friſiae dominarentur, circa eadem tempora fere aedificata, poſtea a Friſiis diruta, et mox anno CIↃIↃ ab Alberto Saxone inſtaurata, tunc demum a civibus, ut et Leovardienſis, verſus oppidum diruitur. Inde Sonoius cum aliis delegatis, et IV item peditum cohortibus Staveram ducit, et arcem a praefecto deditam ſumma imprudentia protinus ab oppidanis dirui paſſus eſt, urbe nondum munita: nam ſtatim urbem Rennebergius in poteſtatem redegit, eamque ſaevum in modum vaſtavit. Arx illa olim ab Alberto [l] Baioaro Hollandiae comite anno ſalutis CIↃCCCXCVII conſtructa fuerat: poſtea everſa, rurſus a Georgio Schenkio Caroli V juſſu anno hujus ſaeculi XXII inſtaurata eſt. Interea Rennebergius animi anxius, qui diſſimulationem ſuam minime proficere videret, in ea tamen perſeverans querelam de violata pace religionis inſtituit,

INTERPR. [a] *Leeuwaerde.* [b] *Bouwinga & Ferno.* [c] *le capitaine Scaghe.* [d] *Mateneſſe.* [e] *Willeboort de Schouwenberg.* [f] *Benninck.* [g] *Camminga.* [h] *Harlingen.* [i] *Baylie, ſecretaire.* [k] *le Droſſart d'Oyenbrugghe.* [l] *de Baviere.*

CIƆIƆLXXX. HENRICUS III.

inſtituit, de Friſiorum rebellione contumeliaque ac injuria ſibi tanquam proditori illata conteſtatur; et, commemoratis ſuis erga rempublicam [a] Mechliniae, Valenceenis, Groëningae, Campenae egregie factis, fidamque praeſtitam Ordinibus pro patriae libertate operam ſumma ingratitudine remunerari indignatur. [b] Popo Uſkenſius et Joannes [c] Cornuptus, primarii ejus tribuni et Ordinibus maxime addicti, quaſi deſperabundum ſolantur, et bono animo eſſe jubent; conſiliumque dant, ut quamprimum Ultrajectum ad purgandas ſuſpiciones ſe cotam Arauſionenſi ſiſtat: non eſſe quod de arcium demolitione tantopere angatur: id jam a multo tempore deſideraſſe populareis, minime ipſum latere; et, ſi ulterius de eo conqueratur, fore, ut ſuſpicionem de ſe conceptam augeat, neque purgationi locum relinquat: potius [d] Oiemburgi, [e] Ballii et hujuſmodi pravorum miniſtrorum conſilia defugiat; ac ſororis in primis, quae certa incertis poſthabere et Hiſpanorum vanis pollicitationibus fidem adhibere ipſum perſuadeat: neque vero religionis aut potentiae regiae fuco ſibi imponi patiatur: nam Philippum et Galliae regem, cum Proteſtanteis exterminare decreviſſent, fruſtra fuiſſe; et regios, qui nunc mediterranea in Belgio poſſidere videntur, brevi ad ſummas anguſtias redactum iri: illos excluſos portubus, qui ab Ordinibus tenentur, et qui, vaſtatis agris, ſemper ad militem alendum et commercium, quo unico Belgii opes conſtant, ſuſtentandum opportuni erunt. Haec in bonam partem accipere initio viſus [f] Rennebergius, lachrimis etiam indignatione an poenitentia incertum obortis: jamque labaſcere et animo prorſus concidiſſe credebatur, cum rurſus a ſorore imperioſi animi foemina erectus ac confirmatus eſt, fidem proregi datam et conſcientiae ſcrupulum identidem fratri objectante. His acceſſere graves e popularibus contumeliae et Bertelii Entenſſenii imperia ejus detrectantis ſuperbae voces, quibus animus generoſus ultra modum irritatus Cornupti monitis minime inflecti potuit: rem tamen diſſimulatione tegere inſtitit, occaſionem rei gerendae opperiens.

XIV. SED non latuere Cornuptum conſilia Rennebergii, qui Groëningenſes Proteſtantium religioni addictos et in primis Jacobum [g] Hillebrandum urbis conſulem, ut ſibi ab eo caverent, in tempore monuit: nam animum ipſius ad defectionem inclinare. Verum Hillebrandus facile in urbe princeps, quo majorem auctoritatem inter Proteſtantes obtinebat, eo majore infortunio ceteros idem ſecum ſentienteis involvit. Nam, ut erat ingenio probo, Rennebergii, quicum magna familiaritas illi erat, blanditias et dejerationes, ut omnem ſuſpicionem amoliretur, crebro ingerentis, fidem imprudentet ſecutus eſt: cumque ille ſub veſperam, quae urbem captam praeceſſit, cum Hillebrando coenaſſet, et dextram dextra prehendens credulum hominem nihil de conjuratione ſuſpicantem a ſe dimiſiſſet, et, Arauſionenſi propediem venturo, nullum amplius diſſimulationi locum ſupereſſe cerneret, occupandum ratus, Hiſpano nomini in urbe addictos convocat; conſilioque expoſito, eos ad rem fortiter gerendam hortatur; qui periculo, ni praeverterent, territi, ſponte cum ipſo ac militibus aliquot hactenus celatis arma cepere, et primo diluculo, cum excubiae ſe quieti dediſſent, albam notam pro inſigni in brachio ſiniſtro geſtantes ex hoſpitio ipſius prodeunt, et forum occupant, diſcurrente in equo Rennebergio, et gladio ſtricto ad omneis occurſus frontem obvertente. Ad ſtrepitum mox miſer Hillebrandus cum ſuis, quos majore numero ſubſequi rebatur, accurrit; et in conſertos ruens a quodam Rennebergii famulo ictu deſtinato petitus in terram proturbatur: quo conſpecto, ſocii huc illuc diffugiunt, et ſuis ſe aedibus aliquandiu tuentur. Capti circiter cc, quos nomini Hiſpano magis infeſtos ſciebat Rennebergius; quos ille ad extremum ſine

INTERPR. [a] *Molines, Valenciennes, Groningue, & Campen.* [b] *Pompeius Uſkens.* [c] *Cornput.* [d] *d'Oyenbrugghe.* [e] *Baylie.* [f] *le comte de Rennebourg.* [g] *Hellebrand, bourgmaiſtre.*

ſine pretio dimiſit. Primo impetu repreſſo, nihil ulterius ſaevitum, annitente Ren- CIƆIƆLXXX.
nebergio, ut vicinas urbes humanitatis exemplo ad ſuas partes pertraberet. Tantum HENRICUS III.
magiſtratus mutatus, et in verba foederis ab ipſo cum prorege initi cives adacti, ſcriptis ad vicinos literis, quibus, ut a turbidis [a] Entenſſenii conſiliis ac factione ſe ſepararent, hortabatur. Id in v Non. Mart. incidit; quo eodem die et capta [b] Groeninga, et a [c] Cornupto obſeſſa eſt. Nam, ubi ex profugis res intellecta eſt, protinus [d] Olroffi, Dammae, Zuilarae, Vlietae, Schagae et Wedae cohortes ad urbem venerunt, ſi forte, amicis adhuc integris, quid ſubſidii ferre poſſent. Inde fruſtra ſolicitatae a Rennebergio per literas [e] Tranſiſelanae urbes; ex quibus interceptis voluntate ejus perſpecta, mox [f] Sonoii diligentia [g] Campena praeſidio firmatur. [h] Daventrienſes vero, gliſcente licentia, non contenti ſe armis munire, bellum ſtatuis, imaginibus, templis in factionis Hiſpanicae odium indicunt. Idem [i] Swolenſes faciunt, et eorum exemplo [k] Ultrajectenſes, et paſſim per Friſiam alii. [l] Drentenſes jam ante menſem cum ſimulacra dejicere et bona ſacerdotum divendere coepiſſent, vixque ab Arauſionenſi invidiam verito cohibiti fuiſſent, capta Groëninga, in omnem intemperiem efſuſi ſunt. [m] Oldenſela, Stenvica et Haſſela initio in fide Rennebergii fuere: ſed, miſſo [n] Hohenloo comite cum exercitu ab Arauſionenſi IV Eid. Apr. recepta Oldenſela; qui inde [o] Lingam contendit. Miſſi eodem tempore Sonoius cum Cornupti et [p] Wingardeni cohortibus [q] Coëvordam, qui munitiones inceptas perficerent, et locum ſedulo munirent. Jamque Bertelus Entenſſenius ad obſidionem venerat cum XIII peditum ſignis et II equitum turmis, quae Rennebergio ante militaverant: cumque, ut erat turbido ingenio et parum ſibi conſtante, ad haec conſortii cujuſquam impatienti, parum ex Arauſionenſis ſententia res adminiſtraret, ab Ordinibus eo miſſus fuerat Hohenlous cum VII cohortibus Chriſtophori Iſſelſtenii et IX Ludovici Naſſovii Joannis comitis filii. Id vero impatientiſſime tulit Entenſſenius; et [r] Roldae forte cum iis convivatus, inde vino temulentus cum in caſtra rediiſſet, tribunos ac ductores quaſi belli rudeis contumelioſe appellat, et ſe ducem ut ocius ſequantur jubet: velle enim [s] Schuitendiepae et ſuburbiorum munitiones, intra quas Groeningenſes pecora paſcenda libere agebant, evertere. Tum operculum labri butyracei corripit, et multis eum inſequentibus ad Schuitendiepam tendit; quam ſine ſcalis ſuperari non poſſe cum fruſtra ſui monerent, et ille interea incaute ad feneſtras jaculatorias fervidam dimicationem fixo prope corpore contemplaretur, ſcloppeti ictu in caput adacto ſternitur; et [t] Midelſtumii, ubi natus erat, ſepelitur; majore Rennebergii laetitia quam Ordinum dolore; qui, homine in cunctos contumelioſo ac ſibi gravi e medio ſublato, magna ſe moleſtia, quorum ille ſe rebus injuſſus miſcebat, levatos ſentiebant. Laetitia et in ſolicitudinem poſtea Rennebergii vertit, cum in hominis ſibi inviſi, ſed res temere gerentis, locum duces ſtrenuos ac belli peritos ſuſfectos ſenſit. Tandem obſeſſi e duobus propugnaculis depulſi, et amiſſa paſcendorum pecorum commoditate, non tamen animos deſponderunt, auxiliorum ſpe per literas et internuncios crebro commeanteis a prorege confirmati, quamvis multa adverſa incidiſſent. Nam et ſub id tempus de [u] Mechlinia et Willeſbroca ab Ordinibus capta allatum eſt: et auxiliares nuper ſummiſſae copiae deletae. Eas prorex prope [w] Carpam conſcribi curaverat; quae circa [x] Noveſium diu violenter graſſatae, equitibus aliquot adjunctis, cum in eo eſſent ut Rhenum tranſmitterent, a vicinis regulis partim oppreſſae ac caeſae ſunt, partim ultra Noveſium fugatae; ubi rurſus a [y] Bergenſibus et Marchenſibus itinere praecluſo, cum in Colonienſis ſeptemviri ditionem

ſe

INTERPR. [a] *Entens* [b] *Groningue.* [c] *Cornput.* [d] *d'Oltboff, Dam, Zuitleren, Vliet, Schagen, & Weda.* [e] *Over-iſſel.* [f] *de Sonoy.* [g] *Campen.* [h] *ceux de Deventer.* [i] *ceux de Swol.* [k] *ceux d'Utrecht.* [l] *ceux de Drenthe.* [m] *Oldenzeel, Steenwijck, & Haſſelt.* [n] *de Hohenlo.* [o] *Lingen.* [p] *de Wingaerde.* [q] *Coeverden.* [r] *Rolde.* [s] *Schuytendiep.* [t] *Middelſtum.* [u] *Malines & Willebroeck.* [w] *Carpen.* [x] *Nuys.* [y] *ceux de Berg & de la Marck.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

ſe effudiſſent, et populationibus late agros vaſtarent, duobus locis juxta [a] Linſium et Eindoviam VIII Eid. Apr. caeduntur ac diſſipantur. Reliquiae in [b] Manderſcheitenſem comitatum ſe ejecerunt; ubi denuo reſumptis viribus congregantur, ſumptibuſque [c] Buchonis Aitae B. Bavonis Gandavi praepoſiti ac diligentia inſtruuntur, adjunctis IV Germanorum cohortibus, quibus legioni Friſicae nomen fecere; eique Gaſpar [d] Robles Billius a nobis toties antea commemoratus praeerat, et per ejus abſentiam Martinus [e] Schenkius. Primarii duces legionis erant [f] Jo. Momius, Renatus Decama, Lollus Liaucama, Camminga, Arentus Gemenſis, Henricus Snaterus, Euertus Enſius, Wibbo Gotumius, Wolſius Prengerus, Steph. Hallerus, Samſo Peſtellus. His acceſſit Schenkii equitatus, cum quo erat Thomas [g] Epirota, veteranus eques et ſex proeliis ſecundis clarus, cum aliquot cataphractis equitibus; ita ut omnes III CIↃ peditum, IↃC equites conficerent; qui, unius tantum menſis ſtipendio accepto, et Rheno tranſmiſſo, Lingam tendunt. His ſe opponere juſſus a Friſiae Ordinibus Hohenlous comes; qui cum ad [h] Bocholtum cum attributis ſibi copiis conveniſſet, relicto in Groëningae obſidione [i] Gulielmo Naſſovio et Sonoio, rurſus pedeſtreis copias ſummitti poſtulat: nam majorem hoſtium numerum eſſe, quam ut iis cum exigua adeo manu aleam ſubire poſſet. Entenſſenia legio huic deſtinata; ſed licentiae ſub Bertelo nuper occiſo aſſueta cum imperium initio detrectaret, ſerius advenit. Interea [k] Hohenlous XVI Kal. Quintil. [l] Ulſena diſcedit, et [m] Coëvordam venit; ubi, refecto milite, de confligendo cum hoſte conſilium capit, eo magis, quod [n] Oldenzela et Swola alioqui ſummo in periculo verſarentur. Swolae tumultuatum erat, oppidanis praeſidium admittere recuſantibus; et qui regiis partibus addicti erant, ruſticis, qui majorum ſacra colebant, collectis, Schenkio adventanti ut iter ad ſe dirigeret ſignificaverant. Verum Proteſtantes anteverterunt, et [o] Olgeri atque aliorum ductorum auſpiciis ſubito ſumptis armis forum et B. Michaëlis templum, [p] Campenſem portam et Rubram turrim occupant; [q] Daventriaque et Campena auxiliareis copias evocant; quibus advenientibus, regii fugam capeſſunt, eorumque aedes ſtatim a concivibus diripiuntur. Pagi, et vici [r] Maſtbroecae, quod ruſtici ab Ordinibus alieni eſſent, incenduntur. In [s] Tranſiſelanis item [t] Gelmuida arx, a Carolo V olim ad [u] Vidri oſtium in Germanici Oceani [w] ſinu tranſlata, exuitur et ſolo aequatur.

XV. Quo ſucceſſu cognito, proceres, qui conſerendi proelii Hohenloo prius auctores fuerant, eidem, ut proelio deinceps abſtineret, conſulunt: nam, occupatis itineribus, commeatu intercluſo et mora rebus interjecta, hoſteis commeatus penuria, ſtipendii defectu, fame, ſeditione aut alia neceſſitate cogente diſceſſuros: congreſſum contra periculoſum eſſe, cum neque peditatu neque haſtatis ſatis inſtructi eſſent. Nihilominus Hohenlous pergit; et Coëvorda per aeſtum diei inter ericeta et arida camporum aequora Herdenbergam tendit; quo jam Schenkius cum ſuis ante pervenerat, et trium horarum quiete advectiſque cibis ſuos in umbra refecerat. Ubi in hoſtium conſpectum venit Hohenlous, exercitum adhuc de itinere feſſum in aciem inſtruit. In dextro cornu [x] Wingardi cohortem et partem cohortis [y] Cornupti collocat, cum Naſſovianis VII, [z] Cunigamio vicario ductore. [aa] Iſelſtenium, qui VII cohortes itidem habebat, et [bb] Zeniſeam cum Oldenzelenſi cohorte ad ſiniſtrum pone campum arboribus conſitum ſtare jubet. Omnino pedites erant CIↃIↃCCC: ante aciem III turmae equitum ſcloppetariorum egregie inſtructae ſtabant; et haud hinc longe

INTERPR. [a] *Lins & Eindoven.* [b] *de Manderſcheid.* [c] *Bucho Ayta, prieur de S. Baef à Gand.* [d] *Robles de Billy.* [e] *Schenck.* [f] *Hans Mom, Reint Dekama, Lol Liaukema, Camminga, Arent van Gemen, Hendrick Snater, Euert van Ens, Wibbo van Geutum, Wolf Prenger, Steffen Heller, & Samſon Peſtel.* [g] *Albanois.* [h] *Bocholt.* [i] *le comte Guillaume de Naſſau.* [k] *le comte de Hohenlo.* [l] *Ulſen.* [m] *Coevoerden.* [n] *Oldenzeel & Swol.* [o] *Ulger.* [p] *la Camper-poorte & la Tour rouge.* [q] *Deventer & Campen.* [r] *Maſtenbroeck.* [s] *Over-yſſel.* [t] *Geelmuyden.* [u] l'eau appellée *Swarte-water.* [w] *le Zuyder-zee.* [x] *Wingaerden.* [y] *Cornput.* [z] *Cuningham.* [aa] *Yſelſtein.* [bb] *Sedeniſta.*

longe Hohenlous ipſe cum equitatu ac tormentis VII majoribus. Aderat et Lubertus CIↃIↃLXXX.
[a]Kemenſis cum ccc equitibus. Univerſus equitatus CIↃCCCC equitibus conſtabat. HENRICUS III.
[b]Herdenbergae pagus ad flumen [c]Vechtam poſitus uno a Coëvorda, IV a Swola milliaribus diſtat. Sub meridiem coeptum proelium, cum Schenkius aſtu militari ſolem averſum haberet, et Hohenloo ab ortu venienti in oculos rejeciſſet. Heic poſt conceptas preces, pileis de more in altum jactatis, ac tormentis diſploſis, ſigna inferuntur. Primo a III Friſiis turmis acri impreſſione facta [d]Epirotarum equitum alae duae profligantur, Germanis fugienteis magna vi urgentibus, ita ut regius peditatus jam pedem referret, et Hohenlous ſe victoria potitum crederet: ſed, Friſiis equitibus poſt primum impetum palantibus, cum Schenkiani cataphracti cum magno ferentariorum numero in Hohenloenſem peditatum equitatu nudatum et raris haſtatis munitum incubuiſſent, ſtatim verſa fortuna; ſenſimque cedere pedites et campum Herdenbergae ſubjectum, quem Wingardus fruſtra occupandum cenſuerat, verſus tendere: ſed, cedentium veſtigiis acriter inſiſtentibus regiis, poſt aliquod certamen pars trans Vechtam aufugiunt, pars per paludes Coëvordam petunt. Equites, peditatu fuſo, et ipſi fugam corripiunt; quos Schenkiani acriter inſequuntur. Capti [e]Niveltius et Renoius, tribuni. Wingardus, conſilii ſalutaris, ſi ab Hohenloo auditus eſſet, auctor, in conflictu fortiter pugnans occubuit. [f]Popo Ufkenſius penſili vehiculo curſim fugiens, everſo curru, ab inſequentibus mactatur. Ad CIↃIↃ ex victis deſiderati, cum vix L ex regiis periiſſent. Schenkius tormentis potitus eſt, neque multis praeterea ſarcinis et impedimentis: nam major pars Coëvordae relicta erat. Hohenlous Oldenzelam, locum ſervaturus, contendit. Qui evaſere, protinus Coëvordam, non loci ſervandi ſed equos ac ſarcinas avehendi deſiderio, properant; ubi ut manerent, nullis precibus, minis, nec ſpe quidem facta a [g]Cornupto et Stenſelio Namſloo XIV ſignorum mox ad eos, relicta Groëningae obſidione, venturorum, perſuaderi potuerunt. Verum locum infirmum cauſati, et ob calores areſcentibus rivis quaqua pervium, praeterea commeatus et pulveris tormentarii penuriam, media nocte diſcedunt, et cum Cornupto [h]Oldenzelam ſe ad Hohenloum recipiunt. Poſtridie Schenkius Coëvordam petit; quam milite et incolis vacuam reperit. Qui adhuc in Groëningae obſidione haerebant, feſtos interea ignes accendebant, tormentiſque diſploſis quaſi victores publicam laetitiam ſignificabant; hac fallacia Groëningenſeis trium menſium et amplius obſidione ad ſummas anguſtias redactos deditionem facturos rati. Sed, cognito Schenkium Coëvordam veniſſe, nullis neque Naſſovii neque Sonoii monitis ac precibus adduci potuerunt, ut diutius in caſtris manerent: quibus ſine mora incenſis et raptis ſignis, [i]Doccumam et Collumam tendunt. Tum [k]Steovicam muniunt: et [l]Opſclaga [m]Wigeboldi Evaſumii arx contra Proteſtanteis tractus maritimi a [n]Billio olim munita, et poſtea a [o]Rennebergio ſolo aequata, denuo inſtaurari coepit. Variis inde ab utraque parte ſed levibus expeditionibus certatum. Schenkius triumphanti ſimilis Groëningam ingreditur. [p]Delfezielam in canalis oſtio, qua [q]Amiſus influit, ſitam Rennebergius ducit, quae ab aliquot cohortibus ipſi addictis tenebatur: qua aggeribus circundata, Opſclagam, antequam munitionibus et commeatu inſtrueretur, cingere feſtinat; et in itinere [r]Rinſvodae et Eſcedae cohortes ab Ordinibus auxilio miſſas caedit, Rinſvoda ipſo capto: nec multo poſt locus Rennebergio deditur. Inde Collumam tendit; et Doccumam in litore poſitam in poteſtatem redigere ſtatuit, ſitu firmam, ſed fere apertam et nullis moenibus munitam.

INTERPR. [a]*de Kemen.* [b]*Herdenberg.* [c]*Vecht r.* [d]*Albanois.* [e]*Nivelt & Renoy.* [f]*Pompeius Uſkens.* [g]*Cornput & Stenſel van Namſlo.* [h]*Oldenzeel.* [i]*Doccum & Collum.* [k]*Steenwijck.* [l]*Opſlagh.* [m]*Wigbolt van Euwſum heere van Nieuoort.* [n]*le ſieur de Billy.* [o]*le comte de Renneburg.* [p]*Delfziel.* [q]*Ems r.* [r]*Rinſweuden & Eſchada.*

munitam. Anno quippe hujus ſaeculi XXIII a Joanne [a] Goldenſtenio Geldriae praefecto cum in [b] Waſſenari et Schenkii manus tradita eſſet, moenia et arx dejecta fuerant. Eam Hohenlous muniendam ſuſceperat, magno militum numero illuc evocato. Tum [c] Oſtmahornam milliari a Doccuma diſtantem inſtaurat, et [d] Diepam e regione Collumae ruſticorum bene erga Ordines animatorum cuſtodiae committit, et [e] Doccumerzielam vallo foſſaque firmat. Diverſa parte, [f] Enrſius Coëvordae praefectus cum II ſignis et valido ruſticorum agmine [g] Meppelam munit, et vetera [h] Kinchorſtae moenia juxta oppidum inſtaurat, quae anno hujus ſaeculi XXXVI, tradito a [i] Magerhenio loco, diruta fuerant. Verum ſupervenientes Campena ab Ordinibus miſſi auxiliares opera diſturbant, et Meppelam Kinchorſtamque denuo occupant. Sub id tempus Ordines, ut excurſiones regiorum prohiberent, et maxime eorum qui per Rhenum navigantes Groëningam petebant, complureis naveis, quarum ſingulae X tormenta portabant, inſtruunt, et ſuperiorem fluminis tractum ad Coloniam uſque occupant: verum, cum inde principes Rheni accolae magnas incommoditates et graviſſimas ſuorum querelas ſentirent, contraria claſſe inſtructa eas retro cedere et per Rhenum deſcendere poſtremo ſubegerunt. Interea Delfezielenſes arctius in dies obſidebantur, portu aggeribus et foſſa ita circumſepto, ut neque aditus neque exitus pateret. Fruſtra ſummiſſae ex Batavia auxilio naves, ut commeatu regios intercluderent: tandemque, cum viribus impar Hohenlous hoſteis crebro laceſſendo ab obſidione avertere fruſtra conatus eſſet, praeſidiarii IV Kal. Sextil. locum dedunt. Inde Doccumam redit Hohenlous: et Opſelagam circumvallatam ac mox [k] Monincerzielam a Rennebergio aggeribus cinctam viciſſim deditione capit: tum Joannis [l] Norriſii [α] XX Anglorum ſignis in Friſiam ab Ordinibus, [m] Morgano duce, miſſis, et equitum turma, praeterea Michaelis [n] Caulerii Belgicis [β] VII cohortibus et aliquot Germanis adjunctis, qui ſpe Delfezielanae obſidionis ſolvendae venerat, fretus, contra Rennebergium, quatuor ſignis in itinere ſub id tempus caeſis exultantem, ducit, recentique clade ad Herdenbergenſem accedente exaſperatus cum ad Herdenbergam ipſam adſecutus aciem inſtruit. Verum Rennebergius caute ſe in tempore recipiens periculo eripuit, et Groëningam petiit; de qua obſidenda cum Hohenlous cum ducibus conſultaret, res periculi et dubii eventus plena viſa eſt. Itaque, caſtris ad [o] Zuitlarum et Nortlarum poſitis, Hohenlous iter [p] Ponterburgenſe inſedit. Tunc et arx [q] Werdenbraſa, quam Ezardus Embdenſis comes Georgii Saxonis ſummus vicarius olim anno CIƆIƆV ad prohibendam frumenti ex [r] Drentha Groëningam importationem exſtruxerat, rurſuſque anno hujus ſaeculi XVI [s] Euervinus comes Benthemius ejuſdem principis legatus diruerat, a Cornupto inſtaurari coepta eſt. Inde exercitus Coëvordam ducitur; et primo adventu ab Iſelſtenio urbs capta. Confeſtim arcem dedere praeſidiarii juſſi, ſpatio ad deliberandum petito et conceſſo, tandem cum Hohenloo tranſigunt. Captus in ea [t] Blommardus ille, qui Chriſtophoro Mondragonio ante VIII annos [u] Goëſae oppidulo in Mattiacis ſuppetias laturo ſe viae per periculoſa maris brevia ducem praebuerat. In ea obſidione Hohenloo et Willelmo Naſſovio ſub veſperam ad pontem uſque Groëningae equitantibus, globus VI librarum tormento diſploſus in pedem laevum Naſſovii incubuit; qui protinus [w] Swolam et inde [x] Campenam lectica delatus vix longo poſt tempore ſanitati reſtitutus eſt. Jamque inclinata tempeſtate, per praeſidia exercitus dimittitur: Hohenlous tamen tot damnis irritatus, ne nihil ageret, Lingenam obſeſſurus

VAR. LECT. [α] x Anglorum *D.* f. d. [β] VI cohortibus *D.* f. d.

INTERPR. [a] *Golſtein Droſſart de Gueldre.* [b] *de Waſſenaer.* [c] *Oſtmahorn.* [d] *le canal de Reediep à l'oppoſite de Collum.* [e] *Doccumerziel.* [f] *Ens droſſart*, ou *prevoſt de Coevoerden.* [g] *Meppel.* [h] *Kinckhorſt.* [i] *Mager Heyn.* [k] *Moninckerziel.* [l] *Norris.* [m] *Morgan.* [n] *Caulier.* [o] *Zuydlaren & Noordtlaren.* [p] *Ponterbrugghe.* [q] *Waerdenbras.* [r] *Drenthe.* [s] *Euerwijn, conte de Bentheim.* [t] *Bloemaert.* [u] *Ter Goes en Zelande.* [w] *Swol.* [x] *Campen.*

obſeſſurus tendit; ad quam relicta Anglorum legione, cum reliquis copiis [a] Weddenam petit. Rurſus, praeter ſpem reſiſtenribus praeſidiariis, [b] Slocteram verſus properat, ad [c] Delfezielam reciperandam ea expeditione ſibi viam, ut rebatur, muniens, tot locis magno errore diviſis copiis. Nam, eo cognito, Rennebergius ſubito [d] Opſelagam ducit jam munitam, ſed tironum praeſidio firmatam; quam et deditione, contra quam rebatur Hohenlous, Kal. Sept. capit, et captam ſolo aequat. Mox ad Slocteram quarto poſt die [e] Naſſovii et [f] Caulerii legiones ſub diluculum adſecutus valido [g] ferenrariorum agmine immiſſo disjicit; paulumque abfuit, quin Caulerius ipſe caperetur, qui tamen ſumma prudenria ac virture reſtirutis ordinibus acieque inſtructa ſenſim cedendo et per intervalla dimicando [h] Hilligerleum et Winſcotam, ubi Hohenlous cum Germanorum agmine erat, incolumeis ſuos deduxit; et inde ſimul Weddenam praetergreſſi [i] Burtangam uſque veniunt: ſed ibi rurſus, violentius, quam antea, Rennebergianis incumbentibus, tandem ſolvuntur ac caeduntur. VIII ſigna peditum capta; vexillum I equitum. Tormenta quoque, ante Weddenam depoſita, et omnia impedimenta amiſſa. Quo ſucceſſu dum ſecurior Rennebergius in [k] Auvarta magna ageret, [l] Entenſſii et [m] Blancevorti novas copias opperiens, ſuique vicinum circa agrum licentioſe populantur, Collumae et Doccumae praeſidiarii eos in ipſo monaſterio VI Eid. Sept. opprimunt, et, aliquot interfectis, ad CCC capiunt; moxque monaſterium ipſum cum commeatu et ſarcinis, quas aſportare non potuerunt, incendunt. Poſtea Rennebergius novis viribus ſubnixus [n] Coëvordam tendit: qua itidem XII Kal. Oct. aqua e foſſis derivata, potitur, praeſidiariis cum gladiis et ſatcinis libere abire permiſſis. Inde Oldenzelam petit; cujus in praeſidio erant [o] Sweteni et Wiſcheri Amſterodamenſis cohortes CC peditum, cum [p] Elerbonis equitum turma. Loco praeerat [q] Eklus adoleſcens ſtrenuus. Oppidum ſatis amplum Coëvorda V milliaribus, [r] Daventria VI abeſt, alro muro turribus more veteri ſtructis diſtincto ac duplici foſſa, vallo intermedio, cinctum. Aqua aggeribus continetur, quibus apertis induci et ejici poteſt. Ab ea parte, qua [s] Benthemum ſpectat, quod nullis fere propugnaculis munita ſir, Rennebergius vim facit, et flammas portis admovet: ſed, amplius deſideratis CCC ex ſuis, cum in eo eſſet ut ab obſidione diſcederet, in oppido exorta ſeditio res miſcuit: nam, regiis partibus addicti cum praeſidiarios magna violentia repreſſiſſent, Rennebergium abeuntem revocant, et, praeſidiariis vitam ac res ſalvas pacti, dum ne intra trimeſtre contra regem mererent, intra urbem accipiunt. Id actum VIII Kal. Octobreis. Arridente fortuna, Rennebergius inde [t] Swolam ducit, et Joannem [u] Petemium Caulerii vicarium ac [w] Creſſonerium, urbem cum ſuis intrare properanteis, praevertit capitque. Sed, cum de loco capiendo deſperaret, et Hohenloum auxilio ſuis laborantibus venturum provideret, novae legioni ultra Rhenum venienti conjungere ſe ante omnia ſtatuit. Ea, quod Geldris, Ultrajectenſibus et Tranſiſelanis domo profugis conſtaret, Geldrica ſeu Sicambrica legio vocabatur; cui cum ſummo imperio ptaeerat Joannes [x] Streufius Emericenſis, ſub eoque plures cohortium duces, et in his [y] Batenborgius Anholtius filius, qui cum M. Schenkio, qui arcem [z] Blienbekam proprio nomine tenebat, infeſtam Rheni et Moſae navigationem negotiatoribus faciebant, capta nuper nave precioſis mercibus onuſta, quam ambo inter ſuos milites diviſerant. Quia vero Anholtius a Geldris, quorum partes inirio ſequebatur, deſecerat, et in exercitu regio merebat, [aa] Hegemanus cum ſuis [bb] Neomago egreſſus Anholtam exiguum oppidum, ut defectionem et injurias a loci

domino

INTERPR. [a] *Wedden.* [b] *Slochteren.* [c] *Delfziel.* [d] *Opſlagh.* [e] *le Comte Guillaume Ludovic de Naſſau.* [f] *Caulier.* [g] *ſes chevaux legers.* [h] *Heyliger-lee & Wijnſchoten.* [i] *Bourtaigne.* [k] *Auwaert.* [l] *le prevoſt, ou Droſſart Ens.* [m] *Branckevoort.* [n] *Coevoerden.* [o] *de Swevegem & Viſſcher.* [p] *Elderborn.* [q] *Eeck.* [r] *Deventer.* [s] *Bentheim.* [t] *Swol.* [u] *Petijn.* [w] *le capitaine Creſſoniert.* [x] *Streuf d'Emmerick.* [y] *Jacob van Broncherſt & Battenborgh, fils d'Anholt.* [z] *Blyenbeeck.* [aa] *Hegheman.* [bb] *Nimegue.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

domino acceptas ulciſceretur, quamvis in imperiali ditione ſitum, hoſtiliter invadit, ac captum diripit.

XVI. GELDRICA legione accepta, Rennebergius [a] Dotinchemum ducit, quod parum munitum ſubito deditionem facturum ſibi perſuaſerat: ſed, cum praeter ſpem ab [b] Anglis Doisburgenſibus et Mich. [c] Caulerii legione acriter reſiſteretur, ne tempus inutiliter tereret, [d] Grollam praeſidio firmat; et XV Kal. Nov. [e] Stenvicam ducit cum XXVIII ſignis; videlicet XIV legionis Friſicae, cui, Joanne [f] Momio in levi certamine forte occiſo, Jo. Bapt. [g] Taxis ſummi vicarii loco praeerat; IX novae legionis Geldricae; V legionis Rennebergicae; quae omnes VI CIↃ peditum conficiebant. Aderant praeterea equites circiter CIↃCC. Stenvicam tenebat [h] Oltoffius cum ſua praeſidiaria cohorte; cui et Cornuptana adjuncta, quam initio, qui in urbe regiis partibus addicti erant, admittere recuſaverant: ſed Proteſtantium tandem ope cum ut admitterentur conveniſſet, non prius tamen [i] Cornuptus urbem ingredi voluit, quam oppidanis ſacramento adactis, non ante de deditione acturum quenquam, quam ipſe primus verba faciat; qui ſecus fecerit, eum occidere impune liceat. Eo juramento praeſtito pridie quam obſideri coepta Stenvica eſt, Cornuptani introducuntur, qui decoris avidi ſtatim duabus portis eruptionem faciunt, domos vicinitate urbi incommodanteis incendunt, et commeatum ac pulverem tormentarium ſecum invehunt. Urbs eſt ad [k] Aam amnem ſita, nomine compluribus aquis ex nigris paludibus tota regione profluentibus communi, non admodum ſpatioſa; quippe quae vix CIↃLX paſſuum ambitu pateat, arcus ſpecie. Profunda foſſa ac lata, tenuibus muris, praealtis turribus ſed anguſtis cingitur. Ad ortum et meridiem tribus portis, [l] Oſtorda, [m] Omringeta, [n] Gaſtuſia, intratur. Juxta Gaſtuſiam, adhuc maceriae veteris arcis a Georgio Schenkio anno hujus ſaeculi XXIII exſtructae, et poſtea, [o] Tranſiſelana regione a Carolo V Belgio adjuncta, dirutae, viſuntur. Ad occidentem eſt [p] porta Waltea, ad quam naves appellunt. Aquilonem verſus prata ſubjacent, quae [q] agger media dividit, ponte ab ea parte amni impoſito, tam prope, ut tantum ſcloppeti jactu ab urbe abſit. Omnino IↃC in urbe bellatores erant; et CCC circiter oppidani armis inſtructi, ſed fere belli rudes: nulli praeterea equites, nullaque tormenta majora, nulli duces tanta dignatione quorum imperia detrectare militi fraudi eſſet: itaque et multa ſevere et ex diſciplina militari decreta inter obſeſſos negligebantur, et cuncta fere confuſe agebantur. Cumque Rennebergius caſtra vallo ac foſſa muniviſſet, obſeſſi fidei Cornupto datae immemores, ipſoque a pudendo et periculoſo eos conſilio dehortante, epiſtolam ad Ordines perferendam ſcribunt IX Kal. Nov. cujus ſumma erat; niſi intra octo dies auxilia ſummitterentur, fore, ut urbem hoſti dederent: ad quam Ordines literis conſolationis plenis reſcribunt. Cum vero neque ſcribendi neque conquerendi finem facerent, Cornuptus contrario ſcripto ad intempeſtivas adeo querelas reſpondet; quo neque neceſſitate nec ullis admodum gravibus incommoditatibus conflictari obſeſſos, adeoque, cum ad VI amplius menſeis cuncta abunde proviſa ſint, fruſtra de auxiliis Ordinum aures fatigari demonſtrat. Interea ad [r] Kuinderam [ſ] Eſcedae et Rudolfi Langii cohortes dum ſecurius agunt, a regiis, [t] Arnoldo Gemeno, [u] Snatero, et aliis ducibus, noctu opprimuntur ac caeduntur: Eſceda ipſe capitur: vix Langius, ſigno amiſſo, fuga evaſit. Dein ad [w] repagulum Gaſtuſiae portae ignis ab hoſtibus immiſſus, cado pice liquida, ſtramine et ſulſure referto admoto: ſed tantum periculum, quod inde urbi imminebat, Arnoldus quidam, qui Cornupto militabat, opera ſua ultro delata, juxta audaci ac laudando facinore diſcuſſit. Nam e moenibus

INTERPR. [a] *Dotechem*, ou *Deutechum*. [b] *les Anglois de Duysbourg*. [c] *Caulier*. [d] *Groll*. [e] *Steenwijck*. [f] *Mon*. [g] *de Taxis*. [h] *Olthoff*. [i] *le capitaine Cornput*. [k] *Aa r*. [l] *la Oeſter-poorte*. [m] *la Ommer-poorte*. [n] *la Gaſthuys-poorte*. [o] *Over-iſſel*. [p] *la Walt-poorte*. [q] *chauſſée*. [r] *Kuynder*. [ſ] *Eſchada & Roeloff van Langen*. [t] *Aert de Gemmen*. [u] *Snater*. [w] *la barriere de la Gaſthuys-poorte*.

moenibus demiſſus foſſam natatu ſuperavit ore ſitulam coriaceam trahens, qua per otium hauſtis aquis incendium, cado amoto, reſtinxit, identidem ſublata voce obſeſſores per militarem laſciviam ſceleſtos ac latrones vocitans, ſeque [a] Arnoldum Groeningenſem cervisiarii filium eſſe alta voce proclamans. Tandem Rennebergius VI Kal. Nov. in caſtra venit, cum proregis mandatis, ut non prius quam capta urbe ab obſidione diſcederet; ac poſtridie deditionem imperat. Recuſantibus praeſidiariis, admota primo III tormenta. Nec Cornuptus ceſſabat, qui expeditam muniendae urbis rationem oſtendebat, ſi ultra urbis foſſam, ad loricas exteriores viam opertam ſternant: ſic enim ampliari foſſam, et tutiores eruptiones fore; ad haec, commoditatem majorem foſſis gelu concretis glaciem frangendi, et hoſtium oppugnationes a tranſverſa et inferiore parte citra ullum diſcrimen propulſandi: ſed nequaquam auditus ille, [b] Conrado Theodoro, cujus [c] Plateus et alii tribuni ſententiam fere ſequebantur, homine turbidi ac temerarii ingenii ſemper contradicente. Interea cum provinciae Ordines ad [d] Septem-ſilvas, id loco nomen, IV cohortes miſiſſent, ut populationes Rennebergiorum impedirent, Rennebergius mox eodem aliquot ſuorum melius inſtructas ablegat, quarum adventu [e] Jovini Botinae copiae et [f] Bolſvertae praeſidiarii ocius diſcedunt, et [g] Fernonem aliamque cohortem cum aliquot equitibus deſerunt, qui ſupervenientibus regiis poſt obſtinatum certamen caeſi ſunt, Fernone ipſo ejuſque minimo natu fratre deſideratis. Inde regii [h] Slotam petunt, quae a duobus ſignis tenebatur; quae, diffugientibus praeſidiariis, ut et [i] Lemmera, illis patuit. Continuo [k] Staveram ducunt; arcemque, magno errore antequam urbs munita eſſet a Friſiis nuper dirutam, inſtaurant, ac [l] Worcumae propugnaculum conſtruunt; ex quo quotidie infeſtis populationibus uſque ſub [m] Harlingae, Franikerae et Bolſvertae portas excurrebant. Spes ab inundatione aequoris camporum ſubjecti initio fuerat: ſed, ſudo adeo ac ſereno coelo et vento adverſo, nihil ab obſeſſis hac ratione confici potuit. Ineunte Novembri eruptione acri a praeſidiariis per Gaſtuſiam portam facta certatur, ad quam jam altum e ceſpite [n] propugnaculum regii exſtruxerant, ac [o] gerras VII impoſuerant; diſturbatique ſtationarii, et aliquot capti. Nihilominus confuſe in urbe agebantur omnia, dum Cornuptus non auditur. Tandem, cum vehementi gelu foſſis concretis rumpendae glaciei neceſſitas incumberet, communi conſilio ad loricam exteriorem excavandam, ſed ſerius, operas conjungunt. Nec tamen a crebris et importunis auxiliorum flagitationibus interim ceſſabant, literis in eam rem ac nunciis crebro miſſis: quibus tandem effectum eſt, ut Ordines [p] Stuperum cum ſuo agmine in [q] Sluſam nigram ac VI praeterea Hegemani cohortes ad Joannis-fanum, quod eſt [r] coenobium prope Wollenhovam, miſerint; quae XV Kal. Dec. a regiis ſtatim invaduntur, et poſt egregie navatam ab Hegemanenſibus operam caeduntur. Capti militum ductores, Joannes [ſ] Vianenſis, [t] Gedeon Pameranus et Joannes [u] Wicmanus: magna et vis pulveris capta, cujus ſubſidio poſtridie Rennebergius, cum alioqui antea penuria hujus rei laboraret, [w] Gaſtuſiam portam pulſare incipit: decuſſiſque munitionibus, poſt magnam ſtragem cum jam aedes extarent, regii globos ferventeis fuſili ignita materia fartos in eas jaculantur, foeno fere et ſtramine plenas, quae ſubito incendium conceperunt, quod Euro flante vi tanta graſſatum eſt, quanquam oppidanis ad flammas reſtinguendas et militibus ad omnia accurrentibus, ut duodecima urbis pars igne abſumpta fuerit. Sed commodum accidit, ut eadem venti violentia incendio extra urbis moenia ſparſo glacies pleriſque locis ſoluta ſit;

et

INTERPR. [a] *Arent de Groningue, fils d'un braſſeur de biere.* [b] *Coen Dirckſen.* [c] *le capitaine Plaet.* [d] *Seven-wolden.* Petit traduit *les Sept Foreſts.* [e] *Jouw Botina.* [f] *Bolſwaert.* [g] *Ferno.* [h] *Sloten.* [i] *Lemmer.* [k] *Staveren.* [l] *Worcum.* [m] *Harlingen, & Franecker.* [n] *un cavalier.* [o] *des gabions.* [p] *Stuper.* [q] *la Swarte Sluys.* [r] *monaſtere de Wollenhove.* [ſ] *de Vianen.* [t] *Gedeon Pameren.* Meteren met *Van Romeren.* [u] *Wichmans.* [w] *la Gaſthuys poorte.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III. et regii, qui ad vim faciendam interim ſe comparabant, fumo et ignis vi infeſtati vallum relinquere cogerentur. Itaque et incendium tandem per otium ab oppidanis reſtinctum, et oppugnatioois paratae periculum urbs evaſit. His ignitis globis fuſilibus [a] Gedanenſcis ante triennium contra Stephanum Polooiae regem uſos ſuo loco diximus: et jam ante anno hujus ſaeculi XXII itidem Decembri menſe eundem caſum haec ipſa urbs paſſa fuerat, cum Geldri nocte ignitis ſuo more jaculis immiſſis eam vi ceperunt ac crudeliter diripuerunt; et, ſi quidem noctu id tentaſſet Renoebergius, de [b] Stenvica rei militaris peritorum judicio actum erat. Cum hic conatus non ſucceſſiſſet, Rennebergius rurſus miſſis tubicinibus obſeſſos ad deditionem cooditionibus aequiſſimis oblatis invitat. Verum generoſe admodum ab obſeſſis et [c] Plateo in primis reſpooſom, qui tamen ſtatim mutavit: nam, cum inter praefectos conveniſſet, quamdiu in urbe ſit quod edatur, ut de deditione noo ageretur, ſeditiooe exorta, ille ad ſeditioſorum partes inclinavit. Nec propterea [d] Cornuptus animum deſpondit; ſed tumultuantibus oppidanis in forum imperterritus cum [e] Berenbrokio et Lazaro Auſtriaco Oltofii vicario venit, et, imperioſe plebe ſaceſſere juſſa, cum quidam lanius reſtitans importune occioeret, Quid nobis tandem fiet, cum nihil amplius erit, quod edatur? Cornuptus admodum graviter, Atqui nondum, inquit, hoc tempus advenit: quod ſi tamen continget, tunc te, ſceleſte, ac tui ſimileis omnium primos devorabimus. Qua ratione ad praeſens compreſſa ſeditio: et, ad reſtinguendum, ſi ab hoſtibus immitteretur, incendium proviſum, ut in unaquaque platea ac domo excubiae nocturnae diurnaeque agerentur a foeminis ac pueris, qui ſervarent, nè quid ignitae materiae a regiis in aedeis immitteretur: quod ſi accideret, eam mox uncis ferreis amoverent, inſuper manicis ex panno aqua madefacto cooſectis globum tollerent, quod citra laeſioois periculum fieri poterat. Inde ob monetae penuriam et ex eo commeatus auctum pretium rurſus in urbe tumultuatum: ſed, facta ſpe ab Ordinibus auxiliorum, motus ſtatim quievit. Id magna contentione io concilio agitatum; cum alii dicerent, tanti non eſſe Stenvicam, ut de ea uoiverſarum rerum alea ſubiretur, quod in obſidionibus ſolvendis ſere evenit; alii contra eam veluti Friſiae, [f] Wollenhovae et Drenthae clavem eſſe contenderent; qua ſi hoſtis potiretur, Friſia, occupatis jam omnibus locis maritimis, a ceteris provinciis omoino divideretur: et vicit eorum ſententia; miſſuſque Joannes [g] Norriſius Anglus cum XXIV ſignis admodum numero deminutis; qui [h] Sluſam profectus novam cohortem, ductore Othone [i] Sanctio, recens conſcriptam cecidit, pagumque incendit: inde, Sluſae relictis III ſignis, [k] Meppelam tendit: ibi cum Rennebergianis pugnatum, deteriore ipſorum conditione, quorum plerique caeſi, multi rupta glacie aquis hauſti; et in his [l] Arnoldus Gemenſis ſtenuus ordinum ductor; II ſigoa capta et armorum oiagna vis. Introductum in urbem unum ſignum, comitantibus XL ſtipendiariis, qui IↃCCL libras pulveris tormentarii ſaccis coriaceis una ſecum tulerunt. Dum haec aguntur, in eruptione quadam Plateus occubuit, haud magno obſeſſorum damno; quippe qui plebi tumultuanti ſemper adhaereret: et in ejus locum ſubſtitutus Berenbrokius, antea Stuperi cohortis legatus. Miſſa et ab Ordinibus pecunia aurea, qua ſtipendiariis ſatiſfieret. Demum prid. Kal. Jan. Norriſius impreſſionem trans paludem in regios facit, eodemque tempore praeſidiarii erumpentes hoſtem in fugam vertunt, ac tormenta relicta ferreis malleis corrumpunt.

XVII. SUB id tentata a Rennebergio [m] Hattuma, quae a XV haud amplius Ordinum ſtipendiariis tenebatur. Id aſtu Willelmi [n] Monfortii urbis praefecti filii actum, qui

INTERPR. [a] *ceux de Dantzick.* [b] *Steenwijck.* [c] *la capitaine Plaet.* [d] *Cornput.* [e] *Berenbroeck & Lazare d'Autriche lieutenant d'Oltheſ.* [f] *Wollenhove & Drenthe.* [g] *Norris.* [h] *la Swarte-ſluys.* [i] *de Sant.* [k] *Meppel.* [l] *Aren van Gemegen.* [m] *Hattum.* [n] Meteren l'appelle *Lodewijck van Montfort Droſſart de la ville.*

qui XL praeſidiarios ex arce [a] Blienbekana cum [b] Fonkero militum ductore nocte in arcem intromittit, et praeſidiarios Ordinum vino obrutos in conclave concludit: tum e veſtigio ope auxiliariorum in urbem deſcendit, et [c] Hegemanum, qui illac iter faciens Hattumae pernoctabat, alioſque in loco oppreſſos in arcem ducit; quod oppidani Proteſtantes, numero factioni adverſae impares, cum ſilentio diſſimulaſſent, [d] Swolenſes ductu Jacobi [e] Mechlinienſis, cui [f] Daventrienſes et Elborgenſes ſuas copias junxerunt, protinus Hattumam ducunt; et ex urbe VI tormentis admotis arcem pulſant, tandemque XV Kal. Jan. interventu Hegemani captivi fit deditio ea conditione, ut praeſidiarii incolumes dimitterentur; Ludovicus [g] Montfortius urbis praefectus et Willelmus ejus filius inſidiarum machinator captivi retinerentur. Ii poſtea ordinum Geldriae ſententia, quod fidem datam feſelliſſent, ſecuri percuſſi ſunt, et in quatuor partes diffiſſi. Ab eo tempore [h] Stenvicana obſidio ad Februarium uſque ſequentem continuata, ſed irrito fere ſucceſſu.

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

XVIII. Hoc anno Philippus adhuc in regni Luſitani finibus erat: quo tandem in poteſtatem redacto, Antonium in regem a factionis ſuae proceribus et ordinibus electum proſcripſit, et Arauſionenſem proſcribi mandavit. Ea de re inſtrumentum [i] Trajecti ad Moſam confectum eſt Eid. Mart. et, adjunctis Alexandri Farneſii proregis, cum [k] Montes Hannoniae veniſſet, XVII Kal. Quintil. ad praefectos et conſules urbium literis, publicatum; quo, poſt exprobratorias beneficiorum a Carolo parente ac ſe acceptorum commemorationes, et acerbam eorum, quae contra regem machinatus erat, narrationem, Arauſionenſis tanquam perduellis, Sectarius, hypocrita, et exulceratae ac praefractae conſcientiae, alter Cainus ac Judas, (haec nomina ad majorem invidiam addita) orbis Chriſtiani peſtis, et generis humani hoſtis, diris devovetur: et occiſioni ejus caput, bona praedae exponuntur; praemium inſuper iis eorumve heredibus, qui illum ſeu vivum ſiſtent ſive mortuum tradent, XX aureorum CIↃ proponuntur. Eodem inſtrumento proſcripti Arauſionenſis ſectatores, fautores et receptores. Ad hoc programma poſtea Arauſionenſis ampliſſimo ſcripto apologiae nomine reſpondit; quam et Eid. Dec. typis excuſam in conventu [l] Delfienſi exhibuit. Ea elevatis beneficiis a patre filioque acceptis, et contra meritis propriis ſuorumque commemoratis, criminationes objectas de machinationibus fuſe diluit: et, quia illi tertiae nuptiae exprobratae fuerant cum Carlota Borbonia Monpenſerii ducis filia ante ſexennium contractae, earum occaſione in acerbam et immodicam contra Philippum accuſationem rapitur; et cum Iſabella Oſoria contractas nuptias, antequam Luſitanicam infantem in uxorem duceret, ex iiſque ſuſceptos liberos objicit, parario [m] Roderico Gomeſio Silva, et poſtea ſpe nuptiarum corruptam Euſraſiam, quam, ut erat, gravidam A. [n] Levae Aſculi principi in matrimonio collocavit: tum uxorem legitimam Iſabellam regis Chriſtianiſſimi ſororem nefario ſcelere de medio ſublatam regerit; quod et probationibus, quae penes fratrem regem ſint, conſtare dicit; idque ab eo factum, ut, uxore legitima extincta, inceſtuoſum cum ſororis filia conjugium contraheret, et quaſi alter Jupiter, qui Junonem ſororem duxit, deteſtando exemplo honeſtatem ac ſanctimoniam nuptiarum nefaria conjunctione pollueret. Poſtea Ordines apologiam, quantumvis moderatiores nimiam eam exiſtimarent, recitari publice juſſerunt; et auctoritate atque approbatione ſua firmarunt: datiſque ad Chriſtianos principes literis Arauſionenſis prid. Non. Febr. eos rogat, ut juxta Ordinum, quibus de fide ac ſinceritate ſua abunde tanquam idoneis actionum ſuarum teſtibus conſtet, approbationem et illam criminationum defenſionem in bonam partem accipiant,

INTERPR. [a] *de Blienbeeck.* [b] Meteren l'appelle *le Sergeant Foncheco.* [c] *le capitaine Hegheman.* [d] *ceux de Swol.* [e] *de Malines.* [f] *ceux de Deventer & d'Elbourg.* [g] *de Montfort Droſſart.* [h] *de Steenwijck.* [i] *Maeſtricht.* [k] *Mons.* [l] *eſtats generaux à Delft.* [m] *Ruy Gomez de Silva.* [n] *de Leyva, prince d'Aſcoli.*

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

accipiant, nihilque de ſe ſiniſtrum aut familia illuſtriſſima ſua indignum ſibi perſua-
deri patiantur.

XIX. Hic annus et inſigni divinae contra fanaticam Anabaptiſtarum Sectam ul-
tionis exemplo memorabilis fuit. Hujus praeco primarius Melchior Hofmannus di-
citur; qui complices ac conſcios ab initio habuit Baltaſarem [a] Hubmoetum, Jo.
[b] Hutum, Lud. [c] Hetzerum, Melchiorem [d] Rinkium, Joannem [e] Denkium et Tho-
mam [f] Muncerum. Ruſtici belli in Germania incentor Hofmannus principia vene-
natae doctrinae [g] Emdae jecit; et, relicto in ea urbe Joanne [h] Tripenmarkero, qui
vicem ſuam fungeretur, ſuperbia inflatus [i] Argentinam conceſſit, ut plures deteſtandae
ſuae conjurationi addictos haberet, et latius toxicum ejus ſpargeret. Hujus digreſſu
non diu ſecretum Tripenmarkero commiſſum tegi Emdae potuit: neque per con-
cionatores evulgata, ille ſibi metuens Amſterodamum confugit; ubi rurſus detectus
et [k] Hagam deductus vitam merito ſupplicio finivit. Interea Hoſmannus aſtu occulto
Argentinae et circa urbem graſſabatur, multoſque ſectatores ſibi conciliaverat. Tan-
dem ex ſuſpicione captus in ſqualore carceris periit, cum fruſtra ſuis de libertate
brevi inſolito coeli favore reciperanda ſpem feciſſet, et ſe cum centum quadraginta
quatuor Apoſtolorum millibus quaſi verum Eliam ſpiritualem Jeruſalem et juſtitiae
regnum inſtauraturum religioſa aſſeveratione promiſiſſet. Ex eadem ſentina interim
exorti Leonardus [l] Jooſtenus, et ejus uxor Urſula, quae eodem fanatico ſpiritu in-
cenſa ſe vatem perhibebat; et poſt eos Joannes [m] Matthias piſtor Harlemienſis, qui
pertaeſus legitimae uxoris jam provectae aetatis, ut aliam juniorem duceret, licen-
tioſam ſectam majore quam quiſquam pervicacia amplexus eſt, ſe Enochum dictitans;
et baptiſmum, quod Hoſmannus dum in carcere putreſceret ad tempus differendum
cenſuerat, quemadmodum Zerubbabel et Haggaeus templi inſtaurationem diſtulerant,
inter ſuos renovavit; et Joannem [n] Lugdunenſem, qui poſtea tantam tragoediam
[o] Monaſterii in Weſtfalia excitavit, et Bernardum Rotmanum in Germaniam, ac
poſtremo Gerardum [p] Boëkbinderum Amſterodamum ad peſtiferam doctrinam diſſe-
minandam miſit. Ex Sectatorum numero fuere Bartholomaeus Boëkbinderus Gerardi
frater, Theodorus [q] Cuperus, Joannes [r] Sharderus, Petrus [s] Hautſagerus, [t] Theodorus
Philippus, Jacobus [u] Campenſis, Cornelius [w] Brielenſis, Nic. [x] Alkmarienſis, Mei-
nardus [y] Delfienſis, Obbo Philippus; qui poſtea recantavit, et ingenua ac libera con-
feſſione impoſturas ſociorum detexit. Is etiam, dum eodem errore detineretur,
Davidi Georgio Delfis, Theodoro Philippo [z] Damae, et [aa] Menoni Simoni [bb] Groën-
ingae manus impoſuit. Et, quis exitus Davidis Georgii fuerit, in ſuperioribus abunde
demonſtravimus. Theodorus Obbonis ſuaſu poſtea reſipuit. Meno dignum vita
propudioſa exitum habuit. Poſt Davidem inter ſocios regnum arripuit Joannes
[cc] Cerdo, qui Bruxellis in furcam actus fuit. Huic ſucceſſit Cornelius [dd] Apelmanus,
qui ultimo ſupplicio [ee] Ultrajecti adſectus eſt anno CIↃIↃLXX. Majore mole Joannes
[ff] Wilelmius cum Jacobo fratre inter eos inſurrexit. Is, [gg] Ruremundae in Sicambris
Theodoro Wilelmio ſacrifico, ut fertur, patre natus, collectis Monaſterienſium tra-
goediae reliquiis, ſibi a Deo revelatum dicebat, Anabaptiſtarum priorem doctrinam
eſſe, ad eamque promulgandam ac conſtituendam ſe praeconem deſignatum: nullum
legitimum magiſtratum exiſtimandum, niſi qui eandem doctrinam amplectatur: ita-
que pontificiis, qui clarius ſe cernenteis opprimerent, minime parendum eſſe; ac fore
adfirmabat, ut brevi, novae Ieroſolymae regno conſtituto, populus a Deo illuminatus
et

INTERPR. [a] *Hutmoet.* [b] *Hutt.* [c] *Hetzer.* [d] *Rinck.* [e] *Denck.* [f] *Muncer.* [g] *Embden.* [h] *Trippemarker.* [i] *Strasbourg.* [k] *la Haye.* [l] *Joſten.* [m] *Matthias boulanger d'Harlem.* [n] *de Leyde.* [o] *Munſter.* [p] *Boekbinder.* [q] *Cuper.* [r] *Scherder.* [s] *Hautſager.* [t] *Thierry Philippe.* [u] *de Campen.* [w] *de la Brille.* [x] *d'Alckmaer.* [y] *de Delft.* [z] *Dam.* [aa] *Meno Simon.* [bb] *Groningue.* [cc] *le Cordonnier.* [dd] *Apelman.* [ee] *Utrecht.* [ff] *Willelms.* [gg] *Ruremonde en Gueldre.*

et proceres terras ab aliis non recte de Numine ſentientibus poſſeſſas occuparent, CIↃIↃLXXX. ſicuti olim Iſraëlitae Chananaeos et Aegyptios bonis ac poſſeſſionibus dejecerunt. HENRICUS III. Principium firmandae potentiae a libertate plures uxores habendi facta exemplo Mahumetis: dein, ut haberent et ipſe ac Sectatores ejus, quo ſe ſuſtentarent, latrocinium permiſit, hoc colore, quod bona terrae Chriſti et ejus diſcipulorum eſſent; quae quia per leges humanas iniquiſſime diviſa ſint, ita Deum velle, ut ipſe a Deo miſſus aequius inter ſuos illa diſtribuat; divitibus quod nimium erat adempto, et egentibus ac bene meritis, hoc eſt ſecum conjuratis, applicaret. Furtis et latrociniis libertate data, aliquandiu novi regni aſſeclae vitas toleraruut, in gladio Dei et Gedeonis juſtitiam ſe divinam exercere, illaeſa conſcientia, falſo jactitantes. Secundum haec, multa nobilium caſtella atque aliae opulentiorum domus noctu direptae; ac plerique a graſſatoribus fanaticis interfecti, et magna per [a] Menapios et [b] Sicambros etiam trans Rhenum late intemperie ac licentia infeſtati ubique populares per totum quinquennium, quo Wilelmius regni imaginarii fundator, qui jam CCC graſſatores in circumpoſitis pagis habebat, in [c] Dinſlakena ditionis Juliacae arce detentus fuit; atque adeo uſque ad annum proxime elapſum ipſe, licet in vinculis, in ſumma opulentia et otio degebat inter mulierculatum greges, quas aſſidue circa ſe habebat, polygamia inter ſuos libro etiam edito confirmata; conniventibus ad haec cuſtodibus, quibus corrumpendis neque pecunia neque blanditiae deerant. Tandem, re a Catharina puella Weſaliae detecta, una ex reguli uxoribus [d] Eiskena nomine, quae jam provecta aetate Eliſabetham filiam olido hirco jam captivo vice ſua ſubſtituerat, et Anna vetula LXX annorum, quae ex Monaſterienſi obſidione evaſerat, cum Simone Petri filio, captae et rem confeſſae capite plectuntur. Ex iis reſcitum, promiſcuos concubitus inter eos haberi, dum procreationi liberorum hominem natum aſſerunt: itaque et plures foeminas uxorum loco haberi poſſe, et ſterileis libere dimitti: ipſos ſe fratrum et ſororum ad charitatem mutuam teſtandam nominibus compellare: et ſocietati poſt Apelmani mortem Wilelmium captivum praeeſſe, a Spiritu Dei ad regnum vocatum; et ita juriſdictionem inter eos exercere, ut alios jejuniis et abſtinentia coerceat, interdum et ferro in promeritos animadvertat: adulterium inter eos non niſi juſſu et injuſſu regis diſcerni; nam quaſcunque licere habere uxores, modo ex regis voluntate: furta et latrocinia non niſi inter ipſos admitti poſſe: nam inter alios furtum vel latrocinium non admitti; ut neque homicidium, quippe cum id tantum inter fratres vetitum ſit: de cetero cuncta inter eos communia. Haec exitiabilis doctrinae primaria dogmata. His ad mortem damnatis, ſuperabant ceterae reginae; quibus judicum a Willelmo Cliviae duce delegatorum ſententia mortis gratia facta; et, poenitentiam agere juſſae, per Friſiam et Bataviam, unde illae venerant, amandatae ſunt. Poſtremo Wilelmius productus, cum obfirmato ad pertinaciam animo objecta praefracte negaſſet, ex confeſſionibus aliorum convictus ad ignis ſupplicium damnatur: quod ille ad palum adligatus pari pervicacia, nullo poenitentiae ac doloris ſigno edito, pertulit; ſeque protinus prono capite in flammas immiſit. [a] Neque his meliores aut ſaniores, qui de amoris familia ſive domo charitatis prodire ſe jactabant et vulgo denominabantur. Ii ſectatoribus ſuis perſuadebant, ſolos in illam aſcitos electos eſſe, ut aeternae ſalutis participes; reliquos omnes reprobos et damnatione praejudicatos: iis licere, coram magiſtratu, et quovis alio, qui non ſit ex ipſorum familia, jurejurando quicquid jubet negare. Ex Batavia talium monſtrorum foecunda in Brabantiam proximam ſe virus effuderat, et honeſtiſſimos Antuerpiae homines, quos

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur 15 circiter lineae uſque ad* Extremo demum anno *deſunt D. f.*
INTERPR. [a] *ceux de Cleves & de Juliers.* [b] *ceux de la Gueldre.* [c] *Dinſlaken.* [d] *Elsken.*

CIϽIϽLXXX. HENRICUS III.

quos non nominari publice intereſt, infecerat; inde in Angliam tranſierat, libris fanaticae hujus doctrinae e Germanica in Anglicam converſis; quibus fere hi tituli praefixi, Evangelium regni, Sententiae documentales, Prophetia Spiritus amoris, Pacis ſuper terram publicatio, auctoris nomine ſuppreſſo, ſed ſingularibus his literis adjectis H. N. ex quibus poſtea conſtitit, eum Henricum [a] Nicolaum fuiſſe, [b] Lugduni in Batavia oriundum, qui ſe Dei Deumque ſuae humanitatis participem inſigni in Deum contumelia praedicabat. Libri edicto propoſito igni traditi: et magiſtratus eccleſiaſticis judicibus adeſſe juſſi.

XX. Extremo demum anno v Kal. Jan. Gerardus [c] Groſbecus, Leodicenſium epiſcopus et nuper in collegium cardinalium cooptatus, deceſſit, vulnere, quod inter venandum ex ſcloppeti ictu imprudenter diſploſo olim acceperat, dum cum Araſchotano duce hoſpite ſuo liberalius genio indulget, forte aperto: quanquam alii id ad moerorem animi referant, ex eo contractum, quod homo Philippi partibus addictus ab [d] Eburonibus ſuis haudquaquam ita bene erga Hiſpanos affectis in petenda exactione ad id bellum deſtinata repulſam tulerat; nec proinde Hiſpanis promiſſa repraeſentare potuerat. Gerardo defuncto, ſtudiis in deligendo ſucceſſore certatum fuit. Nam Arauſionenſis ac Ordines prenſationibus apud ſacri collegii ſodaleis, penes quos jus eligendi epiſcopi eſt, inſtabant, ut ea dignitas in Matthiam conferretur, praemium pro accepto in adminiſtratione invidioſa a ſe ſuſcepta beneficio relaturi, quo brevi e Belgio diſceſſurum honeſtius dimitterent: ſed Philippi infenſi et Caeſaris contra proprium fratrem pugnantis gratia praevaluit; tandemque eorum commendatione Erneſtus epiſcopus Friſingenſis Willelmi [e] Baioariae ducis frater, excluſo Matthia, eligitur; qui IX Kal. Feb. anno inſequenti Leodicum venit, et magna pompa ac populi plauſu ſeptimo poſt die inauguratus eſt. Paulo ante cardinalis Leodicenſis mortem, Romae Kal. Dec. fatis conceſſit admodum ſenex, annum ſeptuageſimum primum quippe ſupergreſſus, Joannes [f] Moronus Mediolanenſis, epiſcopus Oſtienſis, et cardinalium collegii princeps, Hieronymi illius ſuperiorum temporum monumentis clari, qui foederis contra Carolum V ineundi Franciſco Sfortiae Mediolanenſium duci et Clementi VII auctor et pararius fuerat, filius; maximis tota vita negotiis pari moderationis et integritatis laude geſtis et ipſe clarus, ac imprimis compoſito Genuenſium motu, nuper etiam ante biennium ad res Belgii componendas a Gregorio XIII legatus deſtinatus, eoque, ſi per Philippum licuiſſet, profecturus: ob religionem aliquando ſuſpectus et a Paulo IV ad tempus ſenatu motus, poſtea a Pio IV populari ſuo, qui fere acta omnia deceſſoris ſui aut antiquavit aut eluſit, dignitati priſtinae et famae reſtitutus; ſub quo et concilio Tridentino tot annis ante inchoato praefuit, et finem impoſuit. His addentur literis viri inſignes. Et primus dicetur Hieronymus [g] Wolfius, [h] Oëtingae in Rhaetia natus, exacta linguae Graecae cognitione clarus; qui, perluſtratis in adoleſcentia Galliae et Italiae academiis, cum ſe [i] Auguſtam Vindelicorum tanquam in tutiſſimum ſtudiorum nidum contuliſſet, eas maxime ſcriptis et induſtria ſua illuſtravit, Fuggerorum liberalitate ſublevatus; quorum munificentiae Zonaram, Nicetam, Gregoram, primarios hiſtoriae Conſtantinopolitanae ſcriptores, ab illo ſumma fide latinitate donatos, debemus; ubi et literas Graecas in Annaea ſchola magna auditorum concurſu profeſſus eſt, tandemque, cum aetatis annum ſexageſimum quartum ageret, ex calculo literatis fere fatali VII Eid. Oct. intempeſtiva magis reipublicae quam ſibi morte ad Deum migravit. Huic Hainzelii fratres germani, Jo. Baptiſtae filii, egregio ad Dominicanorum monumento parentarunt. Wolfium paulo poſt ſecutus eſt Immanuel Tremellius, Ferrariae patre Hebraeo natus,

INTERPR. [a] *Nicolai.* [b] *Leyde.* [c] *de Groesbecke, evêque de Liege.* [d] *Liegeois.* [e] *de Baviere.* [f] *Morone, Milanois, evêque d'Oſtia.* [g] *Wolff.* [h] *Oetingen.* [i] *Augsburg.*

natus, linguae Hebraicae peritiſſimus; qui, cum Lucam cum Petro Martyre Vermilio CIƆIƆLXXX.
et aliis in occulto Proteſtantium doctrinae addictis conceſſiſſet, poſtremo, Italia om- HENRICUS III.
nino relicta, cum ipſo Vermilio ac ſociis in Germaniam venit, ſicuti ſuo loco diximus, et [a] Argentinae primo domicilium fixit: deinde in [b] Britanniam, potiente rerum Edvardo VI, tranſmiſit; quo mortuo, Germaniam repetiit, et in ſchola [c] Hornabachenſi ſub duce Wolfango [d] Bipontino, qui apud nos deceſſit, aliquando docuit; unde Heidelbergam ad profeſſionem Hebraeam evocatus eſt, ubi Syriacam novi Teſtamenti interpretationem latinitate donavit, et poſtea novam veteris Foederis ad Hebraicae veritatis fontes examinatam tranſlationem molitus eſt, ſocio tanti laboris aſcito [e] Franciſco Junio Biturige, qui poſt Tremellii obitum eandem editionem in opere alieno plus juſto ingenioſus recenſuit, et additis multis auctiorem potius quam meliorem judicio multorum reddidit. Relicta poſtremo Heidelberga, [f] Diviodurum Mediomatricum, ubi olim, cum ex Italia veniret, uxorem duxerat, conceſſit; unde [g] Sedanum [h] Bullionii principum ſedem evocatus, ut in Academia nova linguam Hebraicam profiteretur, ſeptuagenario proximus tandem defecit. Nec multo poſt III Non. Nov. in Hiſpania [i] Caeſarauguſtae, quae illi patria erat, Hieronymus Surita, cum aetatis annum xvii ageret, debitum naturae perſolvit; vir ingenii omnl doctrina inſtructi elegantia clarus, et prolixo ac laborioſo patriae hiſtoriae opere a ſe edito, nec non Antonini itinerario variis lectionibus potius quam commentariis illuſtrato, ac poſt mortem ejus ab Andrea [k] Schotto publicato, de patria et literis optime meritus; [α] in quo id ſolum deſiderari, imo deplorari potuit, quod judicum violatae fidei, quos vocant, a ſecretis fuerit; et, cum inter ſuos doctiſſimus haberetur, et ad promerendam omnium gratiam quaſi natus videretur, tamen, conſilione ad privatam ſecuritatem an gentis fato ad tuendam dignitatem incertum, tam inhumano et longe ſtudioſis infeſtiſſimo muneri ſuam induſtriam addixerit. Ante Suritam [l] Alvarus Gomecius, [m] Eulaliae ſexto a Toleto lapide natus, cum aetatis annum LXVI ageret, vitam cum morte commutavit XV Kal. Oct. qui opere de vita [n] Ximenii cardinalis, cui tantum non ſolum ſua Hiſpania ſed totus orbis Chriſtianus debet, ob Bibliorum luculentam illam in mediis ignorantiae tenebris editionem ſuo ſumptu procuratam, pari prudentia et elegantia ſcripto, ſummam gratiam a ſtudioſis inivit. Hieronymus [o] Oſorius mihi, dum Luſitana enarrarem, paene exciderat, heic proprio magis loco commemorandus; qui, adoleſcens cum literis operam in Italia dediſſet, cum Ant. Auguſtino et Joanne [p] Metello Metellario Sequano juriſconſulto in patriam reverſus, [q] Silvenſis in Algarbis epiſcopus fuit; tum ſcriptis, quae multa et varia puriore ac florido ſtilo exarata, dum vixit, paſſim dedit, et poſt ejus mortem Hier. ex fratre nepos Romae publicavit, tum vitae ſanctioris exemplo non ſolum ſuis ſed toti Chriſtiano orbi utilis; atque ad extremum in munere ſuo aſſiduus placide ad Deum migravit, eo [β] felicior pleriſque exiſtimatus, quod, qui Caſtellenſium arma Luſitaniae annus intulit, idem ipſum, ne patriae excidio ſupereſſe cogeretur, Luſitaniae abſtulit.

XXI. Hoc anno menſe Aptili Ferdinandus Auſtrius Ferdinandi Caeſaris filius Annam Catharinam Gulielmi Mantuae ducis et Helionorae ſororis ipſius filiam in uxorem duxit, ſicuti jam antea Philippus familiae princeps Annam Maximiliani Caeſaris patruelis et Mariae ſororis filiam, prohibiti gradus gratia a pontifice accepta, in conjugem duxerat. Is Philippinam [r] Velſeram eleganti ingenio et fotma virginem, patricia familia ante XX annos [ſ] Auguſtae Vindelicorum natam, ſibi clam patre ſociaverat;

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur 5 circiter lineae uſque ad* Ante Suritam *deſunt D.* ſ. d.
[β] felicior cenſendus, quod *D.* ſ. d.

INTERPR. [a] *Strasbourg.* [b] *Angleterre.* [c] *de Hornbach.* [d] *le duc de Deux Ponts.* [e] *François du Jon de Bourges.* [f] *Mets.* [g] *Sedan.* [h] *les ducs de Bouillon.* [i] *Saragoce en Arragon.* [k] *Schott.* [l] *Alvaro Gomez.* [m] *Santolalia près de Tolede.* [n] *Ximenes.* [o] *Oſorio.* [p] *Metel de Metellaer Françomtois.* [q] *evêque de Silves, au royaume des Algarbes.* [r] *Welſer.* [ſ] *Augsburg.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

ſociaverat; quam et quamdiu illa vixit legitimae uxoris loco habuit, et ex ea prolem ſuſcepit: ſed legibus Imperii et laudabili Germaniae inſtituto, quae maxime omnium nationum honeſtatem conjugiorum juxta Dei praeceptum colit, cum nuptiae citra parentum, aut eorum qui parentum loco ſunt, conſenſum contractae minime legitimae cenſeantur, proinde neque Velſera legitima Ferdinandi uxor, neque liberi ex ea ſuſcepti tantae ſucceſſionis capaces ab Ordinibus provinciarum, quas ampliſſimas Ferdinandus poſſidebat, habiti ſunt. Itaque, Maximiliano Caeſare fratre vivis exempto, cum de bonis inter ejus filios, qui complures erant, dividundis ageretur, ex Ordinum ſententia etiam ditionum Ferdinandi ratio habita eſt; et illae per deſtinationem jam tum fratrum filiis aſſignatae ſunt; cum ille aliam praeter Velſeram ſe uxorem habere poſſe, ſalva conſcientia, negaret, et Velſera ab Ordinibus pro legitima uxore liberique ex ea ſuſcepti paternae hereditatis capaces minime haberentur. Ita, vivo videnteque patruo, fratris filii ejus hereditatem creverunt; vixque Ferdinandus ab Ordinibus impetrare potuit, ut exiguum caſtellum ex tam opulento patrimonio detraheretur; quo Carolum grandiorem natu filium ex Velſera natum cum [a] marchionis titulo donavit. Andreas alter filius ut in collegium cardinalium cooptaretur a Gregorio XIII facile obtinuit, licet is honos non niſi ex legitimo matrimonio procreatis attribui ſoleat. Sed Romae, quod inter Germanos ducitur contubernium, pro legitimo matrimonio reputatum eſt, propterea quod accedente eccleſiaſtici ritus auctoritate id contractum eſſet. Ferdinandus, qui ex ea re non mediocriter offenderetur, tamen, quamdiu Velſera vixit, dolorem in ſinu preſſit; quem poſt illius mortem ſtatim foris eduxit, et de ſecundis nuptiis ſerio cogitare coepit, ex quibus vir jam inclinata aetate, ſi non aliud commodum, ſaltem hoc ſe conſecuturum ſperabat, ut fratris filiis certam ſucceſſionis ſuae, quam jam animo devoraverant, ſpem e faucibus eriperet. Quanquam ſecus accidit. Nam, cum ille nullos heredes maſculos ex ſororis filia reliquerit, potius ſuorum rationes in dividunda Auſtriacae domus hereditate initas ad tempus conturbavit, quam ſperatum ex ea emolumentum ademit.

INTERPR. [a] *marquis de Burgau.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEPTUAGESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

APUD nos irrita collationis Neracianae executione, ad bellum ſe parant Proteſtantes. II. Divona Cadurcorum a Navarro ex inſidiis et vi capta. III. Mimatum in Gabalis interceptum, et crudeliter direptum. IV. Condaeus, peragrata Germania, in Septimaniam venit: et juſſu ejus Merula in Cebennis Spaniacum, Ceſacum, Beduam capit. Alia a Proteſtantibus loca capta; nec non in Novem-populonia: quae pace inter Audinum et Navarrum facta reſtituta ſunt. V. Diguierii in Allobrogibus expeditio, et ruſticorum motus. Contra eum Meduanius cum exercitu miſſus. Mura obſeſſa ac tandem dedita. VI. Meduanius poſt captam Muram venit Gratianopolim, et comitate ac moderatione rem cum Proteſtantibus gerit. VII. Bironi eodem tempore in Aquitaniam cum exercitu miſſi expeditio, et ruſticorum motus. Neracum tentatum. Mons-Marſani in Novem-populonia a Poiana vi expugnatum. Birono ex caſu crus fractum; et, diſſidentibus belli ducibus, ſumma praefectura Carolo filio quindecenni attributa. VIII. Regula ad Garumnam a Duſſaco in regis manus tradita. IX. Rex ad Condaeum ſcribit, et Faram ab eo interceptam repoſcit. Edictum in Proteſtantium gratiam factum, ne tam Fara repoſci quam religionis cauſa agi putaretur. X. Fara a Jac. Gobione Matignono obſeſſa; quae tandem deditur. XI. Audinus in Petrocorios excurrit, perſuaſo prius rege, pacem domi haberi non poſſe, niſi bellum foras educatur, quod in Belgium transferri commode poſſit. XII. Flexiae conventum, et edictum pacis denuo conditum. XIII. Peſtis Lutetiae graſſatur. Franciſcanorum coenobium incendio fortuito abſumitur. Peſtem praeceſſit novus morbus, olim Coqueluca et tunc dictus: ejus natura et remedia. XIV. Rixa ingens inter Monpenſerium et Nivernium. XV. Bellum inchoatum adverſus Moſcos perſequitur Stephanus. Cui de ſucceſſibus gratulatur pontifex. Vilna progreſſus rex ad Lepelam et Ulam caſtella de belli gerendi ratione conſultat. Tatarorum dux Ulanecius a Samoſcio captus. XVI. Luki obſeſſi; ac tandem, incendio per urbem accenſo et arce expugnata, ad internecionem trucidatis praeſidiariis, arx munita. Moſci a Polonis ad Toropeciam tranſmiſſo flumine incumbentibus profligantur. Nevela expugnatur. Literae Moſci ferae et verboſae. Jeſeriſcia capta; et Savolocia tandem poſt oppugnationem dedita. XVII. In ducenda uxore Moſcorum principum ritus. XVIII. Civitas Rigenſis civiliter cum rege tranſigit, et in fidem accipitur. XIX. Warſaviae comitia peraguntur. Philo Kimita, Lukis cum praeſidio relictus, Chelmam intercipit. XX. Turcica legatio ad Polonum. Tatari ad bellum Stephano fidem obligant.

EX AUCTORIBUS,

Actis publicis, Gondini commentariis M. S. Franc. Bonae Diguierii diario, Reinoldo Heidenſtenio, D. Chytraeo.

LIBER SEPTUAGESIMUS SECUNDUS.

CIƆIƆLXXX. HENRICUS III.

APUD nos cum Proteſtantium [α] res per [a] Neracianam collationem compoſitae crederentur, executio tamen lente procederet, et, ſicut ipſi rebantur, maligne eluderetur, quamvis quieſcendum eſſe meliori parti videretur, tamen inſtigatu quorundam, qui turbas quam pacem malebant, ne imparati, ut ſaepe alias, opprimerentur, ad bellum, ſi neceſſitas ingrueret, gerendum cuncta inſtrui [β] placuerat. Secundum haec miſſae, quas ſuperiore anno dixi, teſſerae ad Franciſcum [b] Colinium Caſtellionaeum et Antonium [c] Plexium Gremianum in [d] Septimaniam, in [e] Delfinatum ad Franciſcum [f] Bonam Diguierium

VAR. LECT. [α] res, ſicuti ſuperiore anno demonſtravimus, per Neracianam *D. ſ. d.*

[β] placuerat. Id vero ex levi admodum, ſed quae intentis ac exaſperatis animis ad partes inter ſe committendas maximum momentum habuit, occaſione hoc anno recruduit. Philippus Strozzius, qui proxima cognatione reginam regis parentem contingebat, homo probus, et Gallici nominis ac tranquillitatis perquam ſtudioſus, cum de ducenda uxore cogitaret, in Magdalenam Turriam Honorati Sabaudi Tendae comitis viduam, quae et ipſa cum regina cognatione conjuncta erat, Henrici vicecomitis Turenae ſororem, oculos conjecerat. Id quo ab illa et a fratre obtineret, **ad Navarrum regem, in cujus** comitatu Turenius principem locum tunc tenebat, proficiſci ſtatuit: et, quanquam innocentia Strozzii talis eſſet, ut nihil de eo rex temere ſuſpicari poſſet, tamen, cum ſciret conſilia Navarri regi multis de cauſis ſuſpecta eſſe, ne ex aula diſcedens profectione ſua quempiam ſcrupulum in regis animo relinqueret, quid ſui conſilii eſſet ei aperuit; ſupplexque petiit, ut cum bona ipſius gratia honeſto de lectiſſimae foeminae in uxorem ducendae deſiderio ſatisfacere liceret. Qua de re rex, cum parente communicandi petito ſpatio, cum aegre faceret ut in has nuptias conſentiret, veritus, ne per eas Strozzius, de cujus fide alioqui minime dubitabat, a Turenio perſuaſus ad Navarri partes inclinaret, eam tamen occaſionem avide arripuit res in domo Navarri conturbandi. Margareta Navarri uxor, regi, ut diximus, admodum infeſta, cum Franciſco Andino fratre arctiſſimo conſiliorum et neceſſitudinis vinculo conjuncta erat; quod et Navarri factionem multum firmabat, et regis ad quietem luxu diffluentem toto animo propendentis conſilia perturbabat. Eam conjunctionem, quae per Margaretam ſororem conciliabatur, ut divideret rex, optimum factu cenſuit, inter Navarrum et uxorem ſimultatum et ſuſpicionum cauſas ſerere; quibus et praeterea efficeret, ut Turenius, inſitae magnitudinis animi opinione regi ſuſpectus, a gratia Navarri removeretur, et nuptiae ipſae Strozzii eadem ratione diſturbarentur. In eam rem rex Strozzio literas ſecretas clam matre dat ad Navarrum perferendas, et in nullius quam ipſius manus conſignandas: quod ille, ignarus quid illis contineretur, ſedulo fecit, ſub id tempus cum bona regis venia, qui in ſpeciem probare ſe ipſius nuptiarum conſilium ſimulabat, in Aquitaniam ad Navarrum profectus. Iis autem literis rex Navarrum monebat, a Turenio caveret: nam ſibi certo compertum, minus honeſtam illi, quam par ſit, cum ipſius conjuge familiaritatem intercedere. Verum Navarrus, ut tunc erant res, monitis minime fidem adhibuit; cum id a rege factum interpretaretur, ut, ſuſpecta uxore reddita, conſiliorum cum Andino communicationem, rebus ſuis utilem, impediret; et Turenium, quo praecipue miniſtro in negotiis et re bellica utebatur, ab eo removeret. Itaque literas primum uxori et mox Turenio legendas tradidit, eo facto de utriuſque fide ſe plene ſecurum oſtendens; qui, ex eo irritatiores redditi, omne deinceps ſtudium poſuerunt, ut ſe de rege inimico turbis, quod illum ſummopere reformidare ſciebant, per regnum excitatis ulciſcerentur. Nec mediocres ſtimulos addebant quotidiani ab Andino ad Navarrum nuncii, Margareta ſorore conſcia, miſſi; quibus ille monebatur, ſi ſe et Proteſtantium cauſam ſalvam cuperet, armis quam primum ſumptis periculo, quod a cunctatione ipſi imminebat, mature praeverteret: quod ea mente faciebat Andinus, ut regem, quem conſiliis ſuis ad bellum Belgicum ſpectantibus iniquum hactenus expertus erat, ad auxilia ſibi ſuppeditanda cogeret. Sic enim judicabat; fratrem, otii cupidum, bello in regno excitato, nullas conditiones recuſaturum, quo pacem domi haberet. Igitur, ut magis Navarrum impelleret, praeter periculum, quod ex tarditate inſtabat, magnas utilitates ex bello oſtentabat: nam et amplius ipſi et eandem cauſam faventibus cautum iri, et regem, ſi aliter pacem habere non poſſet, in bellum pro recuperando avito regno in Hiſpania gerendum conſenſurum demonſtrabat: quod ſi rex vim contra pararet, ſe medium et quaſi arbitrum bello, ſi minus ex ſententia ſuccedat, finem impoſiturum: itaque ne dubitaret armorum aleam tentare, in quibus una ſalutis expediendae ratio conſiſteret; et, ſi quid periculi ſubeſſet, ejus in ſe eventum Andinus ſuſciperet. Ita Navarro ab uxore et Andino, non ſolum proprii periculi metu, ſed ſpe utilitatis ex eo bello capiendae incitato, haud difficile fuit inter Proteſtantes, ſecretorum illorum affectuum fere ignaros, et inde proprio periculo attonitos, inde novarum rerum cupidos, turbas ciere, aſtu regis longe alium, ac ſperaverat, exitum ſortiente; quippe qui bellum, quod tantopere vitatum cupiebat, eo acceleraverit; et tantum Strozzii nuptias, quod minus cupiebat, diſturbaverit. Nam ei Turenius ob literas ad Navarrum,* quamvis imprudenter, allatas ſuccenſuit; et culpam alienam viro, alioqui tanta affinitate minime indigno, imputavit. Verum, quam temere et nulla juſta de cauſa bellum ſuſceptum, tam detrimentoſo ac dedecoroſo auctoribus fine deſiit. Secundum haec miſſae *MSS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Nerac.* [b] *de Coligny, ſieur de Chaſtillon.* [c] *de Pleix, ſieur de Gremian.* [d] *Languedoc.* [e] *Dauphiné.* [f] *de Bonne, ſieur de Leſdiguieres.*

Diguietium per Aramontium Gabrielis [a] Aramontii, tot legationibus ad Portam Othomanicam obitis clari, naturalem filium. Sed Septimani, ſive quod longius a periculo, cujus metu praeſenti Aquitani ad bellum accendebantur, ſive quod minus parati quietem, qua gaudebant, turbatam nollent, imperium detrectarunt. Diguierius cuncta ad condictum tempus inſtruxit; hoc eſt, ad menſem Aprilem. Tum Navarrus, unde bello principium faceret, conſultat. CIƆIƆLXXX. HENRICUS III.

II. [b] CADURCORUM ut et Aginnenſium praefecturae nuper Margaritae Navarri uxori dotis nomine attributae fuerant, novo more. Nam legibus noſtris filiae regum pecunia tantum, nunquam rebus fundi donantur. Eas ut honorificentius illa poſſideret, jura etiam regia et coronae, ut vocant, unita ei privato diplomate tranſcripta ſunt a fratre, qui pacem, vel cum detrimento auctoritatis regiae, quavis conditione redimere cupiebat; ita ut ad epiſcopatus et coenobia, quos vellet, nominare poſſet: cancellarius etiam ei peculiaris datus; iſque fuit [c] Vidus Faber Pibracius Curiae Pariſienſis praeſes, a me toties ſumma cum laude appellatus. Id Cadurci moleſte admodum tulerant: et odio Proteſtantium, quos ſuperioribus bellis ſemper inſectati fuerant, eo ſe magis a Navarro alienos oſtendebant; et in civitate plerique erant, qui lanienae ante aliquot annos factae conſcii ac complices ultionem metuebant. Civitati praeerat [d] Vezinius, de quo ſupra dixi, homo pugnax, qui oppidanos ad CIƆIƆ egregie armis inſtructos ſemper penes ſe habebat. Ab ea civitate belli initium fieri placuit, Navarro ſatagente, ut uxori in dotalem civitatem recipi cupienti morem gereret, quae ſpecie vindictae de oppidanis ſumendae fratris injurias ultum ibat; tum etiam ut capta tanti nominis urbe res ſuas in [e] Aquitania firmaret. Ea [f] Cadurcorum metropolis, Divona olim, ut quidam putant, appellata, [g] Oltae impoſita eſt, qui in [h] Gabalis ortus per [i] Rutenos in Cadurcos deſcendit, et urbem tribus partibus alluit; nam quarta tantum per terram et [k] Barrenſem portam aditur. Fluvius tribus pontibus fraenatur; vetere, [l] Celandrio, et novo; qui rurſus portis duabus clauditur ſine ullo ponte penſili: tantum in medio duobus propugnaculis ſe per latera invicem ſpectantibus firmatur. Per eum factus impetus admotis novi generis tormentis. Ea ſunt vaſa XV aut XX librarum pulveris tormentarii capacia; quorum os decuſſatis trabibus ferreis inſeritur; tum portae aut obici perfringendo applicantur: admotoque e propinquo per funcis tractorios igne diſploſa, obvia cuncta immani violentia perrumpunt ac disjiciunt, fragmentis lapidum ac lignorum quaqua reſilientibus; quibus ipſi plerumque tormentarii, quantumvis cauti, diſcerpuntur. Ea crepitacula vulgo a fragore dicta. Sic autem acies compoſita erat. Poſt tormentarios, qui primi in hujuſmodi expeditionibus aciem ducunt, Joannes [m] Guntaldus Bironus Salignacus cum ſuo agmine incedebat; quem ſequebatur Carolus [n] Clericus Sanmartinus ſtipatorum Navarri praefectus, Antonio [o] Rupilauteo, qui nobilitatem ducebat, ultimum agmen claudente: poſt eum rurſus, ſpatio interpoſito, incedebat [p] Gordonius vicecomes Terrida cum CIƆCC ſcloppetariis. Disjecta priore in ingreſſu pontis porta, Salignacus protinus per foramen cum ſuis irrumpit; et diſpoſitas in illis duobus propugnaculis, quae dixi, ſtationes proturbat. Inde ad alteram portam moenibus conjunctam pergitur; quae et ſimili ſucceſſu diſploſis crepitaculis ſternitur. Tum, inſolenti fragore, quem tonitru tum forte incidens terribiliorem reddidit, perculſi, cuncti in urbe arma capiunt; et ſe ad forum, duce Vezinio, qui nudus in medios proſiliit, contrahunt. Ibi, perrumpente Salignaco, acriter certatur, Veziniuſque, aperto corpore dum ante alios pugnans ubique laborantibus ſuis accurrit, ictu ſcloppeti transfoditur:

INTERPR. [a] *Aramont.* [b] *Seneſchauſſées de Quercy & d'Agenois.* [c] *Gui du Faur, ſieur de Pibrac.* [d] *de Vezins.* [e] *Guienne.* [f] *Cahors.* [g] *le Loth.* [h] *Givaudan.* [i] *Rouergue.* [k] *porte de la Barre.* [l] *pont de Chelandre.* [m] *de Gontaud de Biron, ſieur de Salignac.* [n] *le Clerc St Martin.* [o] *de Roquelaure.* [p] *de Terride, vicomte de Gourdon.*

transfoditur: quo cadente, oppidani quaſi in fugam conjecti ſunt: jamque tunc de ipſorum rebus actum fuiſſe creditur, niſi pari inſortunio res Navarri eodem momento afflictae fuiſſent, Salignaco et Rupilaureo graviter vulneratis in conſpectu oppidanorum, et Sanmartino, qui ſtrenuam admodum operam navaverat, in illo conflictu deſiderato. Nam is caſus rurſus animos oppidanis fecit, et Navarraeis infregit; ita ut, quamvis Gordonius Terrida cum ſuis ſuperveniſſet, ſegnius rem gererent: et procul dubio vice verſa poſt alterum certamen ipſi repulſi fuiſſent, niſi Petrus [a] Chuppius, vir impiger ac veteranus dux, ex [b] Turenenſi agro adducto milite, in tempore adfuiſſet. Is cum CC delectis per pontem novum urbem ingreſſus IↃC ſcloppetarios obvios, jam aggeres ex doliis per vicos ſtruenteis, primo impetu disjecit; eoſque fugienteis in aedeis uſque publicas inſecutus eſt, in quibus III tormenta et I colubrina erant, quas et cepit, et captas praeſidio firmavit. Inde, cognito oppidanos ad [c] ſcholarum aedeis ſe contraxiſſe, et duas urbis portas adhuc tenere, protinus illo contendit; et vallum XL paſſuum intervallo ante eas ducit: mox et vicinas aedeis occupat, haud citra certamen, crebro erumpentibus obſeſſis, et Navarro ipſo, nam ceteri fere duces aut interfecti aut ſauciati fuerant, in medio diſcrimine verſante, et exemplo ſuo cunctos ad rem fortiter gerendum hortante. Inde ab hora IX ad veſperam uſque infeſta utrinque diſploſione certatum; ſub noctem incenſa fuit ſcholarum porta, non ſine acri certamine. Appetente die, cum ad Navarrum allatum eſſet, auxilareis magno numero advenire, per Barrenſem portam ingreſſuros, concilio habito ex ducum ſententia decretum fuit, ut Chuppius cum Petro [d] Pideo Neda ſtrenuo ordinum ductore eos anteverterent, et cum iis quavis conditione confligerent; interim Navarrus ad obſidionem maneret. Ii cum C ſcloppetariis et XX ex delecta nobilitate protinus ad Celandrium pontem tendunt; et obvios auxiliareis primo impetu fundunt, XXX ex iis occiſis. Tum ad Navarrum victores redeunt: cujus juſſu ſcalis admotis tandem ſcholas expugnant, oppidanis in civitatem ſe recipientibus. XIV locis aggeres ex doliis demum ſtructi, jam feſſis, et qui obſidebant et qui obſidebantur. Verum, obſtinato in propoſito Navarro, et a Chuppio VI ſuperatis aggeribus, oppidani ad extremum ceſſere. Urbs capta et crudeliter direpta eſt, ſubeunte animos lanienae ante XX annos partatae memoria, et recenti tot ducum aut occiſorum aut periculoſe ſauciatorum ſenſu. Nec aedibus ſacris parcitum: et Carthuſianum in primis coenobium partim ſpoliatum partim incenſum eſt. Id actum III Non. Maias. Nuncio de Divona capta in aulam allato, et in majus, ut e longinquo, re amplificata, immane quantum rex reginaque parens commoti ſunt; eoque magis, quod, cum paulo ante crebris ex Aquitania literis de Navarri ſpectantibus ad bellum conſiliis certior factus eſſet, ſedulo ad ſororem ſcripſerat, virum in officio contineret; alioqui fore, ut et mariti et ipſius miſerrima eſſet conditio. Et illa, quo magis falleret, ad regem reſcripſerat, et literis ſuis eum, ut de Navarro ſecurus eſſet, jubebat: in eamque rem literas etiam ad Pibracium cancellarium ſuum dederat; quibus enixe rogabat illum, ut ad detergendas ex animo regis moleſtias ex belli metu conceptas ad omneis rumores ei praeſto eſſet, ſuaque fide illos aſſeveranter refutaret: nam cupere, ut regem hoc beneficio obſtrictum haberet: quod et Pibracius ſtudioſe fecit, a ſtolidis aut turbulentis ingeniis profectos de bello nuncios tanta conſtantia affirmans, ut poſt rem confectam fraudi ipſi participaſſe pleriſque, qui viri integerrimi candorem et contra vaſtum impotentis foeminae ingenium ignorabant, crederetur. Ipſe rex iram, quam in Navarrum ſororemque abſenteis evomere non poterat, in miſerum Pibracium ſubito evocatum et coram proceribus amare increpitum effudit: paulumque vir optimus a ſummo et capitis et exiſtimationis periculo abfuit, niſi apud benignum principem plus perſpectae ipſius

INTERPR. [a] *de Chouppes.* [b] *le vicomté de Turenne.* [c] *le college.* [d] *Pidou*, dit *le capitaine Neſde.*

ipſius olim probitatis opinio quam acerrimus tam juſti doloris ſenſus valuiſſet. Eodem tempore [a] Montacurum in Pictonibus captum, et alia in [b] Santonibus caſtella.

III. EXTREMO anno ſuperiore Matthaeus [c] Merula [d] Mimatum Gabalorum metropolim aſtu interceperat in pervigilio Natalis Dominici, media nocte, cum ad tintinnabuli pulſum, quod in majore urbis templo immenſae magnitudinis erat, inter vicinos montes perſonante aëre, ſtrepitus armatorum vix exaudiri poſſet. Is [e] Marologio cum delectis profectus condicta ſuis hora ſcalas admovet, per quas enixi XVII plateam occupant. Supervenientibus mox ſociis, antequam oppidani per templa ſparſi convenirent, ipſo urbis praefecto, qui primus accurrerat, occiſo, Merula loco potitur, paucis ex defenſoribus in turrim confugientibus, qui paulo poſt, cum nulla auxiliorum ſpes eſſet, deditionem fecere. Vaſtatum rapinis oppidum, et templa immani rabie deſtructa ſunt. Aliquot poſt menſibus, cum plerique ex nobilitate vicina, undique ex Gabalis, [f] Velaunis, Arvernis ac Vivarienſi pago collecta, excurſiones hoſtium pertaeſi, [g] Canacum duabus ab urbe leucis conveniſſent, ut Mimatum vi reciperent, ducibus Antonio [h] Turrio Sanvitali et Chriſtophoro [i] Apcherio regulo, tubicinem ad Merulam mittunt, et Mimatum dedi minaciter petunt. Tubicinem bene potum ad eos remittit Merula cum hoc reſponſo; cupere ſe valde, ut quod toties verbis interminati ſunt re praeſtare conentur: ceterum hoc illos ſcire velle, niſi ad ſe veniant, fore, ut ad ipſos quamprimum ipſe veniat. Reſponſum hoc, ut arrogantiae plenum, riſu ab iis exceptum; qui numero confiſi contrarias Merulae minas contempſerunt. Cumque ad diem condictam non veniſſent, ipſe, ut dictis fidem faceret, nocte concubia cum C cataphractis et CC ſcloppetariis equitibus, Mimato profectus, [α] Canacum tendit, et, ſcloppetariis et aliquot ex cataphractis deſcendere in pedes juſſis, crepiracula ad ſuburbii, quod Marologium ſpectat, portam admovet; quorum vi dejecta porta et ſtatione, ac multis, qui conferti in majore vico excubabant, interfectis, ipſe confeſtim irrumpit. Sed, milite ad praedam diſcurrente, quae copioſa paſſim ante oculos verſabatur, cum fruſtra ſuos hortatus eſſet, ut, omiſſa praeda, ad homines ipſos in lecto jacenteis tenderent, quibus captis praeda majore potituri eſſent, tandem ob moram interjectam de exitu veritus receptui cani jubet: et opima praeda onuſtus, abductis ſecum circiter CC equis bellatoribus, victor ac triumphabundus Mimatum revertitur. Haud diu poſt, creſcente ob proſperos ſucceſſus Merulae et praeſidiariorum ejus licentia, Franciſcus Colinius Caſtellionaeus, qui [k] Septimaniae a Navarro praeeſſe juſſus erat, juvenis magni animi et jam in illa aetate paterno exemplo diſciplinae militaris ante omnia ſeverus obſervator, nequicquam ipſum monuerat, ut a maleficiis, quibus adeo vicina nobilitas irritabatur, temperaret. Cum nihil precibus ac minis proficeret, ex occaſione [l] Valſiegae arcis haud longe a Mimato obſidendae Merulam evocat cum meliore ipſius praeſidii parte, qua denudato oppido facile potitur, quod et novo praeſidio firmat. Quod pro caſtigatione accipere debuit homo ferox et audax ad injuriam revocavit, quam tamen ad tempus preſſit, et [m] Boſco arce haud hinc longe occupata ac munita, quae ſuis praedae aſſuetis pro receptu eſſet, rurſus per Caſtellionaei et ſuorum abſentiam, cum tanquam ab expeditione militari rediens Mimatum praetervеheretur, corruptis aliquot praeſidiariis, qui licentiam quam diſciplinam malebant, conclamato Merulae nomine, urbem occupat; quam ab eo tempore tenuit, vixque, niſi redempta graviſſimis conditionibus ab oppidanis exulibus civitate, quanquam per edicta id facere juberetur, reſtituit.

IV. SUB

VAR. LECT. [α] Canacum tendit et *deſunt* D. f. d.

INTERPR. [a] *Montaigu en Poictou.* [b] *Saintonge.* [c] *de Merle.* [d] *Mande en Givaudan.* [e] *Marueges.* [f] *le Velay, l'Auvergne, & le Vivarais.* [g] *Chanac.* [h] *la Tour S. Vidal.* [i] *le baron d'Apcher.* [k] *Languedoc.* [l] *Valſiegue.* [m] *le Chateau du Bois.*

CIƆIƆLXXX. IV. Sub id tempus Condacus, qui poſt ſuum ex [a] Fara diſceſſum in Belgium ac HENRICUS III. Britanniam et inde in Germaniam ad auxilia procuranda tranſierat, cum nihil in tempore obtinuiſſet, princeps magni animi, ſed qui magnis conſiliis ſemper fere adverſam fortunam expertus eſt, in Galliam redire ſtatuit: cumque per Helvetios et Genevam facto itinere ad [b] Diguictium obſoleto habitu et exiguo comitatu tenderet, in Sabaudiae limite captus, et tantum ſpoliatus nec agnitus, ad Diguierium incolumis pervenit; a quo pecunia, equis et aliis rebus neceſſariis adjutus et inſtructus in Septimaniam deſcendit, ſummumque imperium provinciae a Caſtellionaeo et aliis Proteſtantium praefectis ultro delatum accepit. Tum, ut aliquo operae pretio praeteritorum infortuniorum memoriam induceret, concilio ducum Nemauſi habito, negotium dat [c] Gondino legionis ex VIII ſignis conflatae praefecto, ut Mimatum recta tenderet, et cum Porcario et Merula, quid facto opus eſſet, coram conſuleret. In extremis Cebennis multa loca tenebant regii, quae ex Septimania Mimatum per montana tendentibus iter infeſtum reddebant. Ad [d] Molinas Gondinus [e] Porcarium et Merulam obvios habuit: placuitque, ut ipſe [f] Spaniacum, quod haud hinc longe abeſt, duceret; Porcarius et Merula diverſi machinarum convehendarum et pulveris nitrati comportandi curam ſuſciperent. Merula ex tintinnabulo illo adeo famoſo, quod [g] Mimati captum conflaverat, duo tormenta et medium unum fecerat; quae per abrupta XX boum paribus, ne in praeceps pondere laberentur, in tergo alligatis, tandem praeter omnium ſpem in Spaniaci conſpectum adduxit; et juxta ſuburbii, quod [h] Floracum ſpectat, domos ſub veſperam collocavit. Primo mane acri verberatione pulſati muri: et in turri, quae angulum oppidi claudebat, vi tormentorum dejecta, ſumptum eodem die hoſpitium, eo conſilio, ut poſtridie, redintegrata verberatione et ruina latiore edita, oppugnatio fieret. Verum praeſidiarii celeritate hoſtium territi Lambrandam loci praefectum vi intentata adigunt, ut, non expectato die, cum ipſis ſibi fuga conſuleret. Itaque, media nocte [i] Tarni tranſmiſſo, in montana oppoſita [k] Ceſacum verſus enituntur. Multi in itinere interfecti; et in iis [l] Montulonus; alii capti: reliqui, armis abjectis, evaſerunt. Spaniaco capto, Ceſacum poſtridie ducitur: admotiſque tormentis, poſt CC ictuum diſploſionem, obſeſſi per foramen in arce factum noctu conſerti erumpunt; et, tranſmiſſo fluvio, ad [m] Hieremiae-fanum in Rutenis confugiunt. His locis praeſidio a Merula firmatis, quatriduo poſt ad [n] Beduam moenibus firmum oppidum admoventur copiae; pulſatoque loco, cum CC amplius ictus diſploſi eſſent, et praeſidiarii nihilominus tempeſtati jam inclinatae confiſi animum ad ſuſtinendam obſidionem obfirmarent, inter duces conventum fuit, ut Gondinus, quamvis jam praealtis nivibus et intenſo frigore, ad obſidionem maneret; Porcarius et Merula ad commeatum, pilas et pulverem comportandum abirent. Medio tempore [o] Sanvitalis ab obſeſſis auxilio arceſſitus cum CIƆIƆ ſcloppetariis et CC equitibus venit: ſed, Gondino intra munitiones ſuas et ſuburbii macerias ſe continente, et hyemis aſperitate ſuos fatigante, fruſtra fuit; tantum XX delectos in arcem, Staverio duce, introduxit; de cetero re infecta diſceſſit. Sanvitalis diſceſſu territi praeſidiarii duodecimo poſt die ſumma imprudentia deditionem fecere, de vitae incolumitate cautione neque petita neque a Gondino interpoſita. Itaque multis ex iis gula laqueo fracta; capti, qui ex facto ordine erant, grandi pecunia vitam redemerunt. Capta et in Septimania a Proteſtantibus [p] Cavium, Capraria et Laurentii fanum in Biterrenſi diœceſi: in [q] Lauracenſi agro [r] Gaianum, nec non [ſ] Montiniacum, [t] Felicis, [u] Severini, Salvatoris,

INTERPR. [a] *la Fere.* [b] *de Bonne, ſieur de Leſdiguieres.* [c] *de Gondin.* [d] *Molines.* [e] *de Porqueres & de Merle.* [f] *Eſpagnac.* [g] *Mande.* [h] *Florac.* [i] *le Tarn.* [k] *Queſac.* [l] *le ſieur de Monteulons.* [m] *S. Hieremie en Rouergue.* [n] *Chateau de Bedoues.* [o] *de S. Vidal.* [p] *Caux, Cabrieres & S. Laurens au dioceſe de Beziers.* [q] *Lauraguais.* [r] *Gayan.* [ſ] *Montaignac.* [t] *St Felix de Rienterte.* [u] *St Sernin, S. Sauveur, & St Ubery.*

Salvatoris, Huberti fana; [a] Cornavelium, [b] Lopianum, et alia, ex quibus crebrae excurſiones magno provincialium detrimento fiebant. CIↃIↃLXXX. Eodem tempore [c] Fanum-Lezerii, quae eſt Conſeranorum metropolis, aſtu a [d] Lermontio ſtrenuo ordinum ductore interceptum eſt. HENRICUS III. Quae omnia loca poſt pacem inter [e] Andinum et Navarrum conventam reſtituta ſunt.

V. NEC [f] Diguierius in Delfinatu ceſſabat; ubi, cum ruſtici nobilitatis inſolentiam pertaeſi arma ſumpſiſſent, non minore et ipſi inſolentia injurias a nobilitate acceptas contra alios ordines ulciſcebantur. In eos duxerant Laurentius Maugironus Delfinatus, et Franciſcus [g] Mandelotus Lugdunenſis provinciae praefecti regis juſſu, qui et intempeſtiva tuendae libertatis praeludia defectionum initia interpretabatur. Principio Diguierius ante acceptum ab Aramontio imperinm eam optimam belli inchoandi commoditatem exiſtimaverat, ſi cum ruſticis vireis ſociaret: ſed injuſſu Navarri nihil hactenus tentare auſus erat. Nunc autem, accepta ab Aramontio teſſera, quamvis jam illi ſemel atque iterum ad [h] Valentiam et Romanium debellati eſſent, utendum occaſione ratus, cum copiis, quas paratas habebat, quamprimum ad eos tendere ſtatuit, qui ſe ex ultima ſtrage ad [i] Morenam receperant. Verum, tranſmiſſo Kal. Apr. infra [k] Gratianopolim [l] Iſara, cum in eo eſſet ut in Viennenſi provincia cum ruſticis ſe conjungeret, cognito jam ruſticos Morena a praefectis regiis incluſos vitam et res ſalvas pactos deditionem feciſſe, nihilominus iter perſequitur; et, traductis ad [m] Quintini fanum copiis, quaſdam regias cohortes poſt victoriam ſecure palanteis intercipit, et intra [n] Tullinum compulſas admotis ſcalis media die expugnat ac caedit. Quo facto, ad montana deflexit; et [o] Brigantionem, de quo intercipiendo conſilia ſecreta cum aliquot oppidanis agitaverat, cum ſuis petit. Ii conſules oppidi fuerant; qui, pecunia publica dum magiſtratum gererent interverſa, peculatus poſtulati, ut judicium effugerent, de arce occupanda et in Diguierii manus tradenda fidem obſtrinxerant. Dies ad [α] XVII Kal. Maias dicta; quam illi, inſtante judicii die, ex deſperatione rerum ſuarum temere anteverterunt; moxque ab oppidanis et circumpoſitis populis obſeſſi commeatus inopia dedere ſe coacti fuerunt, antequam Diguierius ad condictam diem veniſſet. Is in itinere cum jam deditionem factam intellexiſſet, et deditities ſecuri percuſſos, retro ceſſit; et de [p] Mura, quam ſolam fere tota provincia tenebat, munienda cogitare coepit. Jam anno ſuperiore Condaeus [q] Faram Veromanduorum quaſi in praefecturam ſuam venerat, cujus ingreſſu hactenus prohibitus fuerat: et, cum clandeſtinam ſuam profectionem apud regem excenſaſſet, videretque eo res ſuas redactas, ut niſi vi eam urbem retinere non poſſet, praeſidio in ea relicto, Franciſcum [r] Perſonam loco praeficit: et, quia de obſidione dubitabat, hoc anno mature in Germaniam ad auxilia accerſenda evolavit, facto per Belgium itinere. Hujus diſceſſu, quam adventu in Picardiam, rex, etſi eum moleſte tulerat, magis ſolicitus, cum videret eodem tempore in Aquitania et Delfinatu res turbare, et metueret ne externum aliis accerſitis in ipſis regni penetralibus bellum habere cogeretur, praevertendum ratus, treis exercitus ſimul conſcribit; et uni, qui in Aquitaniam deſtinabatur, Armanum Bironum equitum tribunum praeficit; alterius in Delfinatum ducendi curam Carolo [ſ] Lotharingo Meduanae duci, tertium denique Jacobo [t] Gobioni Matignono equitum tribuno ad Faram Veromanduorum obſidendam committit: verum ſerius res ab eo geſta: maturius Bironus et Meduanius in provincias quiſque ſuas profecti ſunt. In exercitu Meduanii erant VII CIↃ peditum et CIↃ equitum cum IↃ foſſoribus: quibus copiis acceſſit provinciae equitatus, et XVIII

circiter

VAR. LECT. [α] VII Kal. *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Cornavel.* [b] *Loupian.* [c] *S. Licer au comté de Conſerans.* [d] *de Lermont.* [e] *le duc d'Anjou, & le roy de Navarre.* [f] *le ſieur de Leſdignieres.* [g] *de Mandelot, gouverneur du Lionnois.* [h] *Valens & Romans.* [i] *Moirens.* [k] *Grenoble.* [l] *l'Iſere.* [m] *S. Quintin.* [n] *Tullins.* [o] *Briançon.* [p] *la Mure.* [q] *la Fere.* [r] *de la Perſonne.* [ſ] *de Lorraine, duc de Mayenne.* [t] *Goyon de Matignon.*

CIↃIↃLXXX. circiter tormenta in ea reperta. Cum iis Muram, quam Diguierius feſtinatis operibus
HENRICUS III. muniebat, [a] Villario et Aſpramontio ad id praepoſitis, recta ducit, ineunte Septembri. Oppidum eſt loco inaequali ſitum, cui ſuperimpoſita eſt arx tumultuario opere a Diguierio munita; de cetero foſſa profunda vallatum, et in angulo, qui meridiem reſpiciebat, ampliſſimo propugnaculo firmatum: ad quod, antequam ad ſuam altitudinem perductum eſſet, verberationem dirigi placuit. E regione ejus hoſpitium ſibi ſumpſerat Meduanius; et ſupra eum [b] Poeſius Paſſagius, et Helvetii: infra Mandelotus tentoria fixerat. Tribus partibus verberatio inſtituta: et IV tormentorum [c] Claromontio Monteſonio, totidem Ludovico [d] Monlaurio comiti cura attribura eſt, quae porrecta verberatione locum pulſabant: duo alia tormenta inter Meduanii et Paſſagii hoſpitia directa erant: totidem ex altera urbis parte colli arduo impoſita, quae praeſidiarios intus foſſa anfractuoſa ducta ſe defendenteis et ad regiorum impetus ſe opponenteis a tergo infeſtabant. Alteri urbis lateri, quod huic objectum eſt, colles praealti imminent; in quibus [e] Sacromorus Biragus legionem habebat, et III tormenta diſpoſita erant, ex quibus tranſverſa verberatione arx infeſtabatur. Rurſus ſupra Helvetios Joannes [f] Darſius Livarotus juxta arcem cum ſua legione erat; ita ut ab omni parte tam urbs quam arx arcta obſidione cincta videretur. Diſploſis ad propugnaculum, quod dixi, amplius III CIↃ tormentorum ictibus, cum una et altera oppugnatione regii repulſi eſſent, vi omiſſa, cuniculis agendis labor inſumptus eſt; quibus ignem concipientibus et ſuffoſſo muro tantum profecit [g] Meduanius, ut obſeſſi, amiſſis CXX ex ſuis, et in ultima oppugnatione [h] Sanjoannio Diguierii ſororis filio qui propugnaculum tuebatur, locum deſeruerint, et ſe intra foſſam haud longe hinc exſtructam receperint. Meduanius propugnaculo potitus, et ſtatutis in eo aliquot ſignis, cum ſibi redordiendam oppugnationem cerneret, jam praecipitante autumno, et nivibus, quae illis locis ingentes eſſe ſolent, imminentibus, paulum abfuit quin ab obſidione diſcederet: verum per lixam ab [i] Hercule Nigro, [k] Centalii [l] Saluciae principatus in Subalpina regione oppido nato, et muniendorum locorum apprime perito, monitus, ſi ad locum deſignatum verberationem transferret, fore, ut obſeſſorum munitiones citra foſſam exſtructae ipſis potius damno quam tutamento eſſent, in obſidione permanſit. Igitur, machinis tranſlatis, obſeſſi, qui viderent jam oppidum defendi non poſſe, eo deſerto, retro ſe in arcem receperunt. Ea in clivo oppido imminenti ſita erat, quinque munimentis ſpecie forcipum ſeſe invicem ſpectantium vallata; in quam ad CIↃCC pedites et circiter C equites magno tumultu confugerunt, numerus loci commoditatibus major. Itaque poſt VI dierum ſpatium, aqua ciſternarum omnino exhauſta, honeſtiſſimis tamen conditionibus a Meduanio impetratis dimiſſi obſeſſi, cum XL dies locum tenuiſſent, et, duabus oppugnationibus repulſis, ſemel atque iterum, ac ſingulis vicibus CL introductis auxiliaribus, ad ſummas anguſtias Meduanium redegiſſent; ita ut, niſi aquae penuria obſeſſos ad deditionem cogente, cum damno diſceſſurus fuiſſe credatur.

VI. ANTEQUAM in provinciam veniret Meduanius, rex, ut Proteſtantium conatus eluderet, eorumque vireis ac conſilia divideret, diplomate III Non. Jun. promulgato edicta ſuperiora in ipſorum gratiam facta confirmaverat, ſanctione addita, ut qui beneficio eorum uti vellent domi pacate ab omni injuria ſecuri manere poſſent, quique illis qua in re vel verbo vel facto nocerent, in eos tanquam perduelleis a magiſtratu animadverteretur. Id multos in officio continuerat, domi eventum quaſi in tuto opperienteis et ſociorum periculum negligenteis: quos fruſtra Diguierius, adjunctis Navarri literis, monuerat, ut, omiſſo quietis ſucatae pernicioſo conſilio, ſecum vireis conjungerent;

INTERPR. [a] *de Villars & d'Aſpremont.* [b] *de Poiſieux, ſieur du Paſſage.* [c] *de Clermont de Monteiſon.* [d] *de Monlaur.* [e] *Sacromore de Birague.* [f] *Darces, ſieur de Livarot.* [g] *le duc de Mayenne.* [h] *de S. Jean.* [i] *Hercole Negro.* [k] *Cental.* [l] *le Marquiſat de Saluces en Piedmont.*

conjungerent; alioqui fore, ut diviſi facilius ſinguli carperentur, et, ita profligatis rebus, ſera poenitentia eſſet. Sed vera dicenti Diguierio minime auſcultavit pleraque nobilium pars. Multi ex iis occulto livore Diguierium proſequebantur, quem in ſumma rerum praefectura a Navarro poſt Monbrunii ante ſexennium ſupplicio affecti mortem praelatum dolebant. Eas occultas procerum aemulationes et ſimultates cum Meduanius, qua erat ſagacitate, praeſenſiſſet, obvia humanitate cunctos prenſando et ingentibus pollicitis onerando mira arte in ſuum commodum vertit; captaque [a] Mura, [b] Gratianopolim profectus, confluente ad eum undique Proteſtantium nobilitate, qua fere ſola cinctus incedebat, brevi tempore provinciam pacatam habuit; ita ut, quod alii vix multis magna cum ſanguinis jactura commiſſis proeliis efficere potuiſſent, prudentia et animi moderatione confeciſſe, non ſolum in provincia ſed in aula ipſa jactaretur. Igitur reliquum anni quod fuit, in conviviis, feſtis et haſtiludiis impenſum eſt: in quibus popularitate affectata omnium ordinum benevolentiam mirum in modum ſibi conciliavit Meduanius, ita ut fides ejus tanquam ſinceri et ab omni fuco alieni principis in proverbium tunc abierit. Diguierius ipſe, cum de ſecuritate ipſi cautum eſſet, ad eum venit, ſummo in honore ac pretio habitus. Verum aulicis artibus vir major, cum fruſtra ſocios monuiſſet, ne ſe iis tranſverſos agi ac poſtremo decipi ſinerent, inſtante Meduanio ut ſecum tranſigeret, et illo Navarri contrarium imperium cauſante, poſtremo [c] Serram cum paucis ſententiae ſuae approbatoribus ſe contulit: quo ad eum ſtatim [d] Brigneus venit a Navarro miſſus, et nuncium de colloquio [e] Flexiae in Petrocoriis inſtituto attulit; laudataque ipſius virtute ac conſtantia, porro ut in ea perſeveraret, hortatus eſt: nam brevi fore, ut, manente inter ſuos concordia, bellum juxta neceſſarium ac periculoſum honorificis conditionibus et majore in poſterum ſecuritate Andini ſororii interventu componatur.

VII. Ut Meduanius in Delfinatu, ſic Bironus in [f] Aquitania Proteſtantium res, atque adeo ipſius Navarri, in arctum redegerat, bello ob eas, quas diximus, cauſas temere a Navarro ſuſcepto; quod et Rupellani primum, et Fr. [g] Lanovius dein conſultus ut injuſtum ſummopere deteſtatus fuerat. Poſt [h] Divonam Cadurcorum captam, [i] Vivantius, qui [k] Veſunae Petrocoriorum praeerat, [l] Montiniacum obſedit: jamque obſeſſi in eo erant ut ſe dederent, cum, proelio fortuito cum nobilitate provinciali commiſſo, ipſe admodum debilitatis copiis ab obſidione diſcedere coactus eſt. In eo conflictu ex regiis graviter ſauciatus junior [m] Loſſius ex vulneribus poſtea deceſſit. Interea Bironus, cui per Aquitaniam ſummum armorum imperium attributum erat, [n] Burdigalae cuncta ad bellum parat; et cum tormentis ac inſtructis copiis egreſſus facile hoſteis antea per agrum incedenteis in praeſidia compulit. Ineunte Quintili ad [o] Guntaldum in Aginnatibus exiguum oppidum, unde gentilitium ipſi Birono nomen, promota caſtra: ruinaque edita, cum in eo regii eſſent ut oppugnationem tentarent, ictu tormenti a noſtris diſploſi [p] Lardimalius ex nobilitate Petrocoria vir ſtrenuus diſcerptus eſt; quod conſilio factum cum interpretaretur Bironus, captum tormentarium in crucem agi juſſit; factaque mox vi locus captus ac crudeliter direptus eſt, occiſis obviis, et incendio in aedeis deſertas immiſſo, quod totum fere oppidum depaſtum eſt, [q] Cauconis, qui in regiis caſtris erat, ſola domo excepta. Id actum III Eid. Quintil. Aliquanto poſt VII Kal. Sextil. juxta [r] Moncrabellum duabus a Neraco leucis infauſto illuſtriſſimae tota Aquitania familiae fato pugnatum fuit, [s] Gurſonii et Flexii comitibus,

INTERPR. [a] *la Mure.* [b] *Grenoble.* [c] *Serres.* [d] *de Brigneux.* [e] *Flein en Perigort.* [f] *Guienne.* [g] *de la Nouë.* [h] *Cahors.* [i] *de Vivants.* [k] *Perigueux.* [l] *Montignac.* [m] *de Loſſes.* [n] *Bourdeaux.* [o] *Gontaud en Agenois.* [p] *Lardimalie.* [q] *de Caucon.* [r] *Moncrabeau.* [s] *Louis de Foix comte de Gurſon, Gaſton de Foix vicomte de Meille, & François Phœbus de Foix comte de Fleix fils de Germain Gaſton de Foix marquis de Trans.*

CIↃIↃLXXX.
Henricus III.

comitibus, [a] ac Hieroſolymitano equire, Gaſtonis Foxii Tranii marchionis filiis, qui Navarri, ob arctam cum eo cognationem, partes ſequebantur, quamvis alioqui a Proteſtantium doctrina alieni eſſent, in eo conflictu fortuito deſideraris. Impreſſio ab Hectore [a] Pardallanio Gondrinio et Carolo [b] Montiſpano cjus filio facta, proprias equirum alas cum aliqnot delectis ſcloppetariis ſecum trahentibus. Eodem tempore anre Flexianum conventum res incidit, quae animos ad pacem ſpectanteis admodum turbavir, Bertrandus [c] Balleolius Poiana, ex provinciae nobilitate vir ſtrenuus, qui [d] Aquas Tarbellicas praeſidio tenebat, ad omneiſque occaſiones intentus Proteſtantium conatus in Novempopulonia obſervabat, de [e] Marſani monte praecipuo Navarri ditionis atque adeo regionis oppido intercipiendo, re cum Birono, qui ad [f] Montem regalem in agro Condomenſi x ab hinc leucis ſedebat, communicata, conſilium cepit; quod licet hoſti detectum vitari non potuit. Loco praeerat A. [g] Memmius, ex eodem oppido primarius civis, qui pridie adventus regiorum [h] Caſtaneolam centurionem emiſerat, ut de Poianae rebus cognoſceret. Is, capto inter diſcurrendum milite, qui vitam ſalvam pactus rem detexerat, ad Memmium redit, qui, frequentia hujuſmodi indicia quod negligeret, rem inſuper habuit. At Poiana tentandi certus, corrupto piſtrinario, ad tempus condictum xiv Kal. Oct. paulo ante auroram per [i] Baiſam amnem, qui [k] Neraco labens mediam urbem dividit, et inde ad [l] Baionam in oceanum influit, ad molatrinam cum xxx delectis devehitur; et per ſcalam molatrinam intrar: cumque excubiae mutarentur, porta majoris urbis, in qua arx eſt, a cuſtodibus, qui ad molatrinam vinum ſumpturi accedere ſolemne habebant, forte aperta, irrumpunt; et, circiter cc, qui vadum tranſmiſerant, ſubſequentibus, ad ſtrepitum turbatis praeſidiariis, urbe potitur. xxv nec amplius interfecti, *fere nullius nominis*: Poiana in manu dextra vulneratus: [m] Haria ex praeſidiariis primarius centurio in ſemore item vulnere accepto mutilatus. Nulli praeterea injuria illata, aut uitio in quenquam a Poiana alioqui inſeſto exercita. Reſtabat arx, in quam Memmius ſe cum cetero praeſidio receperat, diſceſſu [n] Podentii, paucis ante diebus, quod minus bene ipſi cum Memmio conveniret, valde imminuto. Poiana, quanquam urbis potens, qui metueret, ne Memmius, ſi obſidio diutius extraheretur, paucitate regiorum cognita, animos ex pavore colligeret, ſubito ad Bironum mittit; qui intra biduum cum tormentis advolavit: quibus admotis, Memmius his conditionibus ſe dedidit; ut ipſe, equites ac tribuni cum omni impedimento, pedites cum gladio et ſclopperis incolumes emitterentur. Inde Bironus poſt quatriduum Neracum verſus per [o] Labretanum agrum iter intendir, ubi ſe Margarita Navarri uxor cum delecta nobilitate incluſerat. Cum per vincas praetervcheretur exercitus, v Kal. Oct. tres tormentorum ictus diſploſi juſſu Bironi; quorum unus [p] Mercadoani portam, quo Margarita uſque venerat ut eminus regios conſpicaretur, pulſavit: quod, quia ſine alio operae pretio neque admotis ad oppidum copiis ex belli neceſſitate factum erat, generoſa foemina ad injuriam revocavir, jactabunda illa pulſatione contumelioſe ſibi illuſum dictitans; conceptamque ex ea contra Bironum indignationem non niſi cum ultione poſtea depoſuit: nec minus caſum aegre tulit Navarrus, quod, Marſani monte dejectus, una et omni imperio, quod illis in regionibus vaſtis obtinebat, exutus ſibi videbatur. Itaque ab eo nunquam deſtitit, donec, poſt tentatum ſaepius aſtu locum, anno ſequenti, cum aliquandiu Jacobo Marignono equitum tribuno recens in provinciam miſſo per colloquium illuſiſſet, tandem cum citra ſanguinem recepit, eadem moderatione, qua

Poiana

VAR. LECT. [a] ac · Hieroſolymitano *D. f. d.*

INTERPR. [a] *de Pardaillan, ſieur de Gondrin.* [b] *le ſieur de Monteſpan.* [c] *de Bailleul, ſieur de Poyane.* [d] *Acqs.* [e] *Mont de Marſan.* [f] *Mont-real en Condommois.* [g] *de Meſmes.* [h] *Caſtaignol.* [i] *Baiſe r.* [k] *Nerac.* [l] *Bayone.* [m] *le baron de la Harie.* [n] *de Poudentz.* [o] *pays d'Albret.* [p] *porte de Mercadieu.*

Poiana uſus fuerat, ſervata. Inter haec ſeu vi ſeu metu pleraque caſtella et oppida, CIƆIƆLXXX.
quae a tranſeunte milite occupata fuerant, in poteſtatem redacta famam Bironi HENRICUS III
ſucceſſuum auxere. Ipſe cum ad [a] Jordani inſulam, quod eſt validum haud longe a [b] Toloſa Proteſtantium praeſidium, acceſſiſſet, equi in lubrico lapſantis caſu graviter adflictatus eſt, eodem illo crure, ex quo jampridem claudicabat, duobus locis confracto, ita ut muniis militaribus obeundis vir alioqui impiger redderetur prorſus inutilis. Itaque, cum inter proceres ac belli duces, qui in exercitu erant, de ſummo imperio controverteretur, ſciſſiſque animis, alii dignitate, alii meritis et aetate ſibi jus in eo arrogarent, Bironus periculum veritus, cum alteri alteris cedere ullo modo recuſarent, reſque propemodum ſive ad mutuam perniciem ſive ad copiarum ſolutionem ſpectaret, eos ad concordiam hortatus poſtremo tenuit, ut Carolus filius XV tunc annos tantum natus ſumma praefectura interim fungeretur; quod paternis meritis ac nomini datum, cum quiſque puero extra comparationem poſito parere minime ſibi dedecoroſum exiſtimaret. Idque in omen imperatoriae olim dignitatis, quam virtute propria poſtea meruit, acceptum fuit. Ab eo tempore nihil memorabile geſtum, accedente ad Bironi invaletudinem populari morbo; quo correpti in utroque exercitu milites in ſtationibus obeundis ſegniores erant, incerta adhuc ejus cauſa et remediis.

VIII. ACCIDIT et eadem aeſtate res, quae Navarrum valde conturbavit. [c] Regulam ad Garumnam coenobio nobile ac ſitu opportunum oppidum ante triennium ſecuritatis cauſa Proteſtantibus a rege conceſſum praeſidio tenebat [d] Duſſacus, ex [e] Petrocoria nobilitate vir ſtrenuus, qui antea Bergeraeum tenuerat; in eoque ſummam fiduciam poſuerat Navarrus, quod doctrinae Proteſtantium addictus erat, et ob non vulgarem eruditionem etiam de paſtorali munere obeundo cogitaſſe dicebatur. Is nihilominus, cum regina Neraci cum Navarro ageret, puellae cujuſdam ex gynaeceo ejus illecebris captus, ut creditur, praeter omnium opinionem ſubito mutavit, et, capta occaſione, oppidum arcemque in regiorum manus tradidit; quam poſtea, ejerata quam profitebatur religione, regis nomine tenuit, torquis conchiliati praeterea inſigni a rege donatus.

IX. QUAE dum in Aquitania geruntur, rex de [f] Fara Veromanduorum ſuperiore anno capta ſolicitus, eo majore cura angebatur, quod, quanquam, miſſa ad Condaeum regina parente, ei poteſtatem feciſſet in oppido manendi cum provinciae praeſidis titulo, modo ſine provincialium incommodo, nihilque hoſtile moliretur, nihilominus intellexerat ipſum ſibi et loco metuentem repente diſceſſiſſe, et in Belgium proximum ſive Germaniam ad auxilia procuranda profectum eſſe. Is ſiquidem, ex quo in provinciam venerat, et oppidum occupaverat, omnia ſumma ad locum operibus muniendum et commeatu ac praeſidio firmandum fecerat; et, relictis ad loci defenſionem Franciſco [g] Perſona et Arturo [h] Valdraeo Moio, in Belgium conceſſerat, injecta regi ſuſpicione, quaſi bellum ex Aquitania in loca aulae proxima transferre cogitaret. Id tamen excuſabat; et contra religioſe affirmabat, non alia mente ſe in Picardiam deſcendiſſe, quam ut pacem regio beneficio conceſſam et pacificatoria edicta ſervaret, et contra ſeditioſorum clancularia foedera ac coitiones regiam auctoritatem tueretur. Quos ſeditioſorum nomine intelligeret, haud dubium regi erat, qui ſciret Carolum Lotharingum [i] Aumaliae ducem ex occaſione adventus Condaei ſoederationis factionem in provincia renovare, et pernicioſa contra regem ipſum quaſi Navarro faventem, ita enim ab emiſſariis jactabatur, conſilia agitare. * Quo nomine cum rex magnam invidiam ſuſtineret, et alioqui vereretur, ne, bello inter Condaeum et Aumalium accenſo, otium ſuum voluptuarium per has turbas inde turbaretur, inde regii nominis majeſtas

INTERPR. [a] *Lille en Jourdain.* [b] *Toulouſe.* [c] *la Reole ſur la Garonne.* [d] *d'Uſſac.* [e] *de Perigort.* [f] *la Fere.* [g] *de la Perſonne.* [h] *Vaudray, ſieur de Mouy.* [i] *le duc d'Aumale.*

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

majeſtas labefactaretur, ubi de Condaei in Germaniam diſceſſu per ipſius literas cognovit, graveis et expoſtulationis plenas literas Lutetia dat VII Kal. Jun. quibus cum contra fidem datam in Picardiam veniſſe arguebat: nam conveniſſe, ut intra ſexennii tempus [a] ſano Joannis Angeriaci contentus eſſet; quo exacto, libere praefectura Picardiae frueretur: nihilominus reginae parentis, quae ad ipſum proficiſcendi moleſtiam ſuſceperit, precibus condonaſſe, ut ipſe in oppido, quod occupaverat, cum CC militum praeſidio maneret, modo Joannis-fanum reſtitueret, et praeſidium a [b] Sanmemmio impoſitum inde deduceret: quod non ſolum ab ipſo minime factum, ſed multa hoſtiliter acta; imperatum vicinis commeatum; ad opera facienda ruſticos vi adactos; excurſionibus late omnia infeſta reddita; etiam [c] Dorlanum inſidiis tentatum; ita ut ad injuſtam vim propulſandam magno tranquillitatis publicae detrimento nobilitas paſſim et oppidani arma capere coacti ſint: et, quanquam monuerit ipſum, [d] Andino fratri datum negotium cum plenis mandatis, ut res cum Navarro componeret, miſſoque Bellofontano Andinus ipſe id ei ſignificaverit, minime tamen ab incepto deſtitiſſe; ſed nunc hoſtilia animo meditantem in Germaniam conceſſiſſe: quod vero de Aumalii inſidioſis conſiliis queratur, id immerito facere: nam ſibi, diligenti indagatione facta, miſſiſque qui res coram inſpicerent, conſtare, Aumalium domi privatum ſedere cum domeſtico, nec alio majore comitatu: quo magis mirari, ipſum rumoribus tam leviter fidem adhibuiſſe, ut, contra quam ab initio promiſerat, nunc ad belli conſilia ſubito revolutus ſit: proinde orare ac mandare, etiam atque etiam videat, quid decori ſuo, quid fidei, quid reipublicae magis expediat; benignique potius ac conjunctiſſimi ſanguine principis ad pacem hortantis imperiis morigerum ſe praebeat, quam hominum turbulentorum dictis auſcultet. Secundum haec diploma Lutetiae promulgatur III Non. Jun. quo rex praeteritorum edictorum in gratiam Proteſtantium conditorum auctoritatem ſancit, eaque rata eſſe jubet, querelis admiſtis, quod contra Neraciani edicti praeſcriptum Proteſtantes oppida et urbes fidei ſuae commiſſas tempore convento non reſtituiſſent; multas alias interim in Septimania cepiſſent. His addebat Condaei injuſſu ſuo in Picardiam adventum, et magis ſuſpectum adventu ex ea diſceſſum; coitiones ad Faram Veromanduorum, dum inibi eſſet, factas, et tentata circum per inſidias oppida; pecuniam vicinis imperatam, et ab iis hoſtiliter extortam.

X. HAC juſta veluti belli denunciatione praemiſſa, rex exercitum, quem interea conſcribi curaverat, in Picardiam deſtinat, praepoſito ei Jacobo Gobione Marignono paulo ante equitum tribuno creato. Miſſi cum eo Annas [e] Ioüſa Arcuenſis, et Joannes Ludovicus [f] Nogaretus Valeta, qui tunc in flagranti regis gratia florebant. Arcuenſis in ea obſidione vulnus accepit, labro ex fragmenti lapidis diſſilientis ictu leviter perſtricto. Nonis Quintil. Fara corona cincta eſt; et ab ea die uſque ad XI Kal. Sextil. qui B. Magdalenae ſacer eſt, levibus proeliis in ſuburbiorum oppugnatione certatum fuit; quae praeſidiarii primum incenſa tandem deſeruerunt, ac poſtridie per poſticum oppidi ad [g] Calvariae coenobium erupere, a Caroli [h] Halvinii Piennae turma equitum poſtremo repulſi. Biduo poſt rurſus acri eruptione facta ex noſtris Nicolaus [i] Conanus et Ludovicus Huraltus Villuſianus legionum tribuni graviter vulnerati ſunt: ac nocte inſequenti, quo caſu incertum, Florimundus Halvinius marchio [k] Meneleius Piennae filius ictu ſcloppeti in tentorio ſuo ſauciatus eſt; et paulo poſt [l] Fontano Sercoto Aumalii legato tormenti ictu crus fractum. Inde, aliquor dierum mora interjecta, ab obſeſſis acriore quam antea eruptione facta Franc. [m] Quinquapodius Maius Vignorii comes virtute militari inſignis dux in fronte ſcloppeto lethaliter ictus eſt; Philibertus

INTERPR. [a] *S. Jean d'Angely.* [b] *de S. Meſme.* [c] *Dourlens.* [d] *le duc d'Anjou.* [e] *de Joyeuſe, ſieur d'Arques.* [f] *de Nogaret, ſieur de la Valette.* [g] *abbaye de Calvaire.* [h] *de Hallwin, ſieur de Piennes.* [i] *Conan & Louis Hurault de Villeluiſan.* [k] *de Meignelay.* [l] *Fontaine Sercot.* [m] *de Quinquempoix, ſieur du Mais, comte de Vignory.*

Philibertus [a] Grammontanus comes Vaſconum regulus brachium ex tormenti ictu amiſit: quibus ex vulneribus aliquot poſt diebus, ſummo ſui relicto deſiderio, ambo deceſſerunt. CIↃIↃLXXX. HENRICUS III. Guiſius Lutetiae tunc erat; qui, cognito Vignorii periculo, confeſtim per diſpoſiros equos illuc evolat, ſive ut amicum ſibi chariſſimum officioſe viſeret, ſive veritus, ne homo omnium ſecretotum particeps in extremis agens aliquid per confeſſionem ad regem deferendum mandaret, id praeſentia ſua impediturus: nec aliam ob cauſam tanta celeritate eo veniſſe a multis creditus eſt. Tandem XVIII Kal. Sept. verberatio ad [b] propugnaculum Lucemburgenſe directa: ac quarto poſt die [c] cataractae urbis munitio oppoſita ſine magna noſtrorum jactura capta eſt. Rurſuſque, nutantibus in urbe obſeſſorum animis, quod certo per exploratores cognoverat Matignonus, vir alioqui natura cunctator, dum cuncta ad extremam oppugnationem parat, aliquot dies elabi paſſus eſt: ac demum, ptidie Eid. Sept. qui in Lunae diem incidebat, cum omnia ad vim faciendam inſtructa eſſent, obſeſſi tympaniſtam cum literis ad Matignonum mittunt, quibus colloquium poſcebant. Securitate accepta, [d] Gemellus er Lud. Harlaeus Monglaſſius oppido egreſſi ſunt; qui in has conditiones cum Matignono convenerunt: ut nobiles cum armis et equis, gregarii milites cum enſe ac pugione incolumes dimitterentur, et in tutum, libertate, quo ire vellent, facta, deducerentur; multum reclamante Aumalio, qui ſeverius contra eos agi debuiſſe clamitabat, ob idque indignatione concepta ab exercitu eodem die, inſalutato Matignono, diſceſſit. Tulit et aegre colloquium Valeta, qui, dum illud haberetur, verberarionem, cui praeerat, nunquam intermiſit, non ſine occulta Matignoni offenſione. Poſtridie egreſſi praeſidiarii, et in tutum a Matignoni ipſius, Piennae, Ludovici [e] Ogniac Cauniac comitis, Hadriani [f] Tiercellini Broſſii et Caroli [g] Borbonii Rubenprati equitum alis deducti: vix tamen poſtea ruſticorum ob excurſiones exaſperatorum ultionem effugere. [h] Boquinvilla et Spinaeus cum valido praeſidio oppido dedito impoſiti. Primo placuerat, ut illud munitionibus nudaretur; foſſoreſque ad opus faciendum conſcripti undique convenerant: ſed mox contrario mandato id omiſſum eſt.

XI. ITA bello ubique fere infeliciter Proteſtantibus ſuccedente, Andinus praecipuus illius incentor, qui fidem ſorori datam a Navarro undique circumvento repoſci videret, partes ſuas interponit; et cum rege fratre per ſuos agit; et, ſciſſo factionibus regno ac XX annorum bellis tot hominibus armotum licentiae inſuetis, non aliam quietis domi conſtituendae rationem eſſe oſtendit, quam ſi per bellum exterum in viſceribus haerens malum educatur, et foris eductum ſanetur: remedium in manibus eſſe, raro Dei miſeriis Galliae veluti indolentis beneficio oblatum: nam Belgas, intolerabili Hiſpanorum infeſtorum Gallici nominis hoſtium jugo preſſos, in quorum ditione aliquando fuerint, opem implorare: proindeque regem, qui ſupplicum obſecrationes, ne cum tam potenti principe bellum apertum habere cogeretur, hactenus neglexerit, moleſte ferre non debere, ſi eorum ipſe patrocinium ſuſcipiat: igitur enixe rogare, ut ſe in eo perſequendo adjuvet; quod et juſtum et neceſſarium, et nomini Gallico, cujus luminibus inſolito faſtu Hiſpani nuper exorti officere ſtudeant, ſit honorificum: nam eo res deveniſſe, ut aut domi bellum habere aut foris gerere oporteat: utrum velit eligat: ſe enim paratum, prout debeat, regi regnoque utrobique inſervire: adhuc ſibi cum Navarro integra omnia eſſe; ac ſperare, ſi ſibi belli gerendi in Belgio commoditates ſuppeditentur, occupatis extra regnum praecipuis ipſius ducibus, ut in Gallia pax ſecura conſtituatur. His Andini rationibus

INTERPR. [a] *de Grammont, ſeigneur de Biſcaye.* [b] *le baſtion de Luxembourg.* [c] *les Eſcluſes.* [d] *de Jumelles, & Louis de Harlay ſieur de Monglas.* [e] *d'Oignies, comte de Chaûne.* [f] *Tiercelin de Broſſes.* [g] *de Bourbon de Rubenpré.* [h] *les capitaines de Bocquinville & d'Eſpinay.*

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

rationibus rex, etſi ab initio prorſus a bello Belgico averſus, tamen pacis in regno habendae ſupra modum cupidus, ſe vinci facile paſſus eſt: et, annitente matre, fratri in id bellum non ſolum magnam pecuniae vim conceſſit; ſed etiam ad delectus, quos per regnum habiturus eſſet, diſſimulaturum ſe promiſit, lege addita, ne ſibi in bellum contra Hiſpanum in [a] Aquitania proxima Navarri ductu gerendum conſentiendi neceſſitas imponeretur. Id enim a Navarro urgeri ſciebat. Nam, quod fratris dilectiſſimi contemplatione ſit facturus, id ſe in Navarri et gradu remotioris et religione diſſentientis gratiam nolle facere. His conditionibus ut cum Navarro agat, permittit.

XII. Hoc reſponſo accepto laetus Andinus, poſtquam cum Belgii ordinum delegatis proximo Septembri tranſegit, protinus in [b] Petrocorios evolat; et [c] Flexiam Gaſtonis [d] Foxii marchionis Tranii arcem petit. Is locus ad colloquium condictus erat: quo et regis nomine Ludovicus Borbonius Monpenſerii dux, et poſtea Pomponius [e] Bellevreus venit; quos et regis juſſu mox ſubſecutus eſt exeunte Octobri Arturus [f] Coſſaeus equitum tribunus. In eo colloquio auditis Proteſtantium querelis, qui ſuperiora edicta aut interpretationibus aut praefectorum diſſimulatione violari aiebant, tandem poſt longas altercationes, in certa capita tranſactum eſt; eaque de re conditum edictum Flexianae collationis nomine; quo et edictum ante triennium factum, et collatio Neraciana confirmabatur, et alia quaedam ad earum amplificationem addebantur. In primis, loco [g] Regulae oppidi et arcis nuper amiſſorum, [h] Figeacum in Cadurcis et Monſegurium in Vaſatenſi agro ſecuritatis cauſa Navarro conceſſa ſunt. Conventum et in arcano creditur, id impotenti Margaritae irae datum, ut Bironus ob recentem injuriam inviſus a praefectura Aquitaniae removeretur, et alius ipſi Navarroque ~~gratioſior ſufficeretur.~~

XIII. Rex edictum ratum habuit menſe Decembri [i] Bloeſis; quo parvo admodum comitatu excurrerat poſt periculum contagionis, quod, dum ad [k] Mauri-fanum in Foſſatenſi caſtro altero ab urbe lapide eſſet, paene adiverat: eoque ſe contulerat, ut et puriore aëre procul a lue illa frueretur, et ad colloquium intentus inde propius eventum ejus opperiretur. Lues illa, cum Junio menſe jam manifeſto ſerpere Lutetiae coepiſſet, paulatim tanta vi graſſata eſt, ut ab eo tempore XL capitum omnis generis CIↃ, ſed fere faecis plebeiae, abſumpſiſſe credatur, urbe paene ad ſolitudinem redacta: periculumque ingens domibus ditiorum deſertis a latronibus fuit, qui armati noctu diſcurrebant, et cuncta impune diripiebant, vixque praeſentia decurionum et praefecti mercatorum audacia eorum reprimi potuit. Is tunc erat Auguſtinus Thuanus, [l] fiſci in ſenatu patronus, ex muneris neceſſitate ad id obligatus: ſed longe maximum momentum attulit auctoritas Chriſtophori Thuani ſenatus principis; qui, licet per juſtitium ab urbe abeſſe poſſet, et vero ita facere ſolitus eſſet, tamen vir utilitati publicae natus, et qui contra urbis ſervatae ſalutem parvi vitam aeſtimaret, in ea manere ſuſtinuit, in curru per urbem ſe quotidie populo oſtentans, ut, cum ita periculum ſe negligere oſtenderet, ceteris ad conſtantiam exemplo ſuo praeiret. Monentibus amicis, et Nicolao [m] Carnutum epiſcopo fratre in primis per crebras literas ab eo efflagitanti, ut rus ad vitandum contagionis periculum ſecederet, generoſe verbis Martialis reſpondit; nullo fata loco excludi poſſe; et in medio [n] Tibure, cum mors venit, Sardiniam eſſe. Nec hic calamitas urbis ſtetit; ſed alio deplorando caſu cumulata eſt, XIII Kal. Dec. igne fortuito in [o] Franciſcanorum aede accenſo, qui totum templum ſtructura et pulcherrimis ſacellis conſpiciendum brevi tempore conſumpſit, incendio vix a ſpatioſo coenobio, quod templo contiguum erat, deſtructis intermediis

INTERPR. [a] *Guienne.* [b] *Perigort.* [c] *Fleix.* [d] *de Foix, marquis de Trans.* [e] *de Bellievre.* [f] *de Coſsé.* [g] *la Reole.* [h] *Figeac en Quercy, & Monſegur en Bazadois.* [i] *Blois.* [k] *S. Maur les Foſſez.* [l] *avocat du roy.* [m] *de Chartres.* [n] *Tivoli,* [o] *Cordeliers.*

intermediis aliquot aedificiis prohibito, et tandem cum templi ipſius ruina reſtincto. CIƆIƆLXXX. Cauſa tunc ignorata; et odio Proteſtantium, qui bellum nuper excitaverant, culpa in HENRICUS III. eos rejecta: ſed poſtea conſtitit, id fraterculi culpa accidiſſe; qui in ſacello S. Antonii Patavini tabulis ligneis exornato et ſub ambone ligneo poſito, ad quod frequentes cerei accendebantur, plus ſolito potus excubabat, et, conflagrante jam templo experrectus, re celata, in coenobium tacitus confugerat: idque ille, cum moreretur, teſtamento confeſſus eſt. Plerisque et aliis in oppidis circa Lutetiam peſtis contagio ſaeviit; ac praecipue [a] Laoduni Clavati in Veromanduis, quae loco arduo ſita civitas eſt; ubi ad VI CIƆ hominum extincta perhibentur: de cetero nuſquam major ſerenitas et ubertas frugum quam eo autumno fuit, ut potius ab aſtrorum impreſſione quam aëris corrupti malignitate malum emanaſſe credatur. Eam vero luem praeceſſit morbus novus, Vervecinus in Italia dictus; qui in oriente primum, dein in Italia, et Hiſpania lethalis, (nam et ex eo Anna Philippi regis uxor deceſſit, et Gregorius XIII perículoſe aegrotavit) poſtea etiam ſeptentrionem pervagatus, apud nos, incognita initio remediorum ratione, multos adflixit; [b] Coquelucam vulgo vocabant, verbo anno hujus ſaeculi X, feliciter apud nos imperante Ludovico XII, uſurpato; quae famem et peſtilentiam ante biennium toto regno graſſatam ſecuta fuerat, ut ex annalium noſtrorum fide conſtat. Erat id aegritudinis genus non tam mortiſera vi timendum, quanquam et ex illo multi perierint, quam progreſſu et celeritate, qua proxima quaeque loca ſerpente contagione complectebatur, admirabile. Primo inferiorem dorſi ſpinam horrore plerumque occupabat; dein horrori gravedo capitis, et languor membra eorum quos corripuerat reſolvens, ſuccedebat, pectori in primis gravis. Quibus vero intra quartum vel quintum diem malum non deceſſiſſet, in febrim degenerans eos interimebat. Id multis neglectum in bonum vertit; lethale fere iis, qui medicamentis purgantibus aut venae ſectione utebantur: quae utraque difficiliorem reſpirationem efficiebant; illa, quod humorem omnem a capite in pectus trahebant; haec, praeterquam quod corpus refrigeraret, etiam vireis debilitaret, quibus ad reſpirationem et vim morbi ſuperandam validis opus erat.

XIV. NE vero a turbis annus hic et bello et aliis calamitatibus ſceleſtus vacaret, exorta eſt inter primariae dignitatis viros rixa ejuſmodi, quae totum regnum, ſi alias ceſſatum eſſet, commovere potuit. Ante quinquennium cum Franciſcus regis frater ab aula clam diſceſſiſſet, ad eum ſive perſequendum ſive tranſitu [c] Ligeris prohibendum miſſus fuerat Monpenſerius, et cum eo vireis conjungere juſſus Ludovicus Gonzaga [d] Nivernii dux. Poſtea, rebus compoſitis, cum [e] Monpenſerius [f] Andegavi cum regis fratre eſſet, et, ſermone de ea re injecto, Andinus utrique, hoc eſt, Monpenſerio et Nivernio, non parum ſe debere profiteretur, qui majorem gratiae inter ipſum regemque ſarciendae quam mandatorum ad eum perſequendum datorum rationem habuiſſent, Monpenſerius, qui aegre ferret ſe eodem gratiae ordine cum Nivernio apud Andinum haberi, ſubjecerat, ſi quidem Nivernii monitis obtemperaſſet, res ſe in ſummum diſcrimen adducturum fuiſſe: nam Nivernium, ad prohibendum Ligeris tranſitum ut copias, quas penes ſe habebat, feſtinare juberet, hortatum eſſe, et ipſum viciſſim ſuas ſociaturum promiſiſſe. Haec ita inter Andinum et Monpenſerium menſe Martio proximo acta: additum ab iis qui rem ad Nivernium detulerunt, ad res magis exacerbendas, ita tunc ſermonem diſſeminatum fuiſſe, quaſi Nivernius in caput vitamque Andini peculiari odio conjuraſſet: quod ubi reſcivit Nivernius, vir omnis injuriae impatiens ſtatim literis ad Andinum datis de injuria, auctoris nomine ſuppreſſo, graviter expoſtulavit. Monpenſerius viciſſim, intellecta Nivernii querela, verborum, quae coram Andino protuliſſet, memor, ea, cujuſmodi jam retulimus, literis

INTERPR. [a] *Laon en Vermandois.* [b] *Coqueluche.* [c] *la Loire.* [d] *de Nevers.* [e] *le duc de Montpenſier.* [f] *Angers.*

CIƆIƆLXXX. literis ad ipſum miſſis et poſtea paſſim vulgatis publicavit. Nivernius igitur, ne qua
Henricus III. vel leviſſima ſuſpicionis ſcintilla de conjoratione coutra ipſum inita in Andiui animo haereret, Jacobum [a] Launacum alae equitum ſuae legatum ocius ad eum ablegat; qui, de ſide Nivernii et ſincero obſequio multa praeſatus, ſe miſſum dixit, ut coram ipſo, petita venia, calumnioſe mentiri illum declararet, quicunque Nivernium in caput ejus vitamque conjuraſſe aſſeverare auſus eſſet. Verbo meotiendi, cum ubique probroſo, tum praecipue apud nos, vel ii, quibus minor decoris cura, graviſſime offenduntur; nedum ut magnates et conſanguioei regis principes, ipſeque Monpenſerius, magnitudine animi ocmini mortalium concedens, id ferre poſſet. Itaque vir generoſus, cum id ad ſe pertioere exiſtimaret, in furialeis iras exarſit: cumque nec illum dignitas et aetas, corpuſque utriuſque ex vulneribus debilitatum duelli aleam admitteret, quod inter alios fieri amat, ſtatim, rei fama evulgata, cognati, affines, amici, clieores, non ſolum ex cunctis regni partibus, ſed etiam extra Galliam, operam utrique ſuam detulerunt. Monpenſerio, quod Catharinam Lotharingam in uxorem duxiſſet, Guiſiani omnes praeſto fuere; quanquam Guiſius ipſe ſororem Nivernii uxoris in matrimonio haberet. Tum regii ſanguinis principes, et innumeri proceres, et Arauſioenſis e Belgio ſtatim ad eum ſedulo miſit, ex eaque occaſione cum ſocero, quod fruſtra hactenus tentatum fuerat, reconciliatus eſt. Viciſſim Gulielmus Mantuae dux Nivernii frater, quicum alioqui haud ita bene conveniebat, et Willelmus [b] Juliacenſis dux [c] Clivenſium familiae, ex qua Nivernii uxor prognata erat, princeps, operam ſuam miſſis legatis honorifice Nivernio detulerat. Nivernius interim evulgato ſcripto rem, ut acta erat, complexus eſt. De illoque mentiri ſe intelligere dixit, qui ſe de conjuratione praedicta cogitaſſe apud Andinum affirmare auſus eſſet: quae autem literis ~~Monpenſerii ad Andinum verba~~ comprehenderentur, ea nec refutare, nec contradicere velle; quippe cum conſentanea eſſent mandatis, quae a rege habebat: neque proinde Monpenſerium putare debuiſſe, de illis ſe conqueſtum eſſe, ſicut nec ipſe velle debuerit, ut meotieodi verbum de iiſdem dictum intelligatur. Qua interpretatione et Nivernio honorifica, neque in Monpenſerium injurioſa, cum utriuſque decus ſalvum maneret, tandem interveotu regis reginaeqoe, ad exemplum pertinere exiſtimantium, ſi ob privatas diſſenſiones factionibus regnum ſcindi paterentur, et regia mandata cuiquam fraudi eſſent, res compoſita eſt, et inter civileis motus tanri alioqui diſſidii metus conquievit. [α] Eodem fere tempore res iocidit, quam ſileotio noo praeteriri e regni dignitate viſum eſt. [β] Factioſorum, ut potatur, inſtigatu per clandeſtinam diplomatis pontificii promulgationem a quibuſdam epiſcopis imprudeoter factam tentata regis ac magiſtratuum patientia fuerat, quatenus ulteriora facere poſſeot, captato tempore dum ſenatus a jure dicundo vacaret. Pontifex, uſurpata jam ab aliquot annis in Chriſtianos priocipes, ſed nunquam in Gallia adprobata, poteſtate, jus diris devoveodi magiſtratus, qui principalem juriſdictionem contra ſacrum ordinem tueotur, ſibi ſumpſit: eoque in die Paraſceves proxima ante Dominicam reſurrectiooem publica ceremonia hodie uritur, conditis de ea conſtitutionibus, quas ad oſtentandam ſuam potentiam per orbem Chriſtianum promulgari curat; cujuſmodi ea erat, quae tunc in regnum allata eſt. Qua de re cum in [d] camera, quae rebus prolatis de more in criminalibus praecipue cauſis jus dicit, cognitor regius conqueſtus eſſet, ſenatus, Barnaba Briſſonio praeſide, partes ſuas interpoſuit; et antiqua gravitate ac libertate cenſuit, praefecti locorum, in quibus archiepiſcopi aut epiſcopi ipſorumve vicarii bullam pontificiam aut exemplum ejus cum titulo Literae processus &c. [1] acceperint, et a quo ad illos miſſa ſit ut publicetur, et, ſi quidem nondum

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur 23 lineae uſque ad* Suſceptam contra Moſcos *deſunt D.* f. d. [β] Guiſianorum *MSS. Samm. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Launay.* [b] *le duc de Juliers.* [c] *de Cleves.* [d] *chambre des vacations.*

NOT. [1] *legendum forſan* acceperint, inquirant, a quo

nondum publicata ſit, ejus publicationem illis inhibeant, exemplaque ipſis ad publicandum miſſa recipiant, et ad cameram mittant, et, ſi quibus locis publicata ſit, archiepiſcopis aut epiſcopis eorumve vicariis, quorum juſſu publicario facta fuerit, diem dicant, qua ſe in jure ſiſtere et ad cognitoris regii poſtulara reſpondere teneantur; interea eorum bona ſoli auctoritate regia ſequeſtrentur. Eodem decreto prohibetur, ne quis executionem S. C. impediat; qui ſecus fecerit, perduellis et laeſae majeſtatis reus habeatur. Additum inſuper, ut decretum typis mandaretur, ejuſque exemplis a curiae notariis ſubſcriptis fides adhiberetur. Id actum IV Non. Oct.

XV. SUSCEPTUM contra Moſcos, ob eas quas diximus cauſas, ſuperiore anno et inchoatum bellum Stephanus Poloniae rex hoc anno perſecutus eſt: et, ubi Warſavia [a] Grodnam rediit, in re pecuniaria expedienda et delectibus habendis toto animo incubuit; pecuniaque partim privata ſua, partim a privatis mutuo ſumpta, quae ad certum diem ſolveretur, utendum ſibi cenſuit. De delectu cura Joanni Sario [b] Samoſcio mandata eſt, qui regni cancellarius, quanquam in togato munere verſaretur, quod patrem tamen exercitui praetoriano aliquando praefuiſſe majoreſque ſuos bellica laude claruiſſe meminiſſet, ne traditum a majoribus decus obliterari pateretur, ſemper antehac et in ſuperiore expeditione militem aluerat. A Chriſtophoro Tranſylvano regis fratre et conſcriptus in [c] Pannonia miles. A peditatu maxime laborabatur, propterea quod nobilitas fere equis merebat, et pedeſtrem militiam, quae plus laboris, minus in ſpeciem dignitatis haberet, hactenus contempſerat. Itaque pedites fere ex vili plebe conſtabant, et belli rudes et urbano otio torpentes: externus condici non niſi magno ſumptu poterat. Tandem excogitata in comitiis ratio parandi peditatus; et ex poſſeſſionum regiarum aſcriptitiis viceſimus quiſque in militia receptus, qui ab oneribus operiſque ruſticanis ac poſteri ejus deinceps immunes eſſent. Secundum haec miſſi per agros centuriones, qui robuſtiſſimum quemque et labori militari ferendo idoneum legerent. Vilnae tormenta reparati et nova conflari juſſa. Rex de [d] Magnis Lukis oppugnandis cogitans, ut conſilium ſuum diutius hoſtem celaret, diem exercitui [e] Caſniciam ad conveniendum edicit, locum ſecundum Ulam fluvium in capite duarum Lukenſis et Smolenſcenſis viarum ſitum, paribus ab utraque urbe ſpatiis, cum inde [f] Uſviara inde Caſpla fluvii occurrant, ad hoſtem ancipiti cura diſtinendum maxime opportunum. Poſt [g] Polotiam captam miſſus cum literis rei nuncius ad Moſcum fuerat; qui, humanius quam quiſquam ante eum habitus, menſae etiam adhibitus eſt. Antequam dimitteretur, Moſcus more ſuo, ne videretur pacem petere, per Joannem [h] Novogardiae, [i] Mikitam Miciſlaviae praefectos, et [k] Romanivicium Sacharinum, ad Nic. [l] Radevillium Palatinum Vilnenſem et Euſtochium [m] Volovicium dari literas curat; quibus illi teſtabantur, ad pedes ſe imperatoris ſui projeciſſe, orantes, ut fundendo tot Chriſtianorum ſanguini parceret; viciſſim, ut idem apud ſuum regem faciant, hortabantur, eique perſuadeant, ut cum milite regrediatur, neque maleficio ullo in Livoniae et Lithuaniae finibus Moſcos laceſſat: idem facturos Moſcos: interea de pace miſſis ab utraque parte oratoribus agatur. Tum quod Baltaſar [n] Lopatinſcius, per quem Stephanus Moſco bellum denunciarat, adhuc detineatur, excuſant: brevique fore promittunt, ut cum mandatis de pace ad regem remittatur. Ad ea a Lithuanis ſenatoribus reſponſum: ſedulo ſe de pace regem appellaſſe; nec illum abnuere, concordiae inter Chriſtianos principes ſervandae maxime omnium cupidum: ſed bellum, quod maximis injuriis provocatus ſuſceperit, tantiſper, dum aequae pacis conditiones proponantur, ſibi gerendum

INTERPR. [a] *Grodno.* [b] *Zamoyski.* [c] *Hongrie.* [d] *Luki.* [e] *Czaſſnicki.* [f] *Uſwiata.* [g] *Plotzko.* [h] *Novogrod.* [i] *Mikita, gouverneur de Miciſlaw.* [k] *Romanowicz Sacharin.* [l] *de Radzivil, Palatin de Vilna.* [m] *Volowicz.* [n] *Lopatinski.*

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

getendum intelligere: legatos vero ut ad Moſcum mittat, nullam cauſam videre; ne, quod hactenus factum ſit, eos ludibrio et injuriae objiciat: ſi vero ille legatos mittat, patienter eos regem auditurum, atque aequo eum reſponſo dimiſſurum. Ejuſdem argumenti literae et a Moſco poſtea ad regem datae: ad quas idem, quod a ſenatoribus, reſponſum fuit. Nihilominus rurſum miſſus Joannes [a] Naſciokinus ex aulicis; qui, cum eadem poſtulata initio edidiſſet eum eodem reſponſo dimiſſus, alia ſe mandata habere, quae privatim exponat, dixit: ea erant; principem ſuum, clade tot innocentium Chriſtianorum commotum, praeter majorum morem de dignitate aliquid remittere conſtituiſſe, idque publicae concordiae dare, ut legatos de pace ad regem mittat: interim poſtulare, ut induciae ſint; neque rex ulterius cum exercitu progrediatur; ſed legatos Vilnae exſpectet: hoc enim Moſcici nominis honori ſemper a Polonis regibus datum, ut non niſi in regni ipſius aut Lithuaniae principe ſede legati audirentur. Ad ea rex, qui videret id a Moſco agi, ut ſpe colloquii tempus extraheret, tamen reſpondit, ſi quos legatos mittat, dicendi quae velint poteſtatem facturum; quod vero certo loco legatos expectari velit, id nullo ceterorum principum exemplo peti: commune ubique eſſe jus legatorum, nec certo loco finiri: poſſe ſe, ubicunque futurus ſit, vel in caſtris ipſis, in quibus inter ſtrepitum armorum vel maxime legatis opus eſt, adiri. Ita dimiſſus Naſciokinus. Detecta interim Gregorii [b] Oſciki claro loco nati cum Moſco occulta conſiliorum communicatio. Nam ad eum a Naſciokino allatae fuerant Moſci literae. Id a [c] Mirevio Oſciki miniſtro enunciatum Martino [d] Ribinio fuerat; qui rem ad magiſtratum, magiſtratus ad regem detulit. Captus is cum Bartholomaeo quodam conſcio: capta et cum eo arca, in qua plerorumque ſenatorum ſigna ad verum expreſſa erant; ac praeterea materia, mallei, et cetera cudendae monetae inſtrumenta. Praeſcriptione fori initio ſe tuebatur reus; quippe cum ea ſit nobilium praerogativa, ut niſi legitime in jus vocati reſpondere non teneantur, neque in eos quaeri liceat. Verum indignus ea gratia habitus fuit: et, reſpondere juſſus, libellum a ſe compoſitum recitari petiit; quo, crimina objecta confeſſus, etiam Moſco ſpem factam regis per occaſionem interficiendi, eo tandem decurrebat, ut egeſtate et aeris alieni magnitudine oppreſſum ſe id ſpectaſſe diceret, ut ab hoſte aliquam pecuniam hac ratione emungeret: veniamque ſupplex petebat. De ipſo tandem ac Judaeo quodam, in quem monetae crimen rejecerat, ſupplicium ſumptum. Jamque Vilnam venerat Pannonicus peditatus, quem rex, [e] Poſtovam terreſtri itinere ire juſſum, inde cum tormentis navibus impoſitum ſecundo flumine [f] Diſnam, et rurſus adverſo [g] Duna cum aliis tormentis, quae [h] Polotia rediens antea ibi reliquerat, [i] Witepſiam praemiſit. Dum rex Vilnae eſſet, Paulus [k] Uchaucſius ad pontificem anno ſuperiore miſſus enſem notis ceremoniis a pontifice dedicatum ei obtulit. Inde ad [l] Scidutum villam v cis [m] Caſniciam millibus paſſuum VIII Eid. Jul. venit. Ibi de belli getendi ratione inter duces conſultatum. Alii [n] Pleſcoviam, alii [o] Smolenſcam, alii denique [p] Magnos Lukos eundum cenſebant. Prima ſententia iiſdem, quibus anno praecedenti, cum Polotiam itum eſt, rationibus refutata eſt. Qui Smolenſcam ducendum cenſebant, loci celebritate, et rerum in eo geſtarum fama, inſtituto denique belli res ablatas repetendi movebantur, et quod eo praeſidio adjuncto una et Severienſis ditio longe ampliſſima adjungeretur. At, qui Lukos eundum ſuadebant, ſic diſſerebant; a Duna flumine et Livonia, cujus liberandae cauſa hoc bellum ſuſceptum eſſet, ſi Smolenſcam duceretur, longius recedi, nec cum Livonia Severienſem ditionem urbium frequentia aut maris opportunitate comparandam: Lukos in Moſci praecordiis quaſi poſitos, loco ad hoſtem quaquaverſum

infeſtandum

INTERPR. [a] *Naſciokin.* [b] *Oſciki.* [c] *Mirevic.* [d] *Ribin.* [e] *Poſtawy.* [f] *Dziſna.* [g] *la Dwina.* [h] *Placzko.* [i] *Witepsk.* [k] *Uchanski.* [l] *Secidut.* [m] *Czaſſnicki.* [n] *Pleskow.* [o] *Smolensko.* [p] *Luki.*

infeſtaodum et, ſive per Pleſcoviam Livoniam ſive per Smolenſcam Lithuaniam tentet, prohibeodum opportuniſſimo; pares enim ad Smolenſcam et Pleſcoviam aditus habere. Et in hanc ſeotentiam rex, cum jam aotea propenderet, facile aſſenſum praebuit. Igitur luſtratus exercitus. Primo equites Polonorum, qui ad [a] Gedanum et Polotiam meruiſſent, et proxime io hibernis fuiſſeot, recenſiti: paucis equi adempti. Poſt eos novae copiae productae pedeſtres et equeſtres; in quibus erant ſenatorii ordinis nonnulli: alii evocati, qui militiam iotermiſſam repetierant, quique exercitus ipſi pro legatis texeraot; non pauci, qui magiſtratus praefecturaſque, alii deniqoe, qui munia et honores in aula geſſeraot. Equitum duplex genus erat: Huſſari gravioris armaturae, levioris Koſaci, qoibus coryti loco bicubitales ſcloppetos rex ad humeros aptarar, breviores ex zona ſuſpendendos dederat, acinace ad latus ſiniſtrum et venabulo ex veteri inſtituto relictis. Pedites magnam partem ex fioitimis Pannoniae locis, Varadino item ac remotioribus provinciis. Pridie quam rex [b] Caſnicia moveret, praecipitata profectione nuncius a Moſco veoit, literis allatis, quarum haec ſumma erat: Quando rex legatos nollet mittere, de jure ſuo et majorum more Moſcum publicae concordiae bono diſcedere, oratoreſque ad XVIII Kal. Sept. aut altero poſt die ad ſummum, viros primarios, affore: ſed id poſtulare, ut eos Vilnae rex exſpectet. Verum rex ſibi, ut eos Vilnae expectaret, integrum non eſſe reſpondet, longius jam progreſſo exercitu. Inde promota caſtra ad [c] Lepelam et Ulam caſtella: ibique poſtremo de belli ratiooe conſultatum fuit. Et, cum [d] Weliſium ad Dunam fluvium, Uſviata ad cognominem item fluvium ſita caſtella ad Lukos tendenti a tergo in hoſtis poteſtate minime relinquenda rex cenſeret, ante omnia ad Weliſium ut firmius oppugnandum Samoſcium cum juſta exercitus parte mittit, attributis ei Germanorum equitum ſcloppetariorum copiis, duce Georgio [e] Farensbekio Daniae regis tribuoo, qui patriae Livoniae operam navandi ſtudio nuper ad regem venerat. Tormenta, pulvis, et pabuli ac commeatus jam magna copia comportata fuerat, cura [f] Samoſcii, e praefectura [g] Koiſſinenſi ſecundo [h] Memela fluvio [i] Kaunam, atque inde adverſo [k] Wilia [l] Michaliſcos, Michaliſcis itinere terreſtri Poſtovam, atque inde [m] Diſnam, mox et per Duoam [n] Witepſiam VI Kal. Sextil. Eo ubi venit, bidui mora omnem militem eo contrahit. Inde io hoſticum ducit, ita inſtructa acie, ut primo agmini Lucas Oſialinius, alteri Nic. Uroccius praeeſſet: ipſe medius cum reliquo exercitu incedebat, Staniſlao [o] Solkevio ſibi legato ſumpto, qui aotea ſub Nicolao [p] Seniavio Ruſſiae Palatino io Podolia prolegato contra Tataros exercitum rexerat. Illum impedimenta oumeroſa ſequebantur, quibus in tanta agrorum vaſtitate exercitus carere non poterat. Ea vero, ne mutuo inter ſe implicata exercitum morarentur, io tria agmina dividi placuit, quot erant acies, ut, quo quaeque turmae aut cohortes ordine incederent, eodem impedimenta, ut quorumque eſſent, ſequerentur, ſingulis carrorum et ſervitiorum ordinibus a froote et a tergo juſta peditum manu attributa. Tum proviſum, ut, matura jam meſſe, partem ipſe militi ſuo metendam permitteret; partem exercitui ſubſecuturo ſervari juſſit. Jamqoe [q] Suraſſum venerat, extremum ditionis regiae oppidum; ubi ſubitario ponte Kaſplam tranſmiſit, quo Dunae impoſita tormenta altero poſt die appulerunt. Weliſium olim ampliſſima urbs, ut ex foſſarum ambitu nuoc etiam patet, juris Lithuanici fuit: dein, Poloois regibus alibi occupatis, Moſci eam contra Witepſienſe praeſidium munieruot: tum more ſuo agrum hoſti vicinum per aliquot millia paſſuum ſtudioſe incultum ac deſertum reliquerunt, ita ſe maxime tutos exiſtimantes, ſi undique quam vaſtiſſimas ſolitodines ſibi circundent, et adverſus hoſtilcis excurſiooes crebrarum arborum, quas in ſolo vacuo enaſci neceſſe eſt,

CIƆIƆLXXX.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Dantzick & Ploczko.* [b] *Czaſſnicki.* [c] *Lepel & Ula.* [d] *Weliſch ſur la Dwina.* [e] *Farensbeck.* [f] *Zamoyski.* [g] *Kniſſinzki.* [h] *Memel r.* [i] *Kowna.* [k] *Wilia.* [l] *Mikaliski.* [m] *Dziſna.* [n] *Witepsk.* [o] *Zolkiewski.* [p] *Seniavie.* [q] *Suraſs.*

CIƆIƆLXXX. eſt, et ſilvarum denſarum quaſi vallum hoſti objiciant. Suraſſum temporibus Sigiſ-
HENRICUS III. mundi Auguſti Stephanus [a] Sbaraſius tunc Palatinus Witepſienſis munierat, veritus, ne Uſviatae et Kaſplae, quae in Dunam influunt, capita munitione aliqua ad conjungendam Smolenſcenſem et Lukenſem ditionem Moſci occuparent. Inde ad Weliſium duae omnino viae ducunt: altera [b] Transdunana incedenti militi expeditior, ſed periculoſior et magis ad injurias hoſtileis expoſita; altera cis flumen, ſed adeo impedita, ut exercitus neminem poſt [c] Vitoldum ducem CLX annis ea duxiſſe conſtet. Ea tamen ire cum conſtituiſſet, ſilvis ſe infert; et, exploratis aditibus, viam, per quam iter faciendum erat, immiſſis peditum aliquot cohortibus purgat, caeſis arboribus, quae in ubere ſolo tot annorum ſpatio in immenſum ſe effuderant. Uno die per paluſtria loca ac praecipitia ſpatio XX CIƆ paſſuum patefacta via, pontibus ſtrata vel virgultis et cratibus exaequata. Itaque poſtridie illac ad [d] Verſcovinum uſque traductus exercitus, qui etiamnum hodie pons Vitoldi appellatur. Inde per latiſſimam paludem celeriter ponte ſtrato, X a Weliſio paſſuum CIƆ ſummo ſilentio caſtra metatur, nullo ne pabulandi quidem cauſa excurrere permiſſo. Poſtridie de loco obſidendo conſultat. Eum praeſidiarii caeſis ac tranſverſis et inter ſe trajectis arboribus per aliquot paſſuum ſpatium ita firmaverant, ut etiam media die ingredientibus nocturni hortoris ſpeciem praeberet. Sed eadem militum diligentia haec nova difficultas ſuperata: eodemque die [e] Miſcita et Birulla, noti Koſaeorum duces, poſt excurſionem in Smolenſcenſem ditionem factam ad exercitum reverſi, longo ambitu trans Dunam ad inſidendam viam, quae Lukos ducit, mittuntur. Captus inter eundum ab iis [f] Kudravus nobilis Moſcus: de quo in caſtra perducto cum cognitum eſſet, quali Weliſium praeſidio teneretur, adventu adhuc ejus incerto, ultra pergit per ſilvam, ſi qua forte incuſtoditas portas perrumpere et imparatum praeſidium opprimere poſſet. Sed, vix ſilvam egreſſo [g] Samoſcio, ſignum tormento diſploſo datur: eodemque momento, accolis omnibus in munitiones confugientibus, quicquid circa eas aedificatum erat incenditur. Weliſium, ſpatioſo ambitu IX turribus munitum, ab ortu et meridie Duna flumine, a ſeptentrione rivo, qui per lacum in Dunam infra caſtrum influit, ab omnibus partibus maxime ab occaſu profundiſſima foſſa circundatur. Caſtra a parte ſeptentrionali munita, vallum a ſuperiore Dunae parte Hungaris agere juſſis; infra quos medio loco Poloni, [h] Vroveſius cum ſuis cohortibus ultra Dunam, Lukos verſus Koſaci collocati. Perfecto intra paucos dies opere, tormenta admoventur tanta felicitate diſploſa, ut nullus fere globus emitteretur, quin ex hoſtium tormentis aliquod corrumperet. Miſſi et igniti a Bornemiſſa, qui Hungarorum munitionibus praeerat, globi, qui incendium in oppido excitarunt, mox reſtinctum. Eadem arte pars pontis interſciſſi, quae reliqua ad portam caſtelli erat, exuritur. Quo caſu territi praeſidiarii, qui nullas avias Polonis ſilvas, nihil ab artificioſis illorum ignibus tutum viderent, tandem deditionem faciunt. Commeatus, pabuli ac pulveris ingens vis in eo loco reperta. Rei nuncio accepto, rex, qui Suraſſi ſubſtiterat, dum pons novus e lintribus in Duna componeretur, eo excurrit; locumque integrum deditum gaudens, e veſtigio Suraſſum revertitur: et, quamvis acceptis a Moſco literis ſolito demiſſius loquente et intra triduum legatos ſuos affore dictitante, nihil de celeritate inſtituta remiſit; ac tribus pontibus omnem exercitum in ulteriorem Dunae ripam traducit. Sed Lukos tendentem objecta ſilvarum, quae CXX paſſuum CIƆ ſpatio excreverant, denſitas morabatur, per quas vix ſingulis militibus incedere licebat, interjectis paluſtribus ac magna ex parte coenoſis voraginibus, per quas aegre jumenta evaſura apparebat. Sic autem incedebat. Primum agmen ducebat Palatinus

INTERPR. [a] *Sbaras.* [b] *delà la Dwina.* [c] *Viteld.* [d] *Swerskeva.* [e] *Miskita & Birulla.* [f] *Ka-[illegible]au.* [g] *Zamoyski.* [h] *Vrovecz.*

Palatinus Vilnenſis Olicae dux cum Chriſtophoro filio, quod ex limitaneo milite CIƆIƆLXXX.
conſtabat: eum ſequebatur Jo. [a] Sborovius aulici militis praefectus: poſt illum Pan- HENRICUS III.
nonicus tam equitatus quam peditatus: tum rex cum robore exercitus incedebat; quem ſequebatur Jo. [b] Sbaraſius Palatinus Braſlavienſis cum Polono equitatu. Ultimum agmen Nic. [c] Senjavius Ruſſicarum copiarum praefectus claudebat. Apparatus bellicus per Uſviatam adverſo fluvio ſequebatur. Praemiſſi Hungari et Lithuani cum ferramentis ad viam aperiendam, qui XVIII Kal. Sept. Uſviatam pervenerunt, et X abhinc paſſuum CIƆ rex ſtativa eodem die habuit. Ea, in modico tumulo intra duos lacus ac cognominem fluvium ſita, ab occaſu Uſviano lacu, ab ortu altero lacu itidem cognomine, a meridie flumine, quod per utrumque lacum labens ad [d] Suraſſum in [e] Dunam influit, clauditur. Juſſu Palatini Vilnenſis ad arcem producta foſſa a Georgio [f] Socolinſcio, opera Lithuanorum, et mox Hungarorum, qui ſociatis operibus admirando labore intra unius noctis ſpatium vallum ſub portam uſque perduxerunt: quod tantum terrorem obſeſſis injecit, ut ſtatim deditionem, non expectata verberatione, fecerint. Inde a via minus difficultatis, ſolo aridiore ac arenoſo; ſed a commeatus penutia laboratum fuit, tardius ſubſequentibus impedimentis, quae illum portabant. Praemiſſus fuerat a Nic. [g] Radevillio [h] Voloninſcius, qui aliquot a [i] Lukis paſſuum millibus cum ſtationibus Moſcorum conſerta pugna eos in fugam vertit, et quoſdam ex iis cepit. Interim [k] Samoſcius in exercitum venit, qui cum ponte, qui penes regem erat, deſtitueretur, rate, quali ad [l] Socolum, traductis copiis; viaque militari inceſſit, quae Smolenſca Lukos ducit, ut dextrum regis latus tegeret. Excubabant ad Lukos et prata Oranenſia Tatarorum Nahaienſium turmae aliquot, quas [m] Vlanecius e principum Tatarorum genere apud Moſcos ortus ducebat. Ii, Samoſcii adventu coguito, [n] Toropeciam verſus ſe recipientes, inde Polonorum agmen ex itinere obſervare inſtituerant: quod cum Samoſcius a rege accelerare juſſus ad laevam convertiſſet, illi pariter a fronte jam ad Polotam flumen rejecti iterum recurrerunt, ſi quos ex Polonis in extremo agmine carpere poſſent. Sed et lectiſſimae turmae ultimum Samoſcii agmen ſemper claudebant, et Koſaci poſt agmen ex more in inſidiis per intervalla ſedentes incedentem tuebantur. In eas tandem praecipiraverunt Tatari, Vlanecio ipſo, dum ardentius invehitur, capto.

XVI. SAMOSCIUS, cum ad Oranenſia prata conſediſſet, inde ad regem acceſſit VI Kal. Sept. Eum mox rex, praemiſſis Lukos verſus Lithuanis, cum recta ad arcem ducere ſtatuiſſet, ut loci ſitum naturamque e propinquo contemplaretur, progredi juſſit. [o] Wielkoluki, quaſi magna prata dicas, ab amplitudine ac frequentia urbis ac totius regionis circumpoſitae amoenitate cultuque nomen ſortiti ſunt. Arcis in mitem clivum ſubductae, qui undique fere lacu altiſſimaque valle lacum cingente continetur, a meridie et ortu, a qua una ſola parte lacus non coit, imam partem [p] Lovatus fluvius ſupra [q] Jeſeriſciam ex lacu derivatus ambit; qui inde aquilonem verſus, relicta arce, quam leniter perſtringit, et urbe in duas partes ſciſſa, recto curſu per lacum Ilmenum ſub [r] Novogardia, priori nomine amiſſo, et jam [s] Wolcova dictus, in [t] ſinum Finlandicum exoneratur: atque hac opportunitate Lukos maxime locupletat, urbem amplam et ab utraque fluminis ripa latiſſime arci circumjectam, moenibus ac turribus ligneis et profundiſſimis foſſis munitam. Anguſta admodum ſemita inter lacum et ſuas ripas relinquitur, quae eodem, quo arx ac flumen ſubjectum, flexu in longitudinem ſinuatur. Arci vallum circundederant Moſci tanra altitudine, ut non modo privatorum aedificiorum, ſed templorum, quae multa in oppido ſunt, ac pinnaculorum conſpectum

INTERPR. [a] *Zborowski.* [b] *Sbaras, Palatin de Braſlau.* [c] *Senjavie.* [d] *Suraſ.* [e] *la Dwina.* [f] *Sokolinski.* [g] *de Radzivil.* [h] *Wolonínski.* [i] *Luki.* [k] *Zamoyski.* [l] *Sokol.* [m] *Vlanecie.* [n] *Toropecz.* [o] *Wielki Luki.* [p] *Lowat.* [q] *Ozierziiſcie.* [r] *Novogrod.* [s] *Wolcow.* [t] *golfe de Finlande.*

CIƆIƆLXXX.
HENRICUS III.

conſpectum accedentibus eriperet. Ad has munitiones Germani turreis e materia excitaverant ceſpite contectas, ut ab incendio defenderentur. Situ ab ea parte luſtrato, quae ad Toropeciam atque ulteriorem Moſcoviam pertinet, [a] Samoſcius ad regem redit, in itinere paene a praeſidiariis oppreſſus, Joanne Bornemiſſa primario Hungarorum ductore vix ex eorum manibus erepto. Rex, perſpecta loci natura, qua a meridie fluvius arcem alluit, exercitum ſub ſignis accedere jubet, Samoſcio ab altera parte reliquas copias latiſſime expanſas adducente, ut horrenda univerſi exercitus in tot acies explicati ſpecie terrorem obſeſſis incuteret. Moſcus, cum adhuc incertum eſſet, Poloni Smolenſcam an Lukos peterent, ad Toropeciam exercitum, [b] Chilcovo duce, convenire juſſerat; et Lukis [c] Kneſium Theodorum Obalenſcium Lichovum cum ſumma auctoritate, ſecundum eum Michaëlem [d] Chaſſioum et Oxachovum praefecerat: et, quod iis non ſatis fideret, Joannem [e] Wicichovum primarium cubiculi miniſtrum, qui Lichovum ceteroſque Lukis, Demetrium Ceremiſſam, ut Chilcovum, qui ad exercitum erat, obſervaret, miſerat. Ante munitiones a Polonis exſtructas in caſtra venerunt legati Moſci, qui cum [f] Suraſſum initio profecti mandata in principis ſui ditione exponere recuſarent, et a legatis Polonis id in ipſorum poteſtate fore reſponſum eſſet, et, ſi ad principem ſuum redire vellent, neminem impediturum, illi, qui re infecta aegre diſcederent, ridicula prorſus et abſurda diſſimulatione, ut mandatorum auctoritatem tuerentur, cogi ſe vi volebant. Quod cum exploſum eſſet, tandem ſenatus iis prid. Kal. Sept. datus: in quo cum eadem, quae prius, repeterent, et ſe ulla de re agere poſſe negarent, niſi univerſus exercitus intra fineis reduceretur, rex, repudiata legatione, oppugnationem orditur, ea, qua cum Samoſcio convenerat, ratione; cui et in eam rem omnem peditatum tam Polonum quam Pannonicum attribuit. Pannonii, Bornemiſſa, qui rei tormentariae praeerat, et Stephano Carolo, qui Michaëli [g] Vadaſio ſucceſſerat, ductoribus, flumen tranſmittunt; et locum verſus occidentem caſtris deligunt. Ipſe ad inferiorem fluminis ripam, ubi urbs antea fuerat, nonnullos diſponit, qui foſſas ac munitiones ab ea parte inchoarent: ſed, ſerius opinione accedente peditatu Polono, cum ſegnius opus adminiſtratum fuiſſet, eruptione ab obſeſſis facta tirones quidam in vallo relicti diſturbati ſunt, amiſſo ſigno, quod illi propere in arcem confugientes ſecum abſtulerunt. Id leve damnum et ad decus tantum pertinens mox confluentibus copiis facile ſartum. Nam et ſequenti nocte tormenta diſpoſita, et intervallum, quod [h] Lovatum et lacum verſus ortum intercedebat, ex Samoſcii ſententia perfoſſum fuit, quo foſſa deſiccata commodius miles ad oppugnationem ire poſſet. Inde ejaculationibus ignitis certatum, quibus incendium excitatum in oppido: ſed confeſtim madore ſuperjectorum ceſpitum reſtinctum eſt. Collucente tamen incendio territi Moſci legati, qui adhuc in caſtris erant, interim admitti petierunt. Poſtridie admiſſi, cum incendium interim quieviſſet, jam metu ſoluti has conditiones proponunt; ut rex ab armis diſcedat, Curlandia et Riga acceptis, quibus et poſtea Polotia adjecta, et ad ultimum pro captivis [i] Jeſeriſcia; quorum omnium ſola Jeſeriſcia in Moſci poteſtate erat. Cum rex eas recuſaret, legati aequiorum a principe ſuo impetrandarum ſpem faciunt, ſi tabellarii ad ipſum mittendi facultas detur, et tantiſper, dum ille rediret, oppugnatio intermitteretur. Nec Lithuani id aegre audiebant, in quos obſidionis incommoditates recidebant; quod apud ipſos belli ſedes eſſet, et poſt captam urbem ejus ſervandae onus pertinebat. Rex igitur, qui id nollet, ut Lithuanorum urgentium poſtulata eluderet, Samoſcium accerſi curat; qui de oppugnationis ſtatu interrogatus, cum et in re, quemadmodum omnia ſunt belli incerta, nihil certi promittere poſſet, tamen ita de regis fortuna ac virtute militum bene ſperare ſe dicit, ut, ſi oppugnatio non intermittatur,

INTERPR. [a] *Zamoyski.* [b] *Kilcow.* [c] *le Knes Theodore Obalenski Likow.* [d] *Caſſen & Oczakow.* [e] *Wicickow.* [f] *Suraſs.* [g] *Vadaſi.* [h] *Louvat.* [i] *Ozierziiſcie.*

intermittatur, qnin felicem exitum ſit habitura, minime dubitet. Igitur, nt in oppugnatione perſtaret, Samoſcio mandatum. Interim permiſſum legatis, ut ad principem ſuum ſcriberent. Juſſi Pannonii vallum ſubire et ab ima ejus parte cuniculum aperire: quo facto, et ponte ab eo loco, qno anguſtior lacus erat, ſubitario opere ſtrato, pulvis ſubmittitur antelucano tempore; qui turrim oppoſitam corripuit, ceſpiteqne dejecto, parietem propugnaculi oudavit. Ibi ntrinqne acriter certatum, Polonis ignem ejaculantibus, et Moſcis incendium reſtinguentibus. Pugnam nox diremit; quae et Polonis ſcloppetorum uſum, quibus praeſidiarios infeſtabant, eripuit, et obſeſſis opprimendae flammae ſpatium dedit. Ab altera parte munitiones Moſcorum dejectae, et vineae, intra quas tormenta conſtituerant, magna vi de vallo proturbantur. Dein ad propugnaculum majus foſſa ducta Samoſcii juſſu; praemioque propoſito, qui vellent, ad rem ligone gerendam hortatur, [a] Wibranovio cum idoneo delectorum ſcloppetariorum numero ad eruptiones prohibendas ad ripam fluminis collocato. Rurſus et ibi certatum iniquiore obſeſſorum conditione; quorum unus oomine Sabinus [b] Noſſovus poſt operam fortiter navatam graviter vulneratus in Polonorum manus devenit. Hic de praeſidii ſtatu, nt fit, interrogatus, res vero majores fingens, omnia dicebat, quibus ſpem ejus loci potiendi iis minueret: non ejus generis arcem eſſe, quae cum ceteris jam expugnatis comparari poſſet: vallo craſſiſſimo cingi, turreis latiſſimo ceſpite protectas nec tormentorum ictibus nec incendiis patere, propugnaculum illud unum inſtar munitiſſimae arcis eſſe, ternis ingentis magoitudinis trabium ordinibus ſingula ejus larera revincta, pomerium altiſſimo ceſpite veſtitum, oec cuniculis tentari poſſe, cum propter ſoli paluſtris humiditatem, tum quod fundamentum ex firmiſſimis palis ac ingentibus ſolidiſque ſaxis habeat. Quae omnia partim Samoſcium inſtruebant, partim ad opus urgendum confirmabanr. Nam ab initio cum cuniculis agendum multi cenſerent, id minus ipſi probabatur, propter eaſdem cauſas: de cetero, quo major lignorum vis in unum locum conjecta eſſet, eo citius et incendium concipi poſſe, et tam copioſa materia majores vireis ſumpturum judicabat. Ergo, ducta ſecundum flumen alia foſſa, ſubſidiiſque contra eruptiones in ea collocatis, tormentis item ttans flumen contra averſam portam traductis, lignorum faſceis ſtuppa involutos et ſulfure ac piee oblitos comportari jubet: immittendique incendii negotium Staniſlao [c] Koſtkae committit: praemiſſiſque ſingulis cum ligonibus, qui ceſpitem dejicerent, et ad turrim aditum patefacerent, ex feneſtra, quae hoc loco forte fuerat, antequam terra obtegeretur, utrinque diu pugnatum fuit. Tum tedae ad id pararae inſigni ſtudio Chriſtophori [d] Roſdraſcvii praefecti [e] Lareienſis, qui per abſentiam Samoſcii rem gerebat, inſeruntur; quibus Moſci coriis madefactis objectis et aliis, quibus poterant, rebus diligenter occurrebant. Ita accurrente ubique Samoſcio, ad multam diem res ſtetere in ancipiti, antequam incendium appareret, Pannoniis interim ab altera parte impetum faciendi ſibi poteſtatem fieri poſtulantibus. Qua de re cum ad regem referri cenſeret Samoſcius, Moſci de conſilio Polonorum ſuſpicati ad eam partem tormenta collocant. Inter haec materia ignem concepit; qui, quo diutius ſuppreſſus, tanto majore vi erupit, ut obſeſſi ad opprimendam flammam in turrim ingreſſi foetore atque fumo protinus exanimarentur. Jamque incendio per ceſpitem graſſante, de ſecunda vigilia aedem Salvatoris, quae proxima propugnaculo erat, ignis invaſerat; indeqne per pinoacula templorum pervagatus culmina contiguorum aedificiorum populari incipiebat, cum Samoſcius a propinquo hoſtili exercitu ſibi metuens ſtationes firmat, praeſidia equitum ſupra Pannoniorum et Polonorum munitiones diſponit, et in mediis caſtris cunctos in aciem inſtruit. Tum, ne locus, et commeatus ac apparatus bellici tanta copia incendio periret, et praeda

ſperatum

INTERPR. [a] *Wibranow.* [b] *Neſſow.* [c] *Koſtka.* [d] *Roſdrazowski.* [e] *de Larcie.*

CIↃIↃLXXX.
HENRICUS III.

ſperatum militi debitum praemium corrumperetur, Moſcos ad deditionem hortatur: et illi quidem non abnuebant; ſed conditiones, tanquam rebus integris, proponebant, miſſo ſacerdote: quo Samoſcius penes ſe retento, Paulum [a] Julanum cum Chriſtophoro [b] Diovio ad eos mittit, qui, quo loco eorum res ſint, doceat, nec aliam deditionis rationem eſſe, quam ſi ſe clementiae regis permittant. Dum in eo ſunt, jam illuceſcente die, rex cum ſenatoribus in caſtra venit; et cum eo innumera calonum ac lixarum colluvies praedae ſpe per vallum eniti conatur. Quod conſpicati Pannonii, expertem laborum et periculorum turbam ad praedam convolare frementes, de Moſciſque jam tandem poenas expoſcendas, et eorum ſanguine tot commilitonum et aliorum exquiſitis ſuppliciis excruciatorum mortibus parentandum alta voce clamitantes, in arcem irrumpunt, et promiſcue omnes interficiunt; quorum exemplo incitati Poloni idem faciunt. Periculo exempti praefecti tres, et Joannes [c] Wicichovus, qui, ut principis ſui ſecretorum particeps, cum diligenter a Samoſcio interrogatus eſſet, ille more patrio ad ſupplicium et cruciatum deſtinati ſe exiſtimans, dum ad Georgium Farensbekium, quem in Moſcovia cognoverat, mortis depreeandae cauſa ſe proripit, a Pannoniis fugam id interpretantibus imprudenter occiſus eſt. Jam ignis ad turrim, in qua pulvis tormentarius aſſervabatur, pervenerat: cujus reſtinguendi cura, milite in praeda occupato, negligebatur, cum ſubito fragore magna pars aedificiorum vicinorum disjecta eſt, et magna hominum ſtrages edita, corruptis tormentis et magno armorum ex manubiis Livonicis olim captorum et eo loco congeſtorum numero. Id actum Non. Sept. Protinus mortui, qui per acervos jacebant, a lixis ſepeliri juſſi; foſſae, a quibus oppugnata arx fuerat, juſſu regis complanatae. Proxima cura fuit arcis inſtaurandae ac muniendae, quod ſine ea agrum vicinum teneri non poſſe appareret, adhibito architecto Dominico [d] Rodolfino Camerte; ex cujus ſententia delineatione facta, rex opus in Polonos, Pannonios et Lithuanos partitur, aemulatione nationum eo citius perfectum iri exiſtimans. Moſcicus exercitus ad [e] Toropeciam ſedebat, cum mandatis ne proelii aleam tentaret; ſed hoſteis, ſi qui frumentandi cauſa excurrerent, interciperet, et eorum conatus impediret. In eos miſſi a rege Joannes [f] Sbaraſius, adjuncto Georgio [g] Barbelio et Albetio [h] Kiralio. Ii cum delecta Polonorum et Pannoniorum manu, nec non Germanorum, quos ducebat Farensbekius, ad Toropeciam tranſmiſſo flumine, cum Moſcis conflixere, eoſque in fugam vertere. IↃ interfecti: cc capti; et in iis Demetrius [i] Ceremiſſa et Joannes [k] Naſciokinus, quorum mentionem ſupra fecimus. Eodem tempore Philo Kimita Palatinus Smolenſcenſis cum non exigua levis armaturae manu in agrum Smolenſcenſem excurrebat; ſed, incumbente hoſtili exercitu, captivis, quos habebat, interfectis, et corruptis tormentis, Orſam ſe recipere coactus eſt. Miſſus fuerat a rege, cum Uſviatae eſſet, Nic. [l] Dorohaſtaiſcius Palatinus Polotienſis, ut [m] Nevelam in poteſtatem redigeret, quod ea via a Lukis regredi conſtituiſſet. Sita eſt Nevela ſupra [n] Lukos Lithuaniam verſus in conſpectu lacus, ex quo ejuſdem nominis fluvius promanat, olim pugna Sigiſmundi Auguſti temporibus commiſſa nobilis. Verum, tirone fere milite Lithuano ad eam obſidionem deſtinato, ſegniter adhuc res geſta fuerat: captiſque demum Lukis, eo miſſus Bornemiſſa cum Pannoniorum cohortibus et majoribus aliquot tormentis. Is, inſtituto a Lithuano milite vallo et ulterius promoto ad foſſam uſque, quae a continente caſtrum ambiebat, per cuneos progrediendo in validas contignationes tranſverſis lignis confibulatas incurrerat, quibus x pedes in latitudinem ab ima parte ad ſummum uſque ſuperinjecta humo labrum

foſſae

INTERPR. [a] *Julan.* [b] *Diowie.* [c] *Wicichow.* [d] *Ridolfino da Camerino.* [e] *Toropecz.* [f] *Sbaras.* [g] *Barbel.* [h] *Kiral.* [i] *Ceremiſſe.* [k] *Naſciokin.* [l] *Dorohataiski, Palatin de Ploczko.* [m] *Newel.* [n] *Luki.*

foſſae Moſci muniverant; indefeſſoque labore operi inſtans ſecuribus materiam amoverat, tanto ſilentio, ut non prius ab hoſte ſentiretur, quam miles jam munitionibus proximus ad incendendum murum miſſus ignem ſubjiceret: qua re ita perculſi fuerunt praeſidiarii, ut, quantumvis reclamantibus praefectis, protinus deditionem fecerint; atque ita arx, ſtatim reſtincto incendio, integra in regis poteſtatem venit. Diſceſſuro inde regi duo maxime praeſidia, Toropecienſe et Savolocienſe, imminebant, quae captae regionis poſſeſſionem ei turbare videbantur, plebe ruſtica, ut in novo imperio, infida: et providebat, vaſtiſſimis Lithuaniae ſolitudinibus interjectis, Toropecia et [a] Savolocia infeſtis relictis, praeſidium Lukis impoſitum undique obſeſſum, et omni ſubſidii ſpe interclufa, maximis difficultatibus cooflictaturum. Tum cogitanti de futura omni expeditione Savolocia in itinere occurrebat, quippe in inſula lacûs, ex quo Welica fluvius deſcendens primo [b] Opocam, dein [c] Oſtroviam, ac recta Pleſcoviam, atque infra eam in lacum [d] Pelbam influit, tanquam in capite viae Pleſcovienſis ſita; et, cum ſuſcepti belli ſeries poſtularet ut [e] Pleſcoviam duceretur, eò ituro non exiguam moram objectura videbatur. Sed multa ab ea expeditione dehortabantur; loci firmitas, et praecipitans jam tempeſtas, quae, iis in locis menſe jam Octobri appetente nimboſa, eo majora a pluviis incommoda allatura credebatur, quo minus imbrium proxima aeſtas habuiſſet. Nihilominus Samoſcium mittit cum mandatis, ut ex tempore conſilium caperet; qui, potiundae quidem ejus ſpe oblata, exercitum admoveat, ab omni ſpe dejectus itinere ſupra ad dextram capto in Lithuaniam ſe recipiat. Ei ad copias, quas habebat, IↃ pedites Pannonii adjuncti, et ala equitum, cui Gabriel [f] Bekeſius Gaſparis anno ſuperiore mortui frater praeerat. Inſtaurata Lukeoſi arce, militeque, commeatu ac tormentis firmata, eique cum ſummo imperio Philone Kimita praepoſito, tertiis caſtris jam [g] Nevelam venerat, cum Moſci legati literas interim a principe ſuo acceptas v Eid. Oct. protulerunt admodum verboſas; quibus, ſuperiorum omnium literarum argumento more ſuo longa oratione repetito, quia Livoniam univerſam a Polonis repeti intelligeret, ut, quo a ſe jure poſſideretur, oſtenderet, a Suentoſtao quodam Miciſlai filio genus ſuum deducebat: cum, antequam ſacro lavacro Chriſtianis ſacris initiatus eſſet, Jurgum vocatum; ab eoque [h] Jurgo Hotodum, quam arcem ſeu urbem Germani [i] Torpatum ſive Derbentum vulgo appellant, conditum: inde cunctam Livoniam ad ſe, tanquam unicum Miciſlai illius heredem, longa ſed certa ſucceſſione pertinere. Cum vero priores Poloniae reges fratres appellare conſueſſet, Stephanum non niſi vicinum hactenus vocaverat: poſtea tamen inter alias conditiones fratris nomen ei detulerat. Sed, cum rex reſpondiſſet, fraternum nomen ſe nihil morari, Livoniam, pro qua bellum geratur, petere, his ultimis non ſolum hoc illi nomen tribuebat; ſed etiam, eo invito, nomen hoc ad illum ſemper deinceps uſurpaturum oſtendebat. Conditiones aliae erant: ut Moſcus, ſe Livoniae titulum cum Polono communicaturum, IV praeterea caſtella ejus, et in iis Kokenhauſium, ſe illi ceſſurum, diceret, ſi ipſe viciſſim Lukos, [k] Weliſium, Nevelam, vetuſtae ditionis ſuae oppida ſeu arces nuper ademptas, reſtitueret. Ampliorum mandatorum cum ſpem legati feciſſent, poſtridie audiuntur; et ad IV caſtella alia VI adjecerunt, et in iis [l] Rumebergum: alia ignobilia erant. Cum nulla alia mandata proferrent, neque ea ſatisfacerent, re infecta, abruptum colloquium: tantum legatis permiſſum, ut in Lithuaniam et inde in Poloniam regem abeuntem ſequerentur, dum nova a principe ſuo mandata acciperent. Captis Lukis et Nevela, reſtabat [m] Jeſeriſcia XV a Nevela paſſuum CIↃ; ad quam miſſus [n] Radevillius Palatinus Vilnenſis; qui praeſidiarios

INTERPR. [a] *Sawolocze.* [b] *Opolska.* [c] *Oſtrow.* [d] *Peibas.* [e] *Pleskow.* [f] *Beles.* [g] *Newel.* [h] *Jurg-Herod.* [i] *Derpt.* [k] *Weliſch.* [l] *Rummeberg.* [m] *Ozierzyſcie.* [n] *de Radziwil.*

CIϽIϽLXXX. HENRICUS III.

praeſidiarios, antequam rex Nevela diſcederet, in deditionem accepit. Interea [a] Samoſcius [b] Savolociam propius copias admoverat: ad cujus adventum praeſidiarii oppidum incendio deleverunt, ponte, qui ab eo ad arcem pertinebat, abſciſſo. Arx in lacu ſita eſt, qui a [c] Welika fluvio efficitur, qui ab omnibus partibus reſtagnans latiſſimis aquis completur, ita ut, qua anguſtiſſimus eſt, ccc amplius paſſus pateat. Eo profectus Samoſcius, ambituque luſtrato, reperit, meridiem verſus aliam in eodem lacu contra caſtrum inſulam eſſe, quae a pleriſque partibus lacu, ab aliis uliginoſo amne ac nativa foſſa defenderetur; ceterum ex eadem breviſſimum ad arcem trajectum eſſe. Igitur, ſi eo exercitum traduceret, utrumque ſe conſecuturum intelligebat, ut et loco munitiſſimo conſideret, et inde maximam oppugnandae arcis facultatem haberet. Itaque, ut majoris exercitus ſpeciem hoſti praeberet, ſignis latiſſime explicatis poſtridie in eam inſulam tranſmiſit, et caſtra in ea communivit. Tria propugnacula ab ea parte objiciebantur, quae non ceſpite veſtita ſed veteri more argilla tantum incruſtata erant; eoque ſpem Samoſcio fecerant, ut, decuſſa argilla, facillime materia arida ignem conciperet, et incenſa tanta lignorum ſtrue incendium latiſſime ſpargeretur. Alebat ſpem ejus [d] Saburovi praefecti ac veterani ducis aſtus, qui, quod pulverem fruſtra conſumi et militem fatigari nollet, ſummo ſilentio, quod non niſi in maximi metus ſignificatione fieri a Moſcis ſolet, ſe ſuoſque intra munitiones continebat; quanquam ſub primum Polonorum adventum quoſdam ex pabulatoribus, quos oppreſſerat, minutim conciſos ex arce praecipitaſſet, terrorem militi ea immanitate incutere conatus. Ad arcem vim facturus Samoſcius ratem paraverat, ejuſque jungendae curam Nicolao [e] Vroveccio commiſerat: tum tormenta ab ea parte lacus, qua anguſtiſſimus erat, diſponit, quae quaquaverſum verberatione directa et eruptiones prohiberent, et defenſores, ne in propugnaculis conſiſtere poſſent, impedirent: quibus rebus adminiſtratis, oppugnationem orditur. Erat acclivis ad arcem ab imo aſcenſus, quem Moſci una altiſſimorum palorum ſepe, biniſque ingentium et acutiſſimorum cervorum ordinibus, juſto inter ſingulos ſpatio relicto, vallaverant. Contra ea Samoſcius ex centonibus ſtraguliſque equorum undique conquiſitis ſaccos complet; atque ita inſtruit milites, ut, cum in adverſam ripam tranſierint, ſaccos eos ſuper cervos injiciant, ſub iiſque deliteſcentes ab ea parte foſſas agerent, unde, repulſo hoſte, ignem in propugnaculum injicerent. Tum contis adacta ratis; quae quod brevior eſſet quam ut eo pertingere poſſet, dum retrahitur, orto certamine, Chriſtophorus [f] Roſdraſevius globo ſupra dextrum oculum ictus concidit. Refecta continuo rate, ejus agendae Vroveccius curam ſuſcepit cum delectis, qui ſacco tecti in ulteriorem ripam evadunt, et hoſtium ſtationem in ea excubantem proturbant. Mox Pannonii pontem tranſgreſſi ſepem a ripa objectam ſecuribus ſcindunt: quo facto, morae impatientes ob adverſam anni tempeſtatem, neque imperatoris mandatorum memores, ſaccis in cervos minime injectis, ac nullis foſſis ductis, nec dum argilla decuſſa, ignem in propugnacula auſu temerario injiciunt; in quo dum ſegnius rem gerunt, Moſci, initio Polonorum celeritate et audacia territi, animos colligunt, et averſis portis undique erumpunt; integrique oppugnatores frigore et gelu torpenteis circumveniunt, et haſtis falcatis ac frameis propellunt; pars caeditur, pars in turba mutuo ſe implicans in ſubjectum lacum praecipitat ac mergitur. Id quanquam praeter opinionem accidiſſet, et animos regiorum non mediocriter fregiſſet, non tamen Samoſcius animum deſpondit; exemploque ſuo ceteros duces in propoſito obſidionis perſequendae confirmavit: continuoque ad regem literas dat per Georgium Sibricum, quibus rogabat, ne incommodo nimia militum feſtinatione accepto permoveretur; neve ſe ab obſidione propterea revocaret: nam de eventu multa eſſe, quae ipſum ac ceteros belli

INTERPR. [a] *Zamoyski.* [b] *Sawelocze.* [c] *Welika.* [d] *Sabouroue.* [e] *Vrovecz.* [f] *Roſdrazowski.*

belli duces bene ſperare jubeant: nec vero quidquam cauſae videri, cur ipſe ſua cauſa diutius Nevelae ſubſiſtat. Etſi rex aegerrime ferret, tam pernicioſe tamque alieno tempore a milite erratum eſſe, tamen ea aegritudine non mediocriter ſe levatum ſenſit, cum intellexit, ſtare ſententiam Samoſcio oppugnationem perſequi, neque longiore mora ſua in iis regionibus opus eſſe. Nam ad ceteras anni incommoditates et contagii malum, de quo ſupra diximus, quod Italiam, Hiſpaniam et Galliam adflixerat, acceſſit; quo non ſolum milites, ſed rex ipſe [a] Polotiae tentatus fuerat. Igitur Vilnam movet; et inde CIↃ circiter equites Polonos ac totidem pedites Pannonios ad Samoſcium mittit, ductore Stephano Carolo. Mox refecta denuo rate ac duplicata, navigioque XXC virorum capaci, quod monachorum loci erat, et, quia rimarum plenum eſſet, neglectum fuerat, refecto, faciſque ab utraque parte objectis, Samoſcius ante omnia propugnacula tria adverſa tormentis quati jubet, quo, argilla deterſa ac materia diſcerpta, quaſi venis apertis, celerius ignem raperent: cumque peditatus nec ſatis animorum nec virium habiturus videretur, nobilitas, equis dimiſſis, aemulatione duci ſe flagitat; cui ſe ultro conjunxerunt, qui Farensbekio militabant, nobiles Germani. Imperator, in media acie, qui cum facibus ad incendenda moenia expediti eſſent, collocatis, in dextro cornu, contra quod ſuperius propugnaculum opponebatur, Polonos et Germanos, in laevo ad alterum propugnaculum ſpectante Pannonios ſtatuit, qui utrinque medios ignem inferenteis tuerentur. Polonos [b] Vrovecius et ei ſubſtitutus Andreas [c] Orechovius ducebant; Germanis Farensbekius Othonem [d] Uxecelium praefecit. Rate inter confertiſſimas hoſtium ejaculationes impulſa et adverſae ripae applicata, res incidit, quae animos majores regiis fecit, caelo tum forte poſt continuos imbreis repente ſerenato. Jamque cuncta ad vim faciendam parata erant, tormentis ac facibus undique provolantibus, cum ſubito obſeſſi regias literas conclamant. Samoſcius paulo ante pro dignitate cancellarii, qua fungebatur, literas ad obſeſſos dederat, hoc argumento; juſſiſſe regem, Samoſcium omni ſtudio expugnandae Solociae incumbere: ſi tamen ultro in deditionem praeſidiarii conſentirent, pro clementia ſua eos conſervandos ſtatuiſſe, et ab omni injuria prohibere; quae quo religioſius obſerventur, cubicularium ſuum miſiſſe. Sed eas literas Moſci initio rejecerant; quas tunc periculo territi, primum voce, dein miſſis aliquot ſcloppetariorum ductoribus, flagitabant. Datae ergo illis literae: et, quo majorem illis fidem imperator faceret, cum iis Jo. Thomam [e] Drojevium praefectum [f] Premiſlienſem mittit, qui arcem acciperet, et Palatinos ad ſe adduceret; qui, quantumvis reluctantes, cogente milite adducti ſunt. ~~Dedititiis fides ſervata; matronaeque~~ nonnullae, quae Lukis captae fuerant, libertati reſtitutae, verito Samoſcio, ne pudicitiae earum in tanta itineris longinquitate tantaque militum licentia injuria fieret; mirantibus Moſcis primo, cum cauſam ignorarent, ac ultro fatentibus, ſe ejus aetatis ac formae mulieres Polonis reddituros non fuiſſe; ubi vero cauſam intellexerunt, palam jactantibus, haud mirum videri debere, ſi in tanta morum diverſitate diſpar fortunae favor eſſet. Capta arce firmiſſima et adverſo maxime tempore, Samoſcius, qui provideret, ut proximo anno per ea loca impreſſio in hoſticum fieret, tormenta omnia in ea deponit; praeſidioque Georgium [g] Sibricum praeponit cum Pannonici militis parte. Farensbekium cum CIↃ equitibus latiore circuitu [h] Opocam verſus proficiſci, ut [i] Welikae vada exploraret, converſoque ad ſiniſtrum per [k] Naſcerdam itinere ad Polotiam rurſum occurrere ſibi jubet. Ipſe, exploratis [l] Uſciae et Driſcae lacus fluviorumque ex iis profluentium curſibus, Vilnam ad regem venit.

CIↃIↃLXXX.

HENRICUS III.

XVII. Sub id nuncius allatus, Joannem Moſcorum ducem, uxore repudiata, quod, quoties vult, illi moribus patriis licet, ſextum jam maritum novam indicto puellarum

publico

INTERPR. [a] *Ploczko.* [b] *Vrovecz.* [c] *Orekowski.* [d] *Uxecel.* [e] *Drojevic.* [f] *de Przemyſlie.* [g] *Sibrik.* [h] *Opolska.* [i] *Welika.* [k] *Nieſcierda.* [l] *Uſcia & Driſſa.*

CIƆIƆLXXX. HENRICUS III. publico delectu duxiſſe. Id autem in hunc modum peragitur. Proceres nobileſque cuncti, qui filias nubileis aliqua formae commendatione in poteſtate habent, edicto propoſito eas ad diem dictam adducere jubentur. Tum in domo ſpatioſa ad id parata conveniunt; ubi per coenacula XII lectos habentia totidem puellae diſtribuuntur, quae rex, ſene uno comitatus, ordine omnia circumit; et, ut quodque ingreſſus exſtructo ſolio conſidet, puellae magno principi ſuo placendi et ad eam fortunam perveniendi deſiderio elegantiſſime quam poſſunt ornatae ad genua ejus geſtu compoſito cunctae ordine procumbunt; ſudarioque unionibus, gemmis et auro intertexto pedibus injecto, diſcedunt. Quam ex his princeps probarit, ducit: ceteras agris vel pecunia donatas dimittit.

XVIII. REX Vilna [a] Grodnam proficiſcitur; et, dum comitia celebrarentur, ne tempus interim ſibi periret, ad privatas pecuniae mutuae rationes incundas animum intendit: de qua rurſus in hoc bellum commodanda Georgium Fridericum Boruſſiae ducem Polonici imperii beneficiarium, Auguſtum Saxonem et Joannem Georgium Brandeburgicum ſeptemviros appellat. Tum, ubi Grodnam venit, Rigenſium legatos audit. Eorum civitas his conditionibus a Sigiſmundo Auguſto in fidem recepta fuerat, quae ad regiae majeſtatis jus enervandum, magiſque ad vanum urbis ſplendorem quam utilitatem, conventae viderentur. Cum rex eam ſociam quam ſubjectam habere mallet, eae mollitae: miſſuſque Jo. Demetrius [b] Solicovius, qui poſtea archiepiſcopus [c] Leopolienſis in Ruſſia Polonica fuit, et Wenceſlaus Agrippa, qui honeſtioribus obſequii legibus civitatem in fidem acciperent. Portorium in ea inſtitutum; et ita ſumma regis aequitate diviſum, ut ejus proventuum duae partes regi, tertia civitati in portus ac ſtationum inſtaurationem cederet. Major contentio de vallo ante arcem exſtructo et archiepiſcopi bonis fuit: ideoque in regis ad ea loca adventum rejecta. Non bona fide in eo negotio verſatum Joannem [d] Taſtium unum ex Rigenſium delegatis quidam ſcripſere, qui domum reverſus, cum collegarum nomine de legatione ad ſenatum referret, callide diſſimulavit templum a rege petitum, (nam oppidani ut nihil in religione moveretur ante omnia poſtulaverant) et ut Jeſuitae reciperentur: tum de munitione urbis et bonis archiepiſcopi conſultationem in regis adventum dilatam eſſe; quod poſtea magnis turbis cauſam praebuit, et Taſtio ipſi exitium attulit.

XIX. INDE rex Warſaviam ad comitia tendit; ubi Ordines, ut ſucceſſum urgeant, et non tam laetentur victoria quam utantur, hortatus, univerſum Moſcorum imperium, quod illis fortuna in manus quaſi dare videatur, ejus praemium proponit: quod ſi non appetendum aut ſperandum arbitrentur, at eo uſque in armis maneant, dum Livoniam, quae juſta belli ſuſcepti cauſa extiterit, inſigne apud poſteros virtutis ſuae monumentum, imperio Polonico adjungant. Ceterum magna incommoda ex eo ſequi demonſtrat, quod quotannis tributi cauſa ad comitia obeunda in regnum revocetur: nam militem continuis itineribus confici; hoſti reſpirandi ſpatium concedi; et, tardius exacto tributo, multas rerum gerendarum occaſiones ea mora corrumpi: quibus incommodis ut obviam eatur, e re videri, ut biennale tributum ſciſcatur: quod vix tandem impetratum, ea lege, ut, ſi pax interim conveniſſet, tributa ceſſarent: quae tamen conditio tandem remiſſa eſt. Venientem regem ſecuti fuerant Moſci legati, per medium regnum quaſi in triumpho traducti; qui rurſus admiſſi cum Nevelenſeis conditiones urgerent, ac praeterea quaedam alia caſtella ad ſuperiora adjungerent, rex contra, niſi omni Livonia Moſcus decederet, convenire non poſſe reſponderet, irritum fuit colloquium, reque infecta a colloquio et comitiis diſceſſum eſt. Tantum decretum, ut, ſancito biennii tributo, rex non prius pacem ſe facturum cum hoſte polliceretur, quam is univerſa Livonia exceſſiſſet. His comitiis inſigni exemplo

INTERPR. [a] *Grodno.* [b] *Solikowski.* [c] *de Luwow*, Germ. *Lemberg.* [d] *Taſty.*

exemplo intellectum eſt, quantum ad libertatem tuendam imperium regum intra certos limites coërcitum momenrum habet, tantum ea re potentiam et imperii robur ad externas expeditiones ſuſcipiendas debilius reddi, dum rex nihil, niſi conſultis ordinibus, decernere poteſt, et in multorum eſt poteſtate poſitum, quae unius conſilio recte inſtituta feliciter procederent, intercedente publica auctoritare pervertere. Nam ex nobilitate plerique tum publice interceſſerunt, regem rogantes, ut ea expeditione bellum finiret: ſiquidem nobilitatem, maximeque familias ejus ruſticas, quarum ſalutem ſine ſuarum quiſque rerum detrimento negligere non poſſit, tributis ita exhauſtas, ut majoribus ulterius ferendis pares non ſint futurae. Ad quae, rex licer bellum neceſſitate excuſaret, illudque minime a ſe de induſtria ali diceret, multis verbis inſuper demonſtraret, otio et ſecuritati, quae pace expetantur, non recte poſſe conſuli, niſi ea cum dignitate ac publica regni utilitate conjuncta ſint; tamen emanante rei ad hoſtem fama creditum fuit, eo Moſcum alioqui per ſe debilem in conditionibus ſe duriorem praebuiſſe, quod ſperaret, extracto bello, Polonos ſumptuum pertaeſos regem, quantum poſſent, ad pacem vel invitum tandem coacturos. Sub exitum anni Philo [a] Lukenſis praeſidii praefectus, ut militem exerceret, [b] Chelmam Moſcicam, quod caſtrum ſupra [c] Lovatum ſitum eſt, Martinum [d] Curtium et Gabrielem [e] Holubeconem ducere jubet. Ii, cum ex captivis cognoviſſent, Moſcos oppidum more ſuo incendiſſe, tantum unam domum ad agendas excubias relictam, noctu progreſſi ſtationarios opprimunt; et, intercluſo a tergo receptu, in arcem concedunt. Idem [f] Sibricus ex [g] Savolocia fecit, inſtauraro ad [h] Voroneciam caſtro. Ea eſt urbs ſupra praeſidium ſuum ad [i] Soücam ſita, propter fluvii opportunitatem, qui in Welicam, indeque ſub Pleſcovia in lacum [k] Pelbam ac Finlandicum ſinum influit, commerciis et oppidanorum frequentia nobilis. Mox conjunctis cum Kimita viribus priſcam Ruſſiam, quae ad magnam [l] Novogardiam pertinet, ſalinarum vectigalibus et commercio ampliſſimum oppidum, excurrunt; locumque nullo opere munitum facile capiunt, ac diripiunt, et inde domum praeda onuſtum militem reducunt. Joannes Sueciae rex paulo ante, dum Srephanus in hoſtico abeſſet, claſſem ad [m] Narvam miſerat: quae, integris adhuc tunc rebus, haud quidquam tentare auſa, tantum aliquot aedificiis in litore exuſtis, retro vela in patriam fecit. Poſtea ſub comitiorum tempus idem Joannes, quibus partibus bellum anno ſequenti Srephanus ordiretur, per literas ut ſciret rogavit. Et Polonus, quod ante ad hoc bellum Suecus ſe hortatus fuiſſet, pro mutua neceſſitudine minime eum celare conſilia ſua debere cenſuit; et ſe Pleſcoviam iturum oſtendit.

XX. Hoc roto anno in [n] Pannonia, [o] Dacia, Moeſia, et circumpoſitis imperio Othomanico regionibus quies fuit: &, bello inter Polonos et Moſcos accenſo, [p] Temeſvarienſis purpuratus de tot apparatuum bellicorum exitu anxius legatum in regis caſtra mittit. Is auditur Eid. Nov. et victoriam adverſus Moſcos partam regi primum gratulatus, ſubjecit, imperatorem ſuum a purpurato Budenſi intellexiſſe, Romanorum Caeſarem [q] Norimbergae cum ſeptemviris deliberare, quomodo per occaſionem bellum Turcis inferre poſſit: cupere Turcum, ut rex, quantum in ipſo ſit, ea conſilia impediat: praeterea Koſacos dimiſſos ab excurſionibus in Daciam et Walachiam abſtineat. Tum, porrectis imperatoris ſui literis, propere more gentis retrogreditur. Poſt cum admiſſus Tatari legatus veſte bombycina indutus: et, a Moſco ad bellum contra Polonos imperatorem ſuum ſolicitari praefatus, ſi tamen regi propoſitum ſit terria vice

INTERPR. [a] *de Wielki Luki.* [b] *Chelm.* [c] *Lowat.* [d] *Curtz.* [e] *Houlebecon.* [f] *Sibrick.* [g] *Sawolocze.* [h] *Woronecz.* [i] *Souka.* [k] *lac de Peibas.* [l] *Novogrod.* [m] *Nerva.* [n] *Hongrie.* [o] *Tranſilvanie, Walachie, & Moldavie.* [p] *le Baſcha de Temeſwar.* [q] *Nuremberg.*

CIↃIↃLXXX. HENRICUS III.

vice in Moſcos ducere, principem ſuum malle Polonorum quam Moſcorum caſtra ſequi demonſtrat. Quibus dictis, humerum ſiniſtrum dextrae regis ſcapulae, quod obſequii et reverentiae inter Tataros ſignum eſt, ſubjecit; et regi ocreas, arcus, ſagittas, pharetramque deauratam, gradarios item equos duos mirae pulchritudinis donavit. Turci, quod per totam Pannoniam belli fama pervagata erat, et paſſim miles ſcriberetur, ne alio, quam fama ferret, id erumperet, ſubveriti, legatos cum his incertis mandatis ad Poloniae regem miſerant, qui, quid ageretur, ſpecie legationis coram certius explorarent. Nam vires Turcicae in orientem verſae erant, bello Perſico jam ante aliquot annos inchoato occupatae; quae tamen, mutato ſummo belli duce, nihil maxime memorabile neque hoc anno neque ſequenti geſſerunt.

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEPTUAGESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

IN oriente Muſtaphas ex Perſide revocatur. Ei Sinan aemulus ſufficitur. II. *Abas Miriſes in Perſia patris imperia detrectat.* III. *Hodabendae ad Portam de pace legatio a Maxude obita.* IV. *Hodabendae apparatus.* V. *Sinan Erzirumo Carſam venit. Mechemetis, tot annorum ac principum ſupremi viſiri, caedes. Muſtaphae ingenium ac deceſſus.* VI. *Teſliſium a Sinane defenſum. Leventis Georgiani ad eum legatio.* VII. *Sinan Trialam cum exercitu venit; et inde in Childerenſeis campos deſcendit. Interimque de pace per Haidarem a Perſa miſſum agit; et ad Portam evocari petit, eoque mox pergit.* VIII. *Uluzalis Tunetem, diffugientibus Mauris, novo praeſidio firmat.* IX. *Stephanus contra Moſcum profecturus, per Samoſcium peditem, cujus penuria laborabat, ex Polonis ſcribit. Chriſtophori fratris Stephani deceſſus. Tractatus de pace inter Polonum et Moſcum irrisus.* X. *Moſcus miſſis ad Caeſarem et pontificem legatis auxilia contra Turcos deſert, dum bellum Polonicum tantiſper his veteratoriis artibus ſe retardaturum putat. Stephani acerbae ad Moſcum miſſae literae. Samoſcius ſupremus exercituum dux dicitur.* XI. *Suecus, diſtracto bello Moſcico rege, res in Livonia gerit.* XII. *Oſtrovia in inſula ſita poſt editam murorum ſtragem deditur.* XIII. *Pleſcoviae ſitus, origo: ad eam olim res a Polonis geſtae. Tatarorum Praecopienſium ſub Mahomete ſtatus. Pleſcoviae obſidio.* XIV. *Pontii Gardiae noſtratis in Livonia ſucceſſus.* XV. *Poſſevinus in Moſcoviam a pontifice antea miſſus inde ad Stephanum de pace acturus venit. Diſſidia in caſtris regiis exorta. Pezzurae monaſterium in proximo captum.* XVI. *Stephanus a caſtris ad comitia diſcedit. Legati de pace a Moſco veniunt. De Moſci principis morte cognitum.* XVII. *Ad exitum anni intentum frigus, et ejus mira effecta.* XVIII. *Collatio Tubingenſium paſtorum cum Hieremia Patriarcha Conſtantinopolitano.* XIX. *In Luſitania rex Philippus Tomaram venit, et ritu ſolemni jusjurandum dicit.* XX. *Comitia dein celebrata. De Conimbricenſi academia abolenda cogitatum. Pontificis legati ad Philippum de ſucceſſu gratulaturi adventus.* XXI. *Antonius, qui adhuc in Luſitania latebat, fruſtra veſtigatus, tandem in Angliam appellit.* XXII. *Philippi Oliſſiponae ingreſſus.* XXIII. *Tertia inſula ab Antonii partibus ſtat.* XXIV. *Ex Anglia in Galliam Antonius profugit.* XXV. *Soli in Tertia inſula Jeſuitae Philippo favent.* XXVI. *Philippi cum rege expoſtulatio.* XXVII. *Tagi navigatio Toletum uſque a Jo. Bapt. Antonello perducta.*

Ex auctoribus,

Jo. Thoma Minadoio, Jo. Leunclavio, Thoma Coſto, R. Heidenſteinio, D. Chytraeo, collationis Tubingenſis actis, Staniſlao Socolovio, Jo. Bapt. Fiklero, Jac. Gorſcio, H. F. Conneſtaggio, Ant. Errera.

LIBER

LIBER SEPTUAGESIMUS TERTIUS.

CIƆIƆLXXX
HENRICUS III.

MUSTAFAS incuſatus fuerat apud Amuratem, quod infructuoſis expeditionibus fatigato milite tempus, commeatum ac pecuniam inutiliter conſumpſiſſet, res in majus, ut e longinquo, augens, falſiſque nunciis imperatoris ſui aures implens; de cetero cunctis gravis, et ob ſuperbiam cum inaudita immanitate conjunctam inviſus. Itaque crebris militum delationibus victus cum revocaverat Amurates. Cumque ille tergiverſaretur, miſſo Janitorum praefecto vix tandem, ut rationalis et quaeſtor exercitus, quibus praecipue miniſtris in intervertenda militari pecunia uſus erat, dederentur, impetraverat, ut ſupra oſtendimus. Tandem placato nonnihil largirionibus, quae nihil non apud barbaros valent, ſi non ex animo, ſaltem per ſimulationem Sultano, Conſtantinopolim venit v Eid. Apr. ubi iterum largitionibus per gynaeceum effuſis pervicit, ut ſui illi homines rationalis et quaeſtor cuſtodia ſolverentur, et, quanquam a conſpectu et colloquio Amuratis arceretur, in aliquam priſtinae gratiae partem receptus videretur. Vetus illi et capitale odium erat cum Sinane purpurato, homine haud paulo mitioris ingenii aut moderatioris, certe majore vanitate et arrogantia praedito; qui delationibus faces addens, quoties nuncii rerum infeliciter in Perſia ſuccedentium ad Portam venirent, ſumma imprudentia dictitare ſolebat, ſe, ſi quidem belli dux cum ampliſſima poteſtate deſignaretur, penetraturum ad intimam uſque Perſici imperii ſedem [a] Caſminum, indeque regem vivum in poteſtatem redactum imperatori ſuo miſſurum. Quibus vocibus ad Amuratem perlatis, non ſolum ille gaviſus eſt; ſed mox Sinani imperavit, ſe pararet: nam brevi fore, ut ſummo cum imperio contra Perſas mitteretur. Neque hoc contentus Sinan tantum Sultanae commendatione potuit, ut Amurates, ſi quidem id praeſtaret, quod toties ſe praeſtiturum recepiſſet, ſpem faceret, de ſuprema Portae [b] conſiliarii dignitate in ipſum conferenda. Igitur poſt adventum ad Portam Muſtafae, VII Kal. Maii Sinan poſt manus imperatoriae deoſculationem, quod vale dicentibus facere ſolemne eſt, cum magni pretii acinace cinctus vexillum praetorium cum equo generoſo accepiſſet, Conſtantinopoli diſceſſit: et, per [c] Amaſiam facto itinere, [d] Sebaſtopolim venit, quae Sivas hodie dicitur, tentoriis ibi fixis copias, quae undique ad ipſum confluebant, ut loco commodo opperiturus.

II. De cujus adventu certior factus Mehemetes [e] Hodabendes Perſarum imperator, qui Caſmini erat, cuncta pro tempore ad defenſionem parabat, homo quietis avidus, ideoque de belli exitu anxius; nec minus, quam de armis Turcicis, de turbulentis filii junioris prope ad defectionem, ut rebatur, ſpectantis conſiliis ſolicitus. Is erat Abas Miriſes, qui tandem patri in imperio ſucceſſit: tunc vero [f] Arianae regulus, quae ampliſſima provincia eſt ad regni fines [g] Aracoſiam verſus poſita, juventa ferox, et viribus ac clientibus potens, paterna imperia detrectabat, et ad delectus ſuperioribus annis non reſponderat, neve ex illis remotis provinciis ad militiam citati convenirent, impediverat. Qua ex occaſione [h] Miriſes Salmas Chanus ſive procerum aulae princeps et Miriſae regio filio infeſtus, quod, cum filiam [i] Emirami grandiori natu Mehemetis filio cum bona regis venia, apud quem nihil non poterat, deſpondiſſet, vereretur, ne per minoris ambitionem legitima ſpe regni major aliquando ſpoliaretur: itaque is patrem adverſus filium, tanquam perduellem, et, patre fratreque legitimo olim

INTERPR. [a] *Caſbin.* [b] *grand viſir.* [c] *Amaſia.* [d] *Sivas.* [e] *Hodabende.* [f] *Heri.* [g] *Cabul.* [h] *Mirize Salmas Chan.* [i] *Emir-Hamze.*

olim regni herede ſuperſtitibus, jam imperio Perſico inhiantem, incendebat: et, ut animum ejus magis exacerbaret, in memoriam revocabat, eum ſuperiore anno [a] Corani ac Saſvarii Parthiae civitatum praefecti, qui Cheriae ſatrapiae ſubſunt, Caſminum citarentur, ut inde cum Emirame in [b] Atropatenam tranſirent, reſpondiſſe, Miriſae, quo minus parerent, imperio ſe prohiberi. Id cum Mehemetes homo credulus et inter gynaeceorum ſepta fere degens ita habere certo ſciret, eo fiebat, ut in ceteris, quorum Salmas Miriſem inſimulabat, ei fidem adhiberet, et de rebelli filio quamprimum poenas ſumpturus fuiſſe videretur, niſi melius ab aliis purpuraris conſultus domeſtica vulnera ad tempus tegenda juſtumque ex iis dolorem conceptum diſſimulandum duxiſſet, in bellum Turcicum tota cogitatione revolutus: ad quod dum neceſſaria parat, committere noluit, ut viam, ſi qua ratione iniri poſſet, pacis conciliandae neglexiſſe videretur. CIƆIƆLXXX. HENRICUS III.

III. Id ut vehementer peroptaret, principem ab armis per ſe alienum ſtimulabat mali interni curandi deſiderium, et Georgianorum ad Turcicas partes propendentium renudatae voluntates, et [c] Leventoglii, de quo ſupra diximus, qui ſe veluti neutrum hactenus geſſiſſet, ſuſpecta fides. Ad id delectus e procerum numero [d] Maxudes, ex Salmae, qui bellum cum Aba Miriſe quam cum Amurate malebat, et Leventoglii conſilio; cui additus comes ſacrificus quidam ex Leventoglii ipſius familia. Ei mandatum, ut ad Sinanem tranſiret; a quo et, communicatis prius conſiliis, viae duces acciperet, et inde ad portam Othomanicam tenderet, et cum Amurate, ſi [e] Carſa et Teſliſio contentus eſſe vellet, quamprimum tranſigeret. Is igitur Caſmino profectus per Sultaniam in Media, [f] Zangam, Mianam in Armenia, ac Turcomaniam iter habuit, et [g] Tauriſium venit. Inde ad laevam [h] Chiulfalia, [i] Naſſivano, quod Artaxata fuiſſe quidam putant, et Reivano relictis, [k] Coium et Vanum pervenit; acceptiſque a [l] Cicada purpurato Turcico viae ducibus Carſam rendit. Vix credibile, quanta cum laetitia a Turcicis praeſidiis adventus legati intellectus ſit; cujus mox per curſores diſpoſitos Cicada Amurarem certiorem fecit. Maxudes Carſa per [m] Haſſanis caſtrum [n] Erzirumum venit; acceptiſque rurſus viae ducibus Amaſianum iter ingreſſus ad [o] Sebaſtopolim Sinanem convenit; et iiſdem, quibus cum Amurate acturus erat, rationibus agit; et magna aequitate cauſam ſuam niti demonſtrat: quod, cum ambo ejuſdem religionis ſocii ſint, pacem eos et concordiam inter ſe colere deceat, ut conjunctas vireis contra Chriſtianos communeis hoſteis, qui nobiliſſimas Europae civitates occupent, vertant; non mutua pernicie ſe conficere: nam, quae inter eos in eadem religione diſſidia ſunt, ea non tanti eſſe, ut conjuraris odiis alteri alteros petant, totque populos ac provincias belli tam funeſti cauſa devaſtent. His rationibus aequas ſe pacis ab Amurate impetrare conditiones verum eſſe contendebat; Sinaniſque operam ad id depoſcebat. Ad haec Sinan, quantum per agreſtem ejus naturam licuit, benigne legatum complexus, laudare ſe Mehemetis deſiderium ac officium dixit, qui bello pacem praeferret, eamque petituros ad Amuratem mitteret; nec defuturum ſe officio, daturumque ultro qui ipſum ad Portam deducat: ceterum hoc illum ſcire velle, non niſi ampliſſimis conditionibus oblatis cum Amurate tranſigi poſſe: juris Othomanici eſſe, quaecunque Amurates tribus abhinc annis virtute ſervorum ſuorum quaeſiverit, per inacceſſa perrumpens, ſuperatis tot montibus arduis ac profundis vallibus, totque fluminibus per praecipitia incedendo vadatis, aeſtu ac frigore aeque infeſto: itaque ſic Perſam ſtatuere debere, tota Media et Iberia cedendum eſſe, ſi pacem habere velit; atque adeo totas illas regiones relinquendas, quibus

INTERPR. [a] *Coran & Saſvar.* [b] *Sirvan.* [c] *Leventogli.* [d] *Maxud Chan.* [e] *Chars & Teflis.* [f] *Zange.* [g] *Tauris.* [h] *Chiulfal.* [i] *Naſſivan.* [k] *Coy & Wan.* [l] *Cigala Baſſa.* [m] *la Strada de Haſſan-Chalaſſi.* [n] *Ertzerum.* [o] *Sivas.*

quibus hoc bello Turci equi calces impreſſerint. His intellectis, Maxudes paulum abfuit quin de reditu potius quam de progrediendo ulterius cogitaret. Cum tamen ſe in Sinanis poteſtate videret, et alias eum a pace minime alienum cognoſceret, praeterea ſuccenſurum Mehemetem vereretur, ſi re intentata domum reverteretur, acceptis a purpurato viae comitibus, iter perſequitur; et per [a] Caeſaream Cappadociae, [b] Iconio et [c] Ancyra ad laevam relictis, [d] Nicaeam Bithyniae ad [e] Aſcaniam paludem poſitam venit; et [f] Chalcedone in Europam atque adeo [g] Byzantium tranſmiſit, a purpuratis et Muſtafa ipſo perhonorifice exceptus. Ad Amuratem admiſſus magna fiducia et majore verborum delectu eadem, quae coram Sinane, diſſeruit: et Mehemetem, ex quo regnum ingreſſus eſt, nihil antiquius habuiſſe dixit, quam ut religionem a propheta Mahumede promulgatam propagaret; cujus miſericordiam cum maxime a ſuorum ſanguine ſpargendo abhorrere minime ignoret, eo majus ſtudium ac curam adhibuiſſe, ut pacis inter Tecmaſem et Solimanum ipſius avum factae leges religioſe obſervaret, et cum eo amicitiam coleret: id miſſo antea Tocmace Sultano ad eum ſatis declaraſſe: neque vero aequum eſſe, ut, quae Iſmail, paucorum dierum, quod illi datum eſt, imperio, in amicitiae leges peccaverit, quod [h] Babylonem petere in animo habuerit, et res novas moliri voluerit, ea inſonti Mehemeti imputentur: feciſſe Iſmailem, quod juvenes imperiti, quod captivi ſubito recuperata libertate ferocientes faciunt, ut potentia erga vicinos injurioſe abutantur: luiſſe illum temeritatis ſuae poenas brevi vita et properato a ſuis violenti imperii fine: Mehemetem cupere ac petere, ut pacis antiquae leges ſerventur, et arma a propriis viſceribus contra Chriſtianos infeſtos utriuſque hoſtes vertantur. Auditum legatum ad purpuratorum principem Amurates remiſit, adventu ſe ejus laetari fingens. Re agitata, cum peterent Turci, ut Perſae totis illis territoriis, quae jam Sinan praedixerat, cederent, aliter Amuratem pacem non daturum, Maxudes alia ſe mandata non habere dicebat, quam ut Turci, quae intra [i] Araxem hoc bello cepiſſent, ea retinerent. Cumque ita nihil peragi poſſe cerneret, metueretque prudens ſenex, hoc enim ſibi ex purpurati verbis conjectare videbatur, ne, ſi non conveniret, ipſe non tanquam de pace legatus ſed ut explorator a principe ſuo miſſus retineretur, et indignum in modum more Turcis uſitato haberetur, mediam viam reperit; ut neque ampliora quam poſſet promitteret, et interim ſpem faceret, ut, ad Mehemetem reverſus, eum a bello abhorrentem et interim filii junioris motibus anxium ad pacem his, quas vellet Amurates, conditionibus inflectere poſſet. Multi illum a Sinane corruptum, et jam tum de conſilio, quod poſtea tanquam ex neceſſitate captum excuſare voluit, certum, ſincera parum fide in hoc negotio verſatum eſſe credidere. Is certe benigne dimiſſus, et ſine injuria ubique in reditu exceptus ac deductus ſuſpicionem fecit, quaſi in arcano ad principis ſui res prodendas cum Turcis conveniſſet, quod Perſicos legatos, cum re infecta a porta diſcedunt, non ita amice dimittere Turci ſoleant: quod vel ex alterius legati poſtea ad Amuratem miſſi et injurioſe cum vitae etiam diſcrimine diu retenti exemplo patuit. Maxudes dimiſſus eodem, quo venerat, itinere domum rediit, Sinanem, qui interim Erzirumum venerat, Carſam uſque proſecutus, et a [k] Cicada Vanni purpurato perhonorifice ad fines ſuos deductus. Sinanis conſilium erat, dum pax conveniret, [l] Tomanim in Armenia Georgianorum urbem anguſtiis ad tranſitum in illas regiones opportunam munire, et Teflifium, quod miſerabili fame vaſtato circum a Perſis agro premebatur, novo milite et commeatu importato firmare: cupiebatque, aliquo operae pretio facto, quamprimum honeſta occaſione quaeſita e provincia decedere; quam ambiverat non tam ſpe rerum conficiendarum, quam ut aemulum

INTERPR. [a] *Caiſar.* [b] *Cogni.* [c] *Angori.* [d] *Nicea.* [e] *Aſcania.* [f] *Scutari.* [g] *Conſtantinople.* [h] *Bagdad.* [i] *Araſſe r.* [k] *Cigala, Baſſa de Wan.* [l] *Tomanis.*

aemulum Muſtafam odio et invidiae Sultani objectum omni imperio et auctoritate CIƆIƆLXXX.
hac ratione exueret. HENRICUS III.

IV. NEC eo rerum ſtatu ceſſabat Mehemetes: qui, dum Maxudes reverteretur, vocatis provinciarum praefectis, ad exercitum cum Emirame filio venire voluit, ut praeſentia ſua gratiam colligeret, et fama, qua bella conſtant, majore ſui ſparſa favorem rebus ſuis conciliaret. Is igitur, [a] Caſmino profectus Sultaniam, majorum mauſolea luſtravit; et inde per Zangam ac Mianam iter habuit; dein ad laevam [b] Gurgio caſtello in lacu poſito et [c] Ardovilio ad dextram Mediae urbe Sophinorum antiqua ſede relictis, Turcomanam atque inde quartis ſtativis [d] Tauriſium venit, quo delectus convenire juſſi erant. Ibi inter duces conſultatum, quid facto opus eſſet; et confuſae ſententiae dicebantur, quod regi non tam bellum gerere quam bellicos Turcorum impetus ſuſtinere animo ſederet. Itaque deliberatio ex conſiliis Sinanis pendebat; de quibus ut incerta afferebantur, ita incertae ſententiae erant. Tandem placuit, ut robur exercitus, qui numeroſus tunc ſub ſignis erat, et non tantum repellendae injuriae, ſed etiam inferendae, rebus item magnis tentandis, niſi dux defuiſſet, par, Tauriſio [e] Caracachen progrederetur; ubi loco commodo, et ad tegendum Tauriſium et prohibendum hoſti in [f] Atropatenam ingreſſum opportuno, caſtra munirentur. Igitur delectae copiae Teſliſium verſus mittuntur, quae ſuppetias eo a Sinane neceſſario mittendas diſturbarent. Iis, quae x bellatorum CIƆ efficiebant, praefectus Tocmaces, ſuperioris anni expeditione clarus, et locorum illorum apprime gnarus; cui datum a Mehemete negotium, ut locum et tempus [g] Simoni Georgiano, ſed qui impiae ſectae nomen nuper dederat, condiceret, quo, ubi [h] Carſa moviſſe hoſtem intellexiſſent, ſe ſummo ſilentio conjungerent, et, ne auxilia Teſliſium introducerentur, omni ratione impedirent; quae interim de hoſtibus in horas cognoſcerent, de iis ſe certiorem per literas ac nuncios facerent. Rebus proviſis, Tocmaces, ad eas quas habebat copias III CIƆ Georgianorum adjunctis, ubi accepit Sinanem Erzirumo profectum Carſam verſus tendere, iter [i] Gengam verſus intendit, via Turcis hactenus incognita, et tantum Tataris praedonibus trita. Is locus latiſſimorum camporum in meditullio ſitus eſt, undique oppidis et caſtellis, quae aut Perſicae ditioni parent aut foederatae ſunt, Tauriſium uſque cinctus. Poſtquam Tocmaces Gengam venit, ad Simonem ſcribit; et de adventu Sinanis ac itinere certiorem eum facit: mandatque Mehemetis nomine, ut per [k] Grinum facto itinere ipſe vires ſecum jungat; quibus conjunctis, conſilia ex occaſione ſimul ſint capturi. Jamque Maxudes ad Mehemetem redierat; et, expoſito quid cum Amurate egiſſet, nulla alia ratione eum ipſo convenire poſſe oſtendit, quam ſi ipſe Atropatena omni ad [l] Demircapim uſque hoſti cedat: nam ita illum dictitare, juris Othomanici eſſe omnia, quae miles ſuis armis occupaverit: mandata vero ſe non exceſſiſſe; nec parum diſcriminis ipſum adiiſſe; quem, cum non conveniret, non pro legato ſed pro exploratore habiturum imperatorem ſuum purpurati interminati erant: tandem vix precibus et ſpe facta, ut alia legatio ad eum mitteretur, veniam in Perſiam redeundi obtinuiſſe. Maxudem auditum, ut probe officio defunctum, non illibenter reducem videre viſus eſt initio Mehemetes, praefectura etiam ſed exili in [m] Reivanenſi ſatrapia ultro remunerationis loco delata: quam tamen ille ut imparem meritis ſuis honeſta excuſatione renunciavit, ampliora a principis liberalitate expectaturus, quibus ſumptus in eam legationem factos ſarcire poſſet. Itaque et mox quaeſtura Tauriſienſi donatus eſt: quam ille quidem acceptavit; verum, inimicitias, quae ſibi cum [n] Emire Tauriſii praefecto capitales intercedebant, cauſatus, per ſe non adminiſtravit; et, ſubſtituto procuratore, qui
vice

INTERPR. [a] *Casbin.* [b] *Gwergi Chelaſſi.* [c] *Ardevil.* [d] *Tauris.* [e] *Caracach.* [f] *Sirvan.* [g] *Simon, Georgien.* [h] *Chars.* [i] *Genge.* [k] *Grin.* [l] *Demir-capi.* [m] *de Reivan.* [n] *Emir Chan.*

vice ſua fungeretur, [a] Caſſangicum in Armenia ſuae ditionis municipium conceſſit: quod illius apud principem exagitandi Emiri ad omneis occaſiones intento materiam praebuit. Nam quare illum praefecturam tam honorifice delatam recuſaſſe? aut cur quaeſturam ampliſſimae civitatis, praetextis inimicitiis, quas ille ſibi ſomnians finxit, per ſe nolle adminiſtrare? quorſum denique pertinere ſeceſſum ab urbe in confinio hoſtis adventantis? nimirum eas ſuſpicionum, quae de egregia adeo, ut ipſe jactitat, ejus legatione ſparſae ſunt, confeſſiones eſſe: nam aut jam fide data cum imperii Turcici mancipium effectum, ideoque dignitates et praefecturas in Perſia delatas recuſare, aut ſuperba illa a publicis muneribus excuſatione regem velle cogere, ut praefectura primaria aliqua ipſum donet, in Turcorum mox manus, a quibus corruptus domum rediit, conſignanda: et hoc eſſe, quod vulgo jactatur, de Atropatena, quam Turci tantopere urgeant, tradenda in legatione ſua cum ipſis in occulto tranſegiſſe. Hae voces, etſi ab inimico homine profectae, quod tamen cum rumoribus ubique ſparſis conſentirent, alte in pectus Mehemetis deſcenderunt, jam irritati et ad injuriam ſuam pertinere exiſtimantis quod praefecturam delatam recuſaſſet. Itaque, ut ad crimina objecta reſponderet, ipſum accerſiri juſſit: idque negotii Emiri ipſi dedit, Maxudem, vellet nollet, adductum coram ſiſteret. Maxudem Salmae favore ſublevari non ignorabat Emires; verebaturque, ne, ſi ſe ille judicio ſtitiſſet, dilutis criminibus calumniae paterent. Itaque non aegre paſſus eſt, ut mandati ſibi a Mehemete dati fama ad ipſum emanaret, ratus Maxudem deſperatione rerum ſuarum ad hoſteis continuo tranſiturum, et fuga ſua fidem delationibus facturum. Nec ſpe ſua omnino falſus eſt Emires. Nam, re cognita, Maxudes, ſive conſcius eorum quae objiciebantur, ſive indignatus tantum juris inimico homini a Mehemete in ſe factum, omnia ad fugam compoſuit, ejus tamen excuſandae honeſtam occaſionem quaerens. Itaque, cum XV ab Emire ad eum ſive adducendum ſive comprehendendum miſſi eſſent, ille quaſi chariſſimorum hoſpitum adventu laetus eos exquiſitiſſimo convivio excepit, et vino ſomnoque ſepultos ciſterna tantiſper incluſit, dum, gynaeceo, filiis, ſervis, et familia omni in jumenta impoſita, ipſe cum gemmis auro et argento in fugam ſe conjecit, [b] Salmaſiam nuſquam intermiſſo itinere, et inde Vannum profectus; ubi nullo non laetitiae et honoris genere a Cicada purpurato acceptus eſt; pari honore dein a Sinane Erzirumi affectus; qui et eum ad Amuratem deducendum curavit. Poſtea [c] Ferhatem et Oſmanem purpuratos, qui Sinani in eo bello ſucceſſerunt, ſecutus; ac tandem Alepi praefectura, quo familiam et larem tranſtulit, ab Amurate, bello Perſico confecto, donatus in ea conſenuit.

V. Jam Sinan Erzirumo Carſam cum exercitu venerat; ubi VIII dies commoratus, inde Tomanim tendens per [d] Archelicam iter habuit; ubi tamdiu expetitum ac ſperatum delati inter purpuratos principatus nuncium nactus eſt: quanquam alii hunc honorem Conſtantinopoli ad hoc bellum profecturo delatum, et imperiale ſigillum per [e] janitorum praefectum tunc ei miſſum ſcribant. Eam dignitatem diu magna cum prudentiae ac fidei laude ſub Solimano, Selimo II et Amurate ipſo, adde etiam praecipuae gratiae, quod rarum eſt inter illos barbaros, conſtantia tenuerat Mechemetes, cujus ſaepius ſupra mentionem fecimus, miſerabili ſed maxime memorabili caſu ante annum interfectus. Is militem quendam pro ſumma, qua fungebatur, poteſtate, qua de cauſa incertum, exauctoraverat; ademptoque ſtipendio et alii attributo miſerum hominem, qui ſibi cum ſtipendio decus et vitae ſuſtinendae commoditatem ereptam moerebat, ad deſperationem adegerat. Quam injuriam ille ulciſci certus ſtultitiam ſimulat; derviſiumque profeſſus, ita inter Turcos, qui apud nos eremitae ſunt, vocantur, contemptum rerum humanarum et ſolum coeleſtium ſenſum

prae

INTERPR. [a] *Caſſangic.* [b] *Salmas.* [c] *Ferhat Baſſa.* [d] *Archelec.* [e] *Capitzilar Kihaia.*

prae ſe ferebat. Tum uſitato inter eos more, ut ſacerdotes hujuſmodi quotidie ad CIↃIↃLXXX.
ſalutandos proceres in Divanum, qui locus juri dicundo deſtinatus eſt, veniant, et in- HENRICUS III.
ſuſurratis deteſtando ritu ſuo precibus miſeram ſtipem ab iis accipiant, ad Mechemetem ipſum mane adire ſolebat: qua re eum eo et omni ipſius familia lapſu temporis tantam familiaritatem contraxerat, ut, quamvis magno ſtipatu ſemper incederet, oemine prohibente, ad eum, cum vellet, admitteretur. Tandem, veniſſe opportunam et ultionis et odii exſatiandi, nullo tempore oeque toties emeodicata ſtipe mitigati, occaſionem ratus, ferro intra manicam tecto, in Divanum venit, et coram omni corooa, poſt factas preces, in Mechemetem ſtipem porrigentem inſurgir, raptoque pugiooe et in pectus ſemel atque iterum, autequam qoiſquam ſuccurrere poſſet, adacto, ſenem humi exanimem ſternir: ſtatimque injectis a circumſtanti moltitudine vinculis ante Amuratem, ſic enim juſſerat, ſiſtitur: qui, veritus oe purpuratorum conjuratione ſupremam dignitatem ambientium tantum facinus patratum eſſet, ex ipſo reo cauſas ejus ſciſcitari voluir; cognitoque, nullius impulſu, ſolo privatae injuriae ulciſcendae deſiderio, cujus ſenſum ſemper recentem conſtanter ſervaverat, ſcelus admiſſum eſſe, dervi ſium Mechemetis ſervis, ut poenas de percuſſore dignas ſumereot, tradi imperat; qui, miſero bomine exquiſitis cruciatibus exearnificato, beri de ſe optime meriti maoibus parentarunt. Et in tanto munere Achmetes dignitate proximus ſuecefferat; qui, poſt paucos menſeis cum ex infirmitate deceſſiſſet, vacuum locum inter aemulos purpuratos cootroverſum reliquit. Ii erant Muſtafas et Sinan. Et ille quidem, olim Selimi II praeceptor, poſtea bello Cyprio ex voto confecto clarus, aetati ac meritis ſuis eam dignitatem quaſi debitam ambiebat. Sed Sinan Muſtafae merita ſuorum comparatione elevabat, et Guletam, inexpugnabilem Chriſtianorum arcem, Hiſpanorum tam valido praeſidio firmatam, et ſubſidiis accipiendis opportunam, procul in Africa poſitam, modica claſſe intra paucos menſeis a ſe in poteſtatem redactam ingerebat; cum ille vix toto biennio ac tam magno exercitu fere conſumpto duas urbes in inſula undique Turcico imperio cincta cepiſſet. Ad haec, expeditionem nuper contra Arabas rebellanteis, a ſe ſumma animi praeſentia ſuſceptam ac pari felicitate confectam, in memoriam revocabat; quam ille ut nimiis difficultatibus impeditam recuſaverat. Sed nihil aeque Muſtafae nocuit, quam quod, cum nuper ignominioſe ex Perſia revocatus fuiſſet, parum Amurati conſultum videbatur eum ſummae rerum praeficere, quem ob rem male geſtam ſumma belli, quod tunc inſtabat, praefectura indignum judicaverat. His accedebant ſultanae Sinani faventis importunae apud virum obnoxium flagitationes; quae Muſtafae meritis, ſi qoae eſſent, abunde ſatisfactum oſtendebat, quod ille, tot criminum poſtulatus, noo ſolum cauſam ex vinculis non dixiſſet, ſed [a] rationalis et quaeſtor ejus noper in ipſius gratiam ſine cauſae cognitione dimiſſi eſſent, interimque, vacante primariae dignitatis ſede, ipſe aetatis praerogativa principem in Porta locum teneret: itaque ſummam dignitatem ei ſervandam, qui, nolli culpae affinis, hactenus rem beoe geſſiſſet, et porro tanquam feliciter geſturus ad bellum longe maximum miſſus eſſet. Sed oon diu maximopere expetiri et ſpe ante devorati praemii repulſae ſupereſſe tulit Muſtafas, qui, ſive ex moerore, ſive cooſcientia terrente ob ſuppreſſas quaſdam regis Perſarum legatiooes, VIII Eid. Sextil. ſibi ipſi mortem conſciviſſe creditur, accerſito morbo ex avidiore melopeponum eſu, quibus aquae ſaccharo dilutae nimiam copiam ſuperinfuderat; cum conſtans in urbe fama eſſet, niſi imperium Amuratis antevertiſſet, futurum ut juſſu ejus ſtrangularetur: dignus profecto, qui ſibi ipſe carnifex eſſet, ob exercitam in Chriſtianos, capta Famaguſta, et praecipue in M. Ant. Bragadinum plus quam

INTERPR. [a] *Niſchanzin & Dephterdar.*

quam belluinam immanitatem. Bona mortui fiſco illata ſunt, portione quadam nepotibus ſervata, qui adhuc impuberes ad Portae miniſteria traducti ſunt.

VI. SINAN, tanto honore delato laetus, et poſtea intellecta aemuli morte quaſi de invidia ſecurus, ad res gerendas ſe accingit; et Tomanis munitionem adhibitis peritis deſignat; quam tamen ſupervenientibus foedis imbribus, qui continui octo dierum ſpatio opera militum interturbarunt, vix inchoare potuit: et inde de auxilio Teſliſium cum commeatu introducendo ſolicitus eo tendit, [a] Taloglio praetorianorum Damaſci praefecto et [b] Homare Saffeti praetore ad excurrendum et praedas agendas praemiſſis, qui a [c] Simone locorum gnato intercepti ad unum omnes caeſi ſunt, vix praetorianorum praefecto velocis equi ope elapſo. Quo intellecto, nihilominus Sinan iter perſecutus eſt, et alteris caſtris Teſliſium pervenit. Heic, ne morte quidem Muſtafae exſatiato contra ipſum concepto odio, quo vanitatem hominis magis argueret, qui, ut res a ſe geſtas magnitudine commendaret, Teſliſium Damaſco ambitu murorum et populi frequentia par eſſe perſuadere Amurati voluerat, duces luſtrare locum voluit; et, concilio habito, teſteis appellavit, ut de urbis magnitudine coram Amurate aliquando veritatem perhiberent. Secundum haec diſtributa inter milites pecunia, et commeatus in horrea illatus. Tum praeſidiarios advocatos alloquitur; laudataque illorum conſtantia, qui famem diram canum muriumque carnibus tamdiu toleraſſent, melioris in poſterum fortunae facta ſpe amice ſolatur; ipſorumque virtutis rationem habiturum Amuratem ſeque commendatione apud ipſum minime defuturum pollicetur, ut digna tantis laboribus merces in tempore rependatur. Cum illi acerba expoſtulatione de praefecto ſibi impoſito quererentur, quod pecuniam regiam intervertiſſet, Sinan in eum inquiri juſſit; et quaeſtione habita convictum ad reſtitutionem pecuniae, quae militum commodo ceſſit, damnavit, et praefectura movit, ſuffecto in ejus locum [d] Joſepho Georgianorum regulo, quem propter odium quod illi cum Simone intercedebat, qua re maxime fidem ſuorum aeſtimant barbari, dignum exiſtimavit, cujus curae munitionem tot hominum ſanguine, vigiliis, laboribus ac patientia extrema quaeſitam ac defenſam hactenus crederet. His peractis, vaſa conclamari jubet. Cum in eo eſſet, venere ad eum [e] Leventis itidem Georgianorum reguli legati, fidem et obſequium principis ſui prolixe deferentes; perhonorifice ab eo excepti. Is antea ſe ſemper medium inter Turcos et Perſas geſſerat, et utriſque pacis auctor, cum potentiam Turcicam reformidaret, commeatu Teſliſii praeſidium et aliis rebus neceſſariis juverat; neque propterea a Mehemetis amicitia, quem ob viciniam colebat, diſceſſerat. Principis ſui abſentiam legati morbum et alia impedimenta cauſati excuſarunt: quae in bonam partem accipere viſus eſt Sinan; et amico in ſpeciem vultu laetus legatos veſtibus auro intertextis donatos dimiſit, cum muneribus ad dominum ſuum perferendis, maſſa aurea, et acinace auro et gemmis egregie ornato, inſuper mandatis ſecretis, ut ipſe, qui ſe medium huc uſque geſſerat, pacis negotium inter utroſque principes gnaviter urgeret, et aſſiduis officiis et hortatibus in eo ſe vinci non pateretur. Inde digreſſus Sinan alteris caſtris anguſtias Tomanenſeis ſuperavit; ubi a [f] Muſtafsade Alepi praetore, quem ille ſumma benevolentia proſequebatur, perſuaſus eſt, haud hinc longe magnam commeatus, armentorum copiam ac numeroſos greges eſſe, qui a paucis Georgianis ſerventur, magno in caſtris ac praeſidiis uſui futuros; nec vero difficile eos in poteſtatem redigi poſſe, ſi delecti eo mittantur, quibus ſe ducem ille offerebat. Sinan occaſionem non praetermittendam duxit: ſed caſus Talogii et Homaris adhuc memor majorem numerum amico attribuit; et X CIↃ armatorum cum lixis ac famulitio cum eo ire juſſit. Ea praeda

ſtudioſe

INTERPR. [a] *Talogli, Aga des Janiſſaires de Damas.* [b] *Homar, Sangiac de Saffette.* [c] *Simon Chan.* [d] *Giuſuf Bey, uno de' Signori Georgiani.* [e] *Leventogli.* [f] *Muſtafsade, gouverneur d'Alep.*

ſtudioſe objecta fuerat ex Tocmacis conſilio, qui, cum [a] Simone conjunctis viribus in CIƆIƆLXXX.
inſidiis, locis juxta idoneis conſederat. Poſtquam Turci jam praeda in jumenta im- HENRICUS III.
poſita onuſti magis occupati videbantur, ille inopinato apparens in confuſos impetu facto magnam ſtragem citra certamen fere edidit, et, principio fugae ab ipſomet Muſtafsade facto, ad VII CIƆ occidit, captis pleriſque aliis, et mulis ac jumentis ad praedam convehendam addnctis. Quo nuncio accepto Sinan perculſus ſtatim eo [b] Ciliciae purpuratum cum delectis mittit, quem et ipſe cum toto exercitus robore ſequi conſtituit; ſed ſerius, Perſis recepta praeda jam in ardua montium et ſaltibus impedita loca dilapſis: quos nihilominus caſu irritatus Sinan perſecutus in montem praealtum tandem aſcendit; ex quo copias Perſicas ex itinere feſſas ac locis tutis ſe munienteis procul conſpicatus ulterius progreditur; et, dum illi proelii aleam refugere tutius exiſtimantes ſe recipiunt, ultimum agmen carpit, occiſis circiter L. Eorum capita a truneo mox revulſa Turci de more contis affixa quaſi in triumphum longo itineris ſpatio circumtulerunt.

VII. INDE, inſidiis hoſtium vitatis, Sinan [c] Trialam venit Armeniae urbem, tot templis ritu [α] Chriſtiano dedicatis famoſam. Ibi cum ad eum diverſis ex locis relatum eſſet, ipſum regem Perſarum Tauriſio egreſſum cum robore exercitus confligere paratum adventare, edicto propoſito iter Tauriſium verſus pronunciat, miſſis [d] Ardacanum impedimentis, et tantum ſervatis quae portando paucorum dierum viatico ſufficerent. Quod homo omnium vaniſſimus faciebat, ne potius peti quam petere videretur; cum tamen eodem tempore, ſed occulte, Mehemeti, qui ad [e] Caracachen caſtra habebat, ſignifieandum per curſores curaſſet, ut legatos de pace mitteret, ratus eo nuncio Mehemetis, quo minus ad ſe cum exercitu veniret, impetum retardari poſſe. Interim, ut edicto fidem faceret, in [f] Chieldarenſeis campos Muſtafianorum recenti clade infauſtos deſcendit, artificioſe explicatis ad magnitudinem virium oſtentandam copiis. Tum, luſtrato exercitu, cuncta quaſi ad pugnam inſtruit; eo ordine, nt IↃ minora tormenta in fronte collocaret, quae ternis praetorianorum ordinibus ſervabantur: poſt quos ſibi locum ſumpſerat Sinan, hinc inde diſpoſito ad laevam et dextram exercitu, qui lunari forma maximum campi aequor complectebatur, pediti equite immiſto, et ſcloppetariis cum ſagittariis et haſtatis confuſis. In ultimo agmine jumenta erant, et impedimenta ad uſus neceſſarios ſepoſita, quae a duobus purpuratis ſervabantur cum VIII CIƆ armatorum. Ita inſtructo exercitu, quoſdam Turcos ex collibus vicinis, quaſi hoſteis impetum facturos, concurrere jubet; ad quorum conſpectum diſploſa tormenta: mox et ſcloppetarii et ſagittarii armis quiſque ſuis rem gerunt, tympanis, lituis ac buccinis claſſicum tanquam ſerio certamine canentibus, ſtrictiſque gladiis ad ſolis radios e longinquo micantibus. Hoc ludicro ſpectaculo inutiliter conſumptus dies. Idem iterum ac tertio ſequentibus diebus eodem ordine repetitum in riſum ae poſtremo in contemptum tanti imperatoris vertit, frementibus cunctis, cur non potius Tauriſium ſe duceret, curve, hoſte tam propinquo, nihilominus, quaſi ad theatrum conveniſſent, ludicra pugna ſtrenuos bellatores occuparet. Interim a Mehemete per Sinanem monito [g] Haidares venit; et eaſdem, quas prius Maxudes, pacis conditiones propoſuit; Carſa et Teſliſio ultro regem ceſſurum, et amicitiam cum Amurate colitурum: daret operam Sinan, ut his legibus pax fieret, neque ultra inter ejuſdem religionis ſocios principes odiis in mutuam perniciem certaretur. Haidarem et perbenigne audivit Sinan, et officio ſe defuncturum promiſit; nec vero cariturum exitu officium, modo legatus prudens et auctoritatis eximiae tantoque negotio par mitteretur. Ita Haidares ad regem, qui Tauriſium jam reverterat,

VAR. LECT. [α] Romano *D. f. d.*

INTERPR. [a] *Simon Chan.* [b] *Caramanie.* [c] *Triala.* [d] *Ardachen.* [e] *Caracach.* [f] *campagne de Chielder.* [g] *Haider.*

CIƆIƆLXXX
HENRICUS III.

reverterat, remiſſus, quid cum Sinane egiſſet oſtendit; facere ſpem ipſum, ſi nova legatio adornetur, ut opera ſua pax conveuire poſſit. Quod'et regi placuit, et poſtea Sinani ſignificatum fuit. Quibus actis, Siuan, omiſſo priore de Tauriſienſi expeditione conſilio, quaſi ex alia occaſione revocatus, Carſam retto tendit; ubi totum menſem per otium ſegniter coutrivit, mirantibus cunctis et ſtupentibus, ac ſi non pugnaturi, ſed longinquas regiones luſtraturi, et ludos aut ſpectaturi aut in ſcenam ipſi deſcenſuri veniſſent. Inde Erzirumum repetit, ubi adulta jam hyeme exercitus diſſolvitur, et ſinguli praefecti cum copiis iu hyberna per praeſidia ſua miſſi ſunt. Ipſe [a] janitorum praefectum inde ad Amuratem ablegat, qui eum de auxilio Teſtiſium iutroducto, inſtituta ad Tomanim munitione et ſucceſſu rerum plenius edoceret, adderetque, cum Perſa conveniſſe, ut novam legationem ad ipſum mitteret; ceterum eas hujus belli aut difficultates aut incommoditates eſſe, quibus ſuperandis majore rerum apparatu, quam hactenus ſactum fuerat, opus ſit; et, ſi quidem Amurates in animo habeat Perſarum imperium Othomanico adjungere, multa ad tantam expe-
CIƆIƆLXXXI. ditionem deſiderari, de quibus non niſi coram ipſo agi poſſit. Sequens annus totus in expectatione legationis Perſicae conſumptus fuit, nulla re memorabili geſta, propter extremam in limitibus et caſtris inopiam, militibus fere ab hoc bello alienis, et quacunque ratione poſſent ſe ſubduceutibus. Ipſe Sinan hujus belli pertaeſus, ut qui cogitationes in Europam vertiſſet, et redire in aulam cupiens, ubi ſummi honoris uberiora commoda percepturus eſſet, in id toto animo incumbebat, ut pax cum Perſis conficeretur, et ex ejus occaſione cum bona Amuratis gratia e provincia diſcederetur. Itaque crebris literis et nunciis inſtabat, ut revocaretur: nam mulra ſe habere, quae Amuratem ~~maxime ſcire interſit, quae nec per literas ſatis explicari~~ et nunciis tuto committi non poſſint. Tandem ejuſdem ſultanae, quae ipſi ſummam dignitatem conciliaverat, crebris apud Amuratem precibus tenuit, ut Conſtantinopolim evocaretur. Is igitur, duobus praefectis cum [b] quaeſtore et [1] rationali [c] Sumachae et Batino inſtitutis, quae tamen praefecturae non magno aeſtimandae veniunt, nulla praeterea re geſta, et una atque altera clade accepta, quibuſdam etiam machinis amiſſis, in viam ſe dat; et ſub medium Julium exquiſita cum pompa, prodeuntibus obviam Portae proceribus, urbem ingreſſus eſt.

VIII. TUMULTUATUM eodem tempore in [d] Africa. Tnnetani, ut ſunt Maurorum ingenia ad quamvis rei novae auram mobilia, ſive Turcorum dominatum exoſi, ſive Amidae veteris domini, qui tunc Melitae erat, et a quo ſolicitabantur, recipiendi cupidi, conjuratione facta praeſidiarios Turcos invadunt et obtruncant. Qua de re ubi cognovit Amurates, mox [e] Uluzalim rei maritimae praefectum cum LX triremibus eo mittit; qui, inde occaſione ſumpta, eum in [f] freto Herculeo munitionem aedificare vellet, qua firmara non ſolum res in Tunetano regno turbatas componeret, ſed injecto veluti utrique Mauritaniae fraeno majora audendi omen e propinquo caperet, [g] Amethes Marochi rex, qui tunc foederatus cum Philippo erat, periculum minime neglexit, et foedus illud cauſatus legatis miſſis Uluzalim, ut ab incepto deſiſteret, enixe rogavit; alioqui fore, ut regi etiam cum Amurate per inducias nuper foederato, ſi quid moleſtiae ei in Africa Turci faceſſerent, praeſto eſſe et cum ipſo vireis conjungere teneretur. Igitur Uluzalis, qui ſe viribus inferiorem videret, quam ut ſe adverſus foederatos principes conjunctos aut alterutrum eorum cum debili adeo claſſe tueri poſſet, ad diſceſſus ignominiam tegendam, fama ſparſa, quaſi ex alia cauſa ad Portam revocaretur, ſine ſtrepitu ſe recepit, poſtquam Tunetem, unde conjurati diffugerant, miſſo novo praeſidio firmavit.

IX. JAMQUE

INTERPR. [a] *Capitzilar Kihaia.* [b] *Dephterdar & Niſchanzin.* [c] *Sumachia & Batino.* [d] *Barbarie.* [e] *Uluchiali.* [f] *Deſtroit de Gibraltar.* [g] *Ameth.*

NOT. [1] *rationali.* Le Niſchanzi eſt celui qui a le ſceau. Leunclavius ne met que *duobus quaeſtoribus.* *Put.*

IX. Jamque in Polonia bellum contra Moſcum inſtaurabatur: et Stephanus rex CIϽIϽLXXXI.
[a] Grodnam venerat, dato negotio Samoſcio, ut militem ſcriberet. Is vero, quo pe- HENRICUS III.
ditatum lectiorem haberet, ea ratione uſus eſt, ut [b] Vroveeius, miſſa, cui praeerat, equitum ala, ex nobilitate ſola peditem legeret. Farensbekius juſſus delectum in Germania habere. Scripſerat et ad Chriſtophorum fratrem Tranſylvaniae principem rex de novo peditum ac equitum delectu per Pannoniam habeudo. Magna omnium alacritas erat, ex prioribus ſucceſſibus ſpe concepta, ut plerique, nulla in auctoramentum accepta pecunia, nihilominus ad diem convenirent. Minuit paulum communem laetitiam nnncius mortis Chriſtophori Tranſylvani, qui ſub id, cum diu arthritidis doloribus vexatus fuiſſet, tandem deceſſit, relicto Sigiſmundo filio, qui antequam rex Warſaviam ad comitia iret, patri ſucceſſor ordinum conſenſu deſignatus fuerat: quo minus regi laborandum fuit in imperio Sigiſmundo confirmando; tantum ad Portam Joan. Thomam [c] Drojovium legavit, cum mandatis, ut, quando Tranſylvania Turcorum ſtipendiaria eſſet, ab Amurate impetraret, ut, quibus conditionibus priores principes Tranſylvaniam tenuiſſent, iiſdem huic eam permitteret; nec, ſi quid contra ea fieret, regem patriae ſuiſque deeſſe poſſe oſtenderet. Injunctum et Drojovio, ut de [d] Janiculae Walachiae principis injuriis quereretur; peteretque, ut, amoto eo, Petrus prior Palatinus priſtinae dignitati reſtitueretur: nec enim regem Janiculae viciniam aequo animo ferre, et ſuorum injurias, ſicuti nec debeat, haud diutius negligere poſſe. Prius legationis caput facile in Stephani gratiam ab Amurate impetratum: alterum non negatum, ſed in aliud tempus dilatum fuit. Is caſus in eam ſententiam Moſcum adduxerat, ut Stephanus rebus Tranſylvaniae ordinandis occupatus facile in conditiones pacis jam propoſitas conſentiret, aut, ſi minus, tantiſper colligendi ſui ſpatium ſibi concederet. Paulo ante per legatos ſe tota Livonia, exceptis [e] Narva, Neuſchloſſio, Torpato, Adſevio, Novogrodeco Livonico, ceſſurum promiſerat. Rex contra pacis ullam mentionem fieri ſe paſſurum negabat, niſi univerſam Livoniam Moſcus relinqueret; addebatque, neqne [f] Weliſium ulla ſe conditione dimiſſurum; ac petere, ut [g] Sebeſium, quod id penitus intra ditionis regiae penetralia ſitum eſſet, quo pax firmior ſanciretur, deſtrueretur, fide data, ut ipſe viciſſim ob eandem cauſam [h] Driſſam demoliretur; inſupet ut cccc aureorum CIϽ in bellum inſumpta refunderentur. Sed poſtea, nuncio mortis Tranſylvani accepto, mutavit Moſcus, et, literis a Chriſtophoro [i] Dirſeco ad eum a rege miſſo allatis, poſt longa oratione repetitam pacis actionem, multa in regis invidiam addebat; quod [k] Nevelenſibus conditionibus ſtare noluiſſet; quod et Sebeſium deſtrui et ſumptuum nomine magnam vim pecuniae flagitaret: atqui ſcire eum velle, ſe tributarium ejus eſſe nolle; impenſas vero imputare, earumqne ratione pecuniam petere, inter principes inauditum hactenus fuiſſe: Sebeſium ſe puero conditum, dum Sigiſmundus rex Polonia et Lithuania potiretur, etiam cum [l] Polotiam reges Poloniae tenerent, et Ruſſicae dirionis ſemper fuiſſe. Inſuper indignabatur, quod rex nullos ad ſe legatos miſiſſet. Itaque ſe quoque nec poſt quadrageſimum aut quinquageſimum annum oratores ullos miſſurum affirmabat. Poſtremo in regem multa acerbe inſperſa; quod minime regio ſanguine natus eſſet, et multa immaniter a ſuis patrata indulgentius tuliſſet; exemplumque de adipe e cadavere humano detracto afferebat; demumque, quod globis candentibus inuſitata ratione [m] Sokolam incendiſſet. Rex, literis hiſce acceptis, reſpondet legatis, etſi jure gentium eos hoſtium loco habere poſſit, qui non pacis faciendae ſed explorandi ac ſe circumveniendi cauſa veniſſent, nolle ſe tamen ob eorum perfidiam

INTERPR. [a] *Grodno.* [b] *Vrovecz.* [c] *Drojowc.* [d] *Janicola.* [e] *Nerva, Neuſchloſt, Derpt, Adawa, & Novogrodeck.* [f] *Wieliſch.* [g] *Siebis.* [h] *Driſſa.* [i] *Dirſec.* [k] *de Newel.* [l] *Plozko.* [m] *Sokol.*

CIↃIↃLXXXI. perfidiam a perpetua manſuetudine ac lenitate ſua recedere: itaque ipſi domum rever-
HENRICUS III. terentur: ad literas ejus per ſuum hominem ſe reſcripturum.

X. JAM ante Moſcus legationem ad Rodolfum Caeſarem et ad pontificem miſerat, qua auxilia adverſus Turcum communem Chriſtiani nominis hoſtem pollicebatur. Id arte factum interpretabantur Poloni, ut pontifex partes ſuas interponeret, quo pax inter Polonos et Moſcos conficeretur: neque enim ſperare poſſe pontificem, ut Moſcus vireis contra Turcos verteret, quamdiu Polonos a tergo hoſteis haberet. Vix adduci potuere legati, quippe orientali eccleſiae addicti, ut ad pontificis pedes oſculum deferrent. Diſceſſuris adjunctus viae comes Antonius [a] Poſſevinus ex Jeſuitarum ſacerdotum numero, homo rerum agendarum peritus, et qui legationis illius pararius extiterat. Is, cum legati per Polonicam ditionem iter ſe facturos negarent, ſed eodem, quo venerant, itinere Lubecam tenderent, inde Narvam trajecturi, acceptis a Stephano literis, ſic enim a pontifice jubebatur, per Poloniam iter habuit; et, in itinere a rege impetrata praefectis, qui [b] Weliſii capti fuerant, libertate, cum legatis in Moſcoviam contendit. Inde rex, magna moleſtia penetratis ſylvis, [c] Savolociam venit. Heic conſultatum, quo ducendum eſſet: et, quanquam ordo rerum exigeret ut Pleſcoviam iretur, non defuere tamen qui [d] Novogardiam tentandam cenſerent, quod [e] Lukis commoda per Lovatum flumen Novogardiam navigatio eſſet. [f] Torpatum et quidam ducendum aiebant, oppidum in Livonia, quae petebatur, ſitum: quod praeſidii illius magna pars Pleſcoviam, quo iturum regem Moſci credebant, tranſlata eſſet. Sed vicit ſententia plurium, et quaſi rerum geſtarum ſeries, quae exercitui victori Pleſcoviam objiciebat. Dubitatum tamen de caſtellis, quae a lateribus imminebant, tentandane tecum expugnatio eſſet, antequam *Pleſcoviam iretur. Ex iis* [g] Kraſnohorodam cum Moſci more ſuo incendiſſent, commodum accidit, ut Koſaci ſtatim occupatam ſubitario opere munirent; quo fiebat, ut exercitus, Pleſcoviam iturus, ab excurſionibus reliquorum caſtellorum, ea erant [h] Sebeſium, Opoca, Oſtrova et Welia a Moſco itidem incenſa, tegeretur. Eodem tempore rex Philoni Kimitae negotium dat, ut ſe cum Tataris, a Vitoldo olim duce agris in Lithuania donatis, ut ſupra ad annum LXXIV diximus, quos Michaël [i] Haraburda ducebat, conjungeret, hoſtemque ancipiti metu diſtinens mutuis populationibus excurſiones eorum ulciſceretur. Tum, antequam Savolocia diſcederet, tabellarium cum literis ad Moſcum mittit: quibus, etſi armatum hoſti maledicere infra animi ſui magnitudinem exiſtimaret, ne tamen e ſilentio ipſius majores ſpiritus ſumeret, ad ultimas Moſci reſpondebat: 'quod Nevelenſibus conditionibus ſtare noluerit, id feciſſe, quod poſt Savolociam captam res integrae non eſſent; et ſumptus belli, quos non ſponte ſed injuriis coactus fecerit, aliorum Chriſtianorum principum more et exemplo repetiiſſe: quid enim aequius eſſe, quam ut a quo injuria profecta fuerit ab eodem omnis injuriae cauſa et damnum praeſtetur? Sebeſium vero haud dubie in regia ditione, utpote intra [k] Dunam ſitum; ac proinde a Moſco in alieno ſolo exaedificatum eſſe: quod oratores ad eum non miſerit, non eſſe quod ſe accuſet; neque enim legem ullam de mittendis oratoribus perlatam, niſi quam vel uſus vel voluntas cujuſque imponit; omninoque judicii, non neceſſitatis rem eſſe: et facile ei credi, quod ſe poſt quadrageſimum annum oratores non miſſurum minatur; nam id longiſſimum vitae ſpatium eſſe: non igitur poſt XL aut L annum, ſed citius fortaſſe miſſurum. Tum ad contumelioſa deſcendit: non ſe tam moleſte ferre, regem non natum eſſe, quam gaudere, quod virtute ſua dignus habitus ſit, cui tot procerum ſuffragiis regnum ampliſſimum deferretur: neque vero invidere illi, quod non plurimorum de eo hominum judicium aut ſpectata virtus,

potius

INTERPR. [a] *Poſſevino.* [b] *Wieliſch.* [c] *Sawolocze.* [d] *Novogrod.* [e] *Luki.* [f] *Derpt.* [g] *Craſniborod.* [h] *Siebis, Opolska, Oſtrow, & Wielika.* [i] *Haraburda.* [k] *la Dwina.*

potius quam mulieris, [a] Glinſeii Sigiſmundi quondam regis proditoris filiae, uterus Moſcoviae ipſum dominum impoſuiſſet: crudelitatem in detrahendo e cadaveribus adipe primum non a ſe profectam; deinde, nihil in eo contra humanitatis et Chriſtianae pietatis morem, qui, ut vivis tanto rectius conſulant, ex medicorum diſciplina vel in minutiſſimas partes mortuos diſſecant, admiſſum: ridiculam autem miſericordiam ipſtus eſſe, qui, cum in vivos omnia cruciatuum exempla edat, mortuorum cura affici prae ſe ferat. Tum Sokolae caſum, qui ad fraudem inepte referatur, in inſcitiam ejus retorquet, quem tot praeclara rei militaris nupera inventa fugiant. Ad extremum eum ad ſingulare certamen provocat. Plenius haec et copioſius illa epiſtola ediſſeruntur, quae tunc et Latine et Ruſſice evulgata eſt; et additus ad eam de ipſius Joannis Baſilidae vita, una cum epiſtola ad eum tranſmiſſus, liber poſtea editus; qui, potius criminoſae accuſationis quam hiſtoricae narrationis occaſione cum ſcriptus ſit, eo minorem apud poſteros fidem fortaſſe merebitur. [b] Savolocia rex [c] Voroneciam progreſſus prioribus de diſciplina militari legibus novas ex procerum ſententia addit; et, rogatus, ut ad conſervandam diſciplinam more majorum ſummum exercitus ducem crearet, eum dixit [d] Samoſcium. Is, quamvis illum magiſtratum maxime ambiret, tamen initio modeſte ſe excuſavit; et tandem multa honeſte praefatus ſe regis imperio cogi libenter paſſus eſt.

CIↃIↃLXXXI.
HENRICUS III.

XI. REGEM male habebat, quod, dum in hoſtico bellum gerebat, a tergo a Joanne Sueciae rege belli ſocio et hortatore premebatur: ſiquidem Suecus [e] Pontium Gardiam, ex [*] Petrocoriana nobilitate virum ſtrenuum, cui filiam naturalem in matrimonium dederat, cum exercitu interea in Livoniam miſerat; qui arma contra Moſcum ex foedere deſtinata in Livoniam ipſam verterat, et caſtella quaedam, quae ad [f] Oſiliam et maritimam regionem pertinent, occupaverat; fruſtra ante ad eum Joanne [g] Herburto [h] Sanocenſi praefecto et poſtea Laurentio [i] Goſticio miſſis, qui, ut a Livonia abſtineret, eum hortarentur: quod tamen ad tempus diſſimulare coactus eſt.

XII. INTEREA Moſcus Pleſcoviam muniebat, muris vetuſtate neglectis novo opere inſtauratis, et novis ad priora additis propugnaculis; praeſidiiſque ex arcibus vicinis detractis firmabat. Samoſcius nova dignitate auctus, ratione itineris eum rege conſtituta, poſt luſtratum exercitum ad dextram Lithuanos incedere jubet; milite aulico, qui ad [k] Gedanum militaverat, et per abſentiam Joannis [l] Sborovii a Chriſtophoro [m] Niſicio ducebatur, iis attributo: partem aliarum copiarum cum Staniſlao [n] Tarnovio, Joannis Tarnovii illius famoſi ducis nepote, qui eandem, quam tunc Samoſcius, olim poteſtatem in exercitu habuerat, [o] Oſtroviam verſus, ut caſtris locum deligeret, praemiſit: quem mox ſubſecutus Samoſcius, caſtraque ab inferiori parte ad [p] Welicam flumen ponit. Sita eſt Oſtrovia in inſula, quam Welica efficit; indeque nomen lingua Slavica ſumpſit. In ea caſtrum inſignis magnitudinis, et ad hodiernum belli uſum propugnaculis optime dimenſum, ita ut duo caſtri latera, unum, quod ad ſeptentrionem, alterum, quod ad ortum ſpectat, defendat: ſed obtuſiore tertio, ad occaſum vergente, quod ita modico flexu lunatum erat, ut nulli recti tormentorum ictus ſecundum id latus dirigi poſſent; nec proinde quidquam periculi ex eo militi a tormentis immineret. Igitur ad propugnacula in meridiem ſpectantia verberatio inſtituta: quibus a defenſoribus nudatis, et occidentali parte innoxia, citra diſcrimen miles in ruinam

evaſurus

INTERPR. [a] *Glinski.* [b] *Sawolocze.* [c] *Vronecz.* [d] *Zamoyski.* [e] *Pons de la Gardie, gentilhomme de Languedoc.* [f] *Oſel.* [g] *Herbert.* [h] *de Sanok.* [i] *Goſlicie.* [k] *Dantzick.* [l] *Zborowski.* [m] *Niſicie.* [n] *de Tarnow.* [o] *Oſtrow.* [p] *Wielka.*

NOT. [*] *Dele* Petrocoriana: *lege* Septimaniae. La Gardie & Perigoux (ou Peyregoux) ſont deux chaſteaux ſituez entre Caſtres & l'Albigeois, proches l'un de l'autre. La Gardie eſt ruiné. Ce Pontus, qui fut en Suede, eſtoit cadet de la Maiſon, dont les aiſnez ſont encore dans le pays. L'erreur, peut-eſtre, eſt venu de ce que dans le memoire baillé à M. de Thou, il y avoit *Pons de la Gardie ſeigneur de Perigoux*, qu'il a pris pour gentilhomme de Perigort. *Put.*

CIƆIƆLXXXI. HENRICUS III. evaſurus ſperabatur. Rei tormentariae praeerat [a] Wejerus. Jamque magna muri ſtrage edita, Pannonii ad impetum faciendum ſe parabant, cum praeſidiarii deditionem fecere.

XIII. INDE Pleſcoviam rex ipſe progreditur. In primo agmine Baltazar, Andreae regis fratris filius, cum Pannonicis, Palatinus [b] Braſlavienſis cum Polonicis copiis incedebant: qui ubi ad [c] Cerecham flumen, quod ab ortu in Welicam influit, pervenerunt, ex Pannoniis quidam in ulteriorem ripam tranſgreſſi copias ſuas tripartito dividunt, et tribus locis inſidias ſtruunt. Miſſi dein qui hoſtem in excubiis ſedentem ad pugnam prolectarent. Moſci, inſidias veriti, cum primis congreſſi, cum retro cedere vellent, ſecundos ex inſidiis exiguo numero conſurgenteis conſpicati ulterius procedunt, quod utroſque numero ſuperarent; effuſeque inſecuti ad tertios protracti ſunt, qui majore numero invecti Moſcos poſtremo in fugam vertunt. Capti ex iis III [d] Bojarici generis, ita Moſci nobileis vocant, et in caſtra perducti; ex quibus quae vires in urbe eſſent, quid praeſidii animique hoſtibus eſſet, cognitum. Adducti et aliquot captivi a Sigiſmundo [e] Roſnio, veteranorum Polonorum ductore; ex quibus ſingillatim interrogatis idem intellectum. Pleſcovia loco amoeniſſimo ſita, duorum amnium confluxu, patentibus campis, et crebris collibus leniter aſſurgentibus ac frequenti junipero veſtitis, qui a Voronecia uſque, non ſecus ac ſi de induſtria conſiti eſſent, hortorum ſpeciem praebent; tum maxime monaſteriorum, quae ultra XL numero egregie ex lapide exſtructa eo loco viſuntur, ambitu veluti circumdatur. Urbs in longitudinem porrecta, qua ad occaſum vergit, anguſtior; a meridie Welica flumine alluitur, qui multis jam acceptis amnibus magnus V infra paſſuum millibus in [f] Pelbam lacum influit. A ſeptentrione cognominem fluvium habet, qui, non procul a [g] Novogardia ortus, mediam Pleſcoviam dividit, quae triplex eſt et tribus muris diſtincta, mediamque arcem habet, et ipſam in treis partes diviſam: in exteriorem, quae ad meridiem et Welicam ſpectat, Ketſemnoviam, alteram Domantovam, tertiam mediam dictam, non ad arcem, ſed urbem ipſam, cujus quaſi umbilicum tenet, appellatione relata. Septentrionale latus omnium longiſſimum ad VIII paſſuum CIƆ muro ex lapide facto protenditur, ad quem Moſcus alium interiorem ex terra inter binos trabium ordines contentum adjecerat. Propugnaculis ex eodem lapide firmiſſimis undique cingitur; quae cum non ita aequali ſpatio dimenſa mutuo ſe protegerent, ex angulis eorum novi parietes projecti, altiſſimoque ceſpite veſtiti fuerant, feneſtris pari inter ſe ſpatio, ut prominerent, diſpoſitis. Additae ad propugnaculorum anguſtiam ſupplendam et majorem firmitatem turres ligneae, quibus tormenta, cum diſploderentur, contineri poſſent. Urbis Pleſcovienſis in Ruſſorum annalibus antiquiſſima mentio eſt circa annum ab orbe condito, ut ipſi numerant, VI milleſimum CCCCXII, quo Thorium filium Rurici principis Ruſſiae [h] Olgam ex civitate ea uxorem accepiſſe, ex qua Suentoſlaus filius natus ſit, memorant. Inde varia cum vicinis bella civitati fuerunt; ac maxime cum Icolis populis, quorum nomen cum imperio periit; cum Sudetibus item, in quibus hodie [i] Torpatum eſt, et cum Germanis Livonienſibus. Poſtea a Germanis captam urbem iidem annales tradunt, anno ab illo priore CCCXXXVIII; ab Alexandro Jaroſlai filio ex Monomachi ſtirpe haud multo poſt in libertatem aſſertam, qui profectus a Batti Tatarorum principe, ſuperatis Livonis, ex pacto urbem recepit: ab eo tempore florentem fuiſſe, et ſenatus amplitudine optimiſque legibus temperatam late ditionem ſuam ſparſiſſe; quippe ad quam magni [k] Luki et Isborcum, eorumque territorium pertineret; quas provincias per Palatinos ſenatus regebat: univerſis vero magiſtratibus principem finita cum poteſtare praefuiſſe, quem

oovo

INTERPR. [a] *Wejer.* [b] *de Braſlaw.* [c] *Czereka.* [d] *Bojars.* [e] *Roſnie.* [f] *lac de Peibas.* [g] *Novogrod.* [h] *Olga.* [i] *Derpt.* [k] *Luki & Isborc.*

novo et inaudito apud alios inſtituto e Ruſſiae ant Lithuaniae ducibus petebant: ſic enim Timotheum a Lithuanis, poſtquam ſacris Chriſtianis initiatus fuit, anno VI CIƆIƆCCLXXIV, ac filium ejus Davidem accepiſſe; dein ab Olgerdo filium ejus, qui ſacro lavacro ablutus Andreas dictus eſt: deinde cum Ruſſiae ducibus conveniſſe, ut eorum majeſtatem certis conditionibus colerent; principeſque, qui ſecundum patrias leges imperarent, deinceps accepiſſe: tandem anno VII milleſimo XVIII a Baſilio, Joannis, qui tunc regnabat, patre, libertate prorſus ſpoliatum; quo ille Pleſcoviam IX Kal. Febr. die Oximae ſacro venit; cui in rei bene geſtae memoriam poſtea templum conſecravit; et ad templa primaria deſcendens per epiſcopum [a] Columenſem urbem captam pronunciavit, eamque diripuit, ſenatum omnem majoremque nobilitatis partem in vincula conjecit, et, immiſſis novis coloniis, in Moſcoviam ſecum abduxit. Arci praeerat Baſilius, et fratris ejus Petri, ad [b] Ulam flumen olim a Nic. Radevilio caeſi, filius Joannes, [c] Suiſcii, e [d] Suſdalienſium ducum familia oriundi: Andreas item Cotoſcinius et Pleſcovius. Equitum in urbe VII CIƆ, peditum, iis connumeratis qui ex oppidanis militareis operas inter milites obibant, L CIƆ: urbanae multitudinis totidem hominum capita erant. Koſaci et, duce Nic. [e] Circaſſio, operam ſuam addixerant; qui ex inſtituto militiae ſuae per agros palanteis excipiebant, praediſque agendis inſidias ponebant: quos tamen Suiſcius convivio ex occaſione in urbem acceptos intra moenia continuit. His cognitis, et loco diligenter luſtrato, tantam urbem populis frequentem, tot militum numero et tanta apparatus bellici vi munitam, aggredi immenſae molis opus merito viſum eſt; adeo ut conatus primo poenituerit, et de oppugnatione aut [f] Novogardiam aut ad alia proxima caſtella transferenda cogitatum fuerit. Sed quia ad famam, quae de expeditione Pleſcovienſi ſparſa fuerat, atque adeo regis exiſtimationem pertinebat, ne frangi difficultatibus aut fortunae ſuae ac militum virtuti diffidere videretur, in propoſito perſequendae oppugnationis permanſum eſt: et ab orientali latere obſidio inſtituta, quo loco rex, [g] Cerecha tranſmiſſo, caſtra metatus eſt, quod ab ea parte frequentes colles aſſurgentes a tormentorum ictibus frontem tutarentur, et angulus, in quem urbs muris a parte illa coibat, majorem rei bene gerendae facultatem dare videretur. Eodem tempore Farensbekius copias, quas promiſerat, adduxit: ſed ii pauci erant, ex iis fere qui in Belgio militaverant, et quia Lubecenſes parum ſe comeis in delectu concedendo, ſive a Sueco perſuaſi, ſive Moſci offenſionem veriti, praeſtiterant. Reliqui tirones raptim ſcripti venerunt: et, duce Bartholomaeo [h] Budlero, copiae a Gothardo duce Curlandiae miſſae; et voluntarii quidam; ex [i] Boruſſia quidem, Fabiano [k] Donavo, qui poſtea auxiliarem exercitum in Galliam adduxit, ex [l] Quadis, [m] Redero ducibus. Pannonii ad laevam juxta Welicam, Lithuani in ſuperiore parte ad [n] Porcovienſem viam conſederunt. Medio inter hos ſpatio Poloni, triplici carrorum ordine circumjecto, ab utraque rivi illac labentis margine caſtra muniverunt. Germanis, quod inter utroſque relinquebatur, ſpatii attributum. Sub id tempus ab Amurate legatus, gravis aetate homo, in caſtra venit ex ea occaſione. Deuletes Chiercius, qui noviſſime Tataris Praecopienſibus imperitarat, plureis liberos reliquerat, ex quibus Mahometes, qui nunc apud illos rerum potitur, ei ſucceſſit: neque, metu an miſericordia incertum, fecit, quod inter barbaros ſecuritatis cauſa uſurpari ſolet, ut ceteri principum liberi e medio tollantur. Itaque fratrem [o] [1] Abdelem magni animi et magnae inter ſuos opinionis virum non ſolum non interfecit, ſed [p] Galgam, is eſt ſupremus inter Tataros

CIƆIƆLXXXI.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *de Kolum.* [b] *Ula.* [c] *Suiski.* [d] *de Suſdal.* [e] *de Circaſſie.* [f] *Novogrod.* [g] *Czereka.* [h] *Budler.* [i] *la Pruſſe.* [k] *le Baron de Dhona.* [l] *Sileſie.* [m] *Reder.* [n] *de Porchow.* [o] *Abdirchirai.* [p] *Galga.*

NOT. [1] *Lege* Abdelem Chieraium. Heidenſtenius l. 4. le nomme *Adleum Chiereium:* forte *Abdilchairum*; de quo in lib. 67. *Put.*

CIϽIϽLXXXI.
HENRICUS III.

Tataros magiſtratus et quaſi ſucceſſor deſignatus, creavit: quo a Perſis capto, et, ut ſupra diximus, conjuratione purpuratorum interfecto, eandem dignitatem in Halim alterum fratrem contulit, eumque ſpe ſucceſſionis ſibi devinxit. Sed inter haec, adulto jam filio Sadito, quem fratre praediligebat, cum eum ſucceſſorem in imperio relinquere cuperet, rejecto fratre, Galgam dixit; veritusque, ne injuria hac Halis cum Salomete juniore fratre irritatus contra ſe conſpiraret, ad paricidii crudelitatem, quam hactenus exhorruerat, neceſſitate adductus eſt; deque fratribus e medio tollendis cogitare coepit. At periculi metu territi illi profugiunt; et, cum diu exagitati in finibus oberraſſent, ex praedis hinc inde abactis victirantes, a Koſacis excepti ad Michaëlem [a] Wiſnovecium Circaſſienſem praefectum adducti fuerant, qui eos in adventum regis, ſicuti juſſus erat, ſervabat. Eos ex foedere tanquam perfugas repoſciturus venerat Turcicus legatus: cui reſponſum, quia nondum rex eos vidiſſet, ubi in Poloniam rediiſſet, cauſa cognita, quod aequius eſſet facturum. Ita dimiſſus legatus, poſtquam per exercitum, egregie in aciem instructis ubique copiis, traductus eſt. Quae omnia intentis et avidis oculis conſpicatus barbarus, et equitum ornatum equorumque praeſtantiam et univerſi exercitus ſpeciem admiratus, Faceret Deus, inquit, ut iſti principes, regem ac imperatorem ſuum deſignans, conjuncti inter ſe animis eſſent, ne orbis quidem terrarum viribus eorum par ad reſiſtendum foret. Inde progreſſis ad locum caſtris capiendum Pannoniis, eruptione a praeſidiariis facta, et mox intra urbem compulſis, certatum. Exinde vallum Pannonii contra Porchovienſem turrim juxta fluvium [b] Welicam, nec longo hinc intervallo Poloni ad [c] Suinienſem itidem turrim promovent, doliis vimineis prius locis idoneis juſto intervallo ſtatutis: quod exigua jactura et unius tantum Petri Kendii inſigni virtute juvenis morte conſtitit. Secundum haec verberantur omni ex parte muri; et Pannonii, quod ab eorum parte citius murus apertus eſſet, irrumpere conabantur: ſed, Samoſcio cenſente ſuſtinendam oppugnationem, dum e Polonorum quoque munitionibus aditus in murum pateficret, aliquandiu deliberatum; tandemque, cum ſententiam quiſque ſuam tueretur, ne mora interpoſita ſpatium ſui muniendi foſſaſque novas objiciendi hoſti daretur, decretum fuit, ut oppugnatio tentaretur. Igitur Samoſcius ad munitiones profectus Polonis Germanos adjungit. Pannoniis Bornemiſſa praeerat. Germani ante alios ire, eoſque Poloni ſequi juſſi. Cum Germani ad foſſam ſucceſſiſſent, Joanne [d] Garonna Gallo admodum ſtrenuo milite, qui primus progreſſus aditum tentaverat, caſu ab hoſte deturbato, ceteri, anguſtiorem ruinam rati quam ut per eam poſſent perrumpere, conferri ad foſſam conſtiterunt. Ad Poloni locum minime ſibi dari indignati per medios penetrant, et, hoſtibus turri lignea objecta dejectis, in turrim ipſi magno labore evadunt, principeſque [e] Wibranovius ac Sirneus in ſumma turri ſigna ſtatuunt. Idem a Pannoniis, ſigno a rege, qui ex altera ripa eventum opperiebatur, accepto, factum; ſignaque a Thoma Derceno et Matthia Kerekeſio in ſummo fixa; eorumque aemulatione Gabriel [f] Bekeſius equitem, cui praeerat, ſecum trahens et ipſe irruit. Jamque obſeſſi, ſuos a propugnaculis pulſos, ſigna diverſis locis fixa cernentes, fugam circumſpectare coeperant, cum, [g] Suiſcio paſſim equo ſaucio circumvolitante, et obvios precibus, minis ac verbis ad miſericordiam compoſitis hortante, inſuper epiſcopo urbis ſacra et ſimulacra circumgeſtante, dum ad foſſas intus objectas oppugnatores paulum ſubſiſtunt, collectis ex pavore animis, ſiſtuntur, primoque ſaxis et tormentis ſubjectos petere, mox et pulverem turri ſubjicere coeperunt. At ignem Poloni ferre non valentes, et ex [h] Welicano propugnaculo tranſverſa ſcloppetorum per latus verberatione infeſtati, tandem ſe recipere coacti ſunt: quibus cedentibus, omnis in Pannonios verſus impetus; qui, munitiones objectas ſuperari poſſe deſperantes, cum diu fortiter pugnando in veſtigio manſiſſent, jamque

INTERPR. [a] *Wiſnowecie.* [b] *Wielika.* [c] *de Suinie.* [d] *Garonne.* [e] *Wibranow.* [f] *Bekeſy.* [g] *Suiski.* [h] *de Wielika.*

jamque nox immineret, poſtremo ſe receperunt, ſuis prius,qui caeſi erant, ſublatis. De- CIƆIƆLXXXI.
ſiderati eo die ex nobilitate Polonica amplius XL; ex Pannoniis totidem, et in iis ipſo HENRICUS III.
Gabriele Bekeſio. Ex Moſcis et multi occiſi; et in iis Nic. Circaſſius Koſacorum ductor. Hac clade accepta, ut militi reficiendi ſe ex caſu adverſo ſpatium daret [a] Samoſcius, Georgium [b] Mniſcium [c] Sanocenſem praefectum, qui integer adhuc erat, cum ſuis excubias obire jubet. Inde mittuntur, qui militem et tormentarium pulverem undique conquirant, quod interceptis literis obſeſſos caſu concuſſos eſſe appareret, et, modo in obſidione haererent, loci potiundi ſpes eſſet. Interim conſultum viſum, ut caſtella circa urbem ad impediendam commeatus importationem muniantur: cuniculis etiam res acta, ſed exiguo profectu. Et, quia auxilia per [d] Pelbam et inde per Welicam ventura nunciatum eſſet, Samoſcius, navibus conquiſitis, continuas arbores uncis ferreis in ſingulas impactis, per eoſque catenis tranſmiſſis, ea qua erat flumen latitudine connectit; alias item a ſuperiore fluminis parte, qua venturus hoſtis erat, ſecundum adverſam ripam alligat; ita ut, cum hoſtiles naves tranſmiſiſſent, regreſſu ab ea parte intercluderentur: alias poſtremo ab inferiori parte urbem verſus objicit, ut, cum in eum locum perveniſſent, irretitis utrinque navibus in nullam partem effugium pateret. Ita Germani navibus impoſiti: univerſaeque rei praeficitur [e] Vrovecius. Nec ſucceſſu res caruit. Nam, cum hoſtes ſilenti nocte per Welicam ſubirent, in inſidias praecipitarunt; vixque poſt primum impetum in terram ſe ejiciunt, ubi palantes excepti et, albeſcente jam die, capti, ac CC circiter [f] Bojarici generis in caſtra adducti ſunt. Aliud et a [g] Torpato miſſum ſubſidium, quod mature, antequam in Germanos incidiſſet, ſe recepit: Nicolaus [h] Coſtovus aliud et terra in urbem introducendum ſuſceperat; iſque per avia et ſolitarias ſylvas incedens, ſuis per noctem dilapſis, qui de intercepto priore ſubſidio intellexerant, herbis per aliquot horas contectus latuit: tandem a Lithuanis animadverſus juxta [i] Suatohorenſem viam, cui nobiliſſimum coenobium imminet, ſub diei crepuſculum captus eſt. Daniel [k] Iſtenovius, qui primum agmen ducebat, evitatis iis locis in quibus ignes cernebantur, in urbem cum paucis evaſit. Caeſi et paulo poſt CL, qui, ducente Theodoro [l] Miſceddovo, incedebant; et capti circiter LX.

XIV. DUM Stephanus ad [m] Pleſcoviam anxia cura diſtineretur, non minus animi ob Suecorum in Livonia ſucceſſus diſcruciabatur. Joannes Sueciae rex, quantumvis ab eo monitus, ut a Livonia, quae juris Polonici eſſet, abſtineret, neque ex aliena victoria ſuam praedam faceret, exercitum in Livoniam miſerat. Primo [n] Weſenberga capta, Livoniae borealis oppidum, Suecis per glaciem Finlandici maris incedentibus: et arx a Ruſſis vitam et res, ~~quas aſportare~~ poſſent, ſalvas ~~pactis dedita IV~~ Non. Mart. Quorum exemplum ſecuti qui [o] Tolſeburgum tenebant, III a Weſenberga milliaribus, quatriduo poſt deditionem fecere. Recepta et de Ruſſis [p] Wichia, duce Carolo Henrici filio; quae regio XII milliaribus in longitudinem, X in latitudinem patet. [q] Loda et arx munitiſſima vix quatriduum obſeſſa celerius opinione a Suecis in poteſtatem redacta eſt XI Kal. Sextil. haud citra opinionem corrupti praefecti, qui ab eo tempore Suecis militavit. Poſtea [r] Wichelae arcis praeſidiarii, loco relicto et incenſo, Parnoviam ſe recipiunt. Inde Sueci [s] Lealam progrediuntur; quam candentibus injectis in portam globis capiunt, et arcem deditione ſui juris faciunt. Qui [t] Habſelenſem arcem Moſci tenebant, cum ſe initio gnaviter defendiſſent, pleriſque e Suecis occiſis, ad extremum, pulſato violenta verberatione loco, et omni auxiliorum ſpe praeciſa, V Eid. Quintil. eum dedunt. Poſtea Narvam ductus exercitus, duce [u] Pontio Gardio. Oppidum eſt ad Welicam ſitum, qui, poſtquam in Pelbam lacum influit, inde egreſſus Narva dictus, unde et oppido nomen, XXX circiter infra paſſuum CIƆ in mare exoneratur,

tanto

INTERPR. [a] *Zamoyski.* [b] *Mniski.* [c] *de Sanok.* [d] *lac de Peibas.* [e] *Vrovecz.* [f] *Bojars.* [g] *Dorpt.* [h] *Coſtow.* [i] *Suatobora.* [k] *Iſtenove.* [l] *Miſceddove.* [m] *Pleskow.* [n] *Weſenberg.* [o] *Tolsbourg.* [p] *Wikke.* [q] *Lode.* [r] *Wichela.* [s] *Leal.* [t] *Hapſel.* [u] *Pontus de la Gardie.*

CIↃIↃLXXXI
HENRICUS III.

tanto alveo, ut per eum maximae onerariae naves ad urbem commode appellant, eaedemque adverſo flumine Pleſcoviam uſque agi poſſint, niſi ſupra Pelbam Pleſcoviam verſus xx circiter cubitos altae cataractae curſum earum interciperent. [a] Narvae Livonicae ex adverſo aliam [b] Ivanogrodum de ſuo nomine appellatam in ulteriore ripa excitavit Joannes Moſcus, tam propinquo ab altera ſpatio, ut ponte utraque conjungi, ab altero in alterum locum telum adigi poſſet. Ex ea progreſſus cum alteram cepiſſet, in ea Germanorum et ultramarinarum ac aliarum occidentalium nationum emporium collocaverat, cum merces antea, dum Narva in Livonorum equitum poteſtate eſſet, Torpatum deferrentur. Ejus praeſidii majorem partem, ut et Torpati, ad Pleſcoviam, cui magis metuebat, revocaverat Moſcus: itaque exiguo negotio Narva citerior capitur, in quam tormenta ulterioris praeſidiarii tranſtulerant; quibus deſtituti illi, cum Sueci, jam citeriore capta, in ulteriorem tranſcenderent, duce Hieronymo [c] Cagnolo, qui cum aliquot Italorum manu Joanni Sueco militabat, ſtatim deditionem fecerunt. Eadem praeſidiariorum conſternatione [d] Jamorodum et Coporia vicina caſtella in poteſtatem ejus venere. In penitiore provincia per arces, quae a Moſcis tenebantur, arma circumferentibus [e] Weiſenſtenium caſtrum, alioqui natura et opere munitiſſimum, in deditionem acceptum. Mox et caſtra ad [f] Parnoviam admota. Auſpiciis Stephani eodem tempore recepta pleraque loca: a magno duce [g] Kirempeſium et Fabianum, ſubitario opere munitum, a Biringio [h] Pirchelium, a Thoma Embdano [i] Salium captum; a [k] Dembinio [l] Lenovardum et Aſcherotum, quae utraque Dunae fluvii ripae imminebant, peditatu a Rigenſibus, quibus gravis hoſtilis praeſidii vicinitas erat, accepto, et Scoto milite, qui in caſtra ibat, retento expugnata: admotiſque ad [m] Kokenhauſium caſtris eodem victoriae curſu locum capturus credebatur. Nec ceſſabat Nic. [n] Radivillius cum Philone Kimita et Tataris, duce Haraburda, in hoſticum miſſis; qui ultra [o] Totopeciam progreſſus ad [p] Salcſam ambiguo initio certamine conflixit, Bogdano [q] Ogniſcio et mox Gabriele [r] Holubecone rem fortiter gerentibus. Tandem fuſi Moſci, inſequentibus eos ad xv CIↃ paſſuum Holubecanis. Inde ad [ſ] Reſovam uſque pergit Radivillius: caſtriſque ad [t] Wolgam poſitis, [u] Halimbecum cum Tataris, quos penes ſe habebat, verſus [w] Sturiciam, quo Joannes ipſe Ruſſorum princeps eventum Pleſcoviae opperiturus venerat, per flumen contendere, et populationibus ac incendiis late ſparſis Polonici nominis terrorem paſſim circumferre juſſerat; quorum aliqui ad Ocomeciam a Moſcis intercepti ſunt. Poſtea Daniele Murſa, ex iis qui Moſci menſae miniſtrant, ad Radivillium transfugiente, et de exiguo hominum numero, quos princeps circa ſe tunc Sturiciae habebat, eum edocente, iis tamen viribus, quibus potentiſſimi principis vitam ac ſalutem ſeptam eſſe credi debebat, minime ſe parem ratus, Dunam, indeque [x] Dubdam magnis itineris difficultatibus conflictatus ſe recepit: fruſtraque inter eundum tentata Toropecia, quam commeatus penuria laborare falſo intellexerat, [y] Chelmam recta et inde [z] priſcam Ruſſam verſus contendit. Pugnatum et ad [aa] Opocam a Koſacis, quos contra Novogardiam oppoſitos initio obſidionis fuiſſe diximus. Ex iis aliquot a Tataris, qui Moſco militabant, intercepti. Rurſus Radevillio in caſtra reduce, regii Tatari Moſcos reprimunt, et [bb] Obatinſcium atque aliquot [cc] Bojarici generis capiunt.

XV. ANT. Poſſevinus tunc e Moſcovia ad regem venit; et Moſcum obfirmato ad id animo eſſe dicit, ut nullas conditiones, praeter eas quas [dd] Polotiae propoſuerit, admittere velit: ſic enim judicare, propter hyemis ſaevitiem, quae illis locis intenſiſſima eſſe ſolet, militem in hyberna mox diſtributum iri; regem ipſum ſuperiorum temporum

INTERPR. [a] *Nerva.* [b] *Iwanogrod.* [c] *Cagnolo.* [d] *Jammabrat & Coperio.* [e] *Weiſſenſtein.* [f] *Pernau.* [g] *Kiremps, & Fabiano* ou *Falkenaw.* [h] *Pirckel.* [i] *Salis.* [k] *Debinski.* [l] *Lenewart & Aſcherod.* [m] *Kockenhaus.* [n] *de Radzivil.* [o] *Torepecz.* [p] *Saleſa.* [q] *Ogniski.* [r] *Holubeckon.* [ſ] *Reſowa.* [t] *Wolga.* [u] *Halimbeck.* [w] *Sturicie.* [x] *Dubda.* [y] *Chelm.* [z] *Stara Ruſſa.* [aa] *Opolska.* [bb] *Opatinski.* [cc] *Bojars.* [dd] *Polotzk.*

temporum conſuetudine ad comitia obeunda in regnum reverſurum: interim urbem CIƆIƆLXXXI.
obſidione, ſe metu ſolutum iri; aliamque quamvis poſtea protinus belli ſuſtinendi ra- HENRICUS III.
tionem reperturum. Sed contra rex, exercitum ſe prius ab urbe minime deportaturum,
quam vel ea potitus eſſet, vel Livonia univerſa Moſcus exceſſiſſet, et obfirmato ſe ad
eam rem animo contra hyemis et frigoris vel mortiferam vim perduraturum, oſtende-
bat. Poſſevinus, cum haec audiret, tempus, quo in Moſcoviam ſcriberet, et legatos de
pace mitti peteret, flagitavit, et impetravit: literiſque ſuis quid reſponſi a rege tuliſſet,
et quam ſpe ſua fallerentur Moſci, multis verbis oſtendit; Moſcumque, ut ſerio ad
pacem animum applicaret, in eamque rem legatos ad locum, qui commodus ipſi vide-
retur, mitteret, hortatur: nam a rege impetraſſe, ut cum ſuis legatis de pace agi poſſit.
Acceptis Poſſevini literis, Moſcus confeſtim nuncium remittit cum tabellario ſuo et
literis ad Poſſevinum; quibus [a] Sapoliam, pagum xc paſſuum cIↃ a Pleſcovia, in diplo-
matum uſus, quae iter facientibus in Moſcovia dari ſolent, conſtitutum, ad conventum
delegit: eoque quam primum legatos ſe miſſurum recipit; quibus publicis literis caveri
petit. Locus a rege accipitur; ad idque fidei publicae literae mittuntur, dum interim
miles in Pleſcoviae obſidione haerens, ingruente jam hyeme, frigoris incommodita-
tibus varie conflictaretur. Nec deerant, qui odio expeditionis aliquid de Livonia re-
mittendum cenſerent, ut pax haberetur; et Poſſevinum, ut partes ſuas interponeret,
regemque ad aequiores conditiones nomine pontificis inflecteret, hortarentur. Et quia
ſciebat, regem et [b] Samoſcium in primis, cujus conſilio fere utebatur, maxime alienos
eſſe, etiam inſtabat, ut ſenatores coram Poſſevino ſententias dicerent: quod maxime
regem pupugit, ſe cogi indigne ſupra quam dici poteſt ferentem; ſparſis inſuper ru-
moribus irritatum, quaſi Livoniam in Hungaros et fratrum filios dividere in animo
haberet, et, ex qua nullus ad rempublicam fructus perventurus eſſet, ad eam ſubju-
gandam vitam et ſanguinem Polonorum in diſcrimen adduceret. His maxime ſe op-
ponebat Samoſcius; et nobilitatem voluntariam obteſtatus, quae jam miſſionem pe-
tierat, ne diſceſſu ſuo exploratae victoriae aut honeſtae pacis fructum corrumperet, ro-
gabat; publiceque oſtendebat, ad omnia prius ſe deſcenſurum quam infecta re, aut
non tali pace, qualem rex proximis comitiis promiſiſſet, inde diſcederet: ut vero Poſ-
ſevinus in ſenatum vocaretur, contra morem majorum fieri, qui alteri cuiquam ex-
tero jus in negotiis publicis aut auctoritatem aliquam tribuere nunquam tutum exiſti-
maverunt. Habito ſuper his concilio, duae manendi rationes omnino proponebantur,
ut aut ex caſtris jam munitis obſidio urgeretur, aut caſtellis circum exſtructis urbs ad
deditionem inopia commeatus adigeretur. Utramque hyemis ſaevitia refutabat; quae
nec ſub pellibus militem diutius in caſtris verſari, nec ſolo frigoris duritie aſtricto opus
ligneis patiebatur. Itaque et confectus a Lithuanis porrectuſque regi libellus ſupplex;
quo ad incommoda hybernorum vitanda, ut miles in hoſtico haberetur, petebant; et
regi diem praefiniebant, intra quem, niſi pax fieret, liberum eſſet domum concedere.
Quae publice cum fierent et dicerentur, Moſcum latere minime poterant; magnam-
que ad res ſeu vi ſeu conditionibus tranſigendas moram afferebant. Nec parva ob
id invidia flagrare ſe ignorabat Samoſcius, nuper ad ſummum militiae magiſtratum
haud ſine occulto procerum livore evectus; cui tamen poſt eum adeptum ſe parem
praebuit, quanquam id initio potius gratiae quam meritis ejus datum a rege obnoxio
videretur. Sciebat, quam incommodi de ſe ſermones ferrentur; hominem a puero
literarum ſtudiis deditum, atque in Italiae gymnaſiis veluti educatum, viraeque ex
muneris neceſſitate togatae potius quam militari innutritum, conſiliis ſuis atque ob-
ſtinatione univerſum exercitum perditurum, legatum eum in hoſtico relicturum, ip-
ſum extra belli periculum et immanis tempeſtatis incommoda ad comitia cum rege in
Poloniam

INTERPR. [a] *Sapolia.* [b] *Zamoyski.*

CIↃIↃLXXXI. HENRICUS III.

Poloniam rediturum. Hic ille eſt, qui ante octennium, pro ratione officii, quippe regni cancellarius, unus ex legatis, qui regni Poloniae Henrico [a] Andium tunc duci honorifice adeo ab ordinibus delati diploma in Galliam attulerunt; ipſumque Henricum publica ceremonia regem Lutetiae Pariſiorum renunciavit, magnam cum eruditionis ac eloquentiae tum prudentiae et ingenii, non [b] Sarmariae rigorem, ſed Italici coeli clementiam referentis, et habitu motuque corporis Gallicos mores exprimentis, laudem adeptus; ad quem et tunc de legatione illa librum ſcripſit Fr. Balduinus juriſconſultus; quo illum tanquam librorum de ſenatu Romano auctorem [α] laudat, ut ſupra [β] demonſtravimus. Rex conventus nobilitatis indixerat, ne, ſi comitia indicerentur, aut exercitum reducere aut ab obſidione diſcedere cogeretur; et nihilominus, ſi impetrari non poſſet, ut nobilitatis conventibus ordines contenti non eſſent, in omneis caſus literas, quibus comitia indiceret, miſerat. Quod cum turſus aſtu Samoſcii fieri proceres interpretarentur, qui regis in caſtris praeſentia praefractis conſiliis auctoritatem aſtruere vellet, eo majore in eum invidia bacchati ſunt, ſparſis etiam carminibus, quibus ei vita in ſcholaſtico pulvere, non in ſudore militari acta exprobrabatur. Augebat invidiam diſciplinae militaris tuendae ſtudium; quam ſevere admodum, ut auctoritatem ſibi conciliaret, a milite exigebar Samoſcius; et ab iis ipſis, quorum, quod illuſtrior fortuna eſſet, peccata etiam et peccatorum ad deterrendos alios poenas illuſtriores eſſe dicebat. Quos rumores ille, ſive charitate patriae, ſive prudentia, ne in ſupremi magiſtratus ingreſſu impotentis animi putaretur, ſi ſub publica perſona privatas injurias ulciſci vellet, generoſe contempſit, et publicae ſaluti poſthabere credi voluit; interim factis, non verbis, ut calumnias ab aemulorum malevolentia profectas revinceret, ~~operam dabat. Itaque cum veteranum militem~~, qui ad [c] Gedanum fuerat, de ſtipendiis debitis certus agitare comperiſſet, edixit mox, qui privatas coitiones feciſſent, contra diſciplinam et imperium militare feciſſe judicaturum, legeque in eos animadverſurum; quod ſi quid de commodis ſuis agendum exiſtimarent, vel ſe appellarent, vel coram ſe de iis agerent. Cum igitur illi ad tentorium ſuum conveniſſent, de anguſtia aerarii multa praefatus, ut amori patriae ac reipublicae decori hanc incommoditatem condonarent, rogavit; et, ſe non legatum ad exercitum, ſicuti ab invidis jactabatur, relicturum, ſed ipſum toto obſidionis tempore remanſurum pronunciavit. Cum moneretur ab amicis, videret quam rem ſuſciperet, cum periculi plenam, tum quae, ſi ſecus caderet, magna cum invidia ejus ſuperiorum rerum gloriam omnem eſſet obſcuratura, iis unum id reſpondebat, ſic exiſtimare, bonum imperatorem ac patriae amantem civem publicae potius dignitati quam privatae ſtudere debere: ac, ſi re infecta diſcedendum ſit, ut res commodius in publicum cedant, ad ſe peccati ejus opinionem, quam in regem ac rempublicam univerſam, malle recidere. Refectae interim a praeſidiario milite ruinae, ac novum munimentum extructum, tormentis grandioribus impoſitis, ut, cum quaedam LXX et XXC pondo globos jacularentur, trium terra repletarum corbium, ut ex ordine poſitae erant, ſeriem uno ictu penetrarent.

Hungari

VAR. LECT. [α] laudat; quem Caroli Sigonii eſſe ex ipſo Sigonio, cum Bononiae eſſem, poſtea didici, ſicuti ſuo loco dictum eſt. *MS. Samm.*

[β] demonſtravimus. Et vero, ut ad proprii nominis celebritatem tunc aliena induſtria uti voluit, ſic ut alieno nomine poſtea in propriis laudibus publicandis uſus ſit, ſubdubito. Nam libri de Moſcovitico hoc bello, qui nomine Reinoldi Heidenſteinii ſecretarii regii circumferuntur, elegantiſſime et accuratiſſime ſcripti, niſi judicii fallor, aut ab ipſo Samoſcio ſcripti ſunt, aut potius ab homine latine ſcribendi peritiſſimo, qui eos, vel ipſo Samoſcio dictante, aut ſaltem ex ipſius commentariis, exſcripſerit. Rex conventus *D. ſ. d. Ita MS. Samm. niſi quod poſt* ſecretarii regii *addit* qui homo nobis ignotus eſt, *et poſt verbum* exſcripſerit, *ſtatim ſubjicit*, Iſque, ſi divinare licet, fuit Jo. Michael Brutus Venetus; qui diu apud nos magna in anguſtia obſcure vixit: quem cum Samoſcius olim in Italia, et poſtea dum Lutetiae eſſet, cognoviſſet, Stephano, in regem electo, auctor fuit, ut eum cum tota familia e Gallia revocaret, ejuſque opera in ſcribendis epiſtolis ac rerum ſuarum hiſtoria ad poſteros tradenda uteretur. Quo in eadem, qua vixerat, anguſtia ſeu potius egeſtate in Polonia deinde mortuo, et nemine de hominis externi gloria ſolicito, facile fuit Samoſcio, ſub cujus voluit nomine, libros propriae gloriae ſcriptos evulgare. Rex conventus &c.

INTERPR. [a] *Anjou.* [b] *Pologne.* [c] *Dantzick.*

Hungari nihilominus et Poloni vallum ſervaverunt, cum obſeſſi et oppugnatores varia artificioſorum ignium peſte et aliis inſtrumentis bellicis hinc inde mutuo ſe infeſtarent, nullo alio praeterea profectu. Tandem, oppugnationis conſilio omiſſo, ad vicina loca vis converſa. Ac primum tentatum monaſterium, quod xxx paſſuum CIↃ a Pleſcovia abeſt, in via qua Livoniam et Rigam itur, cui [a] Pezzurae nomen, quaſi ſepulchretum dicas, magna veneratione a Moſcis B. Virgini, cujus eo in loco enatam ex arbore effigiem repertam colunt, conſecratum, magniſque proventibus de Novogroda Livonica detractis locupletatum. Huic praeſidium validum impoſitum erat, a quo pabulatores Poloni frequentibus incurſionibus infeſtabantur. Eo miſſus Farensbekius; qui ſecundo in itinere commiſſo cum hoſtibus proelio invitatus rem ſuſcipit: et, aperta turri, cum Willelmus [b] Ketlerus [c] Curlandiae ducis fratris filius, Gaſpar et [d] Reinoldus [e] Tiſenhauſi ſcalis admotis irruiſſent, fractis ſcalis in imum demiſſi, neque ſuccurrentibus ſociis, capti ſunt. Quo cognito, rex ad Germanicas copias Pannonios IↃ adjungit, duce ipſo Bornemiſſa, et majora tormenta aliquot, quorum diſploſione diruta muri parte, Thomas Solandius manu aliqua calonum et Koſacorum Polonorum averſam a Germanorum et Pannoniorum munitionibus turrim, ubi hoſtem diſtinerent, ſcalis admotis petit, itidem, ut alii, cum damno repulſus. Magna omnino res confuſione adminiſtrabatur, ex quo ſummus militiae dux Samoſcius creatus fuerat, non culpa ipſius, ſed invidia aemulorum, qui occaſiones a caſtris diſcedendi alii aliam quaerebant, ita ut nuſquam conjunctis viribus in ullum conatum incubitum ſit: quo fiebat, ut, dum ſinguli per ſe rem gerunt, interim defenſoribus vires ſuas omnes conjungendi facultas daretur, et oppugnatorum impetus imminueretur. Demum hoc exemplo patuit, in levioribus munitionibus haud minus ſaepe negligentia, quam in firmiſſimis difficultate offendi; quod in his magnitudo periculi, ac ex eo natus metus virtutem plerumque acuat; contra in illis exiguitas periculi fere curam animi ac contentionem remittat. CIↃIↃLXXXI. HENRICUS III.

XVI. ANTEQUAM rex ad comitia proficiſceretur, nam de conventibus nobilitatis ſuit irritus conatus, legatos, qui de pace agant, nominavit Januſium [f] Sbaraſium Palatinum Braſlavienſem, qui pro Poloniae regno, Albertum [g] Radivillium palatii Lithuanici tribunum, qui pro Lithuaniae principatu intereſſent. His adjunxit Michaëlem Haraburdam rerum Moſcicarum peritiſſimum, qui ſcribae munere deſungeretur, pacis conſtituendae arbitrio Samoſcio commiſſo, qui regis vices obiret. Rex cum voluntariis et omni aulico comitatu, ~~relicto in caſtris~~ Baltazare Andreae fratris filio, tranſmiſſo ad [h] Duneburgum [i] Duna, Vilnam venit. Cum Samoſcio Polonicus ſtipendiarius miles remanſit, tam is, qui jam ab initio cum eo ad Pleſcoviam acceſſerat, quam is, qui a [k] Sturicienſi excurſione cum Radivillio nuper in caſtra reverterat; nulli praeterea. Is vero per abſentiam regis, ne quid negligentia in ſolutiore diſciplina peccaretur, eo ſibi diligentius enitendum videbat, quod aemulorum in ſe oculos intentos ſciebat, et, ſi quid peccatum eſſet, non haberet cujus auctoritate ſe tueretur, aut in quem rejecta culpa ſe excuſare poſſet. Primum ex praefectis ſex delegit, cum quibus de ſecretioribus negotiis capita conferret. Ii erant, ſenatorii ordinis Joannes [l] Tarnovius et Stephanus [m] Grudſcinſcius; ex equeſtri Erneſtus [n] Weierus, Martinus [o] Caſanovius, Joannes [p] Leſnovolſcius et Sigiſmundus [q] Roſnius. Cognito autem ex captivis, quid hominum, quid commeatus in urbe eſſet, ſic rationem inibat Samoſcius; ſi ſubvectio commeatus in urbem impediretur, intra Maium proximum obſeſſos fame victos ad deditionem neceſſario compulſum iri: interim, captis circum caſtellis, militem contineri et ab aſperitate frigoris defendi poſſe. Igitur diſpoſitis

insidiis

INTERPR. [a] *Petzuri.* [b] *Ketler.* [c] *de Courlande.* [d] *Reinold.* [e] *Tiſenhauſen.* [f] *Sbaras, Palatin de Braſlaw.* [g] *de Radziwil, mareſchal de Lithuanie.* [h] *Duneburg.* [i] *la Dwina.* [k] *Sturicie.* [l] *de Tarnow.* [m] *Grudzinski.* [n] *Weier.* [o] *Caſenove.* [p] *Leſnevolski.* [q] *Roſnie.*

CIƆIƆLXXXI.
HENRICUS III.

inſidiis aliquoties pugnatum, dum obſeſſi pabulatum exeunt, deteriore ipſorum ſemper conditione. Tandem legati a Moſco Demetrius Petri filius, Ilecius, Romanus Olfironius, proque ſcriba Nic. [a] Baſſorekus venere; quibus obviam profecto Poſſevino, Poloni legati mox ſubſecuti ſunt. Initioque actioni facto, primum de Sueco pace comprehendendo actum; cui licet merito ſuccenſeret rex, quod, ipſo contra communem hoſtem occupato, per Livoniam, quantumvis rogatus ut ab ea abſtineret, arma circumtuliſſet, tamen uxoris precibus exoratus, quae ſoror Sueci uxoris erat, ut comprehenderetur aſſenſerat. In mandatis habebant Moſci, ſicuti ex transfuga cognitum eſt, ut, ſi Pleſcovia deductus eſſet exercitus, occaſione quaeſita, colloquium abrumperent; ſin minus de pace ſerio agerent; his autem conditionibus hanc poſtremo concluderent; ut, ſi rex [b] Lukos et cetera hoc bello capta reſtitueret, praeter [c] Weliſium et univerſam ditionem [d] Polotienſem univerſa quoque Livonia ei cederent. Itaque cum viderent legati, regem quidem diſceſſiſſe, ceterum obſidionem adhuc urgeri, quia tamen muſſare multos intellexerant; et ob frigoris ſaevitiam tandem obſidionem relictum iri ſibi perſuaſerant, moras nectebant, et de leviſſimis rebus tempus, ut ad principem ſuum ſcriberent, petebant. Interim ex captivis, a [e] Spitcone Jordano viro ſtrenuo et [f] Derſavienſi pugna claro oppreſſis, de Joannis majoris natu principis filii morte cognitum eſt. Eum, cum patri, opum magnitudinem ac theſauros oſtentanti, virtutem potiorem theſauris eſſe reſpondiſſet, qua qui praeditus eſſet, aurum poſſidentem imperio exuere poſſet, ſive quod obſtinatius a patre, ut cum hoſte dimicaret, efflagitaſſet, ſcipione in capite ab ipſo parente percuſſum, in epilepticos dolores incidiſſe, moxque ex iis deceſſiſſe captivi narrabant; eo majore ipſius luctu, quod, licet alterum Theodorum nomine filium haberet, tamen is mentis vitio ad regnum aut res alias inutilis haberetur.

XVII. Jamque tempus exeunte anno venerat, quo intenſiſſima iis in locis frigora eſſe vulgari apud Moſcos ſermone oſtenditur, qui Nicolai et Chriſti frigora appellant, cum maxima deſignare volunt. Moſcovia quippe cum omnis ſub ipſis fere trionibus poſita ſit, nullibi in ea, quam in Pleſcovienſi agro, frigora vehementiora ſunt. Itaque animalia, quae aliis in locis nigro aut fuſco ſunt colore, ut corvi, gallinae ſilveſtres, perdices, lagopodes, urſi, lepores, aliaque id generis, ſeu coeli natura ſive frigoris vi candida ibi conſpiciuntur. Noctium vero tanta longitudo eſt, cum longiſſimae ſunt, ut diei ſpatium non amplius quam v horarum ſit; quo fiebat, ut excubiae difficilius nec niſi cum mortis periculo plerumque obirentur. Tanta quippe ejus vis erat, ut, ubi quis extra tabernaculum pedem extuliſſet, omnibus fere membris, atque iis maxime quae aëri patebant, naribus, auribus, ac facie tota gelu aſtrictus obtorpeſceret, deiu febri ſuperveniente emoreretur. Quod autem de illius coeli natura cum miraculo nonnulli prodiderunt, ut aquae ipſae, dum funduntur, congelentur, id experimento multis conſtitit. Itaque, cum excubiae exterius initio agerentur, pleriſque membra emoriebantur. Cujus rei exemplum ab eo, qui hanc hiſtoriam ſcripſit, memorabile proditur, de equite quodam turmae Roſnianae, cui cum utrumque crus plane jam frigore emortuum eſſet, iſque inde in febrim, quam mentis alienatio ſecuta erat, incidiſſet, medicus ferro crura reſecuit, adeo nullo ſenſu, ut, poſtquam ad ſe rediit, non ſecus ac ſi aliquam ornatus partem requireret, de pedibus amiſſis aſtanteis interrogare coeperit. Cui incommodo hoc remedium pro tempore attulit Samoſcius. Quaternis vicibus excubias ſingulis noctibus permutabat, et paucos extra emittebat, atque ex eo numero fere, qui non hoſti reſiſtere ſed eruptionis hoſtium ſuos commonefacere poſſent; ceteros in armis paratos ab injuria aëris adeo infeſti defenſos ſub tentotiis tenebat.

XVIII. Pertinet et ad res Polonicas collatio doctrinae inter Hieremiam patriarcham Conſtantinopolitanum et ſcholae Tubingenſis theologos, diu ante habita, hoc anno evulgata,

INTERPR. [a] *Baſſorek.* [b] *Luki.* [c] *Weliſch.* [d] *de Poloczk.* [e] *Spitcon.* [f] *De Derſew.*

evulgata, et poſtea variis ſcriptis agitata. Ante octennium Jacobus[a] Andreanus ec- CIↃIↃLXXXI.
cleſiae[b] Tubingenſis praepoſitus et academiae cancellarius, hos enim titulos ſibi ſumit, HENRICUS III.
et Martinus Cruſius linguae Graecae Latinaeque in ea profeſſor, confeſſionis Auguſtanae praecipua capita, in Graecam linguam pridem a Paulo Dolſcio[c] Plavenſi verſa, ad Hieremiam patriarcham Conſtantinopolitanum tranſmiſerant, eo conſilio, ſicuti poſtea ſcripſerunt, ut, quia Lutheranos toto oriente quaſi ſectarios exagitari intellexerant, ab infamia, qua invidioſe onerabantur, ſe purgarent, et, ut eorum verbis utar, lucernam verbi Divini minime ſub modium abſconderent, ſed ſupra candelabrum collocarent. Ad eam benigne et humaniſſime a patriarcha primo reſponſum die xv Maii an. CIↃIↃLXXVI; interim modeſte impugnatis, quae receptae in eccleſia Graeca doctrinae adverſabantur. Quo accepto, Lucas Oſiander Andreani nomine et M. Cruſius novum ſcriptum mittunt Kal. Octobribus anni ſequentis; compendium ſcilicet theologiae Jacobi[d] Herbrandi, a Cruſio in linguam Graecam converſum; in quo praecipue de regula in Sacrae Scripturae interpretatione tenenda et Sancti Spiritus proceſſione agitur. Ad illud denuo a patriarcha reſponſum anno CIↃIↃLXXIX: cui rurſus a Wirtembergenſibus tertium ſcriptum oppoſitum eſt anno ſequenti, die Sancti Joannis Baptiſtae, et Conſtantinopolim tranſmiſſum. Ad quod cum reſpondiſſet Hieremias VI Junii, Wirtembergenſes poſtremo diſceptationem officioſa gratiarum actione clauſerunt. Ejus acta pro tempore a Wirtembergenſibus ſuppreſſa; partim, ſicuti ipſi poſtea retulerunt, ut patriarchae parcerent, quem tunc in ſummo diſcrimine, quippe qui dignitate ad tempus motus fuerit, verſari intellexerant; partim, quod nullam ex editione illius utilitatem ad eccleſiam Dei redundaturam exiſtimarent. At Staniſlaus[e] Socolovius, regis Poloniae theologus, cum de ea reſciviſſet, per archimandritam quendam, quem Leopoli Ruſſiae Polonicae metropoli nactus fuerat, magnopere ab ipſo contendit, ut, quam primum domum reverſus eſſet, collationis acta ad ſe tranſmitteret: quod et ille haud ſegniter fecit. Igitur ea ubi accepit Socolovius in linguam Latinam vertit, et cenſurae orientalis eccleſiae titulo cum annotationibus ſuis hoc anno publicavit, atque Gregorio XIII pontifici maximo inſcripſit; ut oſtenderet, Wirtembergenſeis et eandem cum illis confeſſionem amplectenteis, cum nullum ſibi in eccleſia Catholica uſquam in occidente locum relictum viderent, ad antiſtites orientaleis confugiſſe; quod olim Pelagianis objecit B. Auguſtinus; et nihilominus magnam in ipſorum doctrina diſcrepantiam a ſua reperiſſe. Quod cum cognoviſſent Wirtembergenſes, eadem Graece et Latine Witembergae edenda triennio poſt curarunt, cum ~~praefatione; adverſus quam anno~~ poſt Jo. Bapt. Fiklerus J. U. conſultus Spongiam ſcripſit; et ipſe Socolovius reſpondit, et ſententiam definitivam Hieremiae patriarchae adjecit, cum antidoto ultimae reſponſionis Wirtembergenſium ad cenſuram patriarchae de articulis confeſſionis Auguſtanae. Sociam operam et commodavit Jacobus[f] Gorſcius animadverſione in id edita, cui Cruſio nomen fecit.

XIX. DUM Stephanus contra Moſcos feliciter pugnaret, diverſa Europae parte Philippus Hiſpaniarum rex pari felicitate Luſitaniae res adminiſtrabat. Jamque propinquabat tempus, quo[g] Tomaram ad[h] curiarum procuratores audiendos profecturus erat: ſed in itinere Catharinam Bracantini ducis uxorem, cujus praecipuum in regni Luſitaniae ſucceſſione jus fuiſſe ſupra demonſtravimus, officioſe inviſere voluit. Illa Vicioſa-villa Boinum venerat; ubi cum ea Philippus totum diem fuit, et familiare colloquium per horas complureis habuit. Miſſus et Philippus[i] Cordubenſis Arragonius, qui nomine regis[k] Bracantinum ejus maritum ſalutaret. Inde rex[l] Elvam reverſus Tomaram verſus iter intendit. Magna erat expectatio novi principis adventus.

Heic

INTERPR. [a] *Andreas.* [b] *de Tubingue.* [c] *de Plauwen.* [d] *Herbrand.* [e] *Sokolowski.* [f] *Gorski.* [g] *Tomar.* [h] *procuradores de las Cortes.* [i] *de Cordoua y Arragon.* [k] *le duc de Bragance.* [l] *Elvas.*

CIƆIƆLXXXI. HENRICUS III.

Heic Philippus vultu ſereno eunctos cxeipere, comiret affari, ad poſtulata benigne reſpondere, ut nihil in verbis et externa ſpecie ad ſummam bumanitatem et benevolentiae ſignificationem reliqui faceret. Verum in concedendis gratiis, beneficiis ac praemiis, quae promiſcue petebantur, lente admodum res procedebat, regis facto an miniſtrorum culpa petentiumve mutuo ſe concurſu impedientium importuna feſtinarione, incertum. Tantum Bracantino comitis ſtabuli dignitas hereditaria confirmata, et velleris aurei inſigne datum. Ipſe, dum ſacrum peragerctur, poſt cortinam juxta regem admittebatur, omni honoris non vulgaris ſpecie decoratus; nulla praeterea re, quae ad fortunarum ac potentiae amplificationem pertineret, cumulatus. Antequam conventus haberetur, jusjurandum a rege praeſtitum et acceptum eſt; eo majore, quam nuper Henrico rege, pompa et minore ſtrepitu, quod in conſeſſu euriarum, nec ſimili popularium affectu, res celebraretur. Id ritu ſolemni peractum, praeſentibus [a] Bracantino antiſtite, qui in Luſitania Hiſpaniarum primas habetur, [b] Oliſſiponenſi et Eborenſi archiepiſcopis, [c] Conimbricenſi, Portalegrenſi et Leirienſi epiſcopis, ac regni proceribus, praeeunte in verba Michaële Mora, qui erat Ordinibus ab epiſtolis. Philippus tacta eruce juravit. Poſtea recirata juramenti Ordinum a Mora formula. Tum Bracantinus, et Theodoſius [d] Barcelli dux ejus filius, ac proceres, dein ſacerdotes, et civitatum ſyndici, tactis ſacroſanctis Evangeliis, in Philippi fidem adacti ſunt. Philippus ipſe per ſe ſpecie oris venerandus, compoſito ad humanitatem vultu, ita ut ex Caſtellenſi mores Luſitanos induiſſe videretur, pallio inaurato conſpiciendus, magnaque nobilium undique confluentium corona cinctus, inſolitam actioni dignitatem conciliabat. Ibi praeteritorum gratia tam diu expetita tandem promulgata fuit: ſed expectationi minime exitus reſpondit; cum non ſolum Antonius [e] Prior, Franciſcus [f] Portugallus Vimioſi comes, et Joannes [g] Gardae epiſcopus Vimioſi frater, cum L aliis factionis contrariae principibus, ſed etiam cuncti monaſticam vitam profeſſi, ab ea excluderentur, et ceteri, qui Antonii partes ſecuti eſſent, in poſterum publicorum munerum adminiſtratione indigni haberentur. Id cum multos meriro irritaſſet, qui praeteritorum memoriam ſepultam cupiebant, et ſperaverant, tamen poſt crebro repetitas deprecationes nihil impetrari potuit: continuoque, qui a gratia excipiebantur, edictis citati; et ſevere admodum in eos inquiri coeptum. Actioni non interfuerunt Caſtellenſes, ab ea, ut gratum faceret Luſitanis, a Philippo excluſi. Quod ut illi patientius ferrent, Albertus cardinalis, quem Philippus ſecum adduxerat et poſtea regno praefecit, ab ea abeſſe, et cum Caſtellenſibus proceribus publico abſtinere juſſus eſt.

XX. DEMUM XIII Kal. Maias initium comitiis factum; ubi Antonius [h] Pignerus Leirienſis epiſcopus coram Philippo pro conventus auctoritate verba fecit; cum Spiritus Sancti gratia in id inſtitutum, ut rex cum ſubditis ſuis de republica conſilia communicaret: laudabilem hunc morem Philippum ſecutum ab ipſis petere, ut ea, qua hactenus fecerunt, prudentia, erga principem ac patriam amore et fide, quae in commune profutura exiſtiment, ex animi ſententia proferant. Tum gratiam a rege factam multis verbis amplificat: eam clementiae et benignitatis regiae tantum primitias eſſe, quae de majoribus beneficiis deinceps conſequendis, et ipſorum fidei ac obedientiae reſponſuris, ſpem faciant. Ad haec Damianus [i] Aguiar, unus ex Oliſſiponae ſyndicis, urbis nomine gratias egit pro praeteritorum oblivione ſancita et curiarum convocatione. Tum poſtulata quaedam protulit levioris momenti; quae (ita ex compacto convenerat) ad plebis occupandam gratiam ſtatim rex conceſſit: nec non et omnia fere, quae Oſſunae dux regio nomine regni curatoribus promiſerat, rata habuit, exceptis iis, quae praeſidia, Americanam et occidentalis Indiae navigationem, et aequalem cum

Caſtellenſibus

INTERPR. [a] *de Braga.* [b] *de Lisbonne & Evora.* [c] *de Coimbra, Portalegre, & Leyria.* [d] *Barcellos.* [e] *Prior de Crato.* [f] *de Portugal, comte de Vimioſo.* [g] *la Guarda.* [h] *Pineyro.* [i] *de Aguier.*

Caſtellenſibus honorum participationem ſpectabant; de quibus ſpatium cum Caſtel- CIƆIƆLXXXI.
lenſibus agendi rex ſibi ſumpſit. Inſuper et aliud breviculum a ſyndicis porrectum HENRICUS III.
Philippo de uxore Luſitana ducenda, principe in Luſitania educando, ſeparandis Luſitaniae a Caſtellenſi ditione rebus, moneta peculiari in regno habenda, vectigalibus minuendis, praeſidiis tollendis, juris ordine conſtituendo: quae omnia aut rex omnino negavit, aut ambiguis reſponſis ad marginem appoſitis eluſit. Nobilium ordo XXX e ſuo numero delegaverat, qui meritis ſuis confiſi ampliſſima ſibi praemia deberi fingebant. Ii petebant plenam in ſubditos juriſdictionem; ut, qui magiſtratum geſſiſſent, non niſi nobilium cenſurae ſubjacerent; nullum rex niſi ob egregia merita nobilitatis praerogativa ornaret, quae ad heredes niſi ob eadem merita non tranſmitteretur; primariae dignitates et adminiſtrationes publicae ſolis nobilibus committerentur: quae omnia rurſus ut inſolentia rex negavit, fremente multum nobilitate. De ſchola Conimbricae abolenda cogitaſſe regem opinio fuit: idque juxta prudentem et cautum principem facturum plerique rebantur, quod periculoſum videretur, in novi regni auſpiciis, nondum conſtitutis rebus, IV CIƆ juvenum quaſi juriſdictione regia ſolutorum libere in urbe vagari, quorum effraenata libertate ſeditiones alioqui pacato regno cieri poſſent: nam veluti auctoratorum ad conjurationes contra rempublicam ſeminarium id fore: abolita vero illa academia id boni conſequi, ut juventus ad Caſtellenſium academias tranſire neceſſe habeat; et ita a teneris cum Caſtellenſibus conſueſcere, eorum mores imbuere, ac veteres ſimultates deponere paulatim diſcat. His accedebar, quod juriſconſulti in illa ſchola, dum initio Henricus cardinalis in Bracantini partes propenderet, ejus cauſam contra Philippum pertinaciter defenderant, detortis per falſas interpretationes, ut Philippici aiebant, non ſolum legibus imperialibus, ſed etiam ſacris canonibus; quae res inſigne caſtigationis exemplum mereri videbatur. His rationibus ipſi etiam Luſitani, qui Philippo favebant, inducti ſic cenſebant, nunquam quieturam Luſitaniam, ſi juventus literis operam dare ſub hujuſmodi doctoribus permitteretur. Contra tamen tenuit: et Philippus non ſolum academiae antiqua jura, privilegia ac libertates ſervavir; ſed eos, qui contra ipſum ſcripſerant, diſſimulata generoſe injutia, fovit, et praecipuo favore proſecutus eſt, confirmatis et auctis ſtipendiis. Pontifex, qui initio ſuas partes interponere voluerat, re confecta, cujus arbitrium et gratiam fruſtra ambiverat, oratorem ſuum miſit, qui felicem ſucceſſum Philippo gratularetur, excuſaretque quod belli internecini metu pro muneris ſui neceſſitate fecerat. Per eum pontifex, impetratis Jacobo Boncompagno filio naturali, quem principibus viris jam dignitate parem effecerat, et porro amplificatis honoribus cumulare non deſinebat, novis a rege titulis ac muneribus, viciſſim ei permiſit, ut per Georgium [a] Taidam olim Viſei epiſcopum de cauſis perduellium, adempto provocationis beneficio, cognoſceret. Itaque mox citati Antonius Crati Prior, et Gardae epiſcopus: et, cum minime comparerent, tanquam contumaces convicti, et dignitatibus ſacris privati ſunt. Miſſi et a ſenatu Veneto legati Hieronymus [b] Lipomanus et Vincentius [c] Tronus, qui Philippo felicia novi regni auſpicia gratularentur. Inde Philippus in inſulas Luſitanae ditionis in Atlantico mari proregis titulo Franciſcum [d] Maſcaregnam Eborenſem equitem mittit, in locum comitis [e] Toguiae nuper defuncti: quo mortuo, [f] Ferdinandus Tellus Silva provinciam ſumma fide ac prudentia, dum novus prorex adveniret, moderatus eſt.

XXI. ANTONIUS interim ubique veſtigabatur: nam adhuc in Luſitania latebat, tanta populatium ac ſuorum fide ſervatus, ut, quamvis magnis propoſitis praemiis, et per exploratores omnem operam Hieronymus Mendoza et Emmanuel [g] Portugallus Vimioſi patruus ad eum colloquio fallendum darent, nuſquam reperiri potuerit. Is

Vimioſum

INTERPR. [a] *de Tayde, evêque de Viſeo.* [b] *Lippomano.* [c] *Trono.* [d] *de Maſcarenhas d'Evora.* [e] *de la Teguia.* [f] *Hernando Tellez de Silva.* [g] *de Portugal.*

CIↃIↃLXXXI Vimioſum comitem in Galliam et Angliam praemiſerat, qui vicinorum principum
HENRICUS III. opem contra commnnem hoſtem implorarent. Miſerat et Emmanuelem Silvam [a] Turris-viridis comitem; qui [b] Andinum, cum jam [c] Cameracum veniſſet, convenit. Id male Philippum habebat; qui, quo majorem erga ſe Luſitanorum fidem experiebatur Antonius, tanto magis de novis in regno nnper parto motibus ſibi metuendum intelligebat. Itaque et praeſidia paſſim ſpargere et claſſem in Tagi aeſtuario tenere cogebatur, magna indigenarum offenſione et incommodo; qui, ſero errore cognito, cum ſe nndique a Caſtellenſibus quaſi obſeſſos viderent, mutuis ſe increpationibus incuſabant, quod non conjunctis animis et viribus aut ſe initio ſtrenue defendiſſent, aut pro libertate patriae honorificis conditionibus cum Philippo tranſegiſſent. Antonius fidei ſuorum confiſus omnia in urbe ad profectionem paraverat; neque eo venire dubitavit, quantumvis paulo ante Petrus [d] Alpoes juris peritus ob id [e] Oliſſiponae comprehenſus et rem in parte confeſſus extremo ſupplicio affectus fuiſſet. Cum is caſus ejus diſceſſum retardaſſet, poſtremo [f] Cetobrigam contendit; ubi, nave Batavica portus [g] Enchuſani, cujus navarchus erat Cornelius Ecmundanus, IↃC aureorum pretio conducta, cum Franciſcano quodam, Emmanuele Silva, Thoma [h] Cachiero, [i] Didaco Roiſio, Conſtantino [k] Britone, Didaco [l] Quareſma et paucis aliis fidis conſcenſa, [m] Caletum verſus curſum tenuit, cum ab Octobri anni ſuperioris, quo [n] Vianam reliquerat, ad Junium uſqne menſem impune in regno latuiſſet. Mulieris cujuſdam nomine Beatricis [o] Conſalvae, cujus frater Dominicus cum Antonio in Galliam profectus eſt, fide et aſtu id factum poſtea ſcriptis prodidit ipſe Antonius; cujus ob id effigiem, cum ſuga ſibi in tempore conſuluiſſet, patibulo affigi juſſit Philippus.

XXII. JAMQUE Curiae dimiſſae fuerant; et Philippus LXX dies [p] Tomarae commoratus [q] Santarenum venit, et [r] Almerinum palatio regali inſignem locum. Inde cum ad urbem venire feſtinaret, nondum tamen fauſti ingreſſus feſtis apparatibus confectis, Almadam in adverſa Tagi ripa deflexit, loco ad capiendum tantum comitatum valde incommodo: et tandem III Kal. Quintil. qui dies B. Petro ſacer eſt, conſcenſis triremibus, quas Alvarus [f] Baſſanus ſanctae crucis marchio adduxerat, ad pontem ligneum paratum exſcenſionem fecit, nondum conſummatis apparatibus; et ab Hectore [t] Pina magiſtratus camerae primario viro nomine univerſae civitatis ſalutatus eſt, habita oratione vanitatis ridiculae plena; qua orbis terrarum maximae civitari deberi potentiſſimum terrarum monarcham aiebat, excuſataque civium in obſequio deferendo tarditate ſeu ſegnitie, tandem, refricata Ferdinandi Pinae gentilis ſui ab Antonio interfecti, ut ſupra diximus, memoria, eam, ut regni principem, ſic primam pro fide Philippo debita ſanguinem fudiſſe conteſtabatur. Demum excuſata ob praeteritas calamitates apparatunm tenuitate, ad extremum ſubjiciebat, tantum ſibi Luſitanos de Philippi benignitate polliceri, ut non hoc regnum deinceps Caſtellenſi unitum, ſed cetera ipſius regna cum Portugallenſi confuſa cenſeantur. Inde ſub uraniſco magna pompa ad primariam aedem deductus, cum precibus ad Deum defunctus eſſet, ad palatium perrexit, nobilitate pedibus pompam ſequente, et plebe circumfuſa, quae inſita levitate, ut nuper Antonium, ſic nunc Philippum feſtis clamoribus et confuſo plauſu proſequebatur; prudentioribus interim vicem regni admirantibus ſive deplorantibus, quod biennio quinque reges veluti habuiſſet, qua caſuum varietate Deus miſeros popnlos diverſa peſte adflixiſſet, et Sebaſtiani temeritate, Henrici fluctuante imprudentia, curatorum regni diſcordantibus ſtudiis, Antonii tyrannide et Philippi armis ac potentia, quaſi deſtinatis irae ſuae flagellis, uſus eorum laſcivientem copiam ac petulantiam ad inopiam ac ſummas anguſtias adduxiſſet. Urgebant proceres, ut novus

rex

INTERPR. [a] *Torres vedras.* [b] *le duc d'Anjou.* [c] *Cambray.* [d] *Alpoe.* [e] *Lisbonne.* [f] *Setubal.* [g] *d'Enchuyſen.* [h] *Cachiero.* [i] *Diego Roys.* [k] *de Brito.* [l] *de Careſma.* [m] *Calais.* [n] *Viann.* [o] *Gonſalve.* [p] *Tomar.* [q] *Santaren.* [r] *Almerin.* [f] *de Baçan, marquis de Santa Cruz.* [t] *de Pinna.*

Digitized by Google

rex titulos, commendas, quas vocant, ac praemia inter eos divideret. Sed cunctatione innata Philippus eorum flagitationes, quantum in ſe erat, fruſtrabatur: tamen, ut in ſpeciem aliquo modo eorum votis ſatisfacere videretur, Franciſcum [a] Sadam, unum ex regni curatoribus, et Ferrandum [b] Norognam comites creat; Chriſtophorum [c] Moram camerarii titulo ornat; et Petrum [d] Alcaſovam, quem Henricus infeſto adeo animo inſectatus fuerat, honoribus reſtituit, et camerarium item facit. De cetero, cum libellorum ſupplicum multitudine obrueretur, et rurſus multitudine conſiliariorum odio et amore in diverſa raptatorum fieret, ut negotia explicari non poſſent, eorum, qui mercedes petebant, cauſas ad duorum concilium revocavit. Ii fuerunt Ant. [e] Pigoerus Leiriae epiſcopus et Chriſtophorus Mora: ille quidem morti proximus, ſed mentis bene compos, quod nullis charitatibus tangeretur, eo majorem citra amorem cujuſque meritorum rationem habiturus videbatur; hic, quod a Philippo in aula ſua educatus et probus haberetur. Facta et ſpes Luſitanis, ad componenda eorum jam non occulta murmura, ut Maria Auguſta Philippi ſoror, quae e Germania hoc anno in Italiam venit, et Joannis Andreae [f] Auriae triremibus in Hiſpaniam deportata eſt, regno praeficeretur; quae, et ob dignitatem perſonae, et quod matre Luſitana prognata eſſet, popularium benevolentiam fratri conciliatura credebatur.

XXIII. REBUS in Luſitania pro tempore conſtitutis, inſularum cura Philippum anxium tenebat, merito veritum, ne copiis ex Gallia et Anglia ab Antonio ſummiſſis Inſulani confirmati porro in rebellione pergerent, exemplumque ad ceteros regni ejuſdem ſubditos emanaret. Ad [g] Tertiam miſſus fuerat Petrus [h] Valdes cum ampliſſimis mandatis; qui appulſu prohibitus, ſpretiſque ab eo propoſitis conditionibus, ſe cum viribus, quas habebat, occaſionem opperiens, in vicinarum inſularum litoribus continebat. Cum eo erant Lud. [i] Baſſanus, Jo. [k] Monſalvus, Didacus [l] Caſtrenſis, [m] Valladares Sarmientus, Ludovicus Ribera, Didacus Valdes. Poſtea Petro ſummiſſus cum novis viribus Lupus Figeroa, ut conjunctis cum Petro copiis inſulam vi in poteſtatem redigeret. Dum Figeroa in itinere eſſet, Valdes, aliquoties exſcenſione facta ad capiendas furto uvas, cum negligenter ſtationes obiri cognoviſſet, ad haec metueret, ne, ſi adventum opperiretur, ſperatae gloriae fructum amitteret, conatum inſtigante Didaco Valde intempeſtiva vanitate praecipitavit, et S. Jacobi die ad inſulam, fere ſcopulis, niſi ab una parte, quam Luſitani poſitis in tumulo IV ferreis tormentis muniverant, vallatam, ſcaphas inter Angram et [n] Praiam appellit; primoque impetu dejecta ſtatione et occupatis tormentis, dum locum munire aggreditur, ſtatim ad arma in urbe conclamatur, et ad pulſum tintinnabulorum concurſu facto circumfunditur. Erat in urbe Joannes [o] Betancurius primarius civis, a Betancurio illo noſtrate, qui primus Azoras luſtravit, eaſque Luſitanis vendidit, ſicuti ſuo loco diximus, genus ducens; qui Philippi partibus addictus cum c oppidanis conſciis, Philippi nomine inclamato, montanos mox concurſuros, multoſque nomen huic militiae daturos, temeraria fiducia ſibi perſuaſerat. Is, verba pro factis reputans, ſociorum promiſſis deceptus, cum inſigni hoc operae pretio facto magnam ſe gratiam a Philippo initurum ſperaret, de urbe in poteſtatem redigenda conſilium capit: ſublataque voce, et nomen Philippi ubique ciens, cum nemo arma caperet, a plebe circundatur; magnique beneficii loco duxit, quod cum paucis, qui cum eo erant, male a furentibus mulctatus, ceterum vita ſalva, in carcerem conjectus eſt. Jamque bis mille amplius Luſitani ad tumultum convenerant; quorum viribus fretus [p] Cyprianus Figeredus, qui loco praeerat, contra Hiſpanos ducit; quorum de numero incertus, ut viciſſim eos falleret, et tumultuario

INTERPR. [a] *de Saa.* [b] *de Noronna.* [c] *Moura, gentilhomme de la chambre du roy.* [d] *Alcaçova.* [e] *Pinyro.* [f] *Doria.* [g] *Tercera.* [h] *de Valdez.* [i] *de Baçan.* [k] *Don Juan de Monſalve.* [l] *de Caſtro.* [m] *Villadares Sarmiento.* [n] *la Praia.* [o] *de Bettencour.* [p] *Cebrian de Figueredo.*

CIↃIↃLXXXI. HENRICUS III.

tumultuario veluti vallo ſe defenderet, aſtu uſus eſt ex conſilio Auguſtiniani cujuſdam eremitae, qui, ut alii vitam monaſticam profeſſi, tunc licentia graſſante, ſe rebus bellicis immiſcebant. Itaque boves, quorum magnus in inſula numerus, undique conquiſiti et ſtimulis contra hoſteis incitati, tantum pulverem excitarunt, ut Hiſpani Luſitanos pone ſequenteis dignoſcere non poſſent, et, conſumpto prioribus cum inſulanis velitationibus nitroſo pulvere et glandibus, feſſi et fere inermes ad ſcaphas confugere coacti ſint, jam irritato mari, ita ut, cum ad litus appellere commode non poſſent, multi mare ingreſſi, et vix gutture aqua extantes, ac crebra inſequentium diſploſione infeſtati, miſere perierint. Multi interfecti; multi fluctibus hauſti: nemini, exacerbatis magis vetere odio quam injuria recentI animis, gratia facta. cccc amplius ex Hiſpanis deſiderati: in iis Didacus Valdes temerarii conatus incentor, et Lud. Baſſanus: deſideratus et Philippus [a] Artaldus ſtrenuus ordinum ductor, qui magnum robuſtae fortitudinis ſpecimen eo die dedit; ac reliqui fere ordinum ductores. In mortuos etiam ſaevitum; et a lixis, qua capite, qua brachiis, qua cruribus truncata cadavera, quae ad extremum immaniter lacerata quaſi in triumphum ab inſolenti victore in urbem feſto plauſu et cum tripudiis relata ſunt, prodeuntibus ad victoris occurſum etiam ſacrorum collegiorum ſodalibus, qui, non contenti tam crudeli ſpectaculo, etiam mortuorum cruore ſe polluerunt, ferro et ipſi in eos ſaevientes. Fama fuit, quoſdam corda nihil ſentientibus extraxiſſe, et ex iis prae rabie deguſtaſſe. Soli Jeſuitae, qui, quod ſuſpecti eſſent, ſe domi continebant, ſpectaculo abſtinuerunt. Figeredus, lectis ſpoliis, et armis in curſus impoſitis, urbem triumphabundus ingreſſus eſt, ſignis per vicos ubique pari laſcivia laceratis. Valdes pugna elapſus, felicior navarcha quam belli ductor, rei infeliciter geſtae nuncium primus [b] Oliſſiponam attulit; ubi Philippus, diſpoſitis per litus et intra [c] Durium et Minium praeſidiis, arci S. [d] Juliani muniendae intentus erat; nuncioque illo allato plane de reducendis ad ſanitatem citra armorum vim inſulanis deſperare coepit, animi anxius, cum et populareis male affectos videret, et, dimiſſis Italis Germaniſque, et Hiſpanis varia peſte multum deminutis, vix circa ſe v CIↃ bellatorum haberet, quorum mille Figeroae ad Azoras naviganti attribuerat. Anxietatem augebat incerta de adventu claſſis ex India orientali, Braſilienſi regione, S. Thomae inſula et promontorio [e] Viridi fama; quae, ſi ad [f] Tertiam appelleret, inde procul dubio in Angliam ad Antonium vela factura eſſet, et, quanta ſpe Philippum fruſtratura, tantum adjumenti Antonii, qui in Anglia erat, rebus allatura. Quantum ad orientalem claſſem ſpectabat, cum conſtaret eam Oliſſipona tempore interregni poſt Henrici mortem profectam eſſe, vero ſimile fiebat, Ludovicum [g] Ataidem Indiarum proregem nihil temere fortunae commiſſurum; ſed, qua erat prudentia, antequam claſſem remitteret, opperiturum, dum de compoſitis regni rebus aliquid certius cognoſceret. Contra alii diſputabant; et, Indias ceteraſque ditionis Luſitanae inſulas commoditate portuum Hiſpaniae carere non poſſe, oſtendebant: ſicque colligebant, ubi claſſis duces et inſtitores intellexiſſent Luſitaniam in Philippi poteſtate eſſe, protinus ad urbem venturos. Nec opinione illi ſua falſi ſunt. Nam Ataides, per literas ſuperiore anno a Philippo miſſas cum de ſucceſſu rerum cognoviſſet, protinus, omiſſa omni deliberatione, et ſpretis Antonii per contrarias literas repetitis promiſſis, claſſem ad Philippum in Luſitaniam remiſit; quae Tertiae propinqua, cum nihil certi cognoſcere potuiſſet, quantumvis ab inſulanis, ut in portum ſubiret, invitaretur, recta Oliſſiponam, ubi quiſque uxores, liberos ac fortunas relictas ſciret, contendit, nuſquam obvio facto [h] Valde, qui poſt cladem acceptam propere ſe in Luſitaniam receperat. Tantum Figeroam obvium habuerunt; qui claſſis

praefectum

INTERPR. [a] *Artal.* [b] *Lisbonne.* [c] *Duero & Minno.* [d] *San Gean.* [e] *Cap Verd.* [f] *Tercera.* [g] *de Atayde.* [h] *de Valdes.*

praefectum de Philippi et regni rebus plene inſtructum ad perſequendum iter confir- CIƆIƆLXXXI.
mavit, et aqua ac rebus neceſſariis juvit, multiſque promiſſis oneratum dimiſit. Hujus, HENRICUS III.
quo dubius magis, eo gratior adventus fuit; cum multi putarent, et Philippus ipſe, claſſem, quod ſerius appuliſſet, in Angliam tranſmiſiſſe. Interea Figeroa ad Tertiae conſpectum venit: et, cum male affectos inſulanos videret, [a] Angrenſium tamen animos periclitari ſtatuit, ecquid in Philippi poteſtate eſſe vellent, plenae gratiae et privilegiorum amplificationis ſpe ſacta. Verum illi, qui non ex Philippi clementia ſed ex meritis propriis certitudinem promiſſorum metirentur, ſuperbe reſponderunt, quacunque parte exſcenſionem ſacere parati eſſent Hiſpani, eam ſe illis aperituros. Quo reſponſo accepto, jam inclinata tempeſtate, Figeroa in Luſitaniam re infecta reverſus eſt, abducto ſecum Valde, quem in itinere tandem offenderat, qui mox Philippi juſſu in carcerem conjectus eſt. Sed, prolatis mandatis, quibus minime ei pugnandi facultas adimebatur, poſtea libertati reſtitutus ſuit.

XXIV. ANTONIUS jam ex Anglia incunte Octobri Dieppam appulerat; et inde per [b] Rotomagum itinere facto [c] Meduntam venit, nbi ab Anna [d] Jouſa, qui primarium gratiae locum in aula tenebat, regis nomine ſalntatus; ac poſtremo Lutetiae ad eum introductus, regina parente ſatagente, quae vanitate ſeu levitate muliebri inſita de novo regno ſpes inaneis conceperat, multis promiſſis impletus fuerat. Cumque ſub id de Tertiae rebus nuncium a Figeredo miſſum accepiſſet, non mediocriter laetatus eſt, quod fama ſpes ſuas adjuvaret. Mox et, aliquot navibus in inſula interceptis, merces omnes in Galliam tranſmiſſae ſunt: quod et ille magnifice venditabat, quo favorem rebus ſuis conciliaret; et, quaſi omnibus orientis gemmis onuſtus veniſſet, avidos harpyiarum aulicarum oculos in ſe convertebat; tamdiuque illos deluſit, donec, aliquot ingentis pretii gemmis partim donatis, partim oppigneratis, ipſe ſe deluſum ſenſit, ludibrio omnium expoſitus, et, quam univerſos initio erga ſe miſericordes, tam multos ex iis perfidos et ingratos poſtea expertus.

XXV. INTEREA Tertiae concluſi intra domus ſuae parietes Jeſuitae, concitatis in ſe ceterorum monachorum ac ſacerdotum odiis, cum nihilominus fidem ſuam Hiſpanis approbare inſigni ſacinore peroptarent, reſeratis templi valvis ad propriam contra furentem plebem tutelam, ciborium, in quo ſacroſanctum euchariſticum ſacramentum religioſe aſſervari ſolet, in veſtibulo ſtatuunt, et quaſi eruptionem minati tumultum in urbe cient; ad quem ſtatim accurrente magiſtratu et novitatis cauſas quaerente, cum illi audacter reſponderent, ſe paratos, ſi quid deliquiſſent, ut dignas poenas exigerent; ſin ſuſpecti eſſent, petere, ut in Luſitaniam abire permitterentur; plebs ultra modum commota eſt, cum alii in jure ſiſtendos tanquam patriae proditores, alii ſine mora tanquam perduelleis et Caſtellenſibus addictos una cum monaſterio incendendos dicerent. Tandem rurſus inter parietes ſuos concluſi ſunt: et mox [e] ſani Michaelis epiſcopi, cui Tertia inſula ſubeſt, vicarius, qui epiſcopi vices in inſula obibat, quod Caſtellenſibus favere crederetur, a munere ſuo depoſitus eſt, alio in ejus locum, arbitrio magiſtratus, ſuffecto.

XXVI. QUAE omnia cum ad Philippum perferrentur, non mediocriter animi angebatur, eodem tempore tot difficultatibus ſe victrici ejus fortunae objicientibus. Nam et in Belgio res ruere intelligebat; et, annitente Arauſionenſi, Ordines, ejerata priore fide, Franciſcum ducem [f] Andium regis fratrem ſibi in principem delegiſſe; ipſum vero Andinum cum Eliſabetha Anglorum regina ſecretas nuptias contraxiſſe, quibus ſubnixus magnum ad res in Belgio turbandas momentum allaturus eſſet: Antonium et in Gallia perhumane acceptum minime ignorabat. Qua de re cum apud regem per oratorem ſuum expoſtularet, ſic rex ſe excuſabat; ut, quantum ad matrimonium cum

INTERPR. [a] *ceux d'Angra.* [b] *Rouen.* [c] *Mante.* [d] *de Joyeuſe.* [e] *di San Miguel.* [f] *Anjou.*

CIƆIƆLXXXI. cum Eliſabetha Anglorum regina, ob religionis diſſidentiam ab initio ſemper contra-
Henricus III. dixiſſe diceret, et fratrem ab eo conſilio ſemper dehortatum eſſe : cum vero impedire non poſſet, poſtremo aſſenſiſſe, et fratrem chariſſimum, tanti regni ſubnixum opibus, amicum quam hoſtem habere maluiſſe : ne vero in Belgium proficiſceretur, aut conditiones ab Ordinibus delatas eorumve patrocinium acciperet, praecipue inſtitiſſe; et crebris edictis prohibuiſſe, ne delectus per regnum haberentur, neve nobilitas extra regnum injuſſu ſuo militaret : ſed neque id a ſuis impetrari potuiſſe : tandemque eo rem per bella civilia et turbas praeteritas adductam experimento comperiſſe, ut aut domi bellum habere aut foris militandi ſuis poteſtatem facere, quantumvis invitus, cogeretur : quod autem Antonius electus rex Portugalliae in regno acceptus ſit, id honoratiſſimae reginae parentis, cui nihil non debeat, voluntati ac juſto deſiderio datum ; quae cum jus ſibi competere in regno Portugalliae contendat, ſalvo foedere, quod Gallis cum Hiſpanis intercedit, et jure ſuo ſe facere putat ; praeſertim cum vi, non juris via ab eo excluſa ſit ; ſi cum iis, qui jus in eo ſibi tribuunt, pari injuria violatis, conſilia conjungat. His rationibus potius a rege Philippi expoſtulationibus reſponſum, quam ſatisfactum eſt ; qui, etſi intelligeret vera eſſe quae rex diceret, regemque otio gaudentem invitum facere ſciret, quo pacem in regno haberet, ut ad Andini fratris et reginae parentis immodica deſideria conniveret ; tamen ad famam pertinere exiſtimans, ne tantam injuriam inultam fineret, ad antiqua conſilia de rebus apud nos turbandis odium irreconciliabile adjecit, quo tandem occaſionem nactus ad florentiſſimi et potentiae ſuae aemuli regni perniciem defunctus eſt.

XXVII. Hoc anno Jo. Bapt. [a] Antonellus, de quo ſuperioribus libris diximus, cum de Tagi navigatione perducenda [b] Toletum uſque ſpem feciſſet, opere juxta admirando et illis provinciis utili, rem aggreſſus eſt ; ita duorum regnorum, ut antea ſemper animis, ſic impedimentis a natura poſitis disjunctorum, per mutuam ſubvectionis commoditatem conjunctione quodammodo tentata, ac poſt decennium conſummata.

INTERPR. [a] *Antonelli.* [b] *Tolede.*

FINIS TOMI TERTII.

LONDINI, imprimebat Jacobus Bettenham.

Digitized by Google

KALENDARIVM ROMANVM.

Omnes, quibus hoc Kalendarium in uſu erat, ſtylum Julianum uſque ad menſem Octobrem A. C. MIↃLXXXII *ubique obſervarunt.*

IANVARIVS.	FEBRVARIVS.	MARTIVS.
1. *Kalendae* Januariae	1. *Kalendae* Februariae	1. *Kalendae* Martiae
2. IV. Nonas	2. IV. Nonas	2. VI. Nonas
3. III. Nonas	3. III. Nonas	3. V. Nonas
4. pridie Nonas	4. pridie Nonas	4. IV. Nonas
5. *Nonae* Januariae	5. *Nonae* Februariae	5. III. Nonas
6. VIII Idus	6. VIII. Idus	6. pridie Nonas
7. VII. Idus	7. VII. Idus	7. *Nonae* Martiae
8. VI. Idus	8. VI. Idus	8. VIII. Idus
9. V. Idus	9. V. Idus	9. VII. Idus
10. IV. Idus	10. IV. Idus	10. VI. Idus
11. III. Idus	11. III. Idus	11. V. Idus
12. pridie Idus	12. pridie Idus	12. IV. Idus
13. *Idus* Januariae	13. *Idus* Februariae	13. III. Idus
14. XIX. Kalendas Februarias	14. XVI. Kalendas Martias.	14. pridie Idus
15. XVIII. Kal. Febr.	15. XV. Kal. Mart	15 *Idus* Martiae
16. XVII. Kal. Febr.	16. XIV. Kal. Mart.	16. XVII. Kalendas Apriles
17. XVI. Kal. Febr.	17. XIII. Kal. Mart.	17. XVI. Kal. April.
18. XV. Kal. Febr.	18. XII. Kal. Mart.	18. XV. Kal. April.
19. XIV. Kal. Febr.	19. XI Kal. Mart.	19. XIV. Kal. April.
20. XIII Kal. Febr.	20 X. Kal. Mart.	20. XIII Kal. April.
21. XII Kal. Febr.	21. IX. Kal Mart.	21. XII. Kal. April.
22. XI Kal. Febr.	22 VIII. Kal. Mart.	22. XI. Kal. April.
23. X Kal. Febr.	23. VII Kal. Mart.	23. X Kal. April.
24. IX. Kal. Febr.	24. VI. Kal. Mart.	24. IX. Kal. April.
25. VIII. Kal Febr.	*Ann communi,*	25. VIII. Kal. April.
26. VII. Kal. Febr.	25. V. Kal. Mart.	26. VII. Kal. April.
27. VI Kal. Febr.	26. IV. Kal Mart.	27. VI. Kal. April.
28 V. Kal Febr.	27 III Kal Mart.	28. V. Kal. April.
29. IV. Kal. Febr.	28. pridie Kal Mart.	29. IV. Kal. April.
30. III. Kal. Febr	*Ann. biſſextili,*	30 III. Kal. April.
31. pridie Kal. Febr.	25. *bis* VI. Kal. Mart.	31. pridie Kal. April.
	26. V. Kal. Mart.	
	27. IV. Kal. Mart.	
	28. III. Kal. Mart.	
	29. pridie Kal. Mart.	

APRILIS.	MAIVS.	IVNIVS.
1. *Kalendae* Apriles	1. *Kalendae* Maiae	1. *Kalendae* Juniae
2. IV Nonas	2. VI. Nonas	2. IV. Nonas
3. III. Nonas	3. V. Nonas	3. III. Nonas
4. pridie Nonas	4. IV. Nonas	4. pridie Nonas
5. *Nonae* Apriles	5. III. Nonas	5. *Nonae* Juniae
6. VIII. Idus	6. pridie Nonas	6. VIII. Idus
7. VII. Idus	7. *Nonae* Maiae	7. VII. Idus
8 VI. Idus	8. VIII. Idus	8. VI. Idus
9 V. Idus	9. VII. Idus	9. V. Idus
10. IV. Idus	10. VI. Idus	10. IV. Idus
11. III. Idus	11. V. Idus	11. III. Idus
12. pridie Idus	12. IV. Idus	12. pridie Idus
13. *Idus* Apriles	13. III. Idus	13. *Idus* Juniae
14. XVIII Kalendas Maias	14. pridie Idus	14. XVIII. Kal. Quint. *ſive* Jul.
15. XVII. Kal. Mai.	15. *Idus* Maiae	15. XVII. Kal. Jul.
16. XVI. Kal. Mai.	16. XVII Kalendas Junias	16. XVI. Kal. Jul.
17. XV. Kal. Mai.	17. XVI. Kal. Jun.	17. XV. Kal. Jul.
18. XIV. Kal. Mai.	18. XV. Kal. Jun.	18. XIV. Kal. Jul.
19. XIII. Kal. Mai.	19. XIV. Kal. Jun.	19. XIII. Kal. Jul.
20. XII. Kal. Mai.	20. XIII. Kal. Jun.	20. XII. Kal Jul.
21. XI. Kal. Mai.	21. XII. Kal. Jun.	21. XI. Kal. Jul.
22. X. Kal. Mai.	22. XI. Kal. Jun.	22. X Kal. Jul.
23. IX. Kal. Mai.	23. X. Kal Jun.	23. IX. Kal. Jul.
24. VIII. Kal. Mai.	24. IX. Kal. Jun.	24. VIII. Kal Jul.
25. VII. Kal. Mai.	25. VIII. Kal. Jun.	25. VII. Kal. Jul.
26. VI. Kal Mai.	26. VII Kal. Jun.	26. VI. Kal. Jul.
27. V. Kal Mai.	27. VI. Kal. Jun.	27. V. Kal. Jul.
28. IV. Kal Mai.	28. V. Kal. Jun.	28. IV. Kal. Jul.
29. III. Kal. Mai.	29. IV. Kal. Jun.	29. III Kal. Jul.
30. pridie Kal. Mai.	30. III. Kal. Jun.	30. pridie Kal. Jul.
	31. pridie Kal. Jun.	

Digitized by Google

Kalendarium Romanum.

	Quintilis, *qui et* Iulius.	Sextilis, *qui et* Augustus.	SEPTEMBER.
1.	*Kalendae* Quint. *ſive* Jul.	*Kalendae* Sext. *ſive* Aug.	*Kalendae* Septembres
2.	VI. Nonas	IV. Nonas	IV. Nonas
3.	V. Nonas	III. Nonas	III. Nonas
4.	IV. Nonas	pridie Nonas	pridie Nonas
5.	III. Nonas	*Nonae* Sext. *ſive* Aug.	*Nonae* Septembres
6.	pridie Nonas	VIII. Idus	VIII. Idus
7.	*Nonae* Quint. *ſive* Jul.	VII. Idus	VII. Idus
8.	VIII. Idus	VI. Idus	VI. Idus
9.	VII. Idus	V. Idus	V. Idus
10.	VI. Idus	IV. Idus	IV. Idus
11.	V. Idus	III. Idus	III. Idus
12.	IV. Idus	pridie Idus	pridie Idus
13.	III. Idus	*Idus* Sext. *ſive* Aug.	*Idus* Septembres
14.	pridie Idus	XIX. Kal. Septembres	XVIII. Kal. Octobres
15.	*Idus* Quint. *ſive* Jul.	XVIII. Kal. Sept.	XVII. Kal. Oct.
16.	XVII. Kal. Sext. *ſive* Aug.	XVII. Kal. Sept.	XVI. Kal. Oct.
17.	XVI. Kal. Aug.	XVI. Kal. Sept.	XV. Kal. Oct.
18.	XV. Kal. Aug.	XV. Kal. Sept.	XIV. Kal. Oct.
19.	XIV. Kal. Aug.	XIV. Kal. Sept.	XIII. Kal. Oct.
20.	XIII. Kal. Aug.	XIII. Kal. Sept.	XII. Kal. Oct.
21.	XII. Kal. Aug.	XII. Kal. Sept.	XI. Kal. Oct.
22.	XI. Kal. Aug.	XI. Kal. Sept.	X. Kal. Oct.
23.	X. Kal. Aug.	X. Kal. Sept.	IX. Kal. Oct.
24.	IX. Kal. Aug.	IX. Kal. Sept.	VIII. Kal. Oct.
25.	VIII. Kal. Aug.	VIII. Kal. Sept.	VII. Kal. Oct.
26.	VII. Kal. Aug.	VII. Kal. Sept.	VI. Kal. Oct.
27.	VI. Kal. Aug.	VI. Kal. Sept.	V. Kal. Oct.
28.	V. Kal. Aug.	V. Kal. Sept.	IV. Kal. Oct.
29.	IV. Kal. Aug.	IV. Kal. Sept.	III. Kal. Oct.
30.	III. Kal. Aug.	III. Kal. Sept.	pridie Kal. Oct.
31.	pridie Kal. Aug.	pridie Kal. Sept.	

	OCTOBER.	NOVEMBER.	DECEMBER.
1.	*Kalendae* Octobres	*Kalendae* Novembres	*Kalendae* Decembres
2.	VI. Nonas	IV. Nonas	IV. Nonas
3.	V. Nonas	III. Nonas	III. Nonas
4.	IV. Nonas	pridie Nonas	pridie Nonas
5.	III. Nonas	*Nonae* Novembres	*Nonae* Decembres
6.	pridie Nonas	VIII. Idus	VIII. Idus
7.	*Nonae* Octobres	VII. Idus	VII. Idus
8.	VIII. Idus	VI. Idus	VI. Idus
9.	VII. Idus	V. Idus	V. Idus
10.	VI. Idus	IV. Idus	IV. Idus
11.	V. Idus	III. Idus	III. Idus
12.	IV. Idus	pridie Idus	pridie Idus
13.	III. Idus	*Idus* Novembres	*Idus* Decembres
14.	pridie Idus	XVIII. Kal. Decembres	XIX. Kal. Januarias
15.	*Idus* Octobres	XVII. Kal. Dec.	XVIII. Kal. Jan.
16.	XVII. Kal. Novembres	XVI. Kal. Dec.	XVII. Kal. Jan.
17.	XVI. Kal. Nov.	XV. Kal. Dec.	XVI. Kal. Jan.
18.	XV. Kal. Nov.	XIV. Kal. Dec.	XV. Kal. Jan.
19.	XIV. Kal. Nov.	XIII. Kal. Dec.	XIV. Kal. Jan.
20.	XIII. Kal. Nov.	XII. Kal. Dec.	XIII. Kal. Jan.
21.	XII. Kal. Nov.	XI. Kal. Dec.	XII. Kal. Jan.
22.	XI. Kal. Nov.	X. Kal. Dec.	XI. Kal. Jan.
23.	X. Kal. Nov.	IX. Kal. Dec.	X. Kal. Jan.
24.	IX. Kal. Nov.	VIII. Kal. Dec.	IX. Kal. Jan.
25.	VIII. Kal. Nov.	VII. Kal. Dec.	VIII. Kal. Jan.
26.	VII. Kal. Nov.	VI. Kal. Dec.	VII. Kal. Jan.
27.	VI. Kal. Nov.	V. Kal. Dec.	VI. Kal. Jan.
28.	V. Kal. Nov.	IV. Kal. Dec.	V. Kal. Jan.
29.	IV. Kal. Nov.	III. Kal. Dec.	IV. Kal. Jan.
30.	III. Kal. Nov.	pridie Kal. Dec.	III. Kal. Jan.
31.	pridie Kal. Nov.		pridie Kal. Jan.

A01 1469541

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google